THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS
SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN VIGESIMUMNONUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCLXV.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



MICHAELI KUEN

AD EXEMTAS INSULAS WENGENSES CANN. REGG.
S. AUGUSTINI ULMÆ SVEVORUM PRÆLATO,
S. CÆS. MAJ. CONSILIARIO AC
SACELLANO PERPETUO.

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.

CUM *per humanitatem Tuam*, REVERENDISSIME PRÆSUL *mihi licuerit* ANTIQUITATES SACRAS, *quas jamdiu edendas illustrandasque suscepi, auspiciis Tuis exornari, gratias Tibi maximas*

pro

pro Tuo maximo beneficio publico hoc testimonio Tibi agendas habendasque existimavi, quo illustriora ac testatiora meæ in Te observantiæ, seu potius pietatis extarent argumenta, cum probe norim, quantum ex Tuo judicio impertiri illis possit decoris ac dignitatis. Etenim non solum in Germania Tua, verum etiam in nostra Italia singulari doctrinæ fama celebraris, de qua quamplurima & honorificentissima extant testimonia & monumenta. In caussa Kemsensi *in variis opusculis, quæ sub nomine* Adolphi de Kempis *edidisti, doctissimorum Virorum testimonio maximam & immortalem Tibi gloriam comparasti adversus Gersonistas, quorum opera seu potius maledicta Eminentissimi Episcopi Tui, & Serenissimi Augustani Principis censura proscripta & notata sunt. Tua illa* disquisitio Critica de variis gestis, dictis, ac visionibus S. Augustino falso aut minus solide attributis adjecta ejus vitæ a S. Possidio Calamensi Episcopo descriptæ a D. Joanne Salinas ad MSS. Codices recensitæ atque illustratæ *omnium commendatione celebrata*

lebrata est. Incredibili omnium studio, ac votis expectantur Tomi V. VI. & VII. una cum historia Collegii Tui collectionis Tuæ variorum autorum, qui de monasteriis variorum ordinum scripsere, *cujus volumina quatuor summa Tua cum laude in folio edita, & publicata sunt: Utinam quæ pro Tua modestia anonymus edidisti, reliqua opera innotescere paterere! Quantum ex iis Tibi posset comparari gloriæ & dignitatis! Pro Tuis maximis & singularibus promeritis cum summa floreres gloria atque autoritate, factum est, ut Monasterio VVengensi, antiquitate, sanctitatis & doctrinæ fama, qua a seculo XII. Canonici & antecessores Tui claruere, in Germania fere omnium clarissimo nobilissimoque, incredibili & singulari animorum & suffragiorum consensione Abbas & Præsul præficerere. Quo munere summa cum dignitate & gloria perfunctus es. Difficillimis seu potius desperatis temporibus, præsertim novissimo post hominum memoriam maximo teterrimoque bello, quo Germania pene tota conflagravit, in regendo procurandoque Monasterio Tuo prudentia Tua summopere com-*

men-

mendata est: Inprimis in Tua procuratione pietatis & doctrinæ ratio & cura abs Te habita est: Literis omnibus præsertim Sacris abs Te amplissima affuerunt præsidia, & ornamenta, quibus sæpenumero professus es Canonicis Tuis quamplurimum lucis ex hisce nostris Antiquitatibus posse impertiri, & comparari.



BLA-



BLASIUS UGOLINUS
LECTORI.

VEterum Hebræorum, & finitimarum gentium rem domesticam, vestiariam, luxum, artes, & commercia hoc Volumine Tibi exhibemus. De re rustica & pecuaria Hebræorum & finitimorum populorum commentarium præmisimus, quo quamplurimis Sacræ Scripturæ locis quamplurimum lucis impertitur. Deus, quo sibi populum alliceret, passim ubertatem agrorum, & pecoris fœcunditatem illi pollicetur. Ut cetera prætergeam loculentissimum *Deuteron.* XXVIII. 4. extat testimonium. ברוך פרי בטנך ופרי אדמתך ופרי בהמתך שגר אלפיך ועשתרות צאנך ברוך טנאך ומשארתך וגו׳ יצו יהוה אתך את הברכה באסמיך ובכל משלח ידך וברכך בארץ אשר יהוה אלהיך נתן לך וגו׳ והותרך יהוה לטובה בפרי בטנך ובפרי בהמתך ובפרי אדמתך על האדמה אשר נשבע יהוה לאבתיך לתת לך יפתח יהוה לך את אוצרו הטוב השמים לתת מטר ארצך בעתו ולברך את כל מעשה ידך. *Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus quadrupedis tui, grex boum tuorum, & septa ovium tuarum: Benedictum canistrum tuum, & massa tua &c. Mandabit tecum Dominus benedictionem in apothecis tuis, & in omni, cui accesserit manus tua, & benedicet tibi super terram quam Dominus Deus tuus dat tibi &c. Et abundare te faciet Dominus in bonum in fructu ventris tui, & in fructu quadrupedis tui, & in fructu terræ tuæ, super terram, quam juravit Dominus patribus tuis dare tibi. Aperiet tibi Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ad dandam pluviam in tempore suo, & ad benedicendum omni operi manus tuæ.* Contra vero si sibi dicto audientes non fuerint, sterilitatem agrorum, & pecorum Deus minitatur ibid. ארור טנאך ומשארתך ארור פרי בטנך ופרי אדמתך שגר אלפיך ועשתרת צאנך וגו׳ והיו שמיך אשר על ראשך נחשת וארץ אשר תחתך ברזל יתן יהוה את מטר ארצך אבק ועפר מן השמים ירד עליך עד השמדך. *Maledictum canistrum tunm & massa tua, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, grex boum tuorum, & septa ovium tuarum &c. Eruntque cœli tui, qui super caput tuum, ærei, & terra quæ subter te, ferrea. Dabit Dominus pluviam regionis tuæ pulverem ac terram, e cœlo descendet super te usque ad annihilationem tui.*

INDEX

INDEX OPUSCULORUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

BLA-



BLASII UGOLINI
COMMENTARIUS
DE RE RUSTICA
VETERUM HEBRÆORUM.

* *

CAPUT PRIMUM.

De præstantia, & fertilitate Terræ Chanaan.

I. *Terræ Chanaan præstantia & ubertas*. II. *Palæstina fluviis, maribus, lacubus, & fontibus*. III. *Pecore & pascuis*. IV. *Tritico, Vino, Oleo, Melle, Palmis &c.* V. *Purpura, Vitro, Bysso, Styrace, Calamo odorato, Junco, & aliis aromatibus, sed in primis Balsamo celebrata*.

CUM veteres Hebræos pascendis gregibus, & excolendis agris præcipuam operam impendisse passim in utroque Testamento legatur, rei eorum domesticæ; quæ in hoc volumine illustratur, hunc de *eorum re pecuaria, & rustica* commentarium præmittendum putavi, eo quod ex eo quamplurimis & obscurissimis Scripturæ locis plurimum lucis impertiri possit.

Terra Chanaan ob cœli temperiem, aeris salubritatem, agrorum ubertatem, pecorum, frumenti, olei, vini, mellis, balsami, omnisque generis fructuum, & reliquarum rerum, quæ maximi æstimantur, copiam & præstantiam, præ ceteris regionibus merito celebrata fuit. Hinc dicitur *Exod.* III. 8. 17. XIII. 5. & XXXIII. 3. *Levit.* XX. 24. *Num.* XIII. 27. XIV. 8. & XVI. 14. *Deut.* VI. 3. XI. 9. XXVI. 9. 15. XXVII. 3. & XXXI. 20. *Jos.* V. 6. *Jerem.* XI. 5. & XXXII. 22. *Ezech.* XX. 6. 15. *Ecclesiast.* XLVI. 10. *Baruch* I. 20. *terra fluens lacte & melle*. Qua phrasi usi sunt etiam Poetæ: *Euripides* in Bacchis vers. 142.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσῶν
Νέκταρι - - -
Fluit lacte ager
Fluit vino, fluit apum
Nectare.

Virgilius Ecloga tertia

> *Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum*

Ovidius Metamorph. lib. I.

> *Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant*
> *Flavaque de viridi stillabant ilice mella*

Horatius lib. 2. Od. 13.

> . . . *lactis & uberes*
> *Cantare rivos, atque truncis*
> *Lapsa cavis iterare mella*

Claudianus lib. I. de laudibus Stiliconis verf. 84.

> *Tunc & solis equos, tunc exultare choreis*
> *Astra ferunt, mellisque lacus, & flumina lactis*
> *Erupisse solo* . . .

Huic simile *Job* xx. 17. legitur נחלי דבש וחמצה *torrentes mellis, & butyri*. Præterea *Deut.* III. 25. atque VIII. 7. dicitur טובה, & *Jerem.* III. 19. *Dan.* XI. 16. 41. *Zachar.* VII. 14. חמדה *terra desiderii* ארץ צבי *terra ornatus*. *Ezech.* XX. 6. צבי לכל הארצות *ornamentum omnium terrarum*. *Joel* II. 3. כגן עדן הארץ *sicut hortus Eden terra* appellatur. *Deut.* VIII. 8. scriptum est. *Terram frumenti, hordei, & vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliveta nascuntur, terram olei, ac mellis; ubi absque alia penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris*. 2. *Reg.* XVIII. 23. *Donec veniam & transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terram vinearum, olei, & mellis*. *Isai.* XXXVI. 17. *Donec veniam, & tollam vos ad terram quæ est in terra vestra, terram frumenti, & vini, terram panum & vinearum*. Iterum *Deut.* VIII. 8. *Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque & fontium, in cujus campis, & montibus erumpunt pluviarum abyssi*.

Extant præter Sacram Scripturam, quamplurima, & luculentissima de præstantia & fertilitate terræ Chanaan testimonia. Initium ordiemur ab Aristæa: Τῆς χώρης πολλῆς ὔσης, καὶ καλῆς, καὶ τινῶν μὲν πεδίνων, τῶν κατὰ τὴν Σαμαρεῖτιν λεγομένων, καὶ τῶν συναπτόντων τῇ τῶν Ἰδυμαίων τῆς γῆς γίνεσθαι συνεχῶς, ἵνα καὶ διὰ τοῦτο ὖτοι τὴν ἀκαρπίαν ἔχωσιν. ὖ γενομένυ γεωργεῖται πάντα δαψιλέως, πολλῆς ἐν πάσῃ τῇ προειρημένῃ χώρᾳ. *Regio cum sit ampla & bona, & quædam sint campestria ad tractum, qui Samaritis dicitur, & ubi Idumææ contigua sunt; alia vero sint montana, ubi agri cultura, & cura perpetua indigent, ut & hi fertilitatem habeant, ex quo fit, ut omnia excolantur, magnaque sit per totam memoratam terram abundantia*. Et paulo post: μεγάλη ἐστὶν ἡ γεωργυμένων φιλοπονία, καὶ γὰρ ἐλαϊκοῖς πλήθεσι συνδενδρός ἐστι, καὶ σιτικοῖς καρποῖς αὐτῶν ἡ χώρα, καὶ ὀσπρίοις, ἔτι δὲ ἀμπέλῳ καὶ μέλιτι πολλῷ τὰ μὲν τῶν ἄλλων ἀκροδρύων καὶ φοινίκων ὐδ᾽ ἀριθμεῖται παρ᾽ αὐτοῖς. κτήνη τὰ πολλὰ παμμιγῆ καὶ δαψιλὴς ἡ τύτων νομή. *Est ibi magnum studium agriculturæ, ideoque eorum regio consita est plurimis oleis, & frumenti ferax, & leguminum, & vitis etiam, & multi mellis. Cum aliæ frugiferæ arbores, tum etiam palmæ apud eos numerantur. Pecora omnis generis sunt multa, & copiosum pabulum*. *Hecatæus* apud *Josephum* contra *Apionem* lib. I. de Hebræorum gente. τρισκοσίας μυριάδας ἀρουρῶν, σχεδὸν τῆς ἀρίστης, καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται, φησίν. ἡ γὰρ Ἰυδαία τοσαύτη πλῆθος ἐστίν. *Pœne decies trecenta millia Ararurum optimi & fertilissimi soli habent. Nam Judæa hujus est amplitudinis*. *Polybius* lib. V. Histor. de septentrionali terræ Israeliticæ parte agens, quæ circa Tyrum & Philoteriam sita est, testatur agros ejus Antiocho alendo exercitui abunde omnia suppeditasse. ἔσχε πρὸς τὰς μελλύσας ἐπιβολὰς, διὰ τὸ τὴν ὑποτεταγμένην χώραν ταῖς πόλεσι ταύταις ῥαδίως δύνασθαι παντὶ τῷ στρατοπέδῳ χορηγεῖν καὶ δαψιλῆ παρασκευάζειν τὰ κατεπείγοντα πρὸς τὴν χρείαν. *Potitus autem duabus urbibus supra memoratis, ad reliqua incepta bonæ spei plenus se comparabat, quia subjecti illi agri alendo exercitui abunde suppeditabant, & quæcunque usui essent, subministrabant largiter*. *Tacitus* lib. V. Histor. de Judæa. *Rari imbres, uber solum, exuberant fruges nostrum ad morem*. *Ammianus Marcellinus* lib. XIV. *Ultima Syriarum est Palæstina per intervalla magna portenta, cultis abundans terris, & nitidis, & civitates habens quasdam egregias*. *Josephus* Antiquit. lib. V. cap. I. Ἡ γὰρ φύσις τῆς χαναναίων γῆ τοσαύτη τις ἐστιν, ὡς ἴδοι τις ἂν πεδία μεγάλα καὶ καρπὺς φέρειν ἱκανώτατα. καὶ συγκρινόμενα μὲν ἑτέρᾳ γῇ, πανευδαίμονα νομισθησόμενα. τοῖς δὲ ἱεριχυντίων χωρίοις παραβαλλόμενα καὶ τοῖς Ἱεροσολυμιτῶν, τὸ μηδὲν ἀναφανισόμενα, καί τοι πάντελῶς ὀλίγην αὐτῶν εἶναι τὴν γῆν συμβέβηκε, καὶ ταύτης ὀρεινὴν τὴν πολλὴν, ἀλλ᾽ ὑποβολῇ ἐς καρπῶν ἐκτροφὴν τέ καὶ κάλλος ὐκ ἀπολέλοιπεν ἑτέρας, καὶ διὰ τῦτο τεμνητοὺς μᾶλλον ἢ πλέθρυ κἂν χιλίων ἀνταξίυς γενομένυ. *Nam Chananææ natura talis est, ut*

videre

videre licet campos magnos, & frugum, & fructuum feracissimos, qui collati ad aliam terram admodum uberes videri possent; quod si iidem ad Hiericunthium, aut Hierosolymitanum agrum conferantur, jam non magni pretii videbuntur; cum tamen hi agri parvi sint, & bona ex parte montani, sed quantum ad fertilitatem attinet nullis aliis secundi; hanc ob rem voluit juxta æstimationem potius quam juxta mensuram sortitionem fieri, quod nonnunquam unum jugerum pro mille aliis valeat. Idem de bello lib. III. cap. 3. de Galilæa loquens: Μάχιμοι τε γὰρ ἐκ νηπίων, καὶ πολλοὶ πάντοτε Γαλιλαῖοι, καὶ οὔτε δειλία ποτὲ τοὺς ἄνδρας, οὔτε λειπανδρία τὴν χώραν κατέσχεν. ἐπειδὴ πίων τε πᾶσα, καὶ εὔβοτος καὶ δένδρεσι παντοίοις κατάφυτος ὡς ὑπὸ τῆς εὐπαθείας προσκαλέσασθαι, καὶ τὴν ἥκιστα γῆς φιλόπονον προσηνκήθη γοῦν ὑπὸ τῶν οἰκητόρων πᾶσα, καὶ μέρος αὐτῆς οὐδὲν ἀργὸν, ἀλλὰ καὶ πόλεις πυκναὶ, καὶ τὸ τῶν κωμῶν πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν εὐθηνίαν, ὡς τὴν ἐλαχίστην ὑπὲρ πεντακισχιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις ἔχειν οἰκήτορας. *Nam & ab infantia pugnaces, & ubique numero abundantes Galilæi; neque formido unquam viros occupavit, neque eorum penuria regio laboravit; quoniam tam pinguis & pascua est, & omne genus arboribus consita, ita ut vel minime studiosos agri culturæ ubertate sua alliciat. Omnis itaque ab habitantibus exculta est, & nulla ejus pars otiosa, quia & urbes frequentes, & crebri vici ubique populosi propter soli bonitatem, ut qui sit minimus supra quindecim millia incolarum habeat.* Idem ibid. de Peræa. Ἡ Περαία δὲ πολὺ μείζων, ἔρημος δὲ καὶ τραχεῖα τὸ πλεὸν πρός τε καρπῶν αὔξησιν ἀγριωτέρα. τόγε μὴν μαλθακὸν ταύτης, καὶ τὸ πάμφορον, καὶ τὰ πεδία δένδρεσι κατάφυτα ποικίλοις, τὸ πλεῖστον δὲ, εἰς ἐλαίαν το καὶ ἄμπελον καὶ φοινικῶνας ἤσκηται, διαρδομένη χειμάῤῥοις τε τοῖς ἀπὸ τῶν ὀρῶν, καὶ πηγαῖς ἀεννάοις ἅλις, εἴποτε ἐκεῖνοι Σειρίῳ φθίνοιεν. *At illa quæ trans flumen est, licet multo major sit, pleraque tamen aspera atque deserta est, & nutriendis fructibus mansuetis inhabilis. Peræa sane mollities, & ingenium fructuosum, campos habet cum variis arboribus consitos, tum maxime olivetis, ac vineis, & palmetis excultos; irrigatur autem abunde montanis torrentibus, & fontibus aquæ perennis, quoties illi Syrio æstuante defecerint.* Idem ibid. de Samaria. Ἡ δὲ Σαμαρεῖτις χώρα, μέση μὲν τῆς Ἰουδαίας ἐστὶ καὶ τῆς Γαλιλαίας. ἀρχομένη γὰρ ἀπὸ τῆς ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένης Γιναίας ὄνομα κώμης, ἐπιλήγει τῆς Ἀκραβατινῶν τοπαρχείας. φύσιν δὲ τῆς Ἰουδαίας κατ' οὐδὲν διάφορος. ἄμφω τε γὰρ ὀρειναὶ καὶ πεδιάδες εἴς τε γεωργίαν μαλθακαὶ καὶ πολύφοροι, κατάδενδροί τε καὶ ὀπώρας ὀρεινῆς καὶ ἡμέρου μεσταί. Προσάρδεσθαι γοῦν οὐδαμοῦ μὲν φύσει δαψιλὲς, ὕονται δὲ τὸ πλέον. γλυκὺ δὲ νᾶμα πᾶν διαφόρως ἐν αὐτοῖς, καὶ διὰ πλῆθος πόας ἀγαθῆς, τὰ κτήνη πλέον, ἢ παρ' ἄλλοις γαλακτοφόρα. μέγιστον γε μὴν τεκμήριον ἀρετῆς καὶ εὐθηνίας τὸ πληθύειν ἀνδρῶν ἑκατέραν. *Samariensis autem regio inter Judæam quidem & Galilæam sita est; incipiens enim a vico in planitie posito, cui nomen est Ginæa, in Acrabatenam desinit toparchiam; sed natura nihil a Judæa discrepat, nam utræque montosæ sunt, & campestres, agroque colendo molles, atque optimæ, necnon & arboribus consitæ; pomisque tam sylvestribus quam mansuetis abundant, eo quod natura sunt aridæ, imbriumque satis habent: dulces autem per eas supra modum aquæ sunt, bonique graminis copia, præter alia earum pecora lactis abundant. Quodque maximum virtutis atque opulentiæ specimen est, utraque viris referta est.* Idem ibid. de regione sita circa lacum Genesar. Παρατείνει δὲ τὴν Γεννησὰρ ὁμώνυμος χώρα, θαυμαστὴ φύσιν τε καὶ κάλλος. οὔτε γὰρ αὐτὴν τι φυτὸν ἀρνεῖται. διὰ τὴν ποιότητα καὶ πᾶσαν πεφυτεύκασιν οἱ νεμόμενοι. τοῦ δε ἀέρος τὸ εὔκρατον ἁρμόζει καὶ τοῖς διαφόροις. καρύαι μεν γε φυτῶν τὸ χειμεριώτατον, ἄπειροι τεθήλασιν, ἔνθα φοίνικες οἱ καύματι τρέφονται. συκέαι τε καὶ ἐλαῖαι πλησίον τούτων, αἷς μαλθακώτερος ἀὴρ ἀποδέδεικται. φιλοτιμίαν ἄν τις εἴποι τῆς φύσεως βιασαμένης, εἰς ἓν συναγαγεῖν τὰ μάχιμα, καὶ τῶν ὡρῶν ἀγαθὴν ἔριν, ἑκάστης ὥσπερ ἀντιποιουμένης τοῦ χωρίου. καὶ γὰρ οὐ μόνον τρέφει παρὰ δόξαν τὰς διαφόρους ὀπώρας, ἀλλὰ καὶ διαφυλάσσει, τὰ μὲν γε βασιλικώτατα. σταφυλὴν τε καὶ σῦκον δέκα μησὶν ἀδιαλείπτως χορηγεῖ. τοὺς δὲ λοίπους καρποὺς δι' ἔτους ὅλου περιγηράσκοντας αὐτοῖς. πρὸς γὰρ τῇ τῶν ἀέρων εὐκρατίᾳ καὶ πηγῇ διαρδεύεται ποτιμωτάτῃ Καπαρναοὺμ αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι. *Ad Genesar vero lacum ejusdem nominis terra protenditur, natura simul ac pulchritudine admirabilis. Nullum enim ipsa pro ubertate sua negat arbustum, totamque plantis consuevere cultores; cœli vero temperies etiam diversis aptissima est; nuces enim, quæ arborum maxime frigoribus gaudent, infinitæ florescunt: ubi etiam palmæ, quas nutrit calor æstivus; has juxta ficus & oleæ, quibus aura mollior destinata est; at naturæ magnificentiam esse quis dixerit vim adhibentis, ut in unum conveniant inter se repugnantia, annique temporum contentionem bonam veluti singula peculiari studio terræ faverent: Non enim solum nutrit præter opinionem poma varia, sed etiam servat egregia quidem, & quodammodo regalia: Uvas & caricas sine intermissione decem mensibus suppetit, ceteros vero fructus anni spatio senescentes.*

Nam præter aeris lenitatem & fonte quodam irrigantur uberrimo, qui Caparnaum ab indigenis appellatur. Sed in primis lectu dignissima est regionis Hierecunthinæ descriptio, quæ extat de Bello lib. v. cap. 4. Παρὰ μὲν τοι τὴν Ἱεριχοῦντα ἐστὶ πηγὴ δαψιλής τε καὶ πρὸς ἀρδείας λιπαρωτάτη, παρὰ τὴν παλαιὰν ἀναβλύζουσα πόλιν, ἣν Ἰησοῦς ὁ Ναυῆ παῖς στρατηγὸς Ἑβραίων πρώτην εἷλε χαναναίων δορίκτητον &c. τοσαύτην γοῦν ἐν ταῖς ἀρδείαις ἔχει δύναμιν, ὡς εἰ καὶ μόνον ἐφάψαιτο τῆς χώρας, νοσιμώτερον εἶναι τῶν μέχρι κόρου χρονιζόντων. παρὸ καὶ τῶν μὲν δαψιλέστερον χρωμένων, ἡ ὄνησις ἐστὶν ὀλίγη, τούτου δὲ τοῦ ὀλίγου δαψιλής. ἄρδει γοῦν πλέονα τῶν ἄλλων ἁπάντων καὶ πεδίον μὲν ἐπέχει ἑβδομήκοντα σταδίων μῆκος, εὖρος δὲ εἴκοσιν, ἐκτρέφει τε ἐν αὐτῷ παραδείσους καλλίστους τε καὶ πυκνοτάτους. τῶν δὲ φοινίκων ἐπαρδομένων γένη πολλὰ ταῖς γεύσεσι, καὶ ταῖς παρηγορίαις διάφορα. τούτων οἱ πιότεροι πατούμενοι, καὶ μέλι δαψιλὲς ἀνιᾶσιν οὐ πολλῷ τοῦ λοιποῦ χεῖρον. καὶ μελιττοφόρος δὲ ἡ χώρα. φέρει δὲ καὶ ὀποβάλσαμον, ὃ δὴ τιμιώτατον τῶν τῇδε καρπῶν, κύπρον τε καὶ μυροβάλανον, ὡς οὐκ ἂν ἁμαρτεῖν τινὰ εἰπόντα θεῖον εἶναι τὸ χωρίον, ἐν ᾧ δαψιλῆ τὰ σπανιώματα καὶ κάλλιστα γένεται. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων αὐτῷ καρπῶν ἕνεκεν οὐκ ἂν ῥᾳδίως τι παραβληθείη κλίμα τῆς οἰκουμένης, οὕτω τὸ κατὰ βληθὲν πολύχουν ἀναδίδωσιν. αἴτιον δέ μοι δοκεῖ τὸ θέρμον τῶν ἀέρων, καὶ τὸ τῶν ὑδάτων εὔγονον, τῶν μὲν παρασκαλουμένων τὰ φυόμενα, καὶ διαχεόντων τῆς δὲ ἰκμάδος ῥιζοῦστης ἕκαστον ἰσχυρῶς, καὶ χορηγούσης τὴν ἐν θέρει δύναμιν. περικαὲς δ' ἐστὶν οὕτω τὸ χωρίον, ὡς μηδένα ῥᾳδίως προσιέναι. τὸ δὲ ὕδωρ πρὸ ἀνατολῆς ἀντλούμενον ἔπειτα ἐξαιθεριασθὲν, γίνεται ψυχρότατον, καὶ τὴν ἐναντίαν πρὸς τὸ περιέχον φύσιν λαμβάνει. χειμῶνος δὲ ἀνάπαλιν χλιαίνεται, καὶ τοῖς ἐμβαίνουσι γίνεται προσηνέστατον. ἔστι δὲ καὶ τὸ περιέχον οὕτως εὔκατον, ὡς λινοῦν ἀμφιέννυσθαι τοὺς ἐπιχωρίους, νιφομένης τῆς ἄλλης Ἰουδαίας. *Ad ipsam vero Hiericho largissimus fons est, rigandisque arvis uberrimus, juxta veterem scaturiens civitatem, quam Jesus Nave filius, Hebræorum ductor, primam in Chananæorum terra bello possederat &c. Denique rigationis ejus tanta potentia est, ut si attigerit modo terram, sapidior sit aquis diu perseverantibus, unde eo quæ largius abutuntur, exiguum emolumentum habent, quæ vero parcius plurimum. Amplius tamen quam ceteri fontes spatium rigat, & septuaginta quidem stadiis longam, viginti autem latam planitiem permeat: optimos autem in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumque irriguarum genera tam sapore, quam nominibus varia, quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multum ab alio melle deterius: quamquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructuum ibi nascentium. Itemque Cyprum, & myrobolanum gignit; ut qui divinum esse illum tractum dixerit, non erraverit, ubi larga & optima generantur, quæ sunt carissima. Sed nec in aliis ei fructibus aliqua facile toto orbe terrarum regio certaverit; adeo multiplicatum quod satum est reddit. Cujus rei causa mihi videtur esse aquarum vis læta, & aeris calor; cum hic provocat, quæ nata fuerint, atque diffundit; liquor autem firmis singula radicibus stringat, viresque suggerat æstivo tempore, quo sic percussa est illa regio, ut nihil facile procedat, ac pullulet; aqua tamen si ante solis ortum hauriatur, auræ spiritu refrigescit, naturamque contrariam aeri sumit; hyeme vero contepescit, eaque mersis mitissima efficitur. Tanta est antem cœli temperies, ut quo tempore in alia Judææ regione ningit, lino illic tantum indigenæ vestiuntur.* Hieronymus ad cap. xx. *Ezech. Inclytam esse terram Judææ, & cunctis terris fertiliorem dubitare non poterit, qui a Rhinocorura usque ad Taurum montem, & Euphratem fluvium consideraverit terram, & urbium potentiam, amœnitatemque regionum.* Hyperbolica existimanda sunt, quæ leguntur in *Gemara Hierosolymitana Peah* fol. 20. 1. de fertilitate Palæstinæ. רבי אבהו ור׳ יוסי בן חנינא ור׳ שמעון בן לקיש עברו על כרם אפיק לון אריסא פרסיקא אכלון אינון וחמריהון וגו׳ בתר יומין עברון תמן אפיק לון תרי תלת לגוא ידיה אמרו ליה מן ההוא אילנא אנן בעיי אמר לון מיניה אינון וקרון עלוי ארץ פרי למלחא מרעה יושיבי בה אר׳ חנינא כד סלקית להנא נסיבית איזורי ואיזוריה דכ׳די ואיזוריה דהמרי מפקא בירתא דחרובתיה דארעא דישראל ולא מטון קצת חד חרוב ונגד מלא ידוי דבש אר׳ יוקנן יפה סיפסוק שאכלנו בילדותינו מפרסקי שאכליו בזקנותינו דביומיו אישתני עלמא אר׳ חייא בר בא סאה ארבלית היתה מוציאה סאה סולת סאה קמח סאה קובר סאה סובין סאה מורסן סאה בניבין וכרון אפילו חרא כחרא לא קיימא ר׳ חונא בשם ר׳ אבין קנמון מאכל עזים היה היו ישראל מגדלין אותו ר׳ הונא בשם ר׳ אבין שני תמידין שהיו מקריבין בכל יום היו מרכבון אותן על גבי גמל דרגליהן נונעות בארץ ר׳ חונא בשם ר׳ אידי מעשה באחד שקשר עז לתאינה ובא ומצא דבש וחלב מעורבין. *R. Abbu & R. Jose ben Chanina, & R. Simeon Lakisch cum iter facerent per quadam vineam, ab hortulano oblatum illis fuit pomum persicum; Postquam ex eo ipsi & eorum agasones comedissent, reliquum ex eo fuit. Post aliquot dies cum illuc iterum venissent, hortulanus ipsis obtulit duo vel tria in vola manus.*

manus. Dixerunt illi; ex eadem arbore nos requirimus: Respondit illis: Ex ea ipsa hæc sunt. De illo legerunt, quod scriptum est Psal. 107. 34. Terram fertilem in salsedinem convertit propter iniquitatem habitantium in ea. *Dicit R. Chanina. Cum adscenderem illinc huc* (sc. ex Babylonia Hierosolymam) *accepi cingulum meum, & cingulum filii mei, & cingulum agasonis mei, cinxi trabem vel surculum arboris siliquæ terræ Israel, nec tamen suffecerunt: Succidi quandam arborem siliquam, & perfusa fuit tota manus mea melle. Dicit R. Jochanan: Fructus vilissimus quem comedimus in juventute nostra, melior fuit optimo, quem nunc comedimus in senectute. Nam in diebus ejus immutatus fuit mundus. Dicit R. Chijah bar Ba: Satum Arbelitanum exhibuit satum similæ, satum farinæ, satum furfuris, & satum furfuris crassioris, & adhuc satum furfuris crassioris, & satum etiam furfuris crassissimi. At nunc vix unum satum ex uno sato constat. R. Huna nomine R. Abin. Cinnamomum olim cibus caprarum fuit, ex quo illas Israelitæ nutriebant: R. Huna nomine R. Abin. Duo sacrificia jugia, quæ singulis diebus immolabantur, cum imposita fuissent camelo, eorum pedes terram attingebant: R. Huna nomine R. Aidi. Narratur de quodam viro, qui ficui hircum alligavit, & veniens invenit mel & lac commixta:* Præterea ibidem narratur de botro, qui bovem magnitudine æquiparavit, de vulpe nidificante in culmine rapæ, de mira sinapis magnitudine. *Dicit R. Simeon ben Chelphata. Caulis sinapis mihi fuit in fundo meo, in quem scandi posset, ac si quis scanderet in ficum.* R. Chanina condidit Academiam in Tsippori pretio mellis venundati.

Terra Chanaan opportune divisa erat in montes, colles, campos, & valles, quo magis apta & idonea esset pascuis, tritico, arboribus, & omnis generis fructibus: *Etenim non omnis fert omnia tellus.* Hinc *Cato* de re rustica cap. 6. *Agrum* (inquit) *quibus locis conseras, sic observari oportet. Ubi ager crassus, & lætus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse opertet. Idem ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium, panicum id maxime seri oportet. In agro crasso & calido oleam conditivam, radium majorem, salentinam; orchitem, poseam, Sergianam, colminianam, albicerem. Quam earum in his locis dicent esse, eam maxime serito. Hoc genus oleæ in* XXV. *aut* XXX. *pedes conserito. Ager oleo conserendo qui in ventum Favonium spectabit, & soli ostentatus erit, alius bonus nullus erit. Qui ager frigidior & macrior erit, ibi oleam Licinianam seri oportet. Sin in loco crasso, & caldo, bostus nequam erit, & ferundo arbor peribit, & muscus ruber molestus erit &c. Vineam quo in agro conseri oportet, sic observato. Qui locus vino optimus dicetur esse, & ostentus soli, ibi Amminnæum, minusculum, & geminum eugenium, helveolum minusculum conserito. Qui locus crassus erit, aut nebalosior, ibi Aminnæum majus, aut Murgentinum, Apicium, Lucanum serito. Ceteræ vites miscellæ maxime in quemvis agrum conveniunt.* Quæ uberius & distinctius exponuntur a *Varrone* de re rustica lib. 1. c. 6. *Igitur primum de solo fundi videndum hæc quatuor. Quæ sit forma, quo in genere terræ, quantus, quam per se tutus. Formæ cum duo genera sint, una quam natura dat, altera quam sationes imponunt: prior quod alius ager bene natus, alius male: posterior quod alius fundus bene consitus est, alius male. Dicam prius de naturali. Igitur cum tria genera sint a specie simplicia agrorum, campestre, collinum, & montanum, est ex iis tribus quartum, ut in eo fundo, in quo hæc duo vel tria sunt, ut multis locis licet videri. E quibus tribus fastigiis simplicibus, sine dubio infimis alia, cultura aptior, quam summis, quod hæc calidiora quam summa; sic collinis, quod ea tepidiora quam infima, aut summa. Hæc apparent magis ita esse in latioribus regionibus, simplicia una sunt. Itaque ubi lati campi, ibi magis æstus. Et eo in Apulia loca calidiora ac graviora. Et ubi montana, ut in Vesuvio, quod leviora, & ideo salubriora. Qui colunt deorsum, magis æstate laborant, qui sursum magis hyeme; verno tempore in campestribus maturius eadem illa servantur, quam in superioribus, & celerius hic quam illic coguntur; necnon sursum quam deorsum tardius servantur, ac metuantur &c.* Et paulo post. *In collibus humilibus societas major cum campestri fructu, quam cum montano: in altis contra. Propter hæc tria fastigia formæ, discrimina quædam fiunt sationum, quod segetes meliores existimantur esse campestres, vineæ collinæ, sylvæ montanæ; plerumque hybernis iis esse meliora, qui colunt campestria, quod tunc prata ibi herbosa, putatio arborum tolerabilior. Contra æstiva montanis locis commodiora, quod ibi tum & pabulum multum, quod in campis aret, ac cultura arborum aptior, quod tum illic frigidior aer. Campester locus is melior qui totus æquabiliter in unam partem vergit, quam is qui ad libellam, quod is cum aquæ non habeat delapsum fieri solet uliginosus:* Idem cap. 23. *Quoniam fructum, inquit, arbitror esse fundi eum, qui ex eo satus,*

nascitur utilis ad aliquam rem; duo considerandа quæ & quo quidque loco maxime expediat serere. Alia enim loca apposita sunt ad fœnum, alia ad frumentum, alia ad vinum, alia ad oleum. Sic ad pabulum quæ pertinent, in quo est ocimum, farrago, vicia, Medica, cytisum, lupinum, neque in pingui terra omnia seruntur recte, neque in macra nihil. Rectius enim in tenuiore terra ea quæ non multo indigent succo ut cytisum & legumina &c. Judæa in montana, collina, & campestria ita distributa erat, ut omnis generis fructus alere, & affatim suppeditare potuerit, ut incolæ non modo aliunde importatis non indigerent, sed abunde finitimis subministrar potuerint: Merito de Judæa dici potest, quod de Italia a Dionysio Halicarnassensi dictum est lib. 7. Antiquit. Rom. Ἐγὼ τὸν ἐκ γῆς πλοῦτον οὐκ ἐν μιᾷ τίθεμαι καρπῶν ἰδέᾳ, οὐδ᾽ εἰσέρχεταί μοι ζῆλος οἰκήσεως ἐν ᾗ μόνον εἰσὶν ἄρουραι πίονες, τῶν δ᾽ ἄλλων οὐδὲν ἢ βραχύ τι χρήσιμον. ἀλλ᾽ ἥτις ἂν εἴη πολυαρκεστάτη τε καὶ τῶν ἐπεισάκτων ἀγαθῶν ἐπιπολὺ ἐλάχιστον δεομένη ταύτην κρατίστην εἶναι λογίζομαι τοῦτο δὲ πάμφορον καὶ πολυωφελεῖς παρ᾽ ἣν τινα ἄλλην γῆν Ἰταλίαν ἔχειν πείθομαι. οὐ γὰρ ἀρούρας μὲν ἀγαθὰς ἔχει, καὶ πολλάς, ἄδενδρος δ᾽ ἐστὶν ὡς σιτοφόρος. οὐδ᾽ ἂν φυτὰ μὲν ἐστιν ἱκανὴ παντοῖα θρέψασθαι σπείρεσθαι δ᾽ ὡς δενδρῖτις ὀλιγόκαρπος. οὐδ᾽ ἄμφω μὲν ταῦτα παρέχειν δαψιλής, προβατεύεσθαι ἀνεπιτήδειος. οὐδ᾽ ἄν τις αὐτὴν φαίη πολύκαρπον μὲν εἶναι καὶ πολύβοτον, ἐνδιαίτημα δ᾽ ἀνθρώποις ὑπάρχειν ἄχαρι. ἀλλ᾽ ἔστι πάσης, ὡς εἰπεῖν, ἡδονῆς τε καὶ ὠφελείας ἔμπλεως. *Ego terræ opes non æstimo in uno fructus specie, nec me subit desiderium habitandi ubi arva tantum sunt pinguia, aliarum vero rerum ad vitam utilium aut nulla aut exigua admodum est copia: sed quæ sibi ipsi sufficit, & bonis aliunde advectis minimum indiget, eam puto optimam. Hanc vero copiam & commoda præ aliis terris Italiæ concessa esse credo. Nec enim area tantum bona habet, caret autem arboribus, ut frumenti ferax; neque plantis modo quibuslibet alendis est idonea, sed inutilis segetibus, ut agris arbusti: Neque largiter quidem hæc utraquo suppeditat, sed parum apta est alendo pecori; neque dici potest eam abundare fructibus, & pascuis, injucundam vero illic esse hominibus habitationem; sed omnibus voluptatibus, & commodis hæc terra referta est.* Singulæ partes Palæstinæ dividuntur in montes, campos, & valles, uti videre est cap. IX. *Scheuvith* שלש ארצות
לביעור יהודה ועבר הירדן והגליל ושלש
שלש ארצות לכל אחת ואחת גליל העליון
וגליל התחתון והעמק מכפר חנניה ולמעלן
כל שאינו מגדל שקמין העליון ומכפר חנניה
ולמטן כל שהוא מגדל שקמים גליל התחתון
ותחום טברית העמק וביהודי ההר שפלה
והעמק ושפלה לוד כשפלה הדרום וההר
שלה בהר המלך מבית חורון ועד הים
מדינה אחת. *Trifariam dividitur terra ratione pollucturæ, in Judæam, Peræam, & Galilæam: quæ singulæ etiam trifariam, Galilæa in superiorem, inferiorem & vallem, quarum superior complectitur quicquid supra Capharnaum quod sycomoros non alit, inferior quicquid infra Capharnaum, quod fert sycomoros, vallis territorium Tiberiadis. Judæa in montanam campestrem, & vallem. Campestria Lyddæ æquiparantur campestribus austri, montana ejusdem monti regio. A Bethorone autem ad mare regio singularis. Tosaphta*
רבי שמעון בן אליעזר אומר אי זהו הר
שבערבה ירדן כגון הרי מכוור וגדור וחברותיו
שפלה שלה חשבון וכל עריה שבמישור דיבין
ובמות בעל ובית בעל מעון עמק שלה כגון
בית נמרה והבית חרן וחברותיה. *R. Simeon ben Eleasar dicit: Quænam est montana Peræ? Nempe montis Machæruntis, & Gador cum reliquis ejusmodi. Campestris ejusdem Esbon, Bamothbaal, Bethbaalmaon. Vallis ejusdem Bethnamra, Betharan cum reliquis ejusmodi.* Gemara Hierosolymitana *Scheviith* 38. 2. תני ר׳ש ב׳ג
אומר סימן להרים מילין לעמקים תמרים
לנחלים קנים לשפלה שקמים ואע׳פ שאין
ראייה לדבר זכר לדבר ואת הארזים נתן
כשקמי׳ אשר בשפלה לרוב וגו׳ אי זהו עמק
בגליל בקעת גינוסר וחברותיה וכן כיוצא בהן
אי זהו הר שביודה זה הר המלך ושפלתו
זו שפלת דרום ועמק שלו מעין גדי ועד
יריחו אי זהו הר שבעבר הירדן תני רבי
שמעון בן אליעזר אומר כגון הרי מכוור
וגדור וכן כיוצא בהן ושפלתו חשבון וכל
עריה אשר במישור דיבון ובמות בעל ובית
בעל מעון וכן כיוצא בהן ועמק שלו בית חרן
ובית נמרה וכיוצא בהן ובעמק ביתהרן ובית
נמרה וסוכרת וצפון יתר ממלכת סיחון מלך
האמורי אשר מלך בחשבון בית חרם בית
רמתה בית נמרה בית נמרין וגו׳ סכות
דרעלה צפון עמתו שפלה שבהר כהר
ושבשפלה כשפלה מן מה דתני הר והרם
עמק ועמקו שפל ושפלתו הדא אמרה שפלה
שבהר כהר והר שבשפלה כשפלה א׳ר יוסי
מתני׳ אמר כן וההר שלה בהר המלך מבית
חורון ועד הים אחת פרא בורין א׳ר יוחנן
עוד היה יש בה הר ושפלה ועמק מבית
חורון ועד אמאוס הר מאמאוס ועד לוד
שפלה מלוד ועד הים עמק. Traditio: *Rabi Simeon ben Gamaliel dicit. Signum montium sunt fraxini, vallium palmæ, amnium cannæ, camporum sycomori; licet non sit rei demonstratio, tamen est est rei monumentum. Dictum est enim* I. Reg. 10. 27. Et cedros reddidit ut sycomoros, *quæ in campis plerumque inveniuntur &c. Quænam est vallis in Galilæa? Nempe*

vallis

Ginnasar & ejusmodi ; & his similes . Quinam est mons in Judæa? Hic est mons regius ; & ejus campestria sunt campestria austri, & ejus vallis ab Engadi usque ad Hierico . Quinam est mons in Peræa? Traditio. R. Simeon ben Eliefer dicit. Nempe montes Macheruntis, & Gador cum reliquis ejusmodi ; & ejus campestria Esbon, & omnes ejus urbes , quæ sunt in planitie, Dibon , & Bamothbaal , & Bethbaalmaon , & cum reliquis ejusmodi ; Et ejus vallis Betharan , & Bethnamra , & cum reliquis hujusmodi ; & in valle Betharan, & Bethnamra , & Soccoth , & Tsepha , Ithar ex regno Siphon regis Amorrhæi , qui fuit rex in Esbon , Betharam , Bethramatha , Bethnamra, Bethnamar , Sucoth, Dereela, Tsephamatho . Campestria, quæ sunt in monte reputanda sunt ut mons, & quæ sunt in valle, reputanda sunt sicut vallis . Hinc est traditio : Mons & ejus montana , vallis & ejus vallis, campestria & eorum campestria . Hoc dicit : Campestria, quæ sunt in monte, reputanda sunt ut mons, & mons qui est in campestribus, reputandus est ut campestria. Dicit R. Jose : Ita se habet traditio . Et ejus mons reputandus est ut mons regius: a Bethchoron usque ad mare regio singularis . Dicit Rabi Jochanan extat traditio . Præterea ibi est mons, & campestria, & vallis ex Bethchoron usque ad Emaus mons , ab Emaus usque ad Lyddam campestria, a Lydda usque ad mare vallis.

Montes plurimi in Palæstina numerantur. *Libanus* in finibus Palæstinæ septentrionalibus , de quo *Strabo* lib. XVI. Δύο δὲ ἐστὶν ὄρη τὰ ποιοῦντα τὴν Κοίλην καλουμένην Συρίαν, ὡς ἂν παράλληλα, ὅτι Λίβανος, καὶ ὁ Ἀντιλίβανος, μικρὸν ὕπερθεν τῆς θαλάττης ἀρχόμενα ἄμφω. ὁ μὲν Λίβανος τῆς κατὰ Τρίπολιν κατὰ τοῦ θεοῦ πρόσωπον μάλιστα, ὁ δὲ Ἀντιλίβανος τῆς κατὰ Σιδόνα. τελευτῶσι δ' ἐγγύς πως τῶν Ἀραβίων ὀρῶν, τῶν ὑπὲρ τῆς Δαμασκηνῆς καὶ τῶν Τραχωνιτῶν ἐκεῖ λεγομένων εἰς ἄλλα ὄρη γεώλοφα καὶ καλλίκαρπα. Ἀπολείπουσι δὲ μεταξὺ πεδίον κοῖλον. πλάτος μὲν τὸ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ διακοσίων σταδίων, μῆκος δὲ τὸ ἀπὸ τῆς θαλάττης ἐς τὴν μεσόγαιαν ὁμοῦ τι διπλάσιον. *Duo autem sunt montes qui Syriam cavam dictam efficiunt fere æquali ubique spatio a se invicem dissiti, Libanus & Antilibanus, uterque non longe a mari initium capiens; Libanus quidem circa Tripolim, & Dei faciem, Antilibanus circa Sidonem : desinunt prope montes Arabicos, qui supra regionem Damascenam sunt, quoque Trachonitarum illic dicuntur, in alios montes glebosos & fructiferos . In medio planitiem cavam relinquunt, cujus ad mare latitudo est 200. stadiorum , longitudo a mari versus mediterranea circiter ejus dupla.*

Mons Chermon , qui Judic. III. 3. בעל חרמון Baal Chermon monti Libano adsitus videtur ; in finibus Palæstinæ septentrionalibus collocatur . Sidonii eum appellarunt שריון *Schirion*, Emorræi שניר *Schenir Deut.* III. 9. Appellatur quoque mons *Sion Deuter.* IV. 48. הר שיאן הוא חרמון *mons Sion qui est Chermon* . Constituitur hic mons terminus septentrionalis Palæstinæ. Vid. *Deut.* III. 8. & IV. 48.

Carmel ex sacra Scriptura videtur fuisse constitutus in limite Australi tribus Aser *Jos.* XIX. 26. & vicinus fluvio Kischon I. *Reg.* XVIII. 40. 43. Fertilissimus fuit. *Theodoretus* ad *Jesa.* XXIX. τὸν Κάρμηλον. ὄρος δὲ τοῦτο πολυφόρον, καὶ πολύκαρπον ἐν τῇ τοῦ Ἰσραὴλ κείμενον χώρᾳ. *Carmelum ; mons hic est fertilis, & fructibus abundans in regione Israelis situs .*

Tabor תבור situs erat in finibus tribus Iissacar , & Zebulon , & Nephtali ; vid. *Jos.* XIX. 22. A Græcis & Romanis appellatus fuit Ἀταβύριον.

Mons Olivifer ὄρος ἐλαιώνος , aut ὄρος τῶν ἐλαιῶν dictus est *Mich.* VI. ההר אשר מקרם לעיר appellatur *mons* qui *urbi ad ortum est* , qui ante Hierosolymas est I. *Reg.* II. 7. Judæi eum appellant הר המשחה *montem unctionis* , vel הר הזיתים *montem olivarum*.

Præter hos montes a *Josepho* Antiq. I. 19. memorantur אר גלער *montana Gilead* trans Jordanem ; montes *Baschan Psal.* LXVIII. 16. qui a Libano usque ad Pharan porriguntur . Mons נבו , qui & mons עברים *Abarim* ex adverso Hiericunthem constituitur a *Josepho* Antiquit. lib. VI. 7. *Deut.* XXXII. 49. dicitur Mose in eo monte mortuus esse. *Jerem.* jungitur cum Libano & Baschan montibus altissimus.

Mons ferreus Σιδηροῦν ὄρος teste *Josepho* lib. V. cap. 4. de bello protenditur usque ad Moabitim . סולמא של צור *Scala Tyriorum* inter montes regionis cis Jordanicæ celebratur . Ἀσαμών *Asamon* mons in medio Galilææ teste *Josepho* lib. II. c. 23. de bello. Montes *Gilboe* . *Hieronymus* in Onomastico. *Gilboe montes alienigenarum : in sexto lapide a Scythopoli, in quibus est vicus grandis , qui vocatur Gelbus* . Ros descendebat in montes Gilboe 2. *Sam.* I. 21. *Mons Tzemaraim* הר צמרים 2. *Chron.* XIII. 4. erat in montanis Ephraim . Σαμαρῶν ὄρος dicitur a *Josepho* Antiquit. VIII. 5. *Tzalmon* צלמון *Judic.* IX. 48. situs in Samaritide unde ramos arborum petiit Abimelech . *Schomron* mons , cui inædificata fuit Samaria . Montes *Gerizim*

zim & *Ebal*, in quorum valle ſita fuit Sichem. In his montibus recitatæ ſunt benedictiones & maledictiones, de quibus *Joſ.* VIII. 33. Vide *Sotha* cap. VII. 5. Mons *Gaas* juxta vicum Thamnam ſepulcro Joſuæ celebratus. Situs fuit in Ephraimitide. Memoratur *Judic.* II. 9. Montes Bather *Cant.* II. 17. Græcis ὄρη κοιλωμάτων. Mons Gabaon. *Epiphanio* ἡ Γαβαὼμ ὑψηλοτάτη *cacumen Gabaon*, *quod altiſſimum eſt*. Mons *regius* הר המלך. Juxta mentem *Epiphanii* videtur ὀρεινὴ περὶ Ἱεροσόλυμα. *Angaris*. *Plinius* lib. V. cap. 13. *Gaza & intus Anthedon mons Angaris*. *Joſephus* memorat montes *Engadenos* Ἐγγηδηνῶν ὄρεα Antiq. VI. 14. *Galenus* memorat montes *Sodomenos*. Præterea in ſacra Scriptura memoratur mons *Ephron* Joſ. XV. 18. Mons *Amelekitarum* Judic. XII. 15. Montes ad ortum Bethel Gen. XII. 15.

Poſtquam dictum eſt de montibus Palæſtinæ, nunc memorandæ ſunt valles, quæ ab Hebræis dicuntur נחל , גי , עמק & בקעה. *Vallis botri* נחל אשכול memoratur Num. XII. 23. dicta a botro, quem inde attulerunt exploratores. Vallis Gerar נחל גרר in qua Iſaacus morabatur. Vallis Kedron נחל קדרון *vallis Kedron*. *Vallis Schittim* נחל שטים *Joel* III. 18. Chaldæo מישר שטין Symmacho φάραγξ ἀκανθῶν, LXX. χείμαῤῥος σχοίνων *vallis Hinnom* גי הנום Joſ. XV. 8. גי בן הנום *vallis filii Hinnom*. Et גי בני הנום *vallis filiorum Hinnom* 2. Reg. XXIII. 10. Vallis proxima Hieroſolymæ, per quam tendebat limes auſtralis tribus Benjamin *Joſ.* XVIII. 16. & borealis Judæ, qui idem eſt *Joſ.* XV. 8. גי העברים *vallis viatorum Jeſ.* XV. 16. In regione Transjordanica fuit. גי צפתה *vallis Tzephata* juxta Mareſan 2. *Chron.* XIV. 10. גי יפתחאל *vallis Iiphtachel* ſita erat in tribu Zebulon *Joſ.* XIX. 14. 27. גי החרשים *Vallis fabrorum*, connectitur cum Lod & Ono *Neh.* 11. 35. גי חזיון *vallis viſionis Jeſ.* XXII. 1. עמק רפאים *vallis Rephaim*, κοιλὰς τιτάνων *Joſ.* XV. 8. 2. *Sam.* V. 18. & κοιλὰς Γιγάντων *Joſepho* Antiq. VII. 4. dicitur. *Euſebius* in Onomaſtico eam collocat in tribu Benjamin; at rectius in Juda juxta *Bonfrerium* collocanda erit. עמק יהושפט *vallis Joſaphat Joel* III. 2. & 12. *Cyrillus* comment. in *Joelem*. Ἐν τῇ κοιλάδι Ἰωσαφάτ. χῶρος δὲ οὗτος οὐ πολλοῖς σταδίοις ἀπέχων τῆς Ἱερουσαλὴμ ἐν τοῖς πρὸς ἠῶ μέρεσι. ψιλὸν δὲ εἶναι φησὶ καὶ ἐππήλατον. In valle Joſaphat. *Locus hic eſt non multis ſtadiis diſtans a Jeruſalem verſus orientem. Dicunt eum eſſe nudum, & equitationi aptum.* עמק הברכה *vallis laudationis* κοιλὰς εὐλογίας in qua Deus hoſtes Joſaphati fudit. *Joſeph.* Antiq. IX. 1. 2. *Chron.* XX. 26. Videtur fuiſſe in deſerto Thecoæ. עמק המלך & עמק שוה *vallis regis Gen.* XIV. 17. 2. *Sam.* XVIII. 18. locus ubi rex Sedom & Melchizedec occurrerunt Abrahamo poſt victum Kedorlaomer. עמק עכור *vallis Achor*. *Theodoretus* quæſt. X. in Joſ. Δηλὸν δὲ ἐντεῦθεν ὡς ἡ ὑπὸ τῶν προφητῶν κοιλὰς Ἀχὼρ αὐτή ἐστιν, ἐν ᾗ ὁ Ἀχὰρ κατελεύσθη. *Conſtat ex hoc loco vallem a Prophetis Achor dictam eſſe illam, in qua lapidibus obrutus eſt Achor*. Locus non diſtat a Galgalis juxta Jericho, uti conſtat ex ſacra Scriptura, & *Euſebio*. עמק האלה *vallis terebinthi* 1. *Sam.* XXI. 9. in qua Goliath a Davide cæſus eſt. Ab *Aquila* & *Theodotione* redditur κοιλάδα τῆς δρυὸς *vallis quercus*. Præter has valles memorantur in ſacro textu עמק השדים *Geneſ.* XIV. & in Targum Hieroſolymitano redditur משור פרדסיא *planities Paradiſorum*. עמק חברון *vallis Chebron Geneſ.* XXXVII. 14. עמק יזרעאל *vallis Jezrael Joſ.* XVII. 16. *Jud.* VI. 33. עמק גבעון *vallis Gibeon Jeſ.* XVIII. 21. עמק אילין *vallis Ajalon Joſ.* X. 12. עמק סוכות *Pſal.* LX. 8. & CVIII. 8. עמק *vallis regionis Rechab*, in qua ſita urbs Dan *Jud.* XVIII. 28.

Reliquum eſt ut de locis campeſtribus agatur. Campos, quos Græci πεδία appellant, Hebræi vocare ſolent שפלה planitiem, & מישור, & ערבה, & ככר, & interdum בקעה & עמק. Μέγα πεδίον appellatur omnis campus, qui late patet. Sed a *Joſepho* hoc nomine duo præcipue campi inſigniuntur, alter qui a Scythopoli ſe extendit uſque ad lacum Aſphaltiten, alter qui campus Eſdrelon, aut Legionis dicitur. Prior campus ערבה appellatur *Joſ.* II. 2. & XII. 3. qui ad auſtrum Kinreth ſitus erat, ſeque extendit uſque ad mare mortuum *Deuter.* IV. 49. Deſcribitur hic campus a *Joſepho* de bello lib. V. cap. 4. Ἡ μέση δὲ τῶν δύο ὀρέων χώρα τὸ μέγα πεδίον καλεῖται ἀπὸ κώμης Γινναβεὶν διῆκον μέχρι τῆς Ἀσφαλτίδος λίμνης. ἔστι δ' αὐτῷ μῆκος μὲν σταδίων χιλίων διακοσίων, εὖρος δὲ εἴκοσιν καὶ ἑκατὸν καὶ μέσον ὑπὸ τοῦ Ἰορδάνου τέμνεται. λίμνας τε ἔχει τήν τε Ἀσφαλτῖτιν καὶ τὴν Τιβεριέων, φύσιν ἐναντίας. Ἡ μὲν γὰρ ἁλμυρώδης καὶ ἄγονος, ἡ Τιβεριέων δὲ γλυκεῖα καὶ γόνιμος. ἐκπυροῦται δὲ ὥρᾳ θέρους τὸ πεδίον, καὶ δι' ὑπερβολὴν αὐχμοῦ περιέχει νοσώδη τὸν ἀέρα. πᾶν γὰρ ἄνυδρον πλὴν τοῦ Ἰορδάνου, παρὸ καὶ τοὺς μὲν ἐπὶ ταῖς ὄχθαις φοινικῶνας εὐθαλεστέρους καὶ πολυφορωτέρους συμβέβηκεν, ἧττον δὲ τοὺς πόῤῥω κεχωρισμένους. *Regio autem, quæ inter duos montes illos media jacet, campus appellatur, a vico Ginnabrin protenſa uſque ad*

lacum

lacum Asphaltitem. In longum patet stadia mille & ducenta, in latum centum & viginti, & media secatur a Jordane. Continet hæc lacus Asphaltitem, & Tiberiadis, natura sibi contrarias: ille enim salsus & sterilis, hic dulcis ac fertilis. Æstate malam terretur hic campus, & propter eximium ardorem aerem habet insalubrem: totus enim campus aquis destituitur, si Jordanem excipias, quamobrem & palmeta vicina ripis ejus florida magis, & fertilia existunt, minus autem, quæ magis a Jordane absunt. Ab Eusebio hic campus αὐλὼν appellatur. Αὐλὼν πεδιὰς μεγάλη ἐπιμήκης. ὁ αὐλῶν εἰς ἔτι νῦν καλεῖται. Αὕτη δὲ περιέχεται ὄρεσιν ἑκατέρωθεν, παρατείνουσιν ἐκ τοῦ Λιβάνου καὶ ἔτι ἄνωθεν ἐπὶ ἐρήμου φαρών. εἰσὶ δὲ ἐπὶ Αὐλῶνος πόλεις ἐπίσημοι, Τιβεριὰς καὶ ἡ πρὸς αὐτῇ λίμνη Σκυθόπολις, Ιεριχὼ καὶ ἡ νεκρὰ θάλασσα, αἵτε περὶ αὐτὰς χῶραι, ὧν μέσος Ἰορδάνης φέρεται ἐξιὼν μὲν ἀπὸ τῶν κατὰ Πανεάδα πηγῶν εἰς δὲ τὴν νεκρὰν θάλασσαν ἀφανιζόμενος. *Hieronymus*. *Aulon non Græcum ut quidam putant, sed Hebræum vocabulum est. Appellatur autem vallis grandis atque campestris in immensam longitudinem se extendens, quæ circumdatur ex utraque parte montibus sibi invicem succedentibus, & cohærentibus, qui incipientes a Libano, & ultra usque ad desertum Pharan perveniunt. Suntque in ipso Aulone, i. e. valle campestri, urbes nobiles Scythopolis, Tiberias, stagnumque prope eam: sed & Hiericho, mare mortuum; & regiones in circuitu, per quas medius Jordanes fluit, oriens de fontibus Paneadis, & in mare mortuum introiens*. Præter hunc campum magnum, quem Jordanes medium perlabitur, erat alter campus magnus, qui ab Iizreel urbe, & Legione campus Iizreel aut μέγα πεδίον Λεγιῶνος appellari solet. *Josephus* de bello lib. IV. cap. 2. Mons *Tabor sive Itaburius est* τοῦ μεγάλου πεδίου καὶ Σκυθοπόλεως μέσος *medius inter magnum campum, & Scythopolim*. De hoc magno campo scribit Josephus de bello lib. III. cap. 3. & lib. VIII. cap. 2. Antiquit. τὸ μέγα πεδίον fuisse regionem cui præfectus erat Achilad. Idem lib. V. cap. I. Antiq. scribit regionem tribus Ephraim ab Austro versus Septentrionem in latitudinem patere a Bethol usque ad τὸ μέγα πεδίον: *Eusebius* ad vocem Ἰεσραὴλ scribit esse vicum nomine Εσδραηλὼν ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένην μεταξὺ Σκυθοπόλεως καὶ Λεγεῶνος *in campo magno sitam inter Scythopolin & Legionem*. Idem ad vocem Αρβηλά. Κεῖται ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ τῆς Λεγεῶνος διεστῶσα σημείοις θ´ *sita est in campo magno remota a Legeone millibus novem*. Et ad vocem *Bethacad*. Βαιθακὰδ τῆς Σαμαρείας, ἔνθα ἦλθεν. τῆς λεγομένης (Hieronymus legit Λεγεῶνος) ἀπέχουσα σημείοις ιε´ ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ. *Vicus Samariæ ad quem venit Jebu a Legione distans 15. milliaribus in campo magno*. Idem ad vocem Κάμων: ἐστὶ νῦν Καμμωνὰ κώμη ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ ἀπέχουσα Λεγεῶνος σημείοις στ´ ἐν βορείοις ἀπιόντων εἰς Πτολεμαΐδα. Est hodieque *Cammona vicus in campo magno sex millibus a Legione ad septentrionalem plagam pergentibus Ptolemaida*. Ex his plane constat hunc campum magnum omnino diversum fuisse ab illo, qui a Jordane medius secatur, qui ab *Eusebio* & in libro *Judith* IV. 5. Αὐλὼν appellatur. Ex nomine urbis *Legionis* hunc campum *Eusebius* appellat μέγα πεδίον Λεγεῶνος, & *Hieronymus latissimum campum*, vel *campum maximum*, *campum prægrandem*, & addito nomine *grandem campum Legionis*.

Præter hos duos campos conspiciuntur campestria a monte Carmelo austrum versus in regione maritima usque ad terminos terræ Israeliticæ: Saron hæc planities appellatur. *Hieronymus* in comment. ad *Esai*. XXXIII. *Saron omnis circa Joppen Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque redduntur*. Idem ad *Isai*. LXV. *Pro campestribus in Hebræo* שרון Saron *ponitur*. *Omnis regio circa Lyddam, Joppen & Jamniam apta est pascendis gregibus*. *Josephus* lib. V. Antiquit. cap. I. testatur regionem illam, quæ ab Azoto usque ad Dora extenditur, campestrem fuisse, & regionem Danitarum complecti vallem Cananææ ad occasum, & terminari Azoto, & Doris. Hæc regio sita fuit circa Emmauntem: I. *Mach*. III. 40. παρενέβαλον πλησίον Εμμαοὺμ ἐν τῇ γῇ πεδινῇ *castrametati sunt prope Emmauntem in regione campestri*. Erat præterea πεδίον Ἀσὼρ in Galilæa I. *Mach*. II. 67. Erat πεδιὰς in regione Diocæsarensi, in qua sita Aznoth. Reliqua campestria Chananææ vide in Cl. *Relandi* Palæstina, ex qua pleraque desumsimus.

II. Terra Chanaam *Deut*. VIII. 7. vocatur ארץ נחלים מים ועינות *terra rivorum aquarum*, & *fontium*. 2. *Chron*. XXXII. 3. dicitur, aquarum copiam ibi fuisse מים רבים *aquæ multæ*. Inter fluvios Palæstinæ inprimis Jordanes celebratur, qui Hebraice ירדן dicitur, quasi יאר דן *fluvius Dan*, quod circa urbem Dan ortum capiat: Ab Arabibus appellatur أردن *Ordon*, & *Arden*. *Josephus* Antiquit. V. I. fontes ejus oriri ex monte Libano scribit. At Antiquit. XV. 13. & XVIII. 3. ejus fontes a Paneo deducit, scribitque Paneada urbem sitam ad fontem Jordanis; Sed hæc scribit ex vulgi opi-

opinione, verum lacum Phialam eſſe verum ejus fontem a Tetrarcha Philippo deprehenſum, qui injectas in lacum Phialam paleas per ductus ſubterraneos in Panio repertas vidit; vid. de bello lib. I. cap. 16. Idem de bello lib. III. cap. 18. poſt Panium, unde fit conſpicuus Jordanes, ejus curſum deſcribit. Ἀρχόμενος δὴ φανερᾶ ῥεύματος Ἰορδάνης ἀπὸ τᾶδε ἄντρα κόπτει μὲν τὰ τῆς Σεμεχωνίτιδος λίμνης ἕλη καὶ τέλματα, διακέψας δ᾽ ἑτέρας ἑκατὸν εἴκοσι ςαδίας μετὰ πόλιν Ἰαλιάδα διεκτέμνει τὴν Γεννεσὰρ μέσην. *Ab hoc antro* (Panio) *incipit Jordanes ita labi, ut conſpicuus ſit, & ſecat paluſtria lacus Samochonithis, & per alia 120. ſtadia lapſus poſt urbem Juliada, mediam Geneſar ſecat*. Curſus integer a *Plinio* lib. V. cap. 15. 14. deſcribitur. *Jordanis amnis oritur fonte Paneade, qui cognomen dedit Ceſareæ, de qua dicemus: amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accoliſque ſe præbens, velut invitus Aſphalthitem lacum dirum natura petat, a quo poſtremo ebibitur, aquaſque laudatas perdit peſtilentibus miſtas: ergo ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Genneſaram vocant*, XVI. *mill. paſſ. longitudinis*, VI. *mill. latitudinis, amœnis circumſeptum oppidis*. Nulla eſt mentio in *Joſepho* minoris Jordanis; cum Jordanes minor & major ſint nomina ejuſdem fluvii, qui fonti proximus minor appellatur, ſed poſtea auctus, major dicitur. Lib. IV. de bello cap. I. non dicit minorem Jordanem ἀσφέρεσθαι in majorem, ſed fontes vicinos Dani parvum Jordanem προσπέμπειν τῷ μεγάλῳ. Itaut ſecretus videatur minor Jordanes a majori intermedio lacu Samachonite. Tempore meſſis Jordanem ſupra alveum ſuum maxime efferri & aquis abundare conſtat ex *Joſ.* III. 15. & *Eccleſiaſt.* XXIV. 29.

Inter fluvios regionis transjordanicæ numeratur *Arnon*, qui teſte *Joſepho* Antiquit. IV. 4. oriens ex Arabiæ finibus, & totum deſertum perlabens in lacum Aſphalthiten illlabens, ſtatuitur terminus regionis Moabiticæ & Amorriticæ, quod confirmatur a ſacro textu, ubi *Arnon* dicitur eſſe limes dividens terram Amorræorum a terra Moabitarum. *Euſebius* in voce Ἀρνὼν ſcribit ὅτι χειμάῤῥος ἐπὶ τὴν νεκρὰν θάλασσαν ἐκπίπτων. *Torrens hic* (quem *Joſephus* ποταμὸν appellat) ſcilicet Arnon *per vallem labitur in mare mortuum*.

Fluvius *Jabboc* יבוק ſimiliter erat in regione transjordanica, qui non longe a mari Tiberiadis influebat in Jordanem. Vid. *Geneſ.* XXXII. 25. *Cantic.* IV. 2. *Joſephus* Antiq. lib. I. cap. 19. hoc flumen Ἰάβακχον appellat, & χειμαῤῥον. Scribitque Antiquit. IV. 5. eum influere in Jordanem, & terminare regionem Ammonitarum a borea.

Eſt & flumen Jaezer, quod *Euſebius* ad vocem Ἰαςὴρ ſcribit abeſſe a Philadelphia 10. milliaria verſus occaſum, & Eſbunte milliaria 15. atque inde magnum flumen erumpere, quod in Jordanem influit.

Quartum flumen regionis transjordanicæ eſt ירמוך *Jarmoch*. *Plinius* teſtatur, quod hoc flumen urbem Gadara non longe a mari Tiberiadis præterlabatur.

Flumina regionis cisjordanicæ, quæ regionem auſtralem Palæſtinæ irrigabant plurima fuere, quæ *Pſal.* CXXVI. 4. אפיקים בנגב χειμάῤῥοι ἐν τῷ νότῳ appellantur. *Strabo* lib. XVI. referens *Eratoſthenis* ſententiam, qui ſcribit circa Rhinocolura urbem ſitam in finibus Palæſtinæ auſtralibus flumina non exigua fuiſſe. Ἐρατοσθένης δὴ τῶν λιμνῶν μνησθεὶς τῶν πρὸς τῇ Ἀραβίᾳ φησὶ τὸ ὕδωρ ἀπορέμενον διεξόδων ἀνοῖξαι πόρους ἐπὶ γῆς, καὶ δι᾽ ἐκείνων ὑποφαίρεσθαι μέχρι Κοιλοσύρων. ἀνασθλίβεσθαι δὴ εἰς τὰς περὶ Ῥινοκορούραν καὶ Κάσιον ὄρος ποταμάς. *Eratoſthenes paludum mentionem faciens, quæ circa Arabiam ſunt, aquam ſcribit quam exitum nullum inveniret, ſubterraneos ſibi meatus aperuiſſe, & per illos uſque ad Cœleſyriam in illa flumina erupiſſe, quæ circa Rhinocorura & montem Caſium ſunt*. *Joſ.* XV. 4. נחל מצרים flumen Ægypti appellatur, quod Rhinocolura alluit. Hic Nilus Ægypti fluvius intelligi non poteſt, quum Ægyptus tempore Joſuæ ſe non extenderit uſque ad illum locum, ubi Rhinocolura poſtea condita fuerit; quamvis recentioribus temporibus in Ægypto Rhinocolura comprehenſa fuerit.

Ariſteas lib. de LXX. Interpret. teſtatur circa Gazam torrentes fuiſſe. Ἄλλοι δὲ χείμαῤῥοι λεγόμενοι κατίασι, περιλαμβάνοντες τὰ πρὸς τὴν Γάζαν μέρη καὶ τὴν Ἀσωτίων χώραν. *Alii torrentes dicti defluunt per regionem Gazæ & Aſotiorum*.

In hoc tractu collocatur a *Joſepho* Antiquit. VI. 15. נחל הבשור *flumen Beſor*, ab eo Βάσιλος dictum de quo I. *Samuel.* XXX. 10. & שורק Scharech de quo Judic. XVI. 4.

Inter Joppen & Jamniam erat torrens, de quo legitur in *Joſepho* Antiquit. lib. XIII. cap. 8. τᾶ δὲ Ἀπολλωνία χιλίας ἱππεῖς καθίσαντος εἰς ἔνεδραν ἔν τινι χειμάῤῥῳ. *Quum mille equites in inſidiis collocaſſet Apollonius in quodam torrente*:

Flumen Cana נחל קנה *Joſ.* XVII. 8. in confiniis tribus Ephraim & Menaſſis memoratur.

Oſtia fluminis cujuſdam, quod χειῤῥόας dicitur non procul a Cæſarea a *Ptolemæo* collocantur.

Flu-

Flumen קישון decurrit ad latus ſeptentrionale montis Carmeli, quod ut *Hieronymus* in Onomaſtilo teſtatur, ſe offendit auctum aliis rivulis in planitie Jizreel conſpicuis in ſinum urbis Aco. Græcis χείμαῤῥος Κισῶν & Κισῶν dicitur *Judic.* IV. 13. *Pſal.* XXXII. 9.

Belus, qui Βηλέὺς a *Joſepho* nuncupatur lib. II. de bello in ſinum urbis Aco ſe effundit: A *Plinio* lib. XXXVI. cap. 26. deſcribitur. *Pars eſt Syriæ quæ Phœnice vocatur; finitima Judææ intra montis Carmeli radices paludem habens, quæ vocatur Cendevia. Ex ea creditur naſci Belus amnis quinqui mill. ſpatio in mare perfluens, juxta Ptolemaidem coloniam. Lentus hic currit, inſalubri potu, ſed ceremoniis ſacer, limoſus vado, profundus non niſi refuſo mari arenas fatetur: fluctibus enim volutatæ niteſcunt detritis ſordibus, nunc & a marino creduntur aſtringi morſu, non prius utiles. Quingentorum eſt paſſuum non amplius litoris ſpatium, idque tantum multa per ſecula gignendo fuit vitro.*

Lante flumen inter Tyrum & Sareptam. Geographus Arabs, vulgo Nubienſis dictus. Inter Tyrum & Sareptam flumen eſt nomine Lante, ortum ex montibus, & hic ſe in mare evolvens. *Ptolemæus* eum inter Sidonem & Berytum collocat.

Eleutherus male inter flumina terræ ſanctæ recenſetur; fuit enim ſeptentrionalior Sidone, quod conſtat ex eo quod Antonius Cleopatræ dederit omnes urbes inter Ægyptum & fluvium Eleutherum exceptis Tyro & Sidone teſte *Joſepho* Antiquit. IV. 4. & de bello I. 13. Ergo Sidon & Tyrus fuerunt inter Ægyptum, & flumen Eleutherum.

Inter flumina Judææ recenſetur a *Plinio* lib. XXXI. Hiſt. cap. 2. *Sabbathion* fluvius. *In Judæa rivus Sabbatis omnibus ſiccatur*. In *Echa-Rabbati* fol. 77. col. fit mentio de flumine Sabbathion. *Joſephus* de bello lib. 7. cap. 24. de hoc fluvio ita ſcribit. θεᾶται κατὰ τὴν πορείαν ποταμοῦ φύσιν ἀξίαν ἱστορηθῆναι. Ῥεῖ μὲν γὰρ μέσος Ἀρκαίας τῆς Ἀγρίππα βασιλέως καὶ Ῥαφαναίας. ἔχει δὲ θαυμαστὴν ἰδιότητα. πολὺς γὰρ ὢν ὅτι ῥεῖ καὶ κατὰ τὴν φορὰν οὐ σχολαῖος, ἔπειτα δὲ πᾶς ἐκ τῶν πηγῶν ἐπιλείπων ἓξ ἡμερῶν ἀριθμὸν ξηρὸν παραδίδωσιν ὁρᾶν τὸν τόπον· εἶθ' ὥσπερ οὐδεμίας γενομένης μεταβολῆς, ὅμοιος κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐκδίδωσι, καὶ ταύτην ἀεὶ τὴν τάξιν ἀκριβῶς τετήρηται διαφυλάττων, ὅθεν δὴ καὶ σαββατικὸν αὐτὸν κεκλήκασιν, ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν Ἰουδαίων ἑβδόμης οὕτως ὀνομάσαντες. *Vidit in itinere* (Titus) *fluvium cujus natura digna eſt quæ literis mandetur. Labitur is inter Arcæam, urbem regni Agrippæ & Raphanæam, mirabilemque naturam habet. Copioſus enim cum ſit, quoties fluit, nec in lapſu ſegnis, totus a fontibus deficit per ſex dierum ſpatium, nudumque alveum conſpiciendum præbet; ac die ſeptimo plane ac ſi nullam mutationem paſſus fuiſſet, ſibi ſimilis fluit, & hunc ordinem ſemper obſervat. Quare & Sabbaticum eum dixere a die ſeptimo, quem Judæi Sabbathum vocant*. Vide diſſertationem editam in hoc Theſauro de flumine Sabbathio.

Fluvius כרית *Crith* memoratur I. *Reg.* 17. 3. 5. diciturque eſſe על פני ירדן *ante Jordanem* & orientem verſus a Samaria. Circa hunc fluvium latuit Elias, quem Joſephus ſcribit εἰς τὰ πρὸς νότον μέρη fugiſſe tendentem ad fluvium Crith.

In Jordanem non longe a Jerichunte fluvius labitur ortus ex fonte, qui Eliſæi dicitur. *Joſephus* lib. V. cap. 4. de bello ſcribit eum permeare planitiem ſeptuaginta ſtadia longam, viginti latam. Fit ejus mentio a *Hieronymo* comment. in Ezech. XLVII. *Ut exprimant in ſe Hiericunthini fluvii ſacramentum, quem Eliſæus Evangelico, & Apoſtolico curavit ſale*.

Claruit inter fluvios Palæſtinæ Kedron, qui alluit Hieroſolymam, labens inter illam & montem Oliveti. Sæpe in novo Teſtamento fit mentio, & ſæpe Salvatoris noſtri tranſitu fuit celebratus. Torrens vocatur, quum æſtivo tempore deſinat eſſe flumen, & ſicco pede tranſeatur. Unde a *Joſepho* χείμαῤῥος Κεδρῶνος Antiq. VIII. I. & φάραγξ Κεδρῶνος Antiq. IX. 7. appellatur.

Memorantur *Pſalm.* LXXIV. 15. Fluvii Ethan. *Siccaſti* נהרות איתן *flumina Ethan*. *Theodoretus* comment. in h. l. ſcribit Deum ſiccaſſe fluvios Sodomæ, Gommorrhæ, & regionum adjacentium: *Cyrillus* in comment. ad *Eſai.* pag. 689. vult intelligendum eſſe Jordanem; quem Deus ſiccavit in tranſitu Iſraelitarum. *Hieronymus* in epiſtola ad Fabiolam reddit *fluvios* fortes, & eos confundit cum tertia manſione Iſraelitarum in deſerto אתם Etham dicta. Ceterum *Strabo* commemorat flumina in regione Sodomitica ad latus occidentale lacus Aſphaltitis lib. XVI. Καὶ πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δεικνύουσι τραχείας περὶ Μασάδα, καὶ σύραγγας πολλαχοῦ καὶ γῆν τεφρώδη σταγόνας τε πίσσης ἐκ λισσάδων λειβομένας καὶ δυσώδεις πόῤῥωθεν ποταμοὺς ζέοντας. *Et rupes quaſdam aſperas exuſtas circa Maaſada oſtendunt, & multis in locis exeſas cavernas, & terram cinerulentam, & picis guttas e rupibus ſtillantes, & flumina fœtore eminus edito efferventia*.

In Palæſtina ſeptem maria recenſentur.

1. יומא רבא quod absolute *Jes.* XLIX 12. ים *mare* dicitur, *Exod.* XXXII. 31. ים פלשתים *mare Philistæorum*, & *Jos.* I. 4. ים הגדול *mare magnum*; In *Midras Cohelet* fol. 117. שוניתא דימא דקיסרין *litus maris Cesareæ* dicitur, ab urbe proxima Cæsarea. *Arrianus* in Periplo, Nearchi vocat τὴν θάλασσαν τὴν κατὰ Φοινίκην τε καὶ τὴν Παλαιστίνην Συρίην *Strabo* lib. XVI. appellat Ægyptiacum scribens Syriam, quæ a sinu Issico se extendit Ægyptum usque *ad occasum terminari Ægyptiaco mari usque ad sinum Issicum* πρὸς δύσιν τῷ Αἰγυπτιακῷ πελάγει μέχρι Ἰσσοῦ. Nuncupatur etiam ים המלח *mare salsum*. Hinc res quæ nullius usus futuræ essent, projiciendas fuisse לים המלח *in mare salsum*, i. d. mare magnum sæpe legitur in Talmude.

2. ימא דטבריא *Mare Tiberiadis*.

3. ימא דמלחא *mare salsum* seu ימא של סדום *mare Sodomiticum*.

4. ימא דסמכו, quod lacum Samechonitem designat.

5. ימא דחולתא, sive דחילתא quod designat vallem, aut של חילת. *Bochartus* putat esse sinum Elaniticum, & pro אילת scriptum fuisse חילת. *Lightfootus* דחולתא *arenosum* interpretatur, & eo indicari vult lacum Sirbonis.

6. ימא דשליית seu ימא דשלחרת, aut של חילתא, aut שרייתי *Bochartus* verum nomen putat esse שרייתא *australe*, & designari vult Sirbonis lacum, qui situs erat ad austrum terræ Chanaam.

7. ימא דאפמיא vel דאספמיא. Hæc est λίμνη ἡ Ἀπαμέτις, uti Æliano dicitur, uti *Bocharto* videtur. Potius credendum est מי פמיים fuisse aquas ex *Pamias* sive *Paneadis*, quæ memorantur in Misna *Para* cap. VIII. 11.

In sacro textu lacus maria appellari solent; Cyrillus in Esai. Tom. I. lib. 2. ἔθος τῇ θείᾳ γραφῇ καὶ αὐτὰς τὰς λίμνας θαλάσσας ἀποκαλεῖν. *Solet sacer codex lacus appellare maria. Et Hieronymus* lib. quæst. Hebr. in *Genesin* ad cap. I. *Notandum quod omnis congregatio aquarum sive salsæ sive dulces juxta idioma linguæ Hebrææ maria nuncupentur; Frustra igitur Porphyrius Evangelistas ad faciendum ignorantibus miraculum, eo quo Dominus super mare ambulaverit, pro lacu Genesareth mare appellatum calumniatur, cum omnis lacus & aquarum congregatio maria nuncupentur.* Præter Hebræos Græci & Latini scriptores lacus maria appellarunt. *Aristoteles* Meteorolog. lib. I. cap. 13. ὑπὸ τὸν Καύκασον λίμνη ἣν καλοῦσιν οἱ ἐκεῖ θάλατταν. *Lacus sub Caucaso quem accolæ vocant mare. Plinius* lib. III. cap. 16. de paludibus Atrianorum. *Egesto* (inquit) *impetu per transversum in Atrianorum paludes, quæ septem maria appellantur, nobili portu oppidi Thuscorum Atriæ, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum.*

Lacus Asphaltitis variis nominibus insignitur, ים הערבה *mare planitiei* dicitur *Deut.* III. 17. *Jos.* III. 16. Planities illa fuit, quam Jordanes perluebat, & quam *Josephus* μέγα πεδίον appellat; In textu Hebræo-Samaritano additur ים המלח *mare salsum*. Dicitur etiam νεκρὰ θάλασσα *mare mortuum*. *Mare salsum* vel *salsissimum* a *Vulgata* appellatur. Ejus aquam fuisse & salsissimam atque amarissimam *Galenus* testatur lib. IV. cap. 19. de simplicium medicamentorum facultatibus; τὸ δὲ τῆς ἐν Παλαιστίνῃ Συρίᾳ λίμνης ὕδωρ, ἣν ὀνομάζουσιν οἱ μὲν θάλασσαν νεκρὰν οἱ δὲ λίμνην ἀσφαλτῖτιν, ἐστὶ μὲν γευομένοις οὐχ ἁλυκὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ πικρόν. Ἔχει καὶ τὰς ἐξ ἑαυτοῦ γεννωμένους ἅλας, ὑποπίκρους ὁμοίως καὶ κατὰ τὴν ὄψιν εὐθὺς ἅμα πάσης θαλάσσης λευκότερόν τε, καὶ παχύτερον φαίνεται, ἅλμῃ κατακορεῖ προσεοικός, εἰς ἣν οὐδ' ἂν ἐμβάλῃς ἅλας ἔτι τακήσονται, πλεῖστον γὰρ τούτου μετέχει, καὶ εἴ τις εἰς αὐτὴν καταδὺς ἀνακύψειεν, ἄχνη ἁλῶν εὐθέως ἐν κύκλῳ περὶ πᾶν ἴσχει τὸ σῶμα. *Aqua autem lacus, qui in Syria Palæstina est, & mare mortuum a quibusdam, ab aliis lacus Asphalticas nuncupatur, gustu non tantum salsa verum etiam amara est. Habet quoque salem ex se natum perinde subamarum, & primo statim aspectu universo mari candidior, & crassior apparet meræ salsugini similis, in quem si salem conjicias, ne liquari quidem possit, plurimum enim illius in se habet. Quod si quis se in eam immergat, undique veluti sale tenuissimo conspersus inde emergere conspicitur.*

Hodierna experientia constat falsum esse aves super illum lacum volantes necari. Error inde natus, quod tribuerint lacui Asphaltiti, quod lacui hujus nominis circa Babyloniam tribuendum erat; de quo *Vitruvius* lib. VIII. cap. 3. *Babylone lacus amplissima magnitudine, qui Limno Asphaltitis appellatur, habet supernatans liquidum bitumen. Quo bitumine & latere testaceo structo muro Semiramis circumdedit Babylonem.* Duos lacus confuderunt, & lacui Asphaltitis in Judæa tribuerunt, quod lacui in Babylone tribuendum erat: *Diodorus Siculus* Histor. lib. II. cap. 12. de lacu Babylonis. Πολλῶν δὲ καὶ παραδόξων ὄντων θεαμάτων κατὰ τὴν Βαβυλωνίαν οὐχ ἥκιστα θαυμάζεται καὶ τὸ πλῆθος τῆς ἐν αὐτῇ γεννωμένης ἀσφάλτου. τοσοῦτον γάρ ἐστιν ὥστε μὴ μόνον ταῖς τοσαύταις καὶ τηλικαύταις οἰκοδομίαις διαρκεῖν, ἀλλὰ καὶ συλλεγόμενον τὸν λαὸν ἀφειδῶς καὶ ξηραίνοντα

καίειν

καίειν ἀντὶ ξύλων. Αναριθμήτων δὲ τὸ πλῆθος ἀνθρώπων ἀρυομένων, καθάπερ ἐκ τινος πηγῆς μεγάλης ἀκέραιον διαμένει τὸ πλήρωμα; ἔστι δὲ καὶ πλησίον τῆς πηγῆς ταύτης ἀνάδοσις τῷ μὲν μεγέθει βραχεῖα δύναμιν δὲ θαυμάσιον ἔχουσα. προσβάλλει γὰρ ἀτμὸν θειώδη καὶ βαρύνοντα, ᾧ τὸ προσελθὸν ζῶον ἅπαν ἀποθνήσκει, περιπῖπτον ὀξεία καὶ παραδόξῳ τελευτῇ. Πνεύματος γὰρ κατοχῇ χρόνον ὑπομεῖναν διαφθείρεται καθάπερ κολυομένης τῆς τοῦ πνεύματος ἐκφορᾶς ὑπὸ τῆς προσπεσούσης ταῖς ἀναπνοαῖς δυνάμεως. *Multa sane Babylonia continet spectatu digna & admiranda: sed inter hæc non minimum admirationis meretur bituminis copia illic exsudantis, quæ tanta est, ut non modo tot & tantis ædificiis sufficiat, verum etiam profuse a populo collectum pro lignis crematur: Et licet ab innumerabili hominum multitudine, utpote ex fonte amplissimo, hauriatur, integra tamen ejus manet ubertas. Prope fontem istum scaturigo est haud ita magna, sed mire efficax. Vaporem enim sulphureum & gravem emittit, quo quicquid animantium accedit, subita nec opinata morte correptum exstinguitur: anhelitu enim diutius compresso, & respirandi facultate per vim exhalationis interclusa præfocatur. Xiphilinus* in Trajano. Ἔνθα μὲν τήν τε ἄσφαλτον εἶδε Τραϊανὸς, ἐξ ἧς τὰ τείχη Βαβυλῶνος ᾠκοδόμητο. τοσαύτην γὰρ ἀσφάλειαν πλίνθοις ὀπταῖς ἢ καὶ λίθοις λεπτοῖς συμμιχθεῖσα παρέχεται, ὥστε καὶ πέτρας καὶ σιδήρου παντὸς ἰσχυρότερα αὐτὰ ποιεῖν, καὶ τὸ στόμιον ἐθεάσατο, ἐξ οὗ πνεῦμα δεινὸν ἀναδίδοται, ὥστε πᾶν μὲν ἐπίγειον ζῶον πᾶν δὲ πετεινὸν εἰ καὶ ὁποσονοῦν ὀσφραίνοιτο τι αὐτοῦ. *Ibi Trajanus vidit lacum bituminis, unde mœnia Babylonis ædificata sunt: cujus tanta vis est ut permixtum cum lateribus, aut cum minutis lapidibus quovis ferro aut saxo sit durius. Ostium quoque ejus spectavit, unde tam gravis halitus surgit, ut eum nulla animantia terrestria aut volatilia ferre possint, sed solo olfactu intereant;* Scholiastes eruditus Lycophronis vers. 704. qui cum dixisset λίμνην ἄορνον esse prope Cumas addit, Ἄλλοι δὲ τὴν ἄορνον, Σωτίων τι καὶ Ἀγαθοσθένης καὶ Δίων καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Ἱστορικῶν οὐ λίμνην οὐδὲ πέτραν φασὶ στόμιον δέ τι περὶ Ἀδιαβηνὴν, ὃ στόμιον ὄρνεον ὑπερπετασθῆναι οὐ δύναται, ἀπὸ τῆς ἐκεῖθεν ἀναφερομένης ἀναθυμιάσεως τελευτὰ καὶ πᾶν ζῶον ἄλογον: *Alii vero quos inter Soton, Agathosthenes, Dion & reliqui historicorum* ἄορνον *non pro lacu aut petra sed hiatu terræ habent circa Adiabenem, quem avis nulla transvolare potest ob halitum, qui ex eo sursum fertur, & quasvis bestias necat.*

Dioscorides de re medica lib. I. c. 19. testatur bitumen Judaicum omnino esse præstantissimum: *Sal.* Sadomiticus a *Galeno* loco citato commendatur? Προσαγορεύουσι, δὲ αὐτοὶ Σοδομηνοὺς ἀπὸ τῶν περιεχόντων τὴν λίμνην ὀρῶν, ἃ καλεῖται Σόδομα, καὶ χρῶνται πολλοὶ τῶν περιοικῶν εἰς ὅσα παρ' ἡμεῖς τοῖς ἄλλοις ἅλσι. Δύναμις δ' αὐτῶν οὐ ξηραντικὴ μόνον ἐπὶ μᾶλλον τῶν ἄλλων ἁλῶν, ἀλλὰ καὶ λεπτυντικὴ (mox διαφορητικὴ καὶ ῥυπτικὴ) διοτε μᾶλλον τῶν ἄλλων ἐξόπτηνται. *Vocant autem eum salem Sodomænum e montibus circumjacentibus lacum, qui Sodoma appellantur. Multi accolæ illo sale utuntur ad varios usus, ad quos nos alio sale utimur. Sed vis salis Sodomitici talis est; ut non modo plus exsiccet quam alius sal, sed magis extenuet, & digerat, quia magis tostus est.* Passim a Talmudicis præ ceteris celebratur sal Sodomiticus. Bituminis utilitatem commendat *Josephus* de bello lib. V. cap. 5. Καὶ χρήσιμος δὴ οὐ μόνον εἰς ἁρμονίας νεῶν, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἄκεσιν σωμάτων, εἰς πολλὰ γοῦν φαρμάκων παραμίγεται. *Est autem utile non modo ad compagines naricum, sed ad corporum curationem multis remediis admiscetur.*

Lacus Tiberiadis olim appellatus fuit ים כנרת *Mare Kinnereth*, vel ים כנרות *Kinneroth Num.* XXXIV. 11. & *Jos.* XII. 3. Deinde vocatus fuit ὕδωρ Γεννησὰρ 1. *Machabæor.* 11. 67. *Josephus* lib. XIII. Antiq. c. 19. appellat Γενησαρὰ ὕδατα, & Antiq. lib. XVIII. cap. 3. Γεννησαρῖτιν λίμνην & lib. II. de bello cap. 25. & lib. III. cap. 17. Γεννησὰρ λίμνην. Verisimile est hoc nomen illi inditum e regione Γαννησὰρ ei adsita & protensa in longitudinem juxta litus lacus stadia 30. lata 20. Nuncupatur quoque *mare Galilææ*, quam alluit ab ortu *Matth.* IV. 18. & mare Tiberiadis de nomine urbis ei adsitæ *Joh.* VI. 1. Ita pariter appellatur in Midrasch Coheleth fol. 102. col. 1. ימא של טבריא *Mare Tiberiadis. Lacus Tiberiadis* quoque dicitur. *Eusebius* ad vocem Σαρὼν ἡ ἀπὸ τοῦ ὄρους Θαβὼρ ἐπὶ τὴν Τιβεριάδα λιμνην χώρα. *Regio inter Montem Thabor & lacum Tiberiadem. Cyrillus* in *Esai.* lib. I. orat. V. φασὶ γὰρ που καὶ ὅρια Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλεὶμ τῇ Τιβεριάδι παρακεῖσθαι λίμνῃ. *Ferunt enim fines Zabulon & Nephtali lacui Tiberiadi adjacere & mox.* Ἱστέον δὲ ὅτι τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας τὴν Τιβεριάδα λίμνην τὸ γράμμα φησί τὸ ἱερον. *Sciendum autem mare Galilææ dici lacum Tiberiadem in sacro Codice.* Et pag. 150. hic lacus ab eo appellatur *mare*. Βηθσαϊδὰ — παρέκειτο τῇ θαλάσσῃ τῇ Τιβεριάδι. *Bethsaida adjacet mari Tiberiadis.* In commentario ad *Jonam* legitur τὴν Τιβεριάδος θάλασσαν *mare Tiberiadis. Pausanias appellat* λίμνην Τιβερίδα.

In Bava Kama fol. 81. 2. legitur hunc la-

lacum fuiſſe ſitum in portione Nephtali חנו רבנו ימא של טבריה בחלקו של נפתלי היתה: *Tradiderunt magiſtri noſtri mare Tiberiadis, in parte tribus Nephtali fuiſſe*. Sed dubitandum eſt, quod litus occidentale hujus lacus fuerit in portione Nephtali. *Joſephus* lib. III. cap. 18. de bello hunc lacum a Jordane ſecari teſtatur. Ἀρχόμενος δὲ φανεροῦ ῥεύματος ὁ Ἰορδάνης ἀπὸ τοῦδε τοῦ ἄντρου κόπτει μὲν τὰ τῆς Σαμοχωνίτιδος λίμνης ἕλη τε καὶ τέλματα, διαμείψας δὲ ἑτέρους ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους μετὰ πόλιν Ἰουλιάδος διεκπέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην. *Ab hoc autem (Panio) incipit Jordanis ita labi ut conſpicuus ſit, & ſecat paluſtria lacus Samochonitis, & per alia 120. ſtadia lapſus poſt urbem Juliada, medium Genneſar ſecat*: Ejus longitudinem, & latitudinem deſcribit *Joſephus* lib. III. c. 18. de bello. Ἡ δὲ λίμνη Γεννησὰρ μὲν ἀπὸ τῆς προσχοῦς χώρας καλεῖται σταδίων εὖρος οὖσα τεσσαράκοντα, καὶ πρὸς τούτοις ἑτέρων ἑκατὸν τὸ μῆκος γλυκεῖα τε ὅμως ἐστὶ καὶ ποτιμωτάτη. *Lacus Genneſar nomen habet a regione cui adjacet, & latus quidem eſt ad ſtadia quadraginta, longus centum; aquam habens dulcem & potabilem*. Ibidem ejus aquæ a frigore commendantur, ita ut noctu aeri expoſitæ parum abſint a frigore nivis, τὸ μὲν ὕδωρ οὐκ ἀποδεῖ χιόνος ἐξαιθριασθὲν, ὅπερ θέρους νυκτὸς ποιεῖν ἔθος τοῖς ἐπιχωρίοις. *Æſtivis noctibus ejus aquæ ſub divo perflatæ, nequaquam nivibus cedunt, id enim facere indigenis moris eſt.*

Lacus Samachonitis olim appellatus fuit מי מרום *aquæ ſuperiores, quod* videtur colligi ex *Joſ.* cap. XI. 5. & 7. ubi Joſua Jabini regis Chatzor exercitum fugiſſe legitur, ad מי מרום & fugientes inſecutus Sidonem uſque: Quod illuſtratur a *Joſepho* Antiq. lib. V. cap. 6. ὑπὸ Ἰαβίνου τοῦ τῶν Χαναναίων βασιλέως ὁρμώμενος, αὕτη δ' ὑπέρκειται τῆς Σαμοχωνίτιδος λίμνης, στρατοῦ μὲν ὁπλιτῶν τριάκοντα ἔτρεφε μυριάδας. *Imperio Jabini regis Chananæorum ſubjecti ſunt. Hic ex urbe Aſoro prorumpens (illa autem ſita eſt ſupra lacum Samochonitin) triginta alebat militum myriades*. Poſtea dictus eſt lacus Samochonites, Σαμοχωνῖτις λίμνη apud *Joſephum* l. & Σεμοχωνῖτις. Hujus lacus aquæ cœnoſæ erant. *Joſephus* de bello lib. III. cap. 18. ἀρχόμενος δὲ φανεροῦ ῥεύματος ὁ Ἰορδάνης ἀπὸ τοῦδε τοῦ ἄντρου κόπτει μὲν τὰ τῆς Σαμοχωνίτιδος λίμνης ἕλη τε καὶ τέλματα. *Jordanes conſpicuo curſu fluens ab illo antro ſecat quidem Samochonitidis paluſtria & cœnoſa*. Ἕλη reddunt *paludes* gloſſæ veteres. Τέλματα ſunt τὰ πηλώδη καὶ τελματιαῖα τοῦ ὕδατος teſte *Suida*. *Joſephus* de bello lib. III. cap. 18. ſcribit hunc lacum longum fuiſſe ſtadia 60. & 30. latum, & ad illum ſitam fuiſſe Seleuciam, uti teſtatur lib. IV. cap. I. de bello; & hujus lacus paluſtria ſe extendiſſe uſque ad χωρίον Δάφνης. Videtur *Plinius* hunc lacum deſcribere lib. XII. 22. ubi ſcribit in paluſtribus cujuſdam lacus, quæ æſtate ſiccantur, naſci calamum & juncum odoratum.

Lacus *Phiala* non longe a Samochonite ſitus eſt, ex quo ortum habebat Jordanes; quem primus Rex Agrippa injectis in Phialam paleis & juxta Paneada redditis deprehendit: Nomen φιάλη etiam ab Hebræis uſurpatum, פיילא uti videre eſt in Midras *Schir Haſſchirim* fol. 20. 3. *Plinius* lib. V. 9. *Phialam appellari fontem ejus, mergique in cuniculis ipſum amnem &c.*

Meminit *Plinius* paludis Cendeviæ e qua flluvius Belus naſcitur lib. XXXVI. cap. 26. *Pars eſt Syriæ, quæ Phœnice vocatur, finitima Judææ, intra montis Carmeli radices paludem habens, quæ vocatur Cendevia. Ex ea creditur naſci Belus amnis quinque mill. paſſuum ſpatio in mare perfluens juxta Ptolemaidem coloniam*. Idem lib. V. 19. *Rivus Pagida, ſive Belus, vitri fertiles arenas parvo litori miſcens, ipſe palude Cendevia a radicibus Carmeli profluit*.

Memoratur quoque Lacus Aſphar Λάκκος Ἀσφὰρ qui fuiſſe videtur ad partem occidentalem lacus Aſphalthitis, de quo mentionem facit *Joſephus* Antiq. XIII. I. Mach. IX. 33. legitur Jonathan cum ſuis fugiſſe in deſertum Θεκωὲ, & commoratos fuiſſe ἐπὶ τὸ ὕδωρ λάκκου Ἀσφὰρ *ad aquam* λάκκου *Aſpar*. In deſerto erant plures λάκκοι. 2. *Chron.* XXVI. 10. legitur Uzziam regem feciſſe pecorum πύργους ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ λάκκους.

Ab *Euſebio* & *Hieronymo* in Onomaſtico facta mentio eſt duorum lacuum Hieroſolymis, quorum unus aquas coloris ſanguinei continebat ad vocem Βηζαθά. Θατέρα (λίμνη) παραδόξως πεφοινιγμένον δείκνυσι τὸ ὕδωρ, ἴχνος, ὡς φασι, φέρουσα τῶν πάλαι καθαιρομένων ἐν αὐτῇ ἱερείων παρ' ὃ καὶ προβατικὴ καλεῖται διὰ τὰ θύματα. *Hieronymus*. *Alter (lacus) mirum in modum rubeus, quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam hoſtias in ea lavari a Sacerdotibus ſolitas ferunt, unde & nomen accepit*. Sed piſcinæ potius quam lacus appellandæ ſunt.

Fontes in terra Iſraelitica plurimos fuiſſe colligitur ex eo quod *Deut.* VIII. 7. *terra rivorum, aquarum & fontium* ארץ נחלים מים רועינות appellatur. Præterea 2. Chron. XXXII. 3. memorantur מים רבים aquæ multæ, quas ne invenirent Aſſyrii juſſit rex Chizkias obturari capita fontium.

In ſacro Codice nonnulli fontes memoran-

rantur in terra Israelitica, ut Jos. xv. 19. in primis fons *Siloam*, qui intra mœnia, vel prope mœnia Hierosolymæ fuit. De illo *Hieronymus* comment. ad *Jerem.* xxxii. *Subjacet Siloe, fontibus & amœnitate sui, quia locus irriguus est, populum provocavit ad luxuriam*. Idem ad *Jer.* xiv. *Uno fonte Siloe, & hoc non perpetuo utitur civitas, & usque in præsentem diem sterilitas pluviarum non solum frugum, sed & bibendi inopiam facit*. De hoc fonte videntur mentionem fecisse veteres prophani Scriptores, qui citantur ab *Eusebio* in præpar. Evangel. lib. ix. cap. 36. ubi *ex Syriæ Mensore* hæc habentur de fonte in urbe Hierosolyma. ὑπάρχειν δὲ καὶ πηγὴν ἐν τῷ χωρίῳ, ὕδωρ δαψιλὲς ἀναβλύζουσαν. *Ad extremum eodem ex loco fontem magna aquæ vi scaturientem existere*. Ibid. cap. 37. ex Philone apud Alexandrum Polyhistorem. Φησὶ δὲ ὁ Φίλων ἐν τοῖς περὶ Ἱεροσολύμων, κρήνην εἶναι ταύτην δὲ ἐν τῷ χειμῶνι ξηραίνεσθαι, ἐν δὲ τῷ θέρει πληροῦσθαι. λέγει δὲ ἐν τῇ πρώτῃ οὕτως:

> Νιχόμενος δ᾽ ἐφύτευσθε τὸ θαμβήεσσατον ἄλλο
> Δέρμηθρον σὺν ἀοιδᾷ, μεγιστούχοις λοετροῖς.
> Ῥεύματος ἐμπίπλησι βαθὺν ῥόον ἐξανιείσης.

καὶ τὰ ἑξῆς: οἷς πάλιν ὑποβὰς περὶ τῆς πληρύσεος ἐπιλέγει.

> Ῥεῦμα γὰρ ὑψιφύεννον ἐν ὑετίοις νιφετοῖσιν.
> Ἱέμενον πολυγηθὲς ὀρεινοῖς ὑπὲρ πύργησιν.
> Τήλεφαῆ δείκνυσιν ὑπέρτατα θάμβεα λαῶν

καὶ τὰ ταύτοις ἀκόλουθα εἶτα πάλιν περὶ τῆς τοῦ Ἀρχιερέως κρήνης, καὶ τῆς ἀποχετεύσεως διέξεισιν οὕτως:

> Αἰπὺ δ᾽ ἄρ᾽ ἐκπτύουσι διὰ χθονὸς ὑδροχέοισι.
> Σωλῆνες.

Ejusdem scaturiginis Philo etiam meminit in iis quos de Hierosolyma conscripsit libris, quam hyeme arescere, ac rursum æstate ubertim fluere libro primo hunc in modum cecinit:

> *Desuper allabens nova tum miracula vidi:*
> *—— qua fons uberrimus undas.*
> *Egerit, atque sinus implet, ductusque profundos.*

Et quæ sequuntur, quibus de fluxu ejus pleniore subjungit:

> *Scilicet ex alto decurrens vertice fluxus.*
> *Et pluviis crescens nivibus, sub turribus altis.*
> *Volvitur, & sicco languentia pulvere circum.*
> *Arva rigans, viridi miracula pandit amictu.*

Et reliqua. Idemque rursus de summi Sacerdotis tum fonte, tum conductu:

> *Subter humum lymphas multas sublime canalis*
> *Egerit.*

Ibidem de iisdem aquis ex *Aristæo* c. 28. ὡς ἂν καὶ πηγῆς ἔσωθεν πολυχρύτου φυσικῶς ἐπιρρεούσης ἔτι δὲ θαυμασίων καὶ ἀδιηγήτων ὑποδοχείων ὑπαρχόντων ὑπὸ γῆς, καθὼς ἐπέφαινον, πέντε σταδίων κυκλόθεν κατὰ τὸ ἱερὸν καταβολῆς, καὶ ἐκ τούτων σύριγγας ἀναρίθμους καθ᾽ ἕκαστον μέρος ἑαυτοῖς συναπτόντων τῶν ῥευμάτων. *Ac perennis quidem* (*sc.* ad abstergendum victimarum sanguinem ex templo), *propterea est aquarum ejusmodi vis, atque collectio, quod cum ex interioribus soli visceribus, fons quidam uberrimus ac plurimas sectus in venas, eo loco nativo cursu influat, tum vero mirabiles præterea tubi, omnique oratione majores, sub terram elaborati sint, qui quantum ex visu conjicere licet, quinque stadiorum circa templi molem gyrum efficiant, ex quibus innumerabiles fistulæ ad latera singula producuntur, quibus aquæ omnibus ex partibus confluentes egerantur*. Probabile est hic agi de fonte Etham, de quo multa Talmudici.

Fons Iizraeliticus עין ביזרעאל memoratur 1. *Sam.* xxix. 1. & fons חרוד Charod non longe a valle Iizreel *Jud.* vii. 1. Fons ex projecta a Samsone maxilla ortus Judic. xv. 19. fons aquarum Nephtoach מעין מי נפתוח in finibus regionis Juda, fons Jerichuntinus quem Elisa propheta salubrem reddidit 2. *Reg.* ii. 21. Fons Jacobi *Joan.* iv. 6. *Josephus* de bello iii. cap. 2. scribit Peræam πηγαῖς ἀενάοις fontibus aquæ perennis rigari. Et ibid. scribit de Judæa & Galilæa agens. Γλυκὺ esse νᾶμα dulces aquas. Lib. viii. cap. 2. dicit χωρίον Ἤταν quod Hebraice dicitur עיטם duobus schoenis distantem ab Hierosolyma παραδείσοις καὶ ναμάτων ἐπιρρόιαις amœnum. Fontem Caparnaum describit lib. iii. c. 18. de bello. Πρὸς γὰρ τῇ τῶν ἀέρων εὐκρασίᾳ, καὶ πηγῆς διάρδεται ποτιμωτάτῃ, Καφαρναοὺμ αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι. ταύτην φλέβα τοῦ Νείλου τινὲς ἔδοξαν ἐπεὶ γεννᾷ τῷ κατὰ Ἀλεξανδρέων λίμνην κορακίνῳ παμπλήσιον. *Præter aeris temperiem (regio Gennesaritis) fonte quodam rigatur aptissimo ad potum, quem indigenæ*

Ca-

Capernaum nuncupant . Hunc venam esse Nili quidem existimant , quod pisces producat similes coracinis , qui in palude Alexandrinorum inveniuntur . Idem de bello lib. v. cap. 4. de fonte Hiericunthino . Παρὰ μὲν τοι τὴν Ιεριχοῦντα ἐςὶ πηγὴ δαψιλὴς τε καὶ πρὸς ἀρδείας λιπαρωτάτη, παρὰ τὴν παλαιὰν ἀναβλύζουσα πόλιν, ἣν Ιησοῦς ὁ Ναυῆ παῖς ςρατηγὸς Ἑβραίων πρώτην εἷλε γῆς Χαναναίων δοριάλωτον &c. τοσαύτην γοῦν ἐν ταῖς ἀρδείαις ἔχει δύναμιν ὡς καὶ μόθον ἐφάψαιτο τῆς χώρας, νοσιμώτερον εἶναι τὴν μέχει κόρυ χρονιζόντων. παρὸ καὶ τὴν μὲν δαψιλέςερον χρωμένων, ἡ ὄνησις ἐςὶν ὀλίγη τοῖς δὲ τοῦ ὀλίγου δαψιλής. ἄρδει γοῦν πλείονα τὴν ἄλλων ἁπάντων, καὶ πεδίον μὲν ἔπεισεν ἑβδομήκοντα ςαδίων μῆκος εὖρος δὲ εἴκοσιν, ἐκτρέφει ἐν αὐτῷ παραδείσους καλλίςους τε καὶ πυκνοτάτους. *Ad ipsum vero Jericho largissimus fons, irrigandisque arvis uberrimus , juxta veterem scaturiens civitatem quam Jesus Nave filius Hebræorum ductor primam in Chananæorum terra bello possederat &c. Denique rigationis ejus tanta potentia est ut si attigerit modo terram sapidior sit , aquis diu perseverantibus , unde eo quæ largius abutuntur , exiguum emolumentum habent, quæ vero parcius , plurimum . Amplius tamen quam ceteri fontes spatium rigat , & septuaginta quidem stadiis longam, viginti autem latam planitiem permeat ; optimos autem in ea paradisos , ac densissimos educat* . Chrestomathiæ ex *Strabonis* Geographicis lib. xvi. Καὶ ἐςὶν ἡ χώρα εὐδαιμονεςάτη, ἀρδομένη ἄλλοις τε ποταμοῖς, καὶ δὴ καὶ τῷ Ιορδάνῃ. *Et est terra felicissima irrigata cum aliis fluminibus, tum maxime Jordane . Solinus* cap. 35. *Judæa illustris est aquis, sed natura non eadem aquarum omnium : Jordanes amnis eximiæ suavitatis Paneade fonte demissus , regiones præterfluit amœnissimas, mox in Asphaltiten lacum mersus, stagno corrumpitur*.

Præter fluvios & fontes quibus irrigarentur agri, creberrimi erant in Palæstina rores, cujus rei argumentum esse potest, quod tanto rore madefactum fuerit vellus Gedeonis , ut expressum impleverit situlam vel concham , uti legere est Judic. vi. *Ros imbris leviter fluentis mane speciem referebat . Sicut nubes roris in die Messis*. *Esai*. xviii. 4. Et sponsus in *Cantic*. v. 2. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium* . *Plinius* lib. xviii. 21. *In Baceris, Africa, Cyrene --- siccitas coercet herbas , fruges nocturno tactas rore nutriens*.

Ab *Ammiano Marcellino* thermæ Palæstinæ celebrantur lib. xiv. *In his tractibus navigerum nusquam visitur flumen, & in locis plurimis aquæ suapte natura calentes emergunt ad usus aptæ multiplicium medelarum*. Præ ceteris commendantur Thermæ Tiberiadis , Gadarorum & Callirhoes. Thermæ Tiberiadis memorantur in Gemara Hierosolym. Scheviith cap. ix. על למיסחי בבחן דימוסין דטבריה *Fuit balneatum in Thermis Tiberiadis* : Dicuntur in Midras Coheleth fol. 116. 27. מוי דמוק דטבריה . Josephus commemorat Antiq. lib. xviii. cap. 3. θέρμα οὐκ ἄπωθεν ἔνεςιν ἐν κώμῃ Αμμαοῦς ὄνομα αὐτῇ. *Thermæ non longe* (ab urbe Tiberiadis) *absunt in vico , Ammaus dicto* . At ipse lib. ii. cap. 26. ἐν Τιβεριάδι *in ipsa Tiberiade* thermas collocat. *Plinius* describens lacum Gennesaris lib. v. cap. 14. 17. *Circumseptus est ab occidente Tiberiade, aquis calidis salubri* . Thermæ Gadarenæ חמת דגדר appellantur in Talmude , eas memorat *Eusebius* in Onomastico ad vocem Αἰθάμ (legendum Αἰμάθ) Ἄλλη δὲ κώμη πλησίον Γαδάρων ἥ ἐςιν Εμμαθά, ἔνθα τὰ τῶν θερμῶν ὑδάτων θερμὰ λουτρά . *Hieronymus : & alia villa in vicinia Gadaræ nomine Amatha, ubi aquæ calidæ erumpunt* . Accuratius ab eo describuntur ad vocem Γάδαρα. Πόλις ὑπὲρ τὸν Ιορδάνην ἀντικρὺ Σκυθοπόλεως καὶ Τιβεριάδος πρὸς ἀνατολαῖς ἐν τῷ ὄρει , οὗ πρὸς ταῖς ὑπωρείαις τὰ τῶν θερμῶν ὑδάτων λουτρὰ παράκειται. *Hieronymus : Gadara urbs trans Jordanem contra Scythopolim & Tiberiadem ad orientalem plagam sita in monte , ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt balneis desuper ædificatis*. Thermas Tiberienses laudat *Epiphanius* lib. i. adversus hæres. παραγίνονται γοῦν εἰς Γάδαρα εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα. Has Thermas commendat *Eunapius* Sardianus in vitis Philosophorum . Τὰ Γάδαρα, θερμὰ δὲ ἐςὶ λουτρὰ τῆς Συρίας, τῶν γε μετὰ τὴν Ρωμαϊκὴν ἐν Βαίαις δεύτερα . ἐκείνοις δὲ οὐκ ἔςιν ἕτερα παραβάλλεσθαι. *Gadara : Thermæ sunt illæ in Syria , secundas tenentes a Romanis quæ Baiis sunt , & quibuscum nullæ aliæ comparari queunt* . Memorantur etiam in itinerario *Antonini Martyris*. *Transivimus Jordanem in ipso loco, & venimus in civitatem, quæ vocatur Gaddi, quæ Gabaon dicitur (debuit dicere Gadara) ex parte ipsius civitatis milliario tertio sunt aquæ calidæ, quæ appellantur thermæ Eliæ, ubi leprosi mundantur*. Et mox. *Ibi est etiam fluvius calidus , qui dicitur Gadara , & descendit torrens , & intrat Jordanem, & ex ipso ampliatur Jordanis, & major fit*. Thermas Callirhoes memorat *Josephus* lib. i. cap. 21. de bello : Ποταμὸν τε περάσας θερμοῖς τοῖς κατὰ Καλλιρόην αὐτὸν παρεδίδου: ἅπερ σὺν τῇ πάντ' ἀρετῇ καὶ ποτιμά ἐςιν. Ἐξίασι δὲ τὸ ὕδωρ τοῦτο εἰς λίμνην τὴν ἀσφαλτοφόρον λεγομένην. *Praefectus trans Jordanem fluvium thermis utebatur Callirhoensibus , quæ & vim medi-*

cam

cam habent, & potu jucundæ sunt. Hæ aquæ in lacum Asphaltitem effluunt. Ad meridionale latus lacus Asphaltitem collocat *Plinius. Eodem latere est calidus fons medicæ salubritatis Callirhoe aquarum gloriam ipso nomine præferens.* Præter has thermas *Eusebius* in voce Ἀνέρ in vico Batanæa sita quindecim milliaribus ortum versus a Cesarea dicit *lavacra* esse salubria λϐτρὰ ἰαματικά. Eadem dicit ad vocem Βηθαναθά. Idem ad vocem Βεελμεών scribit esse *κώμην μεγίστην πλησίον τϐ ὄρϐς τῶν θερμῶν ὑδάτων. Hieronymus. Est vicus usque nunc grandis juxta Baaru in Arabia, ubi aquas calidas sponte humus effert cognomento Beelmaus distans ab Esbunte millibus novem.*

III. Palæstina olim pecoris, sed præcipue ovilli copia & præstantia celebrata est. David *Psal.* CXLIV. 15. oves describit in Judææ plateis & vicis מאליפות χιλιοπλας ἀζομένας, & מרבבות μυριοπλασιαζομένας i. e. per Chiliadas & myriadas fœtificantes. Idem ostendit, quod legitur *Psal.* LXV. 4. לבשו כרים הצאן *induuntur pascua ovibus.* Qua metaphora significatur ovibus ita obtegi terræ superficiem, ac si illi essent oves pro indumento. In multis scripturæ locis ovium multitudo celebratur. In illa Arabiæ partæ quæ proxima Judææ erat Job primo septem, deinde quatuordecim millia ovium habuit *Job.* I. 3. & XIV. 12. De quo etiam legitur testimonium Aristææ apud *Eusebium* de præparat. Evangelic. lib. IX. cap. 25. Γένεσθαι δ' αὐτὸν δίκαιον καὶ πολύκτηνον κτήσασθαι γὰρ αὐτὸν πρόβατα μὲν ἑπτακισχίλια, καμήλϐς δὲ τρισχιλίας, ζεύγη βοῶν πεντακόσια, ὄνϐς θηλείας νομάδας πεντεκοσίας. *Eundem æquitate præstantem, ac pecore inprimis abundantem fuisse, quippe enim ovium septem, camelorum tria millia, paria bovum quingenta, gregalesque asinas totidem numerasse.* Et Mesa Moabitarum rex Israelitarum regi pro tributo annuo pendebat agnorum centum millia, & lanatorum arietum parem numerum 2. *Reg.* III. 4. Et ex Agarenorum gregibus Rubenitæ ovium abegerunt ducenta quinquaginta millia I. *Chron.* V. 21. Et Salomon in templi dedicationem obtulit in sacrificium millia ovium centum viginti 2. *Chron.* VII. 5. Josia duarum tantum tribuum rex ad Paschæ celebrationem suis largitus est agnorum triginta millia 2. *Chron.* XXXV. 7. *Josephus* de bello lib. VII. cap. 17. narrat duabus horis vespera Paschæ quæ sub Cestio celebrata fuit, Hierosolymis agnorum ducenta quinquaginta millia & sexcentos immolata fuisse. Oves maxime in Judæa fuere fœcundissimæ. צאן commune nomen ovillo & Caprino generi. Alicubi (ut optime animadvertit vir summus *Samuel Bochartus* part. I. lib. II. cap. 46. Hieroz. ex quo pleraque mutuati sumus) pro Hebræo צאן scribitur צנא vel צנה & Chaldaice ענא. Sic *Num.* XXXII. 24. *Ædificate vobis civitates pro parvulis vestris, & caulas* לצנאכם *pro ovibus vestris.* Et *Psal.* VIII. 7. *Omnia posuisti sub pedibus ejus boves* וצנה *& oves.* Si ita scribatur radix erit צנא vel צנה i. e. Arabice صنا, quod apud illos sobolescere fœtificare, & fœcundum esse significat. Sic apud Lexicographos صنلن الماه *multa prole fuit mulier* صنا المال *greges valde fœcundi fuerunt* الصنو *prolis copia,* quod ovibus maxime convenit. A voce צאן vocatur צאנן *Sannan* Judæ quoddam oppidum *Mich.* I. 2. quasi pecorosum dixeris. Oves in Judæa fuisse, quandoque διδυμοτόκϐς seu gemilliferas colligitur ex *Cantic.* IV. I. *dentes tui sunt sicut grex ovium æqualium, quæ ex lavacro adscendunt, & omnes sunt gemelliparæ, neque ulla est quæ abortiat.* Vox ovium supplenda est ex *Cantic.* VI. 5. ubi diserte habetur *æqualium* i. e. הקצובות, quod jam ante explicatum est. Gemellyparæ Hebræis sunt מתאימות, quamvis aliter ab aliis exponatur. R. *Salomo* reddit *integras* tanquam ex מתום *Psal.* LVIII. 8. quod Grammatica non patitur, nam a singulari מתום plurale fœmininum esset מתומות non מתאמימות. Aliis oves מתאימות sunt oves, quæ geminæ incedunt, quod non est verisimile, quippe cum תאוים proprie geminas in partu sonet, ut *Genes.* XXV. 24. & XXXVIII. 27. Et *Cantic.* IV. 5. & VII. 3. Inde Benoni Hiphil מתאימות eas proprie significatur, quæ geminas faciunt, i. e. pariunt, quod optime cohæret cum sequentibus. *Omnes sunt gemelliparæ, neque ulla est quæ abortiat.* Nihil enim commune habet incessus cum abortu. Quæ interpretatio veterum omnium interpretum versione confirmatur. Sic *Syrus* ܡܬܐܡܢ *gemelliparæ, Arabs* ذوات انوام *gemellos habentes. Chaldæus* ילדן תיומין בכל ערן *geminas parientes omni tempore.* LXX. διδυμεύϐσαι. *Aquila.* διδυμοτόκοι. *Hieronymus: Omnes gemellis fortibus: Kimchius* כלומר שכולם יולדות תאומים: *quasi diceret eas omnes gemellas parere. Pomarius* התאים *gemellos fecit Cantic.* IV. *& Aquinas* פי' שכולי ילדות זוגות *Significat, quod omnes paria pepererint.* Gemelliparas fuisse, & quandoque tres, & quatuor peperisse oves ex ve-

terum scriptorum testimoniis confirmari potest. *Aristoteles* Hist. lib. VI. cap. 19. de ovibus & capris. Τίκτουσι δὲ τὰ μὲν πλεῖστα δύο ἐνίοτε καὶ τρία, ἤδη καὶ δὲ τέτταρα. *Multa vero geminos pariunt, quandoque etiam tres, aut quatuor. Et rursus.* Διδυμοτοκοῦσι δὲ καὶ πρόβατα καὶ αἶγες διὰ καὶ εὐβοσίαν, καὶ ἐὰν ὁ κριὸς ἢ ὁ τράγος ἢ διδυμοτόκος ἢ ἡ μήτηρ. *Geminos pariunt tam oves quam capræ & pabuli beneficio, & si aries aut bircus, aut mater sint natura gemellipare.* Et in mirabilibus. Λέγεται δὲ καὶ ἐν Ἰλλυριοῖς τίκτειν τὰ πρόβατα δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ καὶ τὰ πλεῖστα διδυμοτοκεῖν. *In Illyrio pecora* (i. e. oves & capræ) *dicuntur bis in anno parere, & geminos plerumque edere.* Quin *Ælianus* lib. IV cap. 32. scribit Indicas oves ἀποκυεῖν τέτταρα ἑκάστην, οὐ μεῖω γε μὴν τῶν τριῶν *singulas quatuor, aut tres ut minimum fœtus edere.* Oves gemilliparas ἀπὸ τοῦ δὶς κύειν Græci δικῶμα πρόβατα vocant. *Suidas* & *Phavorinus*. Δικῶμα τὰ διδυμότοκα πρόβατα. Eædem priscis Romanis *ambigenæ* dicebantur. *Fulgentius* in libello de prisco sermone ad *Chalcidium* cap. 6. *Bebius Macer qui festos dies scripsit, ait Junoni, quæ geminas parerent, oves sacrificari cum duobus agnis altrinsecus alligatis, quas oves ambigenas vocavi, quasi ex utraque parte agnos babentes.* Hanc ovium fœcunditatem Græci ad Apollinem referebant. *Callimachus* hymno in Apollinem petit ut ejus beneficio:

> Ἡ δὲ μουνοτόκος διδυμότοκος αἶψα γένοιτο.
>
> *Quæ unipara erat, gemellipara repente fiat.*

Non solum oves gemelliparæ fuerunt, sed etiam biferæ, i. e. bis in anno pariebant. Quod de Illyricis *Aristoteles* jam supra docuit. Idem Hist. lib. VI. cap. 18. Ἐν ἐνίοις τόποις ὅσοι ἀλεεινοί εἰσι, καὶ ἐν οἷς εὐημεροῦσι, καὶ τροφὴν ἄφθονον ἔχουσι, δὶς τίκτουσι. *Quibusdam in locis, qui mitiores sunt, & in quibus commode degunt, & pabuli copiam babent, bis pariunt.* E Probl. cap. 10. sect. 46. Τὰ αὐτὰ ἄλλοθι μὲν ἅπαξ τίκτει, ἄλλοθι δὲ πλεονάκις οἷον τὰ πρόβατα ἐν Μαγνησίᾳ καὶ Λιβύῃ τίκτει δίς. *Eadem animalia alibi pariunt semel, alibi sæpius, ut oves in Magnesia, & Lybia bis pariunt.* Quin Odis. δ' *Homerus* rem augens de Lybia scribit:

> Τρὶς γὰρ τίκτει μῆλα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτόν
>
> *Ter enim pariunt oves in anno perfecto.*

Sed hoc impossibile est, quia ovis uterum gerit per dies 150. i. e. per quinque menses. *Plinius. Gerunt partum diebus* CL. *Aristoteles* l. c. Κύει δὲ πέντε μῆνας πρόβατον καὶ αἴξ. Itaque valde suspectum est quod legitur in libro Mirabilium. Παρὰ τοῖς Ὀμβρικοῖς φασι τὰ βοσκήματα τρὶς τίκτειν τοῦ ἐνιαυτοῦ. *Apud Ombricos ter in anno pecora parere ajunt.* Quod refutatur testimonio *Virgilii*, qui de Italia scribens lib. II. Georgic. dicit

> *Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.*

Ad quem locum *Servius. Verum est, inde enim est in* Bucolicis

> *Lac mihi non æstate novum, non frigore desit*

Ibi sc. *lac novum Servio* colostum est, quod matrum partum statim sequitur quale hyeme & æstate haberi non potest, nisi biferæ sint oves. In Mesopotamiæ parte, in qua degebat Labanus, oves fuisse biferas ex eo probari potest, quod mercedem suam sexennii spatio decies a Labano mutatam fuisse & interversam queritur Jacob. Cum enim e fœtura pecoris sumerentur Jacobi merces, non potuisset per sexennium mutari supra sexies, si Labani oves quotannis nonnisi semel peperissent. Proinde *Hieronymus* in quæst. Hebraicis: *Hic magis sensus probatur, quod per singulos fœtus semper Laban conditionem mutaverit; si videbat varium nasci pecus, post fœtum dicebat.* Volo ut in futurum mihi varia nascantur. *Rursus cum videret anius coloris nasci pecora.* Jacob *quippe* hoc audito virgas in canalibus non ponebat. *Dicebat ut futuros fœtus unius coloris sibi pecora procrearent. Ecquid plura? Usque ad vices decem semper a Labano pecoris sui, sive Jacob mutata sententia est. Et quodcunque sibi proposuerat ut nasceretur in contrarium colorem vertebatur: ne cui autem in sex annos decem pariendi vices incredibiles videantut, lege* Virgilium *in quo dicitur*

> *Bis gravidæ pecudes*

Natura autem Italicarum ovium & Mesopotamiæ una esse traditur. Augustinus quoque in *Genes.* quæst. 95. *Bis pariebant in anno, & quia videtur inde sequi Labanis oves sexennio illo duodecies peperisse, adeoque Jacobi mercede mutatum esse duodecim vicibus, respondet primo anno a pacta mercede non nisi semel peperisse, quia hoc eodem anno jam pepererant semel ante pactam mercedem*

&

& rursus ultimo anno tantum semel pepererint, *quia Jacob discedere coactus ante sextum annum prorsus completum*, *secundum partum non expectavit*. Atque *ita e toto partuum numero duos eximit*, & *nonnisi decem supersunt*. Sed nihil opus est calculos tum accurate subducere. *Mutasti mercedem decem vicibus*; i. e. multis; Numerus finitus pro infinito. Dictum est *Num.* XIV. 22. *Tentaverunt me jam decem vicibus*. & *Job.* XIX. 3. *& decies mihi pudorem incutitis* i. e. multis vicibus. Proinde si aliud non esset, causa dubitandi esset, an Labanis oves revera fuerint biferæ. Ad id ipsum videbitur constare multo certius ex *Genes.* XXX. 41. 42. ubi juxta receptam interpretationem e duabus Labanis ovium fœturis prior quæ multo erat potior, Jacobo semper cedebat & Labani solum posterior. Nascebantur enim agni Jacobi concolores, illas porro virgas non objiciebat Jacobus nisi prioris fœturæ matribus. Itaque ubi Hebræa habent Labanis fuisse העטפים & Jacobi הקשרים pro העטפים *Syrus* & *Chaldæus* habent לקישיא *serotinas*, Arabs Herpenianus المحبون *posteriores* & alter Lutetiæ editus احونعنه *autumnales*. *Aquila* ὄψιμα *Symmachus* δεύτερόγονα. *Hieronymus eæ*, *quæ sunt serotinæ*. Et his oppositi הקשרים *Syro* & *Chaldæo* sunt בכיריא *primitivi* aut *primogeniti*. Arabibus الوبعنه *vernales*. *Aquilæ* πρώϊμα *Symmacho* πρωτόγονα, ut *Hieronymo*, *quæ primi temporis*. *Kimchius* quoque *Aben Ezra*, *Pomarius*, *Aquinas*, & alii Hebræorum priorem fœturam referunt ad mensem Nisan, secundam ad mensem Tisri, quorum ille Martio, hic Septembri fere respondet. Et agnos primæ fœturæ idem קשרים i. e. *vinctos* seu *ligatos* dici asseruit, quia corpus habent compactius, & alios עטפים i. e. *deficientes*, quia sunt infirmiores. Tamen autumnales vernis, & hyemales æstivis præferuntur. *Plinius* lib. VIII. cap. 47. *Multi hybernos agnos præferunt vernis*, *quoniam magis intersit ante solstitium*, *quam ante brumam firmos esse*, *solumque hoc animal utiliter bruma nasci*. *Columella* lib. VIII. cap. 3. *Melior est agnus autumnalis verno*, *ait verissime* Celsus, *quia magis ad rem pertinet*, *ut ante æstivum quam hybernum solstitium coalescat*, *solusque ex omnibus animalibus bruma commode nascitur*. Unde est quod ab Hebræis חרוף, quod hyemem, vel ab Arabico خريف quod autumnum sonat; Agnus Chaldæis & Syris ܚܪܘܦܐ & Arabibus خروف tanquam χειμαεινὸν vel ὀπωεινὸν Ζῶον & hyeme vel autumno nasci solitum. Quale est quod Hesychius. Ἔειφος dicitur ὁ μικρὸς αἶξ ὁ ἐν τῷ ἔαει φαινόμενος, ἤγουν ὁ πρώϊμος, χείμαρος δὲ ἐν τῷ χειμῶνι.

Agni & arietes in Syria & Palæstina a pinguedine commendantur. Cauda in iis tam magna est, ut plostello opus sit, quo eam sustinere possint. In Misna tractatu *de Sabbatho* cap. V. ואין הזכרים יוצאין בעגלת שתחת האליה שלהן: *Arietes non egrediuntur cum plostello sub cauda sua*. *Gemara*. ואין הזכרים בעגלה כי היכי דלא להמטן אלייתיה: *Non egrediuntur arietes cum plostello*, *ne caudam suam inflectant*. *Glossa* ibid. עגלה כגון קרון קטון שעושין תחת זנבו שראש זנב אותן רחב כמין כרקטן ואין בו עצם אלא שימן ועב וכבר וכשנגר לארץ נשרט ונשחת ועושין לו עגלה מתגלגלת אחריהן כשהוא אולך והזנב קשר עליה: *Plostellum illud est parva rheda*, *quam caudæ supponunt*, *quia caput caudæ illorum arietum est latum ad instar agniculi*, *neque habet ossa*, *sed pinguedinem & densitatem*, *& gravitatem*, *& cum humum verrit*, *laceratur*, *& corrumpitur*. *Proinde plostellum ipsis aptant*, *quod post eos volvitur*, *cum ambulant*, *& cauda illis adligatur*. Hæc eadem reperiuntur in aliis veteribus scriptoribus, in *Herodoto* in primus lib. III. cap. 113. ubi de Arabibus. Δύο δὲ γένεα οἴων σφὶ ἐστι θωύματος ἄξια, τὰ οὐδαμόθι ἑτερωθί ἐστι. τὸ μὲν αὐτῶν ἕτερον ἔχει τὰς οὐρὰς μακρὰς, τριπηχέων οὐκ ἐλάσσονας, τὰς εἴ τις ἐπήσειφί ἀπέλκειν ἕλκεα ἂν ἔχοιεν, ἀνατριβομένων πρὸς τῇ γῇ τῶν οὐρέων, νῦν δ' ἅπας τις τῶν ποιμένων ἐπίσταται ξυλουργέειν ἐς τοσοῦτο ἁμαξίδας γὰρ ποιεῦντες, ὑποδέουσι αὐτὰς τῇσι οὐρῇσι, ἑνὸς ἑκάστου κτήνεος τὴν οὐρὴν ἐπὶ ἁμαξίδα ἑκάστην καταδέοντες. Τὸ δ' ἕτερον γένος τῶν οἴων τὰς οὐρὰς πλατέας φορέουσι ἐπὶ πῆχυν πλάτος. *Duo autem habent ovium genera admiratione digna*, *quæ nusquam alibi sunt*. *Quorum unum longas habent caudas*, *tricubitalibus non minores*, *quæ si trahere permittantur*, *ulcera contraherent*, *dum caudæ ad terram attererentur*. *Sed unusquisque pastorum hactenus arte fabrili doctus est*, *ut plostella faciant*, *quæ illorum caudis subligant*, *singulas ovium caudas singulis plostellis devincientes*. *Alterum autem ovium genus ad cubitalem latitudinem caudas gerit*. Hæc eadem describit *Ælianus* lib. X. cap. 4. de Animal. de utroque ovium genere. De posterioribus *Aristoteles*. Histor. lib. VIII. cap. 18. Ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ τὰ πρόβατα ἔχει τὸ πλάτος πήχεως. *In Syria autem oves caudas habent cubitales*. Et *Plinius* lib. VIII. cap. 48. *Syriæ ovium caudæ cubitalis longitudinis*. *Diodorus* lib. II. Arabiæ partem ad Oceanum intimam. Θρεμμά-

μάτων παντοδαπῶς πληθύειν, καὶ μάλιστα βοῶν, καὶ προβάτων, τῶν τὰς μεγάλας καὶ παχείας ὀυρὰς ἐχόντων. *Scatere pecoribus omnis generis, sed bobus maxime & ovibus ex iis quæ magnas & crassas caudas habent.* Et *Ctesias* de Indis apud *Ælianum* lib. III. cap. 3. Τῶν μὲν οὖν Πρόβατα τὰ ἐκείνων ὀυραὶ πήχεως ἔχειν τὸ πλάτος ου φησιν. *Oves eam alicubi caudas cubitum latus habere dicit.* Et lib. IV. cap. 32. de eadem India. Καὶ τοῖς μὲν προβάτοις αἱ ὀυραὶ πρὸς τὸν πόδα τέτανται: *& caudæ quidem ovillæ ad pedes usque pertinent.* Et paulo post. Τῶν μὲν οὖν οἴων τῶν τίκτειν ἀγαθῶν ἀποκόπτουσι τὰς ὀυρὰς οἱ νομεῖς ἵνα ἀναβαίνονται ἐκ δὲ τῆς πιμιλῆς τουτῶν καὶ ἔλαιον ἀποθλίβουσι. τῶν δὲ ἀρρένων διατέμνουσι τὰς ὀυράς, καὶ ἐξαίρουσι τὸ στέαρ καὶ ἐπιῤῥάπτουσι, καὶ ἑνοῦται πάλιν ἡ τομὴ καὶ ἀφανίζεται τὰ ἴχνη αὐτῆς. *Pastores igitur ovium, quæ ad partum idoneæ sunt caudas amputant, ut facilius ineantur. Sed & ex illarum adipe oleum exprimunt. Arietum quoque caudas dissecant, atque adipem extrahuunt, & iterum consuunt, & sectio ita coalescit, ut ejus vestigia nulla appareant. Photius* item in excerptis ex *Ctesia*. Ἔχουσι ὀυρὰς μεγάλας. διὰ τῶν τοκάδων ἀποτέμνουσι, ἵνα δύνωνται ὀχεύεσθαι *Caudas magnas habent; proinde idonearum ad partum caudas abscindunt, ut a mari iniri possint. Paulus Venetus* de Comandis in Perside lib. I. cap. 22. *Arietes illius regionis non minores sunt asinis, caudam ferentes tam longam & latam, ut triginta librarum pondus habeant. Ludovicus Vartomannus* Navig. lib. II. *cap.* 5. *Ædibus principis* (Aden) *in Arabia felici inerrabat præpinguis vervex, cujus cauda adeo obesa erat ut pondo esset librarum quadraginta.* & cap. 9. ubi de Reame urbe Arabiæ felicis. *Ibi nonnulla vervecum genera, quorum ego caudam animadverti pondo esse librarum* 44. *Carent cornibus, adeoque sunt obesi & pingues ut vix incedere possint.* Et cap. 15. de Zeila Ethiopiæ. *Sunt etiam illic verveces nonnulli, qui ponderosissimas ferunt caudas utpote pondo sedecim librarum.* Easdem oves reperire est in Asiæ parte quæ Byzantio vicina est. *Busbechius* in epistola prima: *Est quoque frequens iisdem locus genus illud ovium (neque enim ex alio fere constant greges) quod pinguem & ponderosam caudam trahit, quæ modo trium, aut quatuor, modo etiam octo, aut decem librarum est; quinimo in eam aliquando magnitudinem excrescit in ovibus vetustioribus ut duas rotulas cum media tabella subjicere necesse sit in quam illa recumbat. Olearius* etiam harum ovium meminit, tanquam in Syria, Mesopotamia, Gordiæa, & Perside vulgarium. Vid. illum Moscovitici & Persici itineris lib. V. pag. 348. & Indici lib. I. pag. 91. In Africa & in Ægypto similes describit *Leo Africanus* lib. 9. *His arietibus nullum ab aliis discrimen est præterquam in cauda, quam latissimam circumferunt, quæ cuique quo opimior est, eo crassior obtigit, adeo ut nonnullis libras decem, aut viginti pendeat, cum sua sponte impinguantur. Nam in Ægypto plurimi farciendis vervecibus intenti, furfure hordeoque saginant: quibus adeo crassescit cauda, ut se ipsos dimovere non possint. Itaque qui eorum curam gerunt, caudam exiguis vehiculis alligantes, gradum promovere faciunt. Vidi in Asiota ad Nilum civitate* 150. *passuum millia ab Alcairo sita, hujusmodi caudam* 80. *ponderare, aliis se vidisse affirmantibus, quæ* 150. *libras expendisset. Omnis itaque horum animalium pinguedo in cauda consistit, nec unquam* (in Africa) *nisi Tuneti & in Ægypto reperiantur.*

Pascendis bobus & ovibus multa loca in Scriptura pecoris copia & pascuorum feracitate celebrata sunt; in Judæa *Basan Carmel, & Saron*, extra Judæam *Bosra, Cedar*, & *Nebajoth* (ut optime inquit magnus *Bochartus*, a quo pleraque descripsimus; part. I. lib. 2. 48.) Filii Ruben & Gad, cum pecore abundarent, assignari sibi petierunt regionem *Basan*, quia erat מקום מקנה *locus pecoris*, ארץ מקנה *terra pecoris*. Græci reddunt τόπον κτήνεσι, & γῆν κτηνοτρόφον ut aptas animalibus terras, & regionem uberrimam ad pastum animalium. *Num.* XXXII. I. 4. Sic ait commendari pascua terræ Basan ad quæ hæc referuntur vers. 33. qui sic habet: *Dedit itaque Mose filiis Gad & Ruben &c. regnum Og regis Basan, & terram eorum.* Proinde de ovibus Basanitidis crebra fit mentio in Scriptura. *Deut.* XXXII. 4. *Et arietum filiorum Basan. Psal.* XXII. 13. *Tauri Basan obsederunt me. Ezech.* XXXIX. 18. *Sanguinem arietum, agnorum, hircorum, & taurorum, quæ omnia sunt altilia Basan.* Amos IV. I. *Vaccæ Basan &c.* Sed pleraque hæc veterum interpretum nonnulli alio detorserunt, ita ut nomen *Basan* in iis non compareat. Sic *Deuter.* XXXII. 4. *Pro filiis Basan* Græci habent υἱοὺς ταύρων *filios taurorum*, *Psal.* XXII. 13. pro *tauris Basan* seniores habent ταῦροι πίονες, Vulgatus *tauri pingues*, quod sequuntur Arabs & Æthiops. *Ezech.* XXXIX. 18. pro *altilia Basan omnia* Græci omissa voce Basan ἐστεατωμένοι πάντες, *Hieronymus altilium, & pinguium omnium.* Chaldæus tanquam allegoriam explicans עתירי נכסיא כלהון *omnes illi censu divites. Amos* IV. I. Pro *vaccis Basan Symmachus* reddit αἱ βόες εὔτροφοι, *Hieronymus vaccæ pingues.*

Sic

Sic *Pſal.* LXXVIII. 16. pro Hebræo *Mons Dei mons Baſan*, ſeniores ὄρος τȣ̃ Θεȣ̃ ὄρος πίον. *Hieronymus : mons Dei, mons pinguis. Jerem.* I. 19. *Paſcua in Carmelo & in Baſan*. Græci in pleriſque editionibus ſolum habent. Νεμήσεται ἐν Καρμήλῳ, omiſſa voce Baſan. Et *Eſai.* XXXIII. 9. pro *Baſan* eſt ἡ Γαλιλαία. Nequis miretur Baſan toties per pingue reddi, & pro tauris, & vaccis Baſan toties legi tauros & vaccas pingues, duo obſervanda ſunt. Primo paſcua Baſan cum uberrima fuerint, & pinguiſſima, pinguia dici jure merito tam ipſum montem Baſan, quam pecora in eo ſaginata, quæ aruina diſtenta, ac quaſi diffuſa fuiſſe, vero conſentaneum eſt. Secundo illam ipſam vocem Baſan pinguedinem ſignificare. *Hieronymus* in *Eſai.* XXXIII. *Baſan regio trans Jordanem, quam duæ & dimidia tribus poſſederunt, quæ interpretatur uberrima, & pinguis*. Et in locis capite de *Numeris*. *Baſan bruchus ſive pinguedo, nam quod interpretari ſolet ignominia, vel confuſio, Buſa dicitur*. Quod quidem Hebræis latuit. Neque enim illorum unus eſt, qui nos moneat idem eſſe quod pingue... Nomen agro in Judæa fertiliſſimo, quod Hebraice בשן dicitur Arabice ܒܬܣܢܐ *Batſana*, & ܒܬܫܢܝܐ *Bathſania* Syriace ܡܬܢܢ *Methanen*, Chaldaice מתנן *Mathanen*, & ביתניא *Bathania* Græce Βατανάια quæ vox in *Joſepho*, *Ptolemæo*, *Stephano*, *Euſebio*, *Hieronymo* & aliis paſſim occurrit.

Carmel & Baſan ſæpe junguntur, ut *Eſai.* XXXIII. 9. *Jerem.* I. 19. *Mich.* VII. 14. *Nahum* I. 4. Et Carmel æque ac Baſan ubertatem ſonat. Nam vel appellative ſumitur, vel proprie, ut priori ſenſu כרמיל *Carmel* dicitur locus quivis arboribus conſitus, frugibuſque aut gramine fertilis. *Eſai.* XVI. 10. *Jerem.* XLVIII. 33. *&c.* Voce, ut ſuſpicari licet, compoſita ex כר quod paſcuum aut agrum ſonat, & מול quod ſuccidere eſt, ut כר-מל ſit pratum vel ager ſucciſionis, i. e. ex quo fœnum vel ſpicæ ſucciduntur; unde & ſpica recens ſucciſa מלילה vocatur & כרמל. Sed & כרמל *Carmel* proprium nomen eſt duorum in Judæa montium, quorum unus ad aquilonem προσθαλάσσιος & prope Ptolemaidem in confinibus Aſer & Zabulon, de quo *Joſephus* XII. 22. & XIX. 26. alter ad meridiem μεσόγειος prope Hebronem in tribu Juda de quo *Joſ.* XV. 55. In priori habitavit Elias 2. *Reg.* II. 25. & IV. 25. & altare Dei erexit. In altero monte Carmelo Saul devictis Amalekitis מציב לו יד *fecit ſibi plateam* 1. *Sam.* XV. 12. vel ad dividenda ſpolia ut Chaldæus, vel ad caſtra-metationem ut *Kimchius* intelligit, vel juxta *Hieronymum* fornicem ſive arcum triumphalem ibi erexit, vel denique altare ibi ædificavit, quod reparavit Elias I. *Reg.* XVIII. 30. Ita *Midras* & R. *Salomo*; ſed inepte admodum, quia Carmelus, de quo hic agitur ab Eliæ Carmelo diverſus eſt, & remotus. In eodem hoc Carmelo degebat Nabal, qui numeroſos habuit greges, mille ſc. capras & ovium tria millia I. *Sam.* XV. 2. Proinde ad hunc Carmelum referunt, quæcunque habent prophetæ de Carmeli paſcuis; ut *Jerem.* I. 19. *Reducam Iſraelem ad caulam ſuam, ut depaſcat Carmelum & Baſan*. *Amos* I. 2. *Luxerunt tuguria paſtorum, quia exaruit Carmeli vertex*. *Mich.* VII. 14. *Paſce populum tuum cum pedo tuo gregem poſſeſſionis tuæ, habitantem ſolitarie in ſylva, oves in medio Carmeli*. Pro quo Syrus interpres. *Habitent ſolitarie, ut oves in medio Carmeli*.

De Sarone ſic *Eſai.* LV. 10. *Et erit Saron in caulam ovium*. Pro quo ſeniores: Καὶ ἔσονται ἐν τῷ δρυμῷ ἐπαύλεις ποιμνίων. Et *Hieronymus*. *Et erunt campeſtria in caulas gregum*. *Campeſtria* i. e. πεδινὰ quomodo *Eſai.* XXXII. 2. *Decor Carmeli & Saron* a *Symmacho* redditur: εὐπρέπεια τȣ̃ Καρμήλȣ καὶ τȣ̃ πεδίȣ *decor Carmeli & campi &c.* Itaque vocem שרון *Saron* campum ſignificare valde veriſimile eſt, quamvis id Hebræos lateut. Neque a verbo ישר rectum & planum eſſe unde מישור eſt planities. Ut ut ſit in his *Eſai. & erit Saron in caulas ovium* Saron eſſe loci nomen omnino docet comma ſequens, *& vallis Achor in cubile boum*, ut in altero loco, qui citatus eſt. *Decor Carmeli & Saron* ut debuit appellative ſumi. Maxime cum *Hieronymo* teſte in *Eſai.* XXXIII. *Saron omnis juxta Joppen Lyddanque appellatur regio, in qua latiſſimi campi fertileſque tenduntur*. Unde *Actor.* IX. 35. *& viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Sarone*. Et *Chronic.* XXVII. 29. *Et armentis, qui paſcebantur in Sarone, præpoſitus fuit Setrai Saronites*. Sic apud Talmudicos *Sabbath.* VII. & *Nidda* cap. XIV. היין השרוני *vinum Saroniticum* inter generoſa cenſetur, *in quibus miſcebantur* שני חלקי מים *duæ partes aquæ*.

Ad Boſræ oves hæc pertinent. *Mich.* II. 12. *Congregabo reſiduum Iſraelis ſimul ponam illum, ut oves Boſræ*. Fuit hæc urbs Idumææ vetuſtiſſima in qua victus eſt Jobab rex Edom *Geneſ.* XXXVI. 33. I. *Chron.* I. 44. Idumææ diſerte adſcribunt prophetæ tres *Eſai.* XXXIV. 6. & LXIII. 1. *Jerem.* XLIX. 13. & *Amos* I. 12.

Tamen unus ex hoc numero *Jeremias* XLVIII. 24. Bosram censet inter Moabitarum urbes. Itaque vel utrique adscribitur, eo quod in utriusque regionis fuerit confinibus, vel quod verisimilius est, quod gemina fuerit Bosra, una Idumæorum, altera Moabitarum. Nec multum refert, utra intelligatur in his *Micheæ*. *Ponam illum ut oves* Bosræ, quia utraque fuit valde pecorosa. De Moabitide res clara est ex 2. *Reg.* III. 4. ubi Mesa rex Moab Israelitis regibus pro tributo legitur annuatim solvisse agnorum, vel lanatorum arietum ducenta millia. Et Idumæos quoque pecore abundasse docent hæc *Esai.* XXXIV. 6. *Gladius Domini implebitur sanguine agnorum, & hircorum, adipe renum arietum, quia sacrificium erit Domino Bosræ, & mactatio magna in terra Edom*. Sed *Micheæ* locum veteres multo aliter interpretantur; nam pro Hebræis כצאן בצרה *ut oves Bosræ* Græci habent, uti dictum est ὡς πρόβατα ἐν θλίψει, quos sequuntur Syrus & Arabs quia mutatis vocalibus ex בצרה fecerunt בצרה. *Chaldæus*, *Hieronymus*, *R. Salomo caulam* aut *ovile* reddunt, quia caula est quasi vallum ovium, & בצרה *bosra* proprie vallum aut monumentum sonat. Inde Carthaginis arcem a Didone conditam Pœni Bosram, & Græci βύρσαν appellarunt, barbarum vocabulum more suo emollientes.

De Cedar & Nebajoth *Esai.* LX. 7. *Omnes oves Cedar congregabuntur ad te, arietes Nebajoth tibi servient*. Et *Ezech.* XXVII. 21. *Arabes & omnes principes Cedar erunt negotiatores plateæ tuæ* (i. e. fori tui) *agnis, arietibus, & hircis erunt negotiatores tui*. De horum pecoribus illustre extat monumentum in *Diodoro* lib. XIX. Νόμος δ' ἐστιν αὐτοῖς μήτε σῖτον σπείρειν, μήτε φυτεύειν, μηδὲν φυτὸν καρποφόρον, μήτε οἴνῳ χρῆσθαι, μήτε οἰκίαν κατασκευάζειν, ὃς δ' ἂν παρὰ ταῦτα ποιῶν εὑρίσκεται, θάνατον αὐτῷ πρόστιμον εἶναι. χρῶνται δὲ τῷ νόμῳ τούτῳ, διαλαμβάνοντες τοὺς ταῦτα κτωμένους ἀναγκασθήσεσθαι ῥαδίως ὑπὸ τῶν δυνάμων ἕνεκα, τῆς τούτων χρείας ποιεῖν τὸ προσταττόμενον. τρέφουσι δὲ αὐτῶν οἱ μὲν καμήλους, οἱ δὲ πρόβατα τὴν ἔρημον ἐπὶ νέμοντες. *Lex ipsis est, ut neque fructus serant, neque fructiferam aliam arborem inserant, neque vino utantur, neque domos ædificent; & ut quisquis reperiatur his incumbere, mortis habetur reus; eos existimantes qui hæc possident talem rem, usu a potentioribus facile cogi, ut imperata faciant. Sed eorum alii camelos, alii oves alant, deserto depascentes*. Et *Strabo* lib. XVI. de hac eadem lege. Πρόβατα λευκότειχα, βόες μεγάλους, ἵππων ἄφορος ἡ χώρα, κάμηλοι δὲ τὴν ὑπουργίαν ἀντ' ἐκείνων παρέχονται. *Oves sunt iis albi velleris, boves magni, equos non fert regio, sed cameli officium implent*.

Josephus lib. III. de bello cap. 2. de Galilæa loquens: Πίων πᾶσα καὶ εὔβοτος. *Tota pinguis & pascua est*. *Josepho* lib. III. de bello cap. 2. Samariæ pascua commendantur. Καὶ διὰ πλῆθος πόας ἀγαθῆς τὰ κτήνη πλήσιον ἢ παρ' ἄλλοις γαλακτοφόρα. *Atque boni graminis copia armenta majori ubertate lactis gaudeant, quam usquam alibi*. *Theodotus* apud *Eusebium præparat. Evangel.* lib. IX. cap. 22. de Sichemo urbe loquens.

Ἡ δ' ἄρ' ἔην ἀγαθή τε καὶ αἰγινόμος καὶ ὑδρηλή
Οὐδὲ μὲν ἔσκεν ὁδὸς δολιχὴ πόλιν εἰσαφικέσθαι
Ἀγρόθεν, οὐδέ ποτε δεία λαχνήεντα πονοῦσιν
Ἐξ αὐτῆς δὲ μάλ' ἄγχι δύ' οὔρεα φαίνετ' ἐρυμνά
Ποίης τε πλήθοντα καὶ ὕλης ——

Quippe hæc terra ferax, tenerisque aptissima capris
Irriguique soli, brevis unde excursus in urbem,
At nulli fessos molli lanugine saltus
Hic recreant. Tectis juncto prope vertice montes
Hinc gemini excipiunt, herbasque nemusque ministrant.

De bobus, asinis ceterisque animalibus agetur in cap. II. ubi de re pecuaria.

IV. Terra Chanaan in Scriptura frumento celebratur. *Deut.* VIII. 8. *Terram frumenti, hordei &c. ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris*. 2. *Reg.* XVIII. 32. *In terram fructiferam & fertilem vini, terram panis*. *Isai.* XXXVI. 17. *Donec veniam & tollam vos ad terram, quæ est terra vestra, terram frumenti, & vini, terram panum, & vinearum*. Testimonium insigne ejus fertilitatis extat *Genes.* XXVI. 12. *Sevit autem Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum*. Feracissimam fuisse tritici Palæstinam constat, ex eo quod legitur I. *Reg.* V. II. quod Salomon præbuerit quotannis Hiram regi Tyri *tritici coros viginti millia*.

Vini etiam ferax fuit. *Deut.* VIII. 8. scriptum est. *Terra frumenti, hordei & vinearum*. 2. *Reg.* XVIII. 32. *Terram panis & vinearum*. *Isai.* XXXVII. 17. *Terram frumenti, & vini, terram panum, & vinearum*. Exploratores ad faciendam narrationi suæ fidem, portentosæ magnitudinis

dinis uvæ racemum ad Mosen attulerunt. In plerisque siclis conspicitur cusus palmes uvæ ad demonstrandam Palæstinæ vini feracitatem. Vina Palestinæ a veteribus scriptoribus magnopere laudata sunt. Celebre est vinum Sarephtinum, quod Tyrium videtur *Plinius* appellare lib. XIV. cap. 7. a loco vicino magis noto. Celebratur ab Alexandro Tralliano lib. I. cap. 13. Καὶ ὀλίγον οἶνον --- καὶ μάλιστα τὸν ὑδατώδη, οἷος ἐστιν ὁ Κνίδιος, καὶ ὁ Σάμιος, καὶ ὁ Σεραφθῖνος. *Et vinum exiguarum virium*, (vel *parum vini*) *& potissimum aquosum, quale est Cnidium, Samium, & Serephtinum*. Contra hoc vinum generosum fuisse scribit *Fulgentius* lib. II. Mythologicon. *Liber ergo dictus est, quod vini passio liberas mentes faciat. Inde vero vicisse, quod hæc gens valde sit vino dedita, duobus scilicet modis, sive quod fervor solis eos faciat potatores, sive quod ibi sit Seraptenum vinum, vel Meroitanum, cujus vini tanta virtus est, quo vix licet ebriosus sextarium toto mense bibat*. Sarepta non est quærenda apud Indos, cum urbs Phœniciæ seu Palæstinæ fuerit. *Corippus* lib. III.

> —— *Et dulcia Bacchi*
> *Munera, quæ Sarepta ferax, quæ Gaza crearat*

Fortunatus de vita S. Martini

> —— *Falerna*
> *Gazaque, Creta, Samos, Cypros, Colophone, Sarepta*
> *Lucida perspicuis certantia vina lapillis.*

Martinus Damiensis

> *Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna*
> *Quæque Sareptano palmite missa bibas*

Vinum Ascalonium commendatur ab *Alexandro Tralliano* lib. VIII. cap. 3. Οἶνον προσφερέσθωσαν τὸν Τύριον, καὶ Ἀσκάλωνα, καὶ μάλιστα τὸν παλαιὸν, καὶ γεροντίζοντα. *Vinum assumant Tyrium, vel Ascaloniticum, in primis vetus & senium referens*. In Misna de *Sabbatho* cap. VIII. & *Niddah* cap. XIV. Vinum *Saroniticum* inter generosa recensetur, in quo שני חלקי מים miscebantur *duæ partes aquæ*. Vinum Chelbon memoratur *Ezech*. XXVII. 18. ubi propheta Tyrum ita compellat. *Damascus negotiatrix est tua* &c. *vino Chelbon, & lana candida*: Fuit celebre vinum Chalibonium, quod vocatur Hebraice יין חלבון *vinum Chelbon* i. e. ex Chelbone seu ex Chelybone, quomodo Græci efferunt, quod vinum fuit tam eximium ut Persarum reges e nullo alio biberent. *Strabo* lib. XIV. Διὰ δὲ τὸν πλοῦτον εἰς τρυφὴν ἐξέπεσον οἱ βασιλεῖς ὥστε πυρὸν μὲν ἐκ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος, οἶνον δὲ ἐκ Συρίας τὸν χαλυβώνιον. *Per opulentiam reges in luxum prolapsi sunt, ita ut triticum advehi juberent ex Asso Æolidis, & vinum ex Syria Chalybonium*. Unde Hesychius. χαλυβώνιον εἶδος οἴνου ἀπὸ τόπου τινὸς τῆς Συρίας. *Chalibonium vini species a loco quodam Syriæ*. Et *Plutarchus*, lib. II. de fortuna Alexandri. Οὔτε τρυφαὶ Μηδικαὶ, καὶ τράπεζαι, καὶ γυναῖκες, οὐδὲ χαλυδώνιος οἶνος. *Neque delitiæ Medicæ, & mensæ, & mulieres*, neque Chalidonium (lege χαλυβώνιος, ut pariter in *Suida*) *vinum*. Nec est, quod quis miretur e Damasco Tyrum fuisse advectum. Nam Chalyboniæ vites Damasci propagatæ fuerunt, Persis (i. e. Assyriis, ut hi populi a Græcis promiscue sumuntur), ita procurantibus. Id ex *Posidonio* docet *Athenæus* lib. I. cap. 22. Ο' Περσῶν βασιλεὺς τὸν χαλυβώνιον μόνον οἶνον ἔπινεν οὔ φησι Ποσειδώνιος κἀν Δαμασκῷ Συρίας γίνεσθαι, Περσῶν αὐτόθι καταφυτευσάντων τὰς ἀμπέλους. *Persarum rex non nisi Chalybonium vinum bibit, quod ait* Posidonius *etiam Damasci gigni, cum ibi Persæ vites* (Chalybonias) *propagaverint*.

Oleo non minus quam tritico & vino in Scriptura commendatur Palæstina. *Deut*. VIII. 8. dicitur. *Terram olei & mellis* & *Reg*. XVIII. 32. *Terram vinearum olei & mellis*. *Josephus* de bello lib. III. cap. 2. de Peræa loquens commendat ejus oleas. Τόγε μὲν μαλθακὸν ταύτης καὶ τὸ πάμφορον, καὶ τὰ πεδία δένδρεσι κατάφυτα ποικίλοις καὶ πλεῖστον δὲ ἐλαίαν τε καὶ ἄμπελον, καὶ φοινικῶνας ἤσκηται. *Peræa sane mollities & ingenium fructuosum, campos habet cum variis arboribus consitos, tum maxime olivetis ac vineis ac palmetis excultos*. Idem de bello lib. III. cap. 17. commemorat oleas circa lacum Gennesar. Ἔνθα φοίνικες οἱ καύματι τρέφονται, συκέαι, καὶ ἐλαῖαι πλησίον τούτων, αἷς μαλθακώτερος ἀὴρ ἀποδέδεικται. *Ubi etiam palmæ quas nutrit calor æstivus, has juxta ficus & oleæ, quibus aura mollior designata est*. Idem de bello lib. II. cap. 26. Galilæam ἐλαιοφόρον μάλιστα vocat. Oleæ Palæstinæ laudantur a *Theophrasto* de causis plantarum lib. VI. cap. 12. *Plinius* lib. XV. cap. 3. *Decapoli vero Syriæ perquam parvæ* (olivæ) *nec cappari majores, carne tamen commendatur*. Oleo gaudebat Palæstina præ Ægypto. Oleis non plane quidem destituebatur, sed magis commendatæ fuerunt Pa-

læstinæ quam Ægyptiæ. Hinc dicitur in *Echa Rabbat* fol. 85. 3. מה היו עשרה שבתים עושים היו משלחין שמן למצרים. *Quid faciebant decem tribus? Mittebant oleum in Ægyptum*. Hieronymus in commentario ad *Hoseam* cap. XII. *Licet quidam arbitrentur, quod nequaquam oleum in Ægypto gignitur, sed prætiosissimum missum esse ab Ephraim, cujus terra Samaria olei fertilissima est*. Talmudici in Codice *Menachoth* cap. VIII. 3. Oleum terræ Israeliticæ optimum Thecoæ, proximum Regeb tribuunt: תקוע אלפא לשמן אבא שאול אומר שניה לה רגב בעבר הירדן *Tekoa primas tenet partes in oleo. Aba Saul dicit; secundas Regeb in transitu Jordanis*. Ibid. in Gemara legitur Gasch-Chalab in portione Asser fuisse olei fertilissimam. אמרו פעם אחד נצרכו אנשי לודיקיא בשמן מינו להן פולמוסטוס אחר אמרו לו לך והבא לנו שמן במאה ריבוא הלך לירושלים אמרו לו לך לצור הלך לצור אמרו לו לך לגוש חלב הלך לגוש חלב אמרו לו לך אצל פלוני לשדה הלך ומצאו עוזק תחת זיתיו אמר לו יש לך שמן במאה ריבוא שאני צריך אמר לו המתן לי עד שאסיים מלאכתי המתין עד שאסיים מלאכתו לאחר שאסיים מלאכתו הפשיל בליו לאחריו והיה מסקל ובא בדרך אמר לו יש לך שמן במאה ריבוא כמדומה אני ששחוק שחקו בי היהודים כיון שהגיע לעירו הוציאה לו שפחתו קומקמום של חמין ורחץ בו ידיו ורגליו והוציאו לו ספל של זהב מליאה שמן וטבל בו ידיו ורגליו לקיים מה שנ׳ וטובל בשמן רגלו לאחר שאכלו ושתו מדד לו שמן במאה ריבוא אמר לו כלום אתה צריך ליותר אמר לו הן לא שאין לי דמים אמר לו אם אתה רוצה ליקח קח ואני הלך עמך ואטל דמיו מדד לו שמן שמנה עשר ריבוא אמרו לו לא הניח אותה האיש לא סוס ולא פרד ולא גמל ולא חמור בארץ ישראל שלא שכרו כיון שהגיע לעירו יצאו אנשי עירו לקלסו אמר להם לא לי קלסוני אלא לזה שבא עמי שמדד לי שמן במאה ריבוא והרי בשמונה עשרה ריבוא לקיים מה שנ׳ ישמתעשר ואין כל מתרושש והון רב. *Dixerunt: Aliquando opus habuerunt incolæ Laodicææ oleo. Constituerunt sibi legatum: Dixerunt illi. Abi, & affer nobis centum myriades olei. Venit Hierusalem; dixerunt illi: vade Tyrum. Cum venisset Tyrum; dixerunt illi. Vade Gusch-Chalabh. Cum venisset Gusch-Chalabh; dixerunt illi: Confer te penes N. N. in agrum suum. Ivit eumque deprehendit fodientem sub ejus oleis. Dixit illi: Habesne centum myriades olei? Respondit: Expecta dum perficiam opus meum. Expectavit dum perficeret opus suum; postquam perfecit opus suum, appendit vasa humeris suis, removit lapides, & incessit per viam. Dixit illi. Habesne centum myriades olei? Videtur mibi, quod me irrideant Judæi. Quando venit in suam civitatem, eduxit illi ejus ancilla cucumam aquæ calidæ, & lavit manus & pedes suos, eique eduxit labrum aureum plenum oleo, in quo lavit manus & pedes suos ad confirmandum quod dictum est:* Et lavabit in oleo pedem suum. *Postquam comederunt & biberunt, metitus est illi olei centum myriades, dicens: Num amplius tibi necesse est? Respondit; maxime. At mibi non sunt nummi. Dixit; si velis emere, eme, & ego tecum veniam, & accipiam ejus pretium, & metitus est illi olei octodecim myriadas. Dixerunt illi. Non reliquit iste vir equum neque mulum, neque camelum, neque asinum in terra Israel quem non conduxerit. Quando pervenit ad suam civitatem, egressi incolæ suæ civitatis eum collaudarunt. Dixit illis. Nolite me laudare, sed hunc qui venit mecum, qui mibi metitus centum myriadas olei; & ecce octodecim myriades ad confirmandum quod dictum est*. Est quasi dives qui nihil habeat, & est quasi pauper cum in multis divitiis sit. *Siphri* 62. 4. מעשה שניצ טרכו אנשי לודיקיא בשמן ומנו שלחם פומיליוס אחר אמרו לו לך וקח לנו שמן במאה ריבוא והלך לו לצור אמר להם שמן במאה ריבוא אני צריך אמרו לו לך לגוש חלב הלך לו לגוש חלב אמר שמן במאה ריבוא אני צריך אמרו לו לך אצל פלוני הלך לביתו ולא מצאו אמרו לו הרי בשדה הלך ומצאו שעוזק תחת הזית אמר לו שמן במאת ריבוא אני צריך אמר לו המתן עד שאגמור את הזירה משנמראת זיתיו נטל הכלים והיה ממשמש ובא אמר פומיליוס איפשר שיש לזה שמן במאה ריבוא דומה שזחקו בו יהודים כיון שבא לביתו קרא לשפחתו אמר לה בואי ורחצי רגלינו במלא ספל שמן ורחצה להם רגליהם לקיים מה שנ׳ וטובל בשמן רגלו נתן לפניו לחם ואכל ושתה לאחר אכילה עמד ומדד לו שמן במאה ריבוא אמר לו רצונך שוב אמר לו אין לי מעות אמר לו טול ואני אבוא עמך ואטול מעותיי עמד ומדד לו שמן בשמונה עשרה מאות ריבוא אמרו לא הניח ההיא אדם לא חמור ולא גמל בארץ ישראל שלא משכו עמו הכירו אנשי לודקיא וקרמו לפניו שלשת מילי׳ וקילסו לפניו קילוס גדול אמר להם אל תקלסו קילוס זה אלא לאדם זה שהכל שלו ולא עוד אלא שאני חייב לו שמונה עשרה מאות ריבוא לקיים מה שנ׳ יש מתעשר ונוסף עוד. *Narratur; Cum incolæ Laodicææ opus haberent oleo, constituerunt sibi legatum, eique dixerunt, vade, & eme nobis centum myriades olei. Cum venisset Tyrum, dixit illis. Ego opus habeo centum myriadibus olei. Dixerunt illi. Vade Gusch-Chalabh; Cum venisset Gusch-Chalabh; dixit illis. Centum myriadibus olei ego opus habeo. Dixerunt illi. Vade ad N. N. Venit in ejus domum, & non invenit; dixerunt illi. Erit*

in agro ſuo. Cum abiiſſet, & deprehendit eum fodientem ſub olea. Dixit illi. Centum myriadibus olei ego opus habeo. Reſpondit illi. Expecta dum perficiam opus in olea; poſtquam perfeciſſet opus in olea, accepit inſtrumenta ſua, quibus miniſtrabat, & abiit. Dixit legatus; Num iſte habere poteſt centum myriades olei? Videtur, quod me irrideant Judæi. Cum veniſſet domum ſuam, & vocaſſet ancillam, ei dixit: Veni & lava pedes noſtros. Impleavit labrum oleo, & lavit eorum pedes ad confirmandum quod dictum eſt. *Et lavabit in oleo pedem ſuum*. Appoſuit ei panem, & comedit & bibit: Poſtquam comediſſet, ſurgens metitus eſt illi centum myriades olei. Dixit illi: Viſne amplius? Reſpondit: Non eſt mihi pecunia. Dixit illi: Accipe, & ego veniam tecum, & recipiam meos nummos. Surgens metitus eſt illi octodecim myriades olei. Dixerunt; non fuit aſinus & camelus in terra Iſrael, quem non conduxerit. Cum innotuiſſet incolis Laodicææ, proceſſerunt in ejus occurſum tria milliaria, eumque ſummopere collaudarunt; dixit illis; non eſt laudandus niſi vir iſte, quia hæc omnia ad eum pertinent; & præterea ego illi debeo octodecim myriades, ad confirmandum quod dictum eſt. *Eſt quaſi dives, qui nihil habeat, & eſt quaſi pauper cum in multis divitiis ſit*.

Elæomali in Syria & Palæſtina ex oleis naſcebatur. *Plinius* lib. XXIII. 4. *Elæomoli in Syria ex ipſis oleis manat*. Idem lib. XV. 7. *Sponte naſcitur* (oleum) *in Syriæ maritimis quod Elæomeli vocant. Manat ex arboribus pingue, craſſius melle, reſina tenuius, ſapore dulci. Dioſcorides* quoque lib. I. de re medica XV. Ελαιομέλι καθ᾽ ἀλμυρὰ τῆς Συρίας provenire ſcribit.

Mel in Palæſtina uberrimum & optimum, ideoque merito dicitur *Exod.* III. 8. 17. XXXIII. 3. *Levit.* XX. 24. *Num.* XIII. 27. XIV. 8. XVI. 14. *Deut.* VI. 3. XI. 9. XXVI. 9. XXVII. 3. XXXI. 20. *Joſ.* V. 6. *Jerem.* XI. 5. XXXII. 22. *Ezech.* XX. 6. 15. *Eccleſiaſt.* XLVI. 10. *Baruch* I. 20. *terra fluens lacte & melle*. Mellis duo genera (ut obſervat vir ſummus *Bochartus* Hieroz. part. 2. lib. IV. cap. 12.) domeſticum unum ex apibus, quæ domi aluntur, & alterum ſylveſtre, quali legitur Johannes in deſerto vixiſſe *Matth.* III. 4. *Cibus ejus erant locuſtæ, & mel ſylveſtre*. Et *Marc.* I. 6. *Comedens locuſtas & mel ſylveſtre*. Notum eſt illud Salomonis *Prov.* XXV. 16. *Mel reperiſti? comede quantum ſatis eſt*. Et haud dubie pertinet ad mel ſylveſtre, quod in agris paſſim reperiebatur. Itaque cum in agro Samſon in leonem incidiſſet, eumque dilaceraſſet, anno ſequenti mel reperit, quod in ejus cadavere apes elaboraverant *Judic.* XIV. 6. Quale eſt quod legitur I. *Sam.* XIV. 25. 26. *Populus venit in ſylvam, in qua erat mel* על פני השדה *in agri ſuperficie*. Et *in eam ſylvam populus ingreſſus eſt, & ecce* הלך דבש *fluxum mellis*. Id nempe fuit ſylveſtre mel, quod apes vel in nudo ſolo, vel in cavis arborum, vel in fiſſuris rupium confecerunt, qualis rupes Hebraice vocatur צור דבש *rupes mellis Pſal.* LXXI. 17. Et mel inde manans דבש מסלע *mel e petra Deut.* XXXII. 13. Sic a voce יערה יער eſt favus proprie in ſylva repertus I. *Sam.* XIV. 27. *Extendit Jonatham ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & immerſit eam* ביערת הרבש *in favum mellis*. Et *Cantic.* V. I. *Comedi* יערי *favum meum cum melle meo*. Neque eſt quod quis hoc credat Judææ fuiſſe peculiare, quod ibi paſſim apes in agro aut ſylvis mellificabant. Nam idem de Scythia & Moſcovia ex idoneis ſcriptoribus probari poteſt. Itaque apum quæ in cavis arborum, vel in arundinetis, vel in antris nidificant, poetæ paſſim meminerunt. *Heſiodus* Theog. verſ. 2301.

—— οὔρεσι δὲ δρῦς
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας
—— in montibus autem quercus
Summa fert glandes, media autem apes

Nempe ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν στελέχων *in truncorum cavis*, ut ibi

Κάμνει δ᾽ ἠερόφοιτος, ἀελσοπόνος ἡ μέλισσα
Ἠὲ πέτρης κοίλης κατὰ χηραμὸν, ἢ δονάκεσσιν
Ἠ᾽ δρυὸς ὠγυγίης κατὰ κοιλάδος ——
Operatur quoque aeria & laborioſa apis
Aut in antro cavæ petræ, aut in arundinibus
Aut in antiquæ quercus cavitate —

Virgilius lib. IV. Georg.

Sæpe etiam effuſis, ſi vera eſt fama, latebris
Sub terra fodere larem, penituſque repertæ
Pumicibuſque cavis, exſeſæque arboris antro.

Statius Thebaides lib. X. 569.

Sic ubi pumiceo paſter rapturus ab antro
Armatas exegit apes

Claudianus de raptu lib. II.

> —— *fagique cavo demissus ab alvo*
> *Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.*

Aristoteles quoque Hist. lib. v. cap. 22. hoc testatur. Αἱ δ' ἐν Θεμισκύρᾳ περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν ἐν τῇ γῇ, καὶ ἐν τοῖς σμήνεσι ποιοῦντες κηρία. *Apud Themiscyram circa Thermodontem amnem tam in terra quam in alvearibus favos faciunt.* Et infra. Κατάγεται δὲ καὶ ἐν Ἄμισον μέλι λευκὸν καὶ παχὺ σφόδρα, ὃ ποιοῦσιν αἱ μέλιτται ἄνευ κηρίων πρὸς τοῖς δένδρεσι, γίνεται δὲ τοιοῦτον καὶ ἄλλοθεν ἐν τῷ Πόντῳ. *Ad Amisum urbem convehitur a locis superioribus mel candidum, & valde crassum, quod apes in arboribus sive favis conficiunt. Fit etiam mel hujusmodi in aliis Ponti locis.* Idem. Εἰσὶ δὲ καὶ μέλιτται, αἳ ποιοῦσι τρίπλᾶ κηρία ἐν τῇ γῇ. *Sunt etiam apes, quæ humi favos triplici ordine faciunt. Diodorus Siculus* lib. XIX. cap. 104. ubi de Nabatæis scribit. Αὐτοὶ χρῶνται τροφῇ κρέασι καὶ γάλακτι, καὶ τῶν ἐκ τῆς γῆς φυομένων τοῖς ἐπιτηδείοις. φύεται γὰρ παρ' αὐτοῖς τὸ πέπερι ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ μέλι πολὺ τὸ καλούμενον ἄγριον, ᾧ χρῶνται ποτῷ μεθ' ὕδατος. *Utuntur illi pro alimento carne & lacte, & iis quæ ex terra proveniunt: nascitur enim apud ipsos piper in arboribus, & mel plurimum, quod agreste appellant, quod potant aqua mixtum.*

Palmas Palæstinæ fuisse celeberrimas veteres Scriptores passim testantur. *Josephus* de bello lib. v. cap. 4. loquens de Hierichunte. Ἐκτρέφει τε ἐν αὐτῷ παραδείσους τε καὶ πυκνοτάτους τῶν δὲ φοινίκων ἐπαρδομένων γένη πολλὰ ταῖς γεύσεσι, καὶ ταῖς προσηγορίαις διάφορα. τούτων οἱ πιότεροι πατούμενοι, καὶ μέλι δαψιλὲς ἀνιᾶσιν οὐ πολλῷ τοῦ λοιποῦ χεῖρον. *Optimis autem in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumque irriguarum genera tam sapore quam nominibus varia, quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multum ab alio melle deterius. Oribasius* Sardianus lib. I. medicin. collect. cap. 43. *Ex palmis quædam sunt siccæ, & adstringentes, ut Ægyptiæ, quædam molles, humidæ, & dulces sunt, quæ caryotæ appellantur, quæ præstantissimæ in Palæstina Syria in Hierichunte nascuntur. Strabo* lib. XVI. scribens de eadem regione Hiericunthina. Ἐν ταύτῃ δ' ἐστὶν ὁ φοινικὼν μεμιγμένην ἔχων καὶ ἄλλην ὕλην ἥμερον καὶ εὔκαρπον πλεονάζον δὲ τῷ φοίνικι. *Ibi est palmetum, cui immixtæ sunt etiam aliæ stirpes hortenses, locus ferax, palmis abundans. Tacitus* lib. 4. Hist. *Et palmæ, palmetis proceritas, & decor. Josephus* iterum de bello lib. III. cap. 4. de Peræa. Καὶ τὰ πεδία δένδρεσι κατάφυτα ποικίλοις τὸ πλεῖστον δὲ εἰς ἐλαίαν τε καὶ ἄμπελον καὶ φοινικῶνας ἤσκηται. *Camposque habet variis arboribus consitos, maxime vero* (solum) *occupatum & cultum ab oleis, & vinetis, & palmetis.* Et lib. v. cap. 4. ubi de campo magno. Πᾶν δ' γὰρ ἄνυδρον πλὴν τοῦ Ἰορδάνου, παρὸ καὶ τοὺς μὲν ἐπὶ ταῖς ὄχθαις φοινικῶνας εὐθαλεστέρους καὶ πολυφορωτέρους εἶναι συμβέβηκεν, ἧττον δὲ τοὺς πόρρω κεχωρισμένους. *Totus enim* (campus) *aquis destituitur, si Jordanem excipias, quamobrem & palmeta vicina ripis ejus florida magis, & fertilia existunt, minus autem, quæ magis a Jordane absunt. Theophrastus* lib. II. cap. 8. de Histor. Plant. scribit solarum palmarum, quæ in *Aulone* sc. in campo magno proveniunt, fructus ejus generis esse, ut recondi possint, θησαυρίζεσθαι μόνους δύνασθαί φασι τῶν ἐν Συρίᾳ ἐν τῷ Αὐλῶνι. *Pausanias* lib. IX. cap. 19. scribit ἐδώδιμον καρπὸν *habere palmas Palæstinæ:* cum palmæ in Ægypto & alibi fructum ἄβρωτον non haberent teste *Strabone* lib. XVII. *Plinius* lib. XIII. cap. 4. Hist. Nat. *Judæa inclyta est vel magis palmis.* Hierichuntinæ præ ceteris ab eo commendantur. *Nobilitas* (palmis) *in Judæa, nec in tota, sed in Hierichunte maxime. Horatius* pinguia vocat hæc palmeta Epist. lib. II.

> *Præferat Herodis palmetis pinguibus* --

V. Purpura celeberrima in Phœnicia, & Palæstina nascebatur & colligebatur juxta Hebræorum sententiam in regione tribus Zabulon, quæ ad mare usque protrahebatur. Hinc *Siphri* 62. 3. וספוני טמוני חול ספוני זה חלזון טמוני זה טרית חול זה זכוכית לפי ששבטו של זבולון מתרעם לפני המקום ואומר לפניו רבונו של עולם לאחיי נתת ארצות ולי נתת חלזון אמר לו שאני מצריכם לידך על ידי חלזון זה אמר לפניו רבונו של עולם מי מודיעני אמר לו זה סימן יהיה בידך שכל מי שנוגבך לא מפרגמטיא שלג כלום: Thesauri absconditi arena: (sic interpretantur Hebræi interpretes) ספוני *hic est Chilzon.* טמוני *sunt pisces recentes:* חול *hoc est vitrum album. Et quod tribus Zabulon conquesta fuerat coram Deo dicens in ejus conspectu. Domine mundi. Fratribus meis dedisti terras; at mihi dedisti Chilzon. Respondit illi. Ego faciam ut illi te opus habeant propter Chilzon. Dixit coram illo. Domine mundi. Quis mihi notificabit? Respondit illi. Hoc erit signum in manu tua. Siquis abs te furabitur, non prosperabitur in mercatura sua. Pesiktha*, fol. 92. I.

עמים

עמים הר יקראו אלו שבטים ישראל שהיו מתקבצים אל הר ציון שם יזבחו זבחי צדק שהיו מתנדבים זבחים כשהיו באים בלגל בחלקו של זבולון היו הספנות מחברות כי שפע ימים יינקו אלו הסחורות שהיו מביאין מחוצה לארץ וספוני טמוני חול זה חלזון שהיה בקלחו של זבולון שבו היו צובעין את התכלת חול זה זכוכית לבנה שהיה בקלחו זבולון לכן הוא אומר זבולון לחוף ימים ישבון דבר אחר עמים הר יקראו שהיו אומות העולם באין בספינות בסחורה עד תחום זבולון ואומר הואיל ובאנו עד כאן נעלה אל הר יי׳ ונראה מה טובה של ירושלם והם רואים את ישראל משתחוים לאל אחר ואוכלים מאכל אחר ומיד הם אומרין אין יפה להדבק אלא באומה זו ואין זזין משם עד שמתגיירין ומביאי זבחים לשם שנ׳ שם יזבחו זבחי צדק כי שפוע ימים יינקו שנים שנותנין בשופע ומעלים בשופע ים ומלכות וספוני טמוני חול זה חלזון שהיה ספון וטמון בחול א״ר יוסי פעם אחת היתי מהלך מכזיב לצור ומצאתי זקן אחד ושאלתי בשלמו אמרתי לו רבי פרנסתך במה אמר לי מחלזון אמרתי לו וכי מצוי הוא חלזון אמר לי השמים שיש מקום בים הגדול שמושל בהרים וסממיות מקיפות אותו ואין לך אדם שהולך לשם שאין סממיות מכישות אותו ומת ונימק במקומו ואמרתי השמים ניכר שהרי זה גנוז לצדיקים לעתיד לבוא וספוני זה טרית טמוני זה חלזון חול זו זהרית וכל מי שהיה נוטל בגנבה לא היה נהנה מפרקמטיא שלו: *Populi ad montem convenient*. Iſtæ ſunt tribus Iſrael, quæ congregabuntur ad montem Sion, *ibi offerent ſacrificia juſtitiæ*. Quod ſponte offerent ſacrificia, quando venient in camelis; In portione Zabulon erant naves congregatæ. *Quia affluentiam maris comedent*. Iſtæ ſunt merces, quæ adducentur ex regionibus, quæ erant extra terram. *Atque occulta, atque abſcondita in arena*: Hic erat Chilzon, qui erat in portione Zabulon: eaque de cauſa dictum eſt *Geneſ.* XLIX. 13. *Zabulon in litore maris habitabit*. Alia expoſitio. *Populi ad montem convenient*: Eo quod nationes mundi venientes mercaturæ cauſa in navibus uſque ad terminum Zabulon, dicent; quoniam uſque ad hunc locum venimus, adſcendamus ad montem Domini, & videamus pulchritudinem Hieruſalem; & illæ videntes Iſraelitas adorantes Deum unum & comedentes de cibo uno, ſtatim dicent; præſtat ut huic genti adhæreamus, neque inde abibunt niſi poſtquam proſelyti facti ſint. Dictum eſt enim: *Ibi offerent ſacrificia juſtitiæ*. *Quia affluentiam maris comedent*; Duo data ſunt in affluentia, & adſcondita in affluentia, mare & regnum. Theſauri *abſconditi arena*. Hic eſt Chilzon, qui abſconditus & celatus eſt in arena. Dicit R. Joſe: Aliquando profectus ſum de Chazib Tyrum, & deprehendi quendam ſenem, poſtquam eum ſalutaſſem, ei dixi: Rabi unde eſt victus tuus? Mihi reſpondit ex Chilzon. Ei dixi: Ubi invenitur? Reſpondit mihi. Per cœlos eſt locus in mari magno, ſeptus montibus, & ab araneis circumdatus; & ſi quis illuc ſe conferat, araneæ eum circumdant; & ſi quis illuc ſe conferat, arenæ eum devorant, & moritur, & tabeſcit in loco ſuo. Et dixi per cœlos; perſpicuum eſt quod Chilzon abſcondatur pro juſtis in ſeculo futuro. :וספוני iſti ſunt piſces recentes: טמוני hic eſt Chilzon, חול. Hic eſt ſplendor, ſeu vitrum. Siquis lllum ſurripiat, utilitatem non accipiet ex mercatura ſua. *Uzielides Deut.* XXXIII. 19. עמים אומין סוגעין לטוור בירת המקדשא יצלון תמן יקרבון קורבנין דקשוט ארום על ספר ימא רבא שרן ויתפרנקון מן טריתא וחלזונא יאחרון וייצבעון מארמיה תיכלא לחוטי גולותהון ומן חלה מפקין אספקלרין ומני זגוגיתא אדום גניזיא דתחומיא גליין להון: Populi multi ad montem Domini ſanctuarii orabunt, ibi offerent oblationes veras; quoniam ad litus maris magni habitant, & delitiabuntur de thymno & oſtream capient, & tingent de ſanguine ejus Thecheleth in fila palliorum ſuorum, & ex arena producent ſpecula & vaſa vitrea, quoniam theſauri multi revelati ſunt ei. Megillah Eſther cap. I. fol. 6. אמר זבולון לפני הקב״ה רבונו של עולם לאחי׳ נתת להם שדות וכרמים ולי נתת הרים וגבעות לאחיי נתת ארצות ולי נתת ימים ונהרות אמר לו כולן צריכין לך על ידי חלזון שנ׳ וספוני טמוני חול תני ר׳ יוסף ספוני זה חלזון טמוני זה טרית חול זו זכיכית לבנה: Dixit Zabulon coram Deo S. B. Domine mundi, fratribus meis dediſti agros & vineas; at mihi dediſti montes & colles. Fratribus meis dediſti terras; at mihi dediſti maria & flumina. Reſpondit illi: Omnes te opus habebunt propter Chilzon. Dictum eſt enim. *Theſauri abſconditi arena*. Docet Rab. Joſeph ספוני hic eſt Chilzon, טמוני; Iſti ſunt piſces recentes: חול: Hoc eſt vitrum abbum: Chilzon ab Aruch ſic deſcribitur. גופו דומה לים וברייתא דומה לדג ועלה אחד בע׳ שנה ובמה צובעים תכלת לפיכך דמיו יקרים: Ejus corpus (potius גונו ut emendat vir ſummus *Bochartus* a quo pleraque deſcripſimus, quæ adilluſtrationem purpuræ pertinent) color ejus mari ſimilis; & ſtructura corporis piſci ſimilis i. e. cæruleum, & unus ſolus adſcendit ſingulis 70. annis tingunt Hyacinthinum, ideoque id eſt magni pretii. At Chilzon vel Chilzona eſt cochleæ ſpecies, & eſt vox mere Arabica. Vox extat in *Avicenna* lib. II. cap. de oſtrea. In *Damire* حلزون *Chalazon*. In

In Arabico *Dioſcoridis* ubi eſt cochlea terreſtris, Græce κόχλιας χιρσαῖος. In *Abenbitare* qui ſic explicat quid ſit in *Galeno* cochlea & eſt genus quaddam الحلزون τῶ *Chalzon*.

Neque aliud חלזון priſcis Hebræis, & חלזונא Chaldæis. Quandoque enim pro terreſtri cochlea & limace ſumitur, ut *Deut.* XVIII. 42. כל אילניכון ופירי ארעיכון ישיצי חלזונא *omnes arbores veſtras terræ veſtræ perdet Chilzona* i. e. limax. Quod ſequutus *Pomarius* חלזון terreſtrem ſic definit: תולעה שחור שאוכל העשבים והאילנות *vermem nigrum, qui herbas & arbores depaſcitur*. Et in tractatu *Sanhedrin* 91. a. עלה להר וראה שהים אין בה אלא חלזון אחת למחר ירדו גשמים ונתמלא כלו חלזונות *Adſcende in montem, & videbis in eo hodie niſi unum Chilzon* (ſeu limacem) *At cras pluviæ ingruent, limacibus complebitur mons univerſus*. Rurſus quandoque uſurpatur pro cochlea marina, & ſpeciatim pro purpura, ſeu conchylio. Ut in loco qui citatus eſt ex *Jonathanis* paraphraſi *Deuter.* XXXIII. 19. Quomodo etiam ab Arabibus uſurpari docet, quod *Euthimius* patriarcha Alexandrinus a *Pocokio* editus primam purpuræ inventionem cani tribuens non quidem Herculis juxta receptam fabulam, ſed paſtoris cujuſdam Tyri regnante Hiram infectam habet: *Et reperit canis cochleam purpurei coloris in litore reptantem, & eam edit, & os ejus impletum eſt ſanguine Chilzonæ*. Et infra de Hirami infectoribus. *Et* (Hirami regis) *infectores ad litus maris exierunt, & quæſiverunt Chalzonam* i. e. cochleam purpuream: *& repererunt eam, & tinxerunt ei purpuram*. Hæc ille pag. 174. Nec mirum utramque cochleam terreſtrem ſc. & marinam ſub communi nomine, cum una alteri ſit ſimillima. Quod his verbis teſtatur *Bellonius*, qui purpurarias cochleas adhuc vivas ſæpe viderit. *Ejus concha cochleam terreſtrem penitus referret, niſi clavata eſſet, & canalem ad latus quod linguam exerit, haberet. Cornua limacum more attollit, atque eodem pacto ſerpit, iiſdemque cornibus ſibi prætendit*.

Purpuræ quamvis in ceteris frequentius, tamen etiam in arena proveniunt. *Oppianus* in Halieuticon lib. I. verſ. 314.

> Πολλὰ μὲν ἐν πέτρησι, τὰ δ' ἐν ψαμάθυσι νέμοντας
> Νηρεῖται ςρόμωντε τε γένος ϰ πορφύραι αὐταὶ
> *Multa quidem cochlearum genera in petris, aliæ autem in arenis paſcuntur*
> *Neritæ ſtramborumque genus, & ipſæ purpuræ*

Et 2. *Reg.* XV. 32. Nabnedardan præfectus Nebuchdnezaris reliquis Iſraelitis in captivitatem deportatis, ſolum tenuiſſimos in Judæa reliquiſſe legitur לכורמים ויוגבים *in vinitores & agricolas*, quibus deinde dedit כרמים ויוגבים *vineas & agros* quos excolerent, ut habetur *Jerem.* XXIX. 10. Quæ cum clara & obvia ſint, tamen libuit magiſtris per כורמים ſeu vinitores eos intelligere qui balſamum legebant, & per יוגבים ſeu agricolas purpuræ piſcatores. Ita docent in tractatu de Sabb. c. 2. fol. 26. a. כורמים תני ר' יוסף אלו מלקטין אפרסמון מעין גדי ועד רמתא ויוגבים אלו צידדים חלזון מסולמות של צור ועד חיפה. Vinitores. *Dixit R. Joſeph illos eſſe qui balſamum colligunt ab Engadi uſque Ramatha*. Et agricolas *eos qui piſcantur Chilzon ſeu purpuram a Tyri ſcalis uſque Caipham*. Nec abſonum eſt, cur vinitorum nomine balſami cultores intelligant circa Engadi, quum prope Engadi balſameta fuiſſe conſtet. *Joſephus* Antiq. lib. IX. c. I. Κατεςρα'ονται πρὸς Ἔγγαδ δε πόλιν κειμένην πρὸς τῇ Ἀσφαλτίδι λίμνη τριακοσίυς ἀπεχυσαν ςαδίυς τῶ Ἱεροσολύμων γέννατι δ' ἐν αὐτῇ φοίνιξ ὁ κάλλιςος, ϰ ὀποβάλσαμον. Et per vineas Engadi *Cantic.* I. 14. balſameta illa ſignificari volunt plerique interpretes. *Hieronymus* in locis. *Vocatur uſque hodie vicus prægrandis Judæorum Engadi juxta mare mortuum, & unde opobalſamum venit*, *quas* vineas Engadi *Salomon nuncupat*. Recte in modum vineæ conſitæ. Ita enim veteres tradunt. *Trogus* lib. XXXVI. *Arbores opobalſami in vinearum modum excoluntur*. Plinius lib. XII. cap. 24. *Balſami arbuſcula eſt viti ſimilior &c. Et malleolis ſeri dicitur, nuper vincta eſt vitis, & implet colles vinearum more, quæ ſine adminiculis ſeipſæ ſuſtinent, tondetur ſimiliter fruticans, & raſtris niteſcit*.

In Gloſſa ad l. c. de *Sabb.* יוגבים *jugebim* volunt ſignificari idem quod יוקבים *jokebim* tanquam a יקב quod torcular ſignificat, quaſi ſic dicatur purpurarii שעוצרים ופוצעים את החלזון להוציא דמו *quia premunt & contundunt Chilzon* (ſeu cochleam purpuream) *ut ſanguinem ejus exprimant, ex qua fiat purpura*. In quibus ut ut fictitiis, tamen id verum eſſe putatur, quod purpurarum Judææ litus extendunt Talmudici מסולמות צור ועד חיפה *a Tyri ſcalis uſque ad Chaipham*. *Tyri ſcala* alibi memoratur, ut in *Vaikra Rabba* ſect. 22. כיון שהגיע לסולמי צור חזיתא חד ארי קטיל ומקלק באורחא. *Cum pervenit ad ſcalas Tyri, leonem unum vidit occiſum, & in viam projectum*. Et ſitum docet *Joſephus* lib. II. cap. 9. de bello ubi Ptolemaidem ſeptentrionem verſus ſcribit montem habere altiſſimum ſtadia centum diſ-

dissitum, ὃ καλοῦσι κλίμακα Τυρίων οἱ ἐπιχώριοι *quam scalam Tyriorum vocant incolæ*. Ibidem Carmelum legas a Ptolemaide ad meridiem abesse cxx. stadiis. Porro ad Carmeli radices fuit Caipha. *Geographus* Nubiensis Clim. 3. part. 5. وحيفا *Et Chaipha est sub promontorio Carmeli montis; quod promontorium in mare procurrit, portumque habet ad marginem navium, aliarumque adeo stationum commodum*. Et *Benjamin* postquam egit de Acho seu Ptolemaide pag. 36. ומשם ג׳ פרסאות לחיפש היא גד-החיפה על שפת הים ומצד אחר הר הכרמל עליה *Inde tribus parasangis distat Chaiphas, quæ est Gad-Chaipha ad litus maris, & huic ab altera parte mons Carmelus imminet &c.* Ut ut sit ex his apparet purpurariæ piscationis locum a scalis Tyriorum usque ad Chaipham & Carmelum patuisse stadiis 230. Tamen verisimile est; purpurarum ubique non fuisse parem copiam; sed harum præcipue ubertas circa Carmelum & Chaipham fuisse videtur. Eo sc. videtur referendum quod in *Guilielmo Tyrio: Caiphæ vetus nomen fuit Porphyria*; ut eadem fuerit quæ Phœnicia φορφυρέων apud *Stephanum* ex lib. v. *Polybii* tanquam a purpuræ piscatione facto nomine: Præterea 2. *Chron.* II. 14. & III. 14. כרמיל *Carmil* ponitur inter purpuræ species. *Coccum* reddunt interpretes, ac melius purpuræ genus ad Carmelum capi solitæ. Huc facit, quod כרמיל *Carmel* & ארגמן *Argaman* i. e. purpura palam sunt synonima in his *Cant.* verbis c. VII. vers. 5. *Caput tuum* ככרמיל *sicut Carmel, & cincinnus capitis tui* כארגמן sicut *argaman* seu purpura.

Aristotelis Hist. lib. v. cap. 5. docet terrestrem & marinam cochleam, & purpuram maxime, quæ cum sex aut septem annos vivat, in concha tot orbes habere, quot annos agit. Ζῆ γὰρ ἡ πορφύρα περὶ ἔτη ἕξ, καὶ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν, φανερά ἐστιν ἡ αὔξησις τοῖς διαστήμασι τοῖς ἐν τῷ ὀστράκῳ τῆς ἕλικος. *Annos enim circiter sex purpuræ vivunt, & singulis annis eorum incrementum patet per orbes, quibus totidem quot annos habent, testa intorta, cuniculatim in crepidinem desinit*. Et *Plinius* lib. IX. cap. 36. purpuram cum buccino conferens. *Clavatum est* (purpuræ rostrum) *ad turbinem usque, aculeis in orbem septenis fere, qui non sunt buccino; sed utrique orbes*.

De purpuræ piscatione a Talmudicis agitur in tractatu de *Sabbatho* cap. VII. fol. 75. a. Ibi enim disputatur רצר חלזון ופוצעו: *Qui piscat Chilzon, illam premit atque contundit*, violati Sabbathi sit bis reus, aut semel tantum. Quia cum vivæ purpuræ mortuæ sanguine præstet, qui purpuram piscatus est, si non statim sanguinem expresserit, de ea in vivis servanda semper esset solicitus, quæ cura illum torqueret, & magis distraheret a Sabbathi observatione, quam si perimat eo ipso momento, quo capta est. Quæ illustrantur ab *Aristotele* l. c. Σπουδάζουσι δὲ ζώσας κόπτειν, ἐὰν γὰρ πρὸ κόπτειν πρότερον ἀποθάνῃ συνεξεμεῖ τὸ ἄνθος. *Dant operam ut vivas contundant, nam si priusquam tutunderis, moriantur, florem simul evomunt*. Quod his verbis *Plinius* ita sequitur ut non plane ante quam vivas capere contundant, quia cum vita succum evomunt; neque enim vivas capere sed vivas contundere dicit *Aristoteles*, ut & Talmudici; *Eustathius* in librum Σ' Iliad. mortem ab *Homero* vocari vult *purpuream* πορφύρεον θάνατον non solum propter sanguinem, qui coloris est nigri, seu purpurei sed & τὸν ἐκ μιᾶς πληγῆς, ὡς καὶ Αἰλιανός φησιν ἱστορῶν τοὺς πορφυρέας μιᾷ καταφορᾷ χειρὸς τὴν ζῶσαν πορφύραν συντρίβειν, ἵνα καλὸν οὕτω τὸ βάμμα τῆς πορφύρας γένηται. *Mortem uno ictu inflictam. Quod* Ælianus *quoque docet, purpurarios referens uno manus ictu viventem purpuram conterere, ut tinctura purpuræ pulchra sic fiat*. Nempe si repetitis ictibus perimatur, succi florem amitti, sive is prorsus effluat, aut εἰς τῆς σαρκὸς ὄγκον in matrem corporis spargitur, atque ea ratione ad lanarum infecturas sit inutilis, ut pluribus docet *Ælianus* Histor. lib. II. cap. I.

Color qui ex illo succo fit, Hebraice vocatur תכלת *thecheleth* & Chaldaice תיכלא *thichla*, vel תכלא *thachla*. Quod magistri constanter docent, quorum antiquissimus *Jonathan* in Paraphrasi *Deuter.* XXXIII. 19. וחלזונא יאחרון ויצבעון מאדמיה תיכלא *Et Chilzona seu purpurariam cochleam capient, & ex sanguine ejus tingent thichla* seu purpuram. Quomodo etiam Glossa in *Megillah Esther* de Chilzon cap. I. fol. 6. a. צובעים בדמו תכלת ונמכר בדמים יקרים *Ejus sanguine tingitur Thecheleth* seu purpura, *quæ magni constat*. Et *Baal Aruch* in Chilzon. צובעים תכלת לפיכך דמיו יקרים. *Illius sanguine tingitur Thecheleth* seu purpura, *quæ proinde est magni pretii*. *Kimchius* quoque in Lexico de תכלת *thecheleth* והוא צבוע בדם חלזון עם סממים ידועים *Color ille tingitur sanguine tu Chilzon cum notis pigmentis*. *R. Selomo* in *Exod.* תכלת צמר צבוע בדם חלזון *Thecheleth est lana quæ tingitur sanguine τοῦ Chilzon*. *Maimonides* de Zizith cap. II. sect. 2. כיצד צובעים תכלת של ציצית לוקחין הצמר ושורין אותו בסיד

בסיד ואחר כך מכבסין אותו עד שיה יהנקי מרתיחין אותו באהלא וכיוצא בו כדרך שצבועין עושין כדי שילקוט את העין ואחרך מביאין דם חלזון והוא דג שדומה עינו לעין התכלת ודמו שחור כדיו ובים המלח הוא מצוי ונותנים את הדם ליורה נותנים עמו סממנין כמו הקמוניה וכיוצא בהן כדרך הצבועין עושין ומרתיחין אותו ונותנים בו הצמר עד שיעשה כעין רקיע וזו הוא תכלת של ציצית: Quomodo tingunt Thecheleth Zizith? Sumunt lanam, quam in calce maceratam, & subinde lotam, donec sit nitida, in sapone elixant atque aliis hujusmodi, quomodo infectores facere solent, ut lana colorem imbibat. Quo facto sanguinem τȣ̃ Chilzon afferunt, qui piscis est coloris Thecheleth atri sanguinis instar atramenti, qui in mare salso reperitur, & sanguinem in abeno ponunt cum pigmentis variis, cimolia puta, atque aliis ejusmodi pro more infectorum: Et postquam elixus est lanam in eum immergunt, donec fiat cœlo concolor. Et hic est color thecheleth Zizith seu fimbriarum.

Hebræorum Thecheleth a veteribus hyacinthum vel hyacinthinum reddi; de ejus colore dubitatur sitne purpureus an cœruleus. Jam penitus disquirendum est, quis sit color תכלת *Thecheleth*, Galdaice תיכלא *Thicla* vel תכלא *Thacla*. Vox תכלת est circiter trigesies in solo *Exodo*. Occurrit etiam aliquoties in aliis Scripturæ libris. Græci IV. 7. ὁλοπόρφυρον reddunt, vel simpliciter πορφυρȣ̃ν ut habet *Complutensis* editio sed alibi semper ὑάκινθον, & ὑακίνθινον quod sequuntur *Philo*, *Josephus*, *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *Hieronymus* & veteres omnes nullo excepto. Eum colorem esse eximium non solum sacri scriptores, sed & prophani docent. *Xenophont.* Cyrop. lib. VI. Susianæ regi Abradatæ offert uxor Panthea cum aurea casside & armillis χιτῶνα πορφυρȣ̃ν ποδήρη ϛολδώτον κάτω, ϗ λοφον ὑακινθινοβαφῆ *tunicam purpuream talarem in extrema ora rugatam, & conum hyacinthini coloris*. *Athen.* lib. XII. Democritus Ephesius postquam populares suos habere dixit Corinthii operis calasires: εἰσὶ δὲ (inquit) αἱ μὲν πορφύραι τȣ́των, αἱ δὲ ἰοβαφεῖς, αἱ δὲ ὑκίνθιναι. *Harum quædam purpureæ sunt, quædam violaceæ, quædam hyacinthinæ*. *Arriani* lib. VI. apud Parasagades circa Cyri sepulcrum ἀναξυρίδες Μηδικαὶ, ϗ ϛόλαι ὑακινθινοβαφεῖς ἔκειντο, αἱ δὲ πορφύρας, αἱ δὲ ἄλλης χρόας. *Braccæ Medicæ & stolæ hyacinthinæ jacebant, quædam etiam purpureæ, & aliæ diversi coloris*. *Persius* Satir. I.

Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina lana est.

Id est Triclinaris vestis mollis, & coloris exquisitissimi: Quod ad ætatis suæ mulieres solito comtiores transfert *Hieronymus* Epist. X. ad Furiam. *Hic aliqua* (inquit) *cui circum humeros hyacinthina lana est*. Hyacinthinum colorem cum rubro purpureo plerique eundem esse putant, aut illi simillimum, sive ab hyacintho flore, aut ab hyacintho lapide nomen habeat. Florem enim describit *Dioscorides*. Πλήρη πορφυροειδȣ̃ς *purpureo colore plenum*. Et in Auctuario hyacinthinus a nonnullis vocatur πορφυροανθὸς. Hinc a *Luciano* in amoribus muliebris capitis cincinni describuntur ὑακίνθοις τὸ καλὸν ἀνθȣ̃σιν ὅμοια πορφύροντες perinde ac pulchre florentes hyacinthi purpurascentes. Poetæ quoque hyacinthum πορφυρέην appellant, ut *Euphorion*

> Πορφυρέη ὑάκινθε σε τ' οὔομα φασὶν ἀοιδοὶ &c.
>
> *Purpuree Hyacinthe te nomen poetæ dicunt*

Et *Panmates* apud *Athenæum* lib. XV.

> Οὐλὴν ἕρπυλλον, λευκὸν κρίνον, ἡ δ' ὑάκινθον.
> Πορφυρέην —— ——
> *Crispum serpillum, album lilium atque hyacinthum*
> *Purpureum.*

Et *Virgilius* Ecl. III.

> *Munera sunt lauri, & suave rubens hyacinthus*

Et Ecloga statim sequenti dicit

> —— *suave rubenti*
> *Murice*

Ex lib. IV. *Georg.*

> *Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.*

Id est purpureos aut subpurpureos. Nam ut docet *Servius* ad lib. IX. *Æneid.* *Ferrugo coloris genus est vicinus purpuræ subnigræ*. Ex de hoc eodem *Ovidius* lib. X. *Metamorph.*

> —— *Tyrioque nitentior ostro*
> *Flos oritur, formamque capit, quam lilia, si nam*
> *Purpureus color his, argenteus esset in illis*

Proinde *Plinius* lib. XXI. cap. 26. Hyacin-

cin-

cinthus in Gallia optime provenit; hoc ibi pro cocco byſginum tingitur.

Cœrulei coloris fuiſſe hyacinthinum probatum eſt. Ratio prima a hyacintho flore ducitur, cui cœruleum colorem tribuunt idonei ſcriptores; ſic *Columellas* in horto ſcribit

> *Necnon & niveos, & cæruleos hyacinthos.*

Et ſimiliter Græci poetæ κυανέους ὑακίνθους ut obſervatum eſt a *Salmaſio* in *Solinum* pag. 997. Denique hyacinthum & hyacinthinum cum cœlo & aere veteres ſexcentis locis conferre videas, ac ſi ſint ejuſdem coloris.

Epiphanio in Alogis ſect. 34. ὑακίνθινα idem ſunt ac καλλαΐνα. τὰ δὲ πύῤῥινα ἵνα εἴπῃ κόκκινα ἐνδύματα, καὶ ὑακίνθινα, ἵνα δείξῃ τὴν καλλαΐνην ἐρέαν. *Veſtes igneas* (dixit *Johannes* Apoc. IX. 17.) *ut coccineas ſignificaret, & hyacinthinas ut lanam Callainem indicaret*. Et porro vox pari videtur homonymia laborare. Nam ad purpureum colorem κάλλη nonnunquam pertinent. *Heſychius*: Καλλιάνθη, πορφυρᾶ: Lege κάλλη ἄνθη πορφυρᾶ. Et in *Ætimologico*: Κάλλη τὰ ἄνθη, ἢ τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια. Ut in Suida: Κάλλη, τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια. Qua notione uſurpant *Æſchylus* & *Eupolis*. Eſt & flos ejuſdem nominis, ex quo fit color. *Heſychius*. Καλληΐδες, ἀνθέστμιον πρὸς βαφὴν ἁρμόζον. Lege κάλλη εἶδος ἄνθους ποιὸν πρὸς &c. *Kalle floris genus ad tingendum aptum*. Inde Καλαΐα purpura quævis, & Gallorum galeæ ſeu barbæ a purpureo colore; *Heſychius*. Κάλλαιον (imo Κάλλαια) οἱ τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνες, καὶ πᾶν πορφυροειδὲς χρῶμα. *Etymologicum*. Κάλλαια καλοῦνται τὰ κάτωθεν τῶν ἀλεκτρυόνων γένεια δὲ τὸ εἶναι ἀνθηρὰ καὶ πορφυρώδη, τὰ πορφυρᾶ κάλλη ἐκαλοῦντο. Ita etiam *Ammonius*, & *Euſtathius* in *Iliad.* χ' nempe κάλλαια, vox pro gallorum barbis occurrit in *Ariſtophanis equitibus*, *Ariſtotelis* Hiſt. lib. IX. cap. 49. *Athenæi* lib. IX. in *Pauſaniæ* Bœoticis, & epiſtolis *Philoſtrati*. At alibi καλλαΐνον dici videas colorem Venetum ſeu cœruleum. Gloſſæ veteres Latino-Græcæ καλλαΐνος *Venetianus*. Incertus autor de circo apud *Salmaſium* in *Solinum*. Βένετον δὲ οἱ Ρομαῖοι τὸ παρ' ἡμῖν καλλαΐνον προσαγορεύουσιν. *Martialis* in Apophoretis

> *Indueras albas, exue callaicas.*

Id eſt eodem interprete Venetas ſeu cœruleas. *Arethas* in *Apocal.* cap. 67. de Saphiro. Οὗτος τοῦ καλλαΐνου χρώματος καλουμένου, ὃ τινες βένετον φασὶ, τῷ οὐρανίῳ ἀπεικάζεται χρώματι, ἤτοι τῷ τοῦ ἀέρος βάθει. *Is Callaini cum ſit coloris, quem nonnulli Venetum vocant, cœruleo colori ſimilis, aut profundo*. Eſt & lapis *Callais* ſaphiro ſimilis. *Plinius* lib. XXXVII. cap. 10. *Callais Saphirum imitatur, candidior, & litoroſo mari ſimilis*. Et cap. VIII. ubi de Topazio gemma. *Comitatur eam ſimilitudine propior quam autoritate Callais viride pallens*. *Solinus*. *Germaniæ continentibus Callaica reperitur* &c. *viret pallidum*. Sic apud *Dioſcoridem* lib. III. Jaſpidum ſpecies eſt ὁ τερεβινθίζων καλλαΐνῳ χρώματι προσόμοιος.

Huc Hebræorum accedunt ſuffragia. Nam pleriſque תכלת eſt color mari aut cælo ſimilis, ut hycinthus Græcis. Talmudici in tractatu *Menachoth* cap. IV. מה נשתנה תכלת מכל מיני הצבעונים מפני שהתכלת דומה לים וים דומה לרקיע לכסא הכבוד שנ' ותחת רגליו כמעשה לבנה ובעצם השמים לטוהר: *Quid differt Thecheleth ab omnibus aliis colorum ſpeciebus? In eo quod Thecheleth eſt mari ſimilis, & mare ſimile firmamento cœli, & firmamentum throno gloriæ*. Dictum eſt enim Exod. XXIV. 10. Ejus pedibus ſuberat ſimilitudo ſaphirini lateris, qualis eſt cœli ſereni ſpecies. *Maimonides* Zizith cap. 2. והיא דמות הרקיע: *Eſt firmamento ſimilis*. *Kimchius* in Lexico. הוא העין שקורין לו בלעז אזורו אולטרימרין: *Calor eſt quem lingua vernacula vocamus azurum ultramarinum*. *Pomarius* והיא כעין צבע ים *Eſt mari concolor*. At *Aben Ezra* ab his diſſentit, & Magiſtrorum autoritate ſcribit Thecheleth eſſe colorem ירוק viridem. Quod idem aſſerit R. *Selomo* in *Exod.* XXV. 4. Arabes Pentateuchi interpretes Thecheleth لسمانا جون *cæleſtem* ſeu *cærulem* colorem habent. Hebræis igitur & Arabibus cum Græcis & *Hieronymo* convenit in hujus vocis interpretatione. Sed quam inter ſe conveniant, tam a rei natura diſſentire videbuntur, cum cœruleus color a purpureo non ſit parum diverſus, neque a cœruleo ſed a rubro calore purpura commendatur, Tyria ſc. purpura, de qua hic potiſſimum agitur, *Virgilius* lib. III. *Georgic.*

> —— *Quamvis Mileſia magno*
> *Vellera mutentur Tyrios incocta colores*

Ovidius de arte amandi lib. III. v. 170.

> *Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet*

Seneca in Hercule Oetæo Act. 2.

> *Nec Sidonio mollis aheno*
> *Repetita bibit lana rubores*

Sta-

Statius lib. I. Sylvarum in Epithalamio Stellæ & Violantillæ.

> *Vellera Sidonio jam pauca rubeſcere tabo*

Et lib. III. in Propemtico *Metii Celeris*

> *Qua pretioſa Tyrus rubeat, qua purpura ſucco*
> *Sidonis iterata vadis - -*

Veterum catalecta

> *Pande puella genas roſeas*
> *Perfuſas rubro purpuræ Syriæ.*

Vitruvius lib. VII. cap. 13. ubi de diverſis purpuræ coloribus. *Puniceum quidem profert Africa, Tyros autem rubeum*. Pro rubro purpureum dicit *Tibullus* lib. II. Eleg. 6.

> *Illi ſelectos certant præbere colores*
> *Africa puniceum, purpureumque Tyros*

Plinius cum ſanguine confert lib. IX. c. 30. *Tyrius* (inquit) *Pelagio primum ſatiatur immaturo viridique coccino, mox permutatur in buccino. Laus ejus ſumma, color ſanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens; unde & Homero purpureus dicitur ſanguis, nempe* Iliad. ρ verſ. 360.

> —— αἵματι δὲ χθὼν
> Δεύετο πορφυρέῳ
> —— *ſanguine terra*
> *Madebat purpureo*

Inde purpureum poetæ vocant, quicquid inſigniter rubet, ut ſolem & auroram. *Virgilius* in Ciri.

> *Purpureos inter ſoles, & candida lunæ*
> *Sidera* —— ——

Et in Ætna

> *Purpureoque rubens ſurgat jubar aureus oſtro*

Ovidius Metamorph. lib. III.

> *Qui color infectis adverſi ſolis ab ictu*
> *Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ auroræ.*

Cum ex his eſſe rubram purpuram ſatis conſtet, videtur omnino ſequi, hyacinthinum colorem, ſi vero ſit cœruleus, diverſum eſſe a purpureo. Et vero palam diſtinguitur a *Xenophonte*, qui Abradatæ tribuit χιτῶνα πορφυροῦν καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ & a *Democrito* Epheſio apud quem Epheſii calaſires habent, quarum αἱ μὲν πορφυραῖ, αἱ δε ἰοβαφεῖς, αἱ δὲ ὑακίνθιναι. Præterea a ſacris ſcriptoribus locis fere triginta תכלת *thechelet* ארגמן *argaman* memorantur tanquam diverſi coloris; ut *Exod.* XXV. 3. 4. *Hæc eſt oblatio quam ab eis accipietis aurum & argentum & æs* ותכלת וארגמן *& Thecheleth & Argaman* & paſſim toto illo libro. Porro ארגמן eſſe purpuram certiſſimum eſt. Græci enim & Hieronymus conſtanter purpuram reddunt; Chaldæi quoque Syri & Arabes רגונא *argevana* vel أرجوان *argevan* vere ejuſdem ſoni, qua purpuram hodieque ab illis ſignificari, nemo eſt qui neſciat. Cujus interpretationis primus autor eſt *Eſdra* 2. *Chron.* II. 7. aut vero *Daniel* qui purpuram pro ארגמן *argaman* ſemper vocat ארגון *argevan*; Proinde hyacinthum a purpura palam diſtinguunt *Philo*, *Joſephus*, Græcique, & Latini Patres, quibus hyacinthus, purpura, coccus, & byſſus *Exod.* XXV. 4. ſunt. Denique cum purpura ex purpurariæ conchæ ſanie fiat, colorem hyacinthinum ex hyacintho flore, ſeu quod idem eſt vaccinio fieri ex *Plinio* colligere eſt.

Ut his ambagibus finis fiat, notandum eſt plura eſſe concharum, vel oſtrearum genera, ex quibus purpura elicitur, purpuram proprie dictam, conchylium, & muricem, ſeu buccinum. Quæ nomina licet a Poetis aliiſque adeo Scriptoribus promiſcue paſſium uſurpantur, tamen inter ſe differunt, & varia concharum genera ſonant, ex quibus fiebat purpura, colore nonnihil diverſa pro purpura ſumi, aut cum purpura confundi, docent *Lucretius* lib. VI. v. 1072.

> *Purpureuſque color conchyli mergitur una*
> *Corpore cum Lunæ.*

Serenus Sammonicus cap. 44.

> *Purpura torretur conchyli perlita fuco.*

Et cap. 60.

> *Purpurei triti cineres de vellere proſunt*
> *Quod fuerit vero conchyli ſanguine tinctum*

Ita *Marcellus Empyricus lanæ purpureæ* meminit *optime in conchylio tinctæ*. Et *Vitruvius* lib. VII. cap. 13. *Incipiam nunc de*

de Ostro dicere, quod & carissimum, & excellentissimam habet præter hos colores aspectus suavitatem. Id autem excipitur ex conchylio marino, ex quo purpura inficitur. *Sidonius* etiam lib. II. epist. 2. *Per scopulos Æthiopicos, & abrupta purpurea genuino facta conchylia. Hesychius:* Κογχύλια τὰ ὄστρεα καὶ πορφύραι. *Suidas.* Κογχύλη, ὅθεν ἡ πορφύρα. Tamen conchylium prope dictum *Plinius* sæpe distinguit. Ut cum de Tyro dicit lib. V. c. 19. *Nunc omnis nobilitas concholio atque purpura constat*. Et lib. IX. cap. 35. *Sed quota est portio reputantibus purpuras, conchylia, margaritas?* Item: *Conchylia & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria, paria pene etiam margaritis pretia fecit*. Et cap. 36. *Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem est materia, sed distat temperamento*. Et cap. 37. *Calculosæ appellantur a calculo maris mire apto conchyliis; & longe optimum purpuris dialutense, id est, vario genere soli pastum*. Et cap. 39. Postquam egit de mixtura buccini cum purpura in colore purpureo. *In conchyliaria veste* (inquit) *cetera eadem sine buccino;* id est præter buccinum. Et lib. XXI. cap. 8. ubi de vestium æmulatione cum floribus. *Colores* (ait) *animadverto tres esse principales, unum in cocco, qui in rosis micat, gratius nihil traditur aspectu, & in purpuras Syrias dibaphasque ac Laconicas: Alium in amethysto, qui in viola, & ipsum in purpureum quemque janthinum, appellavimus &c. Tertius est, qui proprie conchylii intelligitur &c.* Et lib. XXII. c. 2. *Transalpina Gallia herbis Tyrium*, (id est purpuram) *atque conchylium tingit*. *Dioscorides* quoque lib. II. cap. de onycha. Ὄνυξ ἐστὶ πῶμα κογχυλίου ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας. *Onyx est conchylii operculum purpuræ operculo simile*. Et infra Αὐτὸ δὲ τὸ κογχύλιον καὲν ποιεῖ ὅσα καὶ ἡ πορφύρα. *Ipsum conchylium adustum eadem operatur quæ purpura*. Itaque ut ut purpura & conchylium pro eodem sæpe usurpetur, quia sunt vicinæ natura, & in eosdem usus adhibentur, tamen diversas esse concharum species jam patet. Proinde cum rubere purpuram abunde probatum sit, conchyliis glaucum colorem & mari similem tribuit *Plinius* lib. IX. cap. 36. *Unde conchyliis pretia, quæis virus grave in fuco, color austerus in glauco, & irascenti similis mari*. Et lib. XXI. cap. 8. ubi vestium & florum colores inter se conferuntur, postquam trium colorum, quos principales vocat, purpureum cum cocco & rosis, & janthinum cum viola comparavit. *Tertius* (inquit) *ut qui proprie conchylii intelligitur*, multis modis, *unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque saturatior, alius in malva ad purpuram inclinans, alius in viola serotina conchyliorum vegetissima*. Quibus verbis in conchylio tres enumerat species, & quasi colorum gradus, qui paulatim ad purpureum aut saltem ad janthinum videntur assurgere: Primum cum heliotropio confert, cui idem lib. XII. 21. *cæruleum florem* tribuit. Secundum cum malva quæ quidem purpurea non est sed ὑποπόρφυρος ad purpureum inclinans. Tertium cum viola sed serotina, in quo ab janthino differt, qui tempestivæ violæ similis est. Atque hic subsistit conchylium. Nam in purpura locus fuit summæ, ut nigricans esset aspectu, & rubeus color nigrante deterior erat. At in conchylio laudatur pallor suavitate fraudatus, tantoque dilucidior, quanto magis vellera esuriebant, quæ in Plinio deprehenduntur lib. IX. cap. 38. 39. Ex his conchyliis colligere est medii fuisse coloris inter purpureum & cœruleum, atque ex utroque mixti. Ita ut conchylio id conveniat quod de Indico purpurisso scribit *Plinius* lib. XXXV. cap. 6. *Mixturam purpuræ cœruleique mirabilem reddit*. Et de Pantherarum oculis *Oppianus* lib. III. Cyneg.

Γλαυκιόωσιν ὅμως καὶ ἔνδοθι φοινίσσονται.
Glauci sunt simul, atque intus punicei

Itaque cum de purpurisso scribit *Plinius* ubi supra. *Pingentes sandice sublita, mox ovo inducentes purpurissum, fulgorem minii faciunt. Si purpuram facere malunt, cæruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt*. Videtur purpuræ nomine conchylium intelligere, quod cum fuerit ex parte cœruleum, non potuit aliter pingi, quam cœruleo tabulæ sublito. Eadem facit, quod aliud agens observat *Salmasius* in *Solinum*, calchantum ab ære non dici sed a purpura, non a χαλκὸς sed a χάλκη, purpura enim Græce dicitur χάλχη, & χάλκη; & χάλχη quidem est frequentius ut in *Nicandri* alexipharmacis

—— στόβων δὲ πολὺ πλέον ἢ ἔπι
χάλχης
*Buccinum autem multo magis, aut
etiam purpuræ* dapes medebuntur

Et in *Lycophrone* vers. 854. legitur πέπλους χάλχῃ πορφορύκτους *vestes purpura infectas*. Proinde *Nicandri* Scholiasti χάλχη est τὸ ἄνθος, ἢ ζῶον ᾧ βάπτεται ἡ πορφύρα *purpuræ flos aut animal, quo tingitur purpura*. Unde *Pollux* χαλχαίνων *tingens*. Sed & Hesychio χ & κ transpositos χάλκη est πορφύρα. Inde igitur χάλκανθονα pur-

purpuræ flore dictum cœruleæ nimirum. Is enim eſt Calchanthi color. *Plinius* lib. xxxiv. cap. 12. *Color eſt cœruleus perquam ſpectabili nitore, vitrumque eſſe creditur, unde vitriolum dixere recentiores.* Cœrulea autem purpura, a cujus flore calchanthum dictum quid aliud ſit quam conchylium? Neque aliud Hebræorum חכלת *thechelеth*, & Chaldæorum חיכלא *thicla*, vel תכלא *thacla* quem colorem eſſe cœruleum ab ipſis didicimus. Itaque Græci veteres hyacinthinum reddiderunt, non a materia ſed a colore, neque enim ex hyacintho fiebat, ſed ipſi erat concolor. At materia fuit ſanguis τοῦ Chilzon, ut Hebræi tanto conſenſu docent, i. e. conchylio. Proinde inter purpuræ ſpecies cenſetur hiacinthina in leg. Grat. Valent. & Theod. quæ ſic habet. *Fucandæ atque diſtrahendæ purpuræ vel in ſerico vel in lana, quæ blatta, vel oxyblatta atque hyacinthina dicitur, facultatem nullus poſſit habere privatus. Sin autem aliquis ſupradicti muricis vellus vendiderit, fortunarum ſuarum & capitis ſciat eſſe diſcrimen.*

At ארגמן vel quod idem eſt ארגון *argavan* eſt rubra purpura, non ex conchylio facta, ſed ex illius cochleæ ſanie, quæ proprie purpura dicitur. Et Hebræi qui purpuram nullam norunt, præter חכלת tamen ארגמן conſtanter docent ſpecimen eſſe rubri coloris. Itaque a *Kimchio* & *Pomario* קרמין *carminus* ſive coccineus vocatur, a *Selomone* & *Aben Ezra* אדום ruber, a R. *Jona* הצבע שקורין לקא *color* qui *Lacca dicitur &c.* Itaque cum ארגמן R. Jonas לקא laccam interpretatur, conſtat laccæ nomen rubrum, aut purpureum colorem ab eo deſignari. Concludatur igitur ארגמן purpureum recte reddi, adeoque Hebræa ארגמן ſeu ארגמן & חכלת non aliter differre quam πορφύραν καὶ κογχύλιον purpuram, & conchylium.

Purpura præter eam, quæ fit ex marinæ cochleæ ſanguine, fit etiam ex iis, quæ in terra naſcuntur. Unde *Petronius*

Quæſitus tellure nitor certaverat oſtro

Sic de Gallia dicit *Plinius* lib. xvi. c. 18. *Vaccinia Italiæ in aucupiis ſata, Galliæ vero etiam purpurea tingendi cauſa ad potentiorum veſtes.* Et lib. xxii. c. 2. *Tranſalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, omneſque alios colores, nec quærit in profundis murices &c.* Et de Creta *Theophraſtus* Hiſt. lib. iv. cap. 7. Καὶ τῇ Κρήτῃ δὲ φύεται (τὸ φῦκος) πρὸς τῇ γῇ ἐπὶ τῶν πετρῶν πλεῖστον καὶ κάλλιστον, ᾧ βάπτουσι οὐ μόνον τὰς ταινίας, ἀλλὰ καὶ ἱμάτια· καὶ ἕως ἂν πρόσφατος ἡ βαφὴ, πολὺ καλλίων ἡ χρόα τῆς πορφύρας. *Etiam in Creta juxta mare naſcitur alga plurima, & pulcherrima, qua non ſolum vittas, ſed & lanas veſteſque inficiunt; & etiamdiu recens eſt tinctura, color purpura longe præſtat.* Unde *Plinius* lib. xii. cap. 25. *Circa Cretam inſulam nato* (phyco) *in petris perruptis quoque inficiunt. Uranius* apud *Stephanum* in Ἀβασηνοί. Γεωργοῦσι δὲ καὶ πορφυρῆν πόαν εἰκελὴν αἵματι Τυρίῳ κοχλίου. *Colunt etiam herbam purpuream cochleæ Tyriæ ſanguine ſimilem.* Et de Iberia *Servius* ad *Virgilii* verba lib. ix. Æneid.

—— ferrugine clarus Ibera

Ferrugo coloris genus, qui vicinus eſt purpuræ ſubnigræ. Ibera enim non Hiſpana, ſed Pontica &c. Et de India *Cteſias* in Indicis apud *Photium*, ubi de Hyparcho flumine: Παρὰ δὲ τὰς πηγὰς τούτου τοῦ ποταμοῦ ἐστι πεφυκὸς ἄνθος πορφυροῦν ἐξ οὗ πορφύρα βάπτεται, οὐδὲν ἧττον τῆς Ἑλληνικῆς ἀλλὰ καὶ πολὺ εὐανθεστέρα.

Itaque qui preſſius loquuntur purpuram quæ fit ex conchæ ſanguine, marinam vocant διακριτικῶς ut ab aliis diſtinguant. Sic de Juda Machabæo legitur 1. *Mach.* iv. 23. *Accepit aurum multum, & argentum, & hyacinthum, &* πορφύραν θαλάσσιαν *& purpuram marinam.* Et *Diodorus* lib. xvii. inter ſpolia Perſepolitanis ablata recenſentur πολλαὶ καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτες, αἱ μὲν θαλασσίαις πορφύραις, αἱ δὲ χρυσοῖς ἐνυφάσμασι πεποικιλμέναι. *Multæ & pretioſæ veſtes, aliæ quidem marinis purpuris, aliæ autem aureis texturis diſtinctæ*, & apud *Athenæum* lib. xii. Sybaritæ Phylarcho referente τοὺς τὴν πορφύραν τὴν θαλάττιαν βάπτοντας, καὶ τοὺς εἰσάγοντας ἀτελεῖς ἐποίησαν. *Purpuræ marinæ infectores, & eam afferentes a tributis exemerunt.* Sic in *Dioſcoridis* cap. de lanis lib. ii. τὸν δὲ αὐτὸν τρόπον καὶ κρόκας καίοντας θαλασσίας πορφύρας: *Eodem etiam modo cremantur marinæ purpuræ flocci.* Et *Paulus Ægineta* lib. iii. docet pleriſque oris & colli offenſionibus prodere λινοῦν ἀπὸ πορφύρας θαλαττίας περιτεθὲν ἐχίδνης τραχήλῳ καὶ πνίξαν αὐτήν. *Filum e purpure marinæ, quo vipera collo circundata, ſuffocata fuerit. Galenus* de compoſit. Medicament. lib. vi. cap. 2. χάλκανθον κηρώματι (leg. μηρύματι) θαλασσίας πορφύρας συγκαῦσον. *Calchantum marinæ purpuræ florem involutum urito. Ariſtophanis* Scholiaſtes in Acharn. ad verbam πειραλουργός. Μετενήνεκται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῆς βαφῆς τῆς πορφύρας τῆς θαλάσσης. *Tranſlata autem eſt ex tinctura purpuræ marinæ. Heſychius* in Κάλυξ. Σημαίνει δὲ καὶ τὴν θαλαττίαν πορφύραν. *Marinam etiam purpuram ſignificat*

ficat. Et in παραλυργεῖς. Ἀλυργὲς dicit eſſe τὸ ἐκ τῆς θαλάσσης πορφύρας ὕφος *contextum ex marina purpura*. Et alibi. Ἄλυργα τὰ ἐκ τῆς θαλάσσης πορφύρας. Sed nihil opus erat vocem fingere, cum utramque ſuppetat ἁλιπόρφυρα apud *Homerum* Odyſ. ζ ubi Alcinoi uxor deſcribitur ἠλάκατα στρωφῶσ᾽ ἁλιπόρφυρα *lanas colo circumvolutas marina purpura tinctas verſans*. Et ἁλιπόρφυρα *Heſychius* & *Euſtathius* exponunt τὰ ἐκ θαλασσίας πορφύρας. Notanda inprimis de rege Perſarum *Pollucis* verba lib. VII. cap. 13. ὁ μὲν βασίλειος κάνδυς ἁλιπόρφυρος ὁ δὲ τῶν ἄλλων πορφυροῦς. *Candis regius ex marina purpura fuit, ſed reliquorum ex vulgari purpura*. Sic *Demetrius* Epheſius de Jonum luxu ubi ſupra; Καὶ σαραπεῖς μήλινοι, ϗ πορφυροῖ ϗ λευκοὶ, οἱ δὲ ἁλουργεῖς. *Et Sarapes ipſis fuerunt lutei, purpurei & albi, quidam etiam ex marina purpura*.

Ex his colligitur purpuræ nomine, quoties marinæ purpuræ opponitur, aut ab illa diſtinguitur, aliud ſignificari, nempe purpuram ex alga, aut vacciniis, aut ſandice, aut Amorge, aut ferrugine, nempe ex diverſa materia confecta. Conjeceram hujuſmodi purpuram Hebraice dici ארגון ארגמן, ut marinam תכלת, atque inde eſſe quod marina purpura a Syro interprete cum Epitheto dicitur ܐܪܓܘܢܐ ܝܡܝܐ 1. *Macch.* IV. 23. Sed re accuratius perpenſa ſentio argaman vel argavan & thecheleth eſſe diverſas marenæ purpuræ ſpecies, quarum illa rubra fuerit, hæc cœrulea potius. Proinde *Ezech.* XXVII. 7. legitur afferri utramque purpuram ex inſulis Eliſæ i. e. Græciæ in mari Ægæo, & utraque in ſummo pretio fuit. *Quia* ארגון fuiſſe colligitur aliquando purpuræ pretioſius genus ex eo quod *Dan.* V. 7. XVI. 29. is quem Aſſyriorum rex ad ſummos honores eveheret; non veſtitur תיכלא *thichla* ſed ארגונא *argavana*. Itaque ארגונא non fuit vulgaris purpura ex herba facta, ſed maxime pretioſa. Neque putandum eſt tam fuiſſe vetus adulterium hac purpuræ genus, ut a prophetis potuiſſet memorari, a Moſe præſertim, a quo voces תכלת & ארגמן ſunt toties repetitæ.

Perictyone Pythagorica in libro de concinnitate mulieris. Διφᾶσθαι εἵματα ἐοικότα λίην ϗ ποικίλα ἀπὸ θαλασσίης κόχλου, μωρίη πολλή. *Veſtes quærere valde ſplendidas, & varias ex marinæ tinctu cochleæ* (i. e. purpuræ, ſeu conchylii) *inſignis eſt ſtultitia*. *Naumarchus*

> Εἵματα δ᾽ εἰναλίης ἐρυθαίνεται αἵματι κόχλου
>
> *Veſtes marinæ cochleæ cruore inficiuntur*

Et paulo poſt de cane Herculis

> Χιονέας πορφύρε παρηίδας αἵματι κόχλου.
>
> *Niveas purpuravit malas ſanguine cochleæ*.

Itaque ארגון ארגמן ut ſint color, quomodo appellatur non immerito, cum in Syria primo cœperint uſurpari, cujus Tyrus vel eſt portio vel appendix, ut de Babylonica purpura taceam, cujus præter *Amiſum* etiam Hebræi pariter meminerunt in *Joſ.* VII. 2. ut alibi. Nec aliud intelligo in *Philoſtrati* Epiſtola qua roſas extollit ὑπὲρ τὸν Βαβυλώνιον κόκκον, ϗ τὴν Τυρίαν πορφύραν *ſupra Babylonium coccum, & Tyriam purpuram*. Coccum enim & purpuram paſſim promiſcua ſumi abunde probatum eſt. Proinde *Ezech.* XXVII. 16. mentio fit ארמן ſeu purpuræ ex Aram allatæ, i. e. xx *Babylone* quæ pars eſt ארם נהרים Syriæ Meſopotamiæ. Et apud *Diodorum* qui Cteſiam ſequitur, Aſſyriæ rex Sardanapalus muliebriter vixiſſe legitur διετώμενος μετὰ τῶν παλλακίδων, πορφύραν δὲ ϗ τὰ μαλακώτατα τῶν ἐρίων ταλασιουργῶν. In quo ipſo habitu autore *Trogo* invenit Arbaces inter ſcortorum greges purpuram colo nentes. Itaque color ille a loco dictus eſt, ut Puniceus, Tyrius, Sarranus, Armenius, Venetus, Spanus, Melinus, Syriacus &c. Has inſignis viri integras obſervationes deſcribendas putavi, eo quod ab eo præ cæteris uberius & doctius purpura illuſtrata ſit.

Poſt Chilzon Zabulonitis promittitur זכוכית לבנה vitrum album. *Jonathan* in loco ſupra citato ומן חליא מפיקין אספקלרין וסני זגוגיתא: *Et ex arena ſpecula educent, & vaſa vitrea*. In Zabulonitarum finibus ad ſecundum a Ptolemaide ſtadium erat Belus fluvius, ex cujus arenis vitrum perficitur. Originem inventi in hoc loco vitri deſcribit *Plinius* lib. XXXVI. cap. 26. *Fama eſt appulſa nave mercatorum nitri, cum ſparſi per litus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, glebas nitri e navi ſubdidiſſe. Quibus accenſis permixta arena litoris, translucentis nobilis liquoris fluxiſſe rivos, & hanc fuiſſe originem vitri*. Ibid. *Pars eſt Syriæ, quæ Phœnice vocatur, finitima Judææ intra montis Carmeli radices, paludem habens, quæ vocatur Cendevia. Ex ea creditur naſci Belus amnis quinque Mill. ſpatio in mare profluens juxta Ptolemaidem coloniam. Lentus hic currit, inſalubri potu, ſed ceremo-*

niis facer, profundus non nisi refuso mari arenas fatetur; fluctibus enim volutatæ nitescunt, detritis sordibus, nunc & a marino creduntur astringi morsu, non prius utiles. Quingentorum est passuum non amplius litoris spatium, idque tantum multa per secula gignendo fuit vitro. Idem lib. v. cap. 19. *Rivus Pagida sive Belus vitri fertiles arenas parvo litori miscens.* *Tacitus* Hist. lib. v. *Belus amnis Judaico mari illabitur, circa cujus os collectæ arenæ admixto nitro in vitrum excoquuntur. Modicum id litus, sed egerentibus inexhaustum.* *Strabo* lib. XVI. Μεταξὺ δὲ τῆς Ἄκης καὶ Τύρου θινώδης αἰγιαλός ἐστιν ὁ φέρων τὴν ὑαλῖτιν ἄμμον, ἐνταῦθα μὲν οὖν φασὶ μὴ χεῖσθαι κομισθεῖσαν δὲ εἰς Σιδόνα τὴν χωνείαν δέχεσθαι. τινὲς δὲ καὶ τοῖς Σιδονίοις εἶναι τὴν ὑαλῖτιν ψάμμον ἐπιτηδείαν εἰς χύσιν, οἱ δὲ πᾶσαν πανταχοῦ κινεῖσθαι πᾶσιν. ἤκουσα δ' ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, παρὰ τῶν ὑαλουργῶν, εἶναι τινα καὶ κατ' Αἴγυπτον ὑαλῖτις γῆς, ἧς χωρὶς οὐκ οἷον τὰς πολυχρόους καὶ πολυτελεῖς κατασκευὰς ἀποτελεσθῆναι. καθάπερ καὶ ἐν ἄλλοις ἄλλων μιγμάτων δεῖν. *Inter Ace & Tyrum est litus arenæ tumulis obsitum, qui vitriariam arenam ferunt, eam dicunt hoc in loco non fundi; cum vero Sidonem delata sit, fusioni parere. Sunt qui dicunt Sidonios vitriariam arenam habere fusioni aptam, quidam autem omnem ubique fundi. Ego a vitriariis Alexandriæ audivi ipse quamdam terram vitriariam esse in Ægypto sine qua sumtuosa quædam & multorum colorum opera perfici nequirent quemadmodum & alia aliis mixturis indigent.* *Josephus* lib. II. de bello cap. 9. Τοῦ δὲ ἄστεως ἀπὸ δύο σταδίων ὁ καλούμενος Βέλεος ποταμὸς παραρρεῖ παντάπασιν ὀλίγος, παρ' ᾧ τοῦ Μέμνονος μνημεῖον ἐστὶν, ἔχον ἐγγὺς αὐτοῦ τόπον ἑκατοντάπηχυν θαύματος ἄξιον. κυκλοτερὴς μὲν γάρ ἐστι καὶ κοῖλος ἀναδίδωσι δὲ τὴν ὑαλῖτιν ψάμμον, ἣν ὅταν ἐκκενώσῃ, πολλὰ πλοῖα προσχῶται, πάλιν ἀναπληροῦται τὸ χωρίον. *Duorum stadiorum intervallo ab urbe* (Acco, seu Ptolemaide) *amnis Belus labitur, exiguus omnino, ad quem sepulchrum est Memnonis, vicinum habens locum, qui non nisi centum cubitorum spatium occupat, & admiratione dignus est. Est enim rotundus, & cavus, egerens arenam vitriariam, quam licet multæ naves exhauriant, denuo locus repletur.*

Byssum eximiam nasci in Judæa testatur *Pausanias* de lino Elidis in Eliacis: οὐκ ἀποδεῖ τῆς Ἑβραίων βύσσου, ἐστὶ δὲ οὐχ ὁμοίως ξανθή. *Plinius* lib. 3. XIX. cap. præfert ceteris linum vivum, & asbestinum, vim ignis superans, secundum ab eo locum concedit lino Elidis. Byssus Indica genus esse lanæ fertur quæ super arbores nascitur. *Pollux.* lib. VII. cap. 17. Ἡ βύσσος λίνου τὸ εἶδος παρ' Ἰνδοῖς. *Plinius* lib. XIX. cap. 1. lanuginem quamdam esse certi generis pomorum significare videtur. *Theophrastus* lib. IV. cap. 9. Hist. putat contineri intra complicata folia quarundam arborum. Fortasse gossypium fuit. *Pollux* lib. VII. cap. 17. testatur lini genus esse, vel potius tenue quiddam tenuissimo lino simile, quod in arbore quadam crescit. Ἤδη δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου ἔριον γίγνεται, ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα λίνου μᾶλλον ἂν τις φήσειν πεποιῆσθαι. *Plinius* lib. XIX. cap. 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures Xylia, inde facta Xylina. Parvus est, similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ullæ sunt eis candore, mollitiave præferendæ vestes; inde sacerdotibus gratissimæ.*

Plinius in Syria nasci papyrum testatur lib. XIII. cap. 11. *Ex ipso quidem papyro navigia texerunt, & e libro vela tegetesque, nec non & vestem, etiam stragulam, & funes.* Et paulo post. *Nascitur & in Syria, circa quem odoratus ille calamus lacum. Neque aliis usus est, quam inde funibus rex Antigonus in navalibus rebus nondum sparto communicato.*

Josephus Antiquit. lib. VIII. cap. cedrorum, quibus tantopere Libanus celebratus est, ubertatem in Judæa commendat. Καὶ τῶν κεδρίνων ξύλων οὐ πρότερον ὄντων ὥσπερ καὶ τῶν δένδρων τῶν συκαμίνων πλήθει τὰ τῆς Ἰουδαίας πεδία. *Et cedros arbores antehac nunquam in Judæa visas, in campis ejusdem multiplicavit* (Salomon) *ut moros numero æquarent.* Vid. 1. *Reg.* x. 27.

V. Aromatibus commendatam & celebratam fuisse Judæam veteres scriptores testantur. *Columella* lib. III. cap. 8. *Judæam & Arabiam pretiosis odoribus illustrem haberi.* Inter dona a Jacobo Josepho missa in Ægyptum recensetur נכאת Nachoth. *Jonathan* שעוא, *Arabs Herpennianus* ܫܥܘܐ *ceram* exponunt, pariterque in *Bereschit Rabba* sect. 91. *Onkelos* שעף idem esse videtur quod שעוא. Septuaginta θυμίαμα, vel θυμιάματα. *Aquila* στύρακα. *Hieronymus* in priori loco *aromata* in posteriori *storacem*, ut *Aquila*. Syrus [illegible] *resinam*. Samaritanus [illegible] *balsamum*. Arabs Parisinus حب نوبا ut apud *Kimchium* חרוב *siliquam*. Arabes duo MSS. in Suecia [illegible] *gummi*. Moses Sacerdos, & Kimchius דבר נחמד *rem desiderabilem* &c. Recentiorum plerique alii

alii נכאת necboth θυμιάματα *aromata* exponunt cum Græcis & *Hieronymo*, & Hebræorum nonnullis. Quod vix ſtare poſſe patebit legenti duo ſcripturæ loca. Prior enim ſic habet. *Geneſ.* xxxvii. 25. *Sublatis oculis adſpexerunt, & ecce turmam viatorum Iſmaelitarum ex Galaada venientium, quorum cameli ferebant* נכאת *necboth & reſinam & ſtacten, & ibant, ut ea in Ægyptum deportarent.* Et poſterior *Geneſ.* xliii. 11. *Sumite de laudatiſſimis hujus terræ fructibus in vaſis veſtris, ut ad virum illum munus feratis, parum reſinæ,* נכאת *necboth, & ſtacten, & piſtacia, & amygdala.* Ex quorum lectione attente lectori conſtabit נכאת non eſſe θυμιάματα vel aromata, vel rem deſiderabilem in genere, ſed peculiare aliquid, ut mel, reſinam, ſtacten &c. quorum ibidem fit mentio. Et cum *Aquila* maxime placeat, qui ſtoracem reddidit, plures habeo rationes (inquit *Bochartus*, a quo hæc omnia deſumta ſunt in part. 2. lib. iv. cap. 16.) Quarum prima hæc eſt, quod in Syria ſtorax abunde provenit. *Plinius* lib. xii. cap. 25. *Provincia Judææ Syriæ ſupra Phœnicem ſtyracem gignit circa Gabala & Maracbunta, & Caſium Seleuciæ montem. Dioſcorides* lib. ii. poſtquam Styracis præſtantiſſimi notas attulit: τονȣ̃τος διέςιν ὁ Καταβαλήτης, ϗ Πισσιδιακὸς, ϗ Κιλίκιος ubi pro ὁ Καταβαλίτης legendum eſt Γαβαλίτης i. e. ex Syriæ urbe notiſſima Gabalis, de qua *Plinius*: Alii Phœniciæ adſcribunt ut *Artemidorus* apud *Stephanum* in Κάρνη; & Joſephus Galilææ lib. xv. Antiquit. 23. Secundo merito cenſetur Styrax inter laudatiſſimos terræ fructus, cum ejus uſum Medici inter aromata maxime commendent. Tertio ut hic Iſmaelitæ, ſic apud *Plinium* lib. xii. cap. 17. Arabes ex Syria revehunt ſtyracem. Quarto a Moſe non fruſtra jungitur ſtyrax cum reſina, melle, & myrrhæ ſtacte, cum ad illorum naturam accedat. Proinde a *Dioſcoride* ſtorax optimus ῥητινώδης *reſinoſus* deſcribitur, ϗ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀνιεὶς ὑγρασίαν τινὰ μελιτώδη *& cum ſubigitur emittit melleum quendam liquorem. Eidemque tribuitur* δακρύον κόμμι εἰκὸς δικυγὲς, σμυρνίζον. *Lachryma gummi ſimilis, qualis myrrhæ. Iſidorus* lib. xvii. cap. 8. *Storax calamites, pinguis, reſinoſa, odoris jucundi humecta, & veluti melloſum liquorem emittens.* Hinc apud *Plinium Styrax adulteratur cedri reſina, vel gummi, alias melle.*

Theophraſtus lib. ix. cap. 7. Hiſt. plant. calamum odoratum & juncum inter Libanum & alium montem naſci teſtatur. Ὁ δὲ κάλαμος γίνεται, ϗ ὁ σχοῖνος ὑπερβάλλοντι τὸν Λιβάνον, μεταξὺ τοὺς τε Λιβάνȣ ϗ ἄλλȣ τινὸς μικρȣ̃ ἐν τῷ αὐλωνίσκῳ ταυτῷ, ϗ ȣ̓χ ὡς τινὲς φασι τȣ̃ Ἀντιλιβάνȣ. ϗαὶ μεταξὺ τȣ́των ἐςὶν, ὃν αὐλῶνα καλȣ̃σι πεδίον πολὺ ϗ καλόν. ὅπȣ δὲ ὁ κάλαμος ϗ ὁ σχοῖνος φύεται, λίμνη μεγάλη τυγχάνει. πρὸς ταύτην δὲ ἐν τῷ ἕλει ἀνεξηραμένῳ πεφύκασι. τόπον δὲ ἔχȣσι πλεῖον ἢ τριάκοντα ςαδίων. ȣ̓κ ὄζȣσι δὲ χλωροὶ, ἀλλὰ ξηρανθέντες. τῇ προσόψει δὲ ȣ̓δὲν διαφέρȣσι τῶν ἄλλων. εἰσβάλλοντι δὲ εἰς τὸν τόπον, εὐθὺς ὀσμὴ προσβάλλει ȣ̓ μὴν πορρωτέρω γε ἡ ἀποπνοὴ γίνεται, καθάπερ τινές φασι ταῖς προσφερομέναις ναυσὶν εἶναι πρὸς τὴν χώραν. ϗ γὰρ ὁ τόπος ȣ̃τος ἀπὸ θαλάττης ἀπέχει πλεῖȣς ἢ ἑκατὸν πεντήκοντα ςαδίȣς. *Calamus vero & juncus trans Libanum montem, inter ipſum Libanum & alium quendam montem parvum, in valle minima creſcunt; non ut quidam dixere, inter Libanum atque Antilibanum. Inter quos campus ampliſſimus & pulcherimus eſt, quem Aulonem appellant. Qua vero calamus & juncus proveniunt, lacus amplus extenditur, juxtaque eum paluſtribus ſiccatis iſti aſſurgunt. Plus autem quam triginta ſtadiorum occupant locum. Virides nequaquam odorati ſunt, ſed ſicci: forma vero nihil ab aliis differunt. Lacum ingredienti protinus odor aſpirat, non tamen longius ſpirat, ut quidam referunt a navibus eo curſum tenentibus ſentiri. Hic enim locus pluſquam centum quinquaginta ſtadia abeſt a mari. Plinius* lib. xii. cap. 22. *Calamus odoratus in Arabia naſcens communis Indis, atque Syriæ eſt, in quo vincit omnes a noſtro mari centum quinquaginta ſtadiis, inter Libanum montem aliumve ignobilem, non (ut quidam exiſtimavere) Antilibano, in convalle modica juxta lacum, cujus paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ab eo ſtadiis calamus & juncus odorati gignuntur.* Idem lib. xxi. 18. *Ob id & odorati junci medicinæ dicentur, quoniam & in Syria coele (ut ſuo loco retulimus) naſcitur.*

Si *Cyrillo* fides habenda ſit etiam thuris frutices in Libano naſcuntur, ut idem teſtatur in comment. in *Eſai.* lib. v. tomo iv. ὄρος ἐςὶ φοινίκης ὁ Λίβανος, κέδροις τε ϗ κυπαρίσσοις, ϗ πεύκῃ κατάκομον, ϗαὶ αὐτοῖς δὲ τοῖς λιβάνȣ φυτοῖς. *Mons eſt Phœnices Libanus, cedris, cypreſſis, ac pinu denſus, & ipſis thuris fruticibus.* De Galbano teſtatur *Plinius* lib. xii. cap. 25. *Dat & Galbanum Syria in eodem Omano monte e ferula, quam ejuſdem nominis reſinæ modo Stegonitim appellant.* Idem lib. xii. cap. xii. de Nardo. *Radix & folium Indis eſt maximo pretio. Radix coſti guſtu fervens, odore eximio, frutices alias inutili. Primo ſtatim introitu amnis Indi in Patale Inſula; duo ſunt ejus genera nigrum, & quod melius eſt, candicans* &c.

In

In nostro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum. Tibullus lib. III. Eleg. 6.

> *Jamdudum Tyrio madefactus tempora nardo*

Pro *Tyrio* melius legatur *Syrio*. *Horatius* lib. II. vers. 16. Odat. nardum vocat Assyriam

> —— *Assyriaque nardo*
> *Potamus uncti* ——

Sciendum quod veteres Scriptores *Syriæ* & *Assyriæ* nomina confunderent. Etenim (ut optime observat *Relandus Palæstinæ* lib. III.) urbs Syriæ Gadara Γάδαρα Ἀσσυρία vocatur in Anthologia lib. III. cap. 6. Libanus mons Syriæ, Assyrius a veteribus appellatur. Ἀσσυρίῳ Λιβάνῳ apud *Nonnium* legitur Dionysiacon lib. II. & XLI. Ἀσσυρίην Λιβανηΐδα πέτρην lib. XXXII. Et apud eundem Cedrum, quem Tyrium fuisse alibi testatur, Assyrius dicitur lib. IV.

> Ἀρτικὲς Ἀσσυρίης ἀπὸ πατρίδος αἷμα κομίζει.
> Ἧχι ῥέος χαρίεντος Ἀδώνιδος ——

> *Certe ex Patria Assyria ortum ducit,*
> *Ubi flumen est amabile Adonidis*

Josephus de bello lib. v. cap. 4. scribit nasci Cyprum & myrobolanum in regione Hiericunthina, ubi balsamum. Φέρει δὲ καὶ ὀποβάλσαμον, ὃ δὲ τιμιώτατον τῶν τῇδε καρπῶν, κύπρον τε καὶ μυροβάλανον. *Et opobalsami ferax est, qui omnium carissimus est fructuum ibi nascentium; Itemque Cyprum & myrtbolanum gignit.*

At præ ceteris omnibus Palæstina Balsamo omnium aromatum pretiosissimo commendata & celebrata est, quod in Hiericunthe proveniebat. *Strabo* lib. XVI. Ἱερικοῦς δ' ἐστὶ πεδίον κύκλῳ περιεχόμενον ὀρεινῇ τινι καὶ πῇ καὶ θεατροειδῶς, πρὸς αὐτῷ κεκλιμένῃ. ἐν ταύτῃ δ' ἐστὶν ὁ φοινικὼν μεμιγμένην ἔχων καὶ ἄλλην ὕλην ἥμερον καὶ εὔκαρπον πλεονάζον δὲ τῷ φοίνικι, καὶ μῆκος σταδίων ἑκατὸν, διάῤῥυτος ἅπας, καὶ μεστὸς κατοικιῶν: ἔστι δ' αὐτοῦ καὶ βασίλειον καὶ ὁ τοῦ βαλσάμου παράδεισος, ἔστι δὲ τὸ φυτὸν θαμνῶδες, κυτίσῳ ἐοικὸς καὶ τερμίνθῳ, ἀρωματίζον οὗ τὸν φλοιὸν ἐπισχίσαντες, ὑπολαμβάνουσι ἀγγείοις τὸν ὀπὸν γλίσχρῳ, γάλακτι παραπλήσιον, ἀναληφθεὶς δ' εἰς κογχάρια λαμβάνει πῆξιν. *Hierichus est planities montibus circumdata, quæ in theatri speciem ad ipsam alicubi declinat. Ibi palmetum, cui intermixtæ sunt etiam aliæ stirpes hortenses; locus ferax, palmis abundans spacio stadiorum centum, totus irriguus est, & habitationibus plenus. Ibi & regia est, & Balsami paradisus, quæ planta aromatica est fruticosa, cythiso & terebintho persimilis; hujus corticem scindentes, succum in vasis suscipiunt, tenaci lacti persimilem, susceptus autem in conchis coagulatur. Theophrastus*. Hist. plant. lib. IX. cap. 6. Τὸ δὲ βάλσαμον γίνεται μὲν ἐν τῷ αὐλῶνι τῷ περὶ Συρίας παραδείσους δ' εἶναι φασι δύο μόνους. τὸν μὲν ὅσον εἴκοσι πλέθρων, τὸν δ' ἕτερον πολλῷ ἐλάττονα. τὸ δὲ δένδρου μέγεθος μὲν ἡλίκον ῥόα μεγάλη, πολύκλαδον δὲ σφόδρα. Φύλλον δὲ ἔχων, ὅμοιον πηγάνῳ, πλὴν ἔκλευκον, ἀείφυλλον δ' εἶναι καρπὸν δὲ παρόμοιον τῇ τερμίνθῳ καὶ μεγέθει, καὶ σχήματι, καὶ χρώματι, εὐῶδες σφόδρα καὶ τοῦτο, καὶ μᾶλλον τοῦ δακρύου. τὸ δὲ δάκρυον ἀπὸ ἐντομῆς συλλέγειν. ἐντέμνειν δὲ ὄνυξι σιδηροῖς ὑπὸ τὸ ἄστρον, ὅταν μάλιστα πνίγη ὦσι, καὶ τὰ στελέχη καὶ τὰ ἄνω, τὴν δὲ συλλογὴν ὅλιν τὸ θέρος ποιεῖσθαι. οὐκ εἶναι δὲ πολὺ τὸ ῥέον ἀλλ' ἐν ἡμέρᾳ τὸν ἄνδρα συλλέγειν ὅσον κόγχην. Τὴν δ' ὀσμὴν διαφέρουσαν καὶ πολλὸν ἐφικνεῖσθαι τόπον. *Balsamum in valle Syriæ provenit. Ejus arbusta duo tantum affirmant, alterum viginti jugerum, alterum multo minus. Arboris altitudo, quæ malo punicæ magnæ. Rami multi, folium rutæ simile, candidum tamen, perpetuo virens: Fructus similis teribintho tam magnitudine quam colore. Is quoque admodum odoratus est, & magis quam lachryma. Colligi lachrymam in caudice, & parte superna tradunt, facta incisura unguibus ferreis sub sydere, cum æstus maxime angit. Collectionem vero æstate fieri tota, sed quod manat multum non esse, vix enim toto die concham posse impleri. Odorem tamen inferri eximium & copiosum, adeo ut subito spatium per longum odor valeat permeare. Dioscorides* lib. I. cap. 48. Βάλσαμον τὸ μὲν δένδρον κατὰ μέγεθος λευκοίου ἢ πυρακάνθης βλέπεται, φύλλα ἔχον ὅμοια πηγάνῳ λευκότερα δὲ πολλῷ καὶ ἀειθαλέστερα. γεννώμενον ἐν μόνῃ Ἰουδαίᾳ κατὰ τὴν αὐλῶνα, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, διάφερον αὐτὸ ἑαυτοῦ τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχνότητι. λέγεται γοῦν τὸ λεπτὸν καὶ τριχῶδες τοῦ θάμνου θέριστον ἴσως διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεται ἰσχνὸν ὄν. τὸ δὲ ὀποβάλσαμον λεγόμενον ὀπίζεται ἐν τοῖς ὑπὸ κύνα καύμασιν, ἐντεμνομένου σιδηροῖς ὄνυξι τοῦ δένδρου. ῥεῖ δ' ὀλίγον ὡς καθ' ἕκαστον ἔτος ἓξ ἢ ἑπτὰ χόας συναθροίζεσθαι. πωλεῖται δ' ἐν τῷ τόπῳ σταθμὸς αὐτοῦ πρὸς διπλοῦν ἀργυρίου. *Balsamum arbor Lycii seu Pyxacanthæ magnitudine conspicitur, foliaque habet rutæ proxima sed candidiora multo, & perpetuo magis virentia. In unius Judææ terra quadam convalle, & Ægypto nascitur, differens ipsum a seipso, scabritia, proceritate, & gracilitate. Quod igitur in frutice tenue, & capillaceum est, theriston quasi*

de-

demensile dicitur, quoniam fortassis ob gracilitatem facile demetatur. Quod vero opobalsamum dicitur, æstivis sub ortu canis ardoribus excipitur, incisa ferreis ungulis arbore. Sed tam paucum extillat, ut quotannis vix plures quam seni septenive congii colligantur; inibique pondus argento duplo rependitur. *Josephus* lib. v. cap. 4. de bello ubi de hac valle Hiericunthina. φέρει δὲ καὶ ὀποβάλσαμον, ὃ δὴ τιμιώτατον τῶν τῇδε καρπῶν. *Est & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructuum ibi nascentium.* *Tacitus* lib. v. ubi de Judæa. *Exuberant fruges nostrum ad morem, præterque eas balsamum, & palmæ palmetis proceritas & decor. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas* (contrarium docent *Theophrastus* & *Dioscorides*, a quibus dicitur planta fuisse incisa *ferreis ungulis*) *pavent venæ, fragmine lapidis, aut testa aperiuntur, humor in usu medentium est.* *Plinius* Hist. lib. XII. cap. 25. *Sed omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terrarum Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum* XX. *non amplius, altero pauciorum. Ostendere arbusculam hanc urbi Imperatores Vespasiani; Clarumque dictu a Pompæio Magno;* in triumpho arbores quoque duximus. *Servit nunc hæc, & tributa pendet cum sua gente, in totum alia natura, quam nostri externique prodiderunt &c.* Et mox. *Folium proximum rutæ, perpetua coma. Sæviere in eandem Judæi, sicut in vitam quoque suam. Contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice est. Stetitque nunc eam fiscus, nec unquam fuit numerosior, aut procerior. Proceritas intra bina cubita subsistit. Arbori tria genera; tenui & capillacea coma, quod vocant eutheriston; alterum scabro adspectu, incurvum, fruticosum, odoratius, hoc trachy appellant. Tertium Eumeces, quia est reliquis procerius, levi cortice: Huic secunda bonitas, novissima Eutheristo. Semen ejus vino proximum gustu, colore ruffum, nec sine pingui, pejus in grano, quod levius atque viridius. Ramus crassior, quam myrto. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Ferro lædi vitalia odit; emoritur protinus, eadem amputari supervacua patiens. Incidentis manus librantur artificis temperamento, ne quid ultra corticem violet. Sucus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenui gutta ploratu, lanis parva colligitur in cornua; Ex iis novo fictili conditur crassiori similis oleo, & in musto candida: Rubescit deinde, simulque durescit translucido. Alexandro Magno res ibi gerente, toto die æstivo unam concham impleri justum erat. Omni vero fœcunditate majori horto, congios senos, minore singulos, cum duplo rependebatur argento. Nunc etiam singularum arborum largior vena, ter omnibus percutitur æstatibus, postea deputatur. Et sarmenta quoque in merce sunt.* DCCC. *amputatio, surculusque veniit intra quintum demum annum. Xylobalsamum vocatur, & coquitur in ungnentis pro succo ipsum substituere officinæ. Corticis etiam ad medicamenta pretium est. Præcipua autem gratia lachrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Ex hoc buxosum est optimum, quod est odoratissimum, & ponderosissimum, mordens gustu, fervensque in ore.* *Justinus* lib. XXXVI. *Est namque vallis quæ continuis montibus velut muro quodam cincta ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducentum millia jugerum. Nomine Hiericho dicitur. In ea valle sylva est; & ubertate & amœnitate arborum, siquidem palmeto, & opobalsamo distinguitur.*

CAPUT SECUNDUM.

De Re Pecuaria veterum Hebræorum.

I. *Pastores antiquissimi*, & *nobilissimi*. II. *Pastorum variæ species*. III. *Pastorum vasa*. IV. *Pastorum arma*. V. *Pastorum musica*. VI. *Pastorum tabernacula*. VII. *Canes pecoris custodes*. VIII. *Bubile*. IX. *Boum pabulum*. X. *Quomodo domabantur boves*. XI. *Boum usus in aratione*. XII. *In tritura*. XIII. *In trahendis plaustris*. XIV. *In portandis oneribus*. XV. *Caseus bubalus*, & *butyrum*. XVI. *Caro vitulina habita in deliciis*. XVII. *Bos cornupeta*. XVIII. *Vitula decollanda ad cædis expiationem*. XIX. *Vacca rufa*.

I. VArro lib. II. cap. I. rei pecuariæ homines a primis temporibus operam dedisse testatur. *Igitur* (inquam) *homines & pecua cum semper fuisse sit necesse natura (sive enim aliquod fuit principium generandi animalium, ut putavit Thales Milesius, & Zeno Cittieus: sive contra principium horum extitit nullum, ut credidit Pythagoras Samius, & Aristoteles Stagerites) necesse est humanæ vitæ a summa memoria gradatim descendisse ad hanc ætatem, ut scribit Dicæarchus: & summum gradum fuisse naturalem, cum viverent homines ex iis rebus, quæ inviolata ultro ferret terra: Ex hac vita in secundam descendisse pastoriciam, e feris atque agrestibus, vel ex arboribus ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora pomaque colligerent ad usum; sic ex animalibus, cum propter eandem utilitatem quæ possent sylvestria deprehenderent, ac concluderent, & mansuescerent. In queis primum non sine causa putant oves assumtas, & propter utilitatem, & propter placiditatem, maxime enim hæ natura quietæ, & aptissimæ ad vitam hominum; ad cibum enim lacte, & caseum adhibitum, ad corpus vestitum, & pelles attulerunt.* Præterea nobilissimos viros, immo ipsos reges fuisse pastores passim veteres scriptores testantur. Pastor (ut observat sæpe a me citatus *Bochartus*) in duobus scripturæ locis dicitur נוקד. Prior extat 2. *Reg.* III. 4. *Et Mesa rex Moab erat* נוקד *Noked*, ubi Chaldæus מרי גיתא, & Arabs عنحب عاسيه *dominus pecoris*. Græcorum nonnulli ἀρχιποιμένα *pastorum principem*, & *Hieronymus* παραφραστικῶς *nutriebat pecora multa*; quæ versio firmatur ex iis, quæ sequuntur de eodem rege Moab: *Et is solvebat regi Isaelis centum mille agnos, & centum mille arietes cum lana.* Neque id fuit ἀσύστατον ut qui rex erat, esset pastor. In Tanchuma sect. כי חשא legitur. מלך מואב היה נוקד מאי נוקד רועה: *Rex Moab erat noked*. 2. Reg. III. 4. *Quid est* noked? *Pastor*. Pastor etiam potuit existimari, quia inter suos habitabat *tanquam rex in exercitu Job.* XXIX. 25. Pastor quoque fuit Abraham, Isaach, & Jacob, & Mose, quos reges fuisse scribit *Trogus* lib. XXXVII. Et rex Elidis Augias pastor fuit, uti pariter Adonis de quo *Theocritus* Idyll. I.

> Ὡραῖος χὤδωνις καὶ μῆλα νομεύει.

Quem imitatus *Virgilius*

> *Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.*

Cinyræ Cypri regis filius fuit; Ana Sibonis Horræorum ducis filius pascebat asinas patris sui *Genes.* Hinc Odyss. V. Pallas Ulyssi apparet

> Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ ἐπιβώτορι μήλων
> Παναπάλῳ οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.
> *Corpori similis juveni viro pastori ovium*
> *Plane tenero, quales sunt regum filii.*

In quæ verba vetus Scholiastes. Τὸ Παναπαλὸν καὶ οἱ τῶν βασιλέων παῖδες πανάπαλοι ἐκαλοῦντο, καὶ ἐποίμευν. *Filii regum olim* & plane teneri *dicebantur*, & *greges pascebant*. *Varro* loc. cit. *De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Græca & Latina lingua, & veteres poetæ, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atræus, quam sibi Thyestem subduxe queritur: ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem pro-*

profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Lybia ad Hesperidas, unde aurea mala, id est secundum antiquam consuetudinem capras & oves (quas) Hercules ex Africa in Græciam exportavit: ea enim sua voce Græci appellarunt μῆλα. *Nec multo secus nostri ab eadem voce, sed ab alia litera, vox earum non me, sed bee sonare videtur, oves beelare vocem efferentes, a quo belare dicunt; extrita litera, ut in multis. Quod si apud antiquos non magnæ dignitatis pecus esset, in cœlo describendo Astrologi non appellassent eorum vocabulis signa, quæ non modo dubitarunt ponere, sed etiam ab his principibus* XII. *signa multi numerant: ut ab ariete & tauro, cum ea præponerent Apollini, & Herculi, ii enim dii ea sequuntur. Sed appellarunt Gemini. Nec satis puerant de* XII. *signis sextum arietem obtinere pecudum nomine, nisi adjecissent, ut quartum tenerent, capricornum. Præterea a pecuariis addiderunt capram, hædos, canes. An non etiam item in mari terraque ab his regionum notæ? (a pecore) in mari quod nominaverunt a capris Ægeum pelagus: ad Syriam montem Taurum, in Sabinis Canterium montem, Bosphorum unum Thracicum alterum Cimmerium. Nonne in terris multa, ut oppidum in Græcia* Ἵππιον, ἄργος? *Denique Italia a vitulis ut scribit Piso. Romanorum vero populum a pastoribus esse ortum quos non dicit? Quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium, qui Romulum, & Remum educavit?* Et paucis interjectis. *Et quod nomina multa habemus ab utroque pecore, a majore, & a minore? A minore Porcius, Ovinius, Caprilius. Sic a majore Equitius, Taurus cognomina adsignificari, quod dicuntur Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: sic a pecudibus alii multi.*

II. Pastorum variæ erant species: Alter erat gregis dominus, alter uti legitur *Job.* x. 12. μισθωτὸς *mercenarius*. Inter pastores mercenarios varii erant gradus, alii erant primarii, alii secundarii. Pharaoni regi plures fuerunt שרי המקנה *principes gregis Genes.* XLVII. 6. Similiter David plures habebat, quorum alii in campis, aliis in vallibus pascebantur, quorum his Saphatus, illis Sitræus præerat. Item pro varietate pecoris varii erant primarii pastores; Camelis David præerat Obil, Asinis Jechadias, ovibus & capris Jazizus. 1. *Paral.* XXVII. 29. 30. 31. *Solus Doegus præerat tam armentis, quasi gregibus Saulis.* 1. *Sam.* XXI. 7. אביר הרועים אשר לשאול *princeps pastorem Saulis*, ut recte reddunt *Chaldæus*, *Kimchius* & *R. Levi*. Et sic in Syria sub Nino rege Simma erat προεστὼν τῶν βασιλικῶν κτηνῶν *pecoris regii præfectus*, ut ex *Ctesia* refert Diodorus lib. II. & *Plutarchus* in Pyrrho meminit cujusdam Σάμωνος τοῦ τὰ πόιμνια καὶ τὰ βουκόλια τοῦ Νεοπτολέμου διοικοῦντος *Semonis qui Molossorum regis Neoptolemi greges & armenta administrabat*. Latini quoque ἀρχιποίμην erat Tyrrhus, de quo *Virgilius* lib. VII. *Æneid.*

> —— *Tyrrhusque pater, cui regia parent.*
> *Armenta, & late custodia credita campi*

In quem locum *Servius*. *Magistrum hunc pecoris vult fuisse, & saltuarium &c. Magister autem pecoris est, ad quem omnia pertinent animalia. Cicero nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat. Livius* lib. I. de Faustulo, cui *Latii rex Numitor eandem curam demandaverat. Ut lupam lingua lambentem pueros Remum & Romulum magister regii pecoris invenerit.* Quem eundem *Dionysius Halicarnassæus* tanquam ex *Fabio* pictore fuisse dicit συφορβίων βασιλικῶν ἐπιμελούμενον. Et de Phorbante, quem Laius Thebarum rex pastoribus suis præfecerat, ita *Seneca* in Oedipo Act. IV. vers. 815.

> —— *Regios pavit greges*
> *Minor sub illo turba pastorum fuit*

Et rursus Aser 839.

> *Arbitria sub quo regii fuerant greges.*

Proinde ille ipse Phorbas ita loquitur in *Sophoclis* Oedipo Tyranno vers. 1038.

> Ἐνταῦθ' ὀρείοις ποιμνίοις ἐπεστάτουν
> *Montanis ibi gregibus præeram.*

Hactenus *Bochartus*. *Varro* de re rustica lib. II. x. describit, qualis esse debeat magister pecoris: *Esse omnes sub uno magistro pecoris: eum esse majorem natu potius quam alios, & peritiorem quam reliquos, quod iis qui ætate & scientia præstant, animo æquiore reliqui parent. Ita tamen oportet ætate præstare, ut ne propter senectutem minus sustinere possit labores; neque enim senes neque pueri callium difficultatem, ac montium arduitatem, atque aspritatem facile ferunt, quod patiendum illis, qui greges sequuntur, præsertim armenticios, ac caprinos, quibus rupes, ac sylvæ ad pabulandum cordi.*

Ut in pastorum supremo gradu est אביר הרועים seu ἀρχιποίμην (inquit iterum *Bochartus*) ita ברזיל in infimo, quem Talmudici pastoris discipulum esse dicunt.

Proinde *Baal Aruch* כרזלא לרועה כמו כרזיל דיכנא לתלמדי תינוקות: *Quem vocant tantum differre a pastore, quantum a pædagogo differt hypodidascalus*. In *Calpurnio* Eclog. v. pastores duo

> *Forte Mycon senior, Canthusque Myconis alumnus*
> *Torrentem patula vitabant arbore solem,*
> *Cum juneni senior præcepta daturus alumno*
> *Talia verba refert tremulis titubantia labris.*

In l. c. a *Varrone* memorantur alii pastores, qui pecoris magistro parere debent. *Reliquum est enim in hoc actu, quot & quod genus sint habendi pastores. Cossinius ad majores pecudes ætate superiores, ad minores etiam pueros, & utroque horum firmiores, qui in callibus versentur. Itaque in saltibus licet videre juventutem, & eam fere armatam. &c. Qui pascunt, eos cogere oportet, in pastione diem totum esse, pascere communiter; contra pernoctare ad suum quemque gregem.* Et paucis interjectis scribit quales sint deligendi pastores. *Formæ hominum legendæ, ut sint firmæ ac veloces, mobiles, expeditis membris, qui non solum pecus, sequi possint, sed etiam a bestiis ac prædonibus defendere: qui opus extollere in jumenta possint, qui excurrere, qui jaculari.* *Columella* de re rustica lib. VII. cap. 6. *Magister autem pecoris acer, durus, strennus, laboris patientissimus, alacer atque audax esse debet, & qui per rupes, per solitudines, per veprs facile vadat, & non ut alterius generis pastores, sequatur, sed plerumque ut antecedat gregem, quare eum esse maxime strenuum opus est.* Pastores quoque puellas fuisse legitur. De Rachele dictum est *Genes.* XXIX. 9. *Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui. Nam pastor erat illa.* ארי רעיתא היא. Ejusmodi erant septem filiæ Raguel de quibus *Exod.* II. 16. *Varro* loc. cit. *Nam in fundis non modo pueri, sed etiam puellæ pascunt* &c. Et nonnullis interjectis. *Sed eas mulieres oportet esse firmas, non turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus non cedant viris, ut in Illyrico passim videre licet, quod vel pascere pecus, vel ad focum afferre ligna, ac cibum coquere, vel ad casas instrumentum servare possunt.*

Præterea magistri pecoris cura esse debebat de cibo & medicina tam hominum quam pecorum. *Varro* ibid. *Cibus eorum debet esse interdiu separatim uniuscujusque gregis; vespertinus in cœna, qui sunt sub uno magistro, communis. Magistrum providere oportet, ut omnia sequantur instrumenta, quæ pecori, & pastoribus opus sunt, maxime ad victum hominum, & ad medicinam pecudum: ad quam rem habent jumenta dossuaria domini, alii equas, alii pro his quid aliud, quod onus dorso ferre possit. Quod ad fœturam humanam pertinet pastorum, qui in fundo perpetuo manent, facile est quod habeant conservam in villa: nec hac venus pastoralis longius quid quærit. Qui autem sunt in saltibus, & sylvestribus locis pascunt, & non villa, sed casis repentinis imbres vitant, his mulieres adjungere, quæ sequantur greges, ac cibaria pastoribus expediant, eosque assiduiores faciant, utile arbitrati multi* &c. Et mox. *Quæ ad valetudinem pertinent hominum ac pecoris, ut sine medico curari possint, magistrum scripta habere oportet. Is enim sine literis idoneus non est, quod rationes dominicas pecuarias conficere nequidquam recte potest.*

III. Jam superest (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 44. *Hieroz.*) ut nonnihil de pastorum vasis dicamus, quorum scriptura non semel meminit. Sic I. *Sam.* XVII. 40. *& elegit sibi quinque lapides lævigatos de torrente, quos posuit* בכלי הרועים אשר לו *in vasi pastorali quod habebat.* Et vers. 49. *Et posuit manum suam* אל הכלי *ad vas*, i. e. in vasa & *inde sumsit lapidem*. Et *Zachar.* II. 15. *Sume tibi* כלי הרעה אולי *vas pastoris stulti*. Sed Hebræum כלי quod proprie *vas* significat, patere multo latius. Vasorum enim nomine Hebræi præter vasa proprie dicta, vestes & arma intelligunt, & instrumenta omnia, & quicquid est supellectilis. Sic passim כלי מלחמה *vasa belli* sunt arma, כלי שיר *vasa cantici* sunt instrumenta musica. Itaque hic pastoris vasa dicuntur non solum vasa proprie dicta, sed γαυλὸς, σκαφὶς, πέλλη, κυμβίον, καρχήσιον, κυστίβιον; mulctrale, sinus, & si quæ alia sunt hujusmodi, sed & vestis & arma, & instrumenta musica, & tota supellex. Hinc in *Zachariam Hieronymus*. *Vasa autem pastoris insignia illius, & habitum debemus accipere, peram, baculum, fistulam, & sibilum.*

Sed ut singula, quæ de pastorum vestibus, vasis, armis, & tota supellectile habet Scriptura excutiantur accuratius, en de vestibus locum insignem *Hierem.* XLVIII. 12. *Et involvet terram Ægypti* (Nebuchdnesar) *ut pastor involvit vestem suam.* At hypallage omnibus linguis frequens; ita Græce ἐνδύειν τὴν ἐσθῆτα, & Latine *vestem induere* est ἐνδύειν τὸ σῶμα τῇ ἐσθῆτι *corpus veste induere*. In pastoris vestibus primum occurrit ילקוט *jalkut* i. e. man-

mantica ſeu *pera*, quæ diſerte cenſetur inter vaſa paſtorum. 1. *Sam.* XVII. 40. a verbo לקט *lakat* i. e. colligere pera dicitur ילקוט quod in ea viaticum & quicquid neceſſe eſt paſtor colligit: Unde eſt quod Græci interpretes συλλογὴν reddunt. A voce *jalkut* Græca lingua mira literarum trajectione θύλακα fecit, & θύλακον, & θυλάκιον. Pro ילקוט *Arabs* habet مخلا *Michla* & *Syrus* & *Chaldæus* תרמילא. Et illud quidem proprie peram cibariam ſonat; fit enim a خلا *chela* i. e. pabulum cibus, ut Græce χιλός. Idem eſſe Chaldeæum תרמיל *tharmil* patet ex *Ruth* II. 18. ubi Targum: *& protulit* מן תרמילא *ex Tharmila, & dedit ipſi cibum*. Et forte eſt Græcæ originis. Græce enim ἁρμαλιά eſt τροφὴ *cibus, alimentum*. Vox occurrit in *Heſiodo*, in veteri Epigrammate, in *Heſychio*, *Suida*, *Tzetze*, Etymologico &c. Itaque ſervili Thau præfixa Syros & Chaldæos putaverim inde feciſſe תרמילא pro pera cibaria. Ibidem *Bochartus* multis & invictis argumentis evincit עטין non eſſe mulctrale, quamvis id ſequantur lexicographi omnes, & plerique ſcripturæ interpretes. Veteres varie reddiderunt. Vid. ibid.

IV. Paſtorum arma (inquit *Bochartus*) ſunt virga & pedum, ex quibus eminus pugnant, arcus, ſagittæ, fundæ, lapides &c. Virga ſeu pedum, quandoque מקל *Makel* dicitur ut 1. *Sam.* XVII. 40. *Et ſumſit* מקלו *pedum ſuum in manu ſua;* David tum paſtor. Et *Zachar.* II. 7. *Aſſumſi mihi* שני מקלות *duplex pedum, & in genere pavi pecora.* Tamen מקל Makel eſt baculus quivis, quo nitimur, ut *Geneſ.* XXXIV. 10. *Exod.* XII. 11. Aliud eſt virgæ ſeu baculi generale nomen שבט *Scebet*, Græce σκῆπτον ſeu σκῆπτρον, quod pro pedo nonnunquam occurrit; ut *Pſal.* XXIII. 1. 4. *Dominus eſt paſtor meus &c.* שבטך ומשענתך ינחמוני *pedum tuum & baculus tuus me conſolantur.* Et *Mich.* VII. 14. *Paſce populum tuum* בשבטך *pedo tuo oves poſſeſſionis tuæ.* Hinc explicatur locus obſcurus *Levitic.* XXVII. 37. *Et omnis decima bovis vel pecoris, omne quod tranſit* תחת השבט *ſub virga, decimum ejus erit ſanctitas Domino.* In quem R. *Selomo. Cum ad decimationem proceditur, per oſtium educuntur* (pecora decimanda) *unum poſt aliud, & decimum virga percutitur tincta* בסקרא *ſyrico, ſeu minio, ut ſciatur hoc ad decimum pertinere, quomodo quotannis fit tam de agnis, quam de vitulis.* Hic agere non poſſumus de virga decimatoris, ſed de paſtoris pedo, quomodo multi ſumunt, ut Arabs ما يجوز تحت عصا الراعي *quod tranſit ſub virga paſtoris.* Idem *Syrus*, & *Vulgatus*. *Quæ ſub paſtoris virga tranſeunt.* *Aben Ezra* quoque hic habet. שבט הרועה *virgam paſtoris.* Nempe ſub virgam paſtoris tranſibant armenta & greges, quoties illorum numerus ſubducebatur. Unde LXX. hoc ipſo loco. Πᾶν ὃ ἂν διέλθῃ ἐν τῷ ἀριθμῷ ὑπὸ τὴν ῥάβδον. *Quicquid in numero* i. e. inter numerandum *ſub virga tranſit.* Numeratur autem pecus ab iis, qui accurati ſunt, mane & veſpere. *Et dum vadit ad paſcua, & dum revertitur*, ut habet *Servius* in illud *Virgilii* Ecl. 3.

> *Biſque die numerant ambo pecus, alter & hædos*

Sed maxime ſub veſperam, cum e paſtu reducitur. *Theocritus* Idyl. VIII.

> —— Τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι
>
> —— *Oves autem veſpere ſemper omnes numerant*

Virgilius Ecl. VI.

> *Cogere donec oves ſtabulis, numerumque referre*
> *Inſtitit, & invito præceſſit veſper olympo.*

Et Georgic. lib. IV. ubi de Proteo Phocas enumerante.

> *Ipſe (velut ſtabuli caſtos in montibus olim*
> *Veſper ubi e paſtis vitulos ad tecta reducit*
> *Auditiſque lupis accurrunt balatibus agni)*
> *Conſedit ſcopulo medius, numerumque recenſet.*

Calphurnius Ecl. III.

> —— *Quot noſtri numerantur veſpere tauri*

Columella lib. VI. cap. 23. *Cum paſtorali ſigno quaſi receptui canitur. Nam id quoque ſemper crepuſculo fieri debet, ut ad ſonum buccinæ pecus, ſi quod in ſylvis ſubſtiterit, ſepta repetere conſueſcat, numeruſque cenſeri, ſi veluti ex militari diſciplina intra ſtabularii caſtra manſerint.* Quo Hieremias reſpiciens c. XXXIII. 13. *Adbuc ad* (inquit) *tranſibunt oves* על ידי מונה *manum numerantis* i. e. per paſto-

ſtoris manum, qui eas numerabit. Nam verſu proxime præcedenti dixerat. *Tuguria paſtorum erunt oves ſtabulantium*. Porro ſub virga dicuntur tranſire oves quæ numerantur, quia in ovile ingredientes, ſingulos paſtor extrema virga tactas, præſente domino aut villico, recenſebat. Ad eundem ritum palam alluditur his Dei verbis ad Iſraelem ſuum *Ezech.* xx. 27. *Et vos tranſire faciam ſub virga, & inducam vos ad vinculum fœderis*. Quod ita exponit *Kimchius*. *Quomodo legitur* Levit. xxvii. 32. Omne quod tranſit ſub virga; *quaſi dicat; ut qui numerat oves manu ſua, virgam capit, qua ſingulas numerat, & decima in decimationem cedit, ita vos numerabo, & peccator peribit*. Ego vero non puto prophetam eam pecoris enumerationem reſpicere, quæ fit ab exactore decimæ, ſed eam quæ a paſtore fit, ut doceat Deus ſe populi ſui eam curam gerere, quam gregis bonus paſtor, ita ut omnes ſuos ac ſi ſub paſtoris virga tranſeant, accurate recenſeat, & recognoſcat; proinde ſequitur: *Et inducam vos ſub vinculum fœderis;* i. e. novo fœdere me vobis, & vos mihi devinciam.

Præter virgam ſeu pedum (pergit *Bochartus* l. c.) ſunt & alia paſtoribus arma, quibus eminus pugnarent, ſi res poſtulet, tela, & ſagittæ, puta. *Virgilius* lib. iii. Georgic.

> *—— omnia ſecum*
> *Armentarius Afer agit, tectumque laremque*
> *Armaque, Amiclæumque canem, Creſſamque pharetram.*

Et lib. iv. *Æneid.*

> *—— qualis conjecta cerva ſagitta*
> *Quam procul intactam nemora inter Creſſia fixit*
> *Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum*

Ita paſtor David in Goliathum depugnaturus præter pedum, fundam etiam ſumſit, & lævigatos quinque lapides, quos in pera geſtabat. *Varro* de re ruſtica lib. ii. cap. 10. *Itaque in ſaltibus licet videre juventutem, & eam fere armatam*. Et mox. *Formæ hominum legendæ, ut ſint firmæ, ac veloces, mobiles, expeditis membris, qui non ſolum pecus ſequi poſſint, ſed etiam a beſtiis ac prædonibus defendere, qui onera extollere in jumenta poſſint, qui excurrere, qui jaculari.*

V. Jam ad paſtorum muſicam (pergit *Bochartus* l. c.) me vocat Davidis cythara Hebræis כנור *cinnor*, unde Græci *κινύρα*: Narratur David i. *Sam.* xvi. 23. hoc inſtrumentum arte tanta pulſaſſe, ut Saulis furores ac veſaniam compeſcuerit. Quod muſices furores & animi affectus vel excitaret, vel compeſceret, multa apud prophanos ſcriptores extant teſtimonia. Vid. *Ælianus* in variis libr. lib. xiv. cap. 23. *Athenæus* lib. xiv. cap. 5. *Apollonius* Mirab. cap. 48. *Gellius* lib. iv. cap. 3. *Hermogenes* lib. de Ideis, *Quintilianus* lib. i. c. 10. *Martianus Capella* lib. ix. *Philoſtratus* lib. v. c. 7. *Sozomenus* lib. viii. c. 27. *Albertus Krantius* Daniæ ſuæ lib. v. cap. 3. *Scaliger* in *Cardanum* exercit. 183. *Alexander ab Alexandro* Genial. dier. lib. ii. c. 17. *Caſſiodorus* Var. lib. ii. epiſt. 40. Quin ex Scriptura illum diſcimus non ſolum citharam arte mira pulſaſſe, & ſacras illas conciones compoſuiſſe, quas hodieque canit Chriſtianus orbis univerſus, ſed & inſtrumenta muſica primum excogitaſſe, & fabricaſſe. Ita enim *Amos* propheta c. vi. 5. de ſui ævi viris ſuperbis, & delicatis; *Qui nablio numeros modulabantur* כדויד חשבו להם כלי שיר *ut David inſtrumenta muſica ſibi excogitarunt*, aut juxta Chaldæum אתקנו *aptaverunt*, *fabricaverunt &c.* Unde fortaſſe Pſeudo-Pſaltes *Pſ.* cli. in editione Syriaca. *Me paſcente oves patris mei manus meæ fecerunt organum, & digiti mei cytharam compegerunt*. Et *Apollinaris* in Paraphraſi

> Εἰροπόκων οἴων ἀγέλας ἀγροῖσι νομεύων
> Χεῖρες ἐμαὶ φόρμιγγα λιγύθροον ἐντύνατον
> Δάκτυλα δ' ἁρμονίην θεοτέρπεα τεκτήναντο.

Cytharam quidem & alia quædam muſica inſtrumenta non ſolum ante Davidem, ſed ante Diluvium invenerat Caini trinepos Tubal-Chain *Gen.* iv. 21. Sed potuit David inventis addere, & in paſtorali otio multa excogitare, quibus ars dudum inventa magis ac magis excoleretur. Græci quoque ſcriptores Muſicæ inventionem ad paſtores referunt. Apollo enim cytharæ repertor, ut quidem volunt, regis Admeti greges paviſſe fertur; & lyra Mercurii, fiſtula Panis inventum, quorum uterque pro Deo paſtorum cultus eſt. Et de tibia ſic *Lucretius* lib. v.

> *Inde minutatim dulces didicere querelas*
> *Tibia quas fundit digitis pulſata canentum*
> *Avia per nemora ac ſylvas ſaltuſque reperta*

Per

Per loca pastorum deserta, atque otia
dia.

Et *Nicander* lib. I. Ἑτροιυμένων de Terambo Meliensi pastore ad Othyris montis radices. Ἐγένετο δὲ αὐτῷ θρέμματα καὶ αὐτὰ ἐποιμαίνει αὐτος, νύμφαι δὲ συνεχάμβανον αὐτῷ, διὸ τι αὐτὰς ἐν τοῖς ὄρεσιν ἄδων ἔτερπεν. Λέγεται γὰρ μυσικώτατος τῶν τότε γενέσθαι, καὶ ἐπὶ βυκολικοῖς ἄσμασι διαβοηθῆναι, καὶ συρίγγα ποιμενικὴν ἐν τοῖς ὄρεσι συνθεῖναι, καὶ λύρᾳ πρῶτος ἀνθρώπων κέχρησθαι, πλεῖστα τε καὶ κάλλιστα μέλη ποιῆσαι. *Is pecus, quod ei obtigerat, copiosissimum ipse pascebat, adjuvantibus nymphis, eo quod illas ipse canendo oblectabat: Fertur enim suæ ætatis hominibus celeberrimus fuisse, & pastoralem fistulam in montibus composuisse, lyraque primus hominum usus esse, multasque & pulcherrimas cantiones edidisse:* Neque seculis posterioribus Musicam neglexisse pastores Idyllia *Theocriti* docent, *Virgiliique*, *Calphurnii*, & *Menetiani* Eclogæ, in quarum plerisque pastores inter se de peritia cantus magna contentione concertant. Proinde pastores ἀγραυλοῦντες, de quibus *Lucas* II. 8. *Theophylacto* sunt pastores ἀγροτικὸν αὐλοῦντες i. e. rustico more canentes. Nam ut ut fistula maxime, tamen etiam tibia delectabantur pastores illius ævi. Hinc Theocritus Idyll. 6.

> Αὐλεῖ Δαμοίτας, σύριζε δὲ μὲν Δάφνις
> ὁ βώτας
> *Tibia Dametas, & fistula canebat*
> *Daphnis bubulcus.*

Et Idyl. 7.

> Αὐλησῦντι δὲ μοι δύο ποιμένες
> *Tibia vero mihi cantabant pastores duo*

Et in Bucolisco.

> Ἀδὺ δὲ μοι τὸ μέλισμα, καὶ ἣν σύριγ-
> γι μελίσδω
>
> Κἢν αὐλῷ λαλέω, κἢν δώνακι, κἢν
> πλαγιαύλῳ
> *Dulce meum carmen est, & cum fistu-*
> *la modulor,*
> *Et cum tibia cano, & calamo &*
> *obliqua tibia.*

Damon apud *Virgilium* Eclog. 8.

> *Incipe Mænalios mecum mea tibia*
> *versus.*

Et in *Nemesiano* Tityrus Ecl. I.

> *Dicat honoratos prædulcis tibia ma-*
> *nes.*

Hinc *Anthologiæ* lib. VI. cap. 24.

> ——— Αὐλὼς
> Πανὶ Μελισκος
> ——— *Tibias*
> *Pani* (consecrat *Meliscus* pastor

Tibiam denique a pastoribus fuisse repertam nos docuit jam modo *Lucretius*. Tamen ad tibiæ cantum pertinere haudquaquam puto, quod ἀγραυλοῦντες dicantur ii pastores, qui Christum adoraverant; quia hæc non cohærent; Pastores tibiâ canebant, & noctis vigilias servabant in greges suos. Neque ad scriptoris scopum id observasse pertineret. Tum ut ut pastores solent

> ——— *cantando ducere soles*

vix ullum cecinisse legas in noctis conticinio præter Polyphemum

> ——— ἀείδων πολλάκι νυκτὸς ἀωρί
> ——— *sæpe canens nocte intempesta*

Quod ipsum ad mores barbaros, & Cyclopicos pertinet. Præterea quamvis simplex αὐλεῖν sit tibia canere, compositum tamen ἀγραυλεῖν tibia rustice canere nusquam significat; sed quod infra dicetur ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι. Neque ipsum latuit *Theophylactum*, cujus verba sunt. Ἀγραυλοῦντες, τουτέστιν ἀγροτικὸν αὐλοῦντες, ἢ ἐν τῷ ἀγρῷ αὐλιζόμενοι: Ἀγραυλοῦντες i. e. *rustice canentes, aut in agro cubantes.*

VI. Nunc observanda (pergit item *Bochartus*) pastorum tabernacula, quæ quandoque dicuntur משכנות ut *Cantic.* I. 8. *Pasce capellas tuas* על משכנות הרועים *ad tabernacula pastorum*. Quandoque אהלים ut 2. *Chron.* XIV. 15. *Percusserunt etiam* אהלי מקנה *tentoria pecorum*. Et *Esai* XXXVIII. 12. *Mea duratio effluxit, & a me translata est* כאהלי רעים *ut tabernaculum pastorum*. Et *Jerem.* VI. 3. *Ad eam venient pastores cum gregibus sus, & in illa circumquaque figent* אהלים *tentoria*. Prius ut a radice שכן *sacan habitare*, unde Græce σκηνὴ & σκηνόω. Posterius ab אהל *Ahal tentorium figere vel movere*, unde nomen אהל *ohel* & plur. אהלים *ohelim* Græce αὐλαῖα *aulæa tentoria*. Sub hujusmodi tentoriis semper degisse Patriarchas observat *Apostolus Hebr.* II. 9. Si pluviæ repente ingruerent, casas repentinas sibi pastores in agris aut montibus greges pascentes construebant. *Varro* lib. II. cap. 10. *Qui autem sunt in saltibus, & silvestribus locis pascunt, & non villa, sed casis repentinis imbres vitant.*

Quot sint gregibus constituendi pasto-
res

res docet *Varro* l. c. *De numero pastorum alii angustius, alii laxius constituere solent. Ego in octogenas hirtas oves singulos pastores constitui, Atticus in centenas. In gregibus ovium sed magnis, quos milliarios faciunt quidam, facilius de summa hominum detrahere possunt, quam de minoribus, ut sunt & Attici & mei. Septingenarii enim mei: tu opinor, octingenarios habuisti; nec tamen non ut nos arietum decimam partem. Ad equarum gregem quinquagenarium bini homines; utique uterque horum ut secum habeat equas domitas singulas in iis regionibus, in quibus stabulari solent, equos abigere ut in Appulia & in Lucania accidit sæpe.*

VII. De Canibus pastoritiis, quibus pecoris custodia committebatur, legitur *Job* xxx. 1. *Quorum patres non dignabar ponere cum canibus ovium mearum.* Unde constat jam olim id in usu fuisse, ut canes feris a grege arcendis adhiberentur. Itaque hujusmodi canum frequens est mentio apud poetas vetustissimos. *Homerus* Iliad. κ' vers. 183.

Ὡς κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσωνται ἐν αὐλῇ
Θηρὸς ἀκέσαντες κρατερόφρονος ——
Ut autem canes circum oves molestam custodiam agunt in caula
Feræ audita feroci voce

Ex Iliad. μ' vers. 302.

—— βώτορας ἄνδρας
Σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα
—— *pastores viros*
Cum canibus & hastis custodiam agentes circa oves.

Et Iliad. ρ' vers. 109.

—— ὥστε λῖς ἠϋγένειος
Ὃν ῥα κύνες καὶ ἄνδρες ἀπὸ σταθμοῖο δίωνται.
—— *ut bene jubatus leo*
Quem canes & viri a stabalo abigunt

Quin ipse *Homerus* circa Bolissum cum ad Glauci greges accessisset ὑλάκτεον αὐτὸν οἱ κύνες cum pecoris custodibus allatrabant, quos Glaucus commodum superveniens ἀνακαλεῖτο καὶ ἀπεσόβησεν ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου *revocavit, & ab Homero excussit.* Ita *Herodotus* in ejus vita. *Hesiodus* quoque poeta, qui prope Heliconam pastor fuit canes habuit, qui παραμένοντες αὐτῷ ἀναιρεθέντι κατήλεγξαν ὑλακῇ τοὺς φονεύσαντας *juxta eum occisum manentes occisores latratu prodidere*; ita refert *Pollux* lib. v. cap. 5.

Sed *Plutarchus* canem unum memorat τοὺς Γανύκτορος τοῦ Ναυκλητίου ἐξελέγξαντα, ὑφ' ὧν ὁ Ἡσίοδος ἀπέθανεν. *Qui Ganictoris Naucletii filios prodiderit, a quibus Hesiodus interemtus est.* Et in fabulis apud *Pollucem* ubi supra, ὁ Γηρυόνου κύων ὁ τὰς βοῦς φυλάττων. *Geryonis canis illius boves custodiens*, Cerberi frater, Gargitius nomine ab Hercule cæsus est. Sed & Mercurius ut Apollinis boves surriperet πρῶτα μὲν ἐμβάλλει ταῖς κυσὶν αἳ ἐφύλαττον αὐτὰς, λήθαργον καὶ κυνάγχην. *Primum canibus, qui eos custodiebant, veternum anginamque immisit*; ut post *Hesiodum* & alios scribit *Anatolius Liberalis*. *Varro* de re rustica lib. II. cap. 9. *Canis enim ita custos pecoris, ut ejus, quod eo comite indiget ad se defendendum; in quo genere sunt maxime oves, deinde capræ; has enim lupus captare solet, cui opponimus canes defensores.* Et mox. *Item videndum ut boni seminii sint. Itaque a regionibus appellantur Lacones, Epirotici, Sallentini. Videndum ne a venatoribus aut laniis canes emas; alteri quod ad pecus sequendum inertes, alteri si viderint leporem, aut cervum quod eum potius, quam oves sequantur. Quare aut a pastoribus emta melior, quæ oves sequi consuevit, aut sine ulla consuetudine quæ fuerit; canis enim facilius quid assuescit, eaque consuetudo firmior, quæ sit ad pastores, quam quæ ad pecudes. P. Aufidius Pontianus Amiterninus, cum greges ovium emisset in Umbria ultima, quibus gregibus sine pastoribus canes accessissent, pastores ut deducerent in Metapotinos saltus & Heracleæ emporium: inde eum domum redissent qui ad locum deduxerunt, e desiderio hominum diebus paucis postea canes sua sponte, cum dierum multorum via interesset, sibi ex agris cibaria præbuerunt, atque in Umbriam ad pastores redierunt.* *Columella* lib. VII. cap. 12. *Nunc ut exordio priore sum pollicitus, de mutis custodibus loquar, quamquam canis falso dicitur mutus custos, nam quis hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam vel furem prædicat, quam iste latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor, aut vindex constantior. Quare vel inprimis hoc animal mercari tuerique debet agricola, quod & villam, & fructus, familiamque, & pecora custodit. Ejus autem parandi tuendique triplex ratio est; namque unum genus adversus hominum insidias eligitur, & id villam, quæquæ juncta sunt villæ, custodit; at alterum propellendis injuriis hominum, & ferarum, & id observat domi stabulum, foris pecora pascentia; tertium venandi gratia compara-*

ratur, idque non ſolum agricolam juvat, ſed & avocat deſidemque ab opere ſuo reddit. De villatico igitur, & paſtorali dicendum eſt; nam venaticus nihil pertinet ad noſtram profeſſionem. Nonnullis interjectis. *Pecuarius canis neque tam ſtrigoſus aut pernix debet eſſe, quam qui damas cervoſque, & velociſſima ſectatur animalia, nec tam obeſus aut gravis, quam villæ horreique cuſtos, ſed & robuſtus nihilominus, & aliquatenus promtus, ac ſtrenuus, quoniam & ad rixam & ad pugnam, nec minus ad curſum comparatur, cum & lupi repellere inſidias, & raptorem ferum conſequi fugientem, prædam excutere, atque auferre debeat; quare ſtatus ejus longior productiorque ad hos caſus magis habilis eſt quam brevis, aut etiam quadratus: quoniam (ut dixi) nonnunquam neceſſitas exigit celeritate beſtiam conſectandam.*

Collaria canibus imponebantur, ne a beſtiis vulnerarentur. *Varro* l. c. *Ne vulnerentur a beſtiis imponuntur his collaria, quæ vocantur Mælium*, i. e. *cingulum circa collum, ex corio firmo cum clavulis capitatis, quæ intra capita inſeriter pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri. Quod ſi lupus aliuſve quis his vulneratus eſt, reliquas quoque canes facit, quæ id non habent, ut ſint in tuto.* Apud *Feſtum* legitur. *Millus* non *Mælium* ex oratione Scipionis Æmiliani ad populum. *Vobis reique publicæ præſidio erit is, tanquam* Millus *cani*. Sed rectius *Melium* nam μηλώτη pellis ovilla, ab illo omne ſcorteum vocabatur *Melinum*. Unde apud *Plautum melina* eſt *ſcortea mantica*.

Cibatus canum a *Varrone* l. c. deſcribitur. *Cibatus canis propior hominis, quam ovis; paſcitur enim e culina & oſſibus, non herbis aut fructibus. Diligenter ut habeant cibaria providendum; fames enim hos ad quærendum cibum ducet, ſi non præbebitur, & a pecore abducet. Niſi ſi (ut quidam putant) etiam illuc pervenerint, proverbium ut tollant antiquum, vel etiam uti μῦθον aperiant de Acteone, atque in dominum afferant dentes. Nec non ita panem hordeaceum dandum, ut non potius eum in lacte des intritum, quod eo conſueto cibo uti, a pecore non cito deſciſcunt. Morticinæ ovis non patiuntur veſci carne, ne ducti ſapore minus ſe abſtineant. Dant etiam jus ex oſſibus, & ea ipſa oſſa contuſa; dentes enim facit firmiores, & os magis patulum; propterea quod vehementius diducuntur malæ, acrioreſque fiunt propter medullarum ſaporem.* *Columella* ibid. *Cibaria fere eadem ſunt utrique generi* (ſc. villico & pecuario) *præbenda; nam ſi tam laxa rura ſunt, ut ſuſtineant pecorum greges, omnes ſine diſcrimine canes hordeacea farina cum ſero commode paſcit; ſin autem ſurculo conſitus ager ſive paſcuo eſt, farreo, vel triticeo pane ſatiandi ſunt admiſto tamen liquore coctæ fabæ, ſed tepido; nam fervens rabiem creat.*

Quæ nomina ſint imponenda canibus *Columella* loc. cit. recenſet: *Nominibus autem non longiſſimis appellandi ſunt, quo celerius quiſque vocatus exaudiat nec tamen brevioribus, quam quæ duabus ſyllabis enuntientur, ſicut Græcum eſt* σκύλαξ, *Latinum* ferox, *Græcum* λάκων, *Latinum* celer, *vel* fœmina *ut ſunt Græca* σπυδὴ, ἀλκὴ, ῥώμη: *Latina* lupa cerva tigris.

Numerum canum pro pecoris multitudine parari ſcribit *Varro* l. c. *Numerum canum pro pecoris multitudine ſolet parari; fere modicum eſſe putant, ut ſinguli ſequantur ſingulos opiliones; de quo numero alius olim modum conſtituit. Quod ſi ſunt regiones, ubi beſtiæ ſint multæ, debent eſſe plures; quod accidit iis, qui per calles ſylveſtres longinquos ſolent comitari in æſtiva & hyberna. Villatico uno gregi in fundum ſatis eſſe duo & id marem &* fœmina. *Ita enim ſunt aſſiduiores, quod cum altero idem fit alacrior, & ſi alter indeſidenter æger eſt, ne ſine cane grex ſit.*

VIII. Bubile memoratur *Geneſ.* XVIII. 7. ואל הבקר רץ אברהם, *& ad bubile cucurrit Abraham.* Chaldæus ולקרותא רהט *& ad bubile cucurrit.* Habac. III. 18. vocatur רפת. *Et non erit bos in bovilibus.* Qualia ſint facienda bovilia, nos docet *Columella* lib. I. cap. 6. *Pecudibus fient ſtabula, quæ neque frigore, neque calore infeſtentur. Domitis armentis duplicia bubilia ſint, hyberna atque æſtiva; ceteris autem pecoribus, quæ intra villam eſſe convenit, ex parte tecta loca, ex parte ſub dio parietibus altis, circumſepta, ut illic per hyemem, hic per æſtatem ſine violentia ferarum, conquieſcant. Sed omnia ſtabula ſic ordinentur, ne quis humor influere poſſit & ut quiſque qui ibi conceptus fuerit, quam celerrime delabatur, ut nec fundamenta parietum corrumpantur, nec ungulæ pecudum. Lata bubilia eſſe oportebit pedes decem vel minime novem; quæ menſura & ad procumbendum pecori, & jugario ad circumeundum laxa miniſteria præbeat. Non altius edita eſſe præſepia convenit, quam ut bos aut jumentum ſine incommodo ſtans veſci poſſit.* Idem lib. VI. cap. 23. *Sed laxo ſpatio conſepta facienda ſunt, ne in anguſtiis conceptum altera alterius elidat, & ut invalida fortioris ictus effugiat. Stabula ſunt optima ſaxo aut glarea ſtrata, non incommode etiam ſabuloſa; illa quod imbres reſpuant, hæc quod celeri-*

riter sorbeant, transmittantque, sed utraque devexa sint, ut humorem effundant, spectentque ad meridiem, ut facile siccentur, & frigidis ventis non sint obnoxia. *Vegetius* lib. III. cap I. *Ut longævi, & sani sint boves, bubulum convenit providere, vel dominum, quatenus frigoribus, calidissimo cubili muniantur, & si fieri potest, semper foco vicini sint boves.* *Palladius* lib. I. 21. *Stabula equorum vel bovum meridianas quidam plagas respiciant, non tamen egeant septentrionis luminibus, quæ per hyemem clausa nihil noceant, per æstatem patefacta refrigerent. Ipsa stabula propter ungulas animalium ab omni humore suspensa sint. Boves nitidiores fient, si focum proxime habeant, & (ignis) lumen intendant. Octo pedes ad spatium standi singulis boum paribus abundant, & in porrectione XV. Plancæ roboreæ supponantur stationibus equorum cum stramine, ut jacentibus, molle sit, stantibus durum.*

Boves, quanti fecerint prisci mortales, cum alii scriptores docent, tam maxime *Pausanias* in Messeniacis, cujus unus hic locus erit instar omnium. *Præterquamquod Iphich boves Neleus exportavit, Herculi etiam imperavit, Euristhenis ut cum in Hispania præclaras specie boves esse conspexisset, Girionis inde armentum abigeret. Sed & ejusdem pecoris ex Erythea abacti mira fuisse cupiditate incensum Erycea ex Sicilia; ex eo constat, quod cum in luctæ certamen cum Hercule descendisset, hinc Herculis boves, illinc Erycis regnum, præmia victoriæ præposita fuerunt. Testatum etiam in Iliade reliquit Homerus, Iphidamantem Antenoris filium inter sponsalia dona primo centum boves socero suo dedisse.* Quæ omnia satis perspicuo argumento sunt, bobus imprimis priscos illos homines delectatos: inde est, quod Scriptura inter opes veterum, Abrahami puta Isaaci, Jacobi, Jobi &c. semper memorat boves. Et bovum fœcunditas est in censu benedictionum *Deut.* VII. 13. & XXVIII. 4. *Psal.* CXLIV. 14. Ut eorumdem sterilitas vel abactio in præcipuis maledictionibus *Deut.* XXVIII. 18. 51. *Jerem.* LI. 23. *Habac.* III. 17.

IX. Bovis in scriptura pabulum (inquit sæpe laudatus *Bochartus* lib. II. cap. 31. Hieroz.) primo est עשב *βοτάνη herba*. Sic *Daniel.* IV. 29. עשבא *herba ut boves te cibabunt*. Et vers. 30. *Herbam boum instar comedebat*, & *Psal.* CVI. 20. *Mutarunt gloriam suam* (i. e. Deum suum ut *Jerem.* II. 2. ad qua loca *Paulus* alludit *Rom.* I. 23.) *in similitudinem bovis comedentis* עשב *herbam*. *Caldæus* addit πρὸς ἐξουθενισμὸν ומולחם & *inquinantes se stercore suo* sc. post esum herbæ. Quia Hebraice עשב & דשא fere idem sunt, aut vix aliter differant, quod Græce *βοτάνη* & *πόα*. Eodem plerique referunt, quod *Jerem.* I. 2. Caldæi crevisse dicuntur כעגלת דשא i. e. ut quidam volunt, *ut vitula herbilis*, vel *ποηφάγος*. Quasi דשא *dasa* sit pro דשאה *desaab* litera ה ex fine excisa. Ita fere recentiores *Kimchium* sequuti, qui hæc verba sic *παραφράζει* כעגלה שהיא תמיד רועה בדשא שהיא שמנה ובריאה בשר: *sicut vitula quæ in gramineto jugiter pascitur. Et proinde pinguis est atque obesa carne*. Et veteres quoque præjerant. Sic enim habent seniores. *Ὡς βοΐδια ἐν βοτάνῃ*. Ut Arabs eodem sensu, & *Hieronymus*. *Sicut vituli super herbam*. Tamen infra docebimus hęc verba aliud sonare. Bovum quoque pabulum est viride agri. Unde Balak de Israelitis *Num.* XXII. 4. *Linget coetus iste, quicquid est circa nos*, כלחוך השור את ירק השדה: *sicut lingit bos viride agri*, quod non solum herbam significat, ut volunt recentiores, sed & frondes arborum. Patet id ex *Exod.* X. 15. ubi locustæ in Ægypto omne depascuntur ולא נותר כל ירק בעץ ובעשב השדה: *nec remansit ullum viride in arboribus & in herba agri*. Et vero boves tam arborum ramusculos & folia, quam herbas agri consumunt. Ut *Esai.* XXVII. 20. *Ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit*, וכלה סעפיה *& consumet ramos ejus*. *Hesiodus* in operibus.

> Καὶ βόος ὑλοφάγοιο κρέας μήπω τετοκυίας.
>
> *Et bovis arborivoræ caro nondum enixæ.*

Varro de re rustica lib. II. cap. 5. ubi de bobus. *Pascuntur armenta commodissime in nemoribus, ubi virgulta, & frons multa.* Iterum lib. I. cap. 15. *Et frondem jucundissimam ministrat ovibus, ac bubus.* *Columella* lib. VI. cap. 7. *Tota æstate & deinde* (boves) *satientur fronde, quæ tamen non ante est utilis, quam maturuerit vel imbribus vel assiduis roribus. Probatur maxime ulmea, vel fraxinea, & ab hac populnea. Ultima sunt iliginea, & quernea, & laurea. Sed post æstatem necessario deficientibus ceteris possunt etiam folia ficulnea probe dari.* *Palladius* lib. VI. cap. 7. ubi de bove nuper castrato. *Sequenti die præbeantur ei teneræ arborum summitates & fruteta mollia.* *Cato* de re rustica cap. 30. *Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam ficulneam usquedum habebis dato.* Notanda prorsus hæc phrasis. *Linget coetus iste, quicquid est circa nos, ut lingit bos viride agri.* In qua lingere vel lambe-

bere non eſt leviter attingere, ſed edere & abſumere. *Hieronymus delere* reddit, *& uſque ad radices carpere*. Græci non male ἐκλέγχειν *elingere*, quod non eſt lingere ſimpliciter, ſed lingendo abſumere, ut Medicorum ἐκλέγματα.

Fœnum etiam eſt ex boum cibariis. *Job* XL. 10. ubi dicitur de Bohemoth, ſeu de hippopotamo. חציר כבקר יאכל. Et ibi ſeniores. χόρτον ἴσα βοσὶν ἐσθίει. Et *Hieronymus*. *Fœnum quaſi bos comedet*. Unde eſt quod *Eccleſiaſt.* XXXVIII. 28. arator invigilat εἰς χορτάσματα δαμαλέων. Et *Heſiodus* in operibus ubi de hyeme appetente

> Δὴ τότε χορτάζειν ἕλικας βόας ἔνδον ἐόντας
> *Flexipedem in ſtabulis fœno tum paſcito vaccam.*

Et lib. I. verſ. 604.

> χόρτον δ' ἐσκομίσαι, καὶ συρφετὸν, ὄφρα τοι εἴη
> Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανὸν ——
> *Fœnum autem importato, & paleas ut tibi ſit*
> *Bobus ac mulis annuum pabulum.*

Recte *fœnum & paleas*; nam & hic paleæ locus ſuus: *Eſai.* II. 7. & 67. *Leo ut bos comedet paleas*. *Plinius* lib. XVIII. cap. 30. *Hordei ſtipulam bubus gratiſſimam ſervant*. Item. *Palea plures gentium pro fœno utuntur*. *Melior ea quæ tenuior, minutiorque, & pulveri propior, ideo optima e milio, proxima ex hordeo, peſſima ex tritico* &c.

Farrago denique Hebraice בליל eſt in, hoc cenſu *Job* VI. 5. *An mugit bos* על בלילו *ad farraginem ſuam*: Et *Eſai.* X. 24. *Et boves & aſelli colent terram* בליל חמיץ יאכלו אשר זרה ברחת ובטורה: *Farraginem ſubacidam comedent, quæ ventilata fuerit vanno, & ventilabro*. בליל *farraginem* reddimus quia בָּלל in genere miſcere eſt, & in ſpecie miſcere diverſas fruges, aut fœnum & paleam cum frugibus in pecorum vel jumentorum pabulum. Ad quæ verba dicit *Kimchius* שבוללין למאכל הבהמה השעורים והשבולת שועל או אחר מהם עם התבן: *Quia miſcent ad bruti pabulum hordeum cum ſpica vulpis* (i. e. avena) *aut unum eorum cum palea*. Sed & Græci habent in *Eſaia*, φάγονται ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελικμημένα: *Comedent paleas commixtas hordeo ventilato*. Hanc vero farraginem cur חמיץ *ſubacidam* appellat *Eſaias* abunde explicavimus de equorum coloribus. Addit fore at excutiantur, & ventilabro ventilentur. Qua hyperbole ſignificatur tantum fore frugum ubertatem, ut etiam expurgatiſſimæ in pabulum jumentorum cedant. Pro בליל חמיץ *Chaldæus* habet בליל מפטם *farraginem quæ impinguat*. Varro inter pabula farraginem commemorat lib. I. cap. 31. *Omne pabulum, primum ocimum, farraginem, viciam, noviſſime fœnum ſecari*. *Columella* lib. II. cap. 7. *Proxime deinde cicera, & eruum, & farrago, quæ eſt ex hordeo*. Iterum cap. II. *Farraginem in reſtibili ſtercoratiſſimo loco, & altero ſulco ſerere convenit. Ea fit optima cum cantherini hordei decem modiis jugerum, obſeritur circa æquinoctium autumnale, ſed impendentibus pluviis, ut conſita rigataque imbribus, celeriter prodeat, & confirmetur ante hyemis violentiam. Nam frigoribus cum alia pabula defecerunt, ea bubus ceteriſque pecudibus optime deſecta præbetur, & ſi depaſcere ſæpius voles, uſque in menſem Majum ſufficit. Quod ſi etiam ſemen voles ex ea percipere, a Calend. Martiis pecora depellenda, ab omni noxa defendenda eſt, ut ſit idonea frugibus*. *Vegetius* l. I. c. 56. *Æſtate uno excepto eruo, ſpecies illæ, quas diximus pro æſtimatione menſuræ farragines ad invicem præbeantur, hoc eſt hordei viridis plures majoreſque faſciculos, tritici vel ciceris vel fœnigræci minores & pauci*. Boum pabula pro temporibus anni complecitur *Columella* lib. VI. cap. 3. *Boves autem recte paſcendi non una ratio eſt; nam ſi ubertas regionis viride pabulum ſubminiſtrat, nemo dubitat, quin id genus cibi ceteris præponendum ſit, quod tamen niſi riguis aut roſcidis locis non contingit. Itaque in iis ipſis vel maxime commodum eſt, quod ſufficit una opera duobus jugis, quæ eodem die alterna temporum vice vel arant vel paſcuntur. Siccioribus agris ad præſepia boves alendi ſunt, quibus pro conditione regionum cibi præferuntur, eoſque nemo dubitat, quin optimi ſint vicia in faſcem ligata & cicercula, itemque pratenſe fœnum; minus commode tuemur armentum paleis, quæ ubique & quibuſdam regionibus ſolæ præſidio ſunt; eæ probentur maxime ex milio, tum ex hordeo, mox etiam ex tritico. Sed jumentis juſtam operam reddentibus hordeum præter has præbetur. Bobus autem pro temporibus anni pabula diſpenſantur. Januario menſe ſingulis freſi, & aqua macerati erui quaternos ſeſtarios miſtos paleis dare convenit, vel lupini macerati modios, vel cicerculæ maceratæ ſemodios, & ſuper hæc affatim paleas. Licet etiam ſi ſit leguminum inopia, & eluta & ſiccata vinacia, quæ de lora eximuntur, cum paleis miſcere, vel dubium eſt, quin ea longe melius cum ſuis folliculis antequam eluantur, præbe-*

beri poſſint: nam & cibi & vini vires habent, nitidumque & hilare & corpulentum pecus faciunt. Si grano abſtinemus, frondis aridæ corbis pabulatoria modiorum viginti ſufficit, vel fœni pondo triginta, vel ſi non, modius viridis laureæ, & iligneæ frondis; ſed his ſi regionis copia permittat, glans adjicitur, quæ niſi ad ſotietatem detur, ſcabiem parit; poteſt etiam ſi proventus vilitatem facit, ſemodius fabæ freſæ præberi. Menſe Februario plerumque eadem cibaria ſufficiunt. Martio & Aprili debet ad fœni pandas adjici, quia terra proſcinditur; ſat enim erit pondo quadragena ſingulis dari: ab Idibus tamen Menſis Aprilis uſque in idus Junias viride pabulum recte ſecatur: Poteſt etiam in Calend. Julias frigidioribus locis idem præſtari: a quo tempore in Calend. Novemb. tota æſtate & deinde autumno ſatientur fronde, quæ tamen non ante eſt utilis, quam cum maturuerit vel imbribus, vel aſſiduis roribus, probaturque maxime ulmea, poſt fraxinea, & ab hac populnea, ultimæ ſunt iligna, & laurea; ſed poſt æſtatem neceſſariæ deficientibus ceteris. Poſſunt etiam & folia ficulnea probe dari, ſi ſit eorum copia, aut ſtringere arbores expediat. Iligna tamen vel melior eſt quernea, ſed ejus generis quod ſpinas non habet; nam id quoque uti juniperus reſpuitur a pecore propter aculeos. Novembri menſe ac Decembri, per ſementem quantum appetit bos, tantum præbendum eſt: plerumque tamen ſufficiant ſingulis modii glandis & paleæ ad ſatietatem datæ, vel lupini macerati modii, vel ervi aqua conſperſi ſextarii VII. *permiſti paleis, vel cicerculæ ſimiliter conſperſæ ſextarii* XII. *miſti paleis, vel ſinguli modii vinaceorum, ſi iis, ut ſupra dixi, large paleæ adjiciantur: vel ſi nihil horum erit, per ſe fœni pondo quadraginta.* Cato de re ruſtica c. 54. *Bubus pabulum hoc modo parari darique oportet. Ubi ſementim paraveris, glandem parari legique oportet, & in aquam conjici. Inde ſemodios ſingulis bubus in dies dari oportet, & ſi non laborabunt, paſcantur, ſatius erit, aut modium vinaciorum, quos in dolium condideris. Interdiu paſcito, noctu fœni pondo* XXII. *uni bovi dato. Si fœnum non erit, frondem iligneum, & hederaceam dato. Paleas triticeas & hordeaceas, viciam vel de lupino: item de ceteris frugibus omnia condito. Cum ſtramenta condes, quæ herboſſima erunt, in tecto condito, & ſale ſpargito, deinde ea pro fœno dato. Ubi verno dare cœperis, modium glandis aut vinaciorum dato, aut modium lupini macerati, & fœni pondo* XV. *Ubi ocinum tempeſtivum erit, dato primum. Manibus carpito, id renaſcetur: quod falcula ſecueris, non renaſcetur. Uſque ocinum dato donec areſcat, ita temperato, poſtea viciam dato, poſtea panicum dato, ſecundum panicum frondem ulmeam dato. Si populneam habebis, admiſceto, ut ulmea ſatisfiet. Ubi ulmeam non habebis, querneam & ficulneam dato. Nihil eſt quod magis expediat, quam boves bene curare. Boves niſi per hyemem, cum non arabunt, paſci non oportet. Nam viride cum edunt, ſemper id expectant, & fiſcellas habere oportet, ne herbam ſectentur, cum arabunt.*

X. Boves ante tres annos non domabantur. Hinc dicitur Eſai. xv. 3. *Cor meum propter Moab clamat propter fugitivos ejus uſque ad* Tſoar *ſicut vitula triennis. Jerem.* XLVIII. 34. *Edent vocem ſuam a Tſoare uſque ad Hornajim ſicut vitula triennis. Plinius* lib. VIII. cap. 45. *Domitura boum in trimatu, poſtea ſera, ante præmatura.* Et ante *Plinium Columella* lib. VII. cap. 2. ubi de bobus domandis. *Neque ante tertium neque poſt quintum annum juvencus domari placet, cum illa ætas adhuc tenera ſit, hæc jam prædura. Jerem.* XXXI. 18. Ephraimitarum ad Deum hæc querela eſt. *Me caſtigaſti, & caſtigatus ſum* כעגל לא למד *ut vitulus non edoctus*; i. e. jugo nondum aſſuetus, quique pluribus plagis ad id ferendum inſtituitur (inquit *Bochartus* part. 1. lib. 2. cap. 41.) *Columella* lib. VII. cap. 2. *Retinaculis eos contineant, & unus cum clava lignea procedens, modicis ictibus ſubinde impetus eorum coerceat.* Sed ævo *Jeremiæ* Judæi has artes ignorabant, nec aliter quam ſtimulis ac vulneribus juvencorum vel ignaviam, vel contumaciam corrigebant, ac proinde ſtimulum eorum vocabant מלמד, quaſi διδακτικῶς dixeris. Merito igitur Ephraimitæ qui in Medica captivitate dira patiebantur, queruntur ſecum agi ut cum juvenco nondum domito. Ita tamen ut Deum agnoſcant merito illos ſic affligere, ut his plagis edomiti paulatim aſſuefiant ad jugum legis ferendum, quod rebellione ſua jam pridem excuſſerunt.

De ratione boum domandorum hæc tradit *Varro* lib. 1. cap. 20. *Novellos cum quis emerit juvencos, ſi eorum colla in furcas deſtitutas incluſerit, ac dederit cibum, diebus paucis erunt manſueti, & ad domandam proni. Tum ita ſubigendum, ut minutatim aſſuefaciant, & ut tironem cum veterano adjungant; imitando enim facilius domatur; & primum in æquo loco, & ſine aratro, tum eo levi, & principio per arenam, aut molliorem terram: Quos ad vecturas item inſtituendum, ut inania primum ducant plauſtra, & ſi poſſis, per vi-*

cum aut oppidum. Creber crepitus ac varietas rerum consuetudine celerrima ad utilitatem adducit. Neque pertinaciter, quem feceris dexterum, in eo manendum. Quod si alternis sit sinister, fit laboranti in alterutra parte requies. *Columella* lib. VI. cap. 2. *Talis notæ vitulos oportet, cum adhuc teneri sunt, consuescere manu tractari, ad præsepia religari, ut exiguus in domitura labor eorum, & minus sit periculi. Verum neque ante tertium neque post quintum annum juvencos domari placet, quoniam illa ætas adhuc tenera est, hæc jam prædura: eos autem qui de grege feri comprehenduntur, sic subigi convenit. Primum omnium spatiosum stabulum præparetur, ubi domitor facile versari, & unde digredi sine periculo possit. Ante stabulum nullæ angustiæ sint, sed aut campus aut via late patens: ut cum producentur juvenci, liberum habeant excursum, ne pavidi aut arboribus, aut objacenti cuilibet rei se implicent, noxamque capiant. In stabulo sint ampla præsepia, supraque transversi asseres in modum jugorum a terra septem pedibus elati configantur, ad quos religari possint juvenci. Diem deinde, quo domituram auspiceris, liberum a tempestatibus & a religionibus matutinum eligito; cannabinisque funibus cornua juvencorum ligato. Sed jaculi quibus copulantur, lanatis pellibus involuti sint, ne tenera fronte sub cornua lædantur. Cum deinde buculos comprehenderis, perducito ad stabulum, & ad stipites religato, ita ut exiguum laxamenti habeant, distentque inter se aliquanto spatio, ne in colluctatione alter alteri noceat. Si nimis asperi erunt, patere unum diem noctemque desæviant; simulatque iras contuderint, retinaculis eos contineant, & unus cum clava salignea procedens modicis ictibus subinde impetus eorum coerceat. Sin autem placidi & quieti boves erunt, vel eodem die quo alligaveris, ante vesperum licebit producere, & docere per mille passus composite ac sine pavore ambulare: cum domum perduxeris, arcte ad stipites religato, ita ne capite moveri possint: tum demum ad alligatos boves, neque a posteriore parte, neque a latere, sed adversus, placide & cum quadam vocis adulatione venito, ut accedentem assuescat aspicere: deinde nares perfricato, ut hominem discant odorari. Mox etiam convenit tota tergora & tractare, & respergere mero, quo familiariores bubulco fiant; ventri quoque & sub fœmina manum subjicere, ne ad ejusmodi tactum postmodum pavescant, & ut ricini, qui plerunque fœminibus inhærent, eximantur; itaque cum fit, a latere domitor stare debet, ne calce contingi possit. Post hæc diductis malis educito linguam totumque eorum palatum sale defricato libralesque effas in præsulsi adipis liquamine tinctas lingula demittito, ac vini singulos sextarios per cornu faucibus infundito; nam per hæc blandimenta triduo fere mansuescunt, jugumque quarto die accipiunt, cui ramus illigatur, & temonis vice trahitur: Interdum & pondus aliquod injungitur, ut majori nisu laboris exploretur patientia. Post ejusmodi experimenta vacuo plostro subjungendi, & paulatim longius cum oneribus producendi sunt. Sic perdomiti mox ad aratrum instituantur, sed in subacto agro, ne statim difficultatem operis reformident, neve adhuc tenera colla, dura proscissione terræ contundant. Quemadmodum autem bubulcus in arando bovem instituat, primo præceti volumine. Curandum ne in domitura bos calce aut cornu quemquam contingat; nam nisi hæc caveantur, nunquam ejusmodi vitia, quamvis subacto, eximi poterunt. Verum ista sic agenda præcipimus, si veteranum pecus non aderit; nam si aderit, expeditior tutiorque ratio domandi est, quam nos in nostris agris sequimur. Nam ubi plostro, aut aratro juvencum consuescimus, ex domitis bubus volentissimum, eumque placidissimum cum indomito jungimus, qui & procurrentem retrabat & cunctantem producat. Si vero non pigeat jugum fabricare, quo tres jungantur, hac machinatione consequemur, ut etiam contumaces boves gravissima opera non recusent; nam ubi piger juvencus medius inter duos veteranos, jungitur, aratroque injuncto terram moliri cogitur, nulla est imperium respuendi facultas, sive enim efferatus prosilit, duorum arbitrio inhibetur: seu consistit, duobus gradientibus etiam obsequitur, seu conatur decumbere, a valentioribus sublevatus trahitur: propter quæ nudique necessitate contumaciam deponit, & ad patientiam laboris paucissimis verberibus perducitur. Est etiam post domituram mollioris generis bos, qui decumbit in sulco: eum non sævitia, sed ratione censeo emendandum: Nam qui stimulis aut ignibus aliisque tormentis id vitium eximi melius judicant, veræ rationis ignari sunt: quoniam pervicax contumacia plerumque sævientem fatigat; propter quod utilius est citra corporis vexationem fame potius & siti cubitorem bovem emendare: nam eum vehementius afficiunt naturalia desideria, quam plagæ. Jamque si bos decubuit, utilissimum est, sic pedes ejus vinculis obligari, ne aut insistere, aut progredi, aut pasci possit: quo facto inedia & siti compulsus deponit ignaviam: quæ tamen rarissima est in pecore vernaculo: longeque omnis bos indigena melior est, quam* pe-

peregrinus: nam neque aquæ neque pabuli nec cœli mutatione tentatur, neque infestatur conditione regionis, sicut ille, qui ex planis & campestribus locis in montana & aspera perductus est, vel ex montanis in campestria. Item custodiendum est ne in corporatione vel statura vel viribus impar cum valentiore jungatur, nam utraque res inferiori celeriter affert exitium: Palladius lib. IV. tit. 12. *Hoc mense ultimo* (sc. Martio) *domandi sunt trimi boves, qui post quinquennium bene domari non possunt, ætatis repugnante duritia. Capti ergo statim domentur, qui quidem prius, cum teneri fuerint, frequenti manus attrectatione mansuescant. Sed stabulum novi boves largioribus spatiis habere debebunt, ut & ante stabulum loca nullis concludantur angustiis, & producti non aliqua vitientur offensa. In ipso vero stabulo asseres transversi a terra septem pedibus alti configantur, ad quos boves ligentur indomiti. Tunc eligis absolutam tempestatibus & impedimentis omnibus diem, quo capti perducantur ad stabulum, quorum si nimia fuerit asperitas, uno die ac nocte inter vincula mitigentur, atque jejunia: tunc appellationibus blandis, & illecebris oblatorum ciborum, non a latere neque a tergo, sed a fronte accedens bubulcus admulceat, naresque & terga pertractet, mero subinde conspergens, hac tamen cautione, ne aliquem calce contingat, aut cornu: quod vitium, si in primordiis effectui sibi cessisse senserit, obtinebit. Tunc mitigatis, os & palatum salibus frica, & in gulam demitte præsulti adipis librales offas, & vini sextarios singulos, cornu infundente per fauces: quæ res intra triduum totius sævitiæ iram resolvet. Aliqui eos inter se jungunt, ac docent onera tentare leviora, & quod utile est, si arationi parantur, subacto prius solo exercendi sunt, ut novus labor tenera adhuc colla non quasset. Expeditior autem ratio est domandi, ut asperum bovem mansueto, & valido bovi conjungas, quo ostendente, facile ad omnia cogetur officia. Si post domiturum decumbit in sulco, non afficiatur igne, vel verbere, sed potius cum decumbit, pedes ejus ita ligentur vinculis, ut non possit progredi aut stare vel pasci. Quo facto siti ac fame lassatus carebit hoc vitio.*

Bos piger stimulo adigebatur. Stimulus (inquit *Bochartus* part. 1. lib. 2. cap. 39.) Hebraice vocatur מלמד *Malmad* a verbo למד *discere* quasi διδακτικόν dixeris, quod eo bos edoceatur & quasi erudiatur. Unde Targum *Eccles.* XII. 11. היכמא דמאלף תורתא: *Ut qui bovem edocet*; & bovem hinc אלוף quasi edoctum dici suo loco cap. 28. supra pag. 279. observavimus. עגלה מלמדה *vitulum edoctam Ose.* XIII. עגל לא למוד *vitulus nondum edoctus Jerem.* XXXI. 18. Itaque etiam Talmudica lingua stimulum bovis ideo מרדע *Marda* dici volunt quod sit מורה דעת לפרה *juvenco scientiam edocens*. Ita habetur in *Vajikra Rabba* sect. 29. Quod tamen haudquaquam probo, quia hujusmodi comparationes apud Hebræos parum usitatæ sunt, sed ab Arabico نلخ quod pungere & fodicare est: primo factum est a מוע pro stimulo, deinde מרוע inserto Res ut in vocibus דרשף & שרנף & פרציד & שרביט & נמריד & גרגל & פרנק & millibus. *Judic.* III. 31. Sagmar stimulo bovum sexcentos Philistæos percussisse legitur. Quod an solus fecerit, aut tumultuaria rusticorum turma comite, cujus ducem se præstiterit, scriptura non definit: Ut ut sit, hoc notabit quod non alio telo quam bovum stimulo instructus, viros egregie armatos non solum aggressus sit, sed & fregerit. Quale est quod Iliad. ζ' Lycurgus eodem telo armatus circa Nysam fugat Bacchi copias & ejus nutrices.

> Θύσθλα χαμαὶ κατέχευσε ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
> Θεινόμεναι βουπλῆγι. Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς
> Δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα.

> *Thyreos in terram transjecerunt ab homicida Lycurgo*
> *Bovum stimulo percussæ: & ipse Bacchus territus*
> *Maris fluctus subiit.*

Proinde *Nonni* Donys. lib. XX. Lycurgus Bacchum ita compellat:

> Εἰ κεραοῖς Σατύροισι, κερασφόρε Βάκχε κελεύεις
> Ὑμέας, ἴ βόεσσιν ὁμῶ βουπλῆγι δαμάσσω.

> *Si cornutis satyris o cornute Bacche imperas*
> *Vos bovum instar simili stimulo domabo.*

Ibidem hæc pugna describitur ἐγγύθι Καρμίλοιο *prope carmelum* montem in Judæa notissimum. Et fortasse Lycurgus idem est cum nostro Sagmare.

Aliud est stimuli nomen דרבן *darban* I. *Sam.* XIII. 21. ubi Israelitæ leguntur ivisse ad Philistæos להציב הדרבן *ad aptandum stimulum* quod R. *Salomo* exponit לחדדו בראש לנועצו ולהציבו בתוך המרדע: *ad acuendum caput illius & infingendum*, &

& constituendum eum in conti medio. Nec multo aliter *Kimchius*. Sic Arabice بحباب est ensis cultri securis manubrium & أبحبب *manubrium indere*. Itaque דרבן non significat stimuli contum, sed ferreum aculeum conto inditum. In quo differunt מלמד & מרבן. Nam מלמד proprie contus est, in quem aculeus inditur. Hinc Talmudici in *Celim* כוש שבלע את הצנורת מלמד שבלע את הדרבן: *Fusus qui vorat verticillum, & contus qui vorat stimulum*. Vorare Hebræis phrasis est in se recipere, quod inseritur. Sic fusus verticillum recipit, quod pro axe habet, & contus aculeum infixum. Vocis דרבן *darban* originem Hebræis prorsus ignotam ex Arabica lingua درب *darab* acutum esse درب *darib* acutum دربه *dirba* & دراب *darab* acutum significat. A singulari דרבן *darban* fit plurale הדרבנות *Darbanoth* quo Salomon eleganter utitur *Eccles*. XII. 2. ubi dicta Sapientum ait esse כדרבנות וכמשטרות וטועים: *ut aculeos & clavis infixos*. Ita *Lucianus*, de Nigrino, Philosopho. Κατὰ τὸν Κωμικὸν ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλειπε τι κέντρον τοῖς ἀκούουσι. *Juxta Comicum, quam vere auditoribus aculeum quendam reliquit*. In Nigrinum ita transferens quod de Pericle dixerat Comœdia vetus. *Cicero* lib. III. de Orat. *Quid Pericles? cujus in labris veteres Comici leporem habitasse dixerunt? tantumque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret*. Et *Valerius Maximus* lib. VIII. cap. 9. *Veteris Comœdiæ maledica lingua quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, in labris ejus hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare, inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat*. *Eupolidis* Demos intellige, in quibus de Pericle inter cetera hæc habebantur:

> Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν
> Οὕτως, ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
> Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

> *Quædam insidebat suada labris illius*
> *Mulcebat arte tanta, ut unus Rhetorum*
> *Linqueret fixos in animis audientium aculeos*

De stimulis hoc unum addo Christum e cœlis Hebraice Paulo alloquentem inter cetera dixisse. *Durum est tibi contra stimulos calcitrare*. *Act*. IX. 3. & XXVI. 14. Quod proverbium a bobus refractariis Græci quoque & Romani Scriptures usurparunt. *Æschylus* in Agamennone vers. 1620.

> Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ πήσας μογῇς

> *Contra stimulos ne calcitra, ne fasiendo labores*

Et in Prometheo vincto vers. 321.

> Οὔκουν ἐμοί γε χρώμενος διδασκάλῳ
> Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς

> *Non igitur me magistro usus*
> *Contra stimulos membra extendes*

In *Euripidis* Bacchis dicit nuntius vers. 793.

> Θύοιμ᾽ ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος
> Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ

> *Potius illi sacrificarem, quam Deo infensus*
> *Adversus stimulos colluctarem mortalis cum sim*.

Pindarus in fine Pythiæ secundæ.

> Φέρειν δ᾽ ἐλαφρῶς
> Ἐπαυχένιον λαβόντα
> Ζυγον, ἀρήγει· ποτὶ κέντρον δέ τοι ἀντὶ
> Λακτίζεμεν τελέθει
> Ὀλισθηρὸς οἶμος ——

> *Ferre autem leviter*
> *Super cervicem, quod sumseris*
> *Jugum, prodest ut contra stimulum*
> *Calcitrare, est lubrica via* ——

Ad quæ scribit Scholiastes. Ἡ δὲ τροπὴ ἀπὸ τῶν βοῶν, τῶν γὰρ βοῶν ἄτακτοι κατὰ τὴν γεωργίαν, κεντριζόμενοι ὑπὸ τοῦ ἀροῦντος, λακτίζουσι τὸ κέντρον, καὶ μᾶλλον πλήττονται. *Figura est a bobus sumta. Boves enim refractarii, cum ad arationem ab agricola pungantur, in stimulum calcitrant, ut eo gravius feriantur*. *Terentius* in Phormione Act. I. sc. 2.

> *Nam quæ inscitia est*
> *adversum stimulum calces?*

Supple jactare. *Plautus* in Truculento Act. IV. sc. 2.

> *Si stimulos pugnis cædis plus dolet*

Qui Scriptores cum omnes Christi adventum præcesserint, absit tamen ut credamus Christum ex eo sumsisse quidquam,

quod

quod esset fontem limpidissimum ex lacunosiis rivulis derivare. Legitur in Mose, qui *Æschilum* & *Pindarum* mille circiter annis præcessit, *Deut.* XXXII. 15. *Saginatus est dilectus*, ויבעט *& recalcitravit* nempe in legis stimulos. Et 1. *Sam.* II. 29. למה תבעטו בזבחי *Cur in sacrificia mea recalcitrastis?* Et *Ose.* IV. 16. in Targum כתורא דאתפטם ובעט *ut bos qui saginatus est, & recalcitrat, ita rebellis fuit propter multitudinem bonorum Israel.*

XI. Bovum usus (Pergit *Bochartus* part. 1. lib. II. cap. 32.) plures ex Scriptura colligi possunt. In his primus esto, quod ad aratra adhibetur. Sic *Job* 1. 14. *Boves arabant, & asinæ pascebant juxta illos.* Et 1. *Reg.* XIX. 19. *Reperit Elisæum filium Saphath arantem duodecim jugis boum*, & *Esai.* XXX. 24. *Boves etiam & asini, qui colunt terram.* Salomon *Prov.* XIV. 4. *Ubi desunt boves, præsepe mundum est, & proventuum copia pendet ex viribus bovis.*

Aratri inventum Græci Cereri tribunt de qua *Orpheus*

> Ἡ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα
>
> *Quæ prima junxit boum aratricem cervicem*

Alii ad Triptolemum tanquam ab eo edoctum. *Hyginus* fab. 277. *Ceres boves domare, & alumno suo Triptolamo fruges serere demonstravit.* Alii Buzygem heroem. *Plinius* lib. VII. cap. 56. *Bovem & aratrum (invenit Buzyges Atheniensis)* alii Triptolemum. Hesychius. Βυζύγης ἥρωος Ἀττικος πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας: *Buzyges heros Atticus qui primus boves aratro junxit.* Nec desunt, qui Minervæ tribuant, quæ Βοάρμια dicta fuerit a Bœotis παρὰ τὸ συναρμόσαι καὶ ζεῦξαι εἰς ζύγον καὶ ἄροτρον βόας. Ita veterum aliquis apud *Phavorinum*. Ab aliis creditur Bacchus primus esse hujus artis autor, Bacchus inquam non Semeles, sed Minervæ & Jovis filius, quem tradit *Diodorus* lib. III. πρῶτον βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεῦξας, τὸ πρότου ταῖς χερσὶ τὴν γῆν κατεργαζομένων: *primum boves sub aratro junxisse, cum antea homines non nisi manibus terram colerent.* *Arrianus* quoque in Indicis asserit βόας καὶ ἄροτρον ζεῦξαι Διονύσον πρῶτον καὶ ἀροτῆρας ἀντὶ νομάδων ποιῆσαι Ινδῶν τοὺς πολλοὺς. *Bacchum primum aratro boves junxisse, & Indorum multos ex pastoribus aratores fecisse.* Neque ab eo diversum Ægyptiorum Osirim, cui idem inventum tribui tam ex *Plutarcho* quam ex *Diodoro* constat: Unde *Servius* ad hæc *Virgilii*

> ——— *uncique puer monstator aratri*

Alii Triptolemum, alii Osirim volunt. In *Æschili* Prometheo vincto hoc idem Prometheus ita sibi vindicat.

> Κἀ ζεῦξα πρῶτος ἐν ζογοῖσι κνώδαλα
> Ζεύγλαισι δουλεύοντα σώμασιν θ' ὅπως
> Θνητοῖς μαγίστων διάδεχοι μοχθημάτων
> Γένοιτ'
>
> *Et jumenta* (i. e. boves) *primus jugo subjeci*
> *Quæ jugi collaribus* (i. e. collo jugo insertis) *& corporibus serviunt ut*
> *Homines a maximis laboribus*
> *Sublevent.*

In Hispania vetustissimus Tartesiarum rex Abides boves primo aratro domari frumentaque sulco serere docuit: Ut *Trogus* autor est lib. XXIV. Sed ut de aratri origine litem decidem, *Servio* calculum addo, ex cujus sententia: *non unus aratrum in toto orbe terrarum monstravit, sed diversi in diversis locis.* Nec est quod Græci hoc inventum Cereri aut Triptolemo adscribant, cum utroque antiquior Mose de agricultura leges tulerit, ut cum arare vetat primogenitum bovis *Deut.* XV. 19. & bovem ad aratrum cum asino jungere *Deut.* XXII. 10. Et ad cædis expiationem juvencam decollari jubet, quæ nondum araverit, neque sub jugo traxerit *Deut.* XXI. 3. Quid? quod diu ante Mosen Jobo fuere primo quingenta, deinde millia juga bovum, & agricolatio multa. *Job.* 1. 3. XII. 12. Proinde Agriculturæ nullum alium autorem agnosco, quam summum Deum, a quo hoc inventum exisse diserte tradit *Esai.* in fine cap. XXVIII. ut doceret se mirabilem esse consilio. Boves Deus submisit hominis ministerio *Psal.* VIII. 7. 8. Itaque γεωργίαν ἀπὸ ὑψίστου ἐκτισμένην agriculturam a summo Deo creatam fuisse & institutam vere ait *Syrachides Eccles.* VII. 15.

XII. Antequam de tritura agatur, ordinis ratio postulat, ut de area, ubi fruges triturabantur, prius disseratur: Area juxta sententiam rei rusticæ scriptorum in loco edito statuenda erat, quam perflare possit ventus, & abigere paleas. Hinc Arauna Jebusæus in eo monte habuit aream, ubi templum postea ædificatum fuit, ut habetur 2. *Sam.* XXIV. 18. *Varro* de re rustica lib. 1. cap. 51. *Aream esse oportet in agro sublimiori loco, quam perflare possit ventus.* *Palladius* lib. 1. tit. 36. *Sit autem area loco sublimi, & undecumque perflabili.* Quomodo costruenda sit area, describit *Cato* de re ru-

ruſtica cap. 91. *Aream ſic facito. Locum ubi facies confodito, poſtea amurca conſpergito bene, ſinitoque combibat. Poſtea comminuito glebas bene, dein coæquato, ex paviculis verberato. Poſtea denique anurca conſpergito, ſinitoque areſcat. Si ita feceris, neque formicæ nocebunt, neque herbæ naſcentur.* Iterum cap. 130. *Aream, ubi frumentum teratur, ſic facito. Confodiatur minute terra, amurca bene conſpergatur, ut combibat quamplurimum; comminuito terram, & cylindro aut pavicula coæquato; ubi coæquata erit, neque formicæ moleſtæ erunt, & cum pluerit, lutum non erit. Varro* loc. cit. *Hanc eſſe modicam pro magnitudine ſegetis, potiſſimum rotundam, & mediam paulo extumidam (ut ſi pluerit, non conſiſtat aqua, & quambreviſſimo itinere extra aream defluere poſſit: Omne porro breviſſimum in rotundo e medio ad extremum ſolida terra pavitam, maxime ſi eſt argilla, ne æſtu paeminoſa in rimis ejus grana obliteſcant, & recipiant aquam, & oſtium aperiant muribus ac formicis. Itaque amurca ſolent perfundere, ea enim herbarum eſt inimica, & formicarum & talparum venenum. Quidam aream ut habeant ſolidam, muniunt lapide, aut etiam faciunt pavimentum: Nonnulli etiam tegunt areas, ut in Bagiennis, quod ibi ſæpe id temporis anni oriuntur nimbi. Palladius* lib. 11. cap. 20. *Area quoque ſi terrena erit, ut ſit ad trituram ſatis habilis, primum radatur, deinde confodiatur, permiſtique paleis cum amurca, quæ ſalem non accepit, extergatur: nam ea res a populatione murium formicarumque frumenta defendit: tum æquata paviculis, vel molari lapide condenſetur, & rurſus ſubjectis paleis inculcetur, atque ita ſolibus ſiccanda relinquatur.*

Varro l. c. ſolas ſpicas, diſſectis ſtramentis, in aream, in qua tererentur, fuiſſe allatas teſtatur. *Frumenti tria genera ſunt meſſionis, unum ut in Umbria, ubi falce ſecundum terram ſuccidunt ſtramentum; & manipulum ut quemque ſubſecuerunt ponunt in terra, ubi eos fecerunt multos, iterum eos percenſent, ac de ſingulis ſecant inter ſpicas & ſtramentum. Spicas conjiciunt in corbem, atque in aream mittunt, ſtramenta relinquunt in ſegete, unde tollantur in acervum. Altero modo metunt, ut in Piceno, ubi lingueum habent incurvum batillum, in quo ſit extremo ferula ferrea, hæc cum comprehendit faſcem ſpicarum, deſecat, & ſtramenta ſtantia in ſegete relinquit, ut poſtea ſubſecentur. Tertio modo metitur, ut ſub urbe Roma, & locis pleriſque, & ſtramentum medium ſubſecent, quod manu ſiniſtra ſummum prehendunt: a quo medio meſſem dictam puto; Intra manum ſtramentum quod terræ heret, poſtea ſubſecatur. Contra quod cum ſpica ſtramentum hæret, corbibus in aream defertur. Columella* lib. 11. cap. 21. *Sunt autem metendi genera complura: Multi facibus vericulatis, atque iis roſtratis, vel denticulatis medium culmum ſecant; multi mergis, alii pectinibus ſpicam ipſam legunt, idque in rara ſegete facillimum, in denſa difficillimum eſt. Quod ſi falcibus ſeges cum parte culmi demeſſa ſit, protinus in acervum, vel in nubilarium congeritur, & ſubinde opportunis ſolibus torrefacta proteretur: Sin autem ſpicæ tantummodo reciſæ ſunt, poſſunt in horreum conferri, & deinde per hyemem vel baculis excuti, vel exteri pecudibus.* At Hebræos ſpicas una cum ſtramentis in aream terendas deſarre conſueviſſe plane conſtat ex *Matth.* III. 12. Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ: *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum* (ſc. juſtos) *in horreum, paleas autem* (i. e. impios) *comburet igni inextinguibili* ἄχυρον erat palea ſeu ſtramentum, quod ex tritico ventilato ſecernebatur. Hinc XIV. 16. XVII. 13. *Jerem.* IV. 11. *Dan.* II. 35. *Oſe.* XIII. 3. ubi Deus minatur ſe impios veluti paleas diſperſurum.

Secundus boum uſus eſt ad trituram. Sed ut plenius intelligatur, ſciendum eſt veteres grana quatuor modis excuſſiſſe vel extreviſſe. Primo virgis & flagellis ex folliculis excutiebant. *Columella* lib. 11. cap. 21. *Spicæ poſſunt per hyemem vel baculis excuti, vel exteri pecudibus.* Et infra poſtquam culmos tribula vel traha comminui dixit. *Ipſæ autem ſpicæ melius fuſtibus tunduntur.* Judæos non niſi debiliora ſemina ſic excuſſiſſe ſuadent hæc *Hieronymi in Eſaiam. Gith eſt cyminum, quæ infirmiora ſunt ſemina, non rotis plauſtrorum teruntur* &c. *ſed virga excutiuntur, & baculo, quæ vulgo flagella dicuntur, quæ ex ipſo Propheta ſumta.* Ita enim XXVIII. 27. *Quia gith tribula nec trituratur, nec rota plauſtri ſuper cyminum vehitur, ſed* חבט יקבט קצח וכמן בשבט: *baculo gith excutitur, & cyminum virga.* Poſt quæ ſequitur. Panem (*i. e. triticum ex quo fit panis*) *multo aliter, nempe rota plauſtri eſſe conterendum.* Itaque *Eſaiæ* ætate vera fuit hæc Hieronymi diſtinctio. At olim grana quævis baculo excutiebantur. Ita *Judic.* VI. 2. Gideon חובט חטים בגת *virga vel baculo excutiebat frumenta in torculari.* Id enim proprie חבט. Hinc Græci, ῥαβδίζων σῖτον

ὁ

ἐν λήνῳ. Et *Ruth* II. 17. Et collegit in agro ad vesperam usque ותחבט *& virga excussit, quod collegerat*; ubi Græci rursus. Καὶ ἐράβδισεν ἃ συνέλεξε. Et *Kimchius* in radice חבט scribit: חבט כמו דש אלא שהדישה בבהמות והביטה במקל וכן כי תחבוט זיתך חובט במקל בזית להפיל הזיתים: *Idem* חבט *exterere quam* דש *triturare, nisi quod tritura fit per bestias, & excussio baculis*. Ita Deut. XXIV. 20. Cum excusseris olivam tuam, *baculo sc. arborem cædens, ut olivæ in terram cadant*. De oleis tamen *Theophrastus* lib. I. cap. 23. Τὰ δένδρα λυμαίνοιτ᾽ ἂν ῥαβδιζόμενα. *Arbores baculis percussæ corrumperentur*. Proinde vult expectari plenam olivarum maturitatem, ut ex arbore sponte decidant.

Secundo grana excutiebantur quodam tribuli genere facto ex tabula lapidibus aut ferro exasperata; quæ imposito auriga, aut pondere grandi trahebatur jumentis junctis. Ita *Varro* de re rustica lib. I. cap. 52. Hoc tribuli genus a *Columella traba* dicitur, & a *Virgilio* cum epenthesi *trabea* a trahendo quia non habebat rotas. Lingua sacra מורג *Morag* vocatur. *Esai.* XII. 15. pro מורג *mogar* per metathesim, ut quidem puto. Nam נרר est *trahere* unde מורג *murag* traha dicatur forma analogica. Jam רדד *radad* extendere מורד *morad* extensum I. *Reg.* VII. 29. Ex Hebræo מורג *morag* factum est Arabicum نورج *nurag* m & n permutatis. *Alcamus* نورج definit instrumentum ferreum quo fruges in area teruntur. Lexicon Copto-Arabicum reddit πιαςήελον pro quo lego πιεςήελον i. e. *piestorium* instrumentum ἀπὸ τȣ͂ πιέζειν a premendo. *Suidas* πιεςήελον τὸ ἐκθλίβον. Sed definitio τȣ͂ מורג non potest melius desumi quam ex *Esai.* XII. 15. ubi Israelitis dicit Dominus. *Ponam te* למורג חרוץ חדש בעל פיפיות: *in novum morag seu tribulam* (incisam variis incisuris) ut *montes triturans, & comminuens, collesque ponens in glumam*. A quibus incisuris vocatur etiam חרוץ *incisum* ut nuper *Esai.* XXVIII. 27. *Gith non trituratur* בחרוץ *inciso, sed tribulo*. Jam חרצי vel חרצות הברזל sunt tribuli ferrati. 2. *Sam.* XII. 31. & I. *Chron.* XX. 3. & *Amos* I. 3. Boves autem hujusmodi tribulas traxisse colligitur ex 2. *Sam.* XXIV. 22. ubi Arauna, qui in area sua triturabat, offert regi Davidi boves suos ad sacrificandum, והמורגים & tribula & instrumenta boum pro lignis.

Tertio plaustro rotis instructo ad triturandum utebantur. Plostellum Pœnicum vocat *Varro* ubi supra, tanquam a Pœnis inventum, qui ex Chananæa venerant. Et factum fuisse memorat ex assibus, seu asseribus dentatis cum orbiculis, i. e. rotulis. Addit in eo aliquem sedisse, & agitasse quæ trahebant jumenta, postque in Hispania citeriori atque aliis locis ita fieri. *Hieronymus* etiam in *Esai.* XXV. *Sunt carpenta ferrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus, quæ stipulam conterunt, & comminuunt in paleas*. Et in *Esai.* XXVIII. *Quæ* (plaustrorum rotæ) *in serrarum similitudinem ferreæ circumaguntur, & trahuntur super demessas segetes*. Item. *Triticum de quo efficitur panis, rotis ferreis teritur, & omnis ejus stipula comminuitur in paleas*. Et *Cyrillus* in *Esai.* XLV. Postquam in Ægypto triticum dixit boum ungulis triturari. *Alibi* (ait) ἁμάξαις χρώμενοι καὶ τρόχοις πεσιδηρȣμένοις, αὐτὸ δὴ τȣτὶ μεμελετήκασι κατορθȣ͂ν *plaustris & rotis ferratis utentes id ipsum præstant*. Quia ab *Esaia* sæpe allusum ad hæc triturantium plaustra, si sequimur interpretes. Ita enim habet Græca editio. Καταπατηθήσεται ἡ Μωαβῖτις, ὃν τρόπον πατȣ͂σιν ἅλωνα ἐν ἁμάξαις. Et Romana. *Triturabitur Moab sub eo sicut trituratur palea in plaustro*. Et *Esai.* XXVIII. 27. Οὐ δὲ τρόχος ἁμάξης περιάξει ἐπὶ τὸ κύμινον: Ubi Romana. *Neque rota plaustri super cyminum circuibit*. Et de pane *vers.* 28. *Neque vexabit eum rota plaustri*: Et *Esai.* XLI. 15. Ἐποίησά σε ὡς τρόχȣς ἁμάξης ἀλοῶντας. *Vulgata*. *Ego posui te quasi plaustrum triturans*.

Quarto ab ipsis bobus aut jumentis aliis grana obterebantur. Quo hæc *Jeremiæ* pertinent cap. I. 11. Pingues eritis כעגלה דשה *ut vitula triturans*. Et *Ose.* X. 11. *Et Ephraim vitula est, quæ assuevit & amat triturare*: Et Lex Mosis *Deut.* XXV. 4. *Trituranti bovi os non alligabis*. Fortasse etiam quatuor loca de vitulis מרבק. Neque dubium quin Deus ad hunc morem alludat *Mich.* IV. 13. *Tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos*. Penes alios populos bobus triturabant. *Cyrillus* in *Esai.* lib. III. Tom. 5. Αἰγυπτίων μὲν παῖδες συνενεγκόντες ἐξ ἀγρῶν ἐπὶ τὴν ἅλωνα δράγματα, εἶτα βȣ͂ς ἐπαφιέντες αὐτοῖς, καὶ ἐν κύκλῳ περικομίζοντες, κατιλεπτύνȣσι ταῖς χηλαῖς τὰς ἀςάχȣς, leg. ἀςάχυας. *Ægyptiorum filii comportatis ex agro in aream manipulis, bis deinde boves immittunt, & circumagunt, ut spicas ungulis comminuant*. Græcorum quoque vetustissimos boum opera idem præstitisse *Homerus* docet Iliad. κ'

Ὡς δὲ ὅτε ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπȣς

Τε-

Τείβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐυτροχάλῳ ἐν ἀλωῆ
Ρίμφα τε λέπτ' ἐγένοντο ὑπὸ ποσὶ ἐριμύκων

Ut aliquis jungit boves mares latis frontibus
Ut obterant hordeum album in rotunda area
Et ſub mugientium boum pedibus grana ſtatim tenuia fiant.

Callimachus hymno in Cererem hoc inventum illi tribuens.

—— ὠ καλάμιν τε κ̀ ἱερὰ δράγματα πρώτα
Α'ςαχύων ἀπέκοψε, κ̀ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι.

—— *quando calamum & ſpicarum ſacros manipulos*
Abſciderit, & boves calcatum immiſerit.

Xenophon in Æconomico docet accuratius qua ratione id factum fuerit, cum τὰ ὑποζύγια i. e. jumenta dicit πατεῖν τὸν σῖτον ἐλαυνόμενα *frumentum obterere cum ſtipulatur:* Et his adeſſe τὰς ἐπαλωςὰς *trituræ moderatores* qui ςέφοντες, κ̀ ὑπὸ τὰς πόδας ὑποβάλλοντες τὰ ἄτριπτα, ἀεὶ δηλονότι μάλιςα ὁμαλίζοιεν ἂν τὸ δινον τάχιςα ἀνυποιεν, *qui verrunt & ſub pedibus ſubjiciunt ea quæ trita non ſunt, ut duriora nimirum æque obterantur, ac celerrime perficiantur*. Interim nequis ab eo putet ſolos boves intelligi, jumenta hic vocari dicit βῦς, ἡμιόνυς, ἵππυς *boves, mulos, & equos*. *Varro* quoque boum ſpeciatim in hoc negotio non meminit, ſed jumentorum in genere. *Apud alios* (inquit) *exteritur exercitus grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod ungulis e ſpica exteruntur grana.* Et ſi creditur *Columellæ* lib. II. cap. 21. *Nihil dubium eſt quin equis melius quam bobus ea res conficiatur*. Sed ut Judæi, Syri, Arabes, Ægyptii, & Græci apud Homerum, ita Romani veteres boum opera potiſſimum videntur grana traxiſſe, neque a terendo triones, quaſi teriones appellaſſe. Sic triturandi morem in Aſia hodeque retineri probat *Druſius* in *Michæam* ex his *Leunclavii* Turcic. pag. 234. *Solent illarum regionum incolæ poſtquam domatæ frugos ſunt, non domum eas ex agris, more noſtro, granis nondum excuſſis in horrea convehere, ſed in aream quandam ſub dio comportare, deinde ſparſis per aream manipulis frugum, boves & bubulos immittunt, qui dum pedibus ſubjectas proterunt, ariſtis grana nullo negotio excutiuntur*. Idem ab illis Tartaris uſurpari qui circa Volgæ oſtia degant, aſſerit *Olearius* Moſcovitici & Perſici itineris lib. IV.

Legitur *Deut.* XXV. 4. *Bovem triturantem non capiſtrabis*. Quod olim (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 40.) apud Græcos, & fortaſſe etiam apud alios, tam fuit uſu receptum ut inde natum ſit proverbium, de quo *Suidas*: βῦς ἐπὶ σωρῷ ἐπὶ τῶν ἀλοώντων, κ̀ διὰ φιμῦ ἐσθίειν κωλυομένων *Bos in acervo: de bobus triturantibus, & qui per camum ab eſu probibeantur*. Tamen quia inhumanum videtur, ut in mediis frugibus bos qui laborat inſtar Tantali obſervare cogitur eſuriales ferias, Deus hanc legem ſanxit Iſraelitis. *Bovem triturantem non capiſtrabis*: Hebraice לא תחסום & Græce ὐ φιμώσεις, quod ſequitur *Apoſtolus Corinth.* IX. 9. & I. *Tim.* V. 18. Nempe חסם Græce φιμῦν proprie eſt os jumenti capiſtrare, ne edat vel mordeat; & capiſtrum quo id fit Hebraice מחסום vel חסום Græce φιμὸς vocatur. Hinc *Pſal.* XXX. 2. *Symmachus* φυλάξω τὸ ςόμα μυ φιμῷ pro Hebræis אשמרה לפי מחסום & *Syracides* XX. 29. *Munera & dona ὡς φιμὸς ἐν ςόματι ut capiſtrum in ore avertunt reprebenſiones*. Talmudici etiam in tractatu de *Sabbato* cap. V. *Ne egrediatur vacca* (die Sabbathi) בחסום שבפיה *cum capiſtro quod ori ejus inditur*. Ubi gloſſa שחוסמין אותה שלא הרעה בשרה: *quo capiſtrant eam ne paſcatur in agro*. Item וכשמגיעין למקום מרעיהם נוטלין אותה הימה: *Et cum venerunt ad locum paſcui ſui, bæc illi adimunt*. Hujuſmodi capiſtris non ſolum triturantes, ſed & arantes boves capiſtrare moris erat. *Fiſcellas* a figura Romani ſcriptores appellant. Hinc *Cato* de re ruſtica cap. 54. *Boves fiſcellas habere oportet, ne herbam ſectentur, cum arabunt*. *Plinius* quoque jubet boves fiſcellis capiſtrari, *ne germinum tenera præcerpant* lib. XVIII. cap. 19. Alii collo jumentorum ligneam indebant machinam, qua ab eſu prohiberentur. Quod ſervis quoque in piſtrino molentibus factitatum eſſe legimus. Græci παυσικάπην vocabant. *Euſtathius* in Iliad. 22. Ex *Ælio Dionyſio*. Παυσικάπη μηχάνημά τι τροχῷ ἐμφερὲς δι' ὗ τὸν τράχηλον διεῖρον τῶν ὑποζυγίων, ὥςε μὴ ἐσθίειν ὁμοίως δὲ κ̀ τῶν ἀνθρώπων ὥςε μὴ δύνασθαι τὰς χεῖρας τῷ ςόματι προσάγειν. *Pauſicape machina quædam rotæ ſimilis, per quam jumentorum collum trajiciebant ne ederent; quomodo etiam bominum, ne manus ori admovere poſſent*: Unde παυσικάπη dicta, ut παύυσα τῆς κάπης ἢ τῦ κάπτειν, ὅ ἐςι τῦ ἐσθίειν: *eo quod ab eſu probiberentur*. De eadem voce vid. *Pollucem*, *Heſychium* & *Suidam* &c. Alii hac ipſa de cauſa ora boum fimo oblinebant. *Ælianus* Hiſt. lib. IV. cap. 25. Ο'ταν ἀλωῶσιν ἢ κ̀ ςρέφονται περὶ τὸν δινον οἱ βόες, κ̀ πε- πλημ-

πλημμμένη τῶν δραμάτων ἢ ἄλλως ἢ, ὑπὲρ τοῦ τοὺς βοῦς μὴ ἀπογεύεσθαι τῶν ςαχύων, βολίτῳ τοὺς ῥῖνας ἐπιχρίουσιν αὐτῶν. *Cum trituræ tempus eſt, & boves in gyrum aguntur, & manipulis ſegetum plena eſt area, ne boves ſpicas comedant, nares eorum unguntur fimo bubulo.* Fuere etiam qui voce aut alio metu aut aculeo in ore indito, bovem ab eſu abſterrebant, aut admoto matri vitulo aut potu illi diu denegato, ut bos ſiti laborans a cibo abhorreret. Alii ſegetes pellibus obtegebant, ne bos poſſet illas morſu attingere. Itaque in eorum cenſu, qui hujus legis violatæ rei ſunt, a *Maimonide* ponitur ישב לה חיץ בפיה ודש בה והרי אין איכלת הרביץ לה הרי שבחוץ שהרביץ בנה מבחוץ הרי שצמאה ואינו משקה אותה פרס עור על גבי הדיש כדי שלא תאכל: *Qui in ore beſtiæ ſpinam ponit, cum ea triturat, ne comedat, aut qui facit, ut leo prope aream aut vitulus ejus illi accubet, aut qui ſitientem non potat, aut qui pelles extendit ſuper trituram, ut ab eſu probibeat.* Denique כל המונע הבהמה מלאכול בשעת מלכאתה: *quiſquis jumentum ab eſu probibet, dum operi incumbit.* Addit cum bove hic idem eſſe quodvis aliud animal ſive mundum, ſive immundum &c. Hæc omnia *Maimonides* habet in שכירות cap. ult.

At in tritura primitiarum corbem appendebant collo jumenti frugibus plenam, ut poſſet comedere tempore triturationis. *Trumoth* cap. IX. החובט משובח וחרש כיצר יעושה תולה כפיפות בצוארי בהמה ונותן לתוכן מאותו המין נמצא לא זומס את הבהמה ולא מאכיל את התרומה: *Flagellis primitias excutere opticum eſt: ſiquis vero triturare malit, quomodo faciet? Corbes appendet collo jumenti, atque indat frumentum ejuſdem generis, ita nec jumento os obſtrinxerit, nec primitias in pabulum dederit. Columellæ* lib. VI. cap. 3. vocatur *corbis pabulatoria.*

Boves (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 31.) inter Judæos tum maxime pingueſcebant, cum erat trituræ tempus, quia bovis triturantis os capiſtrare lex prohibebat. Itaque inter triturandum bovi liberum erat veſci frugibus ad ſatietatem uſque. Proinde propheta *Oſeas* ut Iſraelitas laborem detrectare, & genio indulgere doceat, eos confert cum vitula, quæ ſoli trituræ aſſuevit, neque alia re delectatur. *Oſe.* I. 15. חפושו בעגלה רשה: *Pingues eritis ut vitula triturans.* Non lego רשא per Aleph, ſed רשה per He in fine, quia ſic reperio in multis exemplaribus Venetiis, Baſileæ, Antuerpiæ, Genevæ, Leidæ editis; & libros quoque vetuſtiſſimos hanc lectionem exhibuiſſe nos docent R. *Jonas*, & *Kimchius*, *Mardochæus* id ipſum ſequitur in Hebraicis concordantiis. Sed hoc potiſſimum, quod altera lectio vix poterit ſtare, quamvis illam fere ſequantur recentiores interpretes. Quid enim eſſet vitula רשא per Aleph? Ajunt רשא *daſa* eſſe pro רשאה *deſaah* ſic dici vitulum, quæ herba veſcitur, ejuſque paſtu pingueſcit. Sed ne dicam grave id eſſe, quod רשא *daſa* volunt eſſe pro רשאה deſaah illa ipſa vox רשאה *deſaah* non id eſſet quod aſſerunt. Neque enim רשא verbum *herba veſci* ſignificat, ſed *herbaſcere*. Sic *Geneſ.* I. 11. תרשא הארץ *herbaſcat terra*. *Joel* II. 22. רשאו נאות מרבר *herbuerunt paſcua deſerti*. Et Chaldæum אחרא id ipſum eſt & ש & ח de more permutatis. Itaque רשאה eſſet herbaſcens, & de terra vel agro recte diceretur, de animali non item. Denique huic *Jeremiæ* loco. *Pingues fuiſtis ut vitula* רשה *triturans*, ecce alterum plane geminum *Malach.* IV. 2. ופשחם כעגלי מרבק *Et pingues fuiſtis ut vituli Marbek*: in quo ſi probavero vitulos Marbek eſſe vitulos triturantes, facile concedetur idem eſſe vitulam רשה, quia cetera ſunt ſimilia. In utroque loco verbum פוש uſurpatur in pingueſcendi notione, quod alioqui eſt ſine exemplo. In utroque a vitulis ducitur ſimilitudo, ſolum ſexu mutato. Itaque hæc duo loca erunt omni ex parte paralella, ſi vitula רשה ſit idem quod vituli מרבק *marbek* id eſt ſi conveniat utraque vox in triturandi notione. Sed vitulos מרבק dici vitulos qui triturant, plane videbitur inſolens, quia multo aliter ſumunt priſci & novi interpretes. Vox occurrit in quatuor ſcripturæ locis. Primus eſt I. *Sam.* XXVIII. 24. ubi mulier ἐγγαςείμυθος legitur domi habuiſſe עגל מרבק: vitulum Marbek quem regi Sauli obtulit. Secundus *Jerem.* XLVI. 21. ubi Ægyptii milites, qui in tam pingui ſolo educati, ipſi etiam paſti & pingues erant, leguntur eſſe כעגלי מרבק *ut vituli Marbek*. Tertius *Amos* VI. 4. ubi proceres Iſraelis luxu & mollitie diffluxiſſe, inter cetera ex eo probat propheta quod comedebant vitulos מתוך מרבק *e medio Marbek* ſupple eductos: Quartus denique hic ipſe locus in quo verſamur, *Malach.* IV. 2. *Et pingueſcitis ut vituli* Marbek; Græcos autem interpretes non ſatis ſciviſſe quid eſſet Marbek, colligere eſt ex verſionum inconſtantia. Quot enim ſunt Scripturæ loca, in quibus adhibetur hoc vocabulum, tot illius nova cudunt interpretamenta: Neque in primo vitulus Marbek eſt δάμαλις νομάς *juvenca paſcualis*: in ſecundo vituli Marbek μόσχοι σιτευτοὶ *vituli ſaginati*. In tertio *vituli e me-*

medio Marbek μοσχάρια ἐκ βουκολίων γαλαθηνὰ *vituli ex armentis lactantes*. In quarto rursus vituli Marbek μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα: *vituli ex vinculis soluti*. Et hos ex parte sequutus *Hieronymus* modo *vitulos pascuales*, aut *saginatos* reddit, modo *vitulos de armento* aut *de medio armenti*. Chaldæus quoque in *Samuele* habet עגל פטים *vitulum saginatum* sed in aliis tribus locis מרבק Marbek habet רבקא *ribka* iisdem radicalibus quamvis mutata forma nominis. Unde *Kimchius* מרבק *Marbek* vel רבקא *ribka est locus saginationis, uno verbo saginarium. Et vituli Marbek* vel *ribka vituli saginarii*, seu *saginati*: quod sequuntur recentiores. Hæc in genere; nunc conabimur aliquid de his vocibus docere magis præcisum.

Arabice بعره est bos & روبه *collum* Utrumque videtur alludi ربعه i.e vinculum proprie in collo bovis. Unde in *Alkamus* ربف *collum vincire* الربعه est bos aut etiam aliud jumentum فى الربعه habens in vinculo collum adstrictum. Arabes de avibus ceterisque animalibus usurpant. Sed Hebræi hac in parte accurati magis non nisi de bove usurpant, idque cum ad areæ palum, aut columnam collo alligatur, ut grana pedibus supposita trituret. Cujus ritus in Talmudicis libris non pauca vestigia. Ut in tractatu *Gittim* cap. v. fol. 53. פרה שהכניסה לרבקה ודשה על מנתהתינק וחרוש: *Juvenca quam introducit in ribkam, ut sugat & trituret*. Et in *Pesakim* cap. II. fol. 26. 2. rursus de juvenca הכניסה לרבקה ודשה *induxit eam in ribkam, & ea triturat*: Et Glossa ad priorem locum. רבקה קופלא בלעז שמרבקים שלוש בהמות או ארבעה בצואריהן זו אצל זו ודשים הרישה *Ribka vulgari lingua est copula, qua tres aut quatuor pecudes collis suis simul junctas devinciunt ad triturandum*. Et ad posteriorem רבקה קופלא בלעז שקושרין ד׳ פרות ביחד: *Ribka vernaculo sermone copula, qua quatuor juvencas simul vinciunt*. Et ad vocem ודשה eadem glossa ודשה תבואה עם חבירותיה: *Et triturat proventum cum sociis suis*. Et in tractatu *Eruvin* cap. II. fol. 17. 2. וביניהן כמלא שתי רבקות של ג׳ בקר דברי ר״מ ר׳ יהודה אומר של ד׳ קשורות: *Et inter eas* (columnas areæ ad triturandum) *sit spatium duabus ribkis, quarum singulæ capiant tres boves, juxta R. Meir; sed R. Jehuda dicit quatuor boves ligatos*. Arabes in tritura tres solum boves adhibent, quorum medius راحس *rachis* vocatur & طاحن *tachin* & حاك *had* & extimus طايك *taik Alkamus* الراكس الثور الذى يكون فى وسط البيدر حين يداس والثيران حواليه. *Rachis bos qui est in media area cum tritura fit, & alii duo circa eum*. Nobis docuisse sufficit, quod probandum susceperamus, nempe voce רבקה *ribka* copulam significari, vel vinculum in collo bovum, aut vitulorum, quo triturantes vinciuntur. Porro מרבק *marbek* idem est quod רבקה ribka, ut in *Jonathane* constat in quo רבקה ter est pro מרבק marbek ut jam ante notavimus. Itaque מרבק a *Salomone* constanter *copula* redditui. *Jerem.* XLVI. 21. *Amos* VI. 4. & *Malach.* IV. 20. Sed ut Græci seniores *Malachiæ* verba ופשתם כעגלי מרבק *& pingues fuistis sicut vituli Marbek* haud dubie reddiderunt. Καὶ σκιρτήσετε ὡς μοσχάρια ἐκ δεσμῶν. *Et salietis ut vituli ex vinculis*, quibus sc. in area devinciuntur, ut subsultando grana triturent; sed additum ἀνειμένα *soluti* ex glossemate, quia scribis imperitis, qui de tritura hic agi non cogitabant, id videbatur absurdum, ut ex vinculis saltare dicerentur nisi soluti. Omnino igitur vituli illi qui in Hebræo textu dicuntur *Marbek* & in Chaldæo vituli רבקה *ribka* sunt vituli, qui in vinculis grana triturant, & eorum esu pinguescunt. Et *Jeremiæ* loco *pinguescitis ut vitula triturans*, hic *Malachiæ* est parallelus. *Pinguescitis ut vituli Marbek*. Recte tamen reddideris *ut vituli saginati*; qua figura consequens ponitur pro antecedenti.

XIII. Tertius boum usus est (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 32.) quod plaustra traherent, de quo sæpe sacri scriptores. Sic *Num.* VII. 3. *Et adduxerunt oblationem suam coram Domino, sex plaustra camerata, & duodecies boves*: qui sc. bijuges singula plaustra trahebant. Proinde vers. 7. & 8. dantur Gersonitis duo plaustra, & quatuor boves, & Meraritis quatuor plaustra cum octo bobus: Et I. *Sam.* VI. 7. *Facite plaustrum novum, & accipite duas juvencas fœtas, quibus nunquam impositum sit jugum, ut eas jungatis in plaustro*. Et 2. *Sam.* VI. 3. 6. *Imposuerunt ei arcam Dei plaustro novo &c. Et boves in arca hæserunt*. Sæpe etiam profani scriptores. *Smyrnæus* lib. 6.

> Ὡς δ᾽ ὅθ᾽ ὑπὸ ζεύγλῃσι βόες μέγα κεκμηῶτες
> Δυσπετέην ἐρύσωσι πρόσω μεμαῶτες ἀπήνην.
> *Ut cum boves sub jugo valde laborantes*

Ligneum porro nitendo plaustrum trahunt.

Veterum epigrammata in amnis concreti descriptione

Qua ratis egit iter juncto bove tum plaustra trahunt.

Item

Plaustra boves ducunt, ubi remis acta carina est.

Cybela mater Deum e Phrygia navi advecta hujusmodi plaustro Romam advecta est

Ipsa sedens plaustro porta est invecta capena
Sparguntur junctæ flore recente boves.

Bacchus & Ceres putantur primi boves plaustro junxisse. *Tibullus*

Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Servitium, & plaustro supposuisse rotam.

Tale plaustrum Hebræis & Syris עגלה *agala* vocatur, non rotunditate, ut volunt, sed quia illud trahunt עגלים id est vituli seu boves. Græci Interpretes ἄμαξαν constanter reddunt, i. e. plaustrum cui junguntur boves. Quamvis enim ἄμαξα sæpe sumatur latius, id proprie sonat quod ἅρμα mularem currum. Vetus autem Scholiastes in *Phavoimo*. Ζεῦξαι τὸ τὰς βόας ἄμαξαν ἄξαι, ἢ ἡμιόνους εἰς ἅρμα. Unde Hamaxobii dicuntur Scythæ qui pro domibus plaustra boum habent. Et ὀκτάποδες quotquot domini sunt δύο βοῶν, καὶ ἀμάξης μίας: boum duorum a plaustris unius. Ita *Lucianus* in Scytha. Budini quoque gens Scythica, si veteribus credimus παρὰ τὸ δινεύειν ἐπάνω ἀμαξῶν ὑπὸ βοῶν ἐλαυνομένων. *Quia circumeunt vecti plaustro a bobus actis.* Ita *Stephanus* ex *Parmenione* Byzantio. *Ovidius* partim describit, ut Trist. lib. III. Eleg. 10.

Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.

Et Eleg. 12.

Stridula Sauromata plaustra bubulcus agit

Et de Ponto lib. II. Eleg. 7.

Ipse vides onerata ferox ut ducat Jazis
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas

XIV. Quarto etiam boves onera portabant. I. *Chron.* XII. 40. *Panem afferebant in asinis, & camelis, & bobus.* Quibus hæc *Tullii* opponi queant de nat. Deor. lib. II. *Quid de bobus loquar, quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata?* Et proverbium vetus lib. V. ad *Attic.* Epist. 15. *Quintiliano* lib. V. *Ammiano* lib. XVI. *Clitellæ bovi impositæ plane non est novum onus?* Sed ut ut bos ad arandum potius sit natus, quam ad vehendum, tamen eum ad vecturas non esse prorsus inutilem docet experientia. Hinc *Ælianus* Hist. lib. VII. cap. 4. tauros ait feretro se submittere, & puerum ac puellam cervice, dorso mulierem gestasse. Et *Phile* cap. 46.

Πάγχρηστον ὁ βοῦς, ψ κολίζει φορτία.
Ad omnia aptus bos, onera etiam gerit

Hinc in fabulis Ampelus puer Baccho carus taurum conscendit.

Καὶ θρασὺς ἕζετο κοῦρος ὑπὲρ βοέοιο μετώπου.
Et audax sedebat puer super bovina fronte.

Ita *Nonnus* Dionys. lib. II. vers. 167. Atque ut poetæ Europam, ita Romani histriones Herculem tauro vexerunt. *Martialis* Lib. Spectaculorum epig. 16.

Vexerat Europen fraterna per æquora taurus,
At nunc Alcidem taurus in astra tulit.

XV. Bovis quoque lac (inquit *Bocharthus* l. c.) est utilissimum, ex quo butyrum & casei fiunt. *Deut.* XXXII. 13. 14. Dat ei sugendum &c. חמאה בקר *butyrum bovis*. I. *Sam.* XVIII. 29. *Et mel & butyrum & oves* ושפות בקר *& caseos bovis David afferebant.* *Esai.* VII. 21. 22. *Et erit in die illa, ut quisquis servaverit buculam unam & duas oves, puæ copia lactis, quod proveniet, butyro vescatur.* Nempe ob id ipsum terra Chanaan dicitur *lacte manare*, quod in eo pecora proventu lactis uberrimo dominum suum ditabant. Butyri usum apud Hebræos antiquissimum, ad Græcos sero admodum devenisse probabitur in capite de ovibus; & Græce βούτυρον i. e. bubulum caseum minus apte vocari, cum e caseo res diversa sit, & tam ex ovillo & caprillo lacte, quam ex bubulo fiat. Fortasse etiam

iam butyri Cyprim nomen ἔλφος a bove sumtum, quem Phœnices ἄλφα vocant & Hebræi אלוף *alluph* vel אלף *Aleph* unde plur. אלפים *alaphim*. Itaque duo hæc nomina non videntur satis patuisse. At Hebraice butyrum recte dicitur חמאה Chamæa, & Arabice خما *Chama* de lacte condensari, & concrescere significat, sc. in modum butyri. Porro autem חמאה *chamea* pro butyro constanter usurpant sacri scriptores, ubicumque de eo agitur, decem sc. locis, nisi quod *aleph* eliso חמה legitur *Job* XXXIX. 6. At Casei mentio cum in Scriptura solum ter fiat, hujus tria occurrunt nomina, quæ libet hic excutere, quia non satis intelliguntur. Primo חריץ *Charits* unde חריצי החלב 1. *Sam.* XVII. 18. Græci reddunt τρυφαλίδας τῦ γάλακτος. Et Hesychio τρυφαλίδες sunt τὰ τμήματα τῦ ἁπαλῦ τυρῦ. *Casei mollis segmenta*. Quod Hebræum prorsus exprimit. Nam חרץ *Charat* est secare. Græci συντέμνειν exponunt *Prov.* XXI. 5. *Esai.* X. 23. XXVII. 22. *Dan.* IX. 2. &c. Inde igitur deductum חריץ *Charits* est τμῆμα segmentum. Arabes quibus solenne est ح & ل permutare كريص vocant mollem caseum. *Vulgatus* habet *formellas casei*; minus proprie, quia formellæ i. e. τάλαροι seu fiscellæ, ex quibus caseus exprimitur, aliud sunt ab ipso caseo. Sed illi interpreti *formellas casei* credibile est idem fuisse quod caseos ex formellis seu fiscellis expressos; qui proinde barbaris seculis *formatica* dicti sunt, & *formagines*. Itaque in Aristotele pro Græca voce τρυφαλίδας, *formagines* dixit *Gaza* Hist. Animal. lib. III. cap. 20. Ad casei formas, seu fiscellas pertinent hæc *Gregorii Nazianzeni* cap. 4.

Τοῖς μὲν ἐγὼν ἁπλὴν πλάσθην φρένα,
καὶ νεύπηκτοι.
Οἷα τυρὸς, ταλάροις λάμβανον αἶψα
τύπον.

Per hæc mens tenera mibi effecta est,
& ut nuper coagulatus
Caseus fiscellæ formam sumsi

Carm. 49.

Ὡς τυρὸς πληκτοῖσιν ἐειδόμενον ταλάροισιν
Ut caseum flexis fiscellis similem.

Vide plura in *Hesychi* in vocibus ταῤῥοὶ & ταρσῆται. Secundum caseorum nomen est שפות *Saphoth*; ut 2. *Sam.* XVII. 29. ושפות בקר *& caseos bovis* i. e. ex lacte bubulo: Pro quo Græci σαφὼθ βοῶν Hebræam vocem tamquam ignotam exscribentes. Complutensis ex aliquo veterum, puta *Aquila*, *Symmacho &c.* γαλαθηνὰ μοσχάρια *lactentes vitulos*: *Vulgatus pingues vitulos*. *Arabs lac bovis*. Sed *Chaldæus*, *Syrus*, & Hebræi omnes *caseos*. Quos puto שפות *Saphoth* appellari, quia שפה *Sapha* Hebræis & Chaldæis inter cetera *colare* vel percolare significat. Caseus autem non aliter fit, quam lac percolando, ut serum effluat. Hinc *Job* X. 10. *Nonne sicut lac me percolasti; & sicut caseum me coagulasti?* Et *Tibullus* lib. II. Eleg. 5. de fiscellis.

Tunc fiscella levi detexta est vimine
junci
Raraque per nexus est via facta sero.

Tertium casei nomen גבינה in loco *Jobi* quem nuper citavimus, ex Hebræa lingua aliunde ignotum, ex Chaldæis enim & Syris גובנא *gubna* & Arabibus أجبن *agbana* coagulari. Caseus tam fit ex ovillo, & caprino lacte, quam ex bubulo; ex bubulo majori copia. *Aristoteles* Hist. l. III. c. 20. Ἔχει δὲ πλεῖω τύρον τὸ παχύτερον τῶν γαλάκτων. *Plus casei babet illud lac, quod crassius est*. Et paulo post. Παχύτερον δὲ τὸ βόειον. *Bubulum autem est crassius*. Et infra. Ἔστι δὲ τυρὸς πλεῖων ἐν τῷ βοέῳ, ἢ ἐν τῷ αἰγέῳ γίνεσθαι, γὰρ φασὶν οἱ νομεῖς ἐκ μὲν ἀμφορέως αἰγέῳ γάλακτος τρυφαλίδας ὀβολιαίας μιᾶς δεούσης εἴκοσιν, ἐκ δὲ βοὸς τριάκοντα. *Casei plus est in bubulo lacte, quam in caprino. Pastores enim ex amphora caprini lactis caseos obolares undeviginti fieri tradunt, ex bubulo autem* (pari mensura) *triginta*.

XVI. Vituli non solum in cibis, sed & in deliciis veterum Hebræorum (scribit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 32.) Hinc Abrahamus apponit Angelis vitulam teneram, & bonam. *Genes.* XVIII. 7. & regi Sauli Pythonissa mactari jubet עגל מרבק: *vitulum* Marbek, seu triturando saginatum. 1. *Sam.* XXVIII. 24. Nec paterfamilias in parabola quicquam habet lautius, quo resipiscentem filium excipiat, quam vitulum saginatum. *Luc.* XV. 23. Quo faciunt hæc *Jeremiæ* XXXI. 12. *Confluent ad bona Domini ad frumentum, vinum, & oleum, & ad fœtus boum, & ovium*. Et *Amos* VI. 4. *Comeditis agnos ex grege, & vitulos* מתוך מרבק *ex medio Marbek* i. e. cibos quosque selectissimos. Neque caro vitulina solum, sed & bubula tum fuit in cibis recepta. Exempla vide 1. *Reg.* I. 9. & XIX. 21. & 1. *Chron.* XII. 4. & 2. *Chronic.* XVIII. 2. Et *Esai.* XXII. 13. Itaque *Prov.* XV. 17. Conviviolo ex olusculis opponitur convium

משור

משור אבוס *ex bove altili*, tanquam tenuissimo lautissimum Et *Matth.* XXII. 4. rex regni sui proceres ad filii nuptias vocans, οἱ ταῦροί μου (inquit) καὶ τὰ σιτιστὰ τεθυμένα *tauri mei & altilia mea mactata sunt*; i. e. tauri mei altites per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Proinde in quotidianis Salomonis, & Nehemiæ cibariis censentur boves 1. *Reg.* IV. 23. & *Nehem.* V. 18. In Homericis heroibus eandem frugalitatem veteres pridem observarunt. In his *Socrates* discipulus *Dioscoridis* qui scripsit τοὺς παρ' Ὁμήρῳ νόμους, Homerum notat neque in festis, neque in nuptiis, neque in ullo alio conventu quicquam apponere præter bubulam, quamvis Agamemnonem Græcorum optimates excipientem sæpe introducat, & Menelaum Hermiones, filiique, & filiæ nuptias celebrantem. Addit eundem hospiti suo Telemacho tantum offerre νῶτα βοὸς *terga bovis*; quomodo Ajaci Agamemnonem, atque etiam Nestori seni. Nestor quoque cum multos convivas invitaret; *aliquis* (inquit) πεδίον δ' ἐπὶ βοῦν ἴτω *in campum ad bovem eat*. Quidquod Alcinous Ulyssi & delicatis illis Phæacibus tales apponit mensas? Neque aliis cibis proci vescuntur in domo Penelopes, quamvis omnium hominum voluptati dediti. Hæc pluribus persequitur *Dioscorides* quem diximus, unde quædam excerpsit *Athenæus* lib. I. & multo plura *Suidas* in voce Ὅμηρος.

XVII. Bovem cornupetam, si occidisset virum, aut mulierem, fuisse lapidandum præcepit Deus *Exod.* XXI. 28. *Et cum cornu petierit bos virum vel mulierem, & mortuus fuerit vir aut mulier, lapidando lapidabitur bos, & non comedetur caro ejus; at dominus bovis erit immunis. Si autem bos cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & contestatum fuerit domino ejus, & non custodierit eum; occiderit autem virum aut mulierem, bos lapidabitur, & etiam dominus ejus interficietur*. Ubi *Mekiltha* 31. 2. וכי יגח שור היש אף השור היה בכלל שנאמר והמית איש או אשה׳ והרי חכתו׳ מוציאו מכללו להחמיר עליו שיהא בסקילה לכך נאמ׳ בפרשה צו׳ וכי יגח שור אין לי אלא שור מניץ לעשות כל הבהמה כשור הריני דן נאמר כאן שור ונאמ׳ להלן שור מה שור האמור בסיני עשה בו כל בהמה כשור אף שור האמור כאן דין חוא שנעשה כל בהמה כשור ומניץ לעשות כל המיתות כנגיחה הרי אחת דן הואיל ומועד בסקילה ותם בסקילה׳ אם למדת על המועד שעשה בו כל המיתות כנגיחה אף התם נעשה כל המיתות כנגיחה לא אם אמרת במועד שכן משלם את הכופר תאמר בתם שאינו משלם את הכופר שאין תלמוד לומר והמית איש או אשה אלא להקיש ולדון גזרה שוה נאמר כאן איש או אשה ונאמר להלן איש או אשה מה להלן עשה כל המיתות כנגיחה אף כאן דין הוא שנעשה כל המיתות כנגיחה ומניץ לעשות הקטנים כגדולי׳ הריני דן הואיל ותם בסקילה ומועד בסקילה אם למדת על מועד שעשה בו קטנים כגדולים אף התם נעשה בו קטנים כגדולים לא אם אמרת במועד שמשלם את הכופר לפיכך עשה בו את הקטנים כגדולים תאמ׳ בתם שאינו משלם את הכופר שנעשה בו קטנים כגדולים תלמוד לומר או בן יגח וגו׳. אלא מופנה להקיש ולדון גזרה שוה נאמר כאן יגח ונאמ׳ להלן יגח מה להלן עשה בו קטנים כגדולים אף כאן עשה בו קטנים כגדולים ר׳ שמעון בן יוחאי אומר למה נאמר עד שלא יאמר יש לי בדין ומה אם במקום שלא עשה בו קטנים כגדולים בהורגין עשה קטנים כגדולים בנהרגין מקום שעשה קטני׳ כגדולים בהורגין אינו דין שנעשה קטנים כגדולים בנהרגין לא אם אמרת להלן עשה שאינו מתכוין כמתכוין בנזוקיו לפי׳ עשה בו קטנים כגדולים בנהרגין תאמר כאן שלא עשה בו שאינו מתכוין כמתכוין שנעשה בו קטנים כגדולים בנהרגין תלמוד לומר או בן יגח או בת יגח מופנה להקיש ולדון גזרה שוה נאמר כאן יגח ונאמר להלן יגח כדכתיב לעיל סקול יסקל השור למה נאמר ממשמע נאמר סקול יסקל השור איני יודע שבשרו אסור באכילה מה תלמו׳ לומ׳ לא יאכל את בשרו אלא שור שיוצא ליסקל וקדמו בעלים ושחטוהו בשרו אסור באכילה לכך נאמר לא יאכל את בשרו אין לי אלא באכילה מניץ שאף בהנאה אסור אמרת קל וחומר ומה עגלה ערופה שהיא מכפרת על שפיכות דמים הרי היא אסורה בהנאה שור הנסקל שהוא שופך דמים אינו דין שיהא אסור בהנאה או חילוף ומה שור הנסקל שהוא שופך דמים מותר בהנאה עגלה ערופה שהיא מכפרת על שפיכות דמים אינו דין שתהא מותרת בהנאה תלמוד לו׳ וערפו שם את העגלה בנחל דנתי וחלפתי ובטל החלוף וזכיתי כדון מתחלה מה עגלה ערופה שמכפרת על שפיכות דמי׳ הרי היא אסורה בהנאה שור הנסקל שהוא שופך דמי׳ אינו דין שיהא אסור בהנאה ר׳ יצחק אומ׳ אינו צריך מה עגלה ערופה שאינה מטמאה את הארץ ולא מסלקת את השכינה הרי היא אסורה בהנאה שור הנסקל שהוא מטמא את הארץ ומסלק את השכינה אינו דין שיהא אסור בהנאה רבי אומר מה פרים הנשרפים ושעורים הנשרפים שהן באין לכפרה לעולם אסור בהנאה שור הנסקל שאינו בא לכפרה לעולם אינו דין שיהא אסור בהנאה אין לי אלא בשרו עורו מניץ הרי היה רבי ישמעאל אומר קל וחומ׳ ומה חטאת שבשרה מותר בשחטה עורה אסור במיתתה שור הנסקל שבשרו אסור בשחיטתו אינו דין לא שיהא עורו אסור במיתתו נבלה תוכיח אף על פי שבשרה אסור בשחיטתה עורה מותר במיתתה היא תוכיח על שור הנסקל שאף על פי שבשרו אסור בשחיטתו דין הוא שיהא עורו מותר במיתתו אמר אחד מתלמידי ר׳ ישמעאל לא אם אמרת בנבלה שהיא מותרת בהנאה

לפיכ׳

לפיכ' עורה מותרת במיתתה תאמר בשור
הנסקל שהוא אסור בהנאה לפיכך יהא עורו
אסור במיתתו . סקול יסקל השור לא יאכל
את בשרו בשרו למה להביא דמו וחלבו ועורו
ובעל השור נקי ר' יהוד' או' נקי מידי שמים
שהיא בדין הואיל ומועד בסקילה ותם
בסקילה אם למדת על מועד שיצאו בעליו
מידי בית דין בשר ודם לא יצאו מידי שמים
אף התם אף על פי שיצאו בעליו מידי בית
דין של בשר ודם לא יצאו מידי בית דין
של שמים הא מה תלמוד לומ' ובעל השור
נקי בידי שמים שמעון בן עזאי אומר ובעל
השור נקי נקי מחצי כופר שהיה בדין הואיל
ושור שהמית את השור בתשלומין ושור
שהמית את האדם בתשלומין מה להלן מועד
משלם נזק שלם ותם משלם חצי נזק אף
כאן באדם כן ומה תלמוד לומר בעל השור
נקי מחצי נזק רבן גמליאל אומ' ובעל השור
נקי נקי מדמי עבד שהיה בדי' הואיל ומועד
בסקילה ותם בסקילה אם למדת על מועד
שהוא משלם דמי העבד יכול אף בתם כן
ומה תלמוד לומר בעל השור נקי' מדמי עבד
ר' עקיבא אומר בעל השור נקי מדמי וולדות
שהיה בדין הואיל וחייב באדם וחייב בשור
אם למדת על אדם שהוא מתכוין לחבירו
והכה אשה ויצאו ילדיה משלם דמי וולדות
אף שור המתכוין לחבירו והכה אשה ויצאו
ילדיה משלם דמי ולדות וכו': הא מה תלמוד
לומ' ובעל השור נקי נקי מדמי וולדות אם
שור נגח הוא בא הכתוב לחלוק בין שור תם
למועד מועד צריך עדים ותם אין צריך עדים
מועד משלם את הכופר ותם אינו משלם את
הכופר מועד נותן שלשים סלע ותם אינו
נותן שלשים סלע מועד משלם נזק שלם
ותם משלם חצי נזק מועד משלם מן העלייה
ותם מגופו מתמול שלשום יום ואמש ושלפניו
זהו שור תם ואי זה הוא שור מועד מועד
שהעידו בו שלשה פעמים ותם שיחזור בו
שלשה ימים והרי אחר זה ר' יוסי אומר
אפילו העידו בו שלשה פעמי' ביום אחד זה
אחר זה חייב ומה תלמוד לומ' מתמול
שלשו' אלא אם התרה בו שלשה ימים שלא
בזה אחר זה אינו נידון אלא כתם והועד
מגיד שאינו חייב עד שיתרו בו לא ישמרנו
להבא אומר חנם ולא ישמרנו כראוי לו מכאן
אמרו שמרו כראוי פטור שלא כראוי חייב
קשרו במוסרה והזיק תם פטור ומועד חייב
שנאמר ולא ישמרנו בעליו ולא שמור הוא זה
דברי רבי מאיר רבי יהודה אומר תם חייב
ומועד פטור שנאמר ולא ישמרנו בעליו
ושמור הוא זה דברי רבי מאיר רבי אליעזר
אומר אין לו שמירה אלא סכין רבי אליעזר
בן יעקב פוטר בזה וזה והמית איש או אשה
מופנה להקיש ולדון גזרה שוה השור יסקל
יסקל למה נאמר עד שלא יאמר יש לי בדין
אם התם בסקילה מועד לא יהא בסקילה לא
אם אמרת בתם שאינו משלם את הכופר
לפיכך בסקילה תאמ' במועד שהוא משלם את
הכופר לפיכך לא יהא בסקילה תלמוד לומר
השור יסקל דבר אחר היה בכלל ויצא לידון
בדבר הדש והחזירו הכתוב לכללו רבי עקיבא
אומר השור יסקל וגם בעליו הקיש מיתת
בעליה למיתת השור מה מיתת בעלים
בעשרים ושלשה אף מיתת השור בעשרים
ושלשה וגם בעליו יומת בידי שמים אתה
אומ' בידי שמים או אינו אלא בידי אדם
כשהוא אומר אם כופר יושת עליו ונתן פריון
נפשו הא נותנין פריון מומתין בידי שמים
ומה תלמוד לומר מות יומת המכה רוצח
הוא ועדיין אני אומר יומת בידי שמים אתה
אומר בידי שמים או אינו אלא בידי אדם
כשהוא אומר לא תקחו כופר לנפש רוצח
אשר הוא רשע למות הא אין נותני' פריון
למומתין בידי אדם אבל נותנין פריון למומתים
בידי שמים אם כופר יושת עליו ונתן פריון
נפשו של מומת דברי רבי ישמעאל רבי
עקיבא אומר פריון נפשו של ממית ובן
מצינו שאין נותנין פריון מומתים בידי אדם
בכל מקום חייבי מיתות בית דין אין לתן
פריון שנאמר כל חרם אשר יחרם מן האדם
לא יפדה מות יומת אבל כאן ונתן פריון
נפשו רבי ישמעאל אומר בא וראה רחמיו
של מי שאמר והיה העולם על בשר ודם
שאדם קונה את עצמו בממון מידי שמים
שנ' כי תשא את ראש בני ישראל לפקודיהם
וגו' ואומ' איש כסק נפשות ערכו ואומ' כופר
נפש איש עשרו ואומר להן מלכא מלכי
ישפר עלך וחטאך בצדקה פרוק ואומר אם
יש עליו מלאך מליץ אחד מני אלף להגיד
לאדם ישרו ואומר ויחוננו ויאמר פרעהו
מרדת שחת מצאתי כופר נמצינו למדים
קדשים יש להם פריון וקדשים אין להם
פריון אסורין באכילה יש להם פריון אסורין
בהנאה אין להם פריון שדות וכרמים יש
להם פריון ויש שיש להן פריון ויש שאין
להם פריון אומות אין להם פריון ת"ל אח
לא פדה יפדה איש ולא יתן לאלהים כפרו
ויקר פריון נפשם חביבין ישראל שנתן הקב"ה
אומות העולם תחתיהן כפרה תחת נפשותיהם
שנ' נתתי כפרך מצרים מפנ' מה מאשר
יקרת בעיני נכבדת ואני אהבתיך ואתן
אדם תחתיך ולאמים תחת נפשיך :

Et cum cornu petierit bos virum Bos quoque fuit in generali. Dictum eſt enim: *Et occiderit virum, aut mulierem*. Ecce textus eum eduxit a generali, ad eum aggravandum, ut ſit lapidandus. Idcirco dictum eſt in hac Paraſcha. *Et cum cornu petierit bos*; Non probo niſi de bove, unde probatur, ut omnia jumenta ſint bovi æquiparanda? Argumento: Dictum eſt hic: *Bos*; & dictum & ibi *Bos*. Sicut in bove in Sinai memorato, cuncta jumenta bovi æquiparantur, ita pariter in bove hoc loco memorato æquum erit, ut cuncta jumenta ſint bovi æquiparanda. Et unde probatur, quod omnes mortes ſint æquiparandæ morti, quæ ſit cornupetitione? Ecce tibi argumentum. Quoniam bos convictus erat lapidandus, & innocens erat lapidandus: Si docuiſti de cornupeta, in quo æquiparantur omnes mortes morti quæ ſit cornupetitione, in innocenti ſimiliter erunt æquiparandæ omnes

nes mortes morti, quæ fit cornu petitione: maxime: Si dixisti de convicto, ea de causa dictum est, quod in eo rependat expiamentum, dices de innocente in quo non rependit expiamentum? Non dictum est: *& interfecerit virum aut mulierem*: nisi ut fiat argumentum a pari. Dictum est hoc loco: *Virum aut mulierem*; & ibi dictum est: *Virum aut mulierem*: sicut ibi omnes mortes æquiparantur morti, quæ fit cornu petitione, ita pariter hoc loco æquiparandæ erunt omnes mortes morti, quæ fit cornu petitione: Et unde probatur, quod sint æquiparandi majorennes minorennibus? Argumento. Quoniam innocens erat lapidandus, & convictus erat lapidandus: Si probasti de convicto, ubi æquiparantur minorennes majorennibus in innocente pariter æquiparandi erunt minorennes majorennibus. Minime: si dixisti de convicto, ubi rependit expiamentum, ideoque æquiparantur minorennes majorennibus, dices de innocente, ubi non rependit expiamentum, quod æquiparandi sint minorennes majorennibus? Idcirco dictum est. *Sive filium cornu petierit* &c. Sed converte ad æquiparandum, & differendum argumento a pari. Dictum est hic: *Cornu petierit*: Et dictum est ibi: *Cornu petierit*. Sicut ibi æquiparantur minorennes majorennibus, ita pariter hoc loco æquiparandi erunt minorennes majorennibus. R. Simeon ben Jochai dicit: Cur dictum est? Si non dictum esset, esset mihi argumentum. Si ubi non æquiparantur minorennes majorennibus in occisoribus, æquiparantur minorennes majorennibus in occisis; hoc loco, ubi æquiparantur minorennes majorennibus in occisoribus, non erit æquum ut æquiparentur minorennes majorennibus in occisis? Minime: Si dixisti; quod ibi equiparentur qui intentionem non habuerint iis, qui intentionem habuerunt in ejus damnis, ideoque in eo equiparantur minorennes majorennibus, dices hoc loco, ubi non æquiparantur qui intentionem non habuerunt iis qui intentionem habuerunt; ut æquiparandi sint minorennes majorennibus in occisis? Idcirco dictum est: *Sive filium cornu petierit, sive filiam cornu petierit*. Converte ad æquiparandum & differendum argumento a pari. Dictum est hic: *cornu petierit*; & dictum est ibi: *cornu petierit*: sicuti supra scriptum est. *Lapidando lapidabitur bos*. Cur dictum est? Ex textu dictum est: *Lapidando lapidabitur bos*. Nonne constat ejus carnem fuisse esu interdictam? Cur dictum est: *Non comedetur caro ejus*? Ea de causa dictum est eo quod si bos exeat, ut lapidetur, & ejus domini anteverterint, & eum mactaverint, ejus caro erat esu interdicta. Idcirco dictum est: *Non comedetur ejus caro*. Non probo nisi de esu, unde probatur, quod vel usu sit interdicta? Dixisti? Argumento a minori ad majus. Si vitula decollanda, quæ expiabat effusionem sanguinum, erat usu interdicta, bos lapidandus, qui effuderat sanguinem non erit æquum, ut sit usu interdictus? Idcirco dictum est. Et *decollabunt ibi vitulam in torrente*. Differui, & immutavi, & immutatio abolita est, & justificavi argumento a principio. Si vitula decollanda, quæ expiabat effusionem sanguinem, erat usu interdicta, bos lapidandus, qui effudit sanguines, non erit æquum ut sit usu interdictus? Rab. Isaach dicit: Non est necesse; Si vitula decollanda, quæ non polluit terram, neque removet Divinitatem, erat usu interdicta, bos lapidandus, qui polluit terram, & removet Divinitatem, non erit æquum ut sit usu interdictus? Rabi dicit: Si juvenci comburendi, & hirci comburendi, qui adducuntur propter expiationem sunt usu interdicti bos lapidandus, qui non adducitur propter expiationem perpetuo non erit æquum perpetuo ut sit usu interdictus? Non probo nisi de ejus carne, de ejus pelle unde probatur? R. Ismael dicit: argumento a minori ad majus. Si in sacrificio pro peccato, cujus caro mactatione fit licita, ejus pellis morte fit interdicta, in bove lapidando, cujus caro mactatione fit interdicta, erit æquum ut ejus morte ejus pellis fiat interdicta. Cadaver probet, in quo etiamsi ejus ejus caro mactatione fit interdicta, tamen ejus morte pellis fit licita; Illud probet de bove lapidando, in quo etiamsi ejus caro mactatione fit interdicta, tamen ejus pellis ejus morte fiet licita. Dixit quidam ex discipulis R. Ismael. Minime; si dixisti de cadavere, quod est usu licitum, ideoque ejus pellis ejus morte erit licita, dices de bove lapidando, qui est usu interdictus? Ideoque ejus pellis ejus morte erit interdicta. *Lapidando lapidabitur bos*; *non comedetur caro ejus*. *Caro ejus* cur dictum est? Ad includendum ejus sanguinem, adipem, & pellem. *Et dominus bovis erit immunis*. Rab. Jehuda dicit: *Immunis* ex potestate Dei. At est argumento locus. Quoniam convictus lapidatur, & innocens lapidatur; si dixisti de convicto cujus domini immunes sunt ex potestate Synhedrii, quod est caro & sanguis, at non sunt immunes ex potestate Dei; similiter in bove innocenti in quo etiamsi ejus domini sint immunes ex potestate Synhedrii, quod est caro & sanguis, tamen non erunt immu-

munis ex potestate Synhedrii divini. Cur igitur dictum est: Et *dominus bovis* erit *immunis*? Ex potestate Dei. Simeon ben Azai dicit: *Et dominus bovis erit immunis*. Immunis a dimidia parte expiationis. At est argumento locus. Si bos interfecerit bovem, rependitur pretium, & si bos interfecerit hominem, rependitur pretium; sicut ibi in convicto rependitur integrum damnum, & in innocenti rependitur dimidium damni, similiter hoc loco de homine dicendum est: Cur igitur dictum est: *Et dominus bovis erit immunis? Immunis* a dimidio damni. Raban Gamaliel dicit: *Et dominus bovis erit immunis? immunis* a pretio servi. At est argumento locus. Quoniam convictus lapidatur, & innocens lapidatur, si docuisti quod in convicto rependat pretium servi, idem poterit dici de innocenti. Cur igitur dictum est: *Et dominus bovis erit immunis? Immunis* a pretio servi. R. Akiba dicit: *Et dominus bovis erit immunis* a pretio fœtus. At est argumento locus: Et reus est in homine, & reus est in bove. Si docuisti de homine, ubi si intenderit percutere socium suum, & percusserit mulierem, & exierit fœtus, rependet pretium fœtus, similiter in bove, ubi si ille intenderit percutere ejus socium, & percusserit mulierem, & exierit fœtus, rependet pretium fœtus &c. Cur igitur dictum est: *& dominus bovis erit immunis?* Immunis a pretio fœtus. *Si autem bos cornupta fuerit*. Venit textus ad distinguendum inter bovem innocentem & inter bovem convictum; In bove convicto requiruntur testes, at in innocente, non requiruntur testes. In convicto rependit expiamentum; at in innocenti non rependit expiamentum. In convicto rependit triginta siclos, at in innocenti non rependit triginta siclos. In convicto rependit integrum damnum, at in innocenti rependit dimidium damni. In convicto rependit ex eo quod sibi impositum est, at in innocenti rependit ex ejus corpore. *Ab heri & nudius tertius* & heri vesperi, & quod illud præcedit. Quinam est bos innocens & quinam est bos convictus? In bove convicto contestandum erat tribus vicibus, at in innocenti erat repetendum tribus diebus altero post alterum. Rabi Jose dicit; vel si fuerit contestatum tribus vicibus eo die altera post alteram, reus erit. Cur igitur dictum est: *Ab heri & nudius tertius?* Hoc significat, si præmonitus fuerit tribus diebus, si non fuerit altero post alterum, considerandus erat sicut bos innocens: *Et contestatum fuerit*: Ostenditur, quod non sit reus, nisi postquam præmonitus fuerit. *Et non custodierit eum*; ut obligetur custos gratuitus. *Et non custodierit eum*: Sicut convenit: Hinc dixerunt; Si custodierit sicut convenit, absolvitur. Si minus sicut convenit, reus est: Si eum ligaverit capistro, & egressus damnum intulerit, in bove innocente absolvitur, in convicto reus est. Dictum est enim: *Et non custodierit eum dominus ejus*. Iste jam custoditus est. Verba R. Meir. R. Jehuda dicit propter innocentem reus est, & propter convictum absolvitur. Dictum est enim. *Et non custodierit eum dominus ejus*; & iste non fuit custoditus; verba R. Meir. R. Eliefer dicit: Non est mihi custodia, nisi gladio. R. Eliefer ben Jacob in utroque absolvit. *Occiderit autem virum aut mulierem*. Converte ad æqui parandum, & ad differendum a pari. *Bos lapidabitur*. Cur dictum est? Si non dictum esset, mihi esset argumentum: Si innocens lapidatur, convictus non erit lapidandus? Nonne? Si dixisti de innocente, quia in eo non rependitur expiamentum; idcirco erat lapidandus; dices de convicto, in quo rependebatur expiamentum? Ideoque non erat lapidandus. Idcirco dictum est. *Bos lapidabitur*. Alia expositio. Bos erat in generali, & exiit, ut de eo novum aliquid differatur, atque eum textus reduxit in generale. R. Akiba dicit: *Bos lapidabitur, & etiam dominus ejus interficietur*: Æquiparatur mors dominorum morti bovis; sicut supplicium dominorum infligebatur a tribus & viginti, ita pariter supplicium bovis infligebatur a tribus & viginti. *Et etiam dominus ejus interficietur*. Per manum Dei: Tu dicis per manum Dei, at non erit nisi per manum hominis. Quando vero dicitur: *Et si expiamentum impositum fuerit ei, & dabit redemtionem animæ suæ*. Ecce dabatur redemtio pro iis, qui morte cœlitus inflicta moriebantur. Cur igitur dictum est *Num.* xxxv. 18. *Interficiendo interficietur peccussor, homicida ille est*. Et adhuc ego dico: Interficietur per manum Dei. Tu Dicis per manum Dei; at non erit dicendum nisi per manum hominis. Quando vero dicitur *Num.* xxxv. 31. *Neque accipietis expiamentum pro anima homicidæ, qui debet mori*. Ecce non dabatur redemtio pro iis qui per manum hominis mori debebant, sed dabatur redemtio pro homicidis per manum Dei debent mori. *Si expiamentum impositum fuerit ei, dabit redemtionem animæ homicidæ*. Verba R. Ismael. R. Akiba dicit redemtionem animæ homicidæ. Atque ita deprehendimus, quod nunquam daretur redemtio pro iis qui per manum hominis debebant mori. Qui rei erant mortis ex Synhe-

hedrii ſententia, non erat illis redemtio. Dictum eſt enim *Levit.* XXVII. 29. *Omne anathema quod devovebitur ab homine, non redimetur, interficiendo interficietur*. Et hoc loco dictum eſt, quod det redemtionem animæ ſuæ. Rab. Iſmael dicit: Veni & vide miſericordiam illius qui dixit: & fuit mundus; præ carne & ſanguine: Quia homo acquirit ſeipſum pecunia de poteſtate cœli. Dictum eſt enim *Exod.* XXX. 12. *Quando recenſebis capita filiorum Iſrael per numeros eorum* &c. Et dictum eſt 2. *Reg.* XII. 4. *Unuſquiſque argentum, quod offertur pro pretio animarum*. Et dictum eſt *Prov.* XIII. 8. *Redemtio animæ viri divitis ſuæ*. *Dan.* IV. 27. *Et dixit illis rex regum; complaceat ſuper te, & peccata tua eleemoſyna redime*. Et dictum eſt *Job* XXXIII. 23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet homini æquitatem*. Et dictum eſt ibid. *Miſerebitur ejus, & dicet, libera eum ne deſcendat in corruptionem, inveni in quo ei propitior*. Deprehenditur, quod doceamur eſſe ſanctitates, quæ rediniuntur, & eſſe ſanctitates, quæ non redimuntur. In eſu interdictis eſt redemtio, in uſu interdictis non eſt redemtio. Agris & vineis eſt redemtio. Et ſunt quibus eſt redemtio, & ſunt quibus non eſt redemtio: Nationibus non eſt redemtio. Dictum eſt enim *Pſalm.* XLIX. 8. *Frater non redimet, redimet homo, non dabit Deo expiationem ſuam, & pretium redemtionis animæ ſuæ*. Amabiles ſunt Iſraelitæ, quibus dedit Deus S. B. nationes mundi pro ſemetipſis in expiationem pro animabus ſuis. Dictum ut enim *Eſai.* XLIII. 3. *Dedi expiationem tuam Ægyptum*. Qua de cauſa? *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua*.

XVIII. Vitulam ad cædis expiationem fuiſſe decollandam præcipitur *Deut.* XXI. 1. ubi *Siphri* fol. 47. 4. כי ימצא ולא בשעה שמצוי׳ מיכאן אמ׳ משרבו הרצחנים בטלה עגלה ערופה משבא ר׳ אלעזר בן ינאי ותחינא בן פרישה היה נקרא חזרו לקרותם בן הרצחנים חלל ולא חנלק חלל ולא מפרפר באדמה ולא טמון בגל נפל ולא תלוי באלין בשדה ולא צף על פני המים אשר יי׳אלהיך נותן לך לרבות עבר הירדן ר׳ אליעזר אומר בכולם היו עורפים אל׳ ר׳ יוסי ברבי יהודה וכי אינו אלא חנוק ומושלך בשדה שמא היו עורפים אלא בכולם אם היה חלל עורפים לא נודע מי הכהו ואפילו אחד מהן ראהו לא היו עורפים ר׳ עקיבא אומר מנין אם ראהו בית דין שהרג ולא היו מכירים אותו לא היו עורפים ת׳ל וענו ואמרו ויצאו זקיניך זקיניך שנים ושופטיך שנים אין בית דין שקול מוסיפי׳ עליהם עוד אחד הרי חמשה דברי ר׳ יהודה ר׳ שמעון אומ זקיניך ושופטיך שנים אין בית דין שקול מוסיפים עליהם עוד אחד הרי שלשה ומדדו את הערים אשר סביבות החלל מן החלל אל הערים ולא מן הערים אל החלל נמצא ראשו במקום אחד ונופו במקום אחד מוליכים את ראשו אצל הגוף דברי ר׳ אלעזר ר׳ עקיבא אומר הגוף אצל הראש נמצא סמוך לספר או לעיר שרובה גוים או לעיר שאין בה בית דין לא היו מודדים אלא לעיר שיש בה בית דין והיתה העיר הקרובה הקרובה שבקרובות מיכן אמרו נמצא מכוון בין שתי עיירות שתים מביאות שתי עגלות דברי ר׳ אליעזר וחכמים אומרים עיר אחת מביאה ואין שתי עיירות מביאות שתי עגלות ואין ירושלם מביאה עגלה ערופה ולקחו זקני העיר ההיא ולא זקני ירושלם עגלת בקר ר׳אלעזר אומר עגלה בת שנתה ופרה בת שתים וחכמים אומרים עגלה בת שנתה ופרה בת שלש ובת ארבעה דבר אחר עגלת בקר שיהא בה שני דרכים הא כיצד בשתים עגלות בקר ר׳א רחיצה בזקנים וכפרה בכהני׳ אשר לא עובד בה כל עבודה ומניין בעול ת׳ל אשר לא משכה בעול והורידו זקני העיר ההיא מציה בזקני העיר ההיא אל נחל איתן כמשמעו קשה ואע׳פ שאין איתן כשר עורפים אותה בקיפוץ מאחריו ומקומו אסור ליזרע ומלעבוד יכול יהא אסור מלהדוק שם פשתן ומלנקר שם את האבנים ת׳ל לא יזרע זריעה בכלל היתה ולמה יצאת להקיש אליה מה זריעה מיוחדת שהיא חובת קרקע יצאו אילו שאינו חובת קרקע וערפו שם נאמר כאן עריפה ונאמר להלן עריפה מה עריפה האמורת להלן עורפים בקופיץ מאחריה ואסור בהנאה וקוברו אף עריפה האומרה כאן עורפה בקופץ מאחריה וקברה ואסור בהנאה בנחל אע׳פ שאינו איתן: *Si quis inveniatur*, at non eo tempore, quo invenitur. Hinc dixerunt: Poſtquam multiplicati ſunt homicidæ, abolita fuit vitula decollanda. Poſtquam venit R. Elieſer ben Dinai, Techina ben Priſcha vocabatur: at mox vocatus eſt filius homicidarum. *Confoſſus*: Non ſtrangulatus. *Confoſſus*: Non palpitans. *In terra*. Non ſub acervo lapidum. *Jacens*. Non ſuſpenſus de arbore. *In agro*. Non innatans aquis: *Quam Deus Dominus tuus dabit tibi*. Ad includendum terras ſitas trans Jordanem. R. Elieſer dicit. Pro omnibus decollabant. Reſpondit illi, R. Joſe bar R. Jehuda. Num non niſi pro ſtrangulato, & projecto in agro decollabant? Sed pro omnibus cæſis decollabant. *Nec cognitum fuerit, quis percuſſerit eum*. Vel ſi unus ex iis viderit, non decollabant. R. Akiba dicit. Unde probatur, vel ſi viderit homicidam Synhedrium, & eum non cognoverit, quod non decollarent? Ex eo quod dictum eſt: *Et reſpondebunt & dicent*. *Seniores tui*. *Seniores tui* duo: *Et ju-*

judices tui. *Judices tui* duo. Synhedrium non debet esse æquilibratum. Additur illis præterea unus; ecce erunt quinque. Verba R. Jehuda. R. Simeon dicit. *Seniores tui, & judices tui*, duo; at Synhedrium non debet esse æquilibratum: Additur illis præterea unus; Ecce erant tres. *Et metientur usque ad civitates, quæ sunt circa confessum*. A confosso ad civitates, at non a civitatibus ad confossum. Si inveniatur ejus caput in altero, & ejus corpus in altero loco, admoveatur caput corpori. Verba R. Eleaser; R. Akiba dicit; Corpus admovetur capiti. Si inveniatur prope terminum, aut prope civitatem, in qua maxima pars incolarum sint gentiles, aut prope urbem, in qua non sit synhedrium, non metiebantur; Etenim non metiebantur nisi a civitate, in qua erat synhedrium, *Eritque civitas proxima*; proxima quæ sit ex propinquioribus. Hinc dixerunt. Si præcise inveniatur inter duas civitates, duæ civitates adducebant duas vitulas: Verba R. Eliezer. At sapientes dicunt: Una civitas adducebat, non autem duæ civitates vitulam adducebant; Neque Hierusalem adducebat vitulam decollandam: *Et sument seniores civitatis illius*; non autem seniores Hierusalem; *Vitulam boum*. R. Eliezer dicit: Vitula annicula, & vacca biennis. At sapientes dicunt. Vitula est annicula, & vacca triennis, & quatriennis. Alia expositio: *Vitulam boum*. Ut in ea sint duæ rationes. Quomodo? In duabus vitulis bovum. Alia expositio: Lotio facienda erat a senioribus, & expiatio a sacerdotibus. *Quæ non operata fuerit*. Quodcunque opus: & unde probatur ad includendum jugum? Ex eo quod dictum est. *Quæ non traxerit jugum: & deducent seniores civitatis illius*! Hoc præceptum incumbit senioribus civitatis illius: *Ad torrentem rapidum*. Juxta sensum literalem (איתן) durum & rapidum significat: Vel si non fuerit rapidus, tamen erat legitimus. Decollabant eam secespita a tergo; & in eo loco vetitum erat serere, & colere. Crederem fuisse etiam vetitum ibi linum pectere, & colligere lapides? Idcirco dictum est: *Nec seminatum fuerit*. Satio erat in genere, & cur exiit? ut de ea disseritur: Sicut satio est peculiarias, & solo necessario inhæret excluditur ista, quæ solo necessario non inhæret. *Et decollabunt ibi*. Memoratur hic decollatio, & memoratur *Exod.* XIII. 13. decollatio; sicut in decollatione ibi memorata, decollabant secespita, & a tergo, & ejus usus erat interdictus, & sepeliebatur; ita pariter in decollatione hoc loco memorata decollabatur, & sepeliebatur, & ejus usus erat interdictus. *In torrente*: Vel si non esset rapidus. Et mox legitur in *Siphri* loc. cit. ונגשו הכהנים בני לוי מכלל שנ' ושרת בשם יי' אליהו אין לי אלא תמימים בעלי מומים מניין תל' בני לוי כי בם בחר יי' אלהיך מגיד שברכת כהנים כשירה בבעלי מומים לשרתו ולברך בשם יי' מקיש ברכה לשירות מה שירות בעמידה אף ברכה בעמידה ועל פיהם יהיה כל ריב וכל נגע מקיש ריבים לנגעים מה ריבים ביום אף נגעים ביום מה ריבים שלא בקרובים אף נגעים שלא בקרובים אי מה ריבים בשלשה אף נגעים בשלשה ודין הוא אם ממונו בשלשה גופו אינו דין שיהא בשלשה תל' או אל אחד מבניו הכהנים ללמדך שכהן אחד רואה את הנגעים וכל זקני העיר ההיא ואפילו הם מאה שאמרנו למעלה ג' וחמשה יכול אף כאן תל' וכל זקני העיר ההיא אפילו הם מאה ירחצו את ידיהם על העגלה הערופה בנחל על מקום עריפתה של עגלה יכול יעלו מן הנחל ויאמרו תל' בנחל שהא ממירחץ רעניתן בנחל וענו ואמרו בלשון הקודש ידינו לא שפכו וכי עלת על לבינו שזקני בית דין שופכי דמים חם אלא שלא בא לדינו ופטרנוהו בלא לוייה ולא ראינוהו והנחנוהו הכחמים אומרים כפר לעמך ישראל כשהוא או' אשר פדית יי' מלמד שכפרת זו מכפרת על יוצאי מצרים כפר לעמך אילו החיים אשר פדית אילו המתים מלמד שהמותים צריכים כפרת נמצינו למנדי' ששופך דמי' חוטאאשר פדית על מנת כן פריתנו שלא יהיה בנו שופכי דמי' דא' על מנת כן פדיתנו שאם נחטא אתה מכפר עלינו ורוח הקודש אומר כל זמן שתעשו ככה הדם מכפר לכם ואתה תבער בער עושי הרעות מישראל: *Et accedent sacerdotes filii Levi*. Per consequens. Dictum est enim. *Et ministrabit in nomine Domini Dei sui*. Non probo nisi de perfectis, de vitiatis unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Filii Levi*. *Eos enim elegit Dominus Deus tuus*. Ostenditur, quod benedictio sacerdotalis sit legitima, si facta sit a vitiatis. *Ad ministrandum sibi & ad benedicendum nomine Domini Dei*. Comparatur benedictio cum ministerio, sicut ministerium a stantibus erat peragendum, ita pariter benedictio a stantibus erat facienda; atque *ex ore eorum erit omnis lis, & omnis plaga*. Comparantur lites cum plagis. Sicut lites interdum erant definiendæ, ita pariter interdiu plagæ. Scut lites per propinquos non erant definiendæ, ita pariter plagæ: Aut sicut lites a tribus erant definiendæ, ita pariter plagæ. Et argumento probari potest; si ejus opes a tribus definiendæ erant, ejus corpus nonne multo magis? Idcirco dictum est: *Aut ad unum ex filiis ejus sacerdotibus*. Ut dicas, quod sacerdos unus posset inspicere plagas. *Et omnes se-*

seniores civitatis illius. Vel centum. At diximus supra tres, & quinque. Crederem idem hoc loco obtinere? Idcirco dictum est: *Et omnes seniores civitatis illius*. Vel centum. *Lavabunt manus suas super vitula decollata in torrente*. In loco decollationis vitulæ. Crederem, quod adscenderent ex torrente, & dicerent? Idcirco dictum est: *In torrente*; ut eorum locutio, & responsio fieret in torrente: *Et respondebunt & dicent:* Lingua Sancta. *Manus nostræ non effuderunt*. Putamus ne, seniores synhedrii fuisse effuseres sanguinum? Quia igitur ille non venit ad nos, ut illum dimiserimus sine commeatu, nec visus est a nobis, ut illum incomitatum abire permiserimus. Et sapientes dicunt. *Expia populum tuum Israel*. Quando vero dicitur: *Quem redemisti Deus*. Docetur quod hæc expiatio expiaret pro iis, qui egressi sunt de Ægypto. *Expia populum tuum*. Hoc intelligitur de viventibus: *Quem redemisti*. Hoc intelligitur de mortuis. Docetur, quod mortui opus habeant expiatione. Dæphrenditur, quod addiscamus, quod effusor sanguinis sit peccator. *Quem redemisti*: Hac conditione nos redemit, ut si peccaverimus, tu nos expiares. Et spiritus sanctus dicebat. *Quotiescunque hoc facietis sanguis vobis expiabitur*. *Tu autem deficere facies*. Deficere faciet patrantes iniquitatem ex Israel.

XIX. *Num.* xix. præciptur comburendam fuisse ab Eleazaro sacerdote vaccam rufam, ut ex ejus cinere mundarentur, qui mortui causa polluti essent. *Num.* 20. 3. וידבר יי׳ אל משה ואל אהרן זאת חוקת התורה אשר צוה יי׳ לאמר דבר אל בני ישראל ויקחו אליך פרת אדומה תמימה אשר אין בה מום אשר לא עלה עליה עול וגו׳: *Locutus est Dius ad Mosen & Aharon dicendo. Hoc est statutum legis, quod præcepit Deus dicendo. Alloquere filios Israel, ut sumant tibi vaccam rufam perfectam, in qua non sit vitium, super quam non adscenderit jugum &c. Siphri* 2. 4. ונתתם אותה אל אלעזר הכהן בא הכתוב ולימד על הפרה שנעשית בסגן חרע שכן הוא שהרי אהרן קיים ואלעזר שורף את הפרה ונתתם אותה זו נעשית באלעזר ושאר הפרות נעשות בכהן גדול דברי ר׳ מאיר ר יוסי דרבי יהודה ורבי שמעון ורבי לאיעזר בן יעקב אומר זו נעשית באלעזר ושאר הפרות בין בכהן גדול ובין בכהן הדיוט והוציא אותה ולא שיוציא אחרת עמה מיכן אמרו שאם לא הייתה פרה רוצה לצאת אין מוציאי׳ עמה שחורה שלא יאמרו שחורה שחטו ולא אדומה ושלא יאמרו שתי׳ שחטו ר׳ אומ׳ לא מן השם הוא זה אלא משנאמ׳ והוציא אותה לבדה אל מחוץ למחנה להר המשחה ושחט אותה בא הכתוב ולימד על הפרה שתהא מלאכה פוסלת בשחיטתה ושחט אותה מגיד שלא נתנבלה בשחיטתה פסולה ושחט אותה מיכן אמרו אין עושים שתי פרות כאחת ושחט אותה לפניו שיהיה אחר שוחט ואלעזר רואה ולקח אלעזר הכהן עוד למה נאמר והלא כבר נאמר ונתתם אותה אל אלעזר הכהן ומה תלמוד לומר ולקח אותה אלעזר הכהן בכיהונו מדמה באצבעו מצוותה מצות יד ולא מצות כלי שהיה בדין הואיל ולוג שמן מכשיר ודם פרה מכשיר אם למדתי ללוג שמן שאין כשר אלא ביד אף דם פרה לא יהיה כשר אלא ביד אתה דן מלוג שמן ואני אדון מלוג האשם מדם האשם אמורת הפרש לוג שמן כשר ומוכשר להכשיר אם למדתי ללוג שמן שאין כשר אלא ביד אף דם פרה לא יהיה כשר אלא ביד וממקום שבאת אי מה להלן מכלי ליד אף כאן מכלי ליד תלמוד לומר מדמה באצבעו מצוותה מצות יד ולא מצות כלי אצבעו ימנית שבידו אתה אומר ימנית או כל אצבעות תלמוד לומר וטבל הכהן את אצבעו הימנית הואיל ונאמרו אצבעות בתורה סתם ופרט לך הכתוב באחת מהם שאינה אלא ימנית אף פורטני כל אצבעות שבתורה שלא יהו אלא ימנית המיומנת שבימין הרגילה שבאצבעו׳ והזה אל נכח פני אהל מועד שיהא מתכוין ורואה פתחו של היכל בשעת הזאת הדם והזה אל נכח פני אהל מועד שאם לא הוקם המשכן או אם קיפלה הרוח את היריקת לא היתה פרה נעשית חטאת והזה אל נכח פני אהל מועד למה נאמר והלא כבר נאמר מדמה באצבעו ומה תלמוד לומר מדמה לפי שהוא אומר שבע פעמים שומע אני שבע הזיות וטבילה אחת תלמוד לומר מדמה שבע פעמים מגיד שחוזר לדם שבע פעמים שבע פעמים שיהו מעכבות וו את זו שהיה בדין הואיל ונאמרו הזיות בפנים ונאמרו הזיות בחוץ אם למדתי לפנימיות שהם מעכבות זו את זו אף החיצונות יהיו מעכבות זו את זו לא אם אמרת בפנימיות שהם מכפרות לפיכך מעכבות זו את זו תאמ׳ בחיצונות שאין מכפרות לפיכך לא יעכבו זו את זו תלמוד לומר שבע פעמים לפני יי׳ שיהו מעכבות זו את זו. ושרף את הפרה לעיניו את עורה ואת בשרה ואת דמה על פרשה ישרוף בא הכתו׳ ולימד על הפר׳ שתהא מלאכה פוסלת בשריפתה הא עד לא יאמר יש לי בדין אם פוסלת בשחיטת׳ לא תפסול בשריפתה אם זכיתי מן הדין מה ת״ל ושרף את הפרה לעיניו אלא בא הכתוב ולימד על הפרה שתהא מלאכה פוסלת בה בשעת שחיטתה עד שתיעשה אפר ושרף את הפרה לעיניו לא פרים הנשרפי׳ שהיה בדין ומה פרה שאין נעשית בפנים מלאכה פוסלת בשריפתה פרים הנעשים בפנים אינו דין שתהא מלאכה פוסלת בשריפתם לא אם אמרת בפרה שהמלאכה פוסל בשחיטתה לפיכך פוסלת בשריפתה תאמר בפרים הנשרפים שאין מלאכת פוסל בשחיטתם לפיכך לא תפסול בשריפתם ותפסול בשחיטתה והדין נותן ומה פרה שאין נעשית בפנים מלאכה פוסלת בשחיטתה פרים הנשרפים

הנשרפים שנעשים בפנים אינו דין שתהא מלאכה פוסלה בשחיטתה חלמוד לומר ושרף את הפרה ושחט את הפרה ולא פרים הנשרפים ושרף את הפרה לעיניו שיהיה אחר שורף ואלעזר רואה את עורה ואת פרשה כוה פרשה במקומו אף כולם במקומו.
Et dabitis eam Eleazar sacerdoti. Venit textus, ut te doceat, quod opus vaccæ rufæ perageretur per Sagan *sive vicarium summi sacerdotis*. Scito quod ita esset, eo quod Aharon adhuc viveret, & Eleazar combussit vaccam. *Et dabitis eam*. Hæc combusta fuit ab Eleazaro; at reliquæ vaccæ combustæ fuerunt a summo sacerdote. Verba R. Meir. R. Jose bar R. Jehuda, & R. Simeon, & R. Elieser ben Jacob dicunt: Hæc combusta fuit ab Eleazaro, ut reliquæ vaccæ combustæ fuerunt tam a summo sacerdote, quam a privato sacerdote. *Et educet eam extra castra*. Ne sit alia vacca cum ea. Hinc dixerunt; Si vacca nolit egredi, ne nigram cum ea educant, ne dicant; Nigra non rufa immolata est: & similiter ne dicant, duas fuisse immolatas. Rabi dicit; Non hanc ob caussare, sed ex eo quod dictum est. *Et educet eam*. Solam. *Extra castra*. In montem unctionis: *Et mactabit eam*. Venit textus, ut doceat de vacca, quod ejus opus mactatione fieret illegitimum. *Et mactabit eam*; ostenditur quod si fieret cadaver in mactatione, esset illegitima. *Et mactabit eam*: Hinc dixerunt, quod duæ vaccæ simul non mactarentur: *Et mactabit eam coram eo*; ut alius mactaret, & Eleazar inspiceret. *Et sumet Eleazar sacerdos*. Cur iterum dictum est? Atqui dictum est: *Et dabitis eam Elezar sacerdoti*. Et cur dictum est: *Et sumet Eleazar sacerdos*? Quando fuerit in suo sacerdotio. *De sanguine ejus digito suo*. Præceptum ejus perficiendum erat digito, non vase. Atqui est argumentum. Quoniam logus facit legitimum, & sanguis vaccæ facit legitimum. Si didici, quod logus non sit legitimus nisi manu, similiter sanguis vaccæ non erit legitimus nisi manu. Tu probasti ex logo olei, at ego probabo ex logo sacrificii pro delicto, & ex sanguine sacrificii pro delicto. Dixisti? Distinguo. Locus olei est legimus, & est legitimus, ut faciat legitimum. Si didici ex logo olei, qui non est legitimus nisi manu, sanguis quoque vaccæ non erit legitimus nisi manu. Ex probatur argumento, quod adducis. Sicut ibi ex vase in manum, hic quoque ex vase in manum. Idcirco dictum est: *De sanguine ejus digito tuo*. Præceptum perficieadum erat manu, non vase. *Digito suo*, dextero, qui est in ejus manu. Tu dicis dextero; at ego dicam de cunctis digitis. Idcirco dictum est *Levit. IV. 6. 16. Et immerget sacerdos digitum sum dexterum*. Quoniam memorantur digiti in lege simpliciter, & definit tibi textus unum ex iis, quod non sit nisi dexter. Ego quoque definiam omnes digitos in lege memoratos non esse nisi dexterum, & præcipuum in manu dextera, & promtiorem ex cunctis digitis. *Et stillabit e regione faciei tentorii conventus*; ut præcise inspiciat portam templi tempore adspersionis. *Et stillabit e regione faciei tentorii conventus*. Si non fuerit erectum tabernaculum, aut si complicaverit ventus velum, vacca non faciebat expiationem. *Et stillabit e regione faciei tentorii conventus*. Cur dictum est? Atqui jam dictum erat: *De sanguine ejus digito suo*: Et cur dictum est: *De sanguine ejus?* Quia dicit: *Septies*: Crederem septem adspersiones, & unam immersionem? Idcirco dictum est: *De sanguine ejus septies*. Docetur, quod immergeret digitum in sanguine septies. *Septies*: Eo quod adspersio altera alteram impediret. Quod probari potest argumento. Memorantur adspersiones interiores, & memorantur adspersiones exteriores. Si didici ex interioribus quod altera alteram impediret, in exterioribus quoque altera alteram debebat impedire. Minime: Si dixisti de interioribus, quæ expiabant; ideoque altera alteram impediebat, dices de exterioribus, quæ non expiabant, ideoque altera alteram non impediet? Idcirco dictum est: *Septies coram Deo*; ut altera alteram impediat. *Et comburet in conspectu oculorum ejus pellem ejus, & carnem ejus, & sanguinem ejus cum fimo ejus comburet*. Venit textus, ut te doceat, quod opus vaccæ combustione posset fieri ellegitimum. Priusquam dictum esset, erat mihi argumentum: Si fieri poterat illegitima mactatione, nonne fieri poterat illegitima mactatione? Si hoc argumento uti poteram, cur igitur dictum est: *Et comburet vaccam in conspectu oculorum ejus?* At venit textus ut docet de vacca, quod opus fieri posset illegitimum tempore mactationis, priusquam fieret cinis. *Et comburet vaccam in conspectu oculorum ejus*: At non juvencos comburendos. At argumento probari potest. Si vaccam, quæ intus non mactabatur, opus facere poterat illegitimam combustione; juvencos comburendos, qui intus immolabantur, nonne opus facere poterat illegitimos combustione? Minime: Si dixisti de vacca, qued eam opus facere poterat illegitimam mactatione, ideoque fieri poterat

erat illegitima combuſtione, dices de juvencis comburendis, quos opus facere non poterat illegitimos in eorum mactatione? Quod fieri non poſſent ille gitimi mactatione, probari poteſt argumento. Si vaccam, quæ intus non immolabatur, opus facere poterat illegitimam in mactatione, juvencos comburendos qui intus immolabantur, non erit æquum, ut opus facere poſſit illegitimos in mactatione? Idcirco dictum eſt: *& comburet vaccam, & mactabit vaccam.* Non autem juvencos comburendos: *Et comburet vaccam in conſpectu oculorum ejus;* Ut alius combureret, & Eleazar inſpiceret: *& pellem ejus, & fimum ejus:* Sicut fimus comburebatur in loco ſuo, ita reliqua omnia in loco ſuo. Reliqua vide in *Siphri*, quem Tomo XIV. *Theſauri edidimus*.

CAPUT TERTIUM.

De ovibus & capris.

I. *De caulis ovium*. II. *Ovium pabulum*. III. *Oves in metu ſe colligunt*. IV. *Paſtores & canes ovium duces*. V. *De tonſione ovium*. VI. *Lac ovillum, caſeus, & butyrum*. VII. *Caprile*. VIII. *Caprarum pabulum*. IX. *Pili caprarum*. X. *Lac caprarum*. XI. *Caro hœdina in deliciis habita*. XII. *Primogenitum bovis, ovis & capræ ſanctificandum erat Domino*. XIII. *Promogenitum aſini aut erat redimendum, aut decollandum*. XIV. *Decimum bovis, ovis, & capræ ſanctificandum erat Domino*.

I. AD paſtorum tabernacula (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 44. *Hieroz.*) caulæ pertinent, quas Hebræi, quantum memini, quinque appellant nominibus ſed diverſis notionibus. Primum eſto גדרה *gedera* ſeptum, unde plurale גדרות *caulæ*, & גדרות צאן *caulæ ovium* *Num.* XXXII. 16. 24. 36. I. *Sam.* XXIV. 4. *Sephon.* II. 6. Unde גדרות *Gaderoth* urbs in tribu Juda 2. *Chron.* XXVIII. 18. a caulis dicta, unde Græce Αὐλίς. Et Gadium priſcum nomen Γάδειρα a Phœnicibus inditum; *Heſychius* explicat περιφράγματα. Et ſeptum *Plinius*, Avienus, Iſidorus. 2. Secundum דבר *dober Mich.* II. 12. *Congregando congregabo reſiduum Iſrael, ſimul ponam illum ut oves Botſræ, & gregem in medio הדברו caulæ ſuæ*. Nempe verbum Hebræum דבר non ſolum loqui, & dicere, ſed & ducere ſignificat, quia homines ducuntur & reguntur ſermonibus.

> *Ille regit dictis animos & pectora mulcet.*

Hinc *Pſal.* XVIII. 48. וידבר *Et deducet populos ſub me* i. e. mihi ſubjiciet, quod in Chaldaiſmo frequens. Inde דבר *deber* primo ductus, ut *Eſai.* verſ. 17. *Paſcent* כדברם *ſecundum ductum ſuum* i. e. prout duci ſolent arietes Vulgata *juxta ordinem ſuum*. 2. Caula in quam aguatur pecora. Veriſimile enim eſt verbum in uſu fuiſſe apud Pœnos, atque illud in animo habuiſſe *Auguſtinum*, quoties Synagogam definit pecorum congregationem, ut ab Eccleſia diſtinguat, in quam homines convocantur; *quia convocari* (inquit) *magis hominibus convenit, congregari magis pecoribus*. Vide illum in expoſitione Epiſtolæ ad *Rom.* & in *Pſal.* LXXXI. Tertium caulæ nomen eſt מכלאה *Micla Hab.* III. 17. *Ovem abſcidit hoſtis* ממכלה *ab ovili*; conſtructum eſt ex מכלאה unde Plur. מכלאות. Sic *Pſal.* L. 9. *Non accipiam e domo tua juvencum* ממכלאותיך *e caulis tuis hircos*. Et *Pſal.* LXXVIII. 70. *Elegit David ſervum ſuum, & aſſumſit eum* ממכלאות צאן: *e caulis ovium*: Radix כלא eſt claudere: unde deducitur Græcum κλείω. 4. Quartum נוה *nave* I. *Sam.* VII. 8. *Te ſumſi* מן הנוה *ex caula a tergo ovium*. *Eſai.* LXV. 10. *Et erit Saron* לנוה צאן *in caulam ovium* i. e. in caulas. *Jerem.* XXXIII. 12. *Et in omnibus civitatibus ejus* נוה רועים מרבצים *caula paſtorum ſtabulantium oves*. *Ezech.* XXXIV. 14. *In bono paſcuo paſcam eos, & in montibus celſis Iſraelitis erit* נוהם *caula vel paſcuum eorum*. *Jerem.* XXIII. 3. *Et reducam eos* על נויהן *ad caulas ſuas*. Et fœmin. נות *Sophon.* II. 6. נות כרות רועים *caulæ effeſſionum paſtorum*: i. e. caulæ a pa-

pastoribus essessæ in cryptis subterraneis ad vitandum solis æstum; Quale Polyphemi antrum fuit, in quo.

—— μῆλ' ὄϊές τε ϗ αἶγες ἰαύεσκον
—— *Pecora* (oves sc.) *& capræ dormiebant*

Plerumque נאות scribitur, ut *Ps.* XXIII. 2. בנאות דשא *in caulis vel in pascuis herbidis faciet ut recubem*. Et *Jerem.* XXV. 37. *Excidentur* נאות השלום *caulæ pacis* i. e. pacatæ. Et נאות מדבר *caulæ deserti Psal.* LXVI. 13. *Jerem.* IX. 14. *Joel* II. 13. Radix נוה *nava* habitare, Græce ναίειν. 5. Denique מרבץ *Marbets* vel רבץ *rebets* est cubile ovium a verbo רבץ Arabice ربض quo proprie significatur ovem in pectus procumbere. *Genes.* XXIX 2. *Ecce puteum in agro, & ibi tres ovium greges* רבצים עליה *ad eum recubantes*. Et *Psal.* XXIII. 1. 2. *Dominus pastor meus* &c. *in caulis herbidis* ירביצני *faciet ut recubem Cantic.* I. 7. *Indica mihi ubinam pascas* איכה תרביץ *ubinam recubare facias* supple oves tuas *circa meridiem*. *Esai.* XIII. 20. *Et pastores* לא ירבצו שם *non facient ibi recubare* supple oves suas. *Jerem.* XXXIII. 12. *Et in omnibus civitatibus ejus caula pastorum* מרבצים צאן *facientium ut oves recubent*. Et 50. 6. *De monte in collem abeunt* (oves errantes) שכחו רבצם *oblitæ sunt cubilis sui Ezech.* XXV. 5. *Redigam Ammon* למרבץ צאן *in cubile ovium*. Et XXXIV. 14. שם תרבצנה *Ibi recubabunt oves in bono pascuo*. Et vers. 15. ואני ארביצם *& ego eas recubare faciam*. *Sophon.* II. 14. de Ninive ירבצו *recubabunt in medio ejus greges*. Itaque מרבץ Hebraice fere idem est quod Græce κλίσις i. e. ἔπαυλις ἀπὸ τοῦ κλίνεσθαι ἐν αὐτῇ τὰ θρέμματα stabulum ita dictum, quod in eo recubent pecora *Suidas*. Item *Hesychius*. Neque aliud κλίσιον quod idem exponit προβάτων ϗ βοῶν στάσιν *ovium & boum stabulum*. Sed κλείσιον scribit *Suidas* tanquam a κλείω quod esset מכלאה non מרבץ. De caulis ovium hæc habet *Varro* lib. II. cap. 2. *Stabula idoneo loco ut sint, ne ventosa, quæ spectent magis ad orientem, quam ad meridianum tempus, ubi stent: solum oportet esse eruderatum, & proclivum, ut everri facile possit, ac fieri purum: non enim solum ea uligo lanam corrumpit ovium, sed etiam ungulas, ac scabras fieri cogit. Cum aliquot dies steterunt, subjicere oportet virgulta alia, quo mollius requiescant, purioresque sint; libentius enim ita pascuntur*. Et mox ubi loquetur de ovibus Tarentinis & Atticis. *Pleraque similiter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quominus vel infici recte possit, vel lavari, ac parari. Horum præsepia, ac stabula ut sint pura, majorem adhibeant diligentiam, quam hirtis, itaque faciunt lapide strata, ut urina necubi in stabulo consistat*. *Columella* lib. 7. cap. 3. *Humilia facere stabula, sed in longitudinem potius, quam in latitudinem porrecta, ut simul hyeme calida sint, nec angustiæ fœtus oblidant; exponi debent contra medium diem: namque id pecus quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est, nec minus æstivi vaporis: itaque cohors clausa sublimi macerie præponi vestibulo debet, ut sit in eam tutus exitus æstivandi; deturque opera ne quis humor subsistat, ut semper quam aridissimis filicibus, vel culmis stabula constrata sint, quò tutius & mollius incubent fœtæ. Sint quala mundissima, nequa earum valetudo, quæ præcipue custodienda est, infestetur uligine.*

Exacta hyeme oves relictis stabulis, inter crates, & retia inclusas, ne noctu vagarentur, pastores in agris pernoctantes custodiebunt. *Varro* lib. II. cap. 2. *Contra illæ in saltibus quæ pascuntur, & a tectis absunt longe, portant secum crates aut retia quibus cohortes in solitudine faciant, ceteraqua utensilia: longe enim, & late in diversis locis pasci solent, ut multa millia absint sæpe hybernæ pastiones ab æstivis. Ego vero scio* (inquam) *nam mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus æstivabant*. Pastores (inquit *Bochartus* l. c.) ἀγραυλεῖν i. e. in agris pernoctare moris erat ovibus inter crates inclusis, ne noctu vagarentur. *Horatius* Ophod 2.

Claudensque textis cratibus lætum pecus

Et *Calphurnius* disertius Eclog. I. qua describuntur Halcyonia, seu tempora, quibus in alta pace vivitur, nec ullus est ab hoste metus.

—— *licet omne vagetur*
Securo custode pecus, nocturnaque pastor
Claudere fraxinea nolit præsepia crate;
Non tamen insidias prædator ovilibus ullas
Afferet ——

Hinc *Luc.* II. 8. Pastores Bethlehemitici quibus apparuit Angelus, erant ἀγραυλοῦντες ϗ φυλάσσοντες τὰς φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. *In agris pernoctantes, & vigilias noctis servantes in gregem suum*.

Qua-

Quales qui *Homero* & *Hesido* dicuntur ποιμένες ἄγραυλοι & in hymno in Mercurium ἄγραυλοι μηλοβοτῆρες. Et in *Nicandri* Theriacis verf. 403.

> —— ὅτ' ἀμφ' ἐλάτῃσι μακεδναῖς
> Ἄγραυλοι ψύχωσι, λελοιπότες ἔργα νομήων.
> —— *cum circa proceres abietes*
> *In agris agentes* (pastores) *frigus captant, relicto pascendi opere.*

Ovibus quoque quadrat idem Epithetum. *Dionysius* Periogetes verf. 672.

> —— ἢ ἀγραύλων γένος οἴων

Et verf. 996.

> Μήλοις ἀγραύλοισιν ἐφέσπεται.

Ex ἄγραυλοι sive greges sive pastores ii dicuntur, qui in agris pernoctant. *Hesychius*. Ἄγραυλοι οἱ ἐν ἀγρῷ νυκτερεύοντες i. e. *per noctem in agro degentes*. Quo sensu *Strabo* lib. IV. de Belgarum suibus dixit. Αἱ δ' ὕες κ̀ ἀγραυλοῦσιν. Nempe ἀγραυλεῖν nihil quidpiam est, quam in agro αὐλίζεσθαι in agro pernoctare vel excubare. Quomodo id verbum passim usurpat *Xenophon*, & *Thucidides* & Græci Interpretes circiter trigesies pro Hebræo לון. Unde αὐλισμός *Hesychio* est διανυκτερεύσις *pernoctatio*. Et vesperugo stella Grece vocatur αὔλιος, quia prædicit noctem, & illa oriente tam greges, quam homines αὐλίζονται. *Apollonius* lib. 14. Argonauticum v.

> Ἦμος δ' ἠέλιος μὲν ἔδυ, ἀνὰ δ' ἤλυθεν ἀςὴρ
> Αὔλιος, ὅς' ἀνέπαυσεν οἰζυρους ἀροτῆρας.
> *Cum vero sol occubuit, & orta est stella*
> Αὔλιος seu vespertina, *quæ miseros aratores recreat*

Porro ex eo quod Christo nascente pastores & oves noctem in agris degebant, multi recentiores recte colligunt eum hyemali solstitio non esse natum, ut vul gus putat. Id enim anni tempus est frigidissimum, quo raro interdiu, nunquam noctu pecudes sub dio degunt; quia in caulis clausæ latent; Cum in Africa, si *Calphurnius*, ut putatur, ibi scripsit eas Eclogas, quas Nemesiano Carthaginensi dicavit, in quinta enim, quæ de gregum cura multa habet, hæc legere est.

> —— *vero novo cum jam tinnire volucres*
> *Incipiunt, nidosque reversa lutabit hirundo*
> *Protinus hyberno pecus movebis ovili.*

Hyberno ovili i. e. caulis, in quibus per hyemen inclusum fuit. Proinde sequitur aliquanto post.

> *Sed non ante greges in pascua mittite clausos*
> *Quam fuerit pacata Palees.*

Et eadem Ecloga sub finem

> —— *cum pecudes extremus clauserit annus*

Virgilius quoque lib. III. Georg.

> —— *stabulis edico in mollibus herbam*
> *Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas.*

Et Columella lib. VIII. cap. 3. *Hyeme & vere matutinis temporibus circa septa contineantur, dum dies aruis gelicidia detrabat*. Hinc *Hesiodus* de Lenæone, quo hyems sævire incipit

> —— μεὶς γὰρ χαλεπώτατος οὗτος
> Χειμέριος χαλεπὸς προβάτοις, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις
> —— *mensis ille est gravissimus*
> *Hybernus, gravis ovibus, gravis etiam hominibus*

Ovium ideo meminit, quia ut observat *Columella* ubi supra: *Id pecus, quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est*. Unde est quod de ovibus, ne hyeme frigeant, magna cura prospici volunt quotquot ea de re scripserunt. *Virgilius*.

> *Et multa duram stipula, filicumque maniplis*
> *Sternere subter humum, glacies ne frigida lædat*
> *Molle pecus*

Calphurnius

> *Præcipue gelidum stipulis, & fronde caduca*
> *Sterne solum, ne forte rigor penetrabile corpus*
> *Urat, & interno vastet præcordia morbo.*

Et *Columella* humilia facere stabula jubet, & in longitudinem porrecta, & contra medium diem, ut hyeme calida sint, & annis omnibus in demortuarnm, vitiosarum-

rumque ovium locum, totidem vel etiam plura capita substituere, quoniam sæpe frigorum, atque hyemis sævitia pastorem decipit, & ex eo vis interemit. Siquis objiciat Scevitas & Nomadas toto anno in agris degere, negabo hos proprie ἀγραυλεῖν, quia sub dio non deguat, sed pro domibus habent tentoria, in quibus non solum dominis, sed armentis quoque & gregibus loca sunt destinata, ut aureo illo seculo

Cum pecus & dominos communis clauderet umbra

Unde *Virgillius* lib. III. *Georg.*

Quid tibi pastores Lybiæ, quid pascua versa
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem noctemque, & totum ex ordine mensem
Pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis, tantum campi jacet, omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque laremque ——

Tectumque laremque i. e. *tentoria militum more*, ut ibi habet *Servius*. Inde Scriptura toties memorat pastorum tabernacula, & tentoria, ut pluribus supra dictum est, nec pastorum modo, sed & pecoris 2. *Chron.* XIV. 15. Illos porro pastores qui sub tentorio degant, non censeri in numero τῶν ἀγραυλούντων ex eo patet, quod *Genes.* XXV. 27. Esau איש השדה *vir agri* i. e. ἀγραυλῶν & Jacobus frater יושב אהלים *in tabernaculis degens* sibi mutuo opponuntur. Sed & alia sunt argumenta, ex quibus colligit vir summus, qui multos habet sequaces, Jesum Christum non Decembri mense sed Martio natum esse. In his palmarium est illud, quod Zachariæ Johannis Baptistæ patri, hebdomadario sacerdoti τῆς ἐφημερίας Ἀβιὰ & in ordine Abiæ ἱερατεύοντι apparuit Angelus Luc. I. 5. VIII. 2. Abiæ porro Ἐφημερία eo anno in Decembrem incidit, quod ille pluribus probat, & Christus sexto post mense i. e. Junio conceptus est, unde sequitur natum esse circa Martium, qui est post Junium nonus. Huc accedit quod apud *Clementem Alexandrinum* lib. I. Stromatων Christianorum vetustissimi Christi natale referunt ad mensem Ægyptium Pachonem, quo falcem Ægyptii in segetem mittebant

Λήια δ᾽ ἀνανθέντα Παχὼν δρεπάνοισι φυλάσσει
Segetes florentes falci custodit: i. e. destinat.

Quod tempus si non in Martium, saltem in Aprilem incidit. *Leo Africanus* lib. VIII. *Sub Aprilis initium segetes succidunt, succisas confestim triturant, nec spicas ad vigesimum Maii secundam relinquunt.*

II. Montibus (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 46.) gaudet ovillum pecus. Sic *Exod.* III. I. *Moses pascebat oves Jethronis soceri sui sacerdotis Madian, cùmque egisset oves ad interiora deserti, venit ad montem Dei.* Et *Theocriti* Idil. III. Adonis

—— ἐν ὤρεσι μᾶλα νομεύει
—— *In montibus gregem pascit*

Ut Idyl. VIII.

Μᾶλα νέμων (ὡς φαντὶ) κατ᾽ ὤρεα μακρὰ Μενάλκας
Oves pascit (ut ajunt) in montibus altis Menalcas

Quo nonnulli referunt quod a Poetis οἰοπόλα dicuntur montana loca, ut Iliad. ν vers. 471.

—— σῦς οὔρεσιν πεποιθὼς
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ

Et Iliad. ω vers. 614.

Νῦν δέ που ἐν πέτρῃσιν ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν

Et Odys. Λ' vers. 573.

Τοὺς αὐτὸς κατέπεφνεν ἐν οἰοπόλοισιν ὄρεσσι.

Quod οἰοπόλια non tam solitaria loca significat a nomine οἶος quod solum sonat, sed & loca in quibus ὄϊες ποχοῦσι oves degunt. Hinc *Eustathius* in Iliad. ν 917. οἰοπόλος δὲ χῶρος κἀνταῦθα ὁ ἔρημος, ἐν ᾧ οἶος τις ὅ ἐστι μόνος, πολεῖ ἢ ἔνθα οἰῶν πώεα πολοῦσι, βοσκόμενα. Vetus Scholiastes Οἰοπόλῳ ἤτοι ἐν ᾧ ὄϊες ἀναστρέφονται, ὅ ἐστι πρόβατα πολεῖν γὰρ τὸ ἀναστρέφεσθαι ἢ ἐν ᾧ οἶος τις καὶ μόνος πολεῖται. *Hesychius* Οἰοπόλῳ ἐν ᾧ οἶαι πολοῦσιν ἢ μόνος τις πολεῖται. Lege Οἰπόλῳ ἐν ᾧ ὄϊες πολοῦσιν, ἢ μόνος τις πολεῖται. Similia habent Etymologus, *Phavorinus*. Et Arabice ⲧⲁⲙⲁⲓⲥ propriissime de ove dicitur quæ montem conscendit ad pastum. Ita *Alcamus*. Procerior quidem est ovis, qui in locis depressis alitur. *Columella* lib. VIII. cap. 2. *Pinguis & campestris situs proceras oves tolerat, gracilis & collinus quadratas, sylvestris &*

& montosus exiguas; sed caro est deterior. Τὰ κρέα χείρω, ὅπου ἐς ἑλώδη χωρία νέμονται, ἢ ὅπου μετεωρότερα. *Carnes pejores sunt, cum in locis palustribus pascunt, quam cum in editioribus*. Ita *Aristoteles* lib. VIII. Hist. cap. 10. Tamen cum oves utrobique degant, & pascere ament, merito de mysticis ovibus, i. e. de Israelitis Babylone captivis Deus sic agit *Ezech*. XXXIV. 12. 13. *Requiram* צאני *oves meas* &c. *ut pasceam eas in montibus Israelis in aquarum alveis* &c.

Herba præcipue est ovium cibus. *Aristoteles* l. c. Πρόβατα καὶ αἶγες εἰσὶ μὲν ποιοφάγα. *Oves autem & capræ sunt herbivoræ*. Unde *Psal*. XXIII. 1. 2. *Dominus pastor meus est, nihil mihi deerit, in caulis vel in amœnitatibus herbosis* (Hebraice בנאות דשא) faciet *ut recubem*. Septuaginta εἰς τόπον χλόης *in loco herbæ viridis*. *Aquila* & *Symmachus* ἐν ὡραιότητι πόας in *pulchritudine herbæ*. Et *Ezech*. XXXIV. 14. *Ibi requiescunt oves tuæ* בנוה שוב *in caula bona*. Septuaginta ἐν τροφῇ ἀγαθῇ *in deliciis bonis*; aut in τρύφῃ in pabulo. *Hieronymus in herbis virentibus*. Et *Genes*. XLVII. 4. Josephi fratres Pharaoni dicunt. *Ad peregrinandum in hac terra venimus quia* (in terra Chanaan) אין מרעה *non est pascuum ovibus, quas habent servi tui*. *Hieronymus*: *non est herba*.

Ros pecori gratus nec insalubris, si *Virgilio* credimus qui in Pharmaceutria sic habet

> *Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra*
> *Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est*.

Et rursus Georg. lib. III.

> *Luciferi primo dum sidere frigida rura*
> *Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,*
> *Et ros in tenera pecori gratissimus herba est*.

Non tamen hoc verum ubique, si vere *Servius* ad hunc locum. *Mane pasci præcipit oves secundum morem provinciæ suæ. Nam in aliquibus locis morbum contrahunt, nisi jam siccato rore pascantur*. Sed distinguenda sunt tempora: Æstivis enim solum mensibus, capris & ovibus salubres sunt herbæ roscidæ, quod *Virgilius* his versibus diserte docet.

> *At vero Zephyris cum læta vocabitur æstas,*
> *In saltus utrumque gregem, atque in pascua mittes,*
> *Luciferi primi cum sidere*. ——

Neque aliter alii Scriptores *Varro* Rustic. lib. II. cap. 2. *Æstate prima luce exeunt pastum, propterea quod tunc herba roscida, meridianam, quæ est aridior, jucunditate præstant* &c. *Hæc ab vergiliarum exortu ad æquinoctium autumnale maxime observant* &c. *Reliquæ pastiones hyberno & verno tempori hoc mutant, quod pruina jam exhalata propellunt in pabulum*. Et *Columella* lib. VIII. cap. 3. *De temporibus autem pascendi, & ad aquam ducendi per æstatem non aliter sentio quam ut prodidit Maro*.

> *Luciferi primo cum sidere* ——

Hyeme & vere matutinis temporibus intra septa contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahit. Nam pruinosa iis herba gravedinem creat. Et *Palladius* lib. XII. cap. 13. *Æstivis mensibus pascantur sub lucis initio, cum graminis teneri suavitatem roris mixtura commendat. Hyeme autem vel vere, nisi resolutis gelicidiis ad pascua prodire non debent*. *Calphurnius* Ecl. 5. sine ulla temporis distinctione.

> —— *Ante diem pecus exeat, humida dulces*
> *Efficit aura cibos, quoties fugientibus euris*
> *Frigida nocturno tinguntur pascua rore,*
> *Et matutinæ lucent in gramine guttæ*.

Post matutinum pastum oves hora diei quarta, quæ nobis est decima, deducebantur ad aquas, dein ad umbram, & quietem meridianam, inde rursus ad aquas. Quo facto iterum pascebant, usque ad vesperam & solis occasum. *Virgilius* ubi supra

> *Inde ubi quarta sitim cœli collegerat hora*
> *Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ*.
> *Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto*
> *Currentem ilignis potare canalibus undam*:
> *Æstibus & mediis umbrosam exquirere vallem,*
> *Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus*
> *Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum*
> *Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra,*
> *Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus*
> *Solis ad occasum, cum frigidus aera vesper*

Tem-

Temperat, & saltus reficit jam roscida luna.

Varro: Circiter meredianos æstus, dum deferuescant, sub umbriferas rupes, & arbores patulas subjiciunt, quod refrigerato aere vespertino, rursus pascant ad solis occasum. Et Columella *Virgilium* sequutus. *Inde ubi quarta sitim cœli collegerat hora, ad puteos aut altum greges ad stagna producamus, medioque die, ut idem, ad vallem* &c. *Rursus deinde jam mitigato vapore, compellamus ad aquas* &c. *Et iterum ad pabulum producamus. Palladius. Quarta hora calescente potus puri fluminis, aut putei præbeatur, aut fontis. Medios solis calores vallis aut arbor umbrosa declinet. Deinde ubi flexo jam die, ardor infringitur, & solum primo imbre vespertino roris humescit, gregem revocemus ad pascua* &c. Nisi pecora horis meridianis ad umbram & aquam subducantur, lac per æstum corrumpitur. Hinc pastor Menalcas apud *Virgilium*

Cogite oves pueri, si lac præceperit æstum
Ut nuper, frustra præstabimus ubera palmis.

Quæ ideo huc afferimus, quia sacri Scriptores ad hunc pascendi morem, quem diximus, alludunt aliquoties. Sic *Cantic.* I. 7. *Indica mihi ubi pascas, & ubi gregem tuum requiescere facias sub meridiem.* Et *Psal.* XXIII. I. 2. *Dominus pastor meus est* &c. *In caulis herbidis facit ut recubem, ad aquas quietis me deducit:* i. e. ad aquas in quibus circa meridiem quiescunt greges, frigusque & umbram captant. Et *Ezech.* XXXIV. 13. *Pascam eos in montibus Israelis & ad alveos.* Et v. 14. *Ibi recubabunt in caula bona.* Et vers. 15. *Et pascam gregem meum, & faciam ut recubet. Esai.* XLIX. 10. *Non esurient, neque sitient, neque feriet eos æstus, aut sol; Nam qui miseretur eorum, deducet eos, ad fontes aquarum minabit eos.* Cui loco parallelum vide *Apos.* VII. 16. 17. Mesopotamini Labanis & Jacobi ævo, ad pascua non reducebant pomeridianis horis. Quo nomine gentis illius pastores Jacobus his fere verbis merito coarguit. *En diei cum multum adhuc superfit, nec sit tempus cogendi pecoris, oves adaquate, & ad pascua reducite. Genes.* XXIX. 7.

Præter herbam memorantur a *Columella* aliæ pabuli species lib. VII. cap. 3. *De genere pabuli, ut ante diximus, & nunc eorum quæ omissa sunt meminerimus, jucundissimas herbas esse, quæ aratro proscissis arvis nascuntur; deinde quæ pratis uligine carentibus: palustres silvestresque minime idoneas haberi: nec tamen ulla sunt blanda pabula, aut etiam pascua, quorum gratia non exolescat usu continuo, nisi pecudum fastidio pastor occurrerit præbito sale, quod velut ad pabula condimentum per æstatem canalibus ligneis impositum, cum e pastu redierint oves, lambunt, atque eo sapore cupidinem bibendi pascendique concipiunt. At contra penuriæ hyemis succurritur objectis intra tectum per præsepia cibis; aluntur autem commodissime repositis ulmeis, vel ex fraxino frondibus, vel autumnali fœno, quod cordum vocatur; nam id mollius, & ob hoc jucundius & quam maturum. Cytiso quoque & sativa vicia pulcherrime pascuntur; necessariæ tamen, ubi cetera defecerunt, etiam ex leguminibus paleæ: nam per se hordeum vel fresa cum suis valvulis palea, vel cicercula sumtuosior est, quam ut suburbanis regionibus exiguo pretio possit præberi: sed si utilitas permittit, haud dubie sunt optima. Palladius* lib. XII. tit. 13. *Pascua ovillo generi utilia sunt, quæ vel in novalibus, vel in pratis siccioribus excitantur: palustria vero noxia sunt, sylvestria damnosa lanatis. Salis tamen crebra conspersio, vel pascuis mista, vel canalibus frequenter oblata, debet pecoris levare fastidium. Nam per hyemem, si penuria est fœni, vel palea, vel vicia, vel facilior victus ulmi servatis frondibus præbeatur, vel fraxini.*

Oves Tarentinæ, & Atticæ propter lanæ prestantiam in stabulo plerumque continebantur, & in agris raro pascebantur. *Varro* l. c. *Pleraque similiter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, ut sunt Tarentinæ, & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit, vel lavari, ac parari. Horum præsepia, ac stabula sint pura, majorem adhibeant diligentiam quam in hirtis: itaque faciunt lapide strata, ut urina necubi in stabulo consistat. His quæcumque jubentur, vescuntur, ut folia ficulnea, & palea, & vinaceæ furfures objiciuntur modice, ne parum aut nimium saturentur; utrumque enim ad corpus alendum inimicum: at maxime amicum cytisum & Medica: nam & pingues facit facillime, & genit lac. Columella* ibid. *Græcum pecus, quod plerique Tarentinum vocant, nisi cum domini præsentia est, vix expedit haberi: siquidem & curam, & cibum majorem desiderat: Nam cum sit universum genus lanigerum ceteris pecudibus mollius, tum ex omnibus Tarentinum est mollissimum, quod nullam domini, aut magistrorum inertiam sustinet, multoque minus avaritiam; nec æstus nec frigo-*

goris patiens. Raro foris, plerumque domi alitur, & est avidissimum cibi, cui si detrabitur fraude villici, clades sequitur gregem. Singula capita per byemem recte pascuntur ad præsepia tribus bordei, vel fresæ cum suis valvulis fabæ, aut cicerculæ quatuor sextariis, ita ut & cuidam fraudem præbeat, aut siccam, vel viridem Medicam, cytisumve, tum etiam cordi fœni septem pondo, aut leguminum paleas adfatim.

III. Oves in metu solent se colligere, & mutuo se premere, unde est quod apud *Homerum* Iliad. ἑ cum ovium gregem adoritur leo.

> Αἱ μὲν τ' ἀγχιςῖναι, ἐπ' ἀλλήλησι κέχυνται
> *Hæ quidem coacervatæ aliæ super alias funduntur.*

Α'γχιςῖναι explicatur a veteri Scholiaste ἐπάλληλοι, πυκναὶ, ἅμα ἀλλήλοις, *alii aliis incumbentes, densæ, quæ prope & simul sunt*. Ab *Hesychio* συναγκὺς ἀλλήλων, ἢ συνεχεῖς, ὅ ἐςι πυκναὶ, ἢ ἄλλαι ἐπ' ἄλλαις. *Sibi invicem proximæ aut contiguæ, quod est confertæ, & aliæ in alias*. Ab *Eustathio* αἱ ἄγχι ἀλλήλων ἑςηκυῖαι, ὅ ἐςι πύκναι, *quæ sunt aliæ prope alias*, i. e. *densæ*. Et *Phavorinus* addit: ὅ ποιῦσιν αἱ ὄϊες διὰ φόβον πυκνȣ́μεναι, ὡς ἐπὶ συνασπισμῷ: *quod faciunt oves cum præ metu coacervantur, ut in militari custodia*. Eodem pertinet vox κέχυνται quam Scholiastes exponit χεῖνται ἀθρόαι *confertæ jacent*. Neque dubium quin propheta *Micheas* id respexerit, cum Dei nomine minatur fere, ut præ metu hostium ingruentium, & terram devastantium colligantur intra urbes, ut Botsra oves in caulis suis, nempe cum lupus aut leo gregem infestat. *Colligendo* (inquit) *te colligam o Jacob totum, congregando congregabo residuum Israelis, simul ponam illum, ut oves Botsra, ut gregem in medio caulæ suæ, perstrepent præ hominibus*; id est præ copia hominum. Recte igitur *Kimchius* ופיר' אסף אאסיף שיכנסו במצור בערים הבצורות מפחד האויב: *Verbis* congregando congregabo *significatur fore ut præ metu hostium ad arces & urbes munitas confluant*. Et paulo post: אמר שידמו ישראל בברחם אל הערים והאספם בהם מפחד האויב לצאן שיכניסו אותם אל הקרים והאספם מפני האויבים כלומר שלא יהיה להם כח לעמוד לפני האויב כמו הצאן: *Dicit Israelitas in urbes recessuros, & conventuros præ metu hostium similes fore ovibus, quæ in urbibus hoste ingruente colliguntur & congregantur, quasi dicat tam imbecilles fore, quam oves ad obsistendum hosti*. *Varro* lib. II. cap. 3. *In gregibus est minor* (numerus) *in caprino quam in ovillo, quod capræ lascivæ, & quæ dispergunt se, contra quam oves, quæ se congregant, ac condensant in locum unum*. Et *Columella* de capris. *Numerum generis hujus majorem, quam centum capita sub uno clauso non expedit habere, nam lanigeræ mille pariter commode stabulantur.*

IV. Oves pastores & canes sequi solitas testatur *Ælianus* lib. VII. cap. 27. Εὐπειθέστατα δ' ἄρα τῶν ζώων τὰ πρόβατα, ἦν καὶ ἄρφεσθαι (Lege ἀρκεῖσθαι,) φύσει πεπαιδευμένα, ὑπακȣ́ει γȣ̃ν καὶ τῷ νομεῖ, καὶ κυσὶ, καὶ μὲν τοι ἕπονται ταῖς αἰξὶ. *Oves præ omnibus animalibus obedientes, & ad parendum natura factæ sunt. Obtemperant enim & pastori, & canibus, & capras quoque sequuntur*. Sed pastori inprimis morigeras se præbent, atque (ut ait Christus Joh. x. 4.) *eum sequuntur & vocem ejus audiunt*. *Aristoteles* Hist. lib. VI. cap. 19. Singulis gregibus arietem ait esse pro duce: ὅς ὅταν ὀνόματι κληθῇ ὑπὸ ποιμένος προηγεῖται, *qui suo nomine a pastore vocatus antecedit*. A Talmudicis משכוכית appellatur dux gregis, bestia prima, reliquas post se trahens a verbo משך Legitur in Gemara *Kama* fol. 52. 1. *Vendens alicui* משכוכית עדר *gregem, si tradiderit ipsi* משכוכית *gregis, illico emtor acquirit sibi totum gregem*. In Targum ויהב בריש ענא משכוכיתא: *Et posuit in principio gregis ducem pecoris*: *Genes*. XXX. 40. in *Jon*. Glossa. *Est bestia vel pecus, quod antecedit gregem, gestans tintinnabulum, & cetera sequuntur eam*. Hinc *Virgilius*

> *Dux gregis ipse caper, quem tota armenta sequuntur.*

Sed & pastores alias habent voces proprias, quibus assuescunt pecudes, ut σίττα, vel φίττα, quod est βȣκολικὸν ἐπιφώνημα apud *Theocritum* & *Eustathium*. Cujusmodi pastores Arabum multa usurpant. Ita oves increpant voculis حع حع *pha pha* & جير جير *gair gair* بس بس *bus bus* رحاله رحاله *ribala ribala* & ad mulgendum حلعج احلعج *adbag adbag* اولر اولر *azar azar* حبر حبر *babar babar*, & ad aquas لعر لعر *bir bir* vel *bar bar*. *Columella* lib. VIII. cap. 3. describit qualis debeat esse dux gregis. *Jam qui sequitur gregem circunspectus ac vigilans (id quod omnibus & primum quadrupedum custodibus præcipitur) magna clementia moderetur; idemque duci propior quam domino, & in cogendis recipiendisque ovibus ad-*

adclamatione, ac baculo minetur, nec unquam telum emittat in eas, neque ad his longius recedat: nec aut recubet, aut considat: Nam nisi procedit, stare debet, quoniam grex quidem custodis officium sublimem celsissimumque oculorum veluti speculam desiderat, ut neque tardiores & gravidas, dum cunctantur, neque agiles & fœtas, dum procurrunt separari a ceteris sinat, ne fur aut bestia hallucinantem pastorem decipiat.

V. Lana (inquit *Bochartus* Hieroz. part. 1. lib. II. cap. 45.) Hebræis צמר in ovillo pecore id ipsum, quod in aliis pili. Hinc 2. *Reg.* III. 4. אלים צמר pro מצמר *arietes* cum lana, i. e. lanati vel lanigeri. Nam ut ovis frigidissimum ita vestitissimum esse animal voluit Deus. In Lana ex sacris scriptoribus quatuor hæc observanda sunt, color, tonsio, usus, & corruptio. Et color quidem est multiplex, sed albus maxime vulgaris, proinde sæpe memoratur. Sic *Genes.* XXX. 33. *Et quicquid fuit album*, nempe in Jacobi pecore. *Esai.* I. 18. *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint ut vermiculus, lanæ instar fient*, i. e. æque alba. *Dan.* VII. 9. *Et vestimentum ejus candidum ut nix, & capilli capitis ejus ut lana munda*. Ad quæ a *Johanne* sic allusum *Apoc.* I. 14. Ἡ δὲ κεφλὴ, καὶ αἱ τριχὲς λευκαὶ, ὡσεὶ ἔριον λευκὸν, ὡς χιών. *Caput autem ejus & capilli albi, ut lana alba, ut nix.* Aliter intelligunt, quod habetur *Psal.* CXLVIII. 16. *Deus dat nivem sicut lanam.*

Lanarum aliæ aliis pretiosiores. *Varro* lib. II. cap. 2. *Pleraque simul faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, ut sunt Tarentinæ & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur &c.* *Columella* lib. VII. cap. 2. *Idque non solum generibus, sed etiam coloribus plurimum refert. Generis eximii Milesias, Calabras, Appulasque nostri existimabant, earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ prætiosiores habentur, earumque præcipue Altinates. Item quæ circa Parmam, & Mutinam Macris stabulantur campis. Color albus cum sit optimus, tum etiam est utilissimus, quod ex eo plurimi fiunt, neque hic ex alio. Sunt etiam suapte natura pretia commendabiles, pullus atque fuscus, quos præbent in Italia Pollentia, in Bætica Corduba. Nec minus Asia rutilos, quos vocant* ἐρυθρὲς. *Sed & alias varietates in hoc pecoris genere docuit usus exprimere: nam cum in municipium Gaditanum ex vicino Africæ miri coloris sylvestres ac feri arietes, sicut aliæ bestiæ munerariis deportarentur, M. Columella patruus meus acris vir ingenii, atque illustris Agricola, quosdam mercatus in agros transtulit, & mansuefactos tectis ovibus admisit. Eæ primum hirtos, sed paterni coloris agnos ediderunt, qui deinde & ipsi Tarentinis ovibus impositi, tenuioris velleris arietes progeneraverunt. Ex his rursus quicquid conceptum est, maternam mollitiem, paternum & avitum retulit colorem. Hoc modo Columella dicebat, qualemcunque speciem, quæ fuerit in bestiis, per nepotum gradus mitigata feritate, rediisse: Ad propositum revertar: Ergo duo genera sunt ovilli pecoris, molle & hirsutum. Sed in utroque vel emendo plura communia, quædam tamen sunt propria generosi, quæ observari conveniat. Communia in emendis gregibus fere illa. Si candor lanæ maxime placet, nunquam non candidissimos mares legeris: quoniam ex albo sæpe fuscus editur partus: ex erythræo vel pullo nunquam generatur albus.*

Jam de tonsione ovium (pergit *Bochartus* loc. cit.) agendum, de qua Scriptura passim. Ita de Labane dicitur *Genes.* XXXI. 19. *Abierat ad tondendum oves suas.* Et de Juda *Genes.* XXXVIII. 12. *Adscendit ad tonsores gregis sui.* Et vers. 13. *Adscendit Timnam ut tonderet oves suas.* Et de Nabale 1. *Sam.* XXV. 2. *Cum tonderentur illius oves Carmelis.* Et de Absalomo 2. *Sam.* XIII. 23. *Cum tonsores haberet Bael-hasore.* Quo prætextu Davidem patrem & fratres ad se invitat vers. 14. *Nunc* (inquit) *servus tuus habet tonsores: veniat igitur rex, & servi ejus apud servum suum:* i. e. apud me convivaturi; Nam quia visis illis πολυμήλοις tonsio erat altera messis, solebant tonsionis dies solennes esse & convivales. Proinde Judas absoluto luctus tempore propter uxoris obitum, ut animum recrearet, ivit ad tonsores suos; & Davidis servi ad Nabalem tonsionis tempore missi, dicunt se *die bono* (i. e. hilari & festo) venisse 1. *Sam.* XXV. 8. Hebræum porro גזז *gazaz* quod veteres tondere reddunt, *Schindlero* & recentiorum aliis non est tondere ferro, sed manu vellere, & extrahere, & גוזז *gozez* evulsor, non tonsor. Lana enim (inquiunt) prius vulsa est quam tonsa, quod docet nomen velleris, non a tondendo, sed a vellendo deductum. *Varro* lib. IV. de lingua Latina. *Id dictum quod vellebant lanam.* Et alibi in eodem libro. *Veliæ unde essent plures accepi causas in queis quod ibi pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam, vellere lanam sint soliti, ex quo vellera dicta.* Et de re rustica lib. II. c. 2. *Alii vellera, alii vellamina appellant, ex quorum vocabulo animadverti, prius lanæ vulsuram, quam tonsuram inventam.* Quod ut

ut ævo *Varronis* ſcias nondum in deſuetudinem abiiſſe, addit continuo poſt. *Qui etiam nunc vellunt* (oves) *ante triduo habent jejunas, quod languidæ minus radices lanæ retinent*. Quomodo etiam *Plinius* lib. XVIII. cap. 46. *Oves non ubique tondentur, durat quibuſdam in locis vellendi mos.* Proinde *Iſidorus* origin. lib. XIX. cap. 27. *Lanam* dici vult *a laniando, ut a vellendo vellus, quod prius lanæ vellerentur, non tonderentur*. Jam ut probent ex Hebræo verbo גזז *gazaz* vulſionem illam ſignificari, obſervant *Jerem.* VII. 29. prophetæ verba גזי נזרך Chaldæum cum reliquis non reddidiſſe *tonde capillum tum*, vel *cæſariem tuam* חלישי על רברביך : *Evelle* (ſupple crines) *propter principes tuos*. Et *Job* I. 20. cum de Jobo dicitur ויגז את ראשו ſignificari contendunt eum capitis capillos evulſiſſe non totondiſſe, quia in moerore & luctu capillos evellere, & diſcerpere moris erat. Unde eſt quod Eſdras de ſe ipſo ſcribit IX. 3. *Evulſi pilos capitis & barbæ*. Et Homerus de Ulyſſis ſociis in morte Elpenoris. *Odiſ.* lib. X.

> Ἑζόμενοι μὲν κατ᾽ αὖθι γόων τίλλοντό τε χαίτας
>
> *Ibi ſedentes ejulabant, & evellabant comas*

Et Iliad χ′ de Priamo graviter ferente, quod Hector cum Achille dimicatum ibat.

> —— πολιὰς δ᾽ ἄρ᾽ ἀνὰ τρίχας ἕλετο χερσὶ
> Τίλλων ἐκ κεφαλῆς
> —— *Canos vero capillos extrahebat manibus*
> *Ex capite avellens*

Sed & Agameneon multis ſuorum ab Hectore cæſis Iliad κ′

> Πολλὰς δ᾽ ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας
>
> *Multos ex capite crines radicitus evellebat*

Smyrnæus quoque id imitatus lib. III. Græcos deſcribit in luctu Achillis.

> Χαίτας ἐκ κεφαλῆς προθελυμένους δηιόωντας
>
> *Crines ex capite radicitus evellentes.*

Et in *Luciani* lib. de luctu cum quis obiit παρὰ πάντων δάκρυα, καὶ στέρνα πυπτόμενα, καὶ σπαραττομένη κόμη: *ab omnibus funduntur lachrymæ, & pectus verberatur, & coma diſcerpitur*. Sed filius patri obitum ſuum lugenti fingitur dicere παῦσαι τιλλόμενος τὴν κόμην: *Deſine comam evellere*. Etiam *Ariſtophanis* Scholiaſtes in Ranis *Act.* I. ſcen. 7. cenſet inter officia mortis neceſſario debita τὸ τίλλειν τὰς τρίχας καὶ κόπτεσθαι *comas evellere & plangere*. Hæc illi, ſed quicquid afferant, certum eſt vocem גזז ad tonſionem pertinere. Res clara ex his Talmudis in *Sanhedrin* cap. 2. fol. 96. a. זיל אייתי לי מספר ואינזייך. *Ito affer mihi novaculam, & tondebo te*. In Gloſſa redditur אגלחך. Patet etiam ex *Act.* VIII. 32. ubi Græca ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτοῦ *coram tondente ſe: Syrus* Paraphraſtes ܩܕܡ ܓܙܘܙܗ & Arabs لجازّه ſic & *Corinth.* II. 6. quo κειράσθω فليجزّ & tondeatur. Ita גזז tam apud Arabes quam apud Syros *tondere* ſonat, non evellere. Proinde ut Latinis prata & ſegetes tonderi dicuntur i. e. falce ſecari, ut in *Virgilio* Georg. lib. II. verſ. 390.

> *Nocte leves ſtipulæ melius, nocte arida prata*
> *Tondentur*

Sic Arabicum جزّ adhibetur ad indicandum tam ad meſſorem, quam fœniſecam. Quomodo Hebræum גז *gez* quod pro *vellere* vulgo ſumunt, etiam ſectum fœnum ſignificat *Pſal.* LXXII. 6. & *Amos* VII. 1.

Vellendi morem, quod attinet is ſolum Romæ fuit in uſu, & in vicinis locis, non in Judæa nec in Græcia. Saltem apud *Heſiodum*, qui de re pecuaria primus ſcripſit omnino, ὄιας πέκειν non eſt oves vellere, ſed tondere, ut in *Theocriti* bucoliaſtis

> —— ὁππόκα πεξῶ
> Τὰν ὄιν τὰν μέλλαν
> —— *cum tondebo,*
> *Ovem pullam*

Verbum enim πέκειν Scholiaſtes notat hic idem eſſe ac κείρειν tondere, καὶ παρ᾽ Ἡσιόδῳ ut eſt apud *Heſiodum*. Heſiſchio etiam πέξαι & κεῖραι, & πέξις, φίλωσις, κουρά, ξύρησις, & quamvis apud *Archippum*, *Cratinum*, & *Philemonem* νακωτιλτῶν vel νακωτίλτης *vollerum vulſorem* proprie ſonet, veteres tamen tonſorem explicant. Heſychius. Νακωτίλται οἱ κείροντες τὰ πρόβατα. *Suidas* νακωτίλται, οἱ τῶν προβάτων κουρεῖς. Nec opponendus unus *Onkelos* cui גזי eſt חלישי *evelle Jerem.* VII. 29. tot aliis interpretibus, quibus גזז eſt

est κάρεω. In quibus Lucas Evangelista Hebræa *Esai.* verba כרחל לפני גוזיה Græce ita extulit ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτόν. Quia Hebræi lanæ vulsorem opponunt τῷ גוז i. e. ut *Maimonides* in *Biccurim* cap. VIII. 6. החולש צמר רחלים בידו ולא גוזחייב בראשית הגז: *Etiam qui lanam ovium manu sua vellit, & non tondet, debet velleris primitias.* Denique quod maxime urgent, in Jobo ויגז את ראשו *& evulsit crines capitis sui*, quia in luctu comæ vellebantur, non tondebantur, ne umbram quidem habet veri. Neque enim comarum tonsio in luctu minus recepta fuit, quam evulsio. Sic Iliad. ξ' jurat Achilles se caput suum ex tabo infectum non abluturum

Πρίν γ' ἐνὶ Πάτροκλον θέμεναι πυρὶ σῆ-
μα τε χῶσαι
Κείρασθαί τε κόμην ——
Priusquam Patroclum rogo imposuerit, tumulumque erexerit
Et comam totonderit ——

Ad quæ verba sic *Eustathius*. Τὸ μὲν κείρεσθαι κόμην ἐπὶ νεκροῖς πλατὺ ἔθιμον, ὃν καὶ τοῖς πάλαι, ἣν καὶ αὐτὸ λύπης ἔνδειξις, καθὰ καὶ τὸ τίλλειν πενθικῶς κεφαλῆς τρίχας *Comam tondere propter mortuos, apud veteres in multo usu, fuit etiam mœroris argumentum, ut & capitis crines in luctu avellere.* Et in Achillis funere Iliad. ω'

Δάκρυα θερμὰ χέον, κείροντό τε χαίτας
Lachrymas calidas fuderunt, & crines totonderunt.

Ut Smyrnæi lib. 3.

—— ἀμφὶ δὲ χαίτας
Μυρμιδόνες κείροντο, νέκυν δ' ἐκάλυψαν ἄνακτος
Καὶ δ' αὐτὴ Βρισηὶς, ἀκηχεμένη περὶ νεκρῷ
Κειραμένη πλοκάμους πύματον πόρε δῶρον ἄνακτι
Myrmidones autem capillis circumtonsis cadaver regis texerunt
Et ipsa etiam Briseis dum functum mœret
Detonsam cæsariem ultimum regi munus exhibuit

Inde est quod post suorum funera Priamus in theatra tonsus inducebatur. *Eustathius*. Οἱ μεθ' Ὅμηρον καὶ κείρουσι αὐτὸν ὅθεν καὶ Πελαμωθῆναι, ἐπεὶ ὁ τραγικὸς Πρίαμος ξυρίας εἰσήγετο. *Homero posteriores etiam illum tondent, unde* Πελαμωθῆναι, *est Priami more radi, quia in Tragœdiis Priamus rasus exhibebatur.* Quæ fere eadem habet *Hesychius* in Πελαμωθήσομαι. Et ne putentur hujus ritus exempla aliunde petita quam ex fabulis, post navium Atheniensium XXV. naufragium ad Arginusas narrat *Xenophon.* rerum Græcarum lib. I. fuisse ἀνθρώπους μέλανα ἱμάτια ἔχοντας, καὶ ἐν χρῷ κεκαρμένους πολλοὺς ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ, ἵνα πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἥκοιεν, ὡς δὲ συγγενεῖς ὄντες τῶν ἀπολωλότων *pullatos homines plurimos, & ad cutem usque detonsos, ut ad conventum se conferrent* Apaturiorum *festo tanquam cognati eorum, qui perierant.* Et apud *Herodotum* Argivi a Spartanis victi, & Thyreis pulsi ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου κατακειράμενοι τὰς κεφαλὰς πρότερον ἐπάναγκες κομῶντες: *ab eo tempore tonsis capitibus, cum antea necessario comati fuissent*, legem sanxerunt ut nequis Argivorum comam aleret antequam Thyreas recuperassent. Et *Isocrates* in oratione funebri apud *Aristotelem* Rhetoric. lib. III. c. 10. Ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷ τάφῳ τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων κείρεσθαι τὴν Ἑλλάδα. *Æquum erat ad sepulcrum eorum qui Salamine occubuerant tonderi Græciam.* Sed ad Barbaros manavit ille ritus. Itaque in Germanici morte *regulos quosdam barbaros barbam posuisse* (ferunt) *& uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus.* Ita *Suetonius* in Caligula, cap. 5. Hinc idem *Herodotus*, qui supra lib. II. ubi de Ægyptiis. *Apud alios homines more receptum est* ἅμα κήδει κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς, *ut in luctu statim capite tondeantur.* Et apud *Athenæum* lib. XV. cap. 5. etiam in alieno luctu ὁμοιοπαθεῖς τοῦ κεκμηκότος, κολαβοῦμεν ἡμᾶς αὐτοὺς τῆς τε κουρᾶς, καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει *afflicto compatientes nos decurtamus tam capillorum tonsione, quam coronarum detractione.* Sed de hoc ritu plura qui volet, *Kirchmannum* consulat de Romanorum funere lib. II. cap. 13. 14. 15.

Lanæ præcipuus in vestibus usus, unde Salomon *Prov.* XXVII. 16. כבשים ללבושך. *Agni in vestitum tuum.* Lanei panni meminit Mose, cui linum misceri vetat. *Deut.* XXII. 11. & *Job* XXXI. 20. vellere seu tonsione ovium calefieri: i. e. panno ex lana detonsa confecto. Et *Ezech.* XXXIV. 5. *Lac ovium comeditis & lanam induitis.* Ibid. LIV. 17. de sacerdotibus dictum. *Lana non adscendet super ipsos*: i. e. lana non induentur. Ex *Ose.* II. 9. *Eripiam lanam meam, & linum meum, quibus tegebant nuditatem tuam.* i. e. laneas & lineas vestes.

De mulieriebribus lanificiis ita Salomon in descriptione mulieris fortis *Prov.* XXXI. 13. *Quærit lanam & linum, & operatur pro voluntate manuum suarum.* De lanis ad commercia locus est insignis *Ezech.* XXVII. 18. quem supra jam attigi-

tigimus. Ibi propheta Tyrum ita compellat. *Damaſcus negotiatrix eſt tua* &c. *Et vino Chelbon & lana candida, vel rutila*. Ex *Ezech.* loco ſupra allegato colligere eſt Damaſcenos duabus maxime rebus Tyrias nundinas inſigniviſſe, vino ſc. atque lana. Sunt & alii lanæ uſus. Lanam partem faciebat tributi regis Moab, qui pro tributo annuo centum agnorum millia Iſraelis regi ſolvebat, & totidem arietes ſimul cum lana 2. *Reg.* III. 4. Neque enim detonſos licebat exhibere. Huc pertinere creditur, quod *Eſai.* XVI. 10. Moabitas ita compellat propheta. *Mittite agnum dominatori terræ e petra quæ eſt verſus deſertum ad montem filiæ Sion*. *Mittite agnum*: i. e. agnorum numerum olim imperatum: eſt enallage numeri. *Dominatori* terræ i. e. Ezechiæ regi, qui regno Iſraelis ab Aſſyriis jam detracto, & abolito, Judææ totius jam eſt verus & legitimus rex. Itaque illi debetur tributum, quod primo Davidi & Solomoni 2. *Sam.* VIII. 2. & 1. *Chron.* XVIII. 2. poſtea lacerato regno, regibus Iſraelis ſolutum eſt 2. *Reg.* I. 1. & III. 4.

Prohibetur *Deut.* XV. 19. tonderi primogenitum ovium: לא תגוז בכור צאנך: *Non tondebis primogenitum ovis tuæ*: ubi *Siphri* 43. אין לי אלא בכור שור בעבודה ובכור צאן בגיזה בכור שור בגיזה ובכור צאן בעבודה מנין הרי אתה דן ומה במקום שלא שוה בעל מום של בקר לתמים של בקר ליקרב על גבי המזבח שוה לו בעבודה מקום ששוה תמים של זאן לתמים של בקר ליקרב על גבי המזבח אינו דין ששוה לו בגיזה ובעבודה ועדיין לא למדו אלא תמימים בעלי מומים מנין ודין הוא ומה אם במקום שלא שוה תמים של בקר לבעל מום של בקר ליקרב על גבי המזבח שוה לו לעבודה מקום ששוה בעל מום של צאן לבעל מום של בקר ליקרב על גבי המזבח אינו דין ששוה לו בעבודה והוא הדין לגיזה ומה במקום שלא שוה תמים של צאן לבעל מום של צאן לאכול בגבולי׳ שוה לו בגיזה מקום ששוה בעל מום של בקר לבעל מום של צאן לאכול עמו בגבולים אינו דין שישוה לו בגיזה תל לא תעבוד בבכור שורך וג׳ו: Non probo niſi de primogenito bovis in opere, & de primogenito ovis in tonſura; de primogenito bovis in tonſura, & de primogenito ovis in opere unde probatur? Argumento: Si ubi non eſt æquiparandus bos vitiatus cum ove perfecta ut offeratur ſuper altare, æquiparatur tamen in opere, ubi æquiparatur perfectum bovis cum perfecto ovis, ut offeratur ſuper altare, non erit æquum ut illi æquiparetur in tonſura, & in opere? Hactenus non didicimus niſi de perfectis, de vitiatis unde probatur? Argumento. Si ubi non eſt æquiparandus bos perfectus cum bove vitiato, ut offeratur ſuper altare, æquiparatur tamen cum eo in opere, ubi æquiparatur ovis vitiata cum bove vitiato, ut offeratur ſuper altare, non erit æquum, ut illi æquiparetur in opere? Et probari poteſt argumento de tonſura. Ubi non comparatur ovis perfecta cum ove vitiata, ut comedatur in terminis, cum ea comparatur in tonſura, ubi æquiparatur bos vitiatus ovi vitiatæ, ut cum eo comedatur in terminis, non erit æquum ut ei æquiparetur in tonſura? Idcirco dictum eſt: *Non operaberis in primogenito bovis tui*. (Ibid. cap. XVIIII. 4. jubetur primitias tonſuræ lanæ dandas eſſe ſacerdotibus: *Siphri* 4. וראשית הגז ולא ראשית השטף ראשית הגז פרט לטריפה ראשית הגז בין בארץ בין בחוצה לארץ צאנך ולא של אחרים מיכן אמרו הלוקח הגז צאן של נכרי פטור מראשית הגז זג זג צאנו של חברו אם שייר אמוכר חייב ואם לאו הלוקח חייב שנ׳ תתן לי שיהיה לו כדי מתנה מיכן אמרו כמה נותן לו משקל חמש סלעים ביהודה שהם עשר בגליל מלובן כדי לעשות ממנו בגד קטן שנ׳ תתן לו שיהא בו כדי מתנה וכמה צאן לו ויהיה חייב בראשית הגז בית שמאי אומרים שתי רחילות שנ׳ והיה ביום ההוא יחיה איש עגלת בקר ושתי צאן ובית הילל אומרים חמש שנ׳ וחמש צאן ר׳עקיבא אומר ראשית הגז שתים צאנך ארבע תתן לו חמש: *Et primitias tonſuræ*: At non primitias immerſionis *primitias tonſuræ*: Excluditur ovis diſcerpta. *Primitias tonſuræ* tam in terra quam in regionibus extra terram. *Ovium tuarum*: At non aliorum: Hinc dixerunt. Si emat tonſuram ovium gentilis abſolvitur a primitiis tonſuræ. *Tonſuræ ovium tuarum*. Si fuerit tonſura ſocii ſui, ſi reliqua ſit, vendens tenetur, ſi minus, emens tenetur. Dictum eſt enim: *Dabis illi*: ut ſatis ſit in donum. Hinc dixerunt: Quantum dabit? Pondus quinque ſiclorum in Judæa, qui ſunt decem in Galilæa. De lana dealbata, ut ex ea poſſit fieri veſtis parva. Dictum eſt enim: *dabis illi*; ut ſatis ſit in donum: At quot oves habere debet, ut teneatur ad primitias tonſuræ? Schola Schammai dicit: duas oves: Dictum eſt enim *Eſai. Et erit in die illa, nutriet homo vitulum bovis, & duas oves* Schola Hillel dicit quinque. Dictum eſt enim 1. *Sam.* XXV. 18. *Et quinque oves pingues*. R. Akiba dicit. *Primitias tonſuræ*: ſunt duæ oves: *Ovium tuarum*: Ecce quatuor: *Dabis illi*; ecce quinque. Toſaphta *Cholin* c. X. ראשתי הגז נוהג בטרפה ואין נוהג במתה ונוהג בכלאים ובכוי ר׳ אליעזר אומר כלאים מן הרחל ומן הגדי נוהגין בו מן הכוי

אין

אין נוהגין בו כהן וגוי שנתנו בהנותן לישראל פטור מראשית הגז זה חומר בלחיים ובקיבה מראשית הגז כל הקרשים שקדם מומן קבוע להקדישן וניפדו חייבין בראשית הגז אבל אם קדם הקדישן מומן או מום עובר דהקדישן לאחר מיכן נולד להן מום וניפדו פטורין מראשית הגז הניוז עזין פטור מראשיה הגז השוטף רחליו חייב בראשית הגז הלוקח מבעל הבית חייב ור׳ אלעאי פוטר השותפין חייבין ר׳ עקיבא פוטר ר׳ אלעאי אומר אין ראשית אלא שיש אהריה הגז צאנך ארבע תתן לו חמש חמש רחלות נוזזות מנה ופרס שהן שבעים וחמש סלעים חייבות בראשיה הגז רברי ר׳ דוסא וחכמים אומרים המש רחלות נוזזות כל שהן כמה נותן לו משקל חמש סלעים ביהודה שהן עשר סלעים בגליל לובן ולא צאוי ולא שילבננו ויחננו לו אלא נותן לו צמר צאוי כדי שילבינו ויעמה בידו משקל חמשה סלעים ביהודה שהן עשרה בגליל שנ׳ תתן לו שיהא בו כדי מתנה היו לו שתי צאן נוזז ומניח נוזז ומניח אעפ׳ שיעתיד להיסיף עליהן אין מצטרפות היו לו חמש נוזן ומניח אפילו שתים ושש להם שנים הרי אלו מצטרפות צבענן טואן ומכרן אין מצטרפות ר׳ שמעון בן יהודה אומר משום ר׳ שמעון צבען הרי אלו מצטרפות המפריש גז צאנו ואבד חייב באחריות ראשית הגז מצותה בתחלה נתן בין בתחלה בין באמצע ובין בסוף יוצא במה שיעורה אחר בששים בתרומת הלוקח גז צאנו של חבר ולא הפריש הימנו ראשית הגז הלוקח פטור: Primitiæ tonſuræ obſervantur in diſcerpto, at non obſervantur in mortuo, & obſervantur in heterogeneis & in Cavi. R. Elieſer dicit: In heterogeneis natis ex ove & hœdo obſervantur, in Cavi non obſervantur. Sacerdos & gentilis ſi dederint pecora ſua Iſraelitæ, abſolvitur a primitiis tonſuræ. Gravior eſt conditio in maxillis & in coagulo, quam in principiis tonſuræ. Omnes ſanctitates, ſi vitium ſtabile præceſſerit earum ſanctificationem, & redimantur, obligantur ad primitias tonſuræ. At ſi earum ſanctificatio preceſſerit vitium, aut vitium inſtabile præceſſerit earum ſanctificationem, & poſtea oriatur illis vitium, & redimantur, abſolvuntur a primitiis tonſuræ. Qui tondet ſuas capras, abſolvitur a primitiis tonſuræ. Qui immergit ſuas oves, obligatur ad primitias tonſuræ. Qui emit a patre familias, obligatur; & R. Elai abſolvit, Socii obligantur. R. Akiba abſolvit. R. Elai dicit. Non eſt principium, niſi quando ſit aliud, quod illud conſequatur. *Tonſuram ovium tuarum*. Quatuor *Dabis illi*. Quinque ſi quinque fuerint oves detonſæ; pro ſingulis mina, mina cum dimidio; quæ ſunt ſeptuaginta quinque ſicli, obligantur ad primitias tonſuræ: Et ſapientes, dicunt; ex quinque ovibus detonſis, quantulæcumque fuerint, quantum dabit? Pondus quinque ſiclorum in Judæa, qui ſunt decem ſicli in Galilæa. Lana erit dealbata, & non polluta. At non erit dealbanda, ut illi det; at illi dabit lanam pollutam, quæ cum dealbatur, remaneat in ejus manu pondus quinque ſiclorum in Judæa, qui ſunt decem in Galilea. Dictum eſt enim *dabis illi*. Ut ſit illi ſatis in donum; Si quis habeat duas oves, & tondeat, & relinquat, tondeat & relinquat, vel ſi ſit additurus illis, non conjunguntur; Si habeat quinque, & tondeat, & relinquat vel duobus & tribus annis, conjunguntur. Si coloret, neat, & vendat, non conjunguntur. R. Simeon ben Jehuda dicit nomine R. Simeon. Si coloret, conjunguntur. Si ſeparet tonſuram ovium ſuarum, & amittat, obligatur cautione futuri damni. De primitiis tonſuræ præceptum eſt in principio; ſi dederit ſive in principio ſive in medio, ſive in fine, ſatisfacit officio: Quanta erit ejus menſura? Una pars ex ſexaginta in ſeparatione. Si emit tonſuram ovium ſocii ſui, & non ſeparavit ex ea primitias tonſuræ, emtor abſolvitur.

Prohibetur *Deut.* XXII. 12. induere veſtimenta, quæ conſtent lana eſt lino לא תלבש שעטנז צמר ופשתים יחירו *Non veſties heterogenea lanæ & lini ſimul*. Ubi *Siphri* 49. 3. לא תלבש שעטנז יכול לא ילבש גיזי צמר ואניצי פשתן ת״ל שעטנז דבר שהוא שוע טווי ונוז ר׳ שמעון בן אלעזר אומר נלוה דמליז את אביו שבשמים עליו לא תלבש אין לי אלא שלא ילבש מניין שלא יםכסה ת״ל לא יעלה עליו יכור לא יפשלינו לקופה אחריו ת״ל לא תלבש לבישה בכלל הייתה מה יצאת להקיש אליה ולומר לך מה לבישה מיוחדת שהיא הנהת חנוף וגו׳ יכול לא ילבש חלוק של צמר על גבי חלוק של פשתן וחלוק של פשתן על גבי חלוק של צמר ת״ל יחדיו חנניה בן גמליאל אומר מניין שלא יסרוק סרק של צמר ושל פשתן לקשור בו את מתניו ואעפ׳ שהרצועה באמצע ת״ל יחדיו מכל מקום כשתימצי לומר השק והקופה מצרפים את הכלאי׳ צמר ופשתים יחדיו אבל זה בפני עצמו וזה בפני עצמו מותר הלברים אסורים כלאים אעפ׳ שאין בהם משום אריג יש בהם משום שוע: *Non veſties heterogenea lanæ & lini*. Crederem, quod non poſſet induere vellera lanæ, & manipulos lini? Idcirco dictum eſt: שעטנז quod ſit carminatum, netum, & textum. R. Simeon ben Elieſer dicit. Avertitur, & avertit ejus patrem, qui eſt in cœlis ab eo: *Non veſties*; Non probo niſi quod non veſtiat, unde probatur, quod ſe *heterogeneo* tegere non poſſit? Ex eo quod di-

dictum eſt: *Non adſcendet ſuper eum*. Crederem quod non poſſit ſuſpendere baculo poſt humeros? Idcirco dictum eſt: *Non veſties*. Veſtitio erat in genere, cur exiit? Ad objiciendum, & tibi dicendum, ſicut veſtitio eſt peculiaris, quæ eſt ad decorem corporis &c. Crederem quod non poſſet induere induſium laneum ſuper lineum, neque lineum ſuper laneum? Idcirco dictum eſt. *Simul*. Chananjah ben Gamaliel dicit: Vade probatur, quod non poſſit pectere pectine lanam & linum ad ligandos lumbos ſuos, vel ſi in medio fuerit ligula? Ex eo quod dictum eſt: *Simul*. Deprehenditur quod dicat, quod ſaccus & baculus conjungant heterogenea lanæ & lini ſimul. At ſi fuerint ſejuncti, erit licitum. Coactilia vetita ſunt propter heterogenea, licet in iis non ſit interdictum reſpectu texturæ, eſt tamen interdictum reſpectu carminationis. *Gemara Hieroſolymitana Celaim* 31. 4.

אינו אסור משום כלאים כו׳ כתיב לא תלבש שעטנז צמר ופשתים יחידיו הייתי אומר אינו אסור אלא מללבוש ת״ל לא יעלה עליך אי לא יעלה עליך היתי הומר לא נפשיל את הקופה לאחריו ת״ל לא תלבש מה מלבוש מיוחד דבר שהוא מהנה את הגוף אף אין לי דבר שהוא מהנה את הגיף לא זה דבר נאמר לא יעלה עליך ר׳ ניחא בר סבה ר׳ יוחנן בשם ר׳ זעירא שאם היה בגד גדול קצתו יש בו כלאים ומונח בארץ ומקצתו אין בו לא יכסה בו מצד השני הייתי אומר אפילו פשתן של ים אפילו קנבס ת״ל צמר ופשתים מה צמר שאין לו שם לווי אף כל דבר שאין לו שם לווי מניין שאין לו שם לווי א״ר יהושע בן לוי כתיב ומושע מלך מואב היה נוקר מהו נוקר רועה וחשיב למלך ישראל מאה אלף כרים ומאה אלף אלים צמר אין לך קרוי צמר אלא צמר אלים בלבד וגו׳ א״ר זעירא כתיב כתונת בר קדש ילבש בר שהוא עולה יחידי והרי צמר עולה יחידי פירש בקבלה ולא יעלה עליהם צמר בשרתם בשערי הפנימית וביתה הא מבחוץ מותר לעלות עליהם מניז שהן מותרין בכלאים שנ׳ ואת המצנפת שש ואת פארי המגבעות שש ואת מכסי הבד שש משזור ואת האבנט שש משזר תכלת וארגמן ותולעת שני וכתיב פארי פשתים יהיו על ראשם ומכנסי פשתים יהיו על מתניהם ולא יחגרו ביזע את דרש שש משש שש מפארי פארי מפארי מה שני תולעת דבר שיש בו רוח חיים אף כל דבר שיש בו רוח חיים מה צמר שאין לו שם לווי אף פשתים שאין לה שם לווי:

Non eſt vetitum nomine heterogeneorum &c. Scriptum eſt: *Non veſties heterogenea lanæ & lini ſimul*. Dicerem non fuiſſe vetitum niſi veſtitum? Idcirco dictum eſt. *Non adſcendet ſuper te*. Si *non adſcendat ſuper te*. Dicerem, quod poſſes ſuſpendere baculo poſt humeros? Idcirco dictum eſt: *Non veſties*. Sicut veſtitio eſt peculiaris, & quæ inſeruit ad uſum corporis. Non hac de cauſa dictum eſt: *Non adſcendet ſuper te*. R. Nicha bar Saba, R. Jochanan nomine R. Zehira; Si fuerit veſtis magna, in cujus parte ſint heterogenea, & poſita ſit in terra, & in altera ejus parte non ſint heterogenea, ſe illa non teget ex ſecunda parte. Crederem etiam comprehendi linum maritimum, & cannabum? Idcirco dictum eſt: *Lanæ, & lini*. Sicut lana, cui non ſit nomen conjunctum, ita pariter linum cui non ſit nomen conjunctum? Dicit R. Jehoſua ben Levi: Scriptum eſt 2. *Reg*. III. *Et Meſab rex Moab erat* נוקר. Quid eſt נוקר? *pecuarius; & is ſolvebat regi Iſraelis centum mille agnos, & centum mille arietes cum lana;* i. e. lanatos: Non vocatur lana, niſi lana arietum duntaxat &c. Dixit R. Zeira ſcriptum eſt. *Tunicam lineam ſanctitatis induet*. בר quia ſolitarie creſcit (*nempe una tantum canna de ſingulo grano creſcit*) & ecce lana etiam ſolitarie creſcit. Exponitur in traditione *Ezech*. XLIV. 17. *Neque adſcendet ſuper eos lana in carne eorum:* In pilis interioribus, ad interiorem partem; & ad partem exteriorem, permittitur, ut adſcendant ſuper illos. Unde probatur quod illis, (ſc. Sacerdotibus) permittantur heterogenea. Dictum eſt enim *Exod*. XXXIX. 28. *Et tiaram byſſinam, & vittas mitrarum byſſinas, & femoralia linea ex byſſo retorta; & baltheum ex byſſo retorta, hyacintho, & purpura, & coccino:* Et ſcriptum eſt *Ezech*. loc. cit. *Vittæ lineæ erunt ſuper capita eorum, & femoralia linea erunt ſuper lumbos eorum; neque accingentur in ſudore*. Tu explicabis שש ex שש, & שש ex פארי, & פארי ex פארי. Sicut coccinum eſt res in quo eſt ſpiritus vitæ, ita pariter includitur omnis res in quo ſit ſpiritus vitæ. Sicut lanæ non eſt nomen conjunctum, ita pariter lino non eſt nomen conjunctum.

In Miſna *Celaim* c. VIII. recenſentur quæ ſint & quæ non ſint heterogenea in veſtibus. השריים והכלך אין בהם משום כלאים אבל אסורים מפני מראית העין הכרים והכסתות אין בהם משום כלאים ובלבד שלא יהיה בשרו נוגע בהם אין עראי לכלאים ולא ילבש כלאים אפילי על גבי עשרה אפילו לגנוב את המכס: In Serico & vellere marino non eſt interdictum de heterogeneis, tamen ſunt vetita propter aſpectum oculi (ſc. proprer ſcandalum). In culcitis & pulvillis non eſt interdictum de heterogeneis, dummodo corpus non attingant: Ne quidem accidentalis permittitur in heterogeneis. Neque induet ve-

ſtes heterogeneas, vel ſi fuerint ſuper decem, ne ideo quidem ut eludat telonium. Ubi *Gemara Hieroſolymitana* השיריים והכלך כו׳ השיריין מטכסה והכלך אגבין קיסריי אמר רבן גמליאל חיזרתי כל מפרשי הים ואמרו בלכה שמו אבל אסורין מפני מראית העין וגו׳ תני אין עראי בכלאים בבית המקדש והא תני כהן שיצא לדבר עם חבירו אם הפליג טעון טבילה אם לשעה טעון קידוש ידים ורגלים כאן בבגדי זהב כאן בבגדי לבן: In ſerico & vellere marino &c. Sericum ornatum, & ordinatum; & vellus marinum; Vellera Cæſarienſia. Dicit Raban Simeon ben Gamaliel. Me converti ad omnes navigantes, & dixerunt כלכה eſt ejus nomen. At ſunt vetita propter aſpectum oculi &c. Extat traditio: Neque uſus extemporaneus permittitur in heterogeneis in domo ſanctuarii. Atqui extat traditio: Sacerdos ſi egrediatur ad loquendum cum ſocio ſuo, ſi diſceptet, obligatur ad lotionem, ſi aliquo momento, obligatur ad lavandum manus & pedes. Ibi intelligitur de veſtibus aureis, hic de veſtibus albis. *Sericum*. De *Serico* ad loc. cit. Miſnæ hæc obſervat *Guiſius*. In Gemara Babylonica Sheb. 20. b. palam diſtinguitur רירים a סושיקין *ſerico* atque inde eadem diſtinguit R. Nathan. Veruntamen dialecto potius quam re diſtingui videntur, atque ideo *Apoc.* XVIII. 12. Syrus pro σηρικοῦ habet ܫܝܪܝܐ quod noſtrum eſt שיריש. Accedit Arabicum سيرا quod *Jabuarius* quidem interpretatur برد فيه خطوط صفر *lacernam flavo ſtriatam*. Ita etiam *Phiumius* eum ſecutus. Sed ſi non aliam autoritatem habuit *Jaubarius*, quam verſum *Nabegæ*, quem affert, non metuo interpretationem illam in dubium vocare. Quod enim *Jabuarius* apud *Nabegam* صفرا السيرا interpretatur: *flava inſtar lacernæ flavis pictæ ſtriis*; id ego potius interpretarer; *flava inſtar ſerici*. Flavedo enim, vel color ad flavedinem valde accedens telæ bombycinæ fere naturalis eſt. Videor autem mihi non ſolum errorem, ſed & ipſam erroris occaſionem deprehendiſſe. سير *Segmentum eſt in longum diductum*, & ob ſimilitudinem *ſtria* in veſte: Veſtem inde ſtriatam مسيرا vocant. Hinc etiam سيرا interpretari voluit *Jabuarius*. Hoc verum eſſe intelliges, ſi apponam verba *Zamachſharii* ad hanc rem plane egregia ومنه ثوب مسير مخطط سبعت خطوطه بالسيور ومنه عليه ثوب من السيرا لطرب من برود الحرير *Inde* (nempe a سير) *veſtis ſtriata dicitur* مسير *ut cujus ſtriæ ſegmentis oblongis ſimiles ſint. Inde etiam dicitur indutus eſt veſte e* سيرا *de ſpecie quadam lacernæ ſericæ*. Vides Zamachſarium eodem errore, ſed cujus cauſa jam certior, in veſte, quam ipſe agnoſcit ſericam eſſe سيرا ad ſtrias, non ad materiam referre. Equidem nullus dubito quin ثوب من السيرا exponendum ſit *veſtis e ſerico*, & Arabum vox iſta eadem ſit cum Miſnæ השירים. Chaldæorum idem שיראה, ut in ſecunda quam vocant *Eſther* paraphraſi v. 1. שיראה פרננז טבא, & vi. 10. שיראה טבא פרגניז ubi utrobique legendum reor פרגינז i. e. *Sericum optimum Phrygianum*. Ita שירה פרגרא *Sota* 48. b. interpretor *ſericum undulatum*; nam فرند Arabibus eſt *undulatus enſis nitor*. Niſi ſiquis mallet פרגרא pro nomine gentili habere. Eſt autem زبداد loci nomen *Jabuario*. *Vellus marinum*: De כלך ſic *Maimonides* in *Jad* Hal. Chil. x. ויש בכרכי הים כמו צמר שגדל על האבנים שבים המלח כתבנית הזהב והוא רך ביותר וכלך שמו ואסור עם הפשתן מפני מראית העין שהוא דומה לצמר רחלים וכן השירים והכלך אסורין מפני מראית העין: Eſt in maritimis urbibus quiddam lanæ inſtar, quod ſaxis maris ſalſi innaſcitur, auri ſpeciem ferens, molliſſimum, nomine *calac*, quod illicite admiſcetur lino propter externam ſpeciem, qua lanam ovinam refert, uti etiam illicite miſcentur ſericum & *calac* propter externam ſpeciem. Ex hac deſcriptione collata cum deſcriptione *velleris marini* vel *pinnarum lanæ*, quam ex variis utriuſque linguæ autoribus collegerat *Salmaſius* in *Plinianis*, doctiſſimus *Bochartus* eandem eſſe arbitratur *pinnarum lanem*, & Miſnæ noſtræ כלך. Addit כלך a Colchis dici, non illis ad oram Ponti Eluxini, Iberis & Albanis conterminus (quamquam & illi ob velleris aurei famam, & Argonautarum navigationem percelebres) ſed a Colchis, Indis intra Gangem emporio, & ei adjacenti ſinu Calchico, ubi inſignem pinnici piſcationem, κολυμβησιν τῆς πιννικῆς agnoſcunt *Ptolemæus*, & *Arrianus*. Atque hæc quidem ille, ſummo cum acumine, ut ſolet. Interim conſiderabit lector, annon ex ipſa voce Græca κόχλος Judæi ſuum

ſuum fecerint כלך metatheſi admiſſa, ne idem elementum in initio vocis geminaretur, quod aliquando quidem ſed raro patitur lingua Hebræa. Κόχλος autem non ſolum pro concha ponitur, ſed & ſignanter pro vellere, lanaque ei innaſcenti. *Baſilius* homilia ad divites. Τὰ δὲ ἐκ θαλάττης ἄνθη, ἢ κόχλος, ἢ πίννα, ὑπὲρ τὸ ἐκ τῶν προβάτων ἔριον. Atque hæc quidem, ſi vera ſit illa *Maimonidis* deſcriptio. Alii כלך exponunt פסולת של משי: *Serici recrementum*; & אותן קליפות שנשארו מן המשי שמוציאין התולעין ואין נוחי לטוות: *ipſos folliculos, qui reſtant de ſerico, quos excernunt bombyces, qui non facile nentur*. Ita R. *Nathan*: Ubi tamen pro שמוציאים iiſdem literis leviter trajectis mallem legere שמיוציאים *poſtquam prodeunt bambyces*. *Bambycum enim folliculi* (ut *Golius* aſſerit ad vocem خز) *a papilionibus perrupti, pluſculum coquuntur cum ſapone, emollitique & cohærentes a mulieribus in fila ducentur fuſo*. Utrum vero hoc ſit אנבין קיסריי quod in *Gemara Hieroſolymitana* ad hunc locum legitur, vel ut ad *Shab.* II. I. in eadem legitur Gemara אנבין alii viderint. Id unum monet אונבין in Pſeudo-Uzielide *Geneſ.* XLIV. pro ſcypho Pharaonis poni aliquoties, folliculum autem bombycis perruptum ſcyphum vel calicem non male referre. Attamen mihi potior habetur altera illa *Maimonidis* ſententia. Talem enim lanam ad veſtes adhiberi ſolitam conſtat ex his *Procopii* de Juſtiniani ædificiis III. I. ubi inter Satraparum minoris Armeniæ inſignia numeratur chlamys ex pinnarum lana. Κλαμὺς ἐξ ἐρίων πεποιημένη, οὐχ οἷα τῶν προβατίων ἐκπέφυκεν, ἀλλ' ἐκ θαλάσσης συνειλεγμένων. πίννους τὰ ζῶα καλεῖν νενομίκασιν, ἐν οἷς ἡ τῶν ἐρίων ἔκφυσις γίνεται. Serici autem recrementa ad ellychniorum uſum non ſatis apta videntur, ut vel ideo aliud eſſe debeat כלך *Shab.* II. I.

In linteolis manuum, tonſorum, & balneorum non erant interdicta heterogenea, at in librorum velamine erant vetita. *Miſna Celaim* loc. cit. מטפחות הידים מטפחות הספרים מטפחות הספג אין בהם משום כלאים ר' אלעזר אוסר ומטפחות הספרים אסורות משום כלאים: Linteola manuum tonſorum, balneorum non ſunt vetita propter heterogenea. R. Elieſer prohibet: librorum velamina ſunt vetita propter heterogenea. Ubi *Gemara Hieroſolymitana* מטפחות הידים כו' תמן תנינן שלש מטפחות הן טמאה מדרס ושל ספרים טמאה טמה מת שלחבריך נבלי בני לוי טהורת מכלום רבי לא בשם ר' יוחנן מפני שהוא נותנה על הכסת וישן עליה רב אמר מפני שהוא נותנה תחת אצילי ידיו רב אמר אסור והלכה כדברי האוסר ולמה לא אמר כר' אליעזר אירה תניי חני מחלף ר' יוחנן יהב מפה על מנוי ואינו אסור משום כלאים דלא ינבלון מאנוי אר' זריקן יהיבו לר אבונא ביעתא במפה דאית בה כלאים והוא לא מקבל על שלם יתכוונו בחמה מפני החמה ובגשמים מפני הגשמים מטפחות ספרי' ר' שמואל בר נחמן בשם ר' יונתן מפני שהוא עושה אותה כמין תיק ונותן ספר תורתו עליה ר' בא ר' חייא בר יוסף בשם רב מפני שהוא מחמם בה ידיו אר' בון בר חייה לר' בא בלא כך אינו אסור משום כלאים אמר ליה לא רב הוא ורב אמר אסור והלכה כדברי האסור אל יונה לר' בא ולמה לא אמר ליה מלא מסלקתה אלו אמר ליה אינו אסורה בהנייה מה הוה ליה מימר ליה מטפחות הספג פעמים שהוא רואה את רבו ומתעטף בה ר' אבהו בשם רבי יוחנן בלנרי נשים אסורין משום כלאים היא בלנרי נשים היא בלנרי אנשים מהו בלנרי נשים רבנן הקיסרין אמרי אנטיטיה מטפחות הספג הדא דתימר כמתכוין לשם מלבוש אבל אם אינו כמתכוין לשם מלבוש לא בדא: Linteola manuum &c. Ibi legimus: Tria ſunt linteola. Linteola manuum polluunt calcatione; & linteola tonſorum polluunt pollutione mortui, ſi involvatur. Nablia Levitarum ſunt omnino munda. Rabi non ita putat nomine R. Jochanan, eo quod poſſit imponere pulvinari, & ſuper illo dormire. Rab dicit: eo quod poſſit ponere ſub axillis manuum ſuarum. R. dicit: vetitum eſt. Et conſtitutio eſt juxta verba prohibentis. At cur non dicit juxta ſententiam. R. Elieſer? Eſt qui aliter docet. R. Jochanan impoſuit mappam ſuis veſtibus; & non fuit vetitum propter heterogenea; Hoc fecit, ne ſuæ veſtes inquinarentur. Dicit R. Zerichan. Dederunt τῷ R. Abuna ovum in mappa, ubi erant heterogenea, & non accepit, ne in æſtate æſtatis, & in hyeme hyemis rationem habeant. Linteola tonſorum. R. Samuel bar Nachman nomine R. Jonathan, eo quod illa poſſit facere inſtar thecæ, & ſuper illa ponere librum ſui Pentateuchi. R. Ba, R. Chijah bar Joſeph nomine Rab, eo quod poſſit iis calefacere manus ſuas. Dixit R. Bon bar Chijah τῷ R. Bo; excepto hoc, non erit vetitum propter heterogenea. Dixit illi; non ita putat Rab; at Rab dicit: Eſt vetitum: & conſtitutio eſt juxta verba prohibentis. Dixit R. Jona τῷ R. Bo: Cur illi non dicit. Imple caniſtrum? Reſpondit: Si hoc non eſſet, ejus uſus non eſſet interdictus. Quid eſt dicendum de linteolis balneorum? Aliquando inviſens magiſtrum ſuum poterit ſe illis operire. R. Abau nomine R. Jochanan: Linteola bal-

balnearia mulierum ſunt vetita propter heterogenea; tam balneatoria mulierum, quam virorum. Quam ſunt balneatoria mulierum Sapientes Cæſarienſes dicunt: אנטיטוה (Aruch hanc vocem non explicat). Linteola balnearia: Hoc eſt quod dicitur; ſi ea intendat induere, at ſi non intendat ea induere; nihil eſt. Pergit Miſna recenſere quæ ſint licita & vetita in heterogeneis. חכריכ המת ומרדעת
של חמור אין בהם משום כלאים לא
יתן המרדעת על כתיפו אפילו להוציא
עליה זבל מוכרי כסות מוכרין כדרכן ובלבד
שלא יתכונו בחמה מפני החמה ובגשמים
מפני הגשמים והצנועים מפשלין במקל
לאחוריהן תופרי כסות תופרין כדרכן ובלבד
שלא יתכונו בחמה מפני החמה ובגשמים
מפני הגשמים והצנועים תופרים בארץ
הבריסין והברדסים והדלמטיקיון ומנעלות
הפינון לא ילבש בהן עד שיבדוק ר׳ יוסי
אומר הבאים מחוף הים וממדינת הים אינן
צריכים בדיקה מפני שחזקתן בקנבוס
ומנעל של זרד אין בו משום כלאים:
In involucris mortui, & aſini dorſuale non eſt interdictum propter heterogenea: At humero non imponet dorſuale, vel ad ſtercoris evectionem. Inſtitores veſtiarii ſuo more vendunt, ita tamen ne in æſtate æſtatis, & in hyeme hyemis rationem habeant. Verecundiores autem baculo ſuſpendunt a tergo. Sartores ſuo more ſuunt, ita tamen ne in æſtate æſtatis, & in hyeme hyemis rationem habeant. Verecundiores autem humi ſuunt. Birros, bardiacos, dalmaticas, calceos e lana ſoloci non licet induere, niſi habito examine. R. Joſe dicit non eſſe inquirendum de iis, qui veniunt ab ora maritima vel a provincia maritima, quia in illis præſuntio eſt de cannabe. In ſocco pedali non eſt interdictum propter heterogenea. Ubi Gemara. הבורסין בריה הברדיסין דילמא
הדלממיקון ומעפורין ומנעלות הפינון דרדסין
ר׳ יוסי אומר אף הבאין מחוף הים וממדינת
הים מה חוף הים וממדינת הים או
מחוף הים שממדינת הים מן מה דתני
כגון צור וחברותיה קיסרין וחברותיה הדא
אמרה מחוף הים שממדינת הים אינן
צריכין בדיקה הדא דתימר בראשונה שלא
היתה הפשתן מצויה בכל מקום אבל
עכשיו שהפשתן מצויה בכל מקום צריכי
בדיקה מנעל של זרב אית אתרין דזרכין
עימיה מן גו כהדא דר׳ זעירא מפקד לר׳
אבא בר זבינא ויאמר דלא יחוט ליה
מסאניה בביתן אלא ברצועה מודי ר׳
זעירא באהן דאסר פיסקי דעמר על דביתן
דהוא שרי דהוא שנץ גרמיה דהיא
נחתא לה בעון קומי רבי לא מהו מחוט
מסאניה דביתן אמר לון כגון דר׳ זעירא
דר׳ זעירא אמר אסור מודה ר׳ אילא בהן
דילבש דרדסין דעמר על גבי דרדסין דביתן
דהוא אסור דלא שלח עילויא לא שלח
ארעייא אביי דרב ספרא שאל לר׳ זעירא
מהו מיתן פריטין גו גולתה ומיקטרננון
שמואל אמר מותר ר׳ יעקב בר אחא בשם
דביתן מהו מיתן פריטין גו סדיניה ומיקטרינון
בחוט דעמר אמר ליה רבי לר׳ חונא דר׳
חונא אמר אסור ר׳ אבינא אמר אסור
ר׳ יסא אמר מותר: De Birris perſpicuum eſt, de bardiacis dubium eſt, dalmaticas lintea, calceos e lana ſoloci, tibialia. R. Joſe dicit: Vel ſi adducantur ab ora maritima, & a civitate maritima: Quid eſt ora maritima, & civitas maritima? Aut dicendum ab ora maritima, quæ ſit ex civitate maritima. Ex eo quod traditur: ex. gr. Tyrus, & ejus ſimiles, Cæſarea & ejus ſimiles: Hoc dicit: Ab ora maritima, quæ ſit ex civitate maritima. Non erit inquirendum. Hoc quod dicitur, olim uſitatum erat, eo quod linum ubique non inveniretur, at hoc tempore, quo ubique juvenitur linum, erit inquirendum. Soccum pedulem in quibuſdam locis intrinſecus præcingunt; juxta illud, quod R. Zehira præcipiebat לר׳ R. Aba bar Zebina, & dicebat, ne ſibi aſſueret calceum lino, ſed corrigia; Conſentit Rab. Zehira in eo quod vetita ſint fruſta lanæ ſuper linea, quæ ipſe permiſit, quod iis fluxis ſe præcingebat. Quæſierunt coram Rabi. Quid erit ſi conſuat calceos lineos? Reſpondit juxta mentem R. Zehira; etenim R. Zehira dicit: Eſt vetitum. Conſentit R. Ela, in eo ſi quis induat tibialia lanæ ſuper tibialia lini, quod ſit vetitum: quod non licet ſupra imponi, ne infra quidem imponi licet, Abaje filius R. Siphra quæſivit a R. Zehira; Quid erit, ſi ponat nummos intra pallium, & alliget funiculo lineo? Quid erit ſi indat nummos intra ſindonem & alliget funiculo lineo? Reſpondit illi Rabi לר׳ Rabi Huna, etenim R. Huna dicit: eſt vetitum; R. Abina dicit: eſt vetitum: Samuel dicit: eſt licitum. R. Jacob bar Acha nomine R. Iſa dicit: eſt licitum. *Guiſius*. *Soccum pedulem*. *Maimonides* מנעל של זרב
פראשה תכון תחת כף ארגל ימשי בהא
מנעל של זרב. Id eſt .עלי אלוטא ואלפרש:
dicitur pedile plantæ pedis ſubſtratum quo inambulatur ſuper tapeta, & ſtrata *ut ſolent in oriente*. *R. Tanchum* מנעלשל
רב ויסמי איצא של זבד מקלוב מן הדא
ויסמי של זרד ואלמעני והו עלי דאי בעץ
אלשארחין אלאכפאף אלתי תלבבחא טאגנאד
ונחוהם ישרה אלאמשנה קאל פראשה תכון
תחת אלכף ימשי בהא ענר מא יקלע אלכף
עלי פראט ונחוה לאנהא תכון נציפה לאנל
אנהא תחת אלכף פלא יצלהא מין ולא
מנעל של זרב Id eſt חראב ולא גיר דלך:
quod dicitur etiam per metatheſin זרב atque etiam זרד eodem ſenſu ad mentem interpretum quorundam ocrearum genus eſt,

eſt, quod milites & ejuſmodi homines uſurpare ſolent *Maimonides* autem in expoſitione Miſnæ pedule eſſe vult ſub ocrea geſtandum, quo exuta ocrea ſuper ſtrata, & ejuſmodi inceditur: quippe quod mundum eſt, quia quum ſub ocrea geratur, ad illud non penetrat coenum pulvis & ceteræ ſordes. Hæc ille in optimo Codice *Pocockiano*. In aliis aliter; ſed diſceptantiam ad nos non multum attinet annotare. In his autem illud obſervabit lector *Tanchumum* pro *Maimonidis* אלרגל id eſt لف الرجل *planta pedis* perperam ſubſtituere אלכף (ita enim hic legi neceſſe eſt) i. e. الخف *ocream*. Quid autem de voce זרב vel זבר vel זרד prout varie ſcribitur, ſtatuam, non eſt in promtu. Si זרב rectum ſit, quod in MS. & Talmude Hieroſolymitano comparet, non multum diſtare videtur ab Arabico جورب quod etiam pedule ſignificat.

Legitur præterea in Miſna אין אסור משום כלאים אלא טווי וארוג שנ׳ לא תלבש שעטנז דבר שהוא שוע טווי ונוז ר׳ שמעון בן אליעזר אומר נלוז ומליץ הוא את אביו שבשמים עליו: Non eſt interdictum in heterogeneis niſi netum, & textum. Dictum eſt enim *Deut.* XXII. II. *Non indues* שעטנז nempe rem שוע *carminatam*, טווי *netum*, & נוז *textum*. R. Simeon ben Elieſer dicit. Porverſus facit a ſe avertere patrem ſuum, qui eſt in cœlis. Gemara iterum ניתני שעז ולא ניתני טני אילו תנינן שעז ולא תנינן טני הוינן אמרין הא טווי מותר מתניתא לא אמרה כן אלא אין אסור משום כלאים אלא טווי ואריג ניתני שעט ולא ניתני נוז אילו תנינן שעט ולא תנינן נוז הוינן אמרין הא לנוז מותר מתניתא לא אמר כן אלא פיף של צמר ושל פשתן אסור מפני שהן חוזרין לארים ניגני טנז ולא ניתני שע אילו תנינן טנז ולא תנינן שע הוינן אמרין הא שע מותר מתניתא לא אמרה כן אלא הלבדין אסורין מפני שהן שועין משיחות שלל ארגמן אסורות אית תניי תני מותרות מאן דאמר אסורות כגון אילין טריסייה מאן דאמר מותרות דהוא שנץ נרמיה והיא נחתא לה: Dictum eſt טני ſi dictum eſſet שעז & non dictum eſſet טני. Diceremus netum eſſe licitum. At non ita dicit traditio: Sed hoc dicit; non eſſe vetitum in heterogeneis niſi netum & textum. Si dictum eſſet שעט & non dictum eſſet a נוז. Si dictum eſſet שעט, & non dictum eſſet נוז, diceremus textum eſſe licitum. Traditio non ita dicit; ſed hoc dicit limbum lanæ cum linea *tela* eſſe interdictum, quia telæ ritu reciprocatur. Si dictum eſſet טנז, & non dictum eſſet שע. Si dictum eſſet טנז & non dictum eſſet שע, nos diceremus carminatum eſſe licitum; Traditio non ita dicit, ſed hoc dicit: coactilia eſſe interdicta, quia ſunt carminata. Faſciæ purpuræ ſunt vetitæ. Eſt qui docet eſſe licitas. Qui dicit eſſe vetitas, quomodo ſunt Tharſenſes, quibus ſe præcingit; Qui dicit eſſe licitas; quando iis fluxis ſe præcingat.

Tandem hæc in Miſna recenſentur inter interdicta propter heterogenea. לברים אסורים מפני שהם שועים פיף של צמר בשל פשתן אסור מפני שהם חוזרין באריג ר׳ יוסי אומר משיחות של ארגמן אסורות מפני שהוא מולל עד שלא קושר לא יקשור סרט של צמר בשל פשתן לחגור בו את מתניו אעפ׳ שה רצועה באמצע אותות הגרדנין ואותות הכובסין אסורות משום כלאים החוכף תכיפה אחת אינה חיבור ואין בה משום כלאים והשומטה בשבת פטור עשה שני ראשית לצד אחד חיבור ויש בה משום כלאים והשומטה בשבת חייב ר׳ יהודה אומר עד שישלש השק והקופה מצטרפין לכלאים: Coactilia vetita ſunt, quia ſunt carminata. Limbus laneus cum linea *tela* illicitus, quia telæ ritu reciprocantur. Faſciæ ex purpura illicitæ, quia aſſutæ demum conſtringuntur. Non una alligabit quiſquam laneum & lineum ſegmentum, ut iis lumbos accingat, ne quidem vel medio interveniente loro. Textorum fullonumque ſigna, diverſi generis vetita ſunt. Unica acus trajectio non efficit conjunctionem, nec ea violatur interdictum de heterogeneis, & qui illam Sabbatho ſolvit, abſolvitur. Si ambo capita ad idem latus ſint, fit conjunctio; & ibi eſt interdictum de heterogeneis, & abſolvitur, ſi Sabbatho ſolvat. R. Jehuda negat, niſi tertio trajiciatur. Saccus & cophinus conjunguntur reſpectu heterogeneorum. Ubi Gemara ר׳חנינהאמר עד יחות כל ססרה א׳ר ינאי אמרו לו לר׳ חנינא צ׳א וקרא והתנינן עשה שני ראשית לצד אחד מעתה עד יחות ויסיק והתני ר׳ יהודה אומר עד שישלש מעתה עד ויסק ויחות אלא הכין והכין חוט שהשחילו למחט אפילו קשור מיכן ומיכן אינו חובר לבגד החיט חיבור לבגד ואינו חיבור למחט רבי יונה ור׳ יוסה תריהון אמרין בקשור מכן ומכן מילוהון דרבנן פליגין דאמר ר׳ בא ר׳ ירמיה בשם רב הממתיה צדדיו בשבת חייב משום תיפר ויימר משום תופר ומשום קושר א׳ר סימון טעמה ד׳ר יוסי על ידי שלישי מלאכתו מלאכתו מתקיימת מה ר׳ יהודה כר׳ אליעזר דתנינן תמן ר׳ ליעזר אומר האורג שלש חוטין בתחילה ואחד על האריג חייב א׳ר עולא טעמא דר׳ ליעזר תמן על ידי שליש מלאכתו מהו מתקיימת ברם הכא פחות מיכן מסתתר הוא ר׳ סמון בשם ר׳ יהושע בן לוי אלא שק הא סל לא אשכח תני הסל והשק והקופה מצטרפין בכלאים אוהלים אין בהן משום כלאים ר׳ ירמיה בעי הוא ובנו מהו שיצטרפו בכלאים

היך

היך עבידא לביש מאניך דעמר וברידה לביש מאניך דכיתן נסב פיסקי דעמר ועגלה על תריהון א״ר יוסי וההן נו נשוך ר׳ חגיי בעי הוא עצמו מהו שיצטרף בכלאים היך עבידא הוא לבוש דרדסין דעמר בחדא ריגלייא ודרדסין דכיתן בחדא ריגלייא א״ר יוסי וההן נו נשוך לא צורכא ולא היו בראשי פצעיות יהב סיפלני דמרטוט דעמר על חדא דספלני דמרטוט על חדא א״ר יוסי וההן נו נשוך אין לך אסור אלא נשוך בלבד: R. Chanina dicit. Donec deſcendat tota extremitas. Dixit R. Inai, τῷ R. Chanina. Egredere, & lege. Atqui legimus. Si fecerit ambo capita ad idem latus: Hinc probatur, donec deſcendat & adſcendat. Atqui extat traditio: R. Jehuda dicit: Donec tertio trajiciatur. Hinc probatur, donec deſcendat & aſcendat; Verum utroque modo. Si filum extrahat ab acu, vel ſi utrinque alliget, non anneſtet veſti. Aſſuet filum veſti, & conjunget acui. R. Jona, & R. Joſe, ambo dicunt de alligante ab utraque parte. Sapientes inter ſe diſſident: Etenim dicit R. Bo, R. Jeremia nomine Rab: ſi extendat ejus latera in Sabbatho, reus eſt, nomine aſſuentis, & dicitur: reus eſt nomine aſſuentis, & alligantis. Dicit R. Simon. Ratio R. Joſe eſt, quod ſi tertio trajiciatur, ejus opus conſiſtit. R. Juda conſentit cum R. Elieſer. Etenim ibi legimus. R. Elieſer dicit: Qui texit tria fila ab initio, & unum ſuper telam *coeptam*, reus eſt. Dicit R. Ela. Ratio R. Elieſer ibi hæc eſt, quod ſi tertio trajiciatur, ejus opus conſiſtit. Jam hoc loco ſi minus eſt, ipſum deſtruitur. R. Simon nomine R. Jehoſua ben Levi. Non legimus niſi de ſacco, non autem de caniſtro; deprehenditur, quod doceat, quod ſaccus, caniſtrum & cophinus conjungantur in heterogeneis. In tabernaculis non ſunt heterogenea. R. Jeremia quæſivit; Num ipſe & ejus filius conjuguntur in heterogeneis? Quomodo explicatur? Si ipſe induat veſtimenta lanea & ejus filius induat veſtimenta linea, & ſumat fruſta lanea, & ambo circumvolvat. Dicit R. Joſe. Quando ſit retortum. R. Haggæus quæſivit; ipſemet num conjungitur in heterogeneis? Quomodo explicatur? Si ipſe induat tibialia lanea in altero, & tibialia linea in altero pede? Dicit R. Joſe. Si retortum fuerit; non eſt neceſſe; & non ſint in ſumitatibus nodorum. Qui imponit ſplenium ex fruſto lanæ uni, & ſplenium ex fruſto lini alteri plagæ: Dicit R. Joſe. Quando ſit retortum. Nihil tibi eſt vetitum, niſi retortum duntaxat.

VI. Lac ovillum (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 45. Hieroz. (in Sacra Scriptura commendatur pluſculis locis. Sic *Deut.* XXXII. 13. 14. *Sugendum ei dedi mel e petra, & oleum e ſilice petræ, lac ovium cum adipe agnorum.* Et *Eſai.* VII. 21. 22. Et *fiet in die illa, ut ſiquis buculam unam alat, & duas oves præ copia lactis, quod provenit, butyro veſcatur.* Et *Ezech.* XXXIV. 3. prout legerunt veteres, & quidem recte ut puto. *Lac* (ovium) *comeditis, lanam induitis.* Et I. *Corinth.* XIX. 7. *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non vivit?* Quæ eadem loca poſſunt etiam ad capras pertinere, quæ faciunt partem gregis, ut contineantur ſub Hebræo צאן quo hic utuntur ſacri Scriptores. Proinde Salomon de caprino lacte ſpecialius *Prov.* XXVII. 27. *Sufficiet lac caprinum in cibum tuum, & in cibum tuæ domus, & in ancillarum tuarum victum.* Et de utroque lacte multa veteres. Sic *Ariſtoteles* Prob. ſect. 10. quærit. Διά τι αἶγες μὲν καὶ πρόβατα ἀμέλγονται πλεῖστον γάλα, οὐ μέγιστον σῶμα ἔχοντα; *Cur capris & ovibus mulgeatur plurimum lactis, cum corpore maximo non ſint? Varro* de re ruſtica lib. II. cap. 2. *Lac eſt omnium rerum, quæ cibi cauſa capimus, liquentium maxime alibile, & id ovillum, inde caprinum. Columella* lib. VIII. cap. 2. *Caſei lactiſque* (ovilli) *abundantia non ſolum agreſtes ſaturat, ſed etiam elegantiam menſas jucundis & numeroſis depibus exornat: Quibuſdam vero nationibus frumenti expertibus victum commodat: Ex quo Nomadum, Getarumque plurimi* γαλακτοπόται *dicuntur. Plinius* lib. XXVIII. cap. 9. *Stomacho accommodatiſſimum lac caprinum, quoniam fronde magis, quam herba veſcuntur; bubulum medicatius, ovillum dulcius magis aliis.*

Caſeorum ſpecies, & faciendi ratio deſcribitur a *Varrone* lib. II. cap. II. *Sed horum ſunt diſcrimina quædam, & a paſtionibus, & a pecudum natura, & a mulctu. A paſtionibus quod fit ab hordeo, & ſtipula, & omnino arido & firmo cibo pecuda paſta, id alibile; ad perpurgandum id, quod ab viridi paſcuo, & eo magis fluxo & herba, quæ ipſa ſumta perpurgare corpora noſtra ſolet. A pecudum natura, quod lac melius eſt, a valentibus, & ab iis, quæ nondum veteres ſunt, quam ſi eſt contra. A mulgendo, atque ortu optimum eſt id quod neque emunctum longi abeſt a mulſo, nequo a partu continuo eſt ſumtum. Ex hoc lacte caſei qui fiunt, maximi cibi ſunt bubuli, & qui difficillime tranſeant ſumti: ſecundo ovilli minimi cibi, & qui facillime dejiciantur caprini. Eſt etiam diſcrimen, utrum caſei molles ac recentes ſint, an aridi & veteres. Cum molles ſunt magis alibiles, in corpore non reſides: veteres & aridi contra. Caſeum facere incipiunt*

piunt a vergiliis vernis exortis ad æstivas vergilias: mulgent vere ad caseum faciendum mane, aliis temporibus, meridianis horis, tametsi propter loca, & pabulum disparile, non usque quaque idem fit: in lactis duos congios addunt coagulum magnitudine oleæ, ut coeat: quod molius leporinum, & hoedinum, quam agninum: alii pro coagulo addunt de fici ramo lac, & acetum, & aspergunt item aliis aliquot rebus, quod Græci appellant alii ὀπὸν, *alii* δάκρυον. Et a *Columella* lib. VII. cap. 8. *Casei quoque faciendi non erit ommittenda cura, utique longinquis regionibus, ubi muletram devehere non expedit. Is porro si teneri liquore conficitur, quam celerrime vendendus est, dum adbuc viridis succum retinet: si pingui & optimo, longiorem patitur custodiam: sed lacte fieri debet sincero, & quam recentissimo: nam requietum vel mistum celeriter acorem concipit: id plerumque cogi agni aut hoedi coagulo: quamvis possit & agrestis cardui flore conduci, & seminibus eneci, nec minus ficulneo lacte, quod emittit arbor, si ejus viventem sancies corticem. Verum optimus caseus est, qui exiguum medicaminis habet: minimum autem coagulum recipit sinum* (fortasse leg. *sinus*) *lactis argentei pondus denarii. Nec dubium quia fici ramulis glaciatus caseus jucundissime sapiat. Sed mulctra cum est repleta lacte, non sine tempore aliquo debet esse: nec tamen admovenda est flammis, ut quibusdam placet, sed haud procul igne constituenda, & confestim cum concrevit, liquor in fiscellas aut in calathos vel formas transferendus est: nam maxime refert primo quoque tempore serum percolari, & a concreta materia separari. Quam ob causam rustici nec patiuntar quidem sua sponte pigro humore defluere, sed cum paulo solidior caseus factus est, pondera superponunt, quibus exprimatur serum: deinde ut formis aut calathis exemtus est, opaco ac frigido loco, ne possit vitiari, quamvis mundissimis tabulis componitur, aspergitur tritis salibus, ut exudet acidum liquorem, atque ubi duratus est, vebementius premitur, ut conspissetur: Et rursus torrido sale contingitur, rursusque ponderibus condensatur. Hoc cum per dies novem factum est, aqua dulci eluitur, & sub umbra, cratibus in hoc factis, ita ordinatur, ne alter alterum caseus contingat, & ut modice siccetur: deinde quo tenerior permaneat, clauso, neque ventis obnoxio loco stipatur, per complura tabulata. Sic neque fistulosus, neque salsus, neque aridus provenit: quorum vitiorum primum solet accidere, si parum pressus: secundum, si nimio sale imbutus, tertium si sole exustus est. Hoc genus casei potest etiam trans maria permitti. Nam is qui recens intra paucos dies absumi debet, leviore cura conficitur: quippe fiscellis exemtus, in salem muriamque demittitur, & mox in sole paulum siccatur. Nonnulli antequam pecus numellis inducant, virides pineas nuces in mulctram demittunt, & mox super eas emulgent, nec separant, nisi cum transmiserint in formas coactam materiam. Ipsos quidem virides conterunt nucleos, & lacti permiscent, atque ita congelant. Sunt qui thymum contritum, cribroque colatum cum lacte cogant. Similiter qualiscumque velis saporis efficere possis, adjecto quod elegeris condimento. Illa vero notissima est ratio faciendi casei, quem dicimus manu pressum: namque is paulum gelatus, in mulctra dum est tepefactus, rescinditur, & fervente aqua perfusus, vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur. Est autem non ingrati saporis muria perduratus, atque ita malini ligni, vel culmi fumo colocatus.*

Tantum ad *Esaiæ* locum VII. 21. 22. (pergit *Bochartus* loc. cit.) quo butyrum tam ex ovillo, aut caprino, quam ex bubulo lacte fieri asserit, veteres id ipsum statuere dixeris verbis. *Dioscorides* lib. II. cap. 65. alias 66. Βούτυρον σκευάζεται καλὸν ἐκ τοῦ λιπαρωτάτου γάλακτος. τοιοῦτον δ' ἐστὶ τὸ προβάτειον. γένεται μὲν ἐκ τοῦ αἰγέου, ἐν ἀγγείοις κινουμένου τοῦ γάλακτος, καὶ χωριζομένου τοῦ λίπους. *E lacte pinguissimo probatum fit butyrum, quale ovillum est. Fit etiam ex caprino, agitato in vasis lacte, donec pingue separetur.* *Plinius* ubi supra. *E lacte fit & butyrum, barbararum gentium laudatissimus cibus, & qui divites a plebe discernat. Plurimum a bubulo, & inde nomen, pinguissimum ex ovibus. Fit & ex coprino, sed byeme calefacto lacte æstate expresso tantum crebre jactant in longis vasis, angusto foramine spiritum accipientibus sub ipso ore, alias præligato.* *Serapion* cap. 457. *Butyrum accipitur ex lacte caprarum, vaccarum, & ovium.*

Sed Græci hic ideo minus accurati fuerunt, quia Butyri cognitio & usus ad eos sero devenit, nec nisi per barbaras nationes. Itaque cum casei & lactis *Homerus*, *Theocritus*, *Euripides* in Cyclope, & poetarum alii meminerint sexcentis locis βούτυρον ne semel quidem nominarunt, quod meminerim. *Aristoteles* quoque de lacte & caseo multa habet insignia Hist. animal lib. III. cap. 20. 21. de butyro ne γρῦ quidem, nisi quis ad butyri descriptionem putet hæc pertinere: ὑπάρχει μὲν ἐν τῷ γάλακτι λιπαρότης ἣ καὶ ἐν τοῖς πεπηγόσι γίνεται ἐλαιῶδες. *Inest lacti pinguedo quædam, quæ cum concretum est, fit oleosa.* Quomodo in *Hecatæo* butyrum

in-

intelligunt, cum Pæonas ungi dicit (*Athenæus* lib. x. cap. 14.) *ἐλαίῳ ἀπὸ γάλακτος* *oleo lacte* supple expresso. Ut ut sit vel inde apparet butyri nomen tum temporis nondum fuisse in usu, adeoque nec rem ipsam, nisi inter barbaros. Cum rem & nomen Orientales usurpaverint ab omni ævo. Ita *Genes.* XVIII. 8. Abraham Angelis ad cœnam invitatis obtulit חמאה וחלב *butyrum & lac*. Et *Deuter.* XXXII. 14. Deus populo suo largitur inter cetera חמאה בקר *butyrum vaccarum & lac ovium*. Et Jahel offert Sisaræ lac & butyrum *Indic.* v. 25. Davidi quoque a filio pulso viri boni butyrum afferunt, & caseos bubulos 2. *Sam.* XVII. 29. Plura vide *Job* XX. 17. XXIX 8. *Psal.* XLV. 22. *Prov.* XXX. 33. ubi abiter butyri conficiendi ratio a Salomone sic docetur מיץ חלב יוציא חמאה: *expressio lactis educit butyrum*. Cur Hebraice butyrum vocetur חמאה *Chomea*, ex Arabibus discere est, apud quos حما *chama* de lacte spissum & concretum esse significat, nempe in butyri modum.

VII. De caprili hæc habet *Varro* lib II. cap. 3. *Stabulatur pecus melius ad hybernos exortus si spectat, quod est alsiosum. Id ut pleraque lapide, aut testa substerni oportet, caprile quo minus sit uliginosum, ac lutulentum. Foris cum est pernoctandum, item in eandem partem cœli quæ spectent, septa oportet substerni virgultis ne oblinantur.* *Columella* lib. VII. cap. 6. *Ipsum vero caprile vel naturali saxo, vel manu constratum eligi debet, quoniam huic pecori nihil substernitur; diligensque pastor quotidie stabulum converrit, nec patitur stercus, aut humorem consistere, lutumve fieri, quæ cuncta sunt capris inimica.*

VIII. De caprarum pabulo *Varro* ibid. *Nec multo aliter tuendum hoc pecus in pastu, atque ovillum: quod tamen habet sua propria quædam, quod potius sylvestribus saltibus delectantur, quam pratis. Studiose enim de agrestibus fruticibus pascuntur, atque in locis cultis, virgulta carpunt; itaque a carpendo capræ nominatæ: ob hoc in lege locationis fundi excipi solet, ne colonus capra natum in fundo pascat: Harum enim dentes inimici sationis.* *Columella* l. c. ubi de capris loquitur. *Id autem genus dumeta potius, quam campestrem situm desiderat, asperisque etiam locis ac sylvestribus optime pascitur. Nam nec rubos aversatur, nec vepribus offenditur, & arbusculis, frutetisque maxime gaudet; ea sunt arbutus, atque alaternus, cytisusque agrestis, nec minus ilignei querneique frutices, qui in altitudinem non prosiliunt.* Hinc illustratur *Cantic.* VI. 1. *Capillitium tuum ut gregis caprarum, quæ adscendunt a monte Galaadi.*

IX. Pili caprarum (inquit *Bochartus* Hieroz. lib. II. cap. 51.) tondentur & nentur. Sic *Exod.* XXV. 4. שש ועזים *byssus & capræ*, i. e. pilus caprarum. Et *Exod.* XXVI. 7. יריעות ועזים *aulæa caprarum* id est e pilis caprarum. Et *Exod.* XXXV. 26. טוו את העזים *Neverunt capras* i. e. pilos caprarum. Et *Cantic.* IV. 1. Capillus tuus כעדר העזים *ut grex caprarum* ut pilus gregis caprarum. Hic itidem כביר העזים *Magnus caprarum* id est magnus pilus caprarum. 1. *Sam.* XIX. 13. ubi Michal, David elapso, ad cervical ejus posuisse legitur כביר העזים. Nam alicubi capræ sunt longiore pilo, & tondentur ut oves, & in varios usus adhibentur eorum villi. Sic in Hispania circa Cyneta. *Festus Avienus* in ora maritima.

> *Hirtæ hic capellæ, & multus incedit caper*
> *Dumosa semper intererrans cespitum,*
> *Castrorum in usum, & nauticis velamina*
> *Productiores, & graves setas alunt.*

Et in Phrygia *Varro* sub finem lib. II. Rustic. *Tondentur, quod magnis villis sunt in magna parte Phrygiæ; unde Cilicia & cetera ejus generis fieri solent.* Et in Lycia. *Ælianus* lib. XVI. cap. 3. Ἐν Λυκίᾳ λέγει Καλλισθένης ὁ Ὀλύνθιος κείρεσθαι καὶ τὰς αἶγας, ὥσπερ οὖν πανταχῇ τὰ πρόβατα, γίνεσθαι καὶ δασύποδας, καὶ εὐτείχας δεινῶς τὰς αἶγας, ὡς εἰπεῖν βοστρύχους ὥσπερ τινὰς ἕλικας κόμας ἐξηρτῆσθαι αὐτῶν. *In Lycia* dicit Callisthenes *Olynthius capras tonderi ut oves ubique locorum. Ibi enim esse hirsutissimus, & egregiis villis, ita ut ab iis cincinni, & tamquam retorti capilli dependere videantur.* Et in Africa circa Cinypeum amnem *Virgilius* lib. III. Georgic.

> *Nec minus interea barbas, incomtaque menta*
> *Cinyphii tondent hirci, setasque comantes*
> *Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.*

Et in Cilicia *Aristoteles* Hist. lib. VIII. cap. 22. Ἐν Κιλικίᾳ αἱ αἶγες κείρονται, ὥσπερ τὰ πρόβατα παρ' ἄλλοις. *Et in Cilicia tondetur capræ sicut alibi oves. Plinius* quoque lib. VIII. cap. 50. *In Cilicia circaque Syrtes villo tonsili vestiuntur.* Alii *circaque Syrias*; non male: cum in Israele mulieres pilos caprarum nevisse constet, & ex iis aulæa facta, quibus tectum fuit tabernaculum. Vide *Exod.* XX.

XX. 4. & XXVI. 7. & XXXV. 6. 23. 26. & XXXVI. 4. Quomodo Scenitarum Arabum *Solinus Cilicina* fuiſſe ſcribit, i. e. ut ipſe interpretatur e caprarum pilis texta. Caprini enim in oriente pili humanis non ſunt prorſus abſimiles. Unde eſt quod in Apuleii aſino lib. 3. Photycus cum non potuiſſet Bœotii juvenis capillos apud tonſores ſurripere, prout a domina juſſa fuerat, quia tonſor prohibuerat id ſcelus; *cum triſtis* (inquit) *inde diſcederem, ut prorſus vacuis manibus redirem, conſpicio quendam forficulis tondentem caprinos utres, quos cum probe conſtrictos inflatoſque, & jam pendentes cernenderem, capillos eorum humi jacentes, flavos, ac per hoc illi Bœotio juveni conſimiles, aufero, eoſque dominæ meæ diſſimulata veritate trado*. Proinde galericuli ex hoedina pelle confecto ad diſſimulandum calvitiem *Martialis* ita meminit lib. XII. Epigr. 15.

Hoedina tibi pelle contegenti
Nuda tempora, verticeſque calvas.

Ut ad caprini pili commendationem valde pertinent, quæ dicta ſunt ad præcedentem locum, ita etiam quæ dicentur ad ſequentem. *Cantic.* IV. 1. Ubi capilli ſponſæ cum caprarum pilis conferuntur, ſed his verbis, quæ interpretes non parum torquent. Nos illa putamus ita reddenda. *Capillitium tuum eſt ut gregis caprarum quæ adſcendunt e monte Galaad*, vel *e Galaad*, ut habetur in loco parallello *Cantic.* VI. 4. *Ut gregis caprarum ſupple pili*. Nam cum de capris agitur, eam vocem ſupra docuimus ſæpe ſuppleri. Et hic ſupplendam eſſe ex ſermonis contextu paret. Neque enim ſponſæ capilli capris in genere, ſed caprarum pilis ſunt ſimiles, quas alicubi habere ὡς βοστρύχους, καὶ τινας ἕλικας κόμας ex *Callisthene* jam aſſeruit *Ælianus*, i. e. *Giſnero* interprete, *pilos muliebres crines implexos*, quia ex multorum ſententia βόστρυχος proprie eſt muliebris cirrus. Proinde *Gregorius Nyſſenus* in *Cantic.* Homil. 13. pilos hic in capra proprie reſpici animadvertit. Τὸ δὲ τῆς αἰγὸς ζῶον εἰς τὸν τριχῶν ἔπαινον προελήφθη τάχα μὲν ὅτι καὶ ἡ φύσις τοῦ τοιούτου ζώου καταλλήλως πρὸς τὴν γένεσιν τῶν τριχῶν κατεσκεύασθαι, ὥστε αἴνιγμα τοῦ διὰ τῶν τριχῶν κόσμου γένεσθαι τὸ ζῶον τὸ ταῖς θριξὶ φυσικῶς δασυνόμενον. *Caprinum autem animal ad capillorum laudationem ideo fortaſſe ſcriptum eſt, quod hujus natura idonee ad pilorum laudationem comparata ſit. Ita ut ornamrnti, quod in capillis ſitum eſt, imago quædam ſit hoc animal, cum denſis pilis ſit naturaliter hirſutum*.

X. Salomon *Prov.* XXVII. 27. *Et ſufficiet hac caprarum in cibum tuum, & in cibum domus tuæ, & in victum ancillarum tuarum*. *Et Hieronymus in Jovinianum: Eſto* (inquit) *bos ad arandum, ad ſedendum equus, canis ad ſervandum, capræ ad lac, oves ad lanitia conditæ ſint.* Et *Lochmanuus* in fabula de homine & porco. *Agnus propter lanam, & capra propter lac quæritur*: & *Galenus* in lib. περὶ εὐχυμίας &c. cap. 4. Αἰγείῳ μὲν ἦν γάλακτι πλείστῳ χρῶνται παρ' ἡμῖν ὥσπερ ἐν ἄλλοις ἔθνεσι βοείῳ. *Caprino lacte* (in victu quotidiano) *apud nos multum utuntur, ut bubulo apud alios populos*. Et *Varro* Ruſtic. lib. II. cap. 2. *Et omnium rerum, quas cibi cauſa capimus liquentium* (lac) *maxime alibile, & id avillum, inde caprinum*. At medici ovillo caprinum præferunt. *Dioſcorides* lib. II. de lacte. Τὸ δὲ ἄγειον ἧττον κοιλίας ἅπτεται, διὰ τὸ τὰς αἶγας τὸ πλέον στυφούσῃ νομῇ χρῆσθαι δρυΐ σχίνῳ καὶ θαλίᾳ καὶ θερμίνθῳ ὅθεν καὶ εὐστόμαχον τυγχάνει. Τὸ δὲ προβάτειον ἐστὶ παχὺ τε καὶ γλυκὺ, καὶ πανὺ λιπαρὸν, οὐχ' οὕτω δ' εὐστόμαχον. *Lac caprinum alvum minus tentat, propterea quod capræ multo adſtringente pabulo utuntur, quercu, lentiſco, olea, terebintho; unde & ſtomacho bonum eſt. Ovillum vero craſſum & dulce eſt, & valde pingue, nec ita utile ſtomacho*. *Galænus* ubi ſupra. Α᾿πάντων δ' ἔχει συμμέτρως τὸ τῶν αἰγῶν ἧτε γάρ ἱκανῶς ἐστιν, οὔτε λιπαρον, οὔτε παχὺ. Καὶ διὰ τοῦτο μέσον τι τῶν ἄλλων ὑπάρχει κατὰ τὰς ἐνεργείας, ἃς ἐνεργεῖ κατὰ τῶν ἀνθρώπων σῶμα. *Sed omnia moderate habet caprinum, quippe nec immodice pingue, neque vero craſſum ſit, ideoque aliorum medium quid eſt, quoad operationes, quas in humano corpore edit*. *Paulus Ægineta*. *Lac muliebre temperatiſſimum eſt, mox caprinum, hinc aſininum, ovillumque, poſtremo vaccinum*. *Ætius* Tetrabilo primo Serm. II. cap. 87. *Caprinum lac moderatam compagem habet, & ad purgandum debilius bubulo eſt, de cetero æque commodum, & multum nutriens Ovillum hac craſſius eſt, verum vitiligines albas ſub cute inducere ſolet, ſiquis eo aſſidue utatur*.

XI. Hœdi apud Hebræos (pergit *Bochartus* l. c.) maxime erant in deliciis. Hinc cum Iſaach ab Eſavo מטעמים *cupedias* petiit quibus, ſenilis palati faſtidiis aliquo modo ſubveniret, Rebecca illi paravit duos hoedos. Gedeon quoque *Judic.* VI. 10. & Manoah *Judic.* XIII. 15. hoſpites ſuos laute excepturi, Angelos nempe, qui latebant ſub hominum ſpecie, hoedos illis apponunt. Et Davidis pater Iſai regi hoedum offert. 1. *Sam.* XVI. 20. Ut de Juda taceam, qui

qui pro אתנה seu concubitus mercede hoedum Thamari obtulit *Genes.* XXXVIII. 17. Et de Samsone, qui Dalilæ hoc idem munus destinat *Judic.* XV. 1. Ut qui dicit apud *Virgilium*

Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albis
Bina die siccant ovis ubera, quos tibi servo;
Jampridem a me illos abducere Thestylis orat,
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.

Hoedina caro in conviviis apud veteres sæpe laudatur, inter præcipuos cibos. Sic *Athenæus* lib. IX. cap. 14. Περιεφέροντο καὶ ἔριφοι πολλάκις ποικίλως ἐσκευασμένοι, ἄλλοι δὲ καὶ πολὺ τοῦ ὀποῦ ἔχοντες οἵ τινες οὐ τὴν τυχοῦσαν ἡδονὴν παρῆχον ἡμῖν. *Sæpe etiam hoedi circumferebantur vario apparatu, quorum nonnulli multum habebant laserpitii, nos non vulgari voluptate afficiebant.* Et *Aristophanes* in Ciconiis inter dapes opiparas censet κωλᾶς ἐρίφων *hoedarum pernas*. Et *Xenophanes* Colophonius in Elegis

Πέμψας γὰρ κωλῆν ἐρίφου σκέλος ἤρου πῖον
Ταύρου λαρινοῦ ——
Missa hoedi perna, crus præpingue reportasti
Tauri Larini ——

Et *Juvenalis Persiro* quem ad coenam invitavit, hoedum his verbis pollicetur Sat. 2.

De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hoedulus, & toto grege mollior, inscius herbæ,
Nec dum ausus virgas humilis mordere salictæ,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis

XII. Primogenitum bovis, ovis & capræ santificandum erat Domino, uti legere est *Exod.* XIII. 1. ubi *Mekiltha* fol. 7. 3. וידבר יי' אל משה וגו' חקדש לי כל בכור יהא אחד מי״ג מדות שהתורה נדרשת בהם בכלל שהוא צריך לפרט ופרט שהוא צריך לכלל קדש לי כל בכור פטר רחם וגו' כלל אחד זכרית אחד נקבות כל הבכור אשר יולד וגו' פרט יצאו נקבות ממשמע אני אקרא את הכלל מה ת״ל את הפרט שאם אני קורא הכלל אבל את הפרט שומע אני כל שיולד ראשון בין זכר בין נקבה יהי' בכור ת״ל כל הבכור וכרים אבל לא נקבות אני אקרא את הפכט מה ת״ל את הכלל אם קור' אני את הפרט ולא את הכלל שומע אני כל שהוא זכר בין שהוא זכר בין שהוא פותח רחם ובין שאינו פותח רחם יהיה בכור ת״ל קדש לי כל בכור עד שיהא זכר ופותח רחם לקיי' מה שנ' כל פטר רחם לי וכל מקנך הזכר באדם ובבהמה את שיש לו באדם יש לו בבהמה יצאי הלוים שאין להם באדם אין להם בבהמה ד״א הקיש בכור אדם לבכור בהמה ובכור בהמה לבכור אדם מה הבהמה הנפלים ראשים בו הבכורה אף האדם הנפלים פטורים בו את הבכורה ומה בכור אדם רשאי ליתנו לו בכל מקום שירצה אף בכור בהמה אתה רשאי ליתנו בכל מקום שירצה לפיש שהוא אומר והבאתם שמה עילותיכ' וזבביכ' שומע אני אפילו היא במקום חרוק יהיה עליו חובה להביא לבית הבחירה ת״ל באדם ובבהמה הקיש בכור אדם לבכור בהמה מה בכור אדם נותנו לכהן בכל מקום שירצה אף בכור בהמה נותנו לכהן בכל מקום שירצה ומה בכור אדם מטפל לו שלשים יום אף בכור בהמה מטפל לו שלשים יום: *Et locutus est Dominus ad Mosea &c. Sanctifica mihi omne primogenitum.* Hic est unus ex tredecim modis, quibus lex explicatur; Generale, quod opus habet particulari, & particulare, quod opus habet generali. *Sanctifica mihi omne primogenitum, apertionem uteri &c.* tam mares quam fœminas. *Omne primogenitum quod natum fuerit &c.* Particulare. Excluduntur fœminæ ex sensu literali. Ego legam generale; cur dictum est particulare? Si ego legam generale, & sive fœmina fuerit, fuisse primogenitum. Idcirco dictum est. *Omne primogenitum.* Mares at non fœminas. Ego legam particulare; Cur dictum est generale? Si legam particulare, & non legam generale, Crederem quodcumque masculum, sive aperuisset, sive non aperuisset uterum, fuisse primogenitum? Idcirco dictum est: *Sanctifica mihi omne primogenitum*: Quando fuerit masculum, & aperuerit uterum; ad confirmandum quod dictum est *Exod.* XXXIV. 19. *Omnis apertio uteri mea est, & totius gregis tui masculos redimes in homine, & in pecore.* Qui habet in homine, habebit in pecore, qui non habet in homine, non habebit in pecore. Excladuntur Levitæ, qui cum non habeant in homine, non habebunt in pecore. Alia expositio: Æquiparat primogenitum hominis primogenito pecoris, & primogenitum pecoris primogenito hominis. Sicut in pecore abortus absolvuntur a primogenitura, ita pariter in homine abortus absolvuntur a primogenitura. Sicut primogenitum hominis tibi licebit dare, ubicunque volueris, ita paritur pri-

mogenitum pecoris tibi licebit dare ubicunque volueris. Quia dictum est. *Deut.* XII. 6. *Et adducetis eo holocausta vestra, & sacrificia vestra.* Crederem vel si fuerit in loco longinquo, quod deberet adducere ad domum electam? Idcirco dictum est: *In homine, & in pecore.* Æquiparat primogenitum hominis primogenito pecoris; Sicut primogenitum hominis dare poterat sacerdoti, in quo loco libuerit, ita pariter primogenitum pecoris dare poterit sacerdoti in quo loco libuerit. Sicut primogenito hominis se associare debebat triginta dies, ita pariter primogenito pecoris se debebat associare triginta dies. Iterum ibid. ad vers. 12. *Mekilteba* fol. 9. 1. והעברת כל פטר רחם
אין העברר אלא הפרשה וכן הוא אומר
והעברתם את נחלתו לבתו שמעון בן עזאי
אומר והעברת מה ת״ל לפי שהוא אומר
כל אשר יעבור תחת השבט שומע אני
אף היתום במשמע והדין נותן ומה אם
בעל מום שאינו כשר לגבי מזבח נכנס
להתעשר לדיר יתום שהוא כשר לגבי מזבח
לא יהא נכנס להתעשר לדיר והרי הלקוח
יוכיח שהוא כשר על גבי מזבח ואינו נכנס
לדיר להתעשר הוא יוכיח על היתום אעפ״י
שהוא כשר על גבי מזבח לא יהא נכנס לדיר
להתקשר לא אם אמרת בלקוח שאינו נולד
ברשותו לכך אינו נכנס לדיר להתעשר תאמר
ביתום שנולד ברשותו ולכך יהא נכנס לדיר
להתעשר לא זכיתי מן הדין נאמר כאן עבורה
ונאמר להלן עבורה מה להלן אין קדושה
חלה עליו אלא בחיי אמו אף עבורה האמורה
כאן דין הוא שלא תהא קדושה חלה
עליו אלא בחיי אמו אי מה כאן זכרים אף
להלן זכרים ת״ל כל אשר יעבור אחד זכרים
ואחד נקבות במשמע כל פטר שגר בהמה אין
פטר שגר בהמה אלא ששגרתו אמו יהא
פטור מן הבכורה והבא אחריו אינו בכור
אשר יהיה לך להוציא את המוכר עובר
בהמתו לגוי אשר יולד במשמע מוציא אני
את המוכר עובר בהמתו לגוי ומביא אני את
הלוקח עבר בהמתו של גוי ת״ל אשר יולד
בבקרך ובצאנך להוציא את הלוקח עובר
בהמתו של גוי הזכרים ליי׳ מכאן היה ר׳ יוסי
הגלילי אומר רחל שלא בכירה וילדת שני
זכרים ויצאו שני ראשיהם באחת שניהם
לכהן שנ׳ הזכרים ליי׳ והחכמים אומרי׳
איפשר אלא אחד לו ואחד לכהן: *Et transferes omnem aperitionem vulvæ.* Non est translatio, nisi separatio. Dictum est enim *Num.* XXVII. 8. *Et transferetis possessionem ejus ad filiam ejus.* Simeon ben Azai dicit. *Et transferes*: cur dictum est? Quia dictum est *Levit.* XXVII. 32. *Omne quod transit sub virga.* Crederem quod vel orphanus in textu includatur? Et probari posset argumento: Si vitiatum, quod non est legitimum, ut offeratur super altare, introducitur in stabulum, ut decimetur, orphanus qui legitimus est, ut offeratur super altare, non erit æquum ut introducatur in stabulum ut decimetur? Emtus probet, qui licet sit legimus, ut offeratur super altare, tamen non introducitur in stabulum, ut decimetur: ipse probet de orphano, qui licet legitimus sit ut offeratur super altare, tamen non erit introducendus in stabulum ut decimetur. Minime; si dixisti de emto, ratio est, quod non sit natus in potestate sua, ideoque non introducetur in stabulum ut decimetur, dices de orphano? qui natus est in potestate sua, ideoque introducetur in stabulum, ut decimetur; minime; ex argumento probavi. Memoratur hic translatio, & memoratur ibi translatio, sicut ibi sanctitas in eum non cadit nisi vivente matre sua, ita pariter in translatione memorata hoc loco non cadit in eum sanctitas, nisi vivente matre sua. Aut dicendum hoc loco de maribus, ita pariter ibi de maribus. Idcirco dictum est. *Omne quod transit.* Tam mares quam fœminæ in textu comprehenduntur. *Omnis apertio gregis pecoris*; non est apertio gregis pecoris, nisi ea, quam emiserit ejus mater: *quod fuerit tibi.* Ad excludendum si vendat pecus gravidum gentili. *Quod natum fuerit*: Ex sensu literali excludam, siquis vendat gravidum pecus gentili; At includam, si quis emat gravidum pecus gentilis: Idcirco dictum est: *Quod natum fuerit in bobus tuis, & in ovibus tuis.* Ad excludendum si quis emerit gravidum pecus gentilis. *Mares Domino.* Hinc R. Jose Galilæus dicit: Si ovis, quæ non pepererit primogenitum, & pepererit duos mares, & ambo simul capita sua eduxerint, ambo cedent sacerdoti: Dictum est enim: *Mares Domino.* Et sapientes dicunt; fieri non potest; sed alter sibi erit, & alter sacerdoti. Hoc idem repetitur *Exod.* XXXV. 19. *Levit.* XXVII. 26. *Num.* VII. 17. *Deut.* XV. 19.

Nemo sanctificare poterat primogenitum, quia jam Domino sanctificatum erat. *Levit.* XXVII. 26. *Tantummodo primogenitum, quod primogenitum erit Domino de pecore, non consecrabit ipsum vir, sive boi, sive agnus, Domino est.* Ubi *Siphra* fol. 59. 2. אילו נאמר בכור לא
יקדיש יכול לא יקדיש אדם בכור הקדשות
ת״ל אותו אותו אין אתה מקדש מקדיש הוא
אדם בכור הקדשות ארין אני אומר הוא לא
יקדיש אל יקבדישוהו אחרים ת״ל בהמה
בבהמה עסקתי יכל לא יקישוהו מן הבטן
ת״ל אשר יבכור לא יקדיש משתבכר אין
אתה מקדישו מקדישו אתה מן הבטן
מיכן אמרו אין מערימים על הבכור ר׳ ישמעאל
אומר לא יקדיש אדם בכור ת״ל בכור לא
יקדיש איש אותו יכול לא יקדישנו הקדש
עילוי ת״ל כל זכר תקדיש מה ראית להביאו
להקדיש

להקריש עילוי ולהוציאו מהקדש מזבח אחר שריבה הכתוב מעט מפני אני מביאו להקדש עילוי שהוא חל על הכל ומוציאו מהקדש מזבח שאינו חל על הכל אין לי אלא בכור מניין לכל הקדשים שאין משנים אותו מקדושה לקדושה ת״ל בבהמה לא יקריש איש אותו מקדושה לקדושה ת״ל בבהמה לא יקריש איש אותו יכול לא יקרישנו הקדש עילוי ת״ל בבקרך ובצאנך הזכר תקריש מה ראית להביאו להקדש עילוי להוציהו מהקדש מזבח אחר שריבה הכתוב מיעט מפני מה אני מביאו להקדש עילוי שהוא חל על הכל ומוציאו מהקדש מזבח שאין חל על הכל ר׳ עקיבא אומר מניין שלא יקריש אדם בכור ת״ל בכור לא יקריש איש אותו יכול לא יקרישנו הקדש עילוי ת״ל איש מה ראית להביא הקדש עילוי ולהוציאו מהקדש מזבח אחר שריבה הכתוב מיעט מפני מה מביאו להקדש עילוי שהוא הל על הכל ומוציאו מהקדש מזבח שאינו חל על הכל אל אין לי אלא זה מנין לבל הקרשים שאין משנים אותן מקדושה לקדושה ת״ל לא יקריש אם שור אם שה יבול לא יקריש הקרש עילוי ת״ל אך מה ראית להביאו להקדש עילוי ולהוציאו מהקדש מזבח אחר שריבה הכתוב מיעט מפני מה אני מביאו להקרש עילוי שהוא חל על הכל ומוציאו מהקדש מזבח שאינו חל על הכל :

Si dictum esset: *primogenitum* non sanctificabit, crederem quod homo primogenitus ipsum non posset sanctificare. Idcirco dictum est: *Ipsum*. *Ipsum* tu non poteris sanctificare, sed homo, qui sit primogenitus poterit sanctificare. Ego argumentabor dicens. Ipse non potest sanctificare, at alii poterunt sanctificare? Idcirco dictum est: *pecus*. De pecore agitur. Crederem quod deberet ab utero sanctificare? Idcirco dictum est: *Quod erit primogenitum non sanctificabit*: Postquam fuerit primogenitum, tu non poteris ipsum sanctificare; at poteris in utero sanctificare. Hinc dixerunt; non dolose agunt in primogenito. R. Ismael dicit, unde probatur, quod homo non possit sanctificare primogenitum? Ex eo quod dictum est. *Primogenitum*, *non sanctificabit ipsum vir*. Crederem quod non posset sanctificare sanctificatione adscendenti? Idcirco dictum est: *Omne masculum sanctificabis*. Quid vidisti ut includeres sanctificationem adscendentem, includeres sanctificationem altaris? Postquam inclusit textus, excludit. Cur ego includo sanctificationem adscendentem? Quia cadit super omnia *sacrificia*; & excludo sanctificationem altaris, quia non cadit super omnia *sacrificia*; Non probo nisi de primogenito, unde probatur de omnibus sanctitatibus, quod non liceat commutare de altera ad alteram sanctitatem: Ex eo quod dictum est: *In pecore*, *non sanctificabit ipsum vir*. Crederem, quod non posset sanctificare sanctificatione adscendenti? Idcirco dictum est: *In bobus tuis*, *&* *in ovibus tuis masculum sanctificabis*. Quid vidisti ut includeres sanctificationem adscendentem & excluderes sanctificationem altaris? Postquam inclusit textus, excludit. Cur ego includo sanctificationem adscendentem? Quia cadit super omnia *sacrificia*; & excludo sanctificationem altaris, quæ non cadit super omnia sacrificia. R. Akiba dicit, unde probatur, quod homo non possit sanctificare primogenitum? Ex eo quod dictum est: *Primogenitum*, *non sanctificabit ipsum vir*. Crederem quod non posset sanctificare sanctificatione adscendenti? Idcirco dictum est *Vir*. Quid vidisti ut includeres sanctificationem adscendentem, & excluderes sanctificationem altaris? Postquam inclusit textus, excludit. Cur ego includo sanctificationem adscendentem? quia cadit super omnia sacrificia. Dixit illi: Non probo nisi de hoc; de omnibus sanctitatibus unde probatur, quod non sint commutandæ a sanctitate altera ad alteram? Ex eo quod dictum est: *Non sanctificabit*; *sive bos*, *sive agnus*. Crederem quod non posset sanctificare sanctificatione adscendenti? Idcirco dictum est. *Tantummodo*. Quid vidisti ut includeres sanctificationem adscendentem & excluderes sanctificationem altaris? Postquam inclusit textus, excludit. Cur ego includo sanctificationem adscendentem? Quia cadit super omnia *sacrificia*, excludam sanctificationem altaris, quæ non cadit super omnia *sacrificia*. Pesiktha 35. 4. אך בכור אך מיעוט לפי שאמר למעלה ואם המר ימיר בבהמה בבהמה והיה הוא ותמורתו יהיה קרש הוצרך לומר אך בכור שאין תמורה בכור קריבה אשר יבכר ליי׳ מלמד שהבכור קרוש מעצמו ואין צריך להקדישו בבהמה לא יקריש איש אותו לא הבעלים ולא אחרים אם שור אם שה ליי׳ הוא להביא שאר קרשים שאין משנין אותם מקרושה לקדושה ליי׳ היא קריבה ואין תמורתה קריבה ומה אני מקיים כל הבכור אשר יולד בבקרך ובצאנך הזכר תקריש ליי׳ אלהיך מצוה לקרשו לשום בכור ואם לאו הקרישו מרחם הוא קדוש בעצמו אבל לשנותם לקרושה אחרת כגון הקדש מזבח לא לכך נאמר לא יקריש איש אותו אלא לענין שנ׳ את דמם תזרוק על המזבח ואת חלבם תקטיר והבשר נאכל לכהנים : *Tantummodo primogenitum*. *Tantumodo* excludit; quia supra dictum est. *Etsi commutando commutaverit in pecore*, in pecore, ipsum, & ejus commutatio erit sanctificata. Dicendum erat; *Tantumodo primogenitum*; quia commutatio primogeniti non offerebatur; *quod primogenitum erit Domino*.

Do-

Docetur, quod primogenitum seipsum sanctificet, neque opus habet, ut sanctificetur: In *pecore non sanctificabit ipsum vir*. Neque domini, neque alii. *Sive bos sive ovis Domino erit*. Ad includendum reliquas sanctitates, quas non licet commutare ab altera sanctitate ad alteram. *Domino ipsum offeretur*, at ejus commutatio non offerebatur. Quomodo ego explicabo: *Primogenitum; quod natum fuerit in bobus tuis, & in ovibus tuis masculum sanctificabis Domino Deo tuo*. Præceptum est ut sanctificetur, si minus, tamen erit sanctificatum; Ab utero per seipsum erat sanctificatum, at non, si commutaretur in alteram sanctitatem, e. g. in sanctitatem altaris. Idcirco dictum est: *Non sanctificabit ipsum vir*. Et ex eo quod dictum est: *Et sanguinem eorum sparges super altare; adipes eorum adolebis; & caro eorum comedetur a sacerdotibus*.

Primogenitum pecoris mundi redimi non poterit, sed ejus sanguis spargebatur super altare, & adipes adolebantur, & caro comedenda erat a sacerdotibus: Dictum est enim *Num.* XVIII. 19. *Tantummodo primogenitum bovis, aut primogenitum agni, aut primogenitum capræ non redimes, sanctitas sunt; sanguinem eorum sparges super altare, & adipes eorum adolebis in oblationem odoris acceptabilis Domino, & caro eorum erit tibi sicut pectus ventilationis, & sicut crus dextrum erit tibi*. Ubi *Siphri* fol. 19. 1. אך בכור שור שור גמור כבש גמור עז זע גמור להוציא את הכלאים לא תפדה יכול אם פראו יהיה פרוי ת״ל קודש הם רבי יאשיה אומ׳ קודש הם למה נאמר להביא את המעשר ואת הפסח שיטעון שפיכה אחת שלא שמענו להם בכל התורה רבי יצחק אומ׳ אינו צריך שהרי כבר נאמר ודם זבחיך ישפך להביא את המעשר ואת הפסח שיטענו שפיכה אחת ומה ת״ל קודש הם להביא את המעשר שיטעון הקטר חלבי׳ שלא שמענו בבל התורה כולה אבא חנין אומר משום רבי לאיעזר למה נאמר לפי שהיה בדין ומה שאר קדשי׳ שלא שוו מתן דמם שוו הקטר חלבם מעשר ופסח ששוו מתן דמים אינו דין שישוו הקטר חלבם הא מה ת״ל קורש הם לעניין שאמרנו ואת דמם תזרוק על המזבח מתנה אחת אחה אומר מתנה אחת או שתי מתנות של ארבע אמרת קל וחומר ומה אם במקום שרבה בחלבים מיעט ברמים כאן שמיעט בחלבים אינו דין שמיעט בדמים או חלוף ומה במקום שמעט בחלבים ריבה בדמים כאן שרבה בחלבים אינו דין שרבה ברמים תלמור לו׳ וזרקו הכהנים שתי מתנות שהן ארבע ואת חלבם תקטיר חלב תותב קרום ונקלף הכתוב מדבר אשה אף על פי שאחה נותן לאישים אינו נרצה עד שישרף באש ריח ניחוח ליי׳ נחת רוח לפני המקום שאמרתי ונעשה רצוני ובשרת יהיה לך כחזה התנופה בא והקיש את הבכור לחזה ושוק של שלמים מה שוק שלמים וחזה נאכלים לשני ימים ולילה אחר אף הבכור יהיה נאכל לשני ימים ולילה אחד אמרו לו תלמידיו רבינו למדינו אמר להם בכור קדשים קלים ושלמים קדשים קלים מה שלמים נאכלים לשני ימים ולילה אחד אף הבכור נאכל לשני ימים ולילה אחד היה רבי יוסי הגלילי אומר כשבא תחילה לשמש את חכמים אמר לו רבי חטאת מתנה לכהן ובכור מתנה לכהן מה חטאת נאכלת ליום ולילה אף בכור נאכל ליום ולילה אמר לו בני אלמוד דבר מדבר וארון דבר מדבר אלמוד דבר שהוא קדשים קלים מדבר השהוא קדשים קלים ואל אלמור דבר שהוא קדשים קלים מרבר שהוא קורשי קדשים אמר לו רבי לאמוד דבר מדבר וארון דבר מדבר אלמוד דבר שמתנה לכהן מדבר שמתנה לכהן ואל אלמוד דבר שמתנה לכהן מדבר שאין מתנה לכהן ואל אלמוד דבר שמתנה לכהן מדבר שאין מתנה לכחן שמתנה לכל אדם שתק רבי טרפון וקפץ רבי עקיבא אמר לו בני כך אני דורש ובשרם יהיה לך כחזה התנופה בא הכחוב והקיש בכור לחזה ושוק של שלמים מה חזה ושוק של שלמים נאכלי׳ לשני יכים ולילה אחד אף בכור נאכל לשני ימים ולילה אחד אמר לו אתה מקישו לחזה ושוק של שלמים ואני מקישו לחזה ושוק של תורה כשם שאילו נאכלים ליום ולילה כך הבכור נאכל ליום ולילה אמר לו בני כך אני דורש ובשרם יהיה לך כחזה התנופה אין צריך לומר יהיה אלא דיבה בו הכתוב הוייה אחת שיהיה נאכל לשני ימים ולילה אחת אמר רבי שמעון וכי תורה מאין למידה לא משלמים ודבר הלמד ממקום אחר אתה בא ללמד הימינו למד מן הלמד הא אין עליך לומר בלשון אחרון אלא בלשון ראשון ובשרם יהיה לך בא הכתוב והקיש את הבכור לחזה ושוק של שלמים מה חזה ושוק של שלמים נאכלים לשני ימים ולילה אחר אף הבכור נאכל לשני ימים ולילה אחר דבר אחר אין ת״ל יהיה אלא להביא את הבכור בעל מום שמתנה לכהן שלא שמענו בו בכל התורה כולה ר׳ לאעזר אומר לשני ימים ולילה אחד אתה אומר לשני ימים ולילה אחד או אינו אלא ליום ולילו ת״ל לפני יי׳ אלהיך תאכלינו שנה בשנה מלמד שנאכלי׳ לשני ימים ולילה אחד: *Tantummodo primogenitum bovis*, bovis perfecti: *Ovis*, ovis perfectæ; *capræ*, capræ perfectæ. Ad excludendum heterogenea. *Non redimes*. Crederem si fuerint redemta, fuisse redemta? Idcirco dictum est: *Sanctitas sunt*. R. Josia dicit: *Sanctitas sunt*: Cur dictum est? Ad includendum decimum, & sacrificium Paschale, quorum sanguines una adspersione adspergendi erant; quod nunquam audivimus in universa lege. R. Isaach dicit: Non est necesse: Quia jam dictum est: *Et sanguis sacrificiorum tuorum fundetur*. Ad includendum decimum, & sacri-

crificium Paschale, quod eorum sanguines una adspersione adspergendi essent. Et cur dictum est: *Sanctitas sunt*? Ad includendum decimum, ut ejus adipes adolendi essent; quod non audivimus in universa lege. Aba Chanen dicit nomine R. Elieser. Cur dictum est? Quia erat argumentum. Si reliquæ sanctitates, quæ non erant æquales in adspersione sanguinum, æquales erant in adolitione adipum, decimum & sacrificium Paschale, quæ erant equalia in adspersione sanguinum, non æquum erit, ut essent æqualia in adolitione adipum? Cur igitur dictum est *sanctitas sunt*? Ea de causa, quam diximus: *Sanguinem eorum sparges super altare*. Una adspersione; tu dicis una adspersione; At ego dicam una aut duabus adspersionibus, quæ sunt quatuor: Dixisti? Est argumentum a minori ad majus. Si ubi multiplicat in adipibus, diminuit in sanguinibus, hic ubi diminuit in adipibus; non erit æquum, ut diminuat in sanguinibus? Aut e contra. Si ubi diminuit in adipibus, multiplicat in sanguinibus, hic ubi multiplicat in adipibus, non erit æquum ut multiplicet in sanguinibus? Idcirco dictum est *Levit.* 1. & *spargent sacerdotes*: Duas adspersiones, quæ sunt quatuor: *Et adipem adolebis:* De adipe, qui menbrana obtegitur, & decorticatur, loquitur textus: *Ignitum*. Vel si imposueris igni, non erit acceptabilis, nisi postquam igni comburatur. *Odoris acceptabilis Domino*. Odor erit acceptabilis coram Deo: Quod dixi; & facta est voluntas mea. *Et caro eorum erit tibi sicut pectus ventilationis*. Venit textus, ut æquiparet primogenitum pectori, & cruri pacificorum. Sicut crus pacificorum, & pectus comeduntur duobus diebus, & nocte una, ita pariter primogenitum comedendum erit duobus diebus, & nocte una. Dixerunt illi ejus discipuli; Magister noster doce nos. Respondit: Primogenitum est de sanctitatibus levioribus, & pacifica sunt sanctitates leviores; Sicut pacifica comeduntur duobus diebus, & nocte una, ita pariter primogenitum comedendum erit duobus diebus, & nocte una. Ita dicebat R. Jose Galilæus quando venit, ut ministraret sapientibus: Respondit illi: Rabi, sacrificium pro peccato est donum sacerdoti, & primogenitum erat donum sacerdoti, sicut sacrificium pro peccato comeditur uno die, & una nocte, ita pariter primogenitum comedendum erat uno die & una nocte. Dixit illi: Fili mi, mihi exponenda est res ex re, & probanda res ex re. Exponenda est res ex re, quæ sit de sanctitatibus levbus, ex re, quæ sit de sanctitatibus levibus; at non exponenda est res, quæ sit ex sanctitatibus levibus, ex re, quæ sit de sanctitatibus sanctitatum. Respondit illi. Exponenda est res ex re, & probanda est res ex re. Exponenda est res, quæ sit donum sacerdoti, ex re que sit donum sacerdoti; & non est exponenda res quæ sit donum sacerdoti, ex re; quæ non sit donum sacerdoti, sed sit donum cunctis hominibus. Tacuit R. Tarphon, & exsiliit R. Akiba. Dixit illi. Fili mi, sic ego expono. *Et caro eorum erit tibi sicut pectus ventilationis*. Venit textus ut æquiparet primogenitum pectori, & cruri pacificorum. Sicut pectus & crus pacificorum comedebatur duobus diebus, & nocte una, ita pariter primogenitum comedendum erat duobus diebus & nocte una. Respondit illi. Tu æquiparasti pectori & cruri pacificorum; at ego æquiparabo pectori & cruri sacrificii Eucharistici; sicut illa comedebantur die uno & nocte una, ita pariter primogenitum comedendum erat die uno, & nocte una. Respondit illi: Fili mi ita ego exponam: *Et caro eorum erit tibi sicut pectus ventilationis*. Non erat necesse ut diceretur, erit. Nisi quod textus includit unum *esse*, ut sit comedendam duobus diebus & nocte una. Dixit Rabi Simeon. Num sacrificium Eucharisticum est exponendum aliunde quam a pacificis? Et rem, quæ addiscitur ex loco uno tu adducis ad docendum ex eo, quod docetur? Ecce tibi non licet dicere alia ratione, sed juxta rationem pacificorum. Sicut pectus & crus pacificorum non comedebatur nisi duobus diebus, & nocte una, ita pariter primogenitum non erat comedendum, nisi duobus diebus, & nocte una: Alia expositio: Non dictum est: *Erit*; nisi ad includendum primogenitum vitiatum, quod detur in donum sacerdoti. Quod nunquam audivimus in universa lege. Rabi Eliezer dicit: Duobus diebus, & nocte una. Tu dicis duobus diebus, & nocte una; aut non est dicendum, nisi uno die, & nocte una. Idcirco dictum est: *Coram Domino Deo tuo comedes illud de anno in annum*. Docetur quod comederetur duobus diebus, & nocte una. Exceptis sacerdotibus alii non poterant comedere primogenitum. *Siphri* 40. 1. ובכורות זה הבכור וכי מה בא הכתוב למדנו אם לאכול בכור חוץ לחומה קל וחומר ממעשר אם לפני זריקת דמים קל וחומר מתודה ושלמים ומה תודה ושלמים שמותרים לזרים האוכל מהם לפני זריקת דם עובר בלא תעשה בכור שאסור לזרים האוכל ממנו לפני זריקת דם אין דין שיהא הוא עובר בלא תעשה לא בא הכתוב ללמדך אלא

לזר שאכל בשר בכור בין לפני זריקת דמים בין לאחר זריקת דמים שיהא עובר בלא תעשה: *Et primogenita*. Hoc eſt primogenitum: Ad quid venit textus? Si venit ad nos docendum, ſi comedat primogenitum extra muros (*Hieruſalem*) probari poteſt argumento a minori ad majus ex decimo; ſi (*comedat*) ante adſperſionem ſanguinum, probari poteſt, argumento a minori ad majus ex ſacrificio euchariſtico, & pacificis: Si de ſacrificio Euchariſtico, & de pacificis, quæ permiſſa erant alienis, comedens ante adſperſionem ſanguinis, tranſgrediebatur præceptum negativum; de primogenito, quod vetitum erat alienis, ſi comedat ante adſperſionem ſanguinis, non erit æquum ut tranſgrediatur præceptum negativum? At venit textus ad te docendum, quod ſi alienus comedat de carne primogeniti tam ante quam poſt adſperſionem ſanguinum, quod tranſgrediatur præceptum negativum.

Primogenitum vitiatum comedebatur a dominis ſuis, ſicut ſcriptum eſt *Deut.* 21. *At quum fuerit vitiatum*, ſi fuerit *claudum vel cæcum, ullum vitium malum, non immolabis illud Domino Deo tuo. Intra portas tuas comedes illud, immundus ac mundus ſimul, ſicut capream, & ſicut cervum*. Siphri 39. 4. רק בכל אוות נפשך במה הכתוב מדבר אם בבשר תאוה כבר אמור ואם באכילה כבר אמור אה אינו מדבר אלא בפסילי המוקדשים שיפדו יכול יפדו על מום עובר ת״ל רק תזבח ואכלת נאניזה בשר ולא חלב יכול יהיו אסורים לאחר זביחה ת״ל כברכת יי׳ אלהיך יכול אם קדם מום קבוע להקדישם וניפדו יהיו אסורים ת״ל רק מלמד שאין נשחטה אלא על מום קבוע אמרת קל וחומר הוא ומה בכור שאין נוהג בכל הוולדות ויוצאים לחולין שלא נפריון אינו נשחט אלא על מום קבוע קדשים שהם נוהגין בכל הוולדות ואינן יוצאין לחולים אלא בפיריון אינו דין שלא יהיו נשחטים אלא על מום קבוע לא אם אמרת בבכור שכן קדושתו מרחם קדושו חלה עליו על בעל מום קבוע תאמר בקדשים שאין קדושתו מרחם ואין קדושה חלה עליהם על בעל מום קבוע ת״ל אשר נתן לך בכל שעריך שעריך לגזירה שוה מה שעריך האומרים להלן אין נשחטים אלא על מום קבוע אף שעריך האמור כאן אין נשחטים אלא על מום קבוע טמא יאכלנו אין לי אלא טמא טהור מניין ת״ל יאכלנו הטמא וטהור יחדיו מעיד הכתוב ששניהם אוכלים בקערה אחת יכול אף תרומה נאכלת בקערה אחת ת״ל יחדיו יאכלינו זה נאכל מתוך קערה אחת ולא תרומה נאכלת מתוך קערה אחת יכול יהיו חייבים במתנות ת״ל כצבי וכאיל אוציאנו מכלל מתנות ולא אוציא מכלל חזה ושוק ת״ל רק אי מה הצבי כולו מותר יכול אף זה כולו מותר ת״ל רק ר״ש אומר יכול כשם שנתנה תורה מחיצה בין קודשי קדישים לקדשים קלים בזמן שהם בעלי מומים כך נתנה תורה מחיצה בין קודשי קדשים לקדשים קלים שהם בעלי מומים ת״ל כצבי וכאילו מגיד שכשם שלא נתנה תורה מחיצה בין צבי ואיל כך לא נתנה תורה מחיצה בין קדישי קדשים לקדשים קלים בזמן שהם בעלי מומים: *Tantummodo in omni deſiderio animæ tuæ*. De quo loquitur textus? Si de carne deſiderii, jam dictum eſt, ſi de comeſtione, jam dictum eſt, ecce non loquitur, niſi de ſanctitatibus profanatis quod eſſent redimendæ. Crederem fuiſſe redimendas propter omne vitium inſtabile? Idcirco dictum eſt *tantummodo*: *Immolabis & comedes*; at non tondebis: *carnem*, at non adipem. Crederem fuiſſe vetitas poſt immolationem? Idcirco dictum eſt. *Juxta benedictionem Domini Dei tui*. Crederem ſi vitium inſtabile præceſſerit ſanctitates, & redemtæ fuerint, fuiſſe vetitas? Idcirco dictum eſt: *Tantumodo*. Docetur, quod non fieret mactatio niſi propter vitium ſtabile. Dixiſti? Eſt argumentum a minori ad majus. Si primogenitum, quod non uſurpatur in omnibus fœtibus, & profanatur ſine redemtione, non mactatur niſi propter vitium ſtabile, ſanctitates quæ uſurpantur in omnibus fœtibus, neque profanantur niſi per redemtionem, non erit æquum, ut non mactentur niſi propter vitium ſtabile? Minime; ſi dixiſti de primogenito, ratio eſt, quod ſanctificetur ab utero, & ſanctitas cadat in illud propter vitium ſtabile, dices de ſanctitatibus, quæ non ſanctificantur ab utero, neque in illas ſanctitas cadat propter vitium ſtabile? Idcirco dictum eſt: *Quod datum eſt tibi in omnibus portis tuis; portis tuis*: argumento a pari. *Sicut in portis tuis* ibi commemoratis non mactantur niſi propter vitium ſtabile; ita pariter in *portis tuis* hoc loco memoratis non mactabuntur niſi propter vitium ſtabile. *Immundus comedet illud*. Non probo niſi de immundo; de mundo unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *Comedet illud immundus & mundus pariter*. Oſtendit textus, quod ambo ſimul in una ſcutella comederent. Crederem vel ablationem, quod in una ſcutella comederent? Idcirco dictum eſt. *Simul comedet illud*. Hoc comeditur in una ſcutella: At ablatio non comedebatur in una ſcutella. Crederem quod obligarentur ad dona? Idcirco dictum eſt. *Sicut capream, & ſicut cervum*. Eduxi illud ex genere donorum, & non educam ex genere pectoris, & cruris? Idcirco dictum eſt: *Tantummodo*. Crederem ſicut cervus totus erat permiſſus, ita pariter hoc totum fuiſſe permiſſum? Id-

Idcirco dictum eſt: *Tantummodo*. R. Simeon dicit: Crederem, ſicut lex aſſignavit ſepimentum inter ſanctitates ſanctitatum, & ſanctitates leves, quo tempore ſunt vitiatæ, ita pariter quod lex, aſſignaverit ſepimentum inter ſanctitates ſanctitatum & ſanctitates leves, quæ fuerint vitiatæ? Idcirco dictum eſt; *Sicut capream, & ſicut cervum*. Oſtendit, ſicut lex non aſſignavit ſepimentum inter capream, & cervum, ita pariter lex non aſſignavit ſepimentum inter ſanctitates ſanctitatum, & ſanctitates leves, quo tempore fuerint vitiatæ. *Peſiktha* fol. 72. 3. רק בכל אות נפשך תזבח ואכלת בשר במה הכתוב מדבר בפסולי המוקדישין שיפרו יכול יפרו על מום עובר ת״ל רק תזבח ואכלת ולא גיזה בשר ולא חלב יכול אם קדם מום קבוע לקדישן ונפדו יהיו אסורין ת״ל רק ומנין שאין נשחטין אלא על מום קבוע קל וחומר ומה בכור שאינו נוהג בכל הוולדוה ואין יוצאין לחולין שלא בפריון אין נשחט אלא על מום קבוע קדשים שהן נוהגין בכל הוולדוה ואינן יוצאין לחולין אלא בפריון אינו דין שלא יהו נשחטין אלא על מום קבוע הטמא והטהור יחיד מגיר ששניהם אוכלים בקערה אחת נאכלנו לזה ולא לתרומה כצבי וכאיל מלמד שיצא מכלל המתנורה: *Tantummodo in omni deſiderio animæ tuæ immolabis & comedes carnem*. De quo loquitur textus? de profanatis ſanctitatibus, quod eſſent redimendæ. Crederem fuiſſe redimendas propter vitium inſtabile? Idcirco dictum eſt. *Tantumodo*. *Immolabis & comedes*. Et non tondebis; *Carnem*, at non adipem. Crederem, ſi præceſſerit vitium ſtabile eorum ſantificationem, & fuerint redemtæ, fuiſſe vetitas? Idcirco dictum eſt: *Tantummodo*. Et unde probatur non fuiſſe mactandas niſi propter vitium ſtabile? Argumento a minori ad majus? Si primogenitum, quod non uſurpatur in omnibus fœtibus, & profanari non poterat niſi redemtione, non mactabatur niſi propter vitium ſtabile, ſanctitates, quæ uſurpantur in omnibus fœtibus, & non profanabantur, niſi redemtione, non erit æquum, ut non macterentur niſi propter vitium ſtabile? *Immundus & mundus ſimul*. Oſtendit, quod ambo comederent in una ſcutella. *Comedent illud*: illud, at non ablationem: *Sicut capream, & ſicut cervum*. Docetur, quod educatur ex genere donorum.

Præcipitur *Deut*. xv. 19. non licuiſſe opus facere cum bove primogenito: *Non facies opus cum primogenito bovis tui, neque lanam tondebis primogeniti ovis tuæ*. Siprhri 43. 3. לא תעבוד בבכור שורך ולא תגוז בכור צאנך לא יצא בכור אלא ללמד מה בכור מיוחד שהוא הקדש מזבח יצא הקדש בדק הבית שאינו הקדש מזבח רבי יהודה אומר לא תעבוד בבכור שורך אבל אתה עובר בשל אחרים ולא תגוז בכור זאנך אבל אתה גוזז בשל אחרים ר׳ שמעון אומר לא תעבד בבכור שורך אבל אתה עובר בבכור אדם ולא תוגז בכור צאנך אבל אתה גוזז פטר חמור אין לי אלא בכור שור בעבודה ובכור זאן בגיזה בכור שור בגיזה ובכור צאן בעבודה מניין הרי אתה דן ומה במקום שלא שוה בעל מום של בקר לתמים של בקר ליקרב על גבי המזבח שוה לו בעבודה מקום ששוה תמים של צאן לתמים של בקר ליקרב על גבי המזבח אינו דין ששוה לו בגיזה ובעבודה ועדיין לא למדנו אלא תמימים בעלי מומים מנין ודין הוא ואם מה במקום שלא שוה תמים של בקר לבעל מום של בקר ליקרב על גבי המזבח שוה לו לעבודה מקום ששוה בעל מום צאן לבעל מום של בקר ליקרוב על גבי המזבח אינו דין ששוה לו בעבודה והוא הדין לגיזה ומה במקום שלא שוה תמים של לצאן לבעל מום של צאן לאכול עמו בגולי׳ שוה לו בגיזה מקום ששוה בעל מום של בקר לבעל מום של צאן לאכול עמו בגבולים אינו דין שישוה לו בגיזה ת״ל לא תעבוד בבכור שורך וגו׳: *Non opus facies cum primogenito bovis tui, neque tondebis primogenitum ovis tuæ*. Non exiit primogenitum niſi ad docendum. Sicut primogenitum erat peculiare, eo quod erat ſanctitas altaris, excluditur ſanctitas inſturationis domus, quæ non erat ſanctitas altaris. R. Jehuda dicit: *Non opus facies cum primogenito bovis tui*. At poteris facere opus cum primogenitis aliorum. *Neque tondebis primogenitum ovis tuæ*. At poteris tondere primogenitum aliorum. R. Simeon dicit: *Non opus facies cum primogenito bovis tui*; at poteris facere opus cum primogenito hominis. *Neque tondebis primogenitum ovis tuæ*. At poteris tondere apertionem aſini. Non probo niſi de primogenito bovis in opere, & de primogenito ovis in tonſione. De primogenito bovis in tonſione, & de primogenito ovis in opere, unde probatur? Argumento: Si ubi non æquiparatur bos vitiatus bovi perfecto, ut offeratur ſuper altare, æquiparatur tamen in opere, hic ubi æquiparatur ovis perfecta bovi perfecto, ut offeratur ſuper altare, non erit æquum, ut æquiparentur in tonſione, & in opere? Adhuc non precipimus niſi de perfectis, de vitiatis unde probatur? Argumento: Si ubi non æquiparatur bos perfectus bovi vitiato ut offeratur ſuper altare, æquiparatur tamen in opere, hic ubi æquiparatur ovis vitiata bovi vitiato, ut offeratur ſuper altare, non erit æquum, ut æquiparetur in opere? Et probari poteſt argumento de tonſione. Si ubi non æquiparatur ovis perfecta ovi vitiatæ, ut comedatur in terminis, æquiparatur tamen in tonſione, hic ubi æquiparatur bos vitiatus

ovi vitiatæ, ut comedatur in terminis, non erit æqum ut æquiparetur in tonsione? Idcirco dictum est: *Non opus facies cum primogenito bovis tui &c.* Pesiktha fol. 75. 1. לא תעבור בבכור שורך ולא תגוז בכור צאנך בא ללמד מה בכור מיוחד שהוא הקדש מזבח יצא הקדש בדק הבית שאינו הקדש מזבח ר׳ שמעון אומר לא תעבד בבכור שורך אבל עובד אתה בבכור אדם לא תגוז בכור צאנך אבל גוזז אתה פטר חמור אין לי אלא בכור שור בעבודה חבכור צאן בגיזה בכור צאן בעבודה מניין ת״ל כל הבכור אשר יולד בבקרך ובצאנך השוה בכור בקר לבכור צאן ליתן האסור׳ לזה בזה: *Non opus facies cum primogenito bovis tui, neque tondebis primogenitum ovis tuæ.* Venit ad docendum: Sicut primogenitum erat peculiare, quod erat sanctitas altaris, excluditur sanctitas instaurationis domus, quæ non erat sanctitas altaris. R. Simeon dicit. *Non opus facies cum primogenito bovis tui*. At poteris facere opus cum primogenito hominis. *Non tondebis primogenitum ovis tuæ*. At poteris tondere apertionem asini. Non probo nisi de primogenito bovis in opere, & de promogenito ovis in tonsione; de primogenito ovis in opere unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Omne primogenitum, quod natum fuerit in bobus tuis, & in ovibus tuis*. Æquiparat primogenitum bovis primogenito ovis; ut interdictum utrumque comprehendat.

XII. Asini primogenitum fuisse redimendum præcipitur *Exod.* XIII. 13. *Mekilta.* 9. 2. כל פטר חמור תפדה בשה ולא בעגל ולא בחיה ולא בשחיטה ולא בטרפה ולא בכוי ולא בכלאים ופטר חמור תפדה בשה למה נאמר לפי שנאמר אך פדה תפדה שומע אני כל בכור בהמה טמאה במשמע ת״ל ופטר חמור תפדה בשה חמור אתה פודה ואין אתה פודה כל בכור בהמה טמאה ר״א כל פטר חמור תפדה בשה יכול כל פטר חמור אתה פודה בשה ושאר בהמה טמאה בכסות וכלים ת״ל אך אם כן מה ת״ל פדה תפדה אם אינו ענין שפודין בהמה טמא׳ תניהו ענין שמקדישין בהמה טמאה לבדק הבית ופודין אותה מהקדש בדק הבית אם לא תפדה וערפתו מכאן אמרו מצות פדיה קודמת למצות עריפה ד״א אם לא תפדה וערפתו אין אתה פודהו עורפהו הואיל ואבדת נכסי כהן אף נכסיך יאבדו ומנין שאסור בהנאה נאמר כאן עריפה ונאמר להלן עריפה מה להלן אסור בהנאה אף כאן אסור בהנאה: *Omnem apertionem asini redimes agno*, *agno*, at non vitulo, neque fera, neque bestia mactata, neque discerpta, neque Coi, neque heterogeneis: *Et apertionem asini redimes agno;* Cur dictum est? Quia dictum est. *Tantummodo redimendo redimes*. Crederem omne primogenitum pecoris immundi in textu comprehendi? Idcirco dictum est: *Et apertionem asini redimes agno*. Asinum tu redimes, at non redimes omne primogenitum pecoris immundi. Alia expositio: *Omnem apertionem asini redimes agno*. Crederem, quod tibi esset redimenda agno omnis apertio asini, & aliorum pecorum apertione tibi essent redimendæ vestimentis & vasis? Idcirco dictum est: *Tantummodo*: Si ita, cur igitur dictum est. *Redimendo redimes?* Si non potest explicari de redemtione pecoris immundi, explicetur de sanctificatis pecoris immundi pro instauratione domus, quæ iterum redimerentur ex sanctitate domus. *Si non redemeris; decollabis illam*. Hinc dixerunt, præceptum redemtionis antecedebat decollationem. Alia expositio: *Si non redemeris, decollabis illam*. Si non redimas eam decollabis. Quoniam perdidisti facultates sacerdotis, facultates tuæ perdantur. Et unde probatur, quod sit usu interdicta? Memoratur hic decollatio, & memoratur ibi decollatio, sicut in decollatione ibi dicta, usus erat interdictus, ita pariter in decollatione hoc loco memorata usus erit interdictus. *Siphri* 18. 4. פרה תפדה זהו שנשאלה בכרם ביבנה לפני חכמים בכור שמת מהו שיהיו הבעלים חייבי׳ לפרותו ולה אכילו לכלבי׳ דרש ר׳ טרפון אך פרה תפרה אותו אותו אתה פורה אי אתה פורה החיה ואת המתה פורה אתה את הטמאה ואי אתה פורה את הטהורה אך פרה תפרה שומע אני אף שאר בהמה במשמע ת״ל ופטר חמור תפרה בשה חמור אתה פורה ולא אתה פורה בכור כל שאר בהמה טמאה ופטר תפרה בשה ושאר כל בהמה טמאה בכסות וכלים ת״ל עוד במקים אחר ופטר חמור תפרה בשה בשה אתה פורה אבל אי אתה פורה בכסות וכלים אם כן מה ת״ל פרה תפרה אם אינו עניין שפורים בהמה טמאה תניהו עניין שמקרישים בהמה טמיאה לברק הבית חוזרים ופורים אותו מהקרש ברק הבית וגו׳: *Tantummodo redimendo redimes*: Hoc est quod quæsierunt in vinea Jabne coram sapientibus: Si primogenitum moriatur, num domini obligantur ad ejus redemtionem, atque illud præbeant comedendum canibus? exposuit R. Tarphon. *Tantummodo redimendo redimes ipsum*: ipsum tu redimes, at non redimes feram, neque primogenitum mortuum; immundum tu redimes, at mundum non redimes: *Tantummodo redimendo redimes*. Crederem vel reliqua omnia pecora comprehendi? Idcirco dictum est: *Et apertionem asini redimes ove;* Asinum redimes, at non redimes primogenitum reliquorum omnium animantium immundorum. *Et apertionem asini redimes agno;* Et reliqua omnia animalia vestimentis & vasis. Idcirco præterea dictum est alibi. *Et apertionem asini redimes agno*. Agno tu redi-

dimes, at non redimes vestimentis, & vasis; Si ita se res habet, cur dictum est: *Redimendo redimes*? Si non explicandum sit, quod redimendum sit pecus immundum, explicetur, quod potest sanctificari pecus immundum pro instauratione domus; atque iterum redimitur a sanctitate instaurationis domus.

Si non redimeretur apertio asini, decollabatur; *Tosaphta Becoroth* cap. I. 7. אי זה הוא פריון פטר חמור הנכנס לדיר להתעשר הרי לו פטר חמור אין לו לפדותו אמר לו כהן תנהו לי ואני פודה אותו הרי זה לא יתננו לו אלא אם כן יודע שהוא פודה אותו עורפו בקופיץ מאחריו וקוברו ואסרו בהנאה לא ימותנו לו במקל ולא בקנה ולא ינעול דלת בפניו בשביל שימות ואם עשה כן הרי זה יצא בחייו אסור בגזה ובעבודה ור׳ שמעון מתיר: Quænam erat redentio apertionis asini? Introducebat in stabulum ut decimetur. Si illi fuerit apertio asini, & non fuerit illi redemtio, si dicat illi sacerdos; da mihi, & ego illam redimam; non dabit, si certo non scierit, quod eam redimat. Decollabit eam securi ad sinciput, eamque sepeliet; Non interficiet eam baculo, neque hasta, neque contra illam occludet portam, ut moriatur, si vero ita faciat; satisfacit debito. Dum vivit, vetitum est eam tondere, & facere opus. R. Simeon permittit.

XIV. Præcipitur *Levit.* XXVII. 32. decimum pecoris mundi sanctificandum fuisse Domino: *Et omnis decima boum & ovium, omnium, quæ transeunt sub virgam, decimum erit sanctum Domino. Non disquires inter bonum ac malum, neque permutabis illud; quod si commutando commutaverit illud, erit ipsum, & commutatio ejus, erit sanctum, non redimetur*: Ubi *Siphra* 59. 4. מניין שאין מעשרין מן הבקר על הצאן לע הבקר ת״ל וכל מעשר בקר וצאן יכול לא יעשר מן הכבשים על העזים ודין הוא ומה החדש והישן שאינן כלאים זה בזה אינם מתעשרים זה על זה כבשים ועזים שהם כלאים זה בזה אינו דין שלא יתעשרו זה על זה ת״ל וצאן כל משמע צאן אחד קל וחומר להדש ולישן שיתעשרו מזה על זה ומה אם הכבשים ועזים שהם כלאים זה בזה מתעשרים מזה על זה החדש והישן שאינן כלאים זה בזה אינו דין שיתעשרו מזה על זה ת״ל עשר תעשר שתי מעשרות שנה אין מעשרי׳ משנה לחבירתה דברי רבי עקיבא כל אשר יעבור תחת השבט פרט לטריפה שאינה עוברת אין לי אלא בזמן שמונים בשבט מניין רבוצים או עומדים מנין ת״ל העשירי יהיה אין לי אלא בזמן שקרא שמו עשירי מניין אף על פי שלא קרא שמו עשירי ת״ל העשירי יהיה קודש יכול אפילו היה לו מאה ונטל עשרה ונטל אחד ת״ל העשירי אין זה מעשר ר׳ יוסי ברבי יהודה אומ׳ מעשר קרא לתשיעי עשירי ולעשירי תשיעי ולאחד עשר עשירי מניין ששלשתם מקודשים ת״ל העשירי יהיה או יכול שאני מרבה את שנים עשר אמרת לא הואיל והוא מקרש וטעותו מקדשת מה הוא אינו מקרש אלא את הסמוך לו אף הוי טעותו לא תקדש אלא הסמוך לה נמצאת אומר קרא לתשיעי עשירי ולעשירי תשיעי ולאחד עשר עשירי שלשתן מקודשים התשיעי נאכל במומו העשירי מעשר ואחד עשר קרב שלמים ועושה תמורה דברי רבי מאיר רבי יהודה אומר וכי יש תמורה עושה תמורה אמרו משום רבי מאיר אילו היה תמורה לא היה קרב קרא לתשיעי עשירי ולעשירי עשירי ולאחד עשר עשירי אין א׳ עשר מקודש קרא לתשיעי ולעשירי אחד עשר עשירי ר׳ אומר אינו מקודש ר׳ יוסי בר׳ יהודה אומ׳ מקודש זה הכלל כל שנעקר שם העשירי ממנו לפניו מקודש ולאחריו אינו מקודש מתוך שנאמר וכל מבחר נדריכם יכול יהיה מורגל ומוציא את היפה תלמוד לו׳ לא יבקר בין טוב לרע ולא ימירנו ואם המר ימירנו הא אם המיר סופג את הארבעי׳ אם המר ימירנו לרבו׳ את היורש והיה הוא ותמורתו יהיה קודש לא יגאל בבכור הוא אומ׳ לא יפרה נמכר הוא ובמעשר הוא אומר לא ינאל ואינו נמכר לא חי ולא שחוט ולא תם ולא בעל מום מנין שמעשר בהמה בעשר תעשר חל יהיה קודש מלמד שמעשר בהמה בעשר תעשר רבי יוסי הגלילי אומ׳ והעברת מלמד שמעשר בהמה בעמור ועשר: Unde probatur quod non sit decimandum de bobus pro ovibus, neque de ovibus, pro bobus? Ex eo quod dictum est: *Et omnis decima boum, & ovium*. Crederem non fuisse decimandum ex agnis pro hoedis, neque de hoedis pro agnis? Quod probari posset argumento. Si novum & vetus triticum quæ non sunt, inter se heterogenea, non est decimandum ex altero pro altero, agni & hoedi, qui sunt inter se heterogenei, non erit æquum ut non decimentur ex alteris pro alteris? Idcirco dictum est; וצאן: Omnes simul comprehendit. Est argumentum a minori ad majus, ut triticum novum & vetus possint decimari ex altero pro altero. Si agni & hoedi, qui sunt inter se heterogenei, decimantur ex alteris pro alteris, triticum novum & vetus, quæ inter se non sunt heterogenea, non erit æquum ut possint decimari ex altero pro altero? Idcirco dictum est: *Decimando decimabis Deuter.* XIV. 22. Duæ sunt decimæ: *Anno:* Non est decimandum de altero in alterum annum; verba R. Akiba. *Omnium, quæ transeunt sub virgam*. Excludit discerptum, quod non gravidatur. Non probo nisi pro eo tempore, quo numerentur virga; unde probatur de recubantibus, & de stantibus unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Decimum erit*. Non probo nisi quando vocaverit nomine decimum, vel si non vocaverit nomine deci-

cimum, unde probatur? ex eo quod dictum est: *Decimum erit ſanctum*. Crederem, vel ſi eſſent centum, & dena dena ſumeret, & ex iis unum ſumeret? Idcirco dictum eſt: *Decimum*. Hoc non erit decimum. R. Joſe bar R. Jehuda dicit: Hoc erit decimum. Si nonum vocet decimum, & decimum vocet nonum, & undecimum vocet decimum, unde probatur, hæc tria omnia fuiſſe ſancta? Ex eo quod dictum eſt: *Decimum erit*. At crederem poſſe comprehendi duodecimum? Dixiſti? Minime; Quoniam illud eſt ſanctum, & ejus error ſanctificat, ſicut non ſanctificat niſi ſibi proximum, ita pariter ejus error non ſanctificat niſi ſibi proximum. Deprehenditur, quod dicas; ſi nonum vocet decimum, & decimum vocet nonum, & undecimum vocet decimum, quod hæc tria omnia ſint ſancta: Nonum comeditur cum vitio ſuo, & decimum erat decimum, & undecimum offerebatur in pacifica, & commutabatur. Verba R. Meir. R. Jehuda dicit; Num eſt commutatio, quæ faciat commutationem? Dixerunt nomine R. Meir: Si eſſet commutatio, non offerebatur. Si nonum vocet decimum, & decimum vocet decimum, & undecimum vocet decimum, undecimum non eſt ſanctum. Si nonum vocet decimum, & decimum vocet undecimum, & undecimum vocet decimum, undecimum non eſt ſanctum. R. Joſe bar R. Jehuda dicit: eſt ſanctum: Hæc eſt regula generalis, ſi ab eo, ante illud auferatur nomen decimi, eſt ſanctum, ſi poſt illud non eſt ſanctum; quia dictum eſt *Deut.* XII. II. *Et omnem electionem votorum veſtrorum*. Crederem, quod ſtudioſe educeret optimum? Idcirco dictum eſt: *Non diſquires inter bonum & malum; neque commutabit; & ſi commutando commutabit illud*. Si commutabit, vapulabit quadraginta verberibus. *Si commutando commutabit illud*. Ad includendum hæredem. *Ipſum & commutatio ejus erit ſanctum*. *Non redimetur*. De primogenito dictum eſt: *Non redimetur*. At poterit vendi. At de decimo dictum eſt: *non redimetur*; neque vendetur neque vivum, neque perfectum, neque vitiatum. Unde probatur, quod decima animalis comprehendatur in præcepto: *Decimando decimabis?* Ex eo quod dictum eſt: *Erit ſanctum*. Docetur, quod decima pecoris comprehendatur in præcepto: *Decimando decimabis*. Rabi Joſe Galilæus dicit: *Et transferes*. *Exod.* XIII. 12. Docetur quod decima pecoris ſit ex præcepto affirmativo. *Peſiktha* 36. I. וכל מעשר בקר וצאן כל אשר יעבור תחת השבט מכאן שאין

מעשרין מן הבקר על הצאן ולא מן הצאן על הבקר אבל כבשי' מתעשרין על העזי' שהן בכלל צאן ומנין שאין מעשרין מן החדש על הישן שנ' היוצא השדה שנה שנה דברי רבי עקיבה כל אשר יעבור תחת חשבט פרט לטרפה שאינה עוברת העשירי יהיה קדש בין מנאן בשבט בין מנאן רבוצים או עומדין אעפ שלא עברו ד"א העשירי יהיה קדש ואפי' מעוברת אין מוני' את העובר למני' הצאן ש"א הו' ירך אמו ועולה בחשבון עשירי עם אמו מכאן יבינו ההדיוטים כי אין העובר נחשב בחשבון אותו ואת בנו ד"א העשירי יהיה קדש ליי' אעפ שלא קרא שמו עשירי ואם קרא לתשיעי עשירי ולעשירי תשיעי וי"א עשירי שלשתן מקודשין שנאמר העשירי יהיה קדש כיצד יעשה התשיעי נאכל במומיו והעשירי מעשר ואחד עשר קרב שלמי' ועושה תמורה דברי ר' מאיר אמ' לו רבי יהודה וכי יש תמורה עושה תמורה אמר ר' מאיר אילו היה תמורה לא היה קרב אמר רבא אפי' ר' דענוותנה הוא אמר משום ר' מאיר אמר רבי מאיר לא אמר בסוף מסכת הוריות לא יבקר בין טוב לרע שאעפ שמצוה להביא מן המובחר שנאמר וכל מבחר נדריכם אשר תדרו ליי' יכול יהא מחפש ומוציא היפה ת"ל לא יבקר בין טוב לרע שהרי בבעלים מצוה זו תלויה להביא מן המובחר אבל לא בכהן שיכנס לעדרו של בקר הטוב סבצאן והמובחר ויטלנו שנאמר לא יבקר בין טוב לרע למדנו שאם המיר סופג את הארבעים מפני שהוא בלאו ואם המר ימיר לרבות את האשה ואת היורש והיה הוא ותמורתו בבכור הוא אומר לא ופדה והוא נמכר ובמעשר הוא אומר לא יגאל ואינו נמכר לא חי ולא שחוט ולא כעל מום:

Et omnis decima boum & ovium, omnium quæ tranſeunt ſub virga. Hinc probatur non fuiſſe decimandum ex bobus pro ovibus, neque ex ovibus pro bobus; at agni decimantur pro hœdis, quia comprehenduntur in nomine צאן & unde probatur non fuiſſe decimandum ex tritico novo pro veteri? Dictum eſt enim: *Et proventum agri de anno in annum*. Verba R. Akiba: *Omnium, quæ tranſeunt ſub virga*. Excludit diſcerptam, quæ non gravidatur. *Decimum erit ſanctum*: ſive numeret virga, ſive numeret recubantes, aut ſtantes, vel ſi non tranſierint. Alia expoſitio: *Decimum erit ſanctum*: vel ſi fuerit gravida, non numerant fœtum in numero agnorum, ſed latus matris adſcendet in computum decimi cum matre ſua; hinc intellexerunt idiotæ; quia fœtus non computatur in computo ipſius, & ejus filii. Alia expoſitio. *Decimum erit ſanctum Domino*. Vel ſi illud non vocaverit nomine decimi. Si vocet nonum decimum, & decimum vocet nonum, & & undecimum vocet decimum, hæc tria omnia erunt ſancta. Dictum eſt enim: *Decimum erit ſanctum*. Quomodo faciet? No-

Nonum comedetur cum vitio suo; & decimum erit decimum; & undecimum offeretur in pacifica, & faciet commutationem; verba R. Meir: Respondit illi R. Jehuda: Num est commutatio, quæ faciat commutationem? Respondit R. Meir. Si fuerit commutatio, non offeretur. Dicit Raba; vel si Rabi humilis sit, dixit nomine R. Meir; Dicit R. Meir: Nonne dicit in fine tractatus *Horajoth*. *Non disquiret inter bonum & malum*? Licet sit præceptum, ut afferatur ex electissimo; Dictum est enim *Deut.* XII. II. *Et omnem electionem votorum vestrorum; quæ vovebitis Domino*. Crederem quod perscrutans deberet afferre optimum? Idcirco dictum est: *Non disquiret inter bonum, & malum*; quia præceptum incumbit dominis, ut afferant ex optimo, at non sacerdoti, qui ingrediens in gregem disquirat optimum agnorum, & electissimum, & eum tollat: Dictum est enim: *Non disquiret inter bonum & malum*. Docemur, si separet, quod vapulet quadraginta verberibus, eo quod vetitum sit præcepto negativo. *Quod si commutando commutaverit*. Ad includendum fœminam, & hæredem. *Erit ipsum & commutatio ejus*. De primogenito dictum est: *Non redimetur*. At vendetur. Et de decimo dictum est: *Non redimetur*; neque vendetur neque vivum, neque mactatum, neque vitiatum.

In decimando pastor vitulos, agnos, & hœdos de stabulo exeuntes virga minio tincta notabat decimum. *Tosaphta Bechoroth* cap. VII. 6. כיצד מעשרין איאמורת מבחוץ והם גועות והבנים יוצאום לקראתם יצאו שמיני ותשיעי באחד הרי זה משלם התשיעי ועשירי ירעו עד שיסתאבו עשירי ואחד עשר כולם ימותו היה מונה ראשון ראשון מת ראשון ראשון הרי זה משלם עליהם היה מונה וקראו חברו לדבר עמו הרי זה משלם עליהם היה מונה יחשיכה לילי שבת הרי זה משלם עליהם היה מונה והוציא ראשו ורובו מן הדיר וחוזר כמניין לכל דבר מצאם רבוצים או עומדים הרי זה משלם עליהם היה מונה יקפץ מן המוניין לשאין מוניין מכירו פטור והם חייבין ואם לאו הרי כולם פטורין נתערב בהם יתום או לקוח הרי כולם פטורין היו לו עשרה ומנה חמשה ומת אחד מן המניין אלו שמנו פטורין והשאר יצטרפו לגורן הבא היו לו חמשה עשר לא יאמר הריני מכניס עשר מהם לדיר אלא מכניס את כולם ומונה מהם עשרה והשאר יתעשרו לשנה הבאה למפרע עשירי שבכולם מקודש: Quomodo decimabatur? Statuebantur matres extrinsecus, & mugiebant, & filii obviam egrediebantur. Si egrediantur simul octavus & nonus, in ipsis complebit, si nonus, & decimus, pascent donec vitientur, si decimus, & undecimus, omnes morientur: si numeret primum primum, si moriatur primus primum, in iis complebit. Si inter numerandum vocaretur a socio suo, ut cum ipso colloquatur, complebit in illis; si inter numerandum adveniret vespera Sabbathi, in illis complebit. Si inter numerandum, unus ex iis eduxisset caput, & majorem sui partem extra caulam, & reducat, omnino reputatur numeratus. Si inveniat cubantes, aut stantes, in illis complebit. Si inter numerandum exsiliret unus numeratorum inter illos, qui nondum sunt enumerati, si innotescat, absolvitur, & illi obligantur, si minus, omnes absolvuntur. Si inter illos misceatur orphanus aut emtus, omnes absolvuntur. Si sibi sint decem, & numerent quinque, si moriatur unus ex iis, qui jam fuerunt numerati, in illis complebit. Si mortuus esset ex iis, qui nondum fuerint numerati, qui sunt numerati absolvuntur, & reliqui conjunguntur in area futura. Si fuerint quindecim, non dicet: Introducam decem ex illis in caulam, sed introducet omnes, & reliqui decimabuntur anno futuro. Si numerasset inverso ordine, decimus omnium est sanctus. R. *Selomo* ad *Levit.* XXVII. 32. Cum ad decimationem proceditur per ostium educuntur (pecora decimanda) unum post aliud, & decimum virga percutitur tincta בסקרא syrico, seu minio, ut sciatur hoc ad decimam pertinere, quomodo quotannis fit tam de agnis quam de vitulis. *Misna Becoroth* cap. IX. 7. כיצד מעשרין כונסן לדיר ועשה להן פתח קטן כדי שלא יהיו שנים יכלין לצאת כאחת ומונה בשבט א׳ ב׳ ג׳ ד׳ ה׳ ו׳ ז׳ ח׳ ט׳ והיוצא עשירי סורקו בסרקה ואומר הרי זה מעשר: Quomodo decimant? Introducunt (pecus) in caulam, & ei facit ostiolum, ne duo simul egredi possint, & numerat virga primum, secundum, tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, octavum, nonum, & quando egreditur decimum, signat virga rubricata; & dicit: Hæc est decima. *Maimonides Becoroth* cap. VII. I. אלא כיצד היה עושה כונס כל הטלאים או כל הנעלים לדיר ועשה לו פתח קטן כדי שלא יצאו שנים באחת ואמותיהן מעמיד מבחוץ והן גועות שישמעו הטלאים קולן ויצאו מן הדיר לקראתן שנ׳ כל אשר יעבור תחת השבט שיעבור מעצמו ולא שיציאו בידו וכשיציאו זה אחר זה מתחיל ומונה אותן בשבט א׳ ב׳ ג׳ ד׳ ה׳ ו׳ ז׳ ח׳ ט׳ והיוצא העשירי בין זכר בין נקבה בין תמים בין בעל מום סורקו בסרקה ואומר הרי זה מעשר: Quomodo faciebat? Introducebat omnes agnos, aut omnes vitulos in stabulum, eique faciebat ostiolum, ne duo simul egre-

egredi possint; & eorum matres extrinsecus statuebat, & illæ mugiebant, audientes voces ipsarum agni egrediebantur ex stabulo in earum occursum; Dictum est enim: *Omne quod transit sub virga*; ut sponte transeat, non autem ut eum educat manu sua; & cum egrediebantur alter post alterum, incipiebat eos numerare virga, primum, secundum, tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, octavum, nonum, & quando egrediebatur decimus, sive esset masculus, sive fœmina, sive perfectus, sive vitiatus, signabat virga rubricata, dicens: Hæc est decima.

Pecora, quæ erant intra spatium duorum & triginta milliarium, simul decimabantur. Tosaphta *Becoroth* cap. VII. מעשר בהמה אצטרף מלא רגל רועה ולא מלא רגל בהמה מהלכת כמה רגל בהמה שנים ושלשים מיל כיצד היו לו חמש בספר חנניה חמש בספר ענתני וחמש בספר בציפורי הרי אלו מצטרפות וחמש בספר חנניה וחמש בציפורי אין אצטרפות עד שיהו לו אפילו אחת בציפורי היו לו בעבר הירדן מיכאן ומכאן כגון השולמי ומגרי ושתי אבטינות אין מצטרפות זו עם זו ואין צריך לומר בארץ וחוצה לארץ: Decima animalis conjungitur ad plenitudinem pedis pastoris, at non ad plenitudinem pedis pecoris incedentis. Quantus est pes pecoris? Duorum & triginta milliarium. Quomodo? Si sibi fuerint quinque in termino Cananjah, & quinque in termino Gantani, & quinque in termino Tsippori, conjunguntur, si quinque in termino Cananjah, & quinque in termino Tsippori non conjunguntur, nisi quando vel unum fuerit in Tsippori. Sed si sibi fuerint in transitu Jordanis hinc inde, e. g. in Sulami, & Menari, & in duobus Abtinot, inter se non conjunguntur; & non est necesse ut dicatur in terra, & in locis extra terram.

Ter quotannis scilicet in Paschate, in Pentecoste, & in festo Tabernaculorum decimabatur pecus. Tosaphta *Becoroth* cap. VII. 5. שלש גרנות למעשר בהמה בפרס הפסח ובפרס עצרת ובפרס החג אין להם קצבה דברי ר' עקיבא ר' יוסי בר רבי יהודה אומר אין פחות מחמשה עשרים קודם לרגל א"ר שמעון בן עצאי הואיל ואילו אומר באחד באלול ואילו אומר באחד בתשרי האלוליין מתעשרין בעצמן כיצד נולד לו חמשה באב וחמשה באלול חמשה באלול וחמשה בתשרי וחמשה באב וחמשה בתשרי אין מצטרפין חמשה בתשרי וחמשה באב הרי אלו מצטרפין: Tres sunt areæ pro decimatione pecoris, tempore Paschatis, tempore Pentecostis, & tempore festi tabernaculorum, & illis non est definitio: verba Rabi Akiba. Rabi Jose bar R. Jehuda dicit; tempus non erit minus quindecim diebus ante solemnitatem. Dicit R. Simeon ben Azai. Alii dicunt primo die Elul, & alii dicunt primo die Tisri. Qui nati sunt in Elul decimantur seorsim. Quomodo? Si nati sibi fuerint quinque in mense Ab, & quinque in Elul, quinque in Elul, & quinque in Tisri, & quinque in Ab, & quinque in Tisri non conjunguntur, & quinque in Tisri, & quinque in Ab conjunguntur. Gemara Hierosolymitana *Ros-Hasana* 56. 4. תמן תנינן ר' מאיר אומר באחד באלול ראש השנה למעשר בהמה בן עצאי אומר האלוליים מתעשרין בפני עצמן אמר ר' חונה עד כאן הן מחמצות לילד מן הישנה מכאן והילך הן מתחילות לילד מן החדשות ר' יוסה בי ר' בון בשם ר' הונה טעמא דר' לעזר ור' שמעון לבשו כרים הצאן אילו הבכורות ועמקים יעטפו בר אילו האפילות יתרועעו אף ישירו אילו ואילו נכנסין לדיר להתעשר אמר בן עצאי הואיל ואילו אומר כך ואילו אומר כך יהו האלוליים מתעשרין בפני עצמן א"ה כיצד נולד לו חמשה באב וחמשה באלול וחמשה בתשרי אינן מצטרפין נולד לו חמשה באב וחמשה בתשרי הרי הילו מצטריפין וגו' תמן תנינן בתשרי עד עשרים ותעשה באלול הרי אילו מצטרפים חמשה לפני ראש השנה וחמשה לאחר ראש השנה אינן מצטרפין חמשה לפני הגורן וחמשה לאחר הגורן הרי אילו מצטרפין אם כן למה אמרו שלש גרנות למעשר בהמה שעד שלא הגיע הגירן מותר למכור ולשחט הגיעה הגורן לא ישחט ואם שחט פטור א"ר יוסה וא"ת אוסרת מעשר בהמה לא עשו כחנט ולא כשליש אין תימר כחנט ניתני כל המעוברים מעשרים ותשעה באלול אין תימר כשליש ניתני כל הנולדים עד עשרים ושנים בו ר' שמי בשם ר' בון בר חייה כשליש עשו אותו כרבי שמעון דר' שמעון אומר מחוסר זמן נכנס לדיר להתעשר קם ר' מנא עם ר' שמי אמר ליה את אמרת הדא מילתא והא תנינן בן עצאי אומר האלוליים מתעשרין בפני עצמן לא אפלו נולד עד עשרים ותשעה בלול אית לך מימר בן עצאי כר' שמעין לא ברבנן הוא כמה דאת אמר על דרבנן מניחן ומעשרן לשנה הבאה והן מתעשרין עם בני שנתן כן את אמל על' רבן עצאי מניחן לגורן הבא והן מתעשרין עם בני אלול א"ר חונה זאת אומרת ימים שהבכור מחוסר זמן בהן עולין לו מתוך שנתו א"ר מנא ר' יונה אבא שמע לה מן הדא הבכור אשר יולד בבקרך ובצאנך הזכר תקריש ליי' אלהיך הכיצד משעת לידתו א"ת מונה לו שנה: Ibi legimus. R. Meir dicit: Primo die mensis Elul principium anni pro decimando pecore. Ben Azai dicit: Qui nati sunt in Elul, seorsim decimantur. Dicit R. Huna: Ratio R. Meir hæc est, quod hactenus possint nasci ex veteribus, hinc & ulterius, incipiunt nasci ex novis. R. Jose discipulus R. R. Bon nomine R. Huna: Ratio R. Elieser, & R. Simeon confirmatur ex eo quod dictum est *Psal.*

LXV.

LXV. 14. *Induti sunt arietes ovium.* Isti sunt primogenita; *& valles abundabunt frumento.* Isti sunt serotini. *Clamabunt etenim hymnum dicent*: Utrique introducuntur in caulam ut decimentur: Dicit ben Azai; quoniam de his ita dicis, & quoniam de illis ita dicis, qui nati fuerint in mense Elul, decimentur seorsim. Quomodo? si quinque nati fuerint in mense Ab, & quinque in mense Elul, & quinque in mense Tisri, non conjungantur: si nati fuerint quinque in mense Ab, & quinque in mense Tisri, conjungentur &c. Ibi legimus. A die primo mensis Tisri usque ad vigesimum nonum mensis Elul qui nati fuerint, conjungentur. Si quinque nati fuerint ante principium anni, & quinque post principium anni, non conjungentur; si quinque nati fuerint ante aream, & & quinque nati fuerint post aream, conjungentur. Si ita se res habeat, cur dixerunt. Tres sunt areæ pro decimando pecore? Ea de causa dictum est, quod priusquam advenerit tempus areæ licebit vendere & mactare; Cum pervenerit tempus areæ, non mactabit, si mactaverit, absolvetur. Dicit R. Jose: Hoc tu dicis, quod primogenitum pecoris non consideratur quasi non protruserit, & creverit ad tertiam partem. Si dicas quasi non protruserit, explicetur de omnibus quæ conceperint a die nono & vigesimo mensis Elul; si dicas quasi creverit ad tertiam partem explicetur de iis qui nati fuerint usque ad diem vigesimum secundum. R. Same nomine R. Bon bar Chjia. Quasi creverit ad tertiam partem explicandum erit juxta mentem R. Simeon. Etenim R. Simeon dicit: Si fuerit deficiens tempore, introducetur in caulam, ut decimetur. Surrexit R. Mena cum R. Same. Dixit illi: Tu hoc dicis? Atqui legimus: Ben Azai dicit: Qui nati fuerint in mense Elul, decimantur seorsium: Nonne? vel si nati fuerint usque ad diem nonum & vigesimum mensis Elul. Tu potes dicere, quod ben Azai consentiat cum R. Simeone; at non cum sapientibus. Quid dicis de sententia sapientum? Reliquet eos, & decimabit in area futura; & illi decimantur cum illis, qui eo anno nati fuerint: Hoc idem dicis de sententia Raban Azai: Relinquet eos, ut decimentur in area futura, & illi decimabuntur cum illis, qui nati fuerint in mense Elul. Dicit R. Huna; hoc dicis: Dies, quibus deficiens erit primogenitum, computantur illi in anno suo. Dicit R. Mena, R. Jonas: Aba probavit ex eo quod dictum est. *Omne primogenitum, quod natum fuerit in bobus tuis, & in ovibus tuis, masculum sanctificabis Domino Deo tuo.* Quomodo? A tempore nativitatis suæ numeratur illi annus.

CAPUT QUARTUM.

De Asinis, Mulis, Camelis, & Apibus.

I. *Orientalium opes in Asinis.* II. *Asini veloces ut equi, & apti ad ferendum onera.* III. *Veteres nobilissimi vehebantur ab Asinis.* IV. *Asini curules.* V. *Asini arantes.* VI. *Asini molentes.* VII. *Asini ad bella utiles.* VIII. *Ex mulis alii ad equitandi usum, alii bajuli, alii curules.* IX. *Thogarma a mulorum præstantia commendatur.* X. *Mulorum duo genera.* XI. *Cameli quamplurimi in Palæstina.* XII. *Camelorum alii ad equitandi usum, alii bajuli, alii curules.* XIII. *Cameli bellicosi.* XIV. *Camelorum pili in vestium usum.* XV. *Lac & caro camelorum commendatur.* XVI. *Qui cameli dicantur* בכרים. Esai. XL. 61. XVII. *Camelorum tres species.* XVIII. *Jumentorum heterogenea.* XIX. *Apum politia.* XX. *Apum origo.* XXI. *Apes sibilo, & æris tinnitu convocantur.* XXII. *Apes fumo abiguatur.* XXIII. *Apum fortitudo.* XXIV. *Mel non erat offerendum super altare.*

I. ORientalium opes erant in asinis. Itaque inter opes Patriarcharum etiam asinos recenset (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 13.) Mose *Genes.* XII 16. & XXIV. 35. & XXX. 43. & XXXII. 5. &c. & Anam pavisse dicitur asinos Sibonis

nis patris sui *Genes.* XXXVI. 24. Et Sichemitarum greges boves atque asinos a Jacobi filiis fuisse abactos legitur *Genes.* XXXIV. 28. Ægyptiisque Josephum panem dedisse pro equis, ovibus, bobus, & asinis. *Genes.* XLVII. 17. Israelitas denique Madianitis asinorum diripuisse unum & triginta millia. *Num.* III. 35. Jobo quoque asinæ primo quingentæ postea mille fuerunt *Job* I. 3. & XLII. 12. & asinis suis præfecit David Jedia Merorothitem I. *Chron.* XXVII. 31. Quin qui e captivitate Babylonica in Judæam regressi sunt, licet spoliati ab hostibus, & rerum omnium inopes asinos tamen habuerunt sex millia septingentos & viginti *Esdr.* II. 67. & *Nehem.* VII. 69.

II. De Asinis in Arabia, & Palæstina dicit spurius Scriptor in *Jobum* sub *Origenis* nomine. *Quod nunc equi, & multi (lege mali) perficiunt, hoc nihilominus asini adimplebant, præsertim tales, quales sunt in regione Arabiæ, & Palæstinorum asini, qui veloces sunt similiter ut equi.*

Asini aptissimi ad ferendum onera, puta frumentum *Genes.* XLII. 26. Ægypti optima quæque, & cibos in viaticum *Genes.* XLV. 23. Panes, & utres vini, pecudes, grana tosta, uvas passas, palathas ficuum, æstivos fructus I. *Sam.* XXV. 18. & 2. *Sam.* XVI. I. & I. *Chron.* XII. 40. & *Nebem.* XIII. 15. *Varro* lib. II. cap. 6. ubi de asinis. *Greges (inquit) fiunt fere mercatorum, qui e Brundusino, aut Appulia asellis dossuariis comportant ad mare oleum, aut vinum, itemque frumentum, aut quod aliud. Columella* lib. VII. cap. I. *Sæpe etiam ut celeberrimus Poeta, memorat* Georgic. I. vers. 273.

—— tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens
Incusum, aut atræ massam picis urbe reportat.

Et mox. *Quare omne rus tanquam maxime necessarium desiderat asellum, qui ut dixi, pleraque utensilia & vehere in urbem, & reportare collo, vel dorso commode potest. Palladius lib.* 18. 14. *Minor vero asellus maxime agro necessarius est, qui & laborem tolerat, & negligentiam propemodum non recusat.*

III. Asini vehebant non plebejos solum, ut hodie, sed & nobilissimos. Sic Abraham *Genes.* XXII. I. Moses *Exod.* IV. 20. Balam *Num.* XXII. 21. Prophetæ duo, unus ex Bether, alter e Juda I. *Reg.* XIII. 13. 23. Acsa Calebi filia principis tribus Juda *Jos.* XV. 18. & *Judic.* I. 14. Abigail ante Nabalis postea Davidis uxor I. *Sam.* XXV. 20. Achitophel senator regius 2. *Sam.* XVIII. 23. Mephiboscheth Saulis regis nepos 2. *Sam.* XIX. 26. asinis vehi non sunt dedignati. Et e Judicibus Israelis Jair triginta filii *Judic.* X. 4. Abdon *Judic.* XII. 14. quadraginta filios, & triginta nepotes habuit asinis insidentes. Unde in Cantico Deboræ *Judic.* V. 10. *O qui asinas albas equitatis, & judiciis præsidetis.* Neque alio rectore Christus *Matth.* XXI. 2. uti voluit, Hierosolymam cum pompa ingressurus, ut qualecunque regni sui specimen Judæis ederet. Quod ipsum prophetæ ante prædixerunt: Jacob quidem obscurius, cum agit de asino τῷ Silo *Genes.* XLIX. 15. Sed apertissime Zacharias cap. II. vers. 9. *Ecce rex tuus tibi venit justus & salvans, pauper & insidens asino, & pullo filio asinarum.*

IV. Asini curules erant. *Columella* de asino lib. VII. cap. I. *Non minima pondere vehicula trahit.* Hinc Esaias propheta XXI. 7. meminit רכב חמור *currus asinorum.* Ita Masorethæ, & *Symmachus* qui ἅρμα reddit. Sed Chaldæus, Syrus, Arabs, Græci, & Hieronymus aliis punctis רכב legerunt ἀναβάτην *sessorem, ascensorem.* Recte ne an secus, non definio. Utraque lectio ferri potest, & gignit sensum commodum.

V. Asinos etiam arasse constat (pergit *Bochartus* l. c.) ex his *Esai.* XXX. 24. *Boves & asini terram colentes.* Et XXXII. 20. *O vos beatos, qui seminatis ad omnes aquas, & eo immittitis pedem bovis & asini.* i. e. qui bovum & asinorum opera non alios agros aratis & conseritis, quam irriguos: Hinc *Josephus* contra *Apionem* lib. II. *Sunt apud nos asini &c. operibus ad agricolarum rebus necessariis ministrantes.* Scriptores prophani aratores asinos nobis describunt. *Varro* de re rustica lib. II. cap. 6. *Plerique deducuntur ad molas, aut agriculturam, ubi quid vehendum est, aut etiam ad arandum, ubi levis est terra, ut in Campana. Plinius* lib. VIII. cap. 43. *Asinum* CCCC. *nummum emtum Quinto Axio Senatori auctor est M. Varro, haud scio an omnium pretio animalium victo, opera sine dubio geruli mirifica, arando quoque.* Et lib. XVII. cap. 5. In Byzacio *Africæ illum centena & quinquagena fruge fertilem campum, nullis, cum siccus sit, arabilem tauris, post imbrem asello, & a parte altera jugi anu vomerem trahente, vidimus scindi. Columella* lib. VII. cap. I. *Hujus animalis tam exiguæ tutelæ plurima & necessaria opera supra portionem respondent, cum & facilem terram, qualis in Bætica totaque Lybia, sic levibus aratris proscindat Apulejus* Apologia prima: *Nuper usque agellum*

lum Zarathensem, quem tibi unicum pater tuus reliquerat, solus uno asello ad tempestivum imbrem exarabas. Idipsum colligere est ex verbis legis, quæ arare vetant bove & asino simul *Deut.* XXII. 10. Quod aliter atque aliter Hebræi interpretantur; sunt enim, qui prohibitum id volunt, quia bos & asinus sunt diversæ speciei, quique hanc prohibitionem extendunt ad omne animal heterogeneum. Ita *Jonathan* in Paraphrasi. לא תהוון רדין בתורא ובחמרא ובכל ברייא בתרין זינין קטרין בכדא: *Non arabitis bove & asino, nec ullis jumentis duarum specierum simul junctis*; Nempe sub eodem jugo. Et *Josephus* Antiquit. lib. IV. cap. 8. Βουσὶν ἀρῶν τὴν γῆν, καὶ μηδὲν τῶν ἑτέρων ζώων σὺν αὐτοῖς ὑπὸ ζεύγλῃ ἄγοντας, ἀλλὰ κατ' οἰκεῖα γένη. *Bobus eos jubet arare terram, nullum aliud animal cum ipsis sub jugum agentes, sed ejusdem generis.* Et R. *Selomo* הוא הדין לכל מינין שבעולם. *Hæc est lex de omnibus animalibus duarum specierum, quæ in orbe sunt.* Siphri 49. 3. לא תחרוש בשור וחמור יחדיו יכול לעולם כשאוא אומר למען ינוח שורך וחמורך כמוך שור וחמור עושים מלאכה אם כן למה נא' לא תחרוש בשור ותמור אין לי אלא שור וחמור מניין לרבות שאר בהמה וחיה ועוף כיוצא בשור ת"ל לא תחרוש מכל מקום אם כן למה נא' בשור וחמור בשור וחמור אי אתה חורש אבל אתה חורש באדם וחמור ד"א לא תחרוש אין לי אלא חורש מניין לרבו' את הדש והיושב בקרון והיוצ' והמנהיג ת"ל יחידיו מ"מ ר' מאיר פוטר ביושב בקרון יחדיו פרט לקושר את הסוס בצידי הקרון פרט לרסך או לאחר הקרון או הלובדקס לגמלים: *Non arabis cum bove & asino simul.* Crederem in perpetuum? Quando vero dicitur *Exod.* XXIII. 12. *Ut quiescat bos tuus, & asinus tuus.* Bos & asinus faciunt opus: Si ita se res habet; cur dictum est: *Non arabis cum bove & asino?* Non probo nisi de bove & asino; unde probatur ad includendum cetera animalia feras, & volucres, & quæ similia sint bovi? Ex eo quod dictum est. *Non arabis*: Omnimode: si ita se res habet, cur dictum est, *cum bove & asino.* Cum bove & asino tu non poteris arare, at poteris arare cum homine & asino: Alia expositio: *Non arabis*: Non probo nisi de aratione, unde probatur ad includendum triturationem, sessionem in curru, eductionem, & deductionem? Ex eo quod dictum est: *Simul.* Omnimode. R. Meir permittit sessionem in curru; *Simul*; excludit equam. *Simul*; excludit si vinciat equum in lateribus currus, aut post currum; aut asinum Lydium, cum camelis. Alii volunt prohiberi, quod bos sit mundus, & asinus immundus. Itaque licet per illos diversas species simul jungere. Ita *Rambam* in tractatu de heterogeneis cap. IX. 7. כל העושה מלאכה בשני מיני או חיה באחר והיה אחר מהן מין טהור והשני מין טמאה הרי זה לוקה בכל מקום שנ' לא תחרוש בשור ובחמור יחדיו: *Quis quis ad opus quodcunque duabus simul utitur speciebus animalis, sive fera sunt, aut domestica, quarum una est munda, altera immunda, vapulat ubicumque locorum quia in lege dictum est.* Non arabis cum bove, & asino simul. Quod ipsum sequitur R. *Isaach* in libro, cui titulus עמודי גולה *columnæ exilii* præcept. 168. Et mysterium explicans Baal-Hatturim hac prohibitione significari vult שלא ישתתף צדיק עם רשע nullam esse justo societatem cum impio. Nec desunt qui eo referant hæc Apostoli 2. *Corinth.* VI. 14. Μὴ γίνεσθαι ἑτεροζυγοῦντες τοῖς ἀπίστοις. Quasi sic allusum voluerit ad verba legis. In quam sententiam inclino libertius, eo quod, ut vir magnus in hunc locum observat כלאים i. e. animalia diversi generis nominant Græci Interpretes, quorum ista sunt *Levit.* οὐ κατοχεύσεις τὰ κτήνη σου τῷ ἑτεροζύγῳ. *Animalia tua cum aliis diversi generis coire non facies.* Ejusdem interdicti aliam rationem affert Baal-Hatturim nempe quod bos ruminet, & cum videt asinus ruminantem bovem, יהיה שבור שהוא אוכל ומצטער putat illum comedere, & mœrore conficitur, utpote sibi æque ac bovi pabulum non esse merito dolet. Neque contemnendum id puto, quod hic habet *Aben Ezra* vetari ne simul arent bos & asinus כי אין כח החמור ככח השור *Quia robur asini non est ut robur bovis.* Quo maxime faciunt hæ Euclionis in Aulularia *Plauti* Act. II. Scen. 2.

> *Venit hoc mihi in mentem Megadore, te esse hominem divitem*
> *Factiosum, me item esse hominum pauperum pauperrimum,*
> *Nunc si filiam locassem meam tibi, in mentem venit*
> *Te bovem esse, & me esse asellum, ubi tecum conjunctus siem,*
> *Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto;*
> *Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem,*
> *Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat:*
> *Neutribi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat.*
> *Asini me mordicitus scindant, boves incursent cornibus:*
> *Hoc magnum est periculum, me ab asinis ad boves ascendere.*

Idem de equo & asino; quo hæc pertinent *Anthol. secinendo* lib. I. cap. 33.

Τίπτε τὸν ἀγχηςῖνὶ βραδόπεν ὄνον ἄμμιγ' ἐν ἵπποις
Γυρὸν ἀλωεναῖς ἐξελάατε δρόμον
Cur ubi flaventes dives terit area culmos
Jungitur alipedi tardus asellus equo?

Inde est quod Ulysses ut crederetur insanus, equum cum asino junxit ad aratrum. Id narrant *Hyginus* fab. 93. *Nicephorus Babylaces* Histor. IV. *Tzetzes* in Lycophronem, & Mythologi quotquot sunt. Et *Xenocratem* ingenio tardum cum *Aristotele* conferens *Plato* dixit: τῷ μὲν μύωπος δεῖ, τῷ δὲ Χαλινοῦ καὶ ἐφ' οἷον ἵππον, οἷον ὄνον ἀλείφω. *Uni calcare opus est, alteri fræno, & cui equo asinum allino*. Hæc *Laertius* lib. IV. in *Xenocrate*.

An huc allusit *Paulinus* ad *Ausonium* scribens:

Discussisse jugum quereris me quod tibi doctis
Junctus eram studiis: Hoc nec gestasse quidem me
Assero, namque pares subeunt juga; nemo valentes
Copulat infirmis, neque sunt concordia fræna,
Si sit compulsis mensura jugalibus impar,
Si vitulum tauro, vel equum committis onagro.

Proinde boves ἰσοφόρους copulari vult *Homerus* Odyss. VI. i. e. ἴσως φέροντας, καὶ ἕλκοντες, *qui onus æquale ferant vel trabant*, ut ibi Scholiastes: Et *Palladius* lib. IV. *Illud ante universa curandum est, ut viribus ad trabendum* (boves) *comparentur æquales, ne valentioris robur alteri procuret exitium*. Quo hæc *Ovidii* pertinent.

Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci?

VI. Asinorum usus fuit molam circumagere, quæ inde μύλος ὀνικὸς *mola asinaria* vocatur *Matth.* XVIII. 6. Et *Luc.* XVII. 2. διακελτικῶς scilicet quia molarum duo erant genera, asinariæ & trusatiles. *Cato* de re rustica. *Villicus villicos operarios habeat quinque &c. molas asinarias unas, & trausatiles unas*. Hæ minores erant, ut quæ manu truderentur, at asinariæ majores, quas asinus perpetua gyratione circumagebat. *Ovidius* lib. VI. Fast.

Et quæ puniceas versat asella molas.

Epigramma vetus de avaro qui molit ipse, ne asinum conducat molitorem.

Cum possis parvo sumtu conducere asellum
Qui soleat teretes voluere sæpe molas
Cur nummi cupidus, sic te contemnis, amice,
Ut cupias duro subdere colla jugo?

Luciani asinus: Εἰς πάγει με εἰς τὸν μυλῶνα, καὶ ὁρῶ πολὺ πλῆθος ἔνδον ὁμοδούλων κτηνῶν, καὶ μύλαι πολλαὶ ἦσαν καὶ πᾶσαι τούτοις ἐςρέφοντο. Et eum imitatus *Apulejus* lib. VII. *In pistrinum me introduxit, ubi magnam conservorum copiam cerno, & multæ erant molæ, quæ omnes a jumentis bisce versabantur*; & in Luciano rursus idem asinus: Ὀθόνῃ τοῖς ὄμμασιν ἐπιπετάσαντες ὑποζεύγνύουσαί με τῇ κώπῃ μύλης. Quæ *Apulejus* Africana grandiloquentia ita extulit. *Velata facie in varia spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco gressu mea recalcans vestigia vagarer, errore certo*. Nota *velata facie* & in *Luciano* ὀθόνῃ τοῖς ὄμμασιν ἐπιπετάσαντες: *oculis linteo velatis*. Quo hæc *Hilarii* pertinent in *Matth.* cap. XVIII. *Molæ labor est cæcitatis; nam clausis jumentorum oculis aguntur*. Et quod Asinus ita loquitur *Aothol.* lib. I. cap. 33.

Οὐχ' ἅλις ὅττε μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκαις
Σπερχδὸν σκοτόεις κυκλοδίωκτος ἔχω
Nonne satis fuerat, quod coecus & actus in orbem
Nocte dieque molas irrequietus ago?

Κώπην τῆς μύλης *Lucianus* vocat *molæ scapum* seu *manubrium* ut *Theocriti* Scholiastes in Idyll. δ' Ἀπὸ τῶν ἀλούντων καὶ τῇ κώπῃ τὰς μύλας ὠθούντων. *Molile* appellat *Cato* de re rustica cap. 10. Et *Jeremias Thren.* v. 13. γy *lignum*: *Juvenes* (inquit) *molam truserunt, & pueri ad lignum impegerunt*, aut viribus fracti sunt præ nimio conatu, *ad lignum*, hoc est ad ligneum molæ scapum. *Aben Ezra* כשל כח הנערים בהגיע עץ הטחנה: *defecerunt puerorum vires in movendo ligno molitorio*. Nec probo quod *Hieronymus* hæc in obscoenum sensum trahat. Quomodo Judæi, quod de Samsone habent *Judic.* XVI. 21. *Molebat in domo vinctorum*. Quasi idem esset quod *Jobi* XXXI. 10. *Molat alteri uxor mea &c.* Metaphora Poetis non ignota. Dicit enim *Lucilius* lib. VIII. Sat.

Hanc

Hanc molere, illam autem ut frumentum vannere tu vis

Et *Catullus* in Gellium

—— patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem

Et *Horatius* lib. I. Sat. 2.

—— non alienas
Permolere uxores

Ausonius Epigram. LXX. 7.

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam

Idem Epigr. XCII.

Cum dabit uxori molitor tuus, & tibi adulter

Et multo ante *Theocritus* Idyll. IV.

—— τὸ γερόντιον ἦ ῥ᾽ ἔτι μύλλει
Τήναν τὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποτ᾽ ὀχείσθη

—— Ille vetulus nunquid adhuc molit
Illam nigra supercilia habentem amicam, quam olim deperibat?

Plautus Trucul. Act. II. Scen. 2.

—— suam non enim ille meretriculis
Molendis rem coegit.

Cicero lib. IX. Epistol. 22. ad Pætum. *Jam enim non obscœna verba pro obscœnis sunt. Batuit, inquit, impudenter; depsit, multo impudentius. Atqui neutrum est obscœnum. Var.* Myst. apud *Non.* II. 234. *Sed tibi fortasse alias molit, & depsit.*

VII. Asinos (inquit *Bochartus* l. c.) ad bella fuisse utiles ex eo colligere est quod in Syrorum castris ad Samariam non solum equi, sed & asini reperti sunt 2. *Reg.* VII. 7. 10. vel ad impedimenta convehenda, quomodo in *Polluce* lib. I. cap. 10. χρεία εἰς τοὺς πολέμους σκευοφόρων μὲν ὄνων. *Necessarii sunt asini ad bellum ad sarcinas bajulandas.* Vel etiam quibus pugnaturi insiderent prout habetur 2. *Sam.* XVI. 2. juxta τὸ Katib: *Asini sunt pro familia regis ad equitandum* ולהלחם *& ad pugnandum*. Cujus rei novitate perculsi Masorethæ legi voluerunt והלחם *& panis*, idque fortasse non incommode, quia præcedenti versu leguntur iidem asini advexisse *ducentos panes*. Fuere tamen populi, qui ex asinis pugnarent, quomodo nos ex equis. *Alianus* lib. XII. cap. 34. Σαρόκοροι δὲ οὔτε ἀχθοφόρους, οὔτε ἀλέοντας ἔχουσι τοὺς ὄνους, ἀλλὰ τοὺς πολεμιστάς, καὶ ἐπ᾽ αὐτῶν γε τοὺς ἐνοπλίους κινδύνους ὑπομένουσιν, ὥσπερ οἱ Ἕλληνες ὑπὸ τῶν ἵππων. *Sarocari asinos nec bajulos, nec molitores, sed bellicosos habent, & in illis, ut Græci in equis, belli pericula sustinent.* Putat insignis Geographus hos Sarocoros eosdem esse cum *Suidæ* Saraguris. Sed perperam, ut quidem puto. Nam *Suidæ* Saraguri sunt Scytharum populi, quos *Priscus* in Legationibus memorat cum Urogis, Onoguris, Sabiris, Abiris &c. *Strabo* de Carmanis lib. XV. χρῶνται οἱ πολλοὶ, καὶ πρὸς πόλεμον σπάνει ἵππων; ὄνον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὅνπερ καὶ σέβονται θεῶν μόνον, καὶ εἰσὶ πολεμισταί. *Equorum inopia etiam ad bellum plerique asinis utuntur, & asinum Marti immolant, quem Deorum solum colunt, utpote bello addicti.* Apud *Arrianum* lib. I. cap. 18. *Epictetus* asinum vocat ἀήττητον *invictum*. Et Calipharum vigesimus primus *Mervan* dictus حمار *asinus eo quod in bello consisteret, quia bellicus asinus numquam fugere dicitur*. Ita *Elmacinus* Histor. Saracen. lib. I. cap. 21.

VIII. Ex mulis alii erant ad equitandi usum, alii bajuli, alii curules. Muli circa tempora Davidis inter Hebræos esse ceperunt in multo pretio (inquit *Bochartus* part. I. Hieroz. lib. II. cap. 19.) David mulorum meminit 1. *Chron.* XXXIX. 9. Et Salomonem filium jubet, ut in regem inauguraretur, mulæ regiæ insidentem ad Gihonem deduci 1. *Reg.* I. 33. Sed & reliqui Davidis filii mulis vehuntur 2. *Sam.* XIII. 29. & mulo insidebat Assalom, cum hæsit inter ramos arborum, & jumento prætergresso pependit inter cœlum & terram 2. *Sam.* XVIII. 9. Et inter cetera donaria muli quotannis Salomoni offerebantur 1. *Reg.* 10. 25. & 2. *Chron.* IX. 24. A mulis denique plebeii cibos Davidi afferunt 1. *Chron.* 12. 40. nempe propter mulos, qui equitabantur, quales erant muli Davidis & filiorum, alii fuere ἀχθοφόροι seu sagmarii ut 1. *Chron.* 12. 40. alii item ζευγῖται, seu *curules*. Unde septuaginta *Esai.* LXVI. 20. Ἐν λαμπήναις ἡμιόνων *in rhedis mulorum* pro Hebræo בצבים ובפרדים *in rhedis & in mulis*, tanquam hic agnoscentes figuram ἓν διὰ δυοῖν, ut in his *Pindari* Pythia 4.

—— σὺν δ᾽ ἡμιόνοις
Ξεστᾷ τ᾽ ἀπήνᾳ προτροπάδαν Πελίας
Ἵετο σπεύδων ——

—— mulis autem
Et pulita rheda alacriter Pelias
Venit properans ——

Homerus Iliad. ω vers. 324.

Πρόσθε μὲν ἡμίονοι ἕλκον τετράκυκλον ἀπήνην.

Ante quidem muli trahebant quatuor rotarum currum.

Apollonius Argonaut. lib. III. verſ. 840.

Ε'σσυμένως οὐρῆας ὑποζεύξασθαι ἀπήνῃ
Citate mulos adjungere vehiculis.

Plutarchus in conſolat. ad *Apollonium* ubi de Cleobi, & Bione: τῶν ἑλκόντων τὴν ἀπήνην ἡμιόνων ὑστερησάντων *trahentibus currum muris flacceſcentibus. Pindarus* in loco nuper citato

—— ἡμιόνοις
Ξεστά τ' ἀπήνα ——
—— *mulis*
Et polita rheda ——

Et ejus Scholiaſtes Olympia 5. Α'πήνη δ' ἐστι ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν. *Apene eſt currus mulis junctus. Polybius* in excerptis lib. XXXI. Καὶ τῶν ὀρεοκόμων ϗ τοῦ ζεύγους ϗ τῆς ἀπήνης αὐτῆς ὑπαρχούσης *Mulionibus & biga, & rheda mulari ſua exiſtenti. Pauſanias* in Eliacis prioribus. Η' δὲ ἀπήνη κατὰ τὴν συνωρίδα ἡμιόνους, ἀντὶ ἵππων ἔχουσα, οἱ δὲ ζεύγους ἡμιόνων. *Mulas pro equis, Apene bigarum in morem habebat. Heſychius.* Α'πήνη ἅμαξα, οἱ δὲ ζεύγος ἡμιόνων, *Apena currus*, aliis eſt *mulorum jugum.* Itaque idipſum fuit λαπήνη, vel λαμπήνη: Unde eſt, quod hæc vocabula *Theodoretus* quæſt. 60. in I. *Reg.* inter ſe confert tanquam ἰσοδύναμα: λαμπήνη inquit εἶδος ἐστιν ἁρμαμάξης ὥσπερ ἂν ϗ ἀπήνη. *Lampene carrucæ genus eſt ut & Apene.* Nauſicaæ mularis currus ab *Homero* ἀπήνη, & a *Sophocle* λαμπήνη dictus eſt ut in *Polluce* habetur. Nos *rhedam* ideo reddimus, quia ut ἀπήνη Græcis, & *rheda* Romanis eſt molatis currus. *Varro* de re ruſtica lib. III. cap. 17. *Rhedarias ut tibi haberes mulas. Sulpicius* dialog. II. cap. 4. *Regreſſi ad rhedam ſuam, agi quo ire præceperunt jumenta præcipiunt. Conſumit Gallicas mularum pœna maſtigia. Suidas.* λαμπήνη eſt ἵρδιον περιφανές, ὅ ἐστιν ἅρμα σκεπαστόν. *Rheda inſignis*, i. e. currus tectus, ἵρδων enim ibi pro ῥαίδιον.

Mulares porro illæ rhedæ vel bigæ erant, vel trigæ, vel quadrigæ. Ad bigas pertinent hæc Naamanis Syri 2. *Reg.* v. 17. *Detur quæſo ſervo tuo* משא צמד פרדים ארמה: *onus paris mularum e terra*, i. e. onus bigæ mularis. Ad trigas quod habeatur de Pharaonis Iſraelitas inſequentis curribus in *Jonathane Exod.* XIV. ומוליתא תליתתא למנגר ולהרדוף בבהולו על כל רתובה ורתיבה: *Et mulam tertiam ad trahendum & inſequendum cum celeritate addidit ſingulis curribus.* Quadrigæ ab Hebræis voce hybrida & Græco-Latina טטראמולין *tetramulin* appellantur. Et in *Exod.* magna ſect. 3. ubi Deus inducitur Moſi dicens. כשאבא לסיני ליתן להם את התורה אני יורד בטטראמולין שלי שהן מתבוננין בי שומסין אחד מהן ומכעיסין איתי בי: *Cum veniam ad montem Sinai ut dem ipſis legem deſcendam in tetramulis meis, ut ad me attendant; at illi unum ex illis abripient, & in eo me irritabunt.* Quæ fere eadem referuntur Sect. 42. 43. explicatione petita ex *Ezech.* I. ubi tanquam Dei quadrigæ deſcribuntur quatuor animalia facie hominis, leonis, bovis, & aquilæ; quorum uno, nempe bove Iſraelitæ per Idololatriam fœdere abuſi ſunt, quo ipſo tempore Deus in monte Sinai legem Moſi dictabat. Apud Romanos quoque uſitatæ fuerunt rhedæ mulares. *Suetonius* in Nerone cap. XXX. *Nunquam carrucis minus mille iter feciſſe traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus.* Et in Veſpaſiano cap. XXIII. *Mulionem in itinere quodam ſuſpicatus ad calceandas mulas deſiliiſſe.* Præterea conſpiciuntur carpenta cum mulabus in nummis Agrippinæ matris Caii, Domitillæ conjugis Veſpaſiani, Fauſtinæ conjugis Antonini, & aliarum. Rhedas mulares non ſolum habebant Imperatores, & eorum conjuges, ſed & aliæ opulentiores & honeſtiores fœminæ ad vehicula habebant mulas. Quare Sctum Heliogabali apud *Lampridium* cap. 4. cum luxus earum uſus fieret promiſcuus, de matronis: *Quæ aſino veheretur, quæ carpento mulari.* Imo & viris in dignitate conſtitutis ſerviebant in vehiculis. Teſtimonia & exempla quamplurima vide in notitia dignitatum Imperii orientis apud *Grevium* Tom. VIII. Quod confirmatur ex L. XVI. Cod. Theodoſ. de *curſu publico*, ex *Juſtiniani* Ed. VIII. c. 3. & ex *Libanii* or. in Jul. qui mulorum angarialium mentionem facit.

IX. Ut ab equorum & equitum, ita etiam a mulorum præſtantia commendatur Thogarma regio his verbis *Ezech.* XXVII. 14. *De domo Thogarmæ equos & equites, & mulos adduxerunt, o Tyre, ad nundinas tuas.* Thogarma, vel ut veteres ſcripſerunt, Torgama Scythia non eſt, ſed Trogmorum in Galatia regio in Paphlagonia Phrygiæ & Cappadociæ confinis, ut probavimus in noſtro *Phaleg.* Ibi nimirum ut equi, ita etiam aſini & muli fuere præſtantiſſimi. Mulorum e Cappadocia & vicinis regionibus paſſim meminere Scriptores. Sic *Strabo* Cappadociam Perſis tributi nomine quotannis conferre ſcribit ἵππους χιλίας, ϗ πεντακοσίους, ἡμιόνους δὲ δισχιλίους: *equos millequingen-*

gentos, & mulos bis mille. Et apud *Plinium* lib. VIII. cap. 44. *Theophraſtus vulgo parere mulas in Cappodocia tradit, ſed eſſe id animal trigeneris*. Et *Plutarchus* περὶ φιλοπλȣτίας Galaticas mulas ita commendat. *Alium ære alieno obſtringit magnifica domus, alium vicinum olivetum, alium agri tritico aut vitibus fertiles*, ἄλλον ἡμίονοι Γαλατικαὶ *alium mulæ Galaticæ*. *Homerus* denique multo ante Iliad. β' verſ. 852.

> Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.
>
> *Ex Henetis, unde genus mulis agreſtibus*.

X. Mulorum duo ſunt genera (pergit *Bochartus*) fœcundum unum, alterum ſterile. Fœcundum in Syria fuiſſe autor eſt *Ariſtoteles* lib. VI. cap. 24. Αἱ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ τῇ ὑπὲρ φοινίκης ἡμίονοι, καὶ ὀχεύονται, καὶ τίκτȣσιν· ἀλλ' ἐστι τὸ γένος ὅμοιον μὲν ἕτερον δέ: *Mulæ quæ ſunt in Syria ſupra Phœnicem & ineuntur & pariunt, ſed genus utut ſimile, tamen aliud eſt*. Et cap. 36. εἰσὶ δὲ ἐν Συρίᾳ οἱ καλȣ́μενοι ἡμίονοι, ἕτερον γένος τῶν ἐκ συνδυασμȣ̃ γενομένων ἵππȣ καὶ ὄνȣ, ὅμοιοι δὲ τὴν ὄψιν. *Sunt in Syria muli dicti, ab his diverſi genere, qui ex aſini & equi coitu naſcuntur, ſpecie tamen ſimiles*. Et paulo poſt. Αὗται αἱ ἡμίονοι γεννῶσιν ἐξ ἀλλήλων, σημεῖον δὲ ἦλθον, γὰρ τίνες εἰς Φρυγίαν ἐπὶ Φαρνάκȣ τȣ̃ Φαρναβάζȣ πατρὸς, καὶ διαμένȣσιν ἔτι. εἰσὶ δὲ μὲν τρεῖς, τὸ παλαιὸν δ' ἐννέα ἦσαν, ὥς φασι. *Hæ mulæ ex ſuo genere procreant. Argumento eſt, quod quædam in Phrygiam vexerunt tempore Pharnacis patris Pharmabazi in quæ adhuc vivunt: Saltem tres maxime, cum novem olim fuerint, ut aſſerunt*. Sed & in Cappadocia fuit id mulorum genus. Idem in mirabilibus. Ἐν Καππαδοκίᾳ φασὶν ἡμιόνȣς εἶναι γονίμȣς. *Ajunt in Cappadocia mulos eſſe fœcundos*. *Plinius* lib. VIII. cap. 44. *Theophraſtus* (mulas) *vulgo parere in Cappadocia tradit, ſed eſſe animal ibi ſui generis*. Creduntur etiam fuiſſe in Africa. Et *Varro* tradit lib. II. cap. I. Ruſtic. *Magonem & Dionyſium ſcribere mulam & equam quum conceperint, duodecimo menſe parere: Quare non, ſi hic in Italia cum peperit mula, ſit portentum, adſentiri omnes terras*. Unde *Columella* lib. VI. cap. 36. *Quidam vero non diſſimulandi autores, ut M. Varro, & aute eum Dionyſius ac Mago prodiderunt, mularum fœtus regionibus Africæ adeo non prodigioſos haberi, ut tam familiares ſint incolis partus earum, quam ſint nobis equarum*.

Fœcundis mulis ſteriles opponuntur, qui ſunt hybridæ, & ambigenæ, i. e. ex imparibus editi parentibus, & diverſæ ſpeciei. Hi rurſus multorum generum; alii enim procreantur ex aſino & equa, qui præſtantiſſimi ſunt, & proprie muli dicuntur; alii ex equo & aſina, hinni nomine. *Varro* lib. II. cap. 8. *Ex equa & aſino fit mulus, contra ex equa & aſina hinnus*. *Plinius* lib. VIII. cap. 44. *Equo & aſina genitos mares* (malim *aſina genitos matre*) *hinnulos antiqui vocabant, contraque mulos, quos aſini & equæ generarent*. *Columella* lib. VI. cap. 36. *Qui ex equo & aſina concepti generantur, quamvis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur, matri per omnia ſimiles ſunt*. Hinnos vult ab equo dici, quia Græce ἴννος eſt equuleus. *Phavorinus*: ἴννοι δὲ κολοβοὶ τῶν ἵππων, νάννοι δὲ οἱ κολοβοὶ τῶν ἀνθρώπων ναννοφυεῖς. *Hinni qui in equis pumili ſunt, quomodo nani dicuntur, qui pumili naſcuntur in hominibus*. Quæ ſumta ſunt ex Scholiaſte *Ariſtophanis* in Pace, ubi tamen, ὕννοι non ἴννοι, quomodo in *Heſychio* ὕννος hynnus eſt πῶλος ὁ ἐν τῇ γαστρὶ νοσήσας πρὶν κυηθῆναι *pullus equinus, qui in utero æger fuit antequam ederetur*. Sed ὕννος ἴννος γίννος Græcis fere idem ſunt. De Ginno ſic *Heſychius*. Γίννος ȣ̃ πατὴρ ἵππος ἡ δὲ μήτηρ ὀνομα νοθὴ ſed legendum γίννος ȣ̃ πατὴρ ἵππος ἡ δὲ μήτηρ ὄνος ὠνομάσθη *Ginnus vocatur, cujus patet eſt equus, & mater aſina*. Nihilo tamen ſunt, quæ de hinno idem habet. Ἴννος ὁ πῶλος, ὁ ἐξ ἵππȣ πατρός, καὶ μητρὸς ἡμιόνȣ: ἄλλοι δὲ ὄνȣ. Ἀριστοτέλης δὲ φησιν ἴννον ἡμίονον ἄρσενα, τȣτέστιν ὀρέα ἐπὶ θηλείας ἀναβαίνοντα, ἴννον δὲ ἐξ ἵππȣ νοσήσαντος, ἄλλοι δὲ ἡμίονον, ἢ ἱππάριον ἀναύξετον. Ἀριστοφάνης δὲ τȣ̀ς ἴννȣς γίνεσθαι ἐξ ἵππȣ προγόνȣ δὲ μητρός: In his enim primo id ſuſpectum eſt, quod hinnum naſci dicit ex equo patre & matre mula, aut aſina. Hinnum enim ex mula naſci, quæ perpetua ſterilitate damnata eſt, ne per ſomnium quidem cuiquam venit in mentem. Sed ex mulo patre & equa matre hinnum procreari nonnulli ſcribunt, quomodo ex equo & aſina. *Plinius* lib. VIII. cap. 44. *In plurium Græcorum eſt monumentis, cum equa muli coitu natum, quem vocaverunt hinnum, i. e. parvum mulum*. *Euſtathius* in Iliad. λ' & ex illo *Phavorinus* ἴννος ὁ ἐξ ἡμιόνȣ καὶ θηλείας ἵππȣ. Nempe (autore Philiſopho in fine lib. II. Generat. Animal. (ut ut mula ſemper) ſit ſterilis ὁ δὲ ἄῤῥης ποτὲ γεννήσειεν ἂν διὰ τὸ θερμότερον εἶναι τȣ̃ θήλεος φύσει τὸ ἄῤῥεν. *Mas* (id eſt mulus) *quandoque generat, quia mares natura ſunt fœminis calidiores*. Atque ut ibid. additur τὸ δὲ ἀποτελεσθὲν γίνεται γίννος, τȣ̃το δέ ἐστιν ἡμίονος ἀνάπαρος καὶ γὰρ ἐκ τȣ̃ ἵππȣ, καὶ τȣ̃ ὄνȣ γίνονται γίννοι ὅταν νοσή-

σήσῃ τὸ κύημα ἐν τῇ ὑστέρᾳ. *Quod producitur ginnus eſt*, i. e. *mulus pumilus: nam etiam ex equo & aſino ginni proveniunt, cum fœtus in utero ægrotavit*. Neque dubium quin *Heſychius* hunc locum reſpexerit. Itaque pro his verbis Ἀρισοτέλης δὲ φησιν ἴννον ἡμίονον ἄρσενα legendum Ἀρισοτέλης δὲ φησιν γίννον γεννῆσαι ἡμίονον ἄρσενα: *marem Ariſtoteles ginnum generare dicit*: Ex φησὶ γίννον factum φύσιν ἴννον. Et poſt γίννον ſequens γεννῆσαι omiſſum eſt, quia voces ſunt ſimiles: Sed & hæc mendoſa ſunt ἴννον δὲ ἐξ ἵππου νοσήσαντες legendum enim νοσήσαντος, vel νοσήσαντα *hinnum autem ex equo generari quum ægrotavit*; nempe in utero. Legit enim *Heſychius* in *Ariſtotile* ἐκ τοῦ ἵππου γένονται ἴννοι ubi nos γίνονται γίννοι. *Ariſtophanes* Grammaticus, quem Heſychius ibid. citat non dixit hinnos naſci ἐξ ἵππου προγόνου δὲ μητρός, ſed ex ἵππου πατρὸς, ὄνου δὲ μητρὸς ut fit contractum in πρὸς & ex πρὸς ὄνου factum προγόνου. Ex his quæ citata ſunt, patet hinnum Græce ἴννον, ἴννον & γίννον proprie eſſe minorem equum aut mulum. Unde quod hinni vocantur muli, quibus pater eſt equus aut mulus, quia veris mulis minores ſunt, quibus aſinus pater eſt, & equa mater *Varro* ubi ſupra. *Hinnus qui appellatur, eſt ex equo, aut aſina, minor quam mulus corpore &c.*

Sed & ad mulorum ſpecies ii pertinent, quos onager vel ex equa, vel ex aſina generat. *Ælianus* lib. xv. Ἐν Ἰνδοῖς ἵππων τε ἀγελῶν, καὶ ὄνων τοσούτων εἰσὶν ἀγέλαι. οὐκοῦν ἀναβαινόντων ὄνων τοῖς ἵπποις ὑπομένειν ἐκείνας λέγουσι, καὶ ἥδεσθαι τῇ μίξει, καὶ τίκτειν ἡμιόνους πυρσοὺς τὴν χρόαν, καὶ ἄγαν δρομικούς. *In Indis equorum & aſinorum ſylveſtrium greges ſunt. Et equas ajunt aſinos ineuntes facile admittere, & coitu delectari, & rufos mulos parere ad curſum præſtantiſſimos*. *Plinius*. *Generantur ex equa & onagris manſuefactis mulæ veloces in curſu, duritia eximia pedum, verum ſtrigoſo corpore, indomito animo, ſed generoſo*. Onagro & aſino genitus omnes antecellit. *Palladius* ubi de mulis. *Creantur etiam ex equo & aſina, vel onagro & equa*. Item. *Utiles admiſſarii naſcuntur ex onagro & aſina, qui poſt in ſobole ſequuntur, agilitatem, fortitudinemque reſtituant*. Quod *Columella* plurimis ita explicat: *Mula autem non ſolum ex equa & aſino, ſed ex aſina & equo, itemque onagro & equa generatur. Quidam vero non diſſimulandi autores, ut M. Varro, & ante eum Dionyſius ac Mago prodiderunt, mularum fœtus regionibus Africæ adeo non prodigioſos haberi, ut tam familiares ſint incolis partus earum, quam ſint nobis equarum. Neque tamen ullum eſt in hoc pecore aut animo aut forma præſtantius, quam quod ſeminabit aſinus, quanquam poſſit huic comparari, quod progenerat onager, niſi & indomitum, & ſervitio contumax ſylveſtri more, ſtrigoſum patris præferat habitum: Itaque ejuſmodi admiſſarius, nepotibus magis quam filiis utilior eſt, nam ubi aſino & onagro natus admittitur equæ, per gradus infracta feritate quicquid ex eo provenit, paternam formam & modeſtiam, fortitudinem celeritatemque avitam refert*. Ex his cum onagri & aſinæ fœtum mulis accenſeri conſtet, clara jam ſunt verba *Jonathanis* in Paraphraſi *Geneſ*. xxxvi. 24. Quæ alioqui lectorem remorabuntur ועגא הוא ענה דארבע ית ערדיא עם חתני ולזמן אשכח ית בורנייתא די נפקו מנהון. *Ana, iſte eſt Ana, qui onagros admiſit aſinabus & tempore ſuo mulos invenit, qui ex illis exierunt*. Pro ערדיא *onagros* perperam edunt עדריא *greges* & pro בודנייתא *mulis* בורנייתא vocem nihili. Locum imperiti ſcribæ ſic corruperunt, quia videbatur abſurdum, quod aſſerit Paraphraſtes gigni mulos ex aſinæ coitu cum onagro.

Ex mulorum tot ſpeciebus, ut vulgatior, ita nobilior nulla eſt, quam quæ ex aſino & equa procreatur, neque ſolet aliud intelligi muli nomine. Hinc *Homerus* ubi de præmiis, quæ Achilles certantibus proponit in ſui Patrocli funere Iliad. ψ' verſ. 2665. 266.

> —— τῷ δευτέρῳ ἵππον ἔθηκεν
> Ἑξέτε', ἀδμήτην, βρέφος ἡμίονον κύουσαν.
> —— *ſecundo equam poſuit*
> *Sexennem, indomitam, pro fœtu mulum utero gerentem.*

Et Odiſſ. δ' verſ. 635. 636.

> —— μοὶ ἵπποι
> Δώδεκα θήλειαι, ὑπὸ δ' ἡμίονοι ταλαεργοὶ
> —— *mihi ſunt equæ*
> *Duodecim fœminæ, & ſub iis muli laborioſi.*

Et in Apollonis oraculo apud *Herodotum* ἡμίονος mulus vocatur Cyrus, quia ἐκ δυεῶν, οὐκ ὁμοεθνέων ἐγεγόνεε, μητρὸς ἀμείνονος, πατρὸς δὲ ὑποδεεστέρου: *Ex duobus diverſarum gentium parentibus ortus, matre nobiliore, patre vero inferiore*, muli inſtar, cujus mater equa patre aſino nobilior eſt. *Palladius* lib. iv. tit. 14. *Creantur ex equa & aſino, vel onagro & equa, ſed generoſius nullum eſt hujuſmodi animal, quam quod aſino creante naſcetur*. *Columella* lib. vi. cap. 37. *Neque tamen ullum eſt in hoc pecore aut animo, aut forma præſtantius*

rius, quam quod ſeminabit aſinus; quamquam poſſit aliquatenus comparari, quod progenerat onager, niſi & indomitum, & ſervitio contumax ſylveſtri more, ſtrigoſum patris præferat habitum. Itaque ejuſmodi admiſſarius nepotibus magis quam filiis utilior eſt; nam ubi aſina & onagro natus admittitur equæ, per gradus infracta feritate, quicquid ex eo provenit, paternam formam, & modeſtiam, fortitudinem celeritatemque avitam refert. Qui ex equo & aſina concepti generantur, quamvis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur, matri per omnia magis ſimiles ſunt. Itaque commodiſſimum eſt aſinum deſtinare mularum generi ſeminando, cujus, ut dixi, ſpecies experimento eſt ſpecioſior. Talmud Hieroſol. *Berachoth* cap. 8. אין בעיתון מיובון מוליון חהון זבנין אילין אורניהון דקיקי׳ שאמו סומה ואביו חמור: *Si vultis comparare mulas, emite illas quibus aures ſunt tenues, quia mater illis eſt equa, & pater aſinus.* Idem his verbis aſſerit R. Jona in *Bereſchith Rabba* c. 82. כל שאזניו קטנות אמו סוסה ואביו חמור גדולות אמו חמורה ואביו סוס: *Mulus omnis cujus aures parvæ ſunt, matrem habet equam, & patrem aſinum, at is cujus aures magnæ ſunt, patrem habet equum, & matrem aſinam.* Unde concludit ibid. R. Mena eos eſſe præferendos ואדניהון דקיקין *quorum aures ſunt tenuiores* nempe in genere mulorum בני הסוסיות חזקים מבני האתונות *filii equarum robuſtiores ſunt filiis aſinarum*: Ita *Aben Ezra* in *Eſther*. Quia mulis id a natura inſitum eſt ut matris ingenium potiſſimum referant; *Damir* ubi de muli parentibus. اذا كان الذكر حمارا يكون شبيه الشبه بالفرس واذا كان الذكر فرسا يكون شبيه الشبه بالحمار: *cum mas eſt aſinus, equo eſt maxine ſimiles, & quum mas eſt equus, aſinum maxime refert.*

Inde conſtabit quorſum *Eſther.* viii. 10. Perſarum regis angari equitare dicantur הרכש ואחשתרנים בני הרמכים *equos, & mulos equorum filios*; Nam הרכש eſſe *equos*, & הרמכים *equas* jam ſuo loco i.e. ſupra cap. 6. pag. 99. 100. 101. probatum eſt אחשתרנים *mulos* explicamus cum *Aben Ezra*, *Kimchio*, *Pomario*, *Mardocheo*, & *Aquinate*. Muli ergo equorum filii vocantur διακεληπκῶς, ut in carmine *Simonidis* in laudem τοῦ νικήσαντος τοῖς ὀρεῦσιν, quod ab *Heraclide* citatur in Rheginorum politia & ab *Ariſtotele* Rhet. lib. III. cap. 2.

> Χαίρετε ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων
> *Salvete velocium equarum filiæ.*

Ut ſciatur haudquaquam agi de hinnis, ſed de burdonibus, qui minores ſunt & tardiores. *Plinius. Gignitur etiam mula ex equo & aſina, ſed effrenis & tarditatis indomitæ.* At mulos ex equa natos idem aſſerit *eſſe veloces in curſu*; Et *Ælianus* ἀγὰν δρομικοὺς *ad curſum præſtantiſſimos.* Itaque in Olympicis non equis modo, ſed mulis certabatur. *Pollux.* Ἄγων δέ τις ἡμιόνων ἤγετο πάλαι ἐν Ὀλυμπίᾳ, καὶ τὸ μὲν τῶν νωγέων ἡμιόνων ἀγώνισμα ἐκαλεῖτο κάλπη, τὸ δὲ τῶν ζυγίων ἀπλήνητον. *Olim certamen quoddam mulorum Olympiæ celebrabatur, & dorſuariorum mulorum certamen* Calpe, *jugalium vero rhedariorum ſeu curule vocabatur.* Nempe ἀπηνη rheda erat, ſeu mulare vehiculum, ut ſupra docuimus. Et hoc certamen *Pauſanias* cap. 19. in Eliacis primis fuiſſe negat τῷ ἀνευρήματι ἀρχαῖον *inventione priſcum*. Tamen ejus meminere vetuſtiſſimi ſcriptores, *Simonides* ubi ſupra, *Pindarus* Olympia 5. 6. *Ariſtoteles*, & *Heraclides* ubi ſupra. Et Anaxibas Rheginus, Pſanmis Camarinæus, Ageſilaus Syracuſanus, atque alii mulis vicere. Quin & inter animalia publico curſui deputata Romani mulos habuerunt. Atque Epiſcopis ad Concilium Nicænum delegatis permiſit Conſtantinus δημοσίοις ὀρεῦσι καὶ ἵπποις χρήσασθαι *publicis mulis & equis uti*, ut autor eſt *Theodoretus* Hiſt. lib. I. cap. 16. Quod confirmatur L. XVI. Cod. Theodoſ. *de curſu publico* & *Juſtiniani* Ed. VIII. cap. 3. & *Libanii* orat. in Jul. qui mulorum angariorum mentionem facit.

XI. Camelos olim (inquit *Bochartus* part. I. lib. II. cap. 2.) in Judæa & vicinis locis fuiſſe frequentiſſimos ex Scriptura, manifeſtum eſt. Ita Job primo tria millia, deinde ſex millia camelorum habuit *Job* I. 3. & XLII. 12. Ut non immerito dixerit Philoſophus Hiſt. lib. IX. cap. 10. Κέκτηνται δ' ἔνιοι τῶν ἀνθρώπων καμήλους καὶ τρισχιλίους. *Nonnulli uſque ad tria camelorum poſſident.* Sed & patriarcharum opes partim camelis conſtitiſſe Moſes non ſemel docet. i. e. *Geneſ.* XII. & XXX. 44. & XXXII. 7. &c. ut in Africa hodieque Arabum. *Leo Africanus* lib. IX. *Ex iis Arabes ſuas divitias ac proventus æſtimant; & ſi quando de divitiis principis aut nobilis cujuſquam ſermo fiat, poſſidere eum ajunt tot camelorum non aureorum millia. Judic.* VII. 12. *Madianitæ & Amalekitæ camelos habent ſine numero, inſtar arenæ, quæ jacet in litore maris.* In quibus nonnulli torques, & השהרונים *lunulas* i. e. bullas aureas in lunularum modum concinnatas, collis geſtant. Ut Parthenopæi equus de quo *Statius* lib. IX. Thebaid.

— ne-

> —— *nemorisque notæ sub pectore primo*
> *Jactantur niveo lunata monilia dente.*

Alibi etiam Ægyptiis *Exod.* IX. 3. Sabæis I. *Reg.* X. 2. Chusæis 2. *Chron.* XIV. 14. Ismaelitis *Genes.* XXXVII. 25. Cedarenis *Jerem.* XLIX. 29. Asoræis *Jerem.* XLIX. 32. Gesureis I. *Sam.* XXVIII. 9. & Geræris I. *Sam.* XXVII. 9. Damascenis 2. *Reg.* VIII. 9. I. *Chron.* XXVII. 30. Davidis Camelis præficitur אִיבִיל Abil Ismaelita. Cui haud dubie nomen ex armento fuit inditum, Arabice siquidem est ابل *camelum* ita ابال *ibal* ابل *abil* ابيل *abil* camelorum præfectum sonat.

XII. Camelis porro modo homines (*Genes.* XXIV. 16. & XXXI. 17. I. *Sam.* XXX. 17.) modo sarcinæ *Esai.* XXX. 6. I. *Chron.* XII. 40.; merces *Genes.* XXXVII. 25. & res pretiosæ I. *Reg.* X. 2. 2. *Chron.* IX I. 2. *Reg.* VIII. 9. vehebantur. Quandoque jungebantur curribus ut legere est *Esai.* XXI. 7. ubi רכב גמל currus quem cameli vehunt, ut *Symmachus* recte reddidit, non qui camelum equitat, quomodo intelligunt veterum aliqui. Ita *Nero* (*Suetonius* in Neronem cap. III.) *in Circensibus commisit camelorum quadrigas*. Et *Heliogabalus junxisse fertur camelos quaternos ad currus in circo, privato spectaculo. Lampidius* in Heliogabalo.

XIII. Sed nec in bello fuisse inutiles apparet ex lib. *Judic.* & I. *Sam.* XXX. 17. Hinc de camelis *Plinius* lib. VIII. cap. 18. *Etiam equitantur in præliis. Strabo* de iisdem lib. XVI. πολεμοῦσιν ἀπ' αὐτῶν. *Ex iis præliantur* Arabes. *Diodorus* lib. II. Αἱ δὲ αὐταὶ καὶ κατὰ τοὺς πολέμους εἰς τὰς μάχας ἔχουσαι· τοξότας ἄγονται δύο ἀντικαθημένους ἀλλήλοις ἀντινώτους, τούτων δὲ ὁ μὲν τοὺς κατὰ πρόσωπον ἀπαντῶντας, ὁ δὲ τοὺς ἐπιδιώκοντας ἀμύνεται. *Ipsi etiam* cameli (in Arabia) *ad pugnam in bella deducuntur, duos habentes sagittarios, tergis oppositis insidentes, quorum unus obvios, & alter insequentes repellat.* Et lib. III. de Debarum dromadibus in Arabia felici. Πρὸς μὲν γὰρ τοὺς πολεμίους ἀπὸ τούτων μάχονται. *In hostes enim ex iis pugnant.* Sic in Xerxis exercitu Arabes ἤλαυνον πάντες καμήλους ταχύτητι οὐ λειπομένους ἵππων *camelas omnes equitabant, equis pernicitate non inferiores.* Ita *Herodotus* lib. VII. Neque in Arabibus peculiare, nam apud *Pollucem* lib. X. cap. 8. Βάκτριοι δὲ καὶ μάχονται ἐπὶ τῶν καμήλων. *Bactriani etiam camelis pugnant.* Et Ἀχρεῖον τὸ Κροίσου ἱππικὸν ἀνέφηνε Κῦρος, προτάξας τῶν ἱππικῶν ὁπλιτῶν καμήλους πολλούς. *Cresi equitatum Cyrus inutilem reddidit, collocatis adversus equites armatos multis camelis*; quia camelorum aspectum & odorem equi ferre non possunt. Quod refert ex *Herodoto Poliænus* lib. VIII. Stratag. Quale est quod in Artabani Parthorum regis copiis in prælio adversus Macrinum barbari cataphracti Romanos sagittis & contis graviter affligebant ἀπό τε ἵππων καὶ καμήλων τιτρώσκοντες αὐτούς: *Ab equis & camelis eos vulnerantes* ut habet *Herodianus* lib. IV. In Africa etiam id usurpatum ex *Vegetio* scimus, cujus verba sunt lib. III. cap. 23. *Camelos aliquantæ nationes in aciem produxerunt, ut Urciliani in Africa, Mabetes quoque hodie producunt.*

XIV. Camelorum pilos in vestium usus cessisse docet historia Joh. Baptistæ *Matth.* III. 4. Et *Marc.* I. 6. Hebræi vocant צמר גמלים *lanam camelorum*, ut cum quærunt, an ut lanam ovium ita lanam camelorum cum lino miscere lex vetet *Levit.* XIX. 19. & *Deut.* XXII. 11. Item an lepra inficiat vestes ex lana Camelorum, quomodo inficit vestes ex lana ovium *Levit.* XIII. 47. 48. 42. 59. Vide Talmud tractat. *Celaim* cap. IX. Et *Maimonides* in *Celaim* cap. X. Et in tractatu de Lepra cap. XIII. Pili camelorum in Caspiis olim fuere mollissimi, & ex iis confectæ vestes ad delicias pertinebant. *Ælianus* Hist. lib. VII. cap. 34. Κάμηλοι δ' ἀριθμοῦνται πλείους, αἱ μέγισται κατὰ τοὺς ἵππους τοὺς μεγίστους εὐτριχές ἄγαν· ἁπαλαὶ γάρ εἰσι σφόδρα αἱ τούτων τρίχες, ὡς καὶ τοῖς Μιλησίοις ἐρίοις ἀντικεῖσθαι τὴν μαλακότητα· οὔκουν ἐκ τούτων τοὺς ἱερεῖς ἐσθῆτα ἀμφιέννυνται, καὶ οἱ τῶν Κασπίων πλουσιώτατοί τε καὶ δυνατώτατοι. *Cameli etiam* (apud Caspios) *plures numerantur, quorum maximi maximis equis sunt magnitudine pares, pilis magni pretii: ii enim tam molles sunt, ut cum Milesiis lanis mollitie comparari possint. Ex illis porro Sacerdotes induuntur, Caspiorum ditissimi quique, & apulentissimi.* Quod illum habere ex *Ctesia* docent hæc *Apollonii* Mirab. cap. XX. Κτήσιας δ' ἐν τῇ δεκάτῃ Περσικῶν τινὰς ἐν τῇ χώρᾳ γίγνεσθαι, αἳ ἔχειν τρίχας πρὸς Μιλήσια ἔρια τῇ μαλακότητι· ἐκ δὲ τούτων τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς ἄλλους δυνάστας τὰς ἐσθῆτας φέρειν. *Ctesias Persicorum lib.* x. (refert) *in ea regione esse camelos, quorum pili mollitie lanas Milesias æquent, sacerdotesque & alios proceres vestes ex iis confectas gestare. Ita in imperio magni Cham in urbe Calacia metropoli provinciæ Targuth inveniuntur panni, quos Zambilotte vocant, de lana alba & camelorum pilis contexti, quibus vix pulchriores in mundo inveniuntur.* Hæc *Paulus Venetus* lib. I. cap. 36. & rursus cap. sequenti, ubi de terra Gog & Magog. *Fiunt ibi Zambilotti*

lotti de pilis camelorum. Cujusmodi pannos proprie significat vox vernacula Camelos, quamvis sumatur hodie latius.

XV. Camelorum lac & carnem inter cibos multi commendant. Philosophus Hist. lib. VI. cap. 26. Ἔχει δὲ καὶ τὰ κρέα καὶ τὸ γάλα, μέχεις οὐ ἐν γαστεὶ λάβῃ, ἥδιστα πάντων. *Carnem habet & lac camelus, donec concipiat, omnium suavissima*. *Plinius* lib. II. cap. 41. *Cameli lac habent, donec iterum gravescant; suavissimum hoc existimatur, ad unam mensuram tribus aquæ additis*. Et lib. XXVIII. cap. 9. *Dulcissimum abdominis* (lac) *camelinum*. *Diodorus* ubi supra. Αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι, καὶ κρεοφαγούμεναι πόλλην παρέχονται τοῖς ἐγχωρείοις δαψιλέιαν. *Camelorum aliæ lac præbentes, & caro earum comesa lautum incolis cibum suppeditant*. *Hieronymus* in Jovinianum lib. II. cap. 6. *Arabes & Saraceni, & omnis Eremi barbaria camelorum lacte & carnibus vivunt*. *Herodotus* in Clio, ubi de Persarum die natali. Ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βοῦν καὶ ἵππον καὶ κάμηλον, καὶ ὄνον προτιθέαται ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι. *In qua qui in iis sunt locupletes, bovem, & equum, & camelum, & asinum solidos apponunt in furno coctos*. Quin ipsis quandoque regibus oblatus est hic cibus. *Antiphanes* in Œnomao apud *Athenæum* lib. IV.

> ——— ὁ μάγειρος ὅλον
> Τέρας ὀπτήσας μεγάλῳ βασιλεῖ θερμὴν
> παρέθηκε κάμηλον
> ——— *coquus solidum*
> *Monstrum coquens, magno regi calidum apposuit camelum*.

Lampridius in Heliogabalo. *Comedit sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum*. Item. *Struthionem, & camelos exhibuit in coenis aliquoties, dicens, præceptum Judæis, ut ederent*. Imo utrunque Judæis interdicit legislator disertissimis verbis.

XVI. Concursum gentium in Ecclesiam ab Esaia his verbis significari plerique volunt *Esai*. XL. 6. *Turma camelorum operiet te, cameli juniores Madian, & Epha omnes e Seba venient, aurum & thus offerent, laudesque Domini prædicabunt*. Alii ad Christum ipsum pie referunt, quasi hæc prophetia jam tum impleri cæperit, cum magi ex illis partibus, nisi conjectura fallit, Christo adhuc infanti thus & aurum abtulerunt. Quo mire faciunt hæc *Kimckii*. *Propheta id sibi vult, mercatores camelis, thus & aurum venalia conversuros, atque etiam* למנחה למלך משיח *in oblationem regi Christo*. Magos tamen potius fuisse Persas, cum ex ipso magorum nomine colligitur, quod Persicum est, tum est eorum situ, quia ex oriente venerunt, ubi Persæ, cum Sabæi sint ad austrum. Turma camelorum simul iter facientium Hebraice est שפעת גמלים *Chaldæus* habet שירת i. e. سيار *caravanam* sic vocant Arabes quia سير est *iter facere*: Syrus ܐܒܠܐ voce deducta ex ابل i. e. *camelo* Arabs قطاران quod proprie significat seriem camelorum; معطرين *pice signatorum*, ut nimirum internoscantur. *Cameli juniores Madian & Epha*. urbs notissima fuit in litore maris, ut *Josephus* Antiquit. lib. II. cap. 5. *Eusebius* in locis, *Hieronymus* in locis, *Geographus Nubiensis* Clim. III. part. 5. & alii docent. Huic Epha עיפה vicina fuit in provincia Madianitide, quod tam ex hoc loco colligitur, quam ex *Genes*. XXV. 4. & I. *Chron*. I. 33. ubi עיפה *Epha* hujus conditor legitur fuisse filius Madianis primogenitus. Nempe עיפה *Epha*, vel *Hipha* est Græcorum ἵππος. *Ptolemæus* montem & pagum hujus nominis describit in eodem litore infra Madianem, quomodo Madian appellat. *Epha* עיפה Arabice خيفه *Chaipha*, quomodo scribit *Alcamus*. Ita Græce Γαφὰ vel corrupte Γαιφάρ. Chaldæus הולך. An quia in Hebræis עיף unde עיפה حلد *halada est æstu & siti laborare* ita Arabibus: Ut ut sit merito camelos propheta describit venientes ex Madian & Epha, cum nullibi sint frequentiores, quam in Madianitide. Vid. *Judic*. VI. 5. & VII. 12. Porro hi cameli בכרי bicre vocantur i. e. *cameli juniores* a singulari בכר cujus fœmin. בכרה. Hinc *Jerem*. II. 23. בכרה קלה משרכת דרכיה *Cita camelu junior implicans via suas*. Ita interpretor ex Arabismo vocem, quæ tam veteres quam novos interpretes torsit: *Damir* البكر *Albecro junior est camelus; fœmininum est bicra, & plurale bicar*. *Abnabida* البكر *Albecro in camelis id est quod in hominibus adolescentes, & albicra idem quod puella*. *Alcamus* البكر والبكر *Albocro & Albecro camelis pullus aut qui junior est, aut a biennio ad quinquennium*. *Baal Aruch* rem ita definit. לומל ג׳ שמות בלשון ערבי כשנולד קורין לו אלקעוט וכשגדל לזכר בכר ולנקבה בכרה כשראויה למשאוי קורין לזכר גמל ולנקבה נאקה: *Camelo tria sunt nomina lingua Arabica, cum nascitur* (imo cum ablactatur) *vocant alkaiit* (imo

العقود *alkaiid* i. e. ad insessum idoneus) *& cum adolevit, mas dicitur becron, & fœmina bicra, & cum oneri ferendo par est, mas vocatur gemel, & fœmina naka.* His accedat usus Arabum, بكر *becron* sæpe usurpant pro camelo juniore, & opponunt camelo الحله i.e. perfectæ ætatis. Cum ex iis quæ citavimus abunde constet, quid sit בכרי in *Esaia* & בכרה in *Jeremia*, *Aben Ezra* non audiendus est qui *beth* in בכרי servile esse vult. Sed neque id placet quod *Kimchio* בכרי sunt *cameli lactentes*, & בכרה *camela lactens*, cum utrumque usurpatur de camelis viatorum ad iter accinctis, in quem usum cameli non adhibentur, antequam ablactati sint. Sed præterquam nonnulli Arabum pronuntiant بكر & بكره quandoque eo sensu sumi, puto me aliud videre quod fefellit *Kimchium*. In *Jeremia* pro בכרה *bicra Chaldæus* habet ינקא *lactentem*. Ita legere est in *Kimchio*, & codicibus excussis, in quibus incidi, sed errore manifesto. Omnino enim pro ינקא scribendum נקא Jod initiali omisso. Camela sic nominatur in *Megillath* איכה. Talmudici scribunt נקה vel נאקה ut Arabes ناقه. Misna in tractatu de *Sabbatho* cap. V. במה בהמה יוצאה ובמה אינה יוצאה הגמל באפסר ונאקה בחטם: *Cum quo egreditur jumentum* (die Sabbathi) *& cum quo non egreditur? Camelus* σὺν τῷ φαλίῳ *cum freno, & naka* (camelus fœmina) *cum annulo narium*. In scriptis Arabum nulla vox est frequentior. Sed imperiti scribæ vocem, quam ignorabant, corruperunt, & ex נקא *naka* fecerunt ינקא *janka*.

Non absimili de causa hoc ipso loco in Græcis exemplaribus *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis* pro δρομὰς κέφη mendose scriptum δρομεὺς κέφη, quod Grammatica non patitur, quia δρομεὺς *cursor* nunquam est generis fœminini. Hinc tamen *Vulgatus* interpres pro *dromade cursorem* habet & *Hieronymus capream*, quasi *caprea* dicatur δρομεὺς ab agilitate cursus, quod nusquam legi. Sed iisdem in *Esaia* בכרי sunt dromedarii, & Chaldæo הוגיי *bogue* quæ sunt camelorum species, ut postea dicetur; Quæ quidem versio commodior est, non tamen satis expressa. Neque enim בכרי certam speciem, sed certam cameli ætatem significat, uti docuimus. *Syrus* ܒܘܟܪܐ *primogenitus* quasi legerit in Hebræo בכורי *Arabs* حمال ut *Græcus* quem sequitur καμῆλοι. Sic *Ezech.* XXVII. 21. Græci habent καμήλους pro Hebræis בכרים *becarim* i. e. *in agnis*, quia aliis vocalibus legerunt בכרים. De cetero planum est, cur camelus junior dicatur; verbum بكر *bacara* Arabice proprie significat *præcurrere*. Inde nomen pleraque trahunt, quæ in unaquaque re prima sunt. Ut Hebraice בכור *primogenitus* & בכורה *fructus præcox* ut בכורים *primitiæ* & *Syriace* ܒܟܘܪ *tempestiva pluvia* & *Arabice* بكار *virginitas* بكره *matutinum tempus*, quod Hebræi בקר scribunt levi mutatione. Itaque minus mirarer, si seniores (quos *Jerem.* II. 23. multum ab Hebraica veritate discordare recte observat *Hieronymus*) vocem בכרה retulissent ad matutinum tempus. Sed eam cur ὀψὲ *sero vespera* contrario sensu verterint, nullus capio. An quia cum vespera Hebræis sumatur pro tota nocte, vesperæ terminus incipit in matutini temporis initio, ita ut τὸ λυκόφως ad utrumque referri posset, quia est in utriusque temporis confinio? Nempe cum nostro sermone vespera & mane nihil sint quam extrema diei artificialis a se invicem multum dissita. *Vespera & mane Genes.* I. 5. proponuntur ut integrantes naturalis diei partes, quæ totam conficiunt: *Et fuit vespera & fuit mane dies primus*. Hinç totum νυχθήμερον *Dan.* VIII. 14. vocatur Hebræis ערבבקר & eadem vox נשף ὀψὲ *vespera* redditur *Esai.* V. I. Et πρωὶ *Job* VII. 4. Ex iis quæ diximus, *Matthæus* XXVIII. I. *Job.* XX. I. *Marc.* XVI. 2. & cum aliis Evangelistis, & ipse secum videtur posse reconciliari, quo loco ὀψὲ vesperam appellat τὴν ἐπιφωσκούσαν *diem illucescentem*. Ibi enim ὀψὲ non præcise vesperam, sed noctem in genere significat, eamque jam recedentem, ut illucescenti auroræ locum faciat. Huc facit *Gellii* locus lib. VII. cap. 21. *Tempora duo, cum inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misuratur, non refert utrum per extremitatem prioris an per initium sequentis locus ipse confinis demostretur*. Hunc nodum aliter solvit *Dilherus* in dissertatione *de passione, sepultura, & resurrectione Dominica* sect. 15. Illum consule, si vacat.

XVII. Camelorum tres species a *Leone Africano*, & a *Marmolio* recensentur, nempe *bugiun*, *becheti*, & *raguahil*, de quorum singulis dicere non erit plane extra rem. De primis ita *Leo*. *Primi hugiun nuncupati crassi sunt ac proceræ staturæ, clitellisque gerendis aptissimi, verum ante quadriennium inutiles. Quo exacto* me-

mediocris quisque camelus mille libras Italici ponderis gestat. Cum sarcinis onerantur, genibus & collo, virgula ictus, in solo recubans, & cum pondus sufficiens agnoscit, seipsum erigit. Eadem in *Marmolio* reperies de camelis *Elbegin* dictis, nisi quod addit. *Dum onerantur, semper runcinant, & cum sunt juniores, boant, atque impositum esse onus cum sentiunt, & camelarium armillam e fune dimisisse, qua duplicata manu illos sistebat, se cum fune statim erigunt.*

Secundum genus camelorum (inquit *Leo*) Bechetos *vocant. Hi duos habent gibbos, oneribus gestandis, & equitationi pariter accomodos, cujusmodi Asia saltem producit.*

Becbet Arabice scribitur بختو *Becht* vel بختية *Bechtia* Plur. بخاي *Bechati*. Bactrianos camelos intelligo de quibus Philosophus Hist. lib. II. cap. I. Διαφέρουσι δὲ αἱ Βακτρίαι τῶν Ἀραβίων: αἱ μὲν γὰρ δύο ἔχουσιν ὕβους, αἱ δὲ ἕνα μόνον. *Differunt autem Bactriani Cameli ab Arabicis. Illi enim duos habent gibbos, hi unum solum.* Et *Plinius* lib. VIII. cap. 18. *Bactriani & Arabici differunt, quod illi bina habent tubera in dorso, hi singula.* Quod *Solinus* perperam invertens inquit; *bina tubera in dorso habent, singula Bactriani.* Quamvis *Diodorus* ubi de Arabia lib. III. Πλεῖστα δὲ καὶ διαφορώτατα γένη καμήλων τρέφει, τῶν τε ψιλῶν, καὶ δασέων, καὶ διπλοῦν ἀνατεταχότων τὸ κατὰ τὴν ῥάχιν κύρτωμα, καὶ διὰ τοῦτο Διτύλων ὀνομαζομένων. *Multa camelorum alit ac diversissima genera, quorum alii depsiles, alii hirsuti sunt, aliis tuber duplex, supra dorsum eminet, unde vocantur Dityli.* Nempe τύλη *Hesychio* est τῆς καμήλου ἀπὸ (lege ἐπὶ) τῆς ῥάχεως τὸ ἄκρον δέρμα *Cameli supra dorsum suprema cutis.* Nascitur etiam hoc cameli genus in Sindica regione prope fluvium Indum. *Alcamus*. العالج الجمل الضخم السنامين : يحمل من السند للعجلة *Alphalig camelus obesus, duplici gibbo, quod e regione Sindica ad currus adducitur.* Pullus vocatur خرمل *Kirmal*. *Damir* العرمل ولد البختي : *Kirmal Pullus Albechti*. Item Plur. العرمل الابل ذوات السنامين *Alcharmilo cameli duplici gibbo*. In *Camo* idem cameli genus vocari videas دلعامج *dubamig* & عصعوري *usphuri* & دعوس *Kirus*. Quinetiam עלל *Hebraice* est *racemare*, & Arabice *fructus legere*, & in genere *iterare*. Ita de colore δίβαφον, de pluvia بعلرل posteriorem illam significat, quæ *Hebraicæ* dicitur מלקוש; & de camelo illum cui duplex est & quasi repetitus gibbus.

Tertium genus (ait *Leo*) *patria lingua* raguahil *dictum, gracilibus, exiguæ staturæ camelis constans, qui sarcinis gerendis inferiores, reliquos tanta sui pernicitate superant, ut diei unius spatio amplius centum passuum millia conficiant, iter modico viatico ad dies octo vel decem per deserta perpetrantes, quibus nobiliores Numidiæ Arabes, & Afri Libici uti solent. Cum rex Tambuti magna celeritate alicujus momenti negotium Numidis Mercatoribus indicare cupit, nuntius camelo istiusmodi insidens, Tambuto Daram, vel Segelmessam nongentis passuum millibus dissitam, octidui ad summum spatio procurrit &c.* Græci a cursu Dromades appellabant. *Diodorus* lib. III. Αἱ δὲ ἀνάκωλοι καὶ λαγαραὶ ταῖς συστάσεσι δρομάδες εἰσί, καὶ διατείνουσι πλεῖστον ὁδοῦ μῆκος. *Breves autem, & constitutione graciles sunt dromades, & longiorem viam emetiuntur.* Idem alibi in eodem libro de Arabibus. Τὴν ὅλην χώραν περιπολοῦσιν ἐπὶ τῶν δρομάδων καμήλων. *Totam regionem circumeunt super camelos dromades.* Et lib. IX. Διατείνει τὸ ζῶον τοῦτο σταδίους οὐ πολὺ ἐλάττους χιλίων πεντακοσίων. *Hoc animal per diem conficit fere millia & quingenta stadia.* *Zosimus* lib. I. Αἱ δὲ καμήλων εἰσὶ τάχισται, καὶ ἵππους ὑπεραίρουσαι τάχει. *Hæ camelorum sunt velocissimæ, & equos celeritate superant.* *Philostratus* lib. 2. cap. 3. Καὶ καμήλους δ' ἐνίους ἦγον, αἷς χρῶνται Ἴνδοι ἐς τὰ δρομικὰ πορεύονται δὲ χίλια στάδια τῆς ἡμέρας. *Camelos adducebant, quibus ad expeditiones utuntur Indi, hi singulis diebus mille studia conficiunt.* Tam eximiæ celeritatis exemplum affert *Strabo* lib. XV. ubi eos legas, quos a Drangis Ecbatana misit Alexander ad Parmenionem conficiendum ἐπὶ δρομάδων καμήλων *camelis dromadibus vectos iter dierum triginta aut quadraginta etiam* ἑνδεκαταίους διανύσαι *undecim diebus peregisse*. Merito igitur dromas in Talmude tractatu *Maccoth* vocatur גמלא פרחא *camelus volans* quia est cursu velox instar avium volantium, ut ibi habet Glossa.

Arabice dicuntur رواحل *ravvahil* vel *raguabil*, ut scribit *Leo*, & *Marmolius* a clitellis quæ imponuntur. *Damir* الراحلة *Alrahila* ut dicit *Giahuri* est رواويه رعلامه *camelus qui clitellis* ferendis aptus est, & idem est *rabul*; dicitur *rabila* fœminina terminatione camelus, quicunque equitatur, sive mas, sive fœmina.

Sunt & alia dromadum nomina quamplurima in usu apud Arabes. In his

دمس *damascus* a loco est درور derur حيطف *Chaitaph* ab avibus videntur ducta, quia דריר *deror* palumbus Hebræis, حطاق *chitaph* hirundo sunt aves citissimæ volatu دروج a motu دراج i. e. cruris auterioris, quod in obviis camelis maxime conspicuum est عحنوف *procella* & بردیان *quasi sagittæ* ex arcu excussæ, aut *venti sævientis impetum* imitetur. Utrumque enim verbum ولو *Arabes* passim offerunt موارة quasi fluat potius quam gradiatur. Nam مور fluere ut دبان quia دبن *præceps fertur instar torrentis*. Proinde etiam Hebræis רפק est *accelerare Genes.* XXIII. 13. وكرى a saltu & cursu. Arabice sc. وكر *saltare currere* est; dicitur pro camelo.

Hoc non observo de nihilo. *Esai.* LXVI. 20. prædicatur fore, ut Hierosolymam gentes undequaque confluant in equis, & in curribus, & in lecticis, & in mulis, ובכרכרות & *in Circaroth*; quæ vox valde est ambigua, & incertæ significationis. Græcorum enim alii σκιάδια *umbracula*, alii φορεῖα *vehicula* explicant. *Hieronymus carrucas*. *Syrus omisit*. *Arabs* ظلالان σκιάδια Græcos sequutus. *Chaldæus* תשבחן *laudes* reddidit. *R. Selemo cantica laudantium*, & מכרכרין *saltantium*. *R. Menachem* כבשים *agnos*. *Aben Ezra*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas camelos*, aut *dromades* interpretantur. His accedo libentius, quia series orationis prope requirit, ut de camelis agatur. Cum sc. alios in curribus, alios in equis, & mulis dicat *Esaias* Hierosolymam confluxuros, reliquam erat, ut adderet, alios item in camelis, vel dromadibus venturos. Neque enim verisimile est prophetam hic prætermisisse tam nobile jumenti genus & in oriente tam recepti. Sed origo vocis non constat. *Kimchius* deducit a verbo כרכר *circer saltare* 2. *Sam.* VI. 14. *quia* (inquit) *cursus dromadum tantæ est agilitatis, ut saltum mentiatur*. At secundum *Aben Ezra* geminum est vocabulum a simplici כר *car* quo cameli præstans genus significari asserit. Quia כר Hebræis est aries aut agnus. *Amos* expresse dicit כרים esse מצאן ex ovillo genere cap. VI. 4. Atque ab Hebræis ad Jonas transiisse hoc vocabulum ex his *Hesychii* colligas. Κάρ πρόβατον. Κάρα Ἴωνες τὰ πρόβατα. Unde videtur Caria dicta. *Cicero* lib. I. de divinatione. *Arabes autem & Phryges, & Cilices quod pastu pecudum maxime utantur &c. Tum Caria tota*. Et Καρὶς alterum nomen insulæ Co apud *Stephanum* & *Eustathium* in Iliad. β' quia eodem autore insula erat πολυθρέμμων, & celebris δι' εὐβοσίαν. Hinc *Callimachus* hymno in Delum illam cum Delo conferens

> Νῆσος ἐπεὶ λιπαρὴ τεκαὶ εὔβοτος εἴ νύ τις ἄλλη
>
> *Pascua si qua alia est, atque uberis insula glebæ.*

Objicit quidem *Aben Ezra* כר pro camelo sumi, vel pro cameli pullo *Genes.* XXXI. 34. *Esai.* XVI. 1. & LX. 6. Sed ubique fallitur. *Esai.* LX. 6. jam docuimus beth initiale in voce בכרי *bicre* radicale esse, non servile, ut ille putat. In *Genes.* כר הגמל non est cameli pullus, sed cameli stramentum, vel clitellæ. Hebræi summo consensu עבית & מרדעת explicant, pro quo Arabes scribunt بدعه beth pro mem initio vocis. Denique *Esai.* XVI. 1. כר agnum esse vel arietem patebit legenti locum. In eo Moabilitas alloquitur propheta, qui olim Davidi, & Salomoni, & post divisum regnum, Israelitarum regibus certum agnorum & arietum numerum pro tributo solverant. (vid. 2. *Sam.* VIII. 2. & 2. *Reg.* III. 4.) Sed cum sub Achabo Mesa rex Moab excusso jugo se & suos ab hoc tributo liberasset. 2. *Reg.* I. 11. & III. 5. nunc eos propheta monet, ne Judæorum jugum amplius detrectent, si sibi consultum velint in brevi futura suorum clade. *Mittite* (inquit) *agnum* (imperatum agnorum numerum) *dominatori terræ* (regi Judæorum) *a petra deserti* (ab Aroer, seu Rabbath-Moab metropoli Moabitarum in petra sita) *ad montem filiæ Sion*) id est Hierosolymam.

Itaque כר pro camelo scriptura nunquam usurpat, sed *Arabice* in *Alcamus* كره *carb* est الحمل السديد est *camelus strenuus*: Et كرى *caria* verbum i.e. *vehementer cucurrit*, *vehementer saltavit* ad camelos sæpe transfertur, ut cum dicunt de camelo fœmina كربن برحليقا *cariath pedibus suis*, i. e. دلبه ثافي العدو *invertit eos in curru suo*; Et vicinum huic verbum وكرن الباده idem sonat, & وكري بده est *camela velox*. Et وكر de ca-

caprea & *insilire* وكار *cursus & saltus*. Quo videntur alludere Hebræi כרכר & כרכרות, quorum hoc *camelos dromades*, illud *salire* significat.

XVIII. *Levit.* XIX. 19. interdicuntur jumentorum heterogenea. בהמתך לא תרביע כלאים : *Jumenta tua ne coire facias cum alterius generis animantibus*. Ubi *Sipbra* 45. 2. אילו נאמר בהמתך לא תרביע כלאים יכול לא יאהוז בבהמה ויעמדינה לפני הזכר תל׳ כלאים לא אמרתי לך אלא משום כלאים אין אלא בהמתך על בהמתך מניין בהמתך על בהמה אחרים בהמה אחרים על בהמתך בהמת אחרים על בהמת אחרים מניין תל׳ את חוקותי תשמורו אין לי אלא בהמה על בהמה בהמה על היה וחיה על בהמה מניין טמאה על טהורה טהורה על טמאה מניין תל׳ את חוקותי תשמורו : Si non dictum esset. *Jumenta tua ne coire facias cum alterius generis animantibus*. Crederem quod non posset apprehendere animal, & statuere coram masculo? Idcirco dictum est כלאים. Tibi non dixi nisi propter heterogenea. Non probo nisi de jumento tuo cum jumento tuo, unde probatur de jumento tuo cum jumento alterius, & de jumento alterius cum jumento tuo, de jumento alterius cum jumento alterius? Ex eo quod dictum est: *Statuta mea custodietis*. Ut probo nisi de jumento cum jumento, de jumento cum fera, de fera cum jumento unde probatur? de animali immundo cum mundo, de mundo cum immundi unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Statuta mea custodietis*. Gemara Hierosolymitana *Celaim* 31. 3. בהמה עם בהמה כו׳ יכול לא יהא מעמיר זכרים אצל הנקבות ונקבות אצל זכרים תל׳ בהמתך לא תרביע אין את אסור אלא מלהרביע אבל מעמיד את זכרים אצל נקבות ונקבות אצל זכרים: Jumentum cum jumento &c. Crederem, quod non liceret sistere masculos coram fœminis, neque fœminas coram masculis? Idcirco dictum est. *Jumenta tua ne coire facias*. Non est vetitus nisi coitus. At poteris sistere masculos coram fœminis, & fœminas coram masculis.

Asseritur loco citato Gemaræ contra communem sententiam non licuisse equitare in mula. איסי בן עקיבא אומר אסור לרכב על גבי פרדה מקל וחומר ומה אם בבגדים שאת מותר ללבוש זה על זה את אסור בתערובתן בהמה שאת אסור לנהיג בה בזו עם זו לא כל שכן את אסור לרכוב עליה והא כתיב וירכיבו איש על פרדו וינוסו אין למדין מן המלכות והא כתיב והרכבתם את שלמה בני על הפרדה אשר לי בירייה מששת ימי בראשית היתה: Isi ben Akiba dicit: Vetitum est equitare in mula; & probatur argumento a minori ad majus. Si in vestibus, quas tibi licet induere alteram post alteram, tibi earum heterogenea vetita sunt; Jumentum, quod tibi vetitum est in rheda conjungere alterum cum altero, nonne multo magis tibi erit vetitum equitare? Atqui scriptum est 2. *Sam.* XIII. 29. *Et insedit quisque mulo suo, & aufugerunt*. At non est argumentandum ex regno (id est quod solent facere reges, & eorum filii) Atqui scriptum est 1. *Reg.* I. 33. *Et equitare facietis Salomonem filium meum in mula, quæ est mihi*. At illa creta fuit ab die sexto creationis.

Pretærea in Misna *Celaim* cap. VIII. 3. rhedario, qui currui alligaverit duas bestias heterogeneas, inflictas fuisse quadraginta plagas. המנהיג סופג את הארבעים והיושב בקרון סופג את הארבעים ר׳ מאיר פוטר והשלישית שהיא קשורה לרצועות אסורה : Rhedarius quadraginta plagas luit, & qui in rheda sedet, quadraginta plagas luit. R. Meir absolvit. Tertium helciis alligari non licet. Ubi Gemara loc. cit. ר׳ חמא בר עוקבא בשם ר׳ יוסי בי ר׳ חנינה אמר המנהיג קולו בכלאים לוקה ותני כן הנהיג׳ המשנה קרא לה ובאת אחריו נתחייב בה לשלם בשאול והתני שמואל היתה עוסרת חוץ לחמום וקרא באה אחריו הרי זה פטור תמן לדעתה היא מהחכת ברם הכא על בורחה היא מהלכת והתני טיפח כנגד עינו וסימייה כנגד אזנו וחרש לא יצא לחירות א״ר לעזר בי ר׳ יוסי קומי ר׳ יוסי שנייא היא שהוא יכול לברוח תדע לך שהוא כן דהני תפש בו הרי זה חייב היושב בקרון רבנן אמרין משקל הוא ר׳ מאיר אומר אינו משקל בראשונ׳ לא היו אלא שתים דכתיב וירכב אותו במרכבת המשנה אשר לו עמד פרעה ועשה שלש דכתיב ושלשים על כולו עמדה מלכות הרשע ועשה אותן ארבעה: R. Chama bar Hocaba nomine R. Jose discipuli R. Chanina dicit; Qui regit voce sua jumenta heterogenea, vapulat. Atqui ita extat traditio. Si rhedarius illud sc. jumentum trahat, & eum sequatur, repehendere debet. De conductore agitur: Atqui docet; Si stet extra terminum, & illud vocet, & eum sequatur; Ecce tum absolvitur. Ibi sponte incedit; At hoc loco invitus incedit: Atqui extat traditio. Si percutiat contra ejus oculos, & excæcet; contra ejus aures, & surdum faciat; non exit in libertatem, i. e. non est ei faculcultas fugiendi. Dicit R. Eliesér discipulus R. Jose coram R. Jose. Diversum est; quia potest fugere. Scito ita esse; etenim si illud apprehendat, tum reus est. Qui sedet in curru; Sapientes dicunt; Onus est. R. Meir dicit; Non est onus. In principio non erant nisi duo. Scriptum est enim *Genes.* XLI. 43. Et *equitare fecit eum in curru secundo quem* ha-

habebat. Consistens Pharao fecit tres. Scriptum est enim *Exod.* XIV. 7. *Ex duces super omnes illos*. Constit regnum impium, & fecit quatuor.

Non poterat alligari equus lateribus rhedæ; neque post rhedam, neque asinus Lybicus camelis. Misna l. c. לא קושרין את הסוס לא לצדדי הקרין ולא אחר הקרון ולא את הלובדקס לגמלים: Non alligabitur equus neque lateribus rhedæ, neque post rhedam; nec asinus Lybicus alligabitur camelis. Ubi Gemara Hierosolymitana. אין קושרין את הסוס לא לצדדי הקרון ולא לאחר הקרון תני ר' מאיר פוטר אם היה מסיעו בין במעלה בין בירידיה הכל מודין שהוא אסור א"ר יוחנן מפני שזה נושא עצלותו של זה וזה נושא עצלותו של זה רב אמר מפני שנשואין את הקבל שבנתים ר' ירמיה בעי קשרן בשערן מה נן קיימין אם בשקשרו בשערו כך אנו אומרי' אסור להרכיב בהמה על גבי חבירתה אם בשקשרו החבל בשערו נאמר מפני שהן נושאין את החבל שבינתים ר' יונה אמר איתפלגון רב ור' יוחנן ר' יוחנן אמר מפני שזה נושה עצלותו של זה וזה נושא עצלותו של זה בר אמר מפני שהן נושאין את החבל שבנתים מה נפק מביניהון קשרו בשערו בין על דעתי' דרב בין על דעתי' דר' יוכנן מאן דאמר ליבדקס שם ליבוי על שם לובים וכושים במצריו פטיר ולא הליבדקס אית תניי תני ניבדקוס מאן דאמר ניבדקוס אבחטם מהו אבחטם חמר סלק ר' יונה ר' הושעיא בעי גרים הבאים מליבוי מהו להמתין להן שלש' דורות א"ר יונה בוצרייה מן מה דאנן קמי ההן פולא מצריי כד רטיב אינון צווחין ליה לובי כד הוא נגיב אינון צווחין לה פול מצריי הדא אמרה גר מלובי צריך להמתין ג' דורות הדא אמרה היא לוב היה מצרים ר' יצחק בר נחמן בשם ר' הושעיה הלכה כדברי התלמיד: Non alligabitur equus rhedæ neque post rhedam. Traditio. R. Meir permittit; si opis sit in adscensu, & in descensu, omnes conveniunt, quod sit vetitum. Dicit R. Jochanan; quia alter alteri, & alter alteri affert pigritiam. Rab dicit; eo quod sibi inter se læsionem afferant: R. Jeremia vult, ut suis comis alligentur. Quomodo nos explicabimus: Si comis suis alligentur? Sic nos dicimus vetitum esse jumentum super altero jumento insidere. Si comis suis alligentur, dicetur; eo quod sibi invicem læsionem afferant. R. Jona dicit: Dissentiunt Rab & R. Jochanan. R. Jochanan dicit: eo quod alter alteri, & alter alteri pigritiam afferat. Rab dicit: eo quod sibi invicem læsionem afferant. Quid eruitur ex eorum sententia? Si comis suis alligentur, tam ex mente Rab, quam ex mente R. Jochanan, erit licitum. Nec asinus lybicus: Est qui legit ניבקוס. Qui dicit לבדקס, quod nomen patronymicum est ita dicit a nomine proprio: *Lybies & Æthiopes in comitatu ejus*. Dan. XI. 43.) Qui dicit נידקוס est mulus: Quid significat אבחטס asinus sterilis. R. Jona, R. Jehosua quæsierunt: Si veniant proselyti ex Lybia; num illis expectandæ sunt tres generationes? Dicit R. Jona Bozaria. Probatur eo, quod quando videmus fabam Ægyptiam, si virens sit, exclamamus; Lybica est. Quando arescit; exclamamus; Jaba Ægyptia est. Hoc dicit: Proselit: Lybico expectandæ sunt tres generationes. Hoc dicit; Idem est Lybicus, ac Ægyptius. R. Isach bar bar Nachman nomine R. Jehosua; constitutio est juxta verba discipuli: A *Guisio* hic locus, qui obscurus est hac nota illustratur. *Asinus Lybicus*. Ita in Gemara Babylonica *Shab.* 51. 6. לובדקס exponitur חמרא לובא *asinus* Lybicus. Inde *Maimonides* פי' חמר בארץ לובים ישבה אלגמאל: interpretatur. *Asinus in Lybia camelo similis*. Vox ipsa, ut in his fieri amat, multifariam scribitur. Nam præter לבדקס vel לובדקס quod in utroque Talmude, in Rabbinorum commentariis, in Lexicis *Nathanis*, & *Tanchumi*, & in MS. habetur, atque לובדקים vel לובדקס, quod in multis Misnæ editionibus cernitur, in veteri Tosaphta legitur לפרקים, in *Isaaco Fessano*, & commentariis ad eum Rabbenu *Nissimi* לובדקס, in constitutionibus parvis Aserianis דולבקי denique quod *Genes.* XXXII. 15. pro Hebræo עיירים in Chaldea Paraphrasi Hierosolymitana לוורין דקין vel לורין דקין, vel ולרין דקין legitur in tribus editionibus Londinensi, Hanoviensi, & Veneta, & in *Pseudo-Uzielidis* paraphrasi (quæ eadem Hierosolymitana vetustioribus audit.) ילרין דקין in editionibus Veneta & Londinensi, sed in Hanoviensi לווקרין, id ex Paraphrasi Hierosolymitana לברקין citatur *Nathani*, *Tanchum*, *& Philippo Aquinati* Lexicographis. Eliæ in Lexico Chaldæo לברקין R. *Samsoni* autem in commentariis ליבקסין, quæ omnia videntur ejusdem vocis σφάλματα. Nec vero recens dubitatio est de vera hujusce vocis lectione, sed varia lectio jam olim advotata est in Gemara Hierosolymita ולא הליבדקס אית חניי תני ניבדקס מאן דאמר ליבדקס שם ליבוי על שם לובים וכושים במצעריו מאן דאמר ניבדקיס אבחטם מהו אבחטם חמר סלק: Ita legitur in Gemara *Celaim* ad hanc Misnam, sed ad *Shab.* V. 1. ubi eadem recurrunt, paulo aliter; Nam pro ניבדקים bis ibi legitur לנדקס & pro אבחטם bis אמכטוס omissis etiam illis שם ליבוי (ubi ליבוי mendosum est pro ליווי) i. e. *nomen patronymicum* quod ex glossemate videtur irrepsisse. Eadem hæc citantur a R. Na-

Nathane in Lexico, qui pariter illa omittit, & pro ניברקוס bis habet ניברקוס & pro אבחטם bis אבחנוס. Hanc lectionem meliorem judicat *Coben de Lara*, qui observat id facile committi a Librariis, ut pro elementis נ & ו coalescentibus scribant præsertim in exoticis ט adeoque in fine vocis agnoscit ὄνος. De cetero desperat. Quod ad me attinet nullus dubito, quia אנחנוס multo rectius sit quam vel אמבטוס, vel אבחטם. Illud autem miror solitam *Cohenis* ἀγχινοίαν eum hic destituisse, ut non videret levi adhuc mutatione opus esse, quam etiam mendum illud אמבטוס suggessisse potuit, & pro אבחנוס legendum אמחנוס i.e. ἡμίονος. Sic ergo locum verto: Neque ליבדקס. Sunt qui legunt. ניברקים. Qui ליברקס dicit (quod nomen patronymicum est) ita dicit a nomine proprio (ut in *Dan.* XI. 43.) *Libyes & Æthiopes in comitatu ejus*. Qui dicit ניברקים intelligit ἡμίονος. Quid est ἡμίονος? Asinus sterilis. Atque hæc illi. Qua autem ratione ליברקס patronymium esse possit a Libybus vel quo pacto ניברקס mulum significet, fateor, me latet. Dubitavi aliquando an non potius pro ניברקס rescribendum esset נומרקס ם pro ב ut in אבחנוס i. e. Νομαδικὸς *Numidicus* atque eo intelligeretur tertia illa camelorum species, quibus *nobiliores Numidiæ Arabes, & Afri Libyci uti solent*, ut habemus in *Leone* Africano. *Raguabil* appellari asserit. Sed legendum *Raguabil* id est رواحل. De hoc autem nihil statuo. Quod ad alteram vocem לבדקס, vel ut *Elias* habet לברקין, *Bochartus* rescribendum suspicatur לודברקין atque illos interpretatur *asinos e terra Lud;* quomodo etiam *Bertinorius* expressis verbis ad Misnam hanc, & ad *Shab.* v. 1. *Nam* βελκος (*inquit*) *pro asino vox Africana est, quam e Libybus acceperunt Cyrenæi. Hesychius*. Βελκὸν, ὄνον Κυρηναῖοι βάρβαρον. Sed ab istiusmodi vocum compositionibus, quibus semper fere indulget *Bochartus*, quammaxime abhorreo, ut a linguarum Orientalium genio plane alienis. Si in βελκὸς quærendum sit Misnæ לברקס, & Paraphrastæ דברקין, illam ipsam vocem ut in *Elia* scribitur לברקין legitimam agnoscerem. Tantummodo Arabum articulus ל præfigitur i. e ال. Nam primum elementum, quod in puriori Arabismo usurpatur, essentiale non esse, & ab aliis omitti autor est insignis Arabum Grammaticus *Sibavæus*. Sic pro לברק esset ὁ βελκὸς. Utrumque, ut equidem puto, idem quod البراق jumentum, quo Mohammedani prophetam suum in cœlum nocturno itinere subvectum scriptitant. Illud *Bocharius*, celebris ille traditionum Mohammedicarum compilator, fuisse asserit دابة فوق الحمار ودون البغل *jumentum asino majus, mulo minus*. Atque hæc quidam si admittatur lectio Eliana. Ad cum in Talmudicis potius habeatur לורדקס vox illa ex terminatione Græca magis videtur quam Arabica. Græca autem quod sciam, nulla magis accedit, quam λέπαργος, quæ lectionem *Tosaphta* לפרקים quam proxime exprimit. Est quidem λέπαργος adjectivum, quod bovi, vel alii cuilibet animali, quod λυπάρας, vel λαπάρας ἔχει λευκὰς, i. e. αἰγὰς ut ex *Hesychio* in λεπαργοῦβος, ubi scribendum λεπάργου βοὸς, & ex *Eustathio* ad Odiss. β'. constat. Eadem autem vox etiam substantive ponitur pro asino propter ilium vel abdominis albedinem, ut in dipsadis descriptione apud *Nicandrum*, ubi fessi mortales juventutem donum a Jove recens acceptum tardo asino imponentes eo misere spoliantur.

> Νωθεῖ γὰρ κάμνοντες ἀμορβεύοντο λεπάρ-
> γῳ δῶρα

Ubi Scholiastes; λεπάργω δὲ τῷ ὄνῳ παρὰ τὸ τὴν λαγόνα ἔχειν λευκὰν. Ex hoc loco corrigendus Etymologus, qui eundem afferens *Nicandri* versum in ἀμορμεύω, sed mendose, λεπάργῳ exponit τῷ ὄνῳ, ἐπὶ γὰρ κατὰ τὴν κοιλίαν λευκόν. Huc etiam accedit, quod *Shab.* v. 1. permittitur, ut die Sabbathi foras prodeat הלוברקים בפרומביא i. e. λέπαρος μετὰ φορβαίας, vel φορβειᾶς. Gemaristæ quidem, & ex illis commentatores ridicula ibi פרומביא pro capistro quodam ferreo habent, quo igitur ferox, & immorigerum animalis genus melius contineretur. Sed φορβαία simplicissimum est capistrum, quo asinus, tardum & hebes jumentum satis tuto duci potest, & φορβαίαν quidem asino tribuit *Lucianus*.

Præterea legitur in Misna ר' יהודה אומר כל הנו לדים מן הסוס אעפ שאביהן חמור מותרין זה עם זה וכן הנולדים מן החמור אעפ שאביהם סוס מותרין זה עם זה אבל הנולדים מן סוס עם הנולדים מן החמור אסורים זה עם זה: R. Jehuda dicit. Omnes qui nati sunt ex equa, licet earum pater sit asinus, sunt inter se liciti, & similiter, qui nati sunt ex asina, licet eorum pater sit equus, inter se liciti sunt. At qui nati sunt ex equa, & asina, inter se sunt illiciti, ut copulentur. Ubi Gemara Hierosolymitana. דברי חכמים כל שין פרדות אחד ואלו הן הסימנין אר יונה כל מאזינו קטנות אמו סוסה ואביו חמור גדולות אמו חמורה ואביו סוס ר' מנא

ר' מנא מפקד לאילין דר' יודן נשיאה אין בעיתון מיזבון מולוון חוו זבנין לו אזניהון דקיקין שאמו סוסה ואביו חמור וגו' ר' בא ר' יהודה בשם רב מודים חכמים לרבי יהודה בסוס בן סוס בן חמור עם בחמור בן חמור בן סוס ר' חניי ר' זעירא בשם ר' איסת בני עזים בני רחלים אסורין זה עם זה ולא כן נן אמרין עז בן עז בן רחל עם רחל בן רחל בן עי: Ex verbis sapientum omnium mularum una est species: Et hæc sunt signa; Dicit R. Jona. Quibus sunt aures parvæ, earum mater est equa, & pater asinus. Quæ natæ sunt matre asina, & patre equo. R. Mena repetebat illis præceptum R. Jodan principis. Si vultis comparare mulas, emite illas, quibus aures sunt tenues, quia mater illis est equa, & pater asinus &c. R. Ba, R. Jehuda nomine Rab: Consentiunt sapientes cum R. Jehuda in equo filio equi, filio asini cum asino, filio asini, filio equi. R. Haggæus R. Zehira nomine R. Isath. Filii caprarum, filii ovium non possunt copulari; Nonne nos ita dicimus? capra filius capræ, filius ovis cum ove, filius ovis, filius capræ.

Misna iterum. הפרהטיות אסורות והרמך מותר ואבני השדה חיה: *Ambigenæ* originis muli illicite copulantur, licite autem burdones. Homuntaculi agrestes feris accensentur. Ubi Gemara Hierosolymitana הפרוטיות אסורות והרמך מותר כו' ר' אימי בשם ר' ליעזר רמכה דלא כלאים כמה דתימר בני הרמכים: Ambigenæ originis muli illicite copulantur, & in burdonibus permittitur &c. R. Immi nomine nomine R. Eliefer: In Burdonibus non est interdictum de heterogeneis. Dictum est enim *Esther* XIII. 10. *Filii equarum*. De mulis ambigenis satis superque dictum est, ubi de mulis. *Burdones* ex *Guisio* illustrandi sunt: Burdones (inquit) vox רמך etiam in Bibliis occurrit *Esther* VIII. 10. Ejus tamen significatio non satis nota est, & si nos assequi non valeamus, excusationem tamen merebimur, cum & ipsi Judæi, nec ii quidem recentiores, sed antiquiores etiam Gemaristæ hunc ipsum locum afferunt pro exemplo rei, quæ intelligi nequit. Locus est Megill. 18. a. ubi cum ad istam Misnam II. 1. *Barbarus qui lectum audierit Estheræ libellum Assyriace, officio satisfecit*. In Gemara objicitur, barbarum non intelligere, quid legatur. Rabina regerit. אמו אנן האחשתרנים בני הרמכים מי ידעינן אלא מצות קריאה ופרסומי ניסא הכא נמי: מצות קראה ופרסומי ניסא: *Etiam nos illud Estheræ* האחשתרנים בני הרמכים *nunquid intelligimus? & tamen lectio præcepta est, & miraculum promulgandum*. Verum cum *Abenezra* observet רמכים equas esse, & vocem ita significare in lingua Arabica, desidiosi foret istam linguam in suppetias non advocare. Arabicum مله *equam* quidem significat, non quamlibet برذون الانكي من البرادون *equam ex burdonum genere*, ut loquntur *Jabuarius*, & *Philamius*, & ex *Jabuarius Damirius* in historia animalium. Jam vero برذون βόρδων *burdo* Arabibus significat vilius equorum genus, quod Arabicis generositate cedit. *Mosarrezius* التر لدي من الخيل وهو خلاف العراب *equus Turcicus, qui Arabico oppositus. Damirius* لدنيته ابو الاخطل لدني لحطل انثيه ولعف لسير خاولعا بخلاف العراي الاعبي *Cognomine dicitur* ab Jachthal *ita dictus propter flacciditatem aurium, contra quam sunt equi Arabici*. Inde proverbia مردن الجواد *Burdo factus est equus generosus* انقل من البردواصر من الجرنت *Burdone segnior, stellione noxior*. Hæc apud *Zamachsharium*. Hinc etiam verbum برذن *burdone vel viliori equo vectus est, vel inequitavit*, ut apud eundem برذن لقيت فلانا مجيدا واخاه مبرننا obviam factus sum τῷ δεῖνι equum generosum inquinanti, & fratri ejus burdone vecto. Item *burdonis instar segnis fuit* سالته حاجه فبرذن عنقا *Petii ab eo rem quadam, sed concedere segnis fuit*. Denique ut *Zamachsharium exhauriam*, non sine fructu lectoris Arabismo dediti, idem verbum active etiam significat equum generosum burdonis instar haberem & segnem reddere, ut in illo Phalæ versu

لله درر جياد ابت سايسقا
بررنتدقا ودقا اليدجيل والقرر

Deo curæ sumto generosi isti equi quorum tu rector es
Burdones offereris, insignes licet pedum & frontis candore

Vides quomodo inter equum & burdonem distinguunt Arabes, quo egregie pertinet

لريت الا جالت بكى الخيل جوكة وانف
علي برنوتة عيرطايل

Præ

Præ te tulisti, quum circum te orbes agerent equites, & ipse in orbem currere, cum tu brevi burdone vectus esses. Si vera sunt hæc Arabum, certe magnopere fallitur R. *Tanchum* qui רמך interpretatur אלכיל אלשצילה *generosos equos* ex Arabum usu. Nec hic sequitur magistrum suum *Maimonidem*. Nam ille sic הרמך הו מן אלכיל נוע מן אנואעהא אטנה אלמתבור סנחה לאן מן אלכיל מתבררה: *Equorum species quædam est* רמך, *& ut ego quidem reor, sylvatica, nam sunt etiam equi sylvatici.* Hæc non assecutus est interpres Hebræus. Sed Estheræ locus R. *Tanchum* fraudi fuit. Sed forsan non aliud ibi significat quam quod رمكة *Phirazabadio* والبرذونة تتخذ النسل *equas vel burdones fœminas proli procreandæ destinatas* vel *equas armentarias* a Persico رمه *armentum* in plurali رمكان Deforme, degener, & vile equorum genus רמך dici potuit, vel a strigoso, & extenuato corpore ab أرمك voce nova, quod istum corporis habitum gerere significat, vel a colore obsoletiore رمكة quod colorem denotat أشد كدورة من الورقة *fuscedine obsuriorem*, ut *Phiumius* loquitur, vel ut *Zamachsharius* رمكة في سواد *fuscedinem nigredine mixtam*, colorem *plane fuliginosum*, ut intelligere est ex lepidissimo Rubæ versu

وعجبية مثل الدخلن رمكا
يخلط بالسك فيجعل سكا

Et ad adolescentulos fumi instar fuligineos, ex quibus admisso musco fiat odor *Succon dictus*. *Sucon* odor est ex atro odoramento رمكا dicto, & musco compositus. Poeta alludit ad istam compositionem, & salse insectatur adolescentulos deformes, & nigricantes, qui tamen ex musci, & odorum usu delicias captabant. Quidni enim ad equos extendatur vocabuli usus, cum in camelis ناقة & الرمك جمل *camelum marem & fœminam fuliginosi coloris* memorant *Jabuarius*, *Phiumius*, & *Phiruzabadius*. In Talmude Hierosolymitano R. Immeus nomine R. Lazari רשכה exponit דלא כלינס. nunquid *infrenis?*

Misna iterum שור בר מן בהמה ור' יוסי אומר מין חיה כלב מין חיה ר' מאיר אומר מין בהמה החזיר מין בהמה הערוד מין חיה הפיל והקוף מין חיה ואדם מותר עם כולם למשוך ולחרוש ולהנהיג: Bos sylvester generis pecuini est. R. Jose dicit: Ex genere feræ. Canis ex genere feræ. R. Meir dicit ex genere pecuino. Sus ex genere pecuino; onager ex genere feræ; Elephas & simia ex genere feræ; Homo cum his omnibus junctus potest licite arare, & trahere. Ubi *Gemara Hierosolymitana* שור בר מן בהמה בוי רבנו אסרין מיכא הוה וערק לחמן ר' יוסי אומר עוקריה מן תמן הוה הא שור עם שור בר אינן כלאים דלא כר' יוסה דרבי יוסה אמר כלאים ואילין דמתונמין ותורו בר ורבנן כר' יוסה ר' בא בשם ר' שמואל אווז עם אווז מדבר כלאים וה בזה אווז עם אווז הים תנה ר' יודה בן פזי דבר דליה ולא ירעין מאן תנה קל וחומר מה אם בשעה ששניהן ביבשה את אמר אסור בשעה שאחד בידשה ואחד בים לא כל שכן ואדם מותר בכולן חרוש ולמשוך כתיב לא תחרש בשור ובחמור יחדוי אבל חורש את בשור עם אדם בחמור עם אדם: Bos sylvestris generis pecuini est &c. Sapientes dicunt? Hinc fuit, & illuc aufugit. R. Jose dicit: Ejus fuga hinc fuit: ecce bos cum bove sylvestri non est interdictus in heterogeneis. Quod opponitur sententiæ R. Jose. Etenim R. Jose dicit: Vetitum est propter heterogenea. Et illi interpretantur bovem sylvestrem. At anser, & anser deserti, non potest copulari propter heterogenea. Anser cum ansere maritimo; docet R. Jodan ben Pazi esse tanquam anserem sylvestrem: ignoramus qui sit iste doctor. Est argumentum a minori ad majus. Quando ambo sint terrestres tu prohibes, quando alter sit terrestris, & alter maritimus, nonne multo magis? Et homo cum omnibus poterit arare, & trahere. Dictum ut enim: *Non arabis cum bove & asino simul.* Cum bove & asino non poteris arare. At poteris arare cum bove & homine, & cum asino & homine.

XIX. Hebræum דבר non solum loqui significat, sed & ordinare, regere, ducere, deducere ex Chaldæorum usu. Sic *Exod.* XXXII. 34. דבר ית עמא *Duc populum.* Ibid. XIII. 21. לדברותהון באורחא Ad ducendum eos in via. *Psal.* LXXVII. 21. דברת היך ענא עמך *Duxisti sicut pecudem populum tuum* Psal. V. 9. יי' דבר יתי *Domine duc me*. Psal. LXXX. 2. ומדבר היך ענא ארונא דיוסף: *Qui duxit tanquam gregem arcam Joseph*. *Psal.* XLVIII. 15. ידברננא בומי טליותנא *Duxit nos in diebus pueritiæ nostræ*. *Cantic.* VIII. 2. אדברנך *Ducam te*. Vid. I. *Sam.* VII. 21. *Psal.* XLVII. 4. & XVIII. 84. Inde Apis hebraice דבורה Chaldaice דבורא דבירתא דברתא דבורתא: dicitur a mirabili ordine & du-

ctu, Arabice دبر est *examen apum*. Civile & politicum est hoc animal reges habens, populos, & urbes, & prætoria. *Virgilius* Georgic. lib. IV. in principio.

> *Admiranda tibi levium spectacula rerum*
> *Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis*
> *Mores & studia & populos, & prælia dicam*

Varro lib. III. cap. 16. *Hæ ut hominum civitates, quod hic est & rex, & imperium, & societas*: Et mox. *Regem suum sequuntur, quocumque it, & fessum sublevant, & si nequit volare, succollant, quod eum servare volunt. Neque ipsæ sunt inficientes, necnon aderunt inertes: itaque insectantes a se ejiciunt fucos: quod hi neque adjuvant, & mel consumunt, quos vociferantes plures persequuntur etiam paucæ. Extra ostium alvei obturant omnia, qua venit intra favos spiritus, quam* ἐριθάκην *appellant Græci. Omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt, & opus faciunt pariter, ut & colonias mittunt. Hique duces conficiunt quædam ad vocem ut imitatione tubæ: tum id faciunt, cum inter se signa pacis, ac belli habeant.* Columella lib. IX. cap. 9. *Quippe talis est apium natura, ut pariter quæque plebs generetur cum regibus, qui ubi evolandi vires adepti sunt, consortia dedignantur vetustiorum multoque magis imperia, quippe cum rationabili generi mortalium, tum magis egentibus consilii mutis animalibus, nulla sit regni societas. Itaque novi duces procedunt cum sua juventute, quæ uno aut altero die in ipso domicilii vestibulo glomerata consistens, egressu suo propriæ desiderium sedis ostendit, eaque velut patria contenta est, si a procuratore protinus assignetur.* Et mox. *Itaque maxime observari debet, quæ istud faciunt, ut sive ad pugnam eruperint (nam inter se tanquam civilibus bellis, & cum alteris, quasi cum exteris gentibus præliantur) sive fugæ causa se proripuerint, præsto sit ad utrumque casum paratus custos. Pugna vero vel unius inter se dissidentis, vel duorum examinum discordantium facile compescitur, nam ut idem* (Virgilius) *ait*

> Pulveris exigui tactu compressa quiescit,

aut mulso, passove, aut alio quovis liquore simili resperso, videlicet familiari dulcedine sævientium iras mitigante; nam eadem mire dissidentes reges conciliant: sunt enim sæpe plures unius populi duces, & quasi procerum seditione plebs in partes deducitur; quod frequenter fieri prohibendum est, quoniam intestino bello totæ gentes consumuntur. Itaque si constat principibus gratia, manet pax incruenta, sin autem sæpius aciem dimicantes notaveris, duces seditionem interficere curabis: dimicantium vero prælia prædictis remediis sedantur: ac deinde cum agmen glomeratum in proximo frondentis arbusculæ ramo consederit, animadvertito an totum examen in speciem unius uvæ dependent, idque signum erit aut unum regem inesse, aut certe plures bona fide reconciliatos; quos sic patieris, dum in suum revolent domicilium: sin autem duobus, aut etiam compluribus velut uberibus diductum fuerit examen, ne dubitaveris & plures proceres, & adhuc iratos esse, atque in iis partibus, quibus maxime videris apes glomerari, requirere duces debebis: itaque succo prædictarum herbarum, id est melissoghylli vel apiastri manu illita, ne ad tactum diffugiant, leviter inseres digitos, & diductas apes scrutaberis, donec autorem pugnæ quem elidere debes, reperias. Sunt autem ii reges majores paulo, & oblongi magis, quam ceteræ apes, rectioribus cruribus, sed minus amplis pinnis, pulchri coloris, & nitidi, levesque ac sine pilo, sine spiculo, nisi quis forte pleniorem quasi capillum, quem in ventre gerit, aculeum putat, quo & ipso tamen ad nocendum non utuntur. Quidam etiam infusci, atque hirsuti reperiuntur, quorum pro habitu damnabis ingenium.

> Namque duæ regum facies, duo corpora gentis,
> Alter erit maculis auro squallentibus ardens,
> Et rutilis clarus squamis insignis & ore.

Atque hic maxima probatur, qui est melior; nam deterior sordido sputo similis tam fœdus est

> —— quam pulvere ab alto
> Cum venit, & sicco terram spuit ore viator.

Et ut idem ait:

> Dissidia latamque trahens inglorius alvum.

Omnes igitur duces notæ deterioris.

> Redde neci, melior vacua sine regnet in aula.

Qui tamen & ipse spoliandus est alis, ubi sæpius cum examine suo conatur eruptio-

ptione facta profugere; nam velut quadam compede retinebimus erronem ducem detractis alis, qui fugæ destitutus præsidio, finem regni non audet excedere, propter quod ne ditionis quidem suæ populo permittit longius evagari. Vid. *Aristotelem*, *Ælianum*, & scriptores Geoponicωn, & *Plinium* & ex Arabibus *Damir*, & *Alkazuinum*.

XX. Apes non solum ex apibus (inquit *Bochartus* part. 2. lib. IV. cap. 10.) sed ex bove progenerari constans fama est; apud Scriptores. *Antigonus* mirabil. historia 23. Ἐν Αἰγύπτῳ τὸν βοῦν ἐὰν κατορύζῃς ἐν τόποις τισὶν αὐτὰ τὰ κέρατα τῆς γῆς ὑπερέχειν, εἶθ᾽ ὕστερον ἀποκείσῃς, λέγουσιν μελίττας ἐκπέτεσθαι. σαπέντα γὰρ αὐτὸν εἰς τοῦτο διαλύεσθαι τὸ ζῶον. *In nonnullis Ægypti locis si bovem ita defoderis, ut cornua supra terram extent, quæ deinde serra amputes, ajunt apes evolare, eum enim putrefactum in hoc animal mutari*. *Varro* itidem de bove Rustic. lib. II. cap. 5. *Scio ex hoc* (sc. bove) *putrefacto nasci dulcissimas apes mellis matres, a quo eas Græci* βουγόνας *appellant*. Atque iterum lib. III. cap. 16. *Primum apes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto*. Itaque Archelaus in Epigrammate ait eas esse . . . βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα. Idem: Ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι. *Plinius* lib. I. cap. 20. *Sunt qui apes in totum amissas reparari* (putent) *ventribus bubulis recentibus cum fimo abrutis*. *Plutarchus* in vita Cleomenis in fine. Μελίττας μὲν βόες, σφῆκας ἵπποι κατασαπέντες ἐξανθοῦσι. *Apes quidem boves, vespas autem equi putrefacti emittunt*. *Ælianus* in fine lib. II. Ἀποθανὼν δὲ βοῦς, ἐνναίον τι χρῆμα, καὶ ἀξιέπαινον. μέλιτται γοῦν ἐκ τῶν ἐκείνου λειψάνων ἐκφύονται. *Bos etiam mortuus res eximia est, & magni facienda, cum ex ejus reliquiis enascantur apes*. *Galenus* in lib. an animal sit quod in utero continetur cap. 5. Οὐ δὲ γὰρ ὅμως ἐκ φυτοῖς σκώληκες γίνονται, ἢ ἀφ᾽ ἵππων καὶ βοῶν οἱ σφῆκες καὶ μέλιτται ῥᾴδιον ἡμῖν λέγειν. *Neque enim nobis facile dictu est, quo pacto vermes in plantis gignantur, aut ex equis bubusque vespæ & apes*. *Origenes* contra Celsum lib. IV. *Cum non miremur etiam nunc ex homine mortuo serpentem fieri, & e dorsi medulla, ut quidem ajunt, & ex bove apem, ex equo vespam, ex asino scarabæum*. *Servius* in lib. IV. Georgic. *Apum sunt muta genera. Proprie tamen ut vocantur apes de bobus, fuci de equis, crabrones de mulis, vespæ de asinis*, & qua ratione id fiat narrat pluribus *Florentinus* lib. V. Geoponicωn cap. περὶ μελισσῶν, καὶ πῶς ἂν ἐκ βοὸς γένηται, ὃς καλεῖται βουγόνη *de quibus & quomodo ex bove fiat, quod vocatur* Bogone. Concinunt multi poetæ ut e Græcis in *Antigono Philetas*, is nempe quem testatur *Suidas*, Ptolemæi secundi fuisse præceptorem, & Elegias atque epigrammata scripsisse.

Βουγενέας φάμενος προσεβήσαο μακρὰ μελίσσας
Taurigenas hæc fatus apes longinquus adisti.

Et apud *Varronem Archelaus* cum apes vocat.

—— Βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα
—— *Cornupetæ bovis factitiam prolem*.

Et idem rursus.

Ἵππων μὲν σφῆκες γενναῖοι, μόσχων δὲ μέλισσαι.
Vespæ ab equis, sed apes taurorum ab origine natæ

Eam Nicander sic imitatur in Theriacis vers. 740.

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν
Σκήνεσι πυθομένοισι, λυκοσπάδες ἐξεγένοντο.
Decerpti enim a lupis equi vespas, & tauri apes
Corporibus corruptis progenerant.

Et *Ovidius* lib. V. Metamorph.

—— *mactatos obrue tauros*
Cognita res est, de putri viscere passim
Florigeræ nascuntur apes, quæ more parentem
Rura colunt, operique favent, in spemque laborant.

Sed omnium uberrime poetarum princeps lib. IV. Georgic. ex quo sit satis hæc pauca retulisse

Hic vero subitum ad dictu mirabile nomen
Aspiciunt, liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, & ruptis offervere costis
Immensasque trahi nubes, jamque arbore summa
Confluere, & lentis uvam demittere ramis

Cum apes a carne dicuntur abstinere, & graves odores prorsus fugere, uti scribit *Aristoteles* Hist. lib. IX. cap. 40. *Varro* Rustic. lib. III. cap. 16. *Plinius* lib. XI. cap. 18. 21. *Philo* de ape cap. 28. *Didymus*

mus Geopon. lib. xv. *Virgilius* Georgic. lib. iv. *Ælianus* hist. lib. v. cap. 49. hæc videntur non posse conciliari cum eo quod legitur *Judic.* xiv. 8. quod Samson invenerit in ore leonis a se interfecti examen apum, & favum mellis. His quæ in sacrum textum possunt objici, duo habeo, quæ respondeam. Primo dicitur apes in leonis corpore fuisse inventas, non tamen ibi natas; ne quæratur quomodo Samsonis apes cadaveris carnes attigerint, aut tetrum odorem tulerint, cum ab utroque apes abhorreant, dicitur cadaver hic vocari, quod potius erat σκελετὸν σῶμα, corpus exsiccatum, atque arefactum, & in quo nihil supererat præter compagem osseam. Ita accepit Syrus Interpres ܫܠܕܐ ܓܪܡܢܝܐ reddidit id est *Cadaver osseum* seu quod idem est σκελετὸν. Cui interpretationi favet, quod leonis cadaver super terram diu jacuerat. Samson enim qui occiderat, reliquit in agro jacentem וישב מימים *&* *reversus ut post dies ut duceret Dalilam, & secessit ut videret cadaver illius leonis*. *Post dies* id est post annum. Ita Hebræi hoc loco sumunt, ut in Scriptura passim. Sic *Genes.* iv. 3. *Et fuit* מקץ ימים *in fine dierum*. *Genes.* xxiv. 55. *Maneat puella nobiscum* ימים או עשר *dies autem decem*, id est annum aut decem menses. Vid. *Levit.* xxv. 29. *Judic.* xi. 4. 1. *Sam.* 1. 3. & ibid. vers. 20. & cap. 11. 29. & cap. xxvii. 7. In tali porro sceleto quidni potuerit apum examen consistere, & mel suum conficere, quomodo in Omesili capite ad Amathuntis portam suspenso? Ita enim habet *Herodotus* lib. 1. cap. 114. Ονησίλου μὲν Αμαθούσιοι, ὅτι σφέας ἐπολιόρκησε, ἀποταμόντες τὴν κεφαλὴν, ἐκόμισαν ἐς Ἀμαθοῦντα, καὶ μιν ἀπεκρέμασαν ὑπὲρ τῶν πολέων κρεμαμένης δὲ τῆς κεφαλῆς, καὶ ὅσης ἤδη κοίλης ἐσμὸς μελισσέων, ἐσδὺς ἐς αὐτὴν, κηρίων μιν ἐνέπλησε. *Onesili caput Amathusii, quia ipsos obsederat, amputatur, & Amathuntem delatum supra portas suspenderunt. Illud autem suspensum, cum exsiccatum jam esset, examen apum ingressum, favis implevit.* Et in sepulcro Hippocratis, si *Sorano* credimus in ejus vita, μέχρι πολλοῦ σμῆνος ἦν ἐργαζόμενον μέλι. *mellificantium apum examen diu fuit*.

XXI. Apes ad sibilum apiarii, & ad æris tinnitum convocantur. Sunt (inquit *Bochartus* l. c.) qui apes audire negent. Tamen ad *Esai.* vii. 18. *Sibilabit Dominus ad muscam quæ est in extremo fluminum Ægypti, & ad apem, quæ est in terra Assur*. Ita *Cyrillus*. Πεποίηται τοινῦν ὁ λόγος, ὡς ἐκ μεταφορᾶς τῆς τῶν μελισσοκόμων ἐμπειρίας, οἳ σπειράσμασι τὰς μυίας ἀποφέρουσί τι τε (leg. ἀποφέρουσι τε) τῶν σιμβλῶν ἐς ἀγροὺς καὶ πάλιν ἀνακομίζουσι. *Figurata est oratio, tanquam metaphora sumta ex mellariorum industria, qui sibilis muscas ab alvearibus in agros evocant, & item reducunt*. Et in *Esai.* v. 26. *Assibilabis illis ab extremo terræ* idem *Cyrillus*. Δέχεται δὲ καὶ τοῦτο πάλιν, ὡς ἀπό γε τῆς συνηθείας τῆς ἐπὶ τῶν μυιῶν, ἐν ἔθει γὰρ πώς ἐστι τοῖς μελισσοκόμοις συρίζειν αὐταῖς. οὕτω τε τῶν σίμβλων ἀποφέρειν ἐς ἄνθη, καὶ πόας, καὶ ἀνακομίζειν ἐξ ἀγρῶν, οἴκοι τε αὐτὰς ἐναυλίζεσθαι ποιεῖν. *Sumit hæc rursus veluti ex muscarum* (id est apum) *consuetudine: Solent enim apiarii iis assibilare, & ita ex alvearibus ad flores, & herbas eas educere, & ex agris revocare, domique ut immorentur, efficere*. Alii tinnitum æris, aut testas collisas in eumdem usum adhibent. *Columella* lib. x. cap. 7. *Quod (examen) sive est abditum specu, fumo elicietur, & cum erupit, æris strepitu coercetur*. Et cap. 12. *Crepitaculis æris, aut testarum plerumque vulgo jacentium sonitu terreatur fugiens juventus*. *Plinius* lib. xi. cap. 20. *Gaudent plausu, atque tinnitu æris, eoque convocantur. Quo manifestum, auditus quoque inesse sensum*. *Ælianus* lib. v. cap. 13. Ὅταν γοῦν σκιρτήσωσιν, καὶ πλανηθῶσιν, ἐνταῦθα οἱ σμηνουργοὶ κροτοῦσι κρότον τινὰ ἐμμελῆ τε καὶ συμμελῆ, αἱ δὲ ὡς ἀπὸ σειρῆνος ἕλκονται, καὶ μὲν ὑποστρέφουσιν ἐς τὰ οἰκεῖα αὖθις. *Cum lasciviunt & aberrant, tum apiarii sonum, quendam canorum & armonicum edunt, eæ autem tanquam Sirene retrahuntur, & ad consueta domicilia revertuntur*. Virgilius

> *Tinnitusque cie, & matris quate*
> *cymbala circum*

Ut nimirum vagas apes ad alvearia revoces. Et paulo post cum ad pugnam exeunt

> *—— morantes*
> *Martius ille æris rauci canor increpat, & vox*
> *Auditur fractos sonitus imitata tubarum.*

Et rursus

> *Curetum sonitum crepitantiaque æra*
> *sequutæ*
> *Dictæo cœli regem pavere sub antro.*

Ovidius de Bacchio lib. iii. *Fast.* vers. 739.

> *Jamque erat ad Rhodopen, Pangæaque flumina ventum*

Æri-

Æriferæ comitum cum crepuere ma-
nus

Ecce! novæ coeunt volucres tinnitibus
actæ,
Quosque movent sonitus æra sequun-
tur apes.

Lucanus lib. IX. verſ. 288.

—— *Phrygii sonus ut crepat æris*
Attonitæ posuere fugam; studium-
que laboris
Florilegi repetunt, & sacri mellis
amorem

Claudianus Panegyrico in ſextum Conſulatum Honorii verſ. 249.

—— *qualis Cybeleia quassans*
Hyblæus procul æra senex, revoca-
re fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ sponte
relictis
Descivere favis . . . .

Didymus Geoponicων lib. XI. Θέλγει δὲ τῦτο τὸ ζῶον ϗ̀ κάλλιϛον μέλος. Ὅταν οἱ μελισσουργοὶ διασμορπιζομένας αὐτὰς κυμβαλίζοντες, ἢ τὰς χεῖρας ἐρρύθμως κροτῦντες συνάγυσι. *Mulcet etiam hoc animal dulcedo cantus. Unde est quod apiarii dispersas apes cymbalis pulsatis, aut manus concinne plaudentes congregant. Aristoteles* lib. IX. cap. 40. eas mane ad opus excitari, & ad veſperam altero ſonitu edito ab opere revocari dicit, ut ad quietem ſe componant. Ὄρθιαι (inquit) σιωπῶσιν, ἕως ἂν μία ἐγείρῃ βομβήσασα δὶς, ἢ τρὶς θορυβῦσι δ᾽ ἐπ᾽ ἔργον ἀθρόαι πέτονται. ϗ̀ ἐλθῦσαι πάλιν θορυβῦσι τὸ πρῶτον κατὰ μικρὸν δ᾽ ἧττον ἕως ἂν μία περιπετομένη βομβήσῃ ὥσπερ σημαίνυσα καθεύδειν εἶτ᾽ ἐξαπίνης σιωπῶσι. *Mane silent, donec una excitaverit bombo edito bis aut ter, tum vero confestim ad opus evolant. At reversæ primum fremunt, sed paulatim minus minusque, donec una circumvolitans bombum edat, quasi signo dormiendi dato, atque exinde continuo silent. Plinius* lib. XI. cap. 10. *Noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, aut buccino aliquo.* Item: *Cum advesperascit, strepunt in alveo minus ac minus, donec una circumvolet, eodem quo excitaverit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc castrorum more. Tum repente omnes conticescunt.*

XXII. *Deut.* I. 44. (Pergit *Bochartus* l. c.) Dicit Moſes, de Amorrhęis, quos Chananęorum omnium infeſtiſſimos experti ſunt Iſraelitæ. *Vos persequuti sunt* כאשר תעשינה דבורים *sicut faciunt apes*. Ita plerique veteres. Sed *Syrus* multo aliter ܡܬܬܢܢܐ *fumigatæ*, vel *fumo irritatæ* perſequuntur invadentem. Et *Arabs* MS. quem in Svecia vidi

فطردوكم كما يطرد النحل بالدخان :

Et vos expulerunt quomodo apes fumo expelluntur. Chaldæus etiam *Onkelos* ita legendus כמא דיתנן דבריתא. Nam vox דנתון quam varie torquent, nullum commodum ſenſum admittit. Hi nimirum interpretes pro תעשינה *thaasena* id eſt *faciunt* legiſſe videntur תעשנה *theassenna* id eſt *fumigarunt* levi in literis mutatione nec ſenſu incommodo. Notum enim eſt eos, qui caſtrant alvearia, apes prius fumo abſterrere. Unde *Virgilius* lib. IV. Georg. verſ. 230.

—— *fumosque manu prætende fu-*
gaces.

Et ibi Servius. *Fumum etiam profer, ut cum his rebus territæ illæ discesserint, impune possis mella colligere. Item.* Sequaces fumos: *Quippe apum persecutores sint*: Maleaque ſequacibus undis. Et *Ovidius* lib. I. de remedio amoris verſ. 183.

Quid cum suppositos fugiunt examina
fumos
Ut relevent demti vimina curva
favi?

Et *Zonas* de Pane ad apes in Authol. lib. I. cap. 160.

—— Ὁ δὲ βλωσηείδι χειρὶ
Καπνώσας, βαιὰν ὔμμι λίπῃ μερίδα
—— *hic vero castrante manu*
Fumum excitans, vobis parvam (mel-
lis) *relinquat partem.*

Et de Ariſtæo *Nonnus* Dionyſiacων lib. 3. verſ. 249.

Καὶ δολίῳ πηγοέντι πυρὸς τεχνήμονι καπνῷ
Σινομένην πρήϋνεν . . . . .
Et doloso suffocante igne industrio fumo
Innoxiam apem mitigavit.

Sunt & alii qui idem tradunt. *Antigonus* Mirab. hiſtoria 37. τὰς δὲ μελίττας θυμωμένας ὑπὸ καπνῦ, ϗ̀ κακοπαθῦσας τότε μάλιϛα ἐσθίειν. *Apes* (ajunt) *cum fumo suffocantur & divexantur, tum maxime edere. Aristophanis* Scholiaſtes ad hæc portæ veſpas

—— τῦφε πολλῷ τῷ καπνῷ
—— *incende multo fumo*

τῦφε δὲ καίων, δίωκε, ὁ γὰρ καπνὸς διώκει τὰς μελίσσας, ϗ̀ τὰς σφῆκας. *Vox* τῦφε *significat exurens persequere; fumus enim*

apes

apes & vespas persequitur. Columella lib. LX. cap. 15. *Sed ubi a posteriore parte nullum vestibulum patefactum habuerit alveare, fumum admovebimus factum galbano, vel arido fimo*; forte *fœno*; ut infra. *Fumus ad apes promovetur; quæ confestim nidoris impatientes, in priorem partem domicilii, & interdum extra vestibulum se conferunt. Plinius* lib. XI. cap. 16. *Cum eximuntur mella, apes abigi fumo utilissimum, ne irascuntur, aut ipse avide vorent*. Fumo crebriore etiam ignavia earum excitatur ad opera; id Græce βλίσαι dicitur ἐναύειν. *Hesychius*. Βλίσαι, καπνίσαι μελίσσας, καὶ ἐξελάσαι τῶν σκλωῶν (legendum σμλωῶν) *fumigare apes, & ex alvearibus expellere*. Item: ἐναύοντες, ἀνάπτοντες πυρὶ, τὰ γὰρ σμλώη τῶν μελισσῶν, διώκουσι διὰ πυρὸς καὶ καπνοῦ. *Ignem succendentes: apum enim examina igne & fumo persequuntur*. Et Arabice جلا: *Alcamus*

جلا النحل دخن عليها لسبار العسل

Giala apem id est cum fumigavit, aut mel ex alveari educeret. In Talmude tractatu *Kelim* cap. XVI. 7. pag. 26. a. quid sit מרף של דבורים *Maddaph apum*. Glossator sic explicat כלי שמיטמין בו אש וגללי בקר ומעשיים שיברחו מן הכוורת ונחילים ויקח הדבש אשר תנדפנו רוח: *Vas est in quo ponitur ignis, & stercus bubulum, cujus suffimigatione fugantur apes ex alveari, ut sumatur mel*. (Derivatur enim a verbo נדף *dispellere*) *Unde Psalm*. I. 4. Dispellit eam ventus. Ex hac porro fumigatione poetæ passim deducunt similitudines, quomodo hoc loco Moses, si Syriacæ, Chaldaicæ, & Arabicæ versioni stamus.

XXIII. Postquam de fumo abunde actum est, sequitur ut dicamus de apum fortitudine in ea Scripturæ loca, quibus cum apibus conferuntur hostes infestissimi, ut ubi supra de Amorrhæis de quibus Moses; *& vos persequuti sunt, sicut faciunt apes*. Et *Psal*. CXVIII. 12. David de hostibus suis agens: *Circumdederunt me ut apes*. Et *Esai*. VII. 18. *Et sibilabit Dominus api, quæ est in terra Assur*. Ubi *Chaldæus*. *Clamabit Dominus ad validas copias* דאנון הקיצין כדבריתא *quæ sunt fortes ut apes, & adducet de finibus terræ Assyriæ*. Et ibid. *R. Selomo* לדבורה חיל גבורים דעויים כדבורים: *Ad apem*, id est *ad exercitum fortium, qui pugnant ut apes*. Quæ similitudines ne videantur subsidere infra argumenti dignitatem, sciendum est apes in tam tenui corpusculo ingentes lubere animos, atque ut mel suum tueantur, non solum homines, sed est vastissima quæque animalia infestis aculeis aggredi non timere, & quandoque interimere. *Aristoteles* lib. IX. cap. 40. Κτείνουσι δὲ βάλλουσαι καὶ τὰ μεγάλα τῶν ζώων, καὶ ἵππος ἤδη ἀπέθανεν ὑπὸ μελιττῶν. *Injecto aculeo necant maxima quæque animalia, adeoque ab apibus punctus equus obiit*. Unde *Plinius* lib. IX. cap. 18. *Est in exemplis equos ab iis occisos*. Sed & ex *Antenore* refert *Ælianus* lib. XVII. cap. 35. Raucios Cretæ populos apum χαλκοειδῶν aculeis ex urbe sua pulsos alio migrasse. Nihil igitur mirum, si iidem lethiferi fuerunt Hermonacti puero, de quo *Antipater* Anthol. cap. 37.

> Τὸ βρέφος Ἑρμώνακτα διεχρήσασθε μέλισσαι.
> *Infantem Hermionactem interfecistis apes*.

Et *Branor*

> Κοῦρον ἀποπλανέω, ἐπιμάζιον Ἑρμώνακτα
> Φεῦ! βρέφος ὡς ἀδίκως εἵλετε βουγενέες
> *Puerum errantem, & lactentem Hermonactem*
> *Heu! quam inique perdidistis apes*.

Proinde in *Theocrito* Idyll. 19. apud matrem conqueritur Cupido κηριοκλέπτης

> ——— ὅτι γε τυτθὸν
> Θηρίον ὄν τι μέλισσα, καὶ ἁλίκα τραύματα ποιεῖ;
> ——— *quid tam exile*
> *Animalculum cum sit apis, tanta vulnera faciat?*

Et apum examina sæpe in bello profuisse. Sic in *Appiani* Mithridatico, cum Luculliani per cuniculos Themiscyram aggrederentur, Themiscyrii ursos, ferasque alias, & σμλὼη μελισσῶν *apum examina in operarios emittebant*.

XXIV. De melle lex habetur *Levit*. VI. 11. 12. *Nullum fermentum & mel nullum adolebitis ad oblationem igne absumendam. In oblationem tamen primitiarum ea Domino offeretis, sed super altare ne offerantur in odorem suavitatis*. Ubi mellis nomine *R. Selomo* כל מתיקת פרי *omnium fructuum dulcedinem*; & nonnulli apud *Aben Ezram* dactylos intelligunt, ut 2. *Chron*. XXXI. 5. ubi leguntur Israelitæ obtulisse primitias frumenti, musti, olei, & mellis, & omnes agri proventus. Et vero idem ab Esdra, quod in lege significari videbitur verisimile, cum utrobique agatur de mellis primitiis Deo oblatis, aut offerendis, sed si de dactylis in lege agatur, aut in genere de fructibus arborum, nullibi mellis usum in sacrificiis lex prohibuerit. Quem tamen fuisse prohibitum veteres constanter docent.

cent. Ut ἐν τοῖς ἔξωθεν *Plutarchus* lib. IV. Symposiacωn cap. 5. E Judæis *Philo* περὶ θυόντων, e Patrum choro *Hieronymus*, *Chrysostomus*, *Procopius*, *Cyrillus*, *Theodoretus &c.* Ita quicquid velint Hebræi recentiores, utrobique nomine רבש mel significari puto: & mellis primitias dico, quod verno tempore primum ex alvearibus colligitur &c. Sed joculare est, quod *Plutarchus* dum in eo est, ut Judæos Bacchum coluisse probet, inter cetera hoc affert Symposiacωn lib. IV. quæst. 5. ἐπὶ τοίνυν μέλι μὴν οὐ προσφέρουσι ταῖς ἱερουργίαις, ὅτι δοκεῖ φθείρειν οἶνον κεκρασμένον. *Nunc etiam mel in sacrificiis non offerunt, quia vinum admixtum videtur corrumpere.* Tanquam veriti ne Bacchum irritarent vinum mixtum mellis inficiantes. Quæ ratio est ineptissima. Potuissent enim vinum & mel separatim offerre. Neque enim Bacchi cultores incessit hæc religio; qui illi non solum vinum, sed & mel offerebant. Res ex *Tibullo* certa, qui Bacchum sic alloquitur lib. I. Eleg. 8.

> *Sic venias, hodierne, tibi dem thuris honores*
> *Liba, & Mopsomio dulcia mella feram*

Concinit *Ovidius* lib. III. Fast. vers. 735.

> *Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem*
> *Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.*

Unde illi Brisæi nomen. Sed & Deorum aliis mel fuisse passim oblatum nemo est qui nesciat. Quod *Ezechielis* cap. XVI. Judaicæ Synagogæ Deus objicit. *Fecisti* (inquit) *tibi masculas imagines, ut scortatareris cum iis &c. Et cibum meum, quem dederam tibi, similam, ac oleum, ac mel, quibus te cibaveram, hæc obtulisti illis in odorem suavitatis.* Nam Deorum vix ullus fuit, cui melle non sit libatum. Sic de Mercurio dicit *Antipater* Sidonius lib. I. Antholog. cap. 38.

> Εὔκολος, Ἑρμείας, ὦ ποιμένες, ἐν δὲ γάλακτι
> Χαίρων, καὶ δρυΐνῳ σπενδόμενος μέλιτι.
> *Facilis est Mercurius, o Pastores, qui lacte*
> *Gaudet, & querno placatur melle.*

Et de Platone *Silius* lib. XIII. vers. 415.

> *Duc prædicta sacris duro placamina Diti*
> *Mella simul tecum, & puri fer dona Lyæi.*

Et de Hecate *Apollonius* lib. III. Argonaut. vers. 10. 34.

> Μουνογενῆ Ἑκάτην. Περσηΐδα μειλίσσοιο
> Λείβων ἐκ δέπαος σιμβλήϊα ἔργα μελισσῶν.
> *Unigenitam Hecaten Persidam placa ex patera*
> *Libans apum opera, quæ in alvearibus fiunt.*

Et de Priapo pastor Astacus in *Calphurnio* Ecl. II.

> *Rorantesque favos damus, & liquentia mella.*

Ut Jano cui palmulis & ficubus mel offerre moris erat, ut annus esset dulcior. *Ovidius* lib. I. Fast. vers. 185.

> *Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi*
> *Et data sub niveo candida mella cado.*
> *Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur.*
> *Et peragrat cœptum dulcis ut annus iter.*

Nymphis etiam mel & vinum apponi jubet Apollinis oraculum apud *Eusebium* lib. IV. Præparat. Evangel.

> Χεῦε μέλι νύμφαισι Διωνύσοιο τε δῶρα
> *Funde mel Nymphis & Bacchi dona.*

Sed & furiæ melle placantur in *Silio* ubi supra.

> *Inde tibi Alecto, tibi nunquam læta Megæra*
> *Corpora lanigerum procumbant lecta bidentum.*
> *Fundant mella super, Bacchique & lactis honorem.*

Sed ut doceamus simul & semel nullum fuisse Deorum, qui melle gaudere non crederetur, legendus est *Pausanias* in Eliacis prioribus, ubi postquam aras minimum quinquaginta recensuerit in Jovis Olympii templo variis nominibus erectas, & quasdam in illo censu omnibus Diis sacras: Ἑκάστου δ' ἅπαξ τοῦ μηνὸς (inquit) θύουσιν ἐπὶ πάντων Ἠλεῖοι τῶν κατειλεγμένων βωμῶν, θύουσι δὲ ἀρχαῖόν τινα τρόπον λιβανωτὸν γὰρ ὁμοῦ πυροῖς μεμιγμένοις μέλιτι θυμιῶσιν ἐπὶ τὸν βωμόν. *Semel quolibet mense ad omnes quas recensuimus aras, Elæi sacra faciunt, vetusto quodam ritu thura, ac melle subactum triticum adolentes.* Persas

ſas etiam deſcribit *Strabo* lib. xv. in omnibus ſacrificiis ἀποσπένδοντας ἔλαιον, ὁμοῦ γάλακτι, καὶ μέλιτι κεχραμένον. *Oleum cum lacte & melle mixtum libantes.* Proinde *Homerus*, vel quiſquis eſt, hymno in Mercurium mel vocat

—— Θεῶν ἡδεῖαν ἐδωδήν.
—— *Deorum ſuavem cibum.*

Et mus in Batrachomyomachia ranæ ſuas delicias cum jactantia enumerans: *Non me fugit* (inquit) *panis ter piſtus, non placenta Seſamo condita, non pernæ fruſta, non jecora, non caſeus.*

Οὐ χρεστὸν μελίτωμα, τὸ καὶ μάκαρες ποθέουσι
Non optimum ex melle dulciarium, quod etiam Dei deſiderant.

CAPUT QUINTUM.

De Agricultura.

I. *Agriculturæ antiquitas nobilitas, atque utilitas.* II. *Agricultura artium omnium nobiliſſima, ac maxime neceſſaria neglecta.* III. *Multiplex in Agricola requiritur ſcientia.* IV. *Agriculturæ plurimi, præſtantiſſimi, & antiquiſſimi Scriptores.* V. *Annus a Judæis in ſex anni tempora diviſus, a Romanis in octo.* VI. *Coloni: Colonorum duo genera.* VII. *Ager præſtantiſſimus, mediocris, & deterior. Ager optimus.* VIII. *Agri ſeptis circummuniti.* IX. *Agri e lapidibus, & ſentibus expurgati.* X. *Agriculturæ inſtrumenta, aratrum, vomer, ligones, ſecures, tridentes, ſtimulus, tribula, falces &c.* XI. *Aratio; Arationis initium.* XII. *Arandi, ratio, ſulci, liræ, porcæ, foſſæ.* XIII. *Agri novales.* XIV. *Stercoratio.* XV. *Agri iterati.* XVI. *Agri tertiati.* XVIII. *Sementis & ejus tempus apud Hebræos, & apud Romanos.* XIX. *De pluvia tempeſtiva & ſerotina.* XX. *Agri irrigati.* XXI. *Occatio Sarritio.* XXII. *Meſſis.* XXIII. *De angulo, de manipulo oblivione relicto, & de ſpicilegio.* XXIV. *Tritura.* XXV. *Ventilatio & cribratio.* XXVI. *Oblatio manipuli hordeacei. Poſt oblatum manipulum permiſſæ novæ fruges.* XXVII. *Die quinquageſimo a demeſſo manipulo oblati duo panes.*

I. ADam, dum adhuc eſſet innocens, fuit primus agricola; Conſtituit enim illum Deus, ſimul ac creatus eſt, in horto Eden, לעבדה ולשמרה *ut coleret eum, & conſervaret.* *Geneſ.* II. 15. qui labor credendus eſt in innocentia fuiſſe Adamo magis voluptati quam moleſtiæ. Poſt peccatum agricultura Adamo pœnæ loco fuit; *Geneſ.* III. 17. Ejectus eſt a Paradiſo לעבד את האדמה *ut operaretur terram.* Cain ejus primogenitus patris exemplo agriculturam exercuit, ut conſtat *Geneſ.* IV. dicitur עבד אדמה *agricola.* Antediluvianis temporibus primorum hominum exemplo, & propter neceſſitatem agricultura inprimis exculta fuiſſe cenſenda eſt. Poſt diluvium Noah ſolus ſuperſtes cum ſuis filiis agriculturæ inprimis operam dedit, uti legitur *Geneſ.* IX. 20. *Et incepit Noah eſſe vir colens terram.* Poſterioribus temporibus Iſaach in Gerar agriculturam exercuit. *Geneſ.* XXVI. 12. Hinc deridendi ſunt Ethnici, qui Cereri, vel Buzygi, vel Baccho, vel Oſiridi, vel Triptolemo &c. agriculturæ & aratri inventum tribuerunt. Agriculturæ autor unus Deus cenſendus eſt, uti legere eſt *Eſai.* XXVIII. 29. ut doceret ſe mirabilem eſſe conſilio. *Et hoc a Domino Deo exercitum exivit, ut mirabile faceret conſilium.* *Pſal.* VIII. 7. 8. Deus ſubmiſit boves hominis miniſterio.

rio. In *Eccles.* VII. 15. γεωργίαν ὑπὸ ὑφίςυ ἐκτισμένην *agriculturam a summo Deo creatam, & institutam fuisse legitur*. Ex his merito Adam a Deo instructus primus agriculturæ autor dicendus est: Et in *Bereschith Raba sect.* XXIV. asseritur. *Omnis generis opificia ad quotidianum humani generis usum necessaria primus homo calluit, atque docuit sicut dicitur* Esai. XXIV. 11. *omnes opifices ab Adamo*. *Aben Ezra* ad *Genes.* III. scribit. *Necessitas eum coegit, ut araret seminaret, moleret, & panes coqueret*. Merito in præfatione libri tertii rerum rusticarum Agricultura præ ceteris artibus ab antiquitate, nobilitate atque utilitate a *Varrone* comendatur. *Cum duæ vitæ traditæ sint hominibus, rustica & urbana, Q. Pinni, dubium non est, quia hæ non solum discretæ, sed etiam tempore diversam originem habeant; antiquior enim multo rustica, quod fuit tempus, cum rara colerent homines, neque urbem haberent. Etenim vetustissimum oppidum cum sit traditum Græcum, Bœotiæ Thebæ, quod rex Ogyges ædificarit, in agro Romano Roma, quam Romulus rex. (Namque in hoc nunc denique est, ut dici possit, non cum* Ennius *scripsit*.

Septingenti sunt paulo plus aut minus anni
Augusto augurio postquam inclita condita Roma est.)

Thebæ quæ ante catachysmon Ogygi conditæ dicuntur, eæ tamen circiter duo millia annorum, & centum sunt: quos tempus si referas ad illud principium, quo agri coli sunt cœpti, atque in casis, & tuguriis habitabant, nec murus nec porta quid esset, sciebant; immani numero annorum urbanos agricolæ præstant: *nec mirum quod divina Natura dedit agros, ars humana ædificavit urbes: cum artes omnes dicantur in Græcia intra mille annorum repertæ, agri nunquam non fuerint in terris, qui coli possint. Neque solum antiquior coltura agri, sed etiam melior. Itaque non sine causa majores nostri ex urbe in agris redigebant suos cives quod & in pace a rusticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur. Nec sine causa. Terram eandem appellabant matrem & Cererem, & qui eam colerent, piam & utilem agere vitam credebant; atque eos solos esse ex stirpe Saturni regis. Cui consentaneum est, quod initia vocantur potissimum ea, quæ Cereri fiunt sacra. Nec minus oppidi quoque nomen Thebæ indicant antiquiorem esse agrum, quod ab agri genere; non a conditore nomen ei est impositum: Nam lingua prisca & in Græcia Aeoleis Bœotii sine afflatu vocant collis Tebas, & in Sabinis, quo e Græcia venerunt Pelasgi, etiam nunc ita dicunt: cujus vestigium in agro Sabino via Salaria non longe a Reate milliarius clivus appellatur Thebæ. Cum agriculturam primo propter paupertatem maxime indiscretam haberent, quod a pastoribus, qui erant orti, in eodem agro & serebant, & pascebant, qui postea creverunt, peculia diviserunt, ac factum ut dicerentur alii agricolæ, alii pastores. Quæ ipsa pars duplex est, tametsi ab nullo satis discreta, quod altera est villatica pastio, altera agrestis. Hæc nota & nobilis, quod & pecuaria appellatur, & multum homines locupletat; & ob eam rem aut conductos aut emtos habent saltus. Altera villatica, quod humilis videtur, a quibusdam adjecta ad agriculturam; cum esset pastio, neque explicata tota separatim, quod sciam, ab ullo*. Et a *Catone* in principio de re rustica. *Est interdum* (inquit) *præstare mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet, & item fœnerari, si tam honestum siet. Majores enim nostri sic habuerunt, & item in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimarint fœneratorem quam furem, hinc licet existimari. Et virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quærendæ existimo, verum (ut supra dixi) periculosum, & calamitosum. At ex agricolis, & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quæstus, stabilissimusque consequitur, minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt*.

II. *Varro*, merito conqueritur in præfatione lib. II. hanc artem omnium nobilissimam atque utilissimam a suis civibus fuisse neglectam. *Viri magni* (inquit) *nostri majores non sine causa præponebant rusticos Romanos urbanis; ut ruri enim, qui in villa vivunt ignaviores, quam qui in agro versantur, in aliquo opere faciundo, sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiorem putabant. Itaque annum ita diviserunt, ut novis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis* VII. *ut rura colerent. Quod dum servaverunt institutum, utrumque sunt consecuti, ut & cultura agros fœcundissimos haberent, & ipsi valetudine firmiores essent: ac ne Græcorum urbana desiderarent gymnasia, quæ nunc vix satis singula sunt: nec putant se habere villam, si non multis vocabulis retineant Græcis, quum* vocent particulatim

loca προκοιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον, περίστυλον, ὀρνιθῶνα, περιστερεῶνα, ὀπωροθήκην. *Igitur quod nunc intra murum fieri patres familiæ correpserunt relicta falce & aratro, & manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus ac vinetis, frumentum locamus, qui nobis advehat, qui saturi fiamas ex Africa, & Sardinia; & navibus vindemiam condimus ex insula Coa & Chia. Itaque in qua terra culturam agri docuerunt pastores progeniem suam, qui condiderunt urbem, ibi contra progenies eorum, propter avaritiam, contra leges, ex segetibus fecit prata, ignorantes, non idem esse agriculturam & pastionem, alius enim opilio, & arator; nec si possit in agro pasci, armentarius non aliud ac bubulcus.* Sed uberius & vehementius *Columella* in præfatione libri primi de re rustica. *Sæpenumero civitatis nostræ principes audio culpantes modo agrorum infœcunditatem, modo cœli per multa jam tempora noxiam frugibus intemperiem; quosdam etiam prædictas querimonias velut ratione certa mitigantes, quod existiment, ubertate nimia prioris ævi defatigatum, & effœtum solum nequire pristina benignitate præbere mortalibus alimenta. Quas ego causas, Publi Silvine, procul a veritate abesse certum habeo, quod neque fas existimare, humi naturam, quum primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donavit, quasi quodam morbo sterilitate affectam: neque prudentis credere, tellurem, quæ divinam & æternam juventam sortita, communis omnium parens dicta sit, quia & cuncta peperit semper, & deinceps paritura sit, velut hominem consenuisse. Nec post hæc reor intemperantia cœli nobis illa, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifici, noxæ dedimus, quam majorum nostrorum optimus quisque optime tractaverit. Atqui ego satis mirari non possum, quod ita dicendi cupidi seligunt oratorem, cujus imitentur eloquentiam: mensurarum & numerorum modum rimantes, placitæ disciplinæ consectentur magistrum; vocis & cantus modulatorem, nec minus corporis gesticulatorem, scrupulosissimæ requirunt saltationis, ac Musicæ rationis studiosi; Jamque qui ædificare velint fabros & architectos advocent; qui navigia mari concredere, gubernandi peritos, qui bella moliri, armorum & militiæ gnaros; & ne singula persequar, ei studio, quod quis agere velit, consultissimum rectorem adhibeat; Denique animi sibi quisque formatorem præceptoremque virtutis e coetu sapientum arcessat: sola res rustica, quæ sine dubitatione proxima, & quasi consanguinea sapientiæ est, tam discentibus egeat, quam magistris. Adhuc enim scholas rhetorum, & ut dixi, geometrarum, musicorumque, vel quod magis mirandum est, contemtissimorum vitiorum officinas, gulosius condendi cibos, & luxuriosius fercula struendi, capitumque & capillorum concinnatores, non solum esse audivi, sed & ipse vidi; agricolationis neque doctores, qui se profiterentur, neque discipulos cognovi: cum etiam si prædictarum artium professoribus civitas egeret, tamen, sicut apud priscos, florere posset respublica: nam sine ludicris artibus, atque etiam sine causidicis olim satis felices fuere, futuræque sint urbes: ac sine agricultoribus non consistere mortales, nec ali posse manifestum est. Quo magis prodigii simile est, quod accidit, ut res corporibus nostris, vitæque utilitati maxime conveniens, minimam usque in hoc tempus consummationem haberet; idque sperneretur genus amplificandi retinendique patrimonii, quod omni crimine caret. Nam cetera diversa, & quasi repugnantia, dissident a justitia: nisi æquius existimamus cepisse prædam ex malitia, quæ nobis nihil sine sanguine, & cladibus alienis affert. An bellum perosis maris & negotiationis alia sit optabilior, ut rupto naturæ fœdere terrestre animal homo ventorum & maris objectus iræ, se fluctibus audent credere, semperque ritu volucrum, longinqui litoris, peregrinus, ignotum pererret orbem? An fœneratio probabilior sit, etiam his invisa, quibus succurrere videtur? Sed ne caninum quidem, sicut dixere veteres, studium præstantius, locupletissimum quemque adlatrandi, & contra innocentes, ac pro nocentibus neglectum a majoribus, a nobis etiam concessum intra mœnia, & in ipso foro latrocinium? An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium circumvolitantis limina potentiorum, somniumque regis sui rumoribus inaugurantis? neque enim roganti quid agatur intus, respondere servi dignantur. An putem fortunatius a catenato repulsum janitore sæpe nocte sera foribus ingratis adjacere, miserrimoque famulatu per dedecus, fascium decus & imperium, profuso tamen patrimonio mercari? nam nec gratuitæ servituti, sed donis rependitur honor. Quæ si & ipsa, & eorum similis bonis fugienda sunt: superest (ut dixi) unum genus liberale, & ingenuum rei familiaris augendæ, quod ex agricolatione contingit. Cujus præcepta si vel temere ab indoctis, dum tamen agrorum possessoribus, antiquo more administrarentur, minus jacturæ patiuntur res rusticæ; nam industria dominorum cum ignorantiæ detrimento multa pensaret: nec quorum commodum ageretur, tota vita vellent impru-*

imprudentes negotii sui conspici, eoque discendi cupidiores agricolationem pernoscerent. Nunc & ipsi prædia nostra colere dedignantur, & nullius momenti ducimus peritissimum quemque villicum facere: vel si nescium, certe vigoris experrecti, quo celerius, quod ignoret, addiscat. Sed sive fundum locuples mercatus est, e turba pedissequorum, lecticariorumque defectissimum annis & viribus in agrum relegat: cum istud opus non solum scientiam, sed & viridem ætatem cum robore corporis ad labores sufferendos desideret: sive mediarum facultatum dominus, ex mercenariis aliquem, jam recusantem quotidianum illud tributum (qui vectigalis esse non possit) ignarum rei, cui præfuturus est, magistrum fieri jubet. Quæ cum animadvertam sæpe mecum retractans, ac recogitem, quam turpi consensu deserta exoleverit disciplina ruris, vereor ne flagitiosa, & quodammodo pudenda, aut inhonesta videntur ingenuis. Verum cum pluribus monumentis scriptorum admonear, apud antiquos nostros fuisse gloriæ curam rusticationis, ex qua Quintius Cincinnatus obsessi Consulis & exercitus liberator, ab aratro vocatus ad Dictaturam venerit, ac rursus fascibus depositis, quos festinantius victor reddiderat, quam sumserat Imperator, ad eosdem juvencos, & quatuor jugerum avitum herediolum redierit: Itemque Cajus Fabricius, & Curius Dentatus, alter Pyrrho finibus Italiæ pulso, domitis alter Sabinis, accepta, quæ viritim dividebantur, captivi agri septem jugera, non minus industrie coluerit, quam fortiter armis quæsierat: & ne singulos intempestive nunc persequar, cum tot alios Romani generis intuear memorabiles duces, hoc semper duplici studio floruisse, vel colendi vel defendendi patrios quæsitosve fines: Intelligo luxuriæ & deliciis nostris pristinum morem virilemque vitam displicuisse: Omnes enim (sicut M. Varro *jam temporibus avorum conquestus est) patres familiæ falce & aratro relictis, intra murum correpsimus, & in circo potius ac theatris quam in segetibus ac vinetis manus moveamus: attonitique miramur gestus effœminatorum quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos spectantium. Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exsucto sudore sitim quærimus, noctesque libidinibus & ebrietatibus, dies ludo vel somno consumimus, ac nosmetipsos ducimus fortunatos, quod nec orientem solem videamus nec occidentem. Itaque illam vitam socordem persequitur valetudo: nam sic juvenum corpora fluxa & resoluta sunt, ut nihil mors mutatura videatur. At mohercule vera illa Romuli proles assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitata, firmissimis prævaluit corporibus, ac militiam belli, cum res postulavit, facile sustinuit, durata pacis laboribus, semperque rusticam plebem præposuit urbanæ. Ut enim qui in villa intra consepta morarentur, quam qui foris terram molirentur, ignaviores habitos; sic qui sub umbra civitatis intra mœnia desides cunctarentur quam qui rura colerent, administrarentve opera colonorum, segniores visos. Nundinarum etiam conventus manifestum est præterea usurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ: illis enim temporibus, ut ante jam diximus, proceres civitatis in agris morabantur: & cum consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum: ex quo qui eos vocabant, viatores nominati sunt; isque mos dum servatus est perseverantissimo colendorum agrorum studio, veteres illi Sabini Quirites atavique Romani, quamquam inter ferrum & ignes hosticisque incursionibus vastatas fruges, largius tamen condidere, quam nos quibus diuturna permittente pace prolatare licuit rem rusticam.* Itaque *in hoc* Latio *& Saturnia terra, ubi Dii cultus agrorum progeniem suam docuerant; ibi nunc ad hastam locamus, ut nobis ex transmarinis provinciis advehatur frumentum, ne fame laboremus: & vindemias condimus ex insulis Cycladibus, ac regionibus Boeticis Gallicisque.*

III. *Columella* in loco citato singularem & multiplicem requirit in agricola scientiam. *Nec mirum cum sit publice concepta & confirmata jam vulgaris existimatio rem rusticam sordidum opus, & id esse negotium, quod nullius egeat magisterio præceptoris. At ego cum aut magnitudinem totius rei, quasi quandam vastitatem corporis, aut partium ejus in his singulorum membrorum numerum recenseo, vereor ne supremus ante me dies occupet, quam universam disciplinam ruris possim cognoscere. Nam qui se in hac scientia perfectum volet profiteri, sit oportet rerum naturæ sagacissimus, declinationum mundi non ignarus, ut exploratum habeat, quid cuique plagæ conveniat, quid repugnet, siderum ortus & occasus memoria repetat, ne imbribus ventisque imminentibus opera inchoet, laboremque frustretur. Cœli & anni præsentis mores intueatur, neque enim semper eundem, velut ex præscripto, habitum gerunt, nec omnibus annis eodem vultu venit æstas aut hyems: nec pluvium semper est ver, aut humidus autumnus, quæ prænoscere sine lumine animi, & sine exquisitissimis disciplinis non quemquam posse*

posse crediderim. Jam ipsa terræ varietas, & cujusque soli habitus, quid nobis neget, quid promittat paucorum est discernere. Contemplatio vero cunctarum in ea disciplina partium, quando cuique contingit, ut & segetum arationumque perciperet usum & varias dissimillimasque terrarum species pernosceret, quarum nonnullæ colore, nonnullæ qualitate fallunt; atque in aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant, ut in Campania est laudabilis, in aliis pinguis rubrica melius respondet: quibusdam (sicut in Africa Numidia) putres arenæ fœcunditate vel robustissimum solum vincunt; in Asia Mysiaque densa & glutinosa terra maxime exuberat. Atque in his ipsis habere cognitum, quid recuset collis, quid campestris positio, quid cultus quid sylvester ager, quid humidus, & quid graminosus, quid siccus & spurcus ratione quoque dispicere; Et in arboribus vinetisque quorum infinita sunt genera, conserendis ac tuendis, & in pecoribus parandis conservandisque, quoniam & hanc adscivimus quasi agriculturæ partem, cum separata sit ab agricolatione pastoralis scientia: nec ea tamen simplex, quippe aliud est equinum, aliud atque aliud bubulum armentum, aliud pecus ovillum, & in eo ipsa dissimilem rationem postulat Tarentinum atque hirtum, aliud caprinum: aliter curatur mutilum, & raripilum, aliter cornutum, & setosum, quale est in Cilicia. Porculatoris vero & subulci diversa professio, diversæ pastiones; nec eundem glabræ sues, denseque, & cœli statum, nec eandem educationem, cultumque quærunt. Et ut a pecoribus recedam, quorum in parte avium chortalium & apium cura posita est, quis tanti studii fuit, ut super ista, quæ enumeravimus, tot nosset species insitionum, tot putationum, tot pomorum olerumque cultus exercere, tot generibus ficorum, sic & rosariis impenderet curam, cum a plerisque etiam majora negligantur? &c.

IV. A multis, iisque præstantissimis Scriptoribus Agricultura illustrata, & celebrata est, quorum plurimi a *Varrone* l. c. recensentur. *Iis igitur Deis ad venerationem advocatis, ego referam sermones eos, quos de agricultura habuimus nuper, ex quibus quid te facere oporteat animadvertere poteris, in queis quæ non inerunt & quæres, indicabo a quibus scriptoribus reperias & Græcis & nostris. Qui Græce scripserunt dispersim alius de alia re, sunt plus quinquaginta. Illi sunt quos tu habere in consilio poteris, cum quid consulere voles;* Hieron Siculus, & Attalus Philometor: *de Philosophis* Democritus *physicus*, Xenophon *Socraticus*, Aristoteles & Theophrastus *peripatetici*, Archytas *Pythagoreus*, *item* Amphilochus *Atheniensis*, Anaxipolis *Thasius*, Apollodorus *Lemnius*, Aristophanes *Maleotes*, Antigonus *Cymæus*, Agathocles *Chius*, Apollonius *Pergamenus*, Aristandrus *Atheniensis*, Bacchius *Milesius*, Bion *Soleus*, Chæresteus & Chæreas *Athenienses*, Diodorus *Prienæus*, Dion *Colophonius*, Diophanes *Nicensis*, Epigones *Rhodius*, Evagon *Thasius*, Euphranii *duo unus Atheniensis*, *alter Amphipolites*, Hegesias Maronites, Menandri *duo*, *unus Priennæus*, *alter Heracleotes*, Nicesius *Maronites*, Pythion *Rhodius*. *De reliquis, quorum quæ fuerit patria non accepi, sunt* Audrotion, Æschrion, Aristomenes, Athenagoras, Crates, Dadis, Dionysius, Euphiton, Euphorion, Eubolus, Lysimachus, Mnaseas, Menestratus, Pleuthiphanes, Persis, Theophilus. *Ii quos dixi omnes soluta oratione scripserunt; easdem res etiam quidam versibus, ut* Hesiodus *Ascræus*, Minecrates *Ephesius*. *Hos nabilitate* Mago *Carthaginensis præteriit. Pœnica lingua, quod res dispersas comprehendit libris* XXVIII. *quos* Cassius Dionysius *Uticensis vertit libris* XX. *ac Græca lingua Sextilio Prætori misit: in quæ volumina de Græcis libris eorum, quos dixi, adjecit non pauca & de Magonis demsit instar librorum* VIII. *Hosce ipsos utiliter ad* VI. *libros redegit* Diophanes *in Bithynia, & misit Dejotaro regi*. Et a *Columella* l. c. *Cetera non dissimulanda erunt agrorum cultori præcepta rusticationis, quæ cum plurima tradiderint Poeni ex Africa scriptores, multa tamen in his falso prodita coarguunt nostri coloni, sicut* Tremellius; *qui quærens idipsum, tamen excusat, quod Italiæ & Africæ solum cœlumque diversæ naturæ, nequeat eosdem proventus habere. Quæcumque sunt autem quæ propter disciplinam ruris nostrorum temporum cum priscis discrepent, non deterrere debent a lectione discentem. Magna porro & Græcarum turba est de rusticis rebus præcipiens: cujus princeps celeberrimus vates non minimum professioni nostræ contulit* Hesiodus *Bœotius. Magis deinde eam juvere fontibus orti sapientiæ* Democritus Abderites, *Socraticus* Xenophon, *Tarentinus* Architas. *Peripatetici magister ac discipulus* Aristoteles *cum* Theophrasto. *Siculi quoque non mediocri cura negotium istud prosecuti sunt*, Hieron, & Epicharmus *discipulus*, Philometor & Attalus. *Athenæ vero scriptorum frequentiam pepererunt, queis probatissimi Autores* Cheræas, Aristandros, Amphilochus, Euphron, Chrestus Euphronis, *non ut multi putant*, *Amphipolites*, *qui & ipse laudabilis habetur agricola, sed indigena soli Attici. Insulæ quoque curam*

curam iſtam celebraverunt , ut teſtis eſt Rhodius Epigenes , Chius Agathocles, Evagon , *&* Anaxipolis Thaſii. Unius quoque de ſeptem Biantes illius populares Menander, & Diodorus *inprimis ſibi vindicaverunt agricolationis prudentiam . Nec his ceſſere* Mileſii Bacchius & Mnaſſeas , Antigonus *Cymæus* , *Pergamenus* Apollonius, Dion *Colophonius*, Hegeſius *Maronites* . *Nam quidem* Diophanes *Bithynius Uticenſem totam* Dionyſium *Poeni* Magonis *interpretem per multa diffuſum volumina, ſex epitomis circumſcripſit. Et alii tamen obſcuriores, quorum patrias non accepimus , aliquod ſtipendium noſtro ſtudio complerunt. Hi ſunt* Androthion , Æſchrion , Ariſtomenes , Athenagoras, Crates , Dadis , Dionyſius, Euphyton, Euphorion . *Nec minori fide pro virili parte tributum nobis intulerunt* Lyſimachus, *&* Cleobalus, Meneſtratus, Pleutiphanes, Perſis, Theophilus. *Et ut agricolationem Romana tandem civitate donemus , (cum adhuc iſtis autoribus Græcæ gentis fuit) jam nunc* M. Catonem *Cenſorium illum memoremus, qui eam latine loqui primus inſtituit: Poſt hunc duos* Saſernas , *patrem & filium, qui eam diligentius erudierunt, & deinde* Scrofam Tremellium , *qui eam eloquentem reddidit, &* M. Terentium , *qui expolivit , mox* Virgilium , *qui carmine quoque potentem fecit . Nec poſtremò quaſi pædagogi ejus meminiſſe dedignemur,* Julii Hygini : *veruntamen ut Carthaginenſem* Magonem *ruſticationis parentem maxime veneremur , nam hujus octo & viginti memorabilia illa volumina ex ſenatus conſulto in latinum ſermonem converſa ſunt. Non minorem tamen laudem meruerunt noſtrorum temporum viri ,* Cornelius Celſus , *&* Julius Atticus : *quippe* Cornelius *totum corpus diſciplinæ quinque libris complexus eſt; hic de una ſpecie culturæ pertinentis ad vites ſingularem librum edidit. Cujus velut diſcipulus duo volumina ſimilium præceptorum de vineis* Julius Græcinus *compoſita facilius & eruditius poſteritati tradenda curavit.*

V. Hebræi pro ratione agriculturæ ſex numerabant anni tempora. Toſaphta Taanith c. 1. חצי תשרי מרחשון וחצי כסליו זרע חצי כסליו טבת וחצי שבת חורף חצי שבט ואדר וחצי ניסן קור חצי ניסן אייר וחצי סיון קציר חצי סיון תמוז וחצי אב קייץ חצי אב אלול וחצי תשרי חום רבי יהודה היא מונה ממרחשון ר' שמעון מונה מתשרי: *Dimidium Tiſri, Marcheſvan, & dimidium Kaslev, ſementis. Dimidium Caslev, Tebeth & dimidium Sebebath, præcocia. Dimidium Schebath, & Adar, & dimidium Niſan, frigus. Dimidium Niſan, Ijar, & dimidium Sivan meſſis. Dimidium Sivan, Tamuz, & dimidium Ab, æſtas. Dimidium Ab, Elul, & dimidium Tiſri, calor. R. Jebuda numerabat a Marcheſvan, R. Simeon numerabat a Tiſri.* In Targum Jonathan ad *Geneſ.* VII. 22. numeratur annus per æquinoctia, & ſolſtitia. דרוע בתקופת תשרי וחצרה בתקופת ניסן וקורא בתקופת טבת וחומא בתקופת תמוז: *Sementis in æquinoctio Tiſri, meſſis in æquinoctio Niſan, & frigus in ſolſtitio Thebeb, & calor in ſolſtitio Tamus. Memoratur in Targum Cantic.* I. 7. בתקופת תמוז *in ſolſtitio Tamus.* De ratione Tekupharum vide *Talmud Erubbin* fol. 56. I.

Varro lib. I. cap. 27. 28. in octo partes inæquales ratione agriculturæ dividit annum. *Et quoniam tempora duorum generum ſunt, unum annale , alterum menſtruum , quod luna circumiens comprehendit. Prius dicam de ſole. Ejus curſus annalis primum fere circiter ternis menſibus ad fructus in* IV. *partes, & idem ſubtilius ſeſquimenſibus in* VIII. *In quatuor , quod dividitur, in ver & æſtatem, & autumnum , & hyemem. Vere ſtationes quædam fiunt, terram rudem proſcindere oportet ; quæ ſunt ex ea enata , priuſquam ex iis quid ſeminis cadat, ut ſint eradicata, & ſimul glebis ab ſole percalefactis aptiores facere ad accipiendum imbrem, & ad opus faciliores , relaxatas; neque eam minus bis arandum, ter melius. Æſtate fieri meſſes oportere. Autumno ſiccis tempeſtatibus vindemias , ac ſylvas excoli commodiſſime : tunc præcidi arbores oportere ſecundum terram. Radices autem prioribus imbribus ut effodiantur , nequid ex his naſci poſſit . Hyeme putari arbores duntaxat his temporibus , cum gelu cortices & imbribus careant, & glacie. Dies primus eſt veris in Aquario , æſtatis in Tauro , autumni in Leone, hyemis in Scorpione. Cum uniuſcujuſque horum quatuor ſignorum dies tertius & viceſimus , quatuor temporum ſit primus, efficitur ut ver dies habeat* XCI. *æſtas* XCIV. *autumnus* XCI. *hyems* XXCIX. *Quæ redacta ad dies civiles noſtros , qui nunc ſunt primi verni temporis ex a. d.* VII. *Id. Febr. æſtivi ex a. d.* IV. *Idib. Maii autumnales ex a. d. Idib. Sext. hyberni ex a. d.* IV. *Id. Novemb. Subtilius diſcretis temporibus obſervanda quædam ſunt , ea quæ in partes* VIII. *dividuntur . Primum a favonio ad æquinoctium vernum dies* XL. *hinc ad Vergiliarum exortum dies* XLIV. *ab hoc ad ſolſtitium dies* XLVIII. *inde ad Caniculæ ſignum dies* XXIX. *dein ad æquinoctium autumnale dies* LXVII. *exin ad Vergiliarum occaſum dies* XXXII. *ab hoc ad brumam dies* LVII. *inde ad favonium dies* XLV. De his intervallis ſigillatim in ſequentibus agetur.

VI.

VI. Colonorum duo fuerunt genera apud Judæos, & ſimiliter apud Romanos: Alii qui pro certa mercede agrum colendum conducebant, & alii, qui pacta aliqua proventus parte conducebant: Priores vocantur שכירים mercenarii, operarii, mercede conducti. Apud Rabinos השוכר את הפועלים *conducens operarios*. השכיר locare, elocare domum, agros, & ſimilia pro certa mercede משכיר locator, שכירות, השכרה, שכירה, conductio, mercedis perſolutio. *Bava Metzia* cap. VIII. המשכיר בית לחבירו *Siquis locaverit domum ſocio ſuo*. Ibid. cap. IX. uberrime agitur de ſolvenda mercede mercenario. שכיר יום גובה כל הלילה שכיר לילה גובה כל היום שכיר שעות גובה כלהלילה וכל היום שכיר שבת שכיר חדש שכיר שנה שכיר שבוע יצא ביום גובה כל היום יצא בלילה גובה כל הלילה וכל היום אחד שכר אדם ואחד שכר בהמה ואחד שכר כלים ישבו משום ביומו תתן שכרו ויש בו משום לא תלין פעולת שכיר אתך עד בקר אימתי בזמן שתבעו לא תבעו אינו עובר עליו המחהו אצל חנוני או אצל שולחני אינו עובר עליו שכיר בזמנו נשבע ונוטל עבר זמנו אינו נשבע ונוטל אם יש עדים שתבעו הרי (סא׳) זה נשבע ונוטל גר תושב יש בו משום ביומו תתן שכרו ואין בו משום לא תלין פעולת שכיר אתך עד בוקר: Merces diurna exigi poteſt per totam noctem, merces nocturna exigi poteſt toto die; merces horarum exigi poteſt tota nocte, & toto die; Mercenarius ſeptimanæ, mercenarius menſis, mercenarius anni, mercenarius ſeptennii, ſi die exierit, toto die exigere poteſt, ſi noctu exierit, exigere poterit tota nocte, & toto die. In mercede hominis, in mercede vaſorum locum habet præceptum *Deut.* XXIV. 15. *Die ſuo ſolvet mercedem ejus*. Et præceptum *Levit.* XIX. 13. *Non pernoctabit tecum opus mercenarii uſque ad mane*. Quando hoc intelligendum eſt? Quando petierit; at ſi non petierit, non tranſgreditur. Si eum remiſerit ad cauponem, aut ad numularium, non tranſgreditur. Si eum remiſerit ad cauponem, aut ad numularium, non tranſgreditur dicta legis. Mercenarius in tempore ſuo jurabit, & recipiet, ſi tranſierit tempus illius, non jurabit, & ſimul recipiet: Si teſtes dixerint, quod mercedem in tempore ſuo petierit, jurabit, & recipiet. Proſelytus inquilinus comprehenditur in præcepto *Deut.* XXIV. 15. *Die ſuo ſolves mercedem ejus*: Et non comprehenditur in præcepto *Levit.* XIX. 13. *Non pernoctabit tecum opus mercenarii uſque ad mane*. Siphra 45. לא תלון פעולת שכיר אתך עד בוקר אין לי אלא שכר אדם שכר הבהמה והכלים מניין שכר הקרעות מניין ת״ל לא תלין פעולת כל דבר עד בוקר אינו עובר עליו אלא עד בוקר הראשון יכול אפילו ולא בא ולא תבעו ת״ל אתך לא אמרתי אלא שלא ילין אתך לרצונך יכול אפילו המחהו אצל החנוני ושולחני יהי עובר ליו ת״ל אתך לא ילין אתך לרצונך לא תלין פעולת שכיר אתך עד בוקר אין לי אלא שכיר יום שהוא גובה כל הלילה שכיר הלילה שגובה כל היום מניין ת״ל ביומו תתן שכרו: *Non pernoctabit tecum opus mercenarii uſque ad mane*. Non probo niſi de mercede hominis, de mercede quadrupedis & vaſorum unde probatur? De mercede fundorum unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *Non pernoctabit opus*. Quodcunque. *Uſque ad mane*. Non tranſgreditur præceptum niſi ad primum tempus matutinum. Crederem, vel ſi ipſe eum non adierit, & petierit? Idcirco dictum eſt: *Tecum*. Non pernoctabit tecum ex tuo libitu. Crederem vel ſi eum remiſerit ad cauponem, & ad nummularium quod tranſgrederetur præceptum? Idcirco dictum eſt: *Tecum*: Non dixi niſi quod non dormiat tecum ex tuo libitu. *Non pernoctabit tecum opus mercenarii uſque ad mane*. Non probo niſi de mercenario diurno, quod poſſit exigere tota nocte, de mercenario nocturno, quod poſſit exigere toto die, unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *Die ſuo ſolves mercedem ejus*. *Siphri* 51. 4. 52. 1. לא תעשוק שכיר והרי כבר נאמר לא תגזול מלמד שכל הכובש שכר שכירו עובר בחמשה לאוין משום בל תעשוק בל תגזול ובל תלין פעולת שכיר ומשום ביומו תתן שכירו ומשום לא תבוא עליו השמש מכלל שנ׳ ואליו הוא נושא את נפשו אין לי אלא מלאכה שהוא עושה בנפשו מלאכה שאין עושה בנפשו כגון גרדי וסורק מניין לא תעשוק מכל מקום אם כן למה נאמר עני ואביון ממהר אני ליפרע על ידי עני ואביון יותר מכל אדם מאחיך ולא מאחרים או מגרך זה גר צדק מלמד שעובר עליו בשני לאוין ר׳ יוסי ברבי יהודה אומר משום בל תעשוק ביומו תתן שכרו מלמד ששכרו יום גובה כל הלילה ושכר הלילה גובה כל היום מניין ת״ל לא תלין ולא תבוא עליו השמש כי עני הוא פרט לפסק מעמו ואליו הוא נושא את נפשו וכי למה עלה זה בכבש ומסר לך את נפשו לא שתתן לו שכרו בו ביום אם כן למה נאמר ואליו הוא נושא את נפשו אלא מלמד שכל הכובש שכר שכיר מעלה עליו הכתוב באילו הוא נושא את נפשו ולא יקרא עליך אליי׳ יכול מצוה שלא לקרות ת״ל וקרא עליך יכול מצותו לקרות ת״ל ולא יקרא עליך אליי׳ יכול אם קרא עליך יהיה בך חטא ואם לא יקרא עליך לא יהיה בך חטא ת״ל יהיה בך חטא מ״מ אם כן למה נאמר וקרא עליך ממהר אני ליפרע על ידי קורא יותר ממי שאינו קורא: *Non opprimes mercenarium*. Atqui jam dictum eſt: *Non furaberis*. Docetur, quod ſi quis abſcon-

ſcondat mercedem mercenarii, transgrediatur quinque præcepta negativa, ſc. *Non opprimes; non furaberis; & non pernoctabit opus mercenarii, & in die ſuo dabis mercedem ſuam: Et non occidet ſuper eo ſol*. Per conſequens dictum eſt: *Et ea ſuſtentat animam ſuam*. Non probo niſi de opere, quod ipſe facit anima ſua, de opere, quod ipſe non facit anima ſua, e. g. ſi pectat, ſi radat, unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *Non opprimes*. Omnimode. Si ita eſt, cur dictum eſt: *Pauperem & egenum*? Ego promtus ero ad ulciſcendum per manum pauperis & egeni, magis quam ex omnibus hominibus. *Ex fratribus tuis*. At non ex alienis. *Aut ex peregrinis tuis*. Iſte eſt proſelytus juſtitiæ. Docetur, quod ejus cauſa transgreditur duo præcepta negativa. R. Joſe bar R. Jehuda dicit: præceptum: *Non opprimes*. *In die ſuo dabis mercedem ſuam*. Docetur, quod mercenarius diurnus poſſit exigere tota nocte, & mercenarius nocturnus quod poſſit exigere tota die unde probatur? Ex eo quod dictum eſt. *Non pernoctabit*. *Et non occidat ſuper eo ſol*, *qua pauper eſt ipſe*. Excludit qui paciſcatur ex eo. *Et ea ſuſtentat animam ſuam*. Quid ſi aſcenderit in pontem & tibi tradiderit animam ſuam non dabis mercedem eo ipſo die? Si ita eſt, cur dictum eſt: *Et ea ſuſtentat animam ſuam*. Docetur, ſi quis occultet mercedem mercenarii, ab textu illi imputatur perinde ac ea ſuſtentet animam ſuam. *Ut non invocet contra te Dominum*. Crederem fuiſſe præceptum ut non invocaret? Idcirco dictum eſt. *Et non invocet contra te Dominum*. Crederem fuiſſe præceptum ut invocaret? Idcirco dictum eſt. *Ut non invocet contra te Dominum*. Crederem, ſi contra te invocet, quod ſit in te peccatum, at ſi non invocet, quod in te non ſit peccatum? Idcirco dictum eſt: *Et ſit in te peccatum*. Omnimode. Si ita eſt, cur dictum eſt: *Et invocet contra te Dominum*? Promtus ego ero ad ulciſcendum cauſa invocantis magis quam ſi non invocaverit.

Colonus partiarius dicitur חכיר a verbo כחר conducere hortum vel agrum pro certo numero vel menſuras fructum; & erat ille qui conducebat agrum, vineam, olivetum, & ſimilia pro certa ſumma fructuum. Hinc conductio dicebatur חכירות, חכרנות. Dicebatur etiam קבלן, qui conducto agro & deciſo pretio a locatore accipit agrum pro certo numero, aut menſura fructuum. Moed Katon fol. 11. 2. Unde acceptio, acceptum conductum pro certa parte fructuum dicebatur קבולה, קבלנות, קבלנותא. Aſt קבולת eſt conductio pro dimidia tertia aut quarta parte totius proventus, ſive exiguus ſit, ſive amplus, ſive perierit multum, ſive parvum, id utrique commune. Vocabatur etiam אריס: omnia breviter explicantur in Gemara Hieroſolymitana *Demai* cap. VI. 1. החוכר בפירות השוכר חוכר .ſc במעות המקבל למחצה לשליש ולרבע *in fructibus*, השוכר *in pecunia*, המקבל *in dimidia*, *tertia*, *& quarta parte*: Bava Metzia c. 9. המקבל שדה מחבירו מקום שנהגו לקצור יקצור לעקור יעקיר לחרוש יחרוש הכל במנהג המדינה כשם שחולקין בתבואה כן חולקין בתבן ובקש כשם שחולקין ביין כך חולקין בזומרות ובקנים ושניהם מספקין את הקנים המקבל שדה מחבירי והוא בית השלחין או בית האילן יבש המעין ונקצץ האילן אין מנכה לו מן חכורו אם אמר לו חכור לי שדה בית השלחין זה שדה בית האילן זה יבש המעין ונקצץ האילן מנכה לו מן חכורה המקבל שדה מחבירו וחוכירה שמין אותה כמה ראויה לעשות ונותן לו שכך כותב לו אם אוביר ולא אעביר אשלם במיטבא המקבל שדה מחבירו ולא רצה לנכש ואומר לו מה איכפת לך הואיל ואני נותן לך חכורך אין שומעין לו מפני שיכול לומר לו למחר אתה יוצא ממנה ומעלה לפני עשבים המקבל שדה מחבירו ולא עשתה אם יש בה כדי לעמיד כרי חייב ליטפל בה א״ר יהודה מה קצבה בכרי אלא אם יש בו כרי נפילה המקבל שדה מחבירו ואכלה חגב או נשרפה אם מכת מדינה היא מנכה מן חכורו ר׳ יהודה אומר אם קבלה הימנו במעות בין כך ובין כך אינו מנכה לו מחכורו המקבל שדה מחבירו בעשרה כור חטים לשנה לקתה נותן לו מתוכה היו חיטיה יפות לא יאמר לו הריני לוקח מן השוק אלא נותן לו מתוכה המקבל שדה מחבירו לזרעה שעורים לא יזרענה חטים נזרענה שעורים רשב״ג אוסר תבואה לא יזרענה קטנית קטנית יזרענה תבואה (נ״א בהיפך) רשב״ג אוסר המקבל שדה מחבירו לשנים מועטות לא יזרענה פשתן ואין לו בקורת שקמה קבלת הימנו לשבע שנים שנה ראשונה יזרענה פשתן ויש לו בקורת שקמה המקבל שדה מחבירו לשבוע אחת בשבע מאות זוז השבעית מן המנין קבלה הימנו שבע שנים בשבע מאות זוז אין השביעית מן המנין: Siquis receperit agrum a ſocio ſuo, in loco ubi metere ſolent, metat, ubi extirpare ſolet, exſtirpet, ubi arare ſolent poſtes, aret, omnia juxta morem provinciæ. Sicut dividunt in proventu, ita etiam dividunt in palea, & in cannis. Sicut dividunt in vino, ita quoque in palmitibus dividunt, & in cannis, & ambo ſuppeditant cannas. Si quis receperit agrum a ſocio ſuo, & ille fuerit ager ſiticuloſus, aut arboribus conſitus, & fons exſiccatus fuerit, atque arbor ſucciſa, non diminuet ei de cultura illius. Si ei dixerit; locato mihi hunc agrum ſiticuloſum, aut hunc

hunc campum arboribus consitum, & fons exsiccatus fuerit, & arbor succisa, diminuet ei de cultura illius. Siquis receperit agrum a socio suo, eumque reliquerit incultum, æstimant eum quantum proferre possit, & conductor debeat dare; Nam sic scribet ei. *Si ego relinquam incultum, & non operer, solvam optimis meis bonis*. Si quis receperit agrum a socio suo *eumque voluerit* purificare a zizania, dixeritque locatori, *quid tua refert, quoniam tibi solvo mercedem conducti?* Non audiunt ipsum quia ei dicere poterit locator: *Cras exis ab illo, & pro me herbas producis*. Si quis receperit agrum a socio suo, & parum produxerit, attamen tantum produxerit, ut inde confici possit acervus; tenetur ei operam dare. Dicit R. Jehuda: Quæ limitatio pro acervo? Si in eo fuerit illius quod severit mensura. Siquis receperit agrum a socio suo, eumque comederint locustæ, vel uredine tactus fuerit, vel plaga provinciæ affectus fuerit, diminuit de mercede conducta. R. Jehuda dicit. Si receperit illum ab ipso pro nummis, sive hoc sive illo modo, non diminuet de mercede culturæ. Siquis receperit agrum a socio suo pro decem coris tritici quotannis, & ille corruptus fuerit; dabit ei de eo quod in illo est; si vero triticum illius bonum fuerit, non dicet ei: Emam in foro: sed ei dabit de eo, quod in agro est. Siquis receperit agrum a socio suo ad conserendam eum hordeo, ne conserat eum tritico, si tritico, conserat eum hordeo. Raban Simeon ben Gamaliel prohibet. Si proventu, ne conserat eum legumine, si legumine, conseret eum proventu. Raban Simeon ben Gamaliel prohibet. Si receperit agrum a socio suo in paucos annos ne conserat eum lino, neque ei jus est in lingua sycomori. Si eum receperit in septem annos, anno primo illum conseret lino, & jus habebit in ligna sycomori. Siquis receperit agrum a socio suo in septimanam (annorum) pro septingentis zuzis, tum annus septimus est intra computum: Siquis in septem annos receperit pro septingentis zuzis, tum annus septimus non est intra computum. Misna *Demai* cap. VI. המקבל שדה מישראל מן הנכרי מן הכותי יחלק לפניהם החוכר שדה מישראל תורם ונותן לו וגו' החוכר שדה מן הנכרי מעשר ונותן לו וגו' המקבל זיתים לשמן כשם שחולקין בחולין כך חולקין לתרומות: *Qui agrum colendum redemerit ab Israelita, alienigena, & Cuthæo, coram eis dividat. Qui agrum pensione conduxerit ab Israelita, primitiis prius desumtis pendit &c. Qui agrum pensione conduxerit ab alienigena, decimis prius desumtis pendit &c. Siquis oleas ad oleum faciendum redimat, quemadmodum partiario dividunt rem profanam, sic etiam partiario dividunt primitias*. *Peah* cap. V. שנים שקבלו את השדה באריסות נותן לזה חלקו מעשר עני וזה נותן לזה חלקו מעשר עני המקבל שדה לקצור אסור בלקט שכחה ופאה ומעשר עני: *Duorum qui agrum conduxerint ad culturam partiariam, hic illi dat partis suæ decimas pauperum, & ille huic partis suæ decimas pauperam. Qui agrium metendum conduxerit, ei interdicitur spicilegio, prætermisso, angulo, & decimis pauperum*. Ubi *Guisius*. *Culturam partiariam*. Coloni Judæis pariter ac Romanis dum sunt generum, qui agrum colendum conducunt pacti certam pensionem, & qui conducunt, pacti aliquotam partem proventus. Priores qui pensionem determinatam proprietario reddunt, si pensio sit in frugibus, vocantur חוכרים, vel חכירים, & pensio dicitur חכור, si in pecuniis numeratis שוכרים, & שכירין. Unde illud ex titulo *Demai R. Nathan* citatum מה בין שוכר לחוכר השוכר במעות והחוכר בפירות: *Quid interest inter* שוכר & חוכר? *Hoc quod* שוכר *sit nummis conductus, &* חוכר *in frugibus*. Quoniam verba in Misna non extant, sed in Baraita illius tituli, ut inde citantur a *Maggid* Misna ad *Maimonidis* Hal-Sechir VIII. I. Utrique recte comprehenduntur Jurisconsultis Romanis nomine *colonorum*, *qui immunes colunt* L. *si apes*. Dig. *de furtis*. Ubi vide *Dionysium Gothofredum*. Nos distinctius ergo pro חוכרים semper ponimus *pensione conducentes* pro שוכרים *nummis conducentes*. Qui partibus colunt dicuntur אריסין *coloni* vel *redemtores partiarii*, ut optime *Cato de re rustica* 137. qui aliquotam partem proventus Domino fundi pendunt. Tales γεωργοὶ isti parabolæ Evangelicæ *Matth*. XXI. 33. & in locis paralellis *Marci* & *Lucæ* Interpres Chaldæo-Samaritanus ponit hanc vocem pro מס: *Genes*. XLIX. 15. [illegible] [illegible] [illegible] & Interpres Latinus: *Et fuit convivis pastor*. Verto *& factus est vectigalis colonus* [illegible] enim hic *colonus* est, ut alibi apud eundem interpretem verbum [illegible] est *colere*. *Deut*. XXVIII. 39. & [illegible] *agricultura*. *Genes*. IX. 2. [illegible] autem speciem determinat, ut sit *colonus partiarius* vel *vectigalis*. Vide etiam *Deut*. XX. 11. Similiter Arabibus أريس & أريس ejusmodi colonus esse videtur. Quamquam *Phiruzabadius* similiter exponat

ponat الاو *agricola*. Verbum in II. conjugatione أرس *talem colonum adſcivit* i. e. استعدمه ut idem Camuſi autor, quod non ſatis intellexiſſe videtur doctiſſimus *Gelius*; dum ſic exponit: *operam alicujus & miniſterium expetivit, eoque uſus fuit.* أرس enim eſt استعدمه أريسا *pro colono uſus eſt*; atque ita intelligi voluit & debuit *Phiruzbadius*. Hinc noſtrum אריסות *cultura partiaria* quod & alibi dicitur קבלנות uti קבלנותא *cultura partiaria* & חכרנותא *conductio ad penſionem* exponuntur Gem. *Babylonica Bava Metzia* 104. 4. Unde etiam מקבל & קבלן *colonus* vel *redemtor parciarius*. Coloni ſpeciem diverſam ab אריס conſtituere hac differentia ut אריס is ſit colonus, cui mercedis loco partem proventus aliquotam Dominus fundi paciſcitur, ipſe interim impenſas culturæ & meliorationis ſuppeditans, ut forſan ita *villicum* non male intelligas: מקבל is qui agrum ea lege colendum conducit, ut aliquotam frugum partem Domino pendat, ipſe autem impenſas omnes culturæ, & meliorationis ſuſtineat. Sed hæc neſcio qua veterum autoritate nituntur. Certe uſu didici non ſemper tutum eſſe *Tanchumo* fidem præſtare. Perlegeſis *Dem.* VI. & ibi *Gemaram Hieroſolymitanam*. *Baba Metzia* IX. *Maimonidem* Hal. *Sechir* VIII. *& ad Biccur.* I. 2. item R. *Nathanem* in חכר præter recentiores. Quod autem ad originem vocis אריס minime probo ſententiam *Muſaphiæ*, qui Græcam eſſe vult, & illa lingua *cuſtos* denotare. Intelligit, ni fallor ἔρος *Homeri*. Sed hoc nimis alienum. R. *Nathan* affert עריסי pro אקירי ex *Bava Bathra* 46. 6. (non 42. ut male notatur in Codd.) atque hinc eſt, quod *Cohen de Lara* conferat cum Arabico لعريس & *villicum* exponat. Sed لعريس nuſquam ſignificat *villicum* Arabibus quanquam لعارس ita ſignificare poſſit, ut in Arabe *Erpeniano* Joh. XV. I. لعرس *plantavit*. Sed neutrum horum mihi probatur. *Cato* cap. CXXXVII. *Vineam curandam partiario bene curet; fundum, arbuſtum, agrum frumentarium. Partiario fœnum & pabulum, quod bubus ſatis fiet, qui illic ſient. Cetera omnia pro indiviſo.*

VII. Ager præſtantiſſimus, mediocris, & deterior: (inquit *Guiſius* in commentario ad cap. V. 4. *Schevviith*) *Gitt.* V. I. triplex habetur fundi differentia עדית *ſolum præſtantiſſimum*, בינונית *mediocre*; & זיבורית *macrum & deterrimum*. Eadem vox עדית eodem ſenſu legitur in Paraphraſte Chaldæo *Pſal.* LXXIII. 13. Vocis notationem quam fruſtra quærunt Judæi ſuggerit nobis lingua Arabica, in qua عدي de ſolo uſurpatum ſignificat *lætum & pingua evaſit*. Inde iſtiuſmodi ſolum عديه & عداه quod noſtrum plane eſt עדית. Exemplum affert *Zamachſharius* براوا في أرديهات عدان *conſederunt in vallibus lætiſſima prata complexis*. Ubi عدوات exponit الارضين الطيبه التربه الدريمه النبات *terrena læti cæſpitis, uberrimi proventus*. Aliud etiam e Poeta بارض عداه جيدا صحواتها *in terra uberrima eximie ſerena*. Sed elegantiam omnem ſuperat verſus Dhurrummæ; in quo ita hoc vocabulum uſurpat, ut ſimul de ſenſu dubitare non ſinat

بارض لعجان التري وسمية التري
عداه نات عنها اللحة وانبحر

In terra læti cæſpitis, vernantis glebæ, uberrima, a qua longe abſunt ſalſugo & ſalum.

Eodem fere pacto dividitur ager a *Varrone* lib. I. cap. 9. *Sic magna tria diſcrimina terræ, quod refert utrum ſit macra, an pinguis, an mediocris, quo ad culturam pinguis fœcundior ad multa, macra contra. Itaque in iis, ut in Pupinia, neque arbores prolixas, neque vites feraces, neque ſtramenta videre craſſa poſſis, neque ficum mariſcam, & arbores pleraſque ac prata retorrida, & muſcoſa. Contra in agro pingui, ut in Hetruria, licet videre ſegetes fructuoſas, ac reſtibiles, & arbores prolixas, & omnia ſine muſco. In mediocri autem terra, ut in Tiburti, quod propius accedit, ut non ſit macra, quam ut ſit jejuna, eo ad omnes res commodior, quam ſi inclinavit ad illud, quod eſt deterius. Columella* lib. II. cap. 2. *His autem generibus ſingulis ſevæ ſpecies contribuantur, ſoli pinguis vel macri, ſoluti vel ſpiſſi, humidi vel ſicci, quæ qualitates inter ſe miſtæ vicibus & alternatæ plurimas efficiunt agrorum varietates, eas enumerare non eſt artificii agricolæ. Neque enim artis affectum eſt, per ſpecies quæ ſunt innumerabiles evagari, ſed ingredi per genera; quæ poſſunt cogitatione mentis, & ambitu verborum facile copulari. Recurrendam eſt igitur ad qualitatum inter ſe diſſiden-*

sidentium, quasi quasdam conjunctiones quas Græci συζυγίας ἐναντιοτήτων*, nos discordantium comparationes tolerabiliter diximus. Atque etiam significandum ex omnibus quæ terra progeneret, plura campo magis, quam colle, plura pingui solo quam macro lætari. De siccaneis & riguis non comperimus utra numero vincant, cum utraque pene infinita sint, quæ siccis quæque humidis locis gaudent, sed ex his nihil non melius resoluta humo quam densa provenit. Quod noster quoque* Virgilius *cum & alias fœcundi arvi laudes retulisse adjecit.* Et cui putre solum: namque hoc imitamur arando. *Neque enim aliud est colere, quam resolvere & fermentare terram, ideoque maximos quæstus ager præbet. Idem pinguis ac putris, quia cum plurimum reddat, minimum poscit; & quod postulat exiguo labore atque impensa conficitur; præstantissimum igitur tale solum jure dicatur. Proximum deinde huic pinguiter densum, quod impensam coloni laboremque magno fœtu remuneratur. Tertia est ratio loci rigui, quia sine impensa fructum reddere potest. Hunc primum Cato esse dicebat, qui maxime reditum pratorum ceteris anteponebat. Sed nos de agitatione terræ nunc loquimur, non de situ. Nullum deterius habetur genus quam quod est siccum pariter, & densum & macrum; quia cum difficulter tractetur, tum ne tractatum quidem gratiam refert: nec relictum pratis vel pascuis abunde sufficit. Itaque hic ager sive exercetur, sive cessat, colono est pœnitendus, ac tanquam pestilens refugiendus. Nam illa mortem facit, hic teterrimam comitem mortis famem, si tamen Græcis Cacenis habemus fidem clamitantibus.* Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανεῖν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν. *Palladius* lib. 1. cap. 5. *Sed cum sint genera terrarum plurima, ut pinguis aut macra, spissa vel rara, sicca vel humida, & ex his pleraque vitiosa, tamen propter seminum differentiam sæpe necessaria; maxime, sicut supra dixi, eligendus est pinguis, ac resolutus ager, qui minimum laborem poscit, & fructum maximum reddit. Secundi meriti est spissus, qui labore quidem maximo, tamen ad vota respondet. Illud vero deterrimum genus est, quod erit siccum simul & spissum, & macrum vel frigidum; qui ager pestiferi more fugiendus est.*

Optimus erit ager, qui sit divisus in campestrem, collinum & montanum, ut variis fructibus pro varietate soli nutriendis aptus & opportunus sit. Hinc Judæa in solum campestre, collinum & montanum egregie divisa erat. *Schevviith* cap. IX. שלש ארצות לביעור יהודה ועבר הירדן והגליל ושלש שלש ארצות לכל אחת ואחת גליל העליון וגליל התחתון והעמק מכפר חנניה ולמעלן כל שאינו מגדל שקמין גליל העליון ומכפר חנניה ולמטן כל שהוא מגדל שקמין גליל התחתון ותחום טבריה העמק וביהוד' ההר שפלה והעמק ושפלה לוד כשפלה הדרום וההר שלה כהר המלך מבית חורון ועד הים מדינה אחת: Trifariam dispescitur terra ratione pollucturæ, in Judæam, Peræam, & Galilæam; quæ singulæ etiam trifariam. Galilæa in superiorem, inferiorem, & vallem; quarum superior complectitur quicquid supra Capharnaum quod Sycomoros non alit, inferior quicquid infra Capharnaum, quod fert sycomoros, vallis territorium Tiberiadis. Judæa in montanam, campestrem, & vallem. Campestria Lyddæ æquiparantur campestribus austri, montana ejusdem monti regio. A Beth-Horon autem ad mare regio singularis. Tosaphta Scheviith ר' שמעון בן אליעזר אומר אי זהו הר שבעבר הירדן כגון הרי מכוור ונדור וחברותיו שפלה שלה חשבון וכל עריה שבמישור דיבון ובמות בעל ובית בעל מעון עמק שלה כגון בית נמרה ובית חרן וחברותיה: R. Simeon ben Eliser dicit. Quænam est montana Pereæ? Nempe montes Machæruntis, & Gador cum reliquis ejusmodi. Campestria ejusdem Esbon cum omnibus ejus oppidis, quæ in planitie, ut Disbon, Bamothbaal, Bethaalmaon. Vallis ejusdem Bethnamra, Bethharan, cum reliquis ejusmodi. Gemara Hierosolymitana ad præcedentem Misnam: תני רשב"ג אומר סימן להרים מילין לעמקים תמרים לנחלים קנים לשפלה שקמים וא"עפ שאין ראייה לדבר זכר לדבר ואת הארזים נתן כשקמי' אשר בשפלה לרוב אית דבעי מימר למידת הדין איתמר ואית דבעי מימר לעגלה ערופה איתמר אי זהו עמק בגליל כגון בקעת גינוסר וחברותיה וכן כיוצה בהן אי זהו הר שביודה זה הר המלך ושפלתו זו שפלת דרום ועמק שלו מעין גדי ועד יריחו אי זהו הר שבבעבר הירדן תני ר' שמעון בן אלעזר אומר כגון הרי מכוור וגדיר וכן כיוצא בהן ושפלתו חשבון וכל עריה אשר במישור דיבון ובמות בעל ובי' בעל מעון וכן כיוצא בהן ועמק שלו בית חרן ובית נמרה וכן כיוצא בהן ובעמק בית חרן ובית נמרה וסובות וצפון יתר ממלכת סיחון מלך האמורי אשר מלך בחשבון בית חרם בית רמתה בית נמרה בית נמרין סכות דרעלה צפון עמתו שפלה שבהר כהר ושבשפלה כשפלה שבהר כהר והר שבשפלה כשפלה א"ר יוסי מתני' אמר כן וההר שלה כהר המלך מבית חורין ועד הים מדינה אחת: Traditio: Raban Simeon ben Gamaliel dicit: Signum montium sunt quercus, signum vallium sunt palmæ, signum fluminum sunt arundines, signum planitiei sunt sycomori. Licet non sit rei demonstratio, tamen est rei argumentum. Dictum

ctum est enim. 1. *Reg.* 10. 27. & *cedrorum dedit multitudinem sicut sycomoros, quæ nascuntur in campestribus*: Si dicendum fuit argumenti causa, dictum est; si dicendum fuit, propter vitulam decollandam, dictum est. Quænam est vallis Galilææ? scilicet vallis Ginnasar, & ejus similes; Quinam est mons Judææ? Mons regius, & ejus planities; hæc est planities australis; & ejus vallis; ab Engadi usque ad Jericho. Quinam est mons in Peræa? Traditio. R. Simeon ben Elieser dicit: e. g. montes Macor, & Gador, & his similes: ejus planities? Chesbon, & omnes ejus urbes, quæ sunt in planitie, Dibbon, & Bamoth-Baal, & Beth-Baal, Baal-Mehon, & his similes. Ejus vallis? Bethchoron, Bethnemra succhoth; & Tsephon athar a regno Sichon regis Amorrhæorum, qui regnavit in Hesbon; Bethchorom, Bethramatha, Bethnamra, Bethnamrin, Suchoth Rehala, Tsephon amatho. Planities quæ est monte, reputatur mons; & planities quæ est in valle, reputatur vallis. Hinc est traditio. Mons & ejus montes, vallis & ejus vallis, planities & ejus planities; Hoc dicit: Vallis quæ est in monte, reputatur mons, & mons qui est in valle, reputantur vallis. Dicit R. Jose. Misna ita dicit. Et ejus mons sicut mons regius. A Bethchorone usque ad mare regio singularis. *Varro* hæc tria soli genera requirit in agro l. c. *Igitur cum tria genera sint a specie simplicia agrorum, campestre, collinum, & montanum, & ex iis tribus quartum, ut in eo fundo, in quo hæc duo vel tria sunt, ut in multis locis licet videri. E quibus tribus fastigiis simplicibus, sine dubio infimis alia cultura aptior, quam summis, quod hæc calidiora quam summa: sic collinis, quod ea tepidiora quam infima aut summa. Hæc apparent magis item esse in latioribus regionibus, simplicia cum sunt. Itaque ubi lati campi, ibi magis æstus. Et eo in Apulia loca calidiora ac graviora. Et ubi montana, ut in Vesuvio, quod leviora, & ideo salubriora. Qui colunt deorsum, magis æstate laborant, qui sursum, magis hyeme; verno tempore in campestribus maturius eadem illa seruntur, quam in superioribus, & celerius hic quam illic coguntur; nec non sursum quam deorsum tardius seruntur, ac metuntur. Quædam in montanis prolixiora nascuntur ac firmiora propter frigus, ut abietes ac sappini; hic, quod tepidiora, populi ac salices; sursum fertiliora, ut arbutus ac quercus: deorsum, ut nuces Græcæ ac mariscæ fici. In collibus humilibus societas major cum campestri fructu, quam cum montano: in altis contra. Propter hæc tria fastigia formæ, discrimina quædam fiunt sationum, quod segetes meliores existimantur esse campestres, vineæ collinæ, sylvæ montanæ. Plerunque hyberna iis esse meliora, qui colunt campestria, quod tunc prata ibi herbosa, putatio arborum tolerabilior. Contra æstiva montanis locis commodiora, quod ibi tum & pabulum multum, quod in campis aret; ac cultura arborum aptior, quod tum illic frigidior aer. Campester locus is melior, qui totus æquabiliter in unam partem vergit, quam is qui est ad libellam æquus, quod is, cum aquæ non habent delapsum, fieri solet uliginosus; eo magis si quis est inæquabilis, eo deterior, quod sit propter lacunas aquosus. Hæc atque hujuscemodi tria fastigia agri ad colendum dispariliter habent momentum.* *Columella* lib. 1. cap. 2. *Quapropter vel a majoribus traditum possidenti, vel emturo fundum præcipua cura sit scire, quod maxime regionis genus probetur, ut vel careat inutili, vel mercetur laudabilem. Quod si voto fortuna subscripserit, agrum habebimus salubri cœlo, uberi glæba parte campestri, parte alia collibus, vel ad orientem, vel ad meridiem molliter devexis, terrenisque aliis cultis, atque aliis sylvestribus, & asperis, nec procul a mari, aut navigabili flumine, quo deportari fructus, & per quod merces invehi possint. Campus in prata & arva salictaque & arundineta digestus, ædificio subjaceat. Colles alii vacui arboribus, ut solis segetibus serviant, quæ tamen modice siccis ac pinguibus campis melius, quam præcipitibus locis proveniunt. Ideoque etiam celsiores agri frumentarii planities habere, & quam mollissime devexi, ac simillimi debent esse campestri positioni. Alii deinde colles olivetis vinetisque & earum futuris pedamentis vestiantur, materiam lapidemque, si necessitas ædificandi coegerit, nec minus pecudibus pascua, præbere possint. Tum rivos decurrentes in prata & hortos & salicta, vivæ aquæ salientes demittant, nec absint greges armentorum, cererorumque quadrupedum, culta & dumeta pascentium. Sed hæc positio, quam desideramus, difficilis & rara paucis contingit; proxima est huic, quæ plurima ex his habet; tolerabilis quæ non paucissima.*

VIII. Septis, & maceriis fuisse septos agros & vineas, quibus fures & feræ arcerentur, vel antiquissimis temporibus apud Hebræos legitur *Num.* XXII. 24. *Stetit Angelus in platea vinearum* גדר מזה וגדר מזה: *& sepes ab hoc latere, & sepes ab illo latere. Chaldæus* גדירא מכא וגדירא מכא *maceries hinc, & maceries illinc. Targum Hierosol.* ibid. וסינא מדין סטרא וסיגא מדין סטרא: *Et sepes ab hoc late-*

latere, & *sepes ab illo latere*. *Job* XIX. 8. ארחי גדר *semitam meam obsepsit*. Chaldeus אסרטי חוטר *Psal*. LXXX. 13. למה פרצת גדריה *Ut quid destruxisti sepem ejus?* Ibid. LXII. גדר הדחויה *Sicut sepes rupta*. Chaldæus היך גדרא דעיעתא *Sicut maceria rupta*. Ibid. LXXXIX. 40. פרצת כל גדרותיו *Destruxisti omnes sepes ejus*. *Esai*. V. ויעזקהו *Et sepivi eam* id est vineam. Et ibid. vers. 5. *Et nunc ostendam vobis quid faciam vineæ meæ*, פרץ גדרו *diruam sepem ejus*, & *erit in conculcationem*. *Prov*. XXIV. 30. 31. *Per agrum hominis pigri transivi*, & *per vineam viri stulti*; & *ecce totum repleverunt urticæ*, & *operuerunt superficiem ejus spinæ* וגדר אבניו נהרסה & *maceria lapidum destructa erat*.

A Talmudicis horum septorum fit mentio, & pro varietate materiæ variis nominibus insigniuntur. Sepes vocatur ריתקא רתוקה proprie ex ramis implexis instar catenæ a רתוק catena. Bava Metzia fol. 107. 2. שורא וריתקא *murus* & *sepes*. Dicitur etiam נפא *Peah* cap. 6. ubi *Bartenora* גפא & גדר *maceria lapidea*, *sine cæmento*. Præterea vocatur חייץ sc. sepimentum, maceries, substructio: *Scheviith* cap. 3. *Neque vero ex aggesta terra id fieri debet* אבל הוא חייץ; *Sed facit maceriam lapideam*. Vid. *Ezech*. XIII. 10. Præter septa, & sepimenta solebant veteres Judæi aggerare agros & vineas ex aggesta terra effossa; & hic agger, qui extuebatur circa agrum vocabatur ארכבתא vide *Bava Metzia* fol. 103. 1. Præterea circa vineas & agros solebant fossas facere, & earum terra aggesta dicitur כסלא. *Nedar*. fol. 6. 2. ככסלי לאוניא *Sicut tumuli, vel aggeres fossæ*. Agger, & aggesta terra circa agros בוכרא appellatur *Bava Metzia* fol. 103. 2. *Si subsidat, secundo accumulatur*, & *tunc vocatur* טפחא *ab augendo: Si* & *tunc deprimitur, aggeratur denuo*, & *vocatur* ארכבתא *superadditio*. *Varro* lib. I. cap. 14. varia horum septorum genera commemorat. *Nunc* (inquit) *de septis, quæ tutandi causa fundi, aut partis, fiant: Earum tutelarum genera* IV. *unum naturale, alterum agreste, tertium militare, quartum fabrile: Horum unumquodque species habet plures. Primum naturale sepimentum, quod obseri solet virgultis, aut spinis, quod habet radices, ac* (*vivæ sepis*) *prætereuntis lascivi non metuet facem ardentem. Secunda sepes est ex agresti ligno, sed non vivit: Fit aut palis statutis crebris, e virgultis implicatis, aut latis perforatis*, & *per ea foramina trajectis longuriis fere binis aut ternis; aut ex arboribus truncis demissis in terram, deinceps constitutis. Tertium militare sepimentum est fossa*, & *terreus agger; sed fossa ita idonea est, si omnem aquam quæ e cœlo venit, recipere potest, aut fastigium habet, ut exeat e fundo: agger is bonus, qui intrinsecus junctus fossa, aut ita arduus ut eum transcendere non sit facile. Hoc genus sepes fieri secundum vias publicas solent*, & *secundum amnes. Ad viam Salariam in agro Crustumino videre licet locis aliquot conjunctos aggeres cum fossis, ne flumen agris noceat. Aggeres qui faciunt sine fossa, eos quidem vocant muros, ut in agro Reatino. Quartum fabrile sepimentum est novissimum, maceria: Hujus fere species quatuor: quod fiunt e lapide, ut in agro Thusculano: quod e lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod e lateribus crudis, ut in agro Sabino: quod ex terra* & *lapillis compositis in formis, ut in Hispania*, & *in agro Tarentino*. *Columella* lib. XI. cap. 3. *Democritus in eo libro, quem Georgicon appellavit, parum prudenter censet eos facere, qui hortis extruant munimenta, quod neque latere fabricata maceries perennare possit, pluviis ac tempestatibus plerumque infestata, neque lapides supra rei dignitatem poscat impensa; si vero amplum modum sepire quis velit, patrimonio esse opus. Ipse igitur ostendam rationem, qua non magna opera, hortum ab incursu hominum pecudumque munimus. Vetustissimi autores vivam sepem structili prætulerunt, quia non solum minorem impensam desideraret, verumtamen diuturnior immensis temporibus permaneret: Itaque vepres efficiendi consitis spinis rationem talem reddiderunt. Locus quem sepire destinaveris, ab æquinoctio autumnali simul atque terra madueris imbribus, circumvallandus est duobus sulcis tripedaneo spatio inter se distantibus: modum altitudinis* & *latitudinis eorum, abunde est esse bipedaneum, sed eos vacuos perhiemare patiemur præparatis seminibus, quibus obseruntur: ea sint vastissimarum spinarum, maximeque rubi*, & *paliuri*, & *ejus quam Græci vocant* κυνόσβατον, *nos sentem canis appellamus. Horum autem ruborum semina quam maturissima eligi oportet*, & *ervi moliti ferinæ immiscere, quæ cum est aqua conspersa, illinitur vel nauticis veteribus funibus, vel quibuslibet aliis restibus: siccati deinde funiculi reponuntur in tabulato. Mox ubi bruma confecta est, intermissis quadraginta diebus, circa hirundinis adventum, cum jam Favonius exoritur, post Idus Februar. siqua in sulcis per hyemem constitit aqua, exhauritur, resolutaque humus, quæ erat autumno regesta, usque ad mediam sulcorum altitudinem reponitur. Prædicti deinde funes de tabulato promti explicantur*, & *in longitudinem per utrumque sulcum porrecti obruuntur, sed ita ut non nimium*

mium supergesta terra semina spinarum, quæ inhærent toris funiculorum, enasci possint: ea fere circa trigesimum diem prorepunt: atque ubi cœperunt aliquod incrementum habere, sic insuesci debent, ut in id spatium quod sulcis interjacet, inclinentur. Oportebit autem virgeam sepem interponere, quam superscendant sentes utriusque sulci, & sit quo interdum quasi adminiculo, priusquam corroborentur, acquiescant. Hunc veprem manifestum est interimi non posse, nisi radicitus effodere velis; ceterum etiam post ignis injuriam, melius renasci, nulli dubium est. Et hæc quidem claudendi horti ratio maxime est antiquis probata. Palladius lib. I. cap. 34. *Debent etiam horti esse clausi, sed munitionis multa sunt genera. Alii luto inter formas clauso, parietes figuratos ex lateribus imitantur. Quibus copia suppetit, macerias luto & lapide excitant. Plerique sine luto congesta in ordinem saxa componunt. Nonnulli fossis spatia colenda præcingunt, quod vitandum est, quia horto subducit humores, nisi forte locus palustris colatur. Alii spinarum plantas & semina in munitione disponunt. Sed melius erit rubi semina, & spinæ quæ rubus caninus vocatur, matura colligere, & cum farina ervi ex aqua macerata miscere, funes dehinc sparteos veteres hoc genere mistionis sic inducere, ut intus funes semina recepta serventur, usque ad verni temporis initia. Tunc ubi sepes futura est, duos sulcos tribus a se pedibus separatos, sesquipedis altitudine faciemus, & per utrosque funes cum seminibus obruemus levi terra. Ita trigesimo die procedunt sentes, quos teneris adminiculis opus est adjuvare, quibus inter se sentes per spatia vacua relicta jungentur.* Iterum lib. III. 24. *Circa Idus Februarias sepes hortorum ex congesto in funibus spinarum semine faciendæ sunt, sicut dictum est, cum de munimine loqueremur hortorum. Item Græci dicunt de crassa rubi virga fieri debere particulas, & palmaribus scrobibus obrui, & quotidie donec frondeat, fossione & rigatione nutriri.* Virgilius Georgic. lib. I.

> —— *segeti prætendere sepem*

Idem ibid.

> *Exacuunt alii vallos furcasque bicornes.*

Ubi Servius. *Exacuunt*: Repurgant & reformant in altitudinem pristinam. *Vallos.* Fossas & muros de terras factos & glæbis, qui fiunt in circuitu cohortium & vinearum; aut quibus aquæ ducuntur de locis aquosis.

IX. Agri lapidibus & sentibus expurgati. *Esai.* V. 2. ויסקלהו. *Et elapidavit eam. Scheviit* cap. II. מסקלין עד ר״ה. Elapidant ad annum usque ineuntem. Ubi *Maimonides* מסקלין notat lapides removere ex agro. Ibid. *Gemara Hierosolymitana ad* h. l. מסקלין עד ראש השנה כו׳ חמן חנינן המסקל את שדהו נוטל את העליונות ומניח את הנוגעות בארץ וכא את אמר הכין אמר ר׳ יונה כאן בתלוש כאן במחובר: *Elapidant ad annum usque ineuntem &c. Ibi legimus. Is qui agrum lapidibus purgat, superioribus sublatis, relinquere eos debet, qui humo contigui sunt. Et hic tu ita dicis? Dicit R. Jona. Hic intelligitur de lapide avulso, & illic de lapide solo adhærente. Misna* iterum cap. III. אבנים שזעזעתן המחרישת או שהיו מכוסות ונתגלו יש בהם שתים של משאוי שנים הרי אלו ינטלו המסקל את שדהו נוטל את העליונות ומניח את הנוגעות בארץ וכן גרגר של צרות או גל של אבנים נוטל את העליונות ומניח את הנוגעות בארץ אם יש תחתיהן סלע או קש הרי אלו ינטלו: *Saxa quæ disjecerit aratrum, vel quæ adobruta reteguntur, si inter ea duo sint, quæ singula duobus hominibus oneri esse possint, submovere licet. Is qui agrum lapidibus purgat, superioribus sublatis, relinquere eos debet, qui humo contigui sunt. Pariter de scruporum grumo, vel lapidum acervo, superioribus sublatis, reliquendi sunt illi, qui humum contingunt.* Columella lib. II. cap. 2. *At saxosum facile est expedire lectione lapidum, quorum si magna est abundantia, velut quibusdam substructionibus partes agri sunt occupandæ, ut reliquæ emundentur; vel in altitudinem sulco depresso lapides obruendi, quod tamen ita faciendum erit, si suadebit operarum vilitas.* Siculus Flaccus de conditionibus agrorum p. II. *Sed in planis locis, si saxosus sit ager repurgatur, & ex congestione maceriæ fiunt. Ita ex ipsius loci qualitate aliquid colligi potest.* Palladius lib. VI. *Si lapidosus, per macerias saxorum a turba collectas & purgari poterit, & inde muniri.*

Præterea expurgabantur agri a tribulis, vepribus, & spinis. Terra enim post peccatum Adami a Deo maledicta tribulas & spinas germinavit. *Genes.* III. 18. *Maledicta terra in opere tuo* קוץ ודרדר תצמיחו לך *spinas & tribulos germinabit tibi. Esai.* XXXII. 13. על אדמת עמי קוץ שמיר תעלה: *Super humum populi mei spina, & carduus adscendet. Jerem.* IV. 3. *Novate vobis novalia* ואל תזרעו על קוצים *Et nolite serere super spinas. Schevvith* cap. II. שדה שנתקוצת הזרע במוצאי שביעית: *Ager expurgatus a spinis potest seri in exitu anni septimi. Moed Katon* fol. 6. I. יוצאים לקוץ הדרכים Egrediuntur ad

expur-

expurgandas vias a ſpinis. Bereſchith Raba ſect. 45. ad *Levit.* XXVI. 20. הקוצים הללו לא מתנכשין: *Spinæ iſtæ non runcabuntur, vel non evellentur. Schevvit* cap. V. לוף של ערב שביעית וגו' ב״ש אומרים עוקרין אותן במארופות של עץ וב״ה אומרים בקרדומות של מתכות ומודים בפואת שלצלעות שעוקרין אותה בקרדומות של מתכות: *De aro anni ſeptimi &c. Schola Schammai dicit: palis ligneis extirpatur. Schola Hillel dicit: Securibus metallinis. Conſentiunt de rubia anguloſa extirpari ſecuribus metallinis*: Ibid. cap. IV. המזנב בגפנים והקוצץ קנים ר' יוסי הגלילי אומר ירחיק טפח רבי עקיבא אומר קוצץ כדרכו בקרדום או במגל ובמגירה ובכל מה שירצה: *Qui demutilat vites vel ſubſecat arunidines R. Joſe Galilæus dicit, ſpatium palmi relinquere debet; R. Akiba dicit: Reſecare poterit uſitato more, ſecuri, falce, & ſerra; vel qua re cumque volet.* Cato cap. III. *Vepres recidi, ſpinas runcari.* Columella lib. II. cap. 2. *Nemoroſi frutetoſique tractus duplex cura eſt, vel extirpandi radicitus arboribus, & removendis, vel ſi raræ ſint, tantum ſuccidendis, intendendiſque, & inarandis.* Et mox. *Junci & graminis pernicies repaſtinatio eſt; filicis frequens exſtirpatio, quæ vel aratro fieri poteſt, quoniam intra biennium ſæpius convulſæ moriuntur: celerius etiam ſi eadem tempore ſtercores, & lupino, vel faba conſeras, ut cum aliquo reditu medearis agri vitio. Namque conſtat filicem ſationibus & ſtercoratione facilius interimi. Verum & ſi ſubinde naſcentem falce decidas, quod vel puerile opus eſt, intra prædictum tempus vivacitas ejus abſumitur.* Columella iterum lib. III. cap. II. ubi de vinea. *Quam ob cauſam ſylveſtris ager præcipue eſt eligendus, qui etiam ſi frutetis, aut arboribus obſſeſus eſt, facile extricatur, quod ſuapte natura quæcunque gignentur, non penitus nec in profundum radices agunt, ſed per ſummum terræ diſpergunt, & deducunt, quibus ferro reciſis, neque exſtirpatis, parum quod ſupereſt inferioris ſoli, raſtris licet effodere, & in fermentum congerere, atque componere. Ultima eſt, ut dixi, conditio reſtibilis vineæ; nam ſi neceſſitas facere cogit, prius quicquid eſt reſiduæ vitis, extirpari debet: deinde totum ſolum ſicco fimo, aut ſi id non ſit, alterius generis quam recentiſſimo ſtercorari, atque ita converti, & diligentiſſima refoſſas omnes radices in ſummum regeri atque comburi: tunc rurſus vel ſtercore vetuſto, quia non gignit herbas, vel vepribus egeſta humo paſtinatum large contegi.* Palladius lib. VI. *Sed ſi nemoroſus eſt, extirpatis, aut raro relictis arboribus excolatur.* Et mox. *Juncus & gramen, & filices frequenti aratione vincentur. Sed filicem, ſi ſæpe fabam conſeras, vel lupinos, & ſi ſubinde naſcentem mucrone falcis incidis, intra exiguum tempus abſumes.* Idem lib. I. cap. 43. ubi recenſentur inſtrumenta ruſtica. *Item falciculas breviſſimas tribulatas, quibus filicem ſolemus abſcindere, ſerrulas minores, vangas, runcones, quibus vepreta perſequimur.* Veroſimile eſt runcones, qui hoc loco memorantur, fuiſſe Hebræorum רונקי, vel רוקני runcinam terebram vel dolabram, de qua agitur *Celim* cap. 13.

X. Pleraque, & præcipua agriculturæ inſtrumenta recenſentur I. *Sam.* XIII. 20. 21. וירדו כל ישראל אל הפלשתים ללטוש איש את מחרשתו ואת אתו ואת קרדמו ואת מחרשתו והיתה הפצירה פים למחרשות ולאתים ולשלש קלשון ולהקרדמים ולהציב הדרבן: *Et deſcenderunt univerſus Iſrael adverſus Philiſtæos, ut exacueret unuſquiſque aratrum ſuum, & ligonem ſuum, & ſecurim ſuam, & rutrum vel ſarſarculum ſuum. Et erat lima, ad acuendum aratra, & ligones, & tridentes, & ſecures, & ad conſtituendum ſtimulum.*

Præcipuum agriculturæ inſtrumentum hoc loco inprimis recenſetur aratrum. Aratri præcipue partes ſunt vomer, ſtiva, dentale, jugum, temo. De vomere fit mentio *Bava Metzia* fol. 80. 2. השוכר את הפרה לחרוש בהר וחרש בגבעה אם נשבר הקנקן פטור: *Siquis conducat bovem ut aret in monte, & aret in valle, ſi fructus fuerit vomer, abſolvitur. Stiva* eſt lignum, quod arator inter arandum manu ſua tenet, & gladio ſimile eſt, ut explicant Hebræi in *Kelim* cap. 21. 2. & ab iis appellatur חרבא חרב. Et ſic quoque videtur exponendum in N. T. Syro. *Nemo mittit* אידיה על חרבה דפדנא *manum ſuam ad ſtivam vomeris* (h. e. aratri per ſynecdochen partis pro toto) *Luc.* IX. 62. Vocatur etiam יצל ſtiva, vel buris, bura lignum, quo agricola aratrum dirigit, in quancumque ipſi lubet partem. *Kelim* cap. 21. Quidam a צלא deducunt, quod eo dirigatur, & vertatur aratrum. Dicitur etiam קינקן. *Eruvin* fol. 101. 1. וקנקן הנגרר. Dentale a Talmudicis appellatur בורך & ברך ſine ו *Taanith* fol. 25. כמלא ברך המחרישה *quaſi plenitudo dentalis vomeris; juxta profunditatem ſulci qui dentali perficitur. Oboloth* cap. 17. על בורך המחרישה *ſuper dentale vomeris.* Vide *Kelim* cap. 21. A *Columella* II. 4. dens appellatur. *Quippe nimius humor, ut dixi, limoſos, lutoſoſque reddit; at quæ ſiccitatibus aruerunt, expediri probe non poſſunt, nam vel reſpuitur duritia ſoli dens aratri, vel in qua parte penetravit, non minute diffindit humum,* ſed

sed vastos cæspites convellit. Et paucis interjectis *dentale* ab ipso dicitur. *Et in hoc igitur a Celso dessentio, qui reformidans impensam, quæ scilicet largior est in amplioribus armentis, censet exiguis vomeribus, & dentalibus terram subigere*. Jugum Hebraice עול Talmudice צמר *Bava Bathra* fol. 77. 2. מכר את הצמד לא מכר את הבקר: *Qui vendit bovem, non vendit jugum*. Et נירא *Schabb.* fol. 54. בר נירא *filius jugi*, i. e. jugum parvum. Temo lignum aratro affixum, & inter duos boves exiens עול pariter dicitur. *Kelim* cap. 14. העול של מחכות והקטרוב. Jugum non erat cornibus alligandum, sed collo imponendum, ut optime observat *Columella* l. c. *Igitur in opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur sublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, jugumque melius aptum cervicibus insidat: hoc enim genus juncturæ maxime probatum est. Nam illud quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigatur jugum, fere repudiatum est ab omnibus, qui præcepta rusticis conscripserunt: Neque immerito; plus enim queunt pecudes collo & pectore conari, quam cornibus: atque hoc modo tota mole corporis totoque pondere nituntur: at illo retractis & resupinis capitibus excruciantur, ægreque terræ summam partem levi admodum vomere sauciunt: & ideo minoribus aratris moliuntur, qui non valent alte perfossam novalium terram rescindere: quod cum fit, omnibus virentibus plurimum confert; nam penitus arvis sulcatis majore incremento segetum arborumque fœtus grandescunt*. Hæc omnia complectitur *Virgilius* Georgic. lib. 1. in descriptione aratri.

> *Continuo in sylvis magna vi flexa domatur*
> *In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.*
> *Huic a stipe pedes temo protentas in octo*
> *Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.*
> *Cæditur & tilia ante jugo levis, altaque phagus,*
> *Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos;*
> *Et suspensa focis exploret robora fumus.*

Ubi *Servius*. *Continuo*. Principio, statim, aut priusquam agriculturam cœperis. *Vi* virtute; *domatur* usui servire cogitur. *In burim*. In curvaturam. Nam buris est curvamentum aratri, dictum quasi βοὸς οὐρὰ quod sit in similitudinem caudæ bovis. *Formam*: modum: *Huic*; i. e. aratro. *A stirpe*: a radice, vel ima summitate. *Temo*: ad quem ligantur, vel injunguntur boves. *Pedes protentus in octo*. Subaudi aptatur. *Binæ*: duæ quibus latior sulcus efficiatur. *Duplici dentalia dorso*. Dentale est lignum ad quod vomer includitur. Duplici autem dorso dicitur aut lato, ut: *Ad duplex agitur per lumbos spina*: aut revera duplici, cujus utrumque eminet latus: Et fere hujusmodi sunt omnes vomeres in Italia. *Jugo*: id est ad jugum. *Levis*; ideo levi ne boves laborent: *Stiva*: manica aratri, qua regitur. *Cicero*: in Scauriana. *Ab ipsa stiva mecum homines loquebantur*. *Currus imos*. *Currus* dixit propter morem provinciæ suæ, in qua aratra habent rotas, quibus juvantur. *A tergo*: post tergum. *Torqueat*: vertat: *Suspensa focis exploret robora fumus*. Probatæ enim soliditatis sunt ligna, si fumo rimas minime effecerint, namque ad exudandum fumum adhibita, si rimas faciunt, & fissuras, mala sunt & infirma. Totus autem hic locus de aratro *Hesiodi* est: τῆμος ὠρύλοτο μέαν μεμνημένος ὤειον ἔργον, ὄλμον μὲν τειπόδην τάμνειν ὕπερον δὲ τείπηχυν ἄξονα ἑπταπόδην. Præterea pars aratri erat *ralla*, quæ est stimulus ferratus, quo vomer detergetur, & terra inhærente liberatur. *Plinius* XVIII. 19. *Purget vomerem subinde stimulus cuspitadatus ralla*.

Post aratrum loc cit. 1. *Sam.* XIII. 20. memorantur ligones. Ligo Hebraice dicicitur את. Fit mentio *Isai.* II. 4. וכתתו חרבותם לאתים: *Et conflabunt gladios suos in ligones*. *Joel* III. 10. *Concidite ligones vestros in gladios*. *Mich.* IV. 3. *Et concident gladios suos in ligones*. Chaldaice dicuntur מרריא in *Psal.* CXLI. 7. דפלח ומבזע במרריא בארעא: *Qui fodit & findit ligonibus*, sive sarculis *in terra*. Et פרן ad 1. *Sam.* XIII. 20. וית סכת פרניה *& paxillum ligonis sui*. Talmudice אבו plur. אבויין *ligones, vomeres*: Adducit *Aruch* ex Gemara Hierosol. Schab. cap. 6. tanquam Targum vocis לאתים *Isai.* II. 4. Sed ibi hodie neque in Targum neque in Talmud sic legitur. In meo exemplari Talm. Hieros. est לאתים. Ita *Buxtorfius* in Lexico ad hanc vocem. Et מארופות. Gemara Schevvith c. V. עוקרין אותן מארופות *Eradicant ea ligonibus*. Et מרא. Bava Metzia fol. 82. 2. לא אמר אלא במרא ופסל וקרדום: *Non dixit nisi de marra, dolabra, & ascia*. *Bava* Kama fol. 27. 2. פנדא דמרא *manubrium ligonis*. *Taanith* 23. 2. דרא ציבי ומרא בחד כתפיה *portabat ligna & ligonem in humero suo*. *Columella* lib. X.

Con-

Contundat marræ, vel fracti dente ligonis

Juvenalis

—— ne marræ & sarcula desint.

Plinius lib. LXIII. *Verno seri debet, liberarique ceteris herbis, ad trimatum marris a solo radi.*

Post ligones loc. cit. *Sam.* recensentur secures. Targum pro Hebræo קרדום libet לחרפא ירת כולביא *ad acuendum securim suam*. Et similiter *Judic.* IX. 48. ויסיב אבומלך ית כולביא: *Et accepit Abimeleh secures*. Et *Psal.* LXXIV. 5. למקטע בכלביא: *ad cædendum securibus*. *Jerem.* XLVI. 22. רעלין בכשילין *qui ingrediuntur cum securibus*. 2. Dicitur Hebraice securis גרזן uti legitur *Deut.* XIX. 5. ונדחה ידו בגרזן: *Et impulsa fuerit manus ejus in securim:* In Targum Hierosolymitano & in Jonathane legetur ויתקוף בה בסיקורא *Et comprehenderit securim*. Repetitur vox גרזן *Deut.* XX. 19. & I. *Reg.* VI. 7. ומקבות והגרזן כל כלי ברזל לא שמע: *Et mallei & securis, omnia instrumenta ferrea non sunt audita*. Ubi Targum. ארזובין וחולילין *Mallei est secures*. Et *Esai.* X. 14. היתפאר על החצב: *Nunquid gloriabitur contra eum, qui scidit?* Ubi Targum ואפשר רישתבח חולילא על דחליל ביה הא אנא חלילת: *Nunpuid gloriabitur securis contra eum qui scidit ea, dicens: Ego scidi?* 3. Dicitur מעצד *Esai.* XLIV. 12. חרש ברזל מעצד ופעל Targum ita interpretatur: מברזלא חצינא ועבד: *Ex ferro securim fecit*. Et similiter *Jerem.* X. 3. במעצד interpretatur בחצינא: *cum securi* vel ascia. Sic apud Talmudicos *Schabb.* fol. 123. חצינא דנגרי *securis fabrorum*. *Eruvim* 77. 2. מרא וחצינא: *ligo & securis*. Ab iisdem pariter dicitur חציצא *Bava Batra* fol. 73. חציצא דבר נגרא *securis fabri lignarii*. Quarto securis dicitur כשיל *Psal.* LXXIV. 5. בכשיל וכילפות יהלמון *In securi, & ascia dejecerunt eam*. Targum בקופיץ ומפסלה. In *Exod.* XXXIV. 20. ותנקפיה בקופיץ. *Et decollabis vitulam securi*. Et *Jonathan* l. c. *Deut.* XXI. 4. דתנקפון ית ענלתא בקופיץ. *Et decollabitis illic vitulam securi*. *Psal.* LXXIV. 6. בקופיץ ומפסלתא *securi & ascia*. *Pesachim* cap. VI. חוצץ בקופיץ *discidit securi*. *Sotab* fol. 45. עורפין בקופיץ מאחריה: *Decollant eam securi ad tergum*. Convenit Græcum κόπις *copis* quod significat gladium aut cultrum aptum ad cædendum. Appellarur etiam פלכין est Græcum πέλεκυς, in Jelammedenu מהו בחנמל יורד כפלכין וקוצץ את האילנות. *Quid est quod legitur* בחנמל (*Psalm.* LXXVIII. 47.) *Descendit ut securis, & cædit arbores*. Prætera in *Jalkuob* in leg. fol. 308. col. I. securis קטן dicitur: וביריה חד קטן *Et in manu ejus securim*. Glossa קורדום. Pro ea in Midras *Echa* legitur קטיתא. In *Bava Kamah* fol. 81. 2. נזרא dicitur: בנצירא דרבזלא *In securi ferrea*. *Sanhedrin* fol. 81. 2. מפציעין מוחו בנזירין *contundunt cerebrum ejus securibus*. Targum ad 2. Sam. XII. 31. ובמגזרי ברזלא *& in securibus ferreis*. *Cato* inter instrumenta rustica recenset cap. X. *securos* III. *Columella* cum falce vinitoria describit lib. IV. cap. 25. *Est autem sic disposita vinitoriæ falcis figura, ut capulo pars proxima, quæ rectam gerit aciem, culter ob similitudinem nominetur, quæ flectitur, sinus; quæ flexu procurrit, scalprum; quæ deinde adunca est, rostrum appellatur; cui superposita semiformis lunæ species, securis dicitur; ejusque velut apex pronus imminens, mucro vocatur. Harum partium quæque suis muneribus fungitur, si modo vinitor gnarus est. Nam cum in adversum pressa manu desecare quis debet, cultro utitur: cum autem retrahere, sinu, cum allevare, scalpro; cum incavare, rostro, cum ictu cædere, securi, cum in angusto aliquid expurgare, mucrone.*

Post קרדום loc. cit. I. *Samuelis* legitur ומחרשתו. Targum interpretatur וית עושפיה & *rutrum*, seu *sarculum suum*, & vers. 21. לעושפיא *in sarculos*; de quibus suo loco agemus. Vid. in h. l. R. *David* commentar. Apud Talmudicos oculus securis, caput instrumenti latuno, & obtusum, percussioni serviens. *Kelim* cap. 13. קרדום שניטל עושפו securis, cujus ablatus est oculus, sive pars lata aciei opposita, ad percutiendum apta. Alii interpretantur vangam, bipalium. *Palladius* l. I. 43. *Ferrulas minores, vangas, runcones, quibus vepreta persequimur. Dufresnus vangas bipalium*, esse copiose ostendit. *Cato* cap. VI. *Bipalio vortito*. Iterum cap. CLI. *Tum vortito bipalio*. *Varro* lib. I. cap. 37. *Ad quædam bipalio vertenda terra*. Erat *bipalium* ligo ferramentum duos pedes longum. *Columella* XI. 3. *At ubi copia est rigandi, satis erit non alto* (lege *alte*) *bipalio, id est minus quam duos pedes ferramento novale converti*. *Popma* de instrumento fundi cap. 8. *Palæ ferreæ, planæ quibus terra foditur, & fossa vel egeritur, vel aggeritur, ut bipalium pala duplo latius; unde ei nomen*. Plautus *Pœnulo*. *Palas venundans sibi ait*. Columella X.

Tum mihi ferrato versetur robore palæ
Talis humo

Quinto l. c. *Sam.* memorantur שלש קלשון tridens. *Plur.* קלשונות. *Ecclesiast.* XII. 11. מתילין לזקתין ולקלשנות. *Assimilantur stimulis & tridentibus*: Rastra interpretamur.

Pro

Pro tridentibus *rastros quadridrentes* commemorat *Cato* cap. x. *Varro* rastella appellat lib. I. cap. 49. *Tum de pratis stipulam rastellis eradi*. *Columella* lib. II. cap. II. lignea rastra commemorat. *Quod ubi feceris, ligneis rastris, id enim multum confert, statim jacta semina obruantur*. *Virgilius Georg.* lib. I.

> *Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes.*

Ubi *Servius*. *Rastris*. *Et hos rastros dicimus, & hæc rastra*. Legimus enim. *Aristos rastros interea depone*: in *Terentio*. Item: *Rastraque & incurvis ævum tribuere ligones*. Et *rastra* dicta, quod terram radant. Et iterum Virgilius:

> *Tribulaque, trabeæque, & iniquo pondere rastri.*

Postremo fit mentio de הדרבן de stimulo, quo bos piger ad opus adigitur, de quo actum est cap. 2. hujus *commentarii*. Hoc unum addam, *Columellam* lib. II. cap. 2. monere, ne bos stimulo lacessatur. *Voce* (inquit) *potius quam verberibus terreat, ultimaque sint opus recusantibus remedia plagæ; nunquam stimulo lacessat juvencuum, quod retractantem, calcitrosumque eum reddit; nonnunquam tamen admoneat flagello*.

Præterea inter instrumenta agriculturæ memoratur מורג tribulum vel tribula, de quo fit mentio 2. *Sam.* XXIV. 22. *Accipiat & offerat dominus meus rex, sicut bonum in in oculis ejus videtur* הבקר לעלה והמרגים וכלי הבקר לעצים: *boves in holocaustum, & tribula, & instrumenta boum in ligna*. Et 1. *Chron.* XXI. 23. הבקר לעולות ומורגים לעצים: *Boves in holocaustum, & tribula in ligna*. *Esai.* XLI. 15. הנה שמתיך למורג חרוץ חרש בעל פיפיות תדוש הרים ותדק וגבעות כמץ תשים: *Ecce ponam te in tribulam incisam variis incisuris, ut montes tritures, & comminuas, collesque ponas in glumam*. Tribuli erant ferrati, uti legitur 2. *Sam.* XII. 21. *Et ejecit eos in serram, & in tribulos ferratos*. *Amos* I. 3. *In tribulis ferratis*. De tribulis satis dictum est Capit. II. hujus *commentarii*, ubi de boum usu in tritura.

Falces quoque in usum agriculturæ in sacris literis memorantur. Ealx messoria Hebraice dicitur חרמש, *Deut.* XVI. 9. שבע שבעות תספר לך מהחל חרמש בקמה: *Septem septimanas numerabis tibi ab inceptione falcis in segetem*. Et מגל *Jerem.* L. 16. וחופש מגל בעת קציר. *Et apprehendet falcem tempore messis*. *Joel.* IV. 13. *Mittite falces, quoniam maturavit messis*.

Falx putatoria Hebraice מזמרה appellatur. *Esai.* II. 4. וחניתותהם למזמרות *Et lanceas suas in falces*. Et XVIII. 5. וכרת הזלזלים במזמרות: *Et præcidentur pampini falcibus*. *Joel.* IV. 10. ומזמרותיהם לרמחים: *Et falces vestras in lanceas*. *Mich.* IV. 3. וחניתותיהם למזמרות. *Et lanceas vestras in falces*. *Cato* cap. XI. falcium varias species enumerat. *Ferramenta, falces vineaticas* VII. *scirpiculas* V. *arborarias* III. Et mox *Falculas vineaticas* XL. *falculas ruscarias* X. *Varro* lib. I. cap. 22. *Sic alia quorum nonnulla genera species habent plures, ut falces; nam dicuntur ab eodem scriptore* (scilicet Catone) *vineaticæ opus esse sex, sirpiculæ* V. *sylvaticæ* V. *arborariæ* III. *& ruscariæ* X. *Palladius* lib. I. tit. 43. *Falces putatorias, quibus in arbore utamur, & vite*. *Item messorias, vel fœnarias*. *Falces a tergo acutas, atque lunatas, cultellos item curvos minores, per quos novellis arboribus surculi aridi, aut extantes facilius amputentur*. *Item falciculas brevissimas tribulatas, quibus filicem solemus abscindere*. *Popma* de instrumento fundi cap. IX. *Colligendi fructus causa parata instrumenta sunt varii generis: nonnulla serviunt messi, quædam fœniseciæ, alia vindemie, oleitati, lacticinio, florilegio*. *Messis instrumentis seges matura demetitur, deinde exsiccata in horreis conditur, tum excutitur, atque purgatur*. *Cui rei parantur falces messoriæ, sive adoreæ, i. e. frumentariæ, trabæ, tribula, vanni, furcillæ, corbes*. *Falcium variæ formæ pro locorum regionumque varietate, reperiuntur*. *Lunatæ, quibus fruges robustioris culmi, ut triticum & siliginem demetunt, dextra secantes stipulam secundum terram, sinistra autem unco prælongo convolventes, & in fasces cogentes resecata*. Sicilas *hodieque vocant* (Germanice Sicheln) *a prisco verbo* sicilire, *id est secare; unde* sicilimentum *pro fœno secto apud* Catonem. *Glossa* σμίλα χαρτοτόμος. Verriculatæ *sunt majusculæ longo manubrio, perinde ut falces fœnariæ*. *His in modum verriculi adfixis ligneis quasi cratibus utraque manu segetem præcidunt, stratamque longo ordine in fasces alligandam relinquunt*. Rostratæ, denticulatæ *nominantur ex eo, quod rostrum, dentes habent, sicut* tribulatæ, *quæ tribulum, quibus solebant filicem abscindere, ut tradit* Palladius.

Instrumenta agriculturæ omnia a *Catone* cap. XI. recensentur. *Ferramenta falces vineaticas* VI. *scirpiculas* V. *falces sylvaticas* V. *arborarias* III. *secures* V. *& cuneos* IV. *vomeres ferreos* X. *palas* VI. *rutra quatuor, rastros quadridentes* II. *crates stercorarias* IV. *sirpeam stercorariam* I. *fal-*

falculas vineaticas XL. *ruscarias* X. *foculos* II. *forpices* II. *corbulas Amerinas* XX. *quala satoria* VII. *alveos* XL. *palas ligneas* XL. *lintres* II. *Palladius* lib. I. tit. 43. *Instrumenta vero hæc quæ ruri necessaria sunt, paremus. Aratra simplicia, vel si plana regio permittit, aurita, quibus possint contra stationes humoris hyberni, sata celsiori sulco attolli. Bidentes, dolabras, falces putatorias, quibus in arbore utamur, & vite. Item messorias vel fœnarias, ligones, lupos id est ferrulas manubriatas minores majoresque ad mensuram cubiti, quibus facile est, quad per serram fieri non potest, resecando trunco arboris, aut vitis interseri; acus per quas in pastinis sarmentis merguntur: falces a tergo acutas, atque lunatas: Cultellos item curvos minorss, per quos novellis arboribus surculi aridi, aut extantes facilius amputentur. Item falciculas brevissimas tribulatas, quibus filicem solemus abscindere, ferrulas minores, vangas, runcones, quibus vepreta persequimur, secures simplices vel dolabratas: sarculos vel simplices vel bicornes, vel ascias in aversa parte referentes rastros*: De his omnibus agemus suo loco; De reliquis ubi de vineis, & de olivetis.

XI. Aratio Hebraice חרישה, a חרש *arare*, Chaldaice רדיא a רדי רדה *Job* I. 14. תוריא הואה רדין *boves fuerunt arantes*. *Genes.* XLV. 6. דלא רדיין ולא חצרין: *quibus nihil arant neque metunt*. *Jonathan*. *Psal.* CXXIX. על עושמי רדו רדיא *Super corpus meum ararunt arantes*. *Amos* IX. 13. ויערע רדיא לחצרא *Et obveniet arator messori*. *Medras. Ruth*. cap. I. 20. פרה רדינית היא *vacca aratrix erat*. *Psal.* CXXIX. 3. אריכו למורדיתהון *Prolungarunt arationes suas* Hebr. למענותם. Talmudice כרבא a כרב *arare*. *Schab.* 33. 2. חזו אנשי דקא כרבי׳ וזרעי׳: *Videbant homines qui arabant, & seminabant*. *Bava Kamah* fol. 96. 2. כרב ביה כרבא *aravit ea arationem*. *Berach.* 38. 2. משכחת לה בכרבא *invenit eam in agro arato*.

Arator Hebraice חורש a verbo חרש arare. *Psal.* CXXIX. 3. על גבי חרשו חורשים *super dorsum araverunt aratores*. Chaldaice רדי a verbo רדי רדה. *Psal.* l. c. על גושמי רדו רדיא *super corpus meum ararunt aratores*. *Genes.* XLIX. 5. a Jonathane vocantur תלאמין *sulcales, porcarii*, a sulco, porca. שמעון ולוי אחין תלאמין *Simeon & Levi fratres sulcales*. *Columella* lib. I. cap. 9. *Bubulco quamvis necessaria, non tamen satis est indoles mentis, nisi eum vastitas vocis, & habitus metuendum pecudibus efficit. Sed temperet vires clementia, quoniam terribilior debet esse, quam sævior, ut & obsequantur ejus imperiis, & diutius perennent boves non confecti vexatione simul operum, verberumque. Sed quæ sint magistrorum munia, quæque bubulcorum suo loco repetam. Nunc admonuisse satis est, nihil in his, in illis plurimum referre vires & proceritatem. Nam longissimum quemque aratorem, sicut dixi, faciemus, & propter id, quod paulo ante retuli, & quod in re rustica nullo minus opere fatigatur prolixior quis in arando stivæ pene rectus innititur, mediastinus qualiscumque status potest esse, dummodo perpetiendo labori sit idoneus.*

Arandi ratio egregie describitur a *Columella* lib. II. cap. 2. *Is autem non minimum exuberat, si curiose & scite subigitur; quam antiquissimi fere omnes formam hujus operis conscripsere, quam velut scita legemque in proscindendis agris sequantur agricolæ. Igitur in opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur sublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, jugumque melius aptum cervicibus insidat: hoc enim genus juncturæ maxime probatum est. Nam illud quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigetur jugum, fere repudiatum est ab omnibus, qui præcepta rusticis conscripserunt; neque immerito; plus enim queunt pecudes collo, & pectore conari, quam cornibus; atque hoc modo tota mole corporis totoque pondere nituntur: at illo, retractis, ac resupinis capitibus excruciantur, ægreque terræ summam partem levi admodum vomere sauciant. Et ideo minoribus aratris moliuntur, qui non valent alte perfossam novalium terram rescindere: quod cum fit, omnibus virentibus plurimum confert: nam penitus arvis sulcatis majore incremento segetum arborumque fœtus grandescunt. Et in hoc igitur a* Celso *dissentio, qui reformidans impensum, quæ scilicet largior est in amplioribus armentis, censet exiguis vomeribus & dentalibus terram subigere, quo minoris formæ bubus administrari id possit: ignorans plus esse reditus in ubertate frugum, quam stipendii, si majora mercemur armenta, præsertim in Italia, ubi arbustis atque oleis consitus ager resolvi ac subigi desiderat, ut & summæ radices vitium, olearumque vomeribus rescindantur; quæ si maneant, frugibus obsint; & inferiores, penitus subacto solo, facilius capiant humoris alimentum. Potest tamen illa* Celsi *ratio Numidiæ & Ægypto convenire, ubi plerumque arboribus viduum solum frumentis seminatur. Atque ejusmodi terram pinguibus arenis, putrem veluti cinerem solutam, quamvis levissimo dente moveri satis est. Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere aratrum, & alternis recto plenoque sul-*

sulcare: sed ita necubi crudum solum, & immotum relinquat, quod agricolæ scamnum vocant. Boves cum ad arborem venerint, fortiter retinere, ac retardare, ne in radicem majore nisu vomis impactus colla commoveat, neve aut cornu bos ad stipitem vehementius offendat, aut extremo jugo truncum delibet, ramumque deplantet. Voce potius quam verberibus terreat, ultimaque sint opus recusantibus remedia plagæ: nunquam stimulo lacessat juvencum, quod retractantem calcitrosumque eum reddit: nonnunquam tamen admoneat flagello: sed nec in media parte versuræ consistat, detque requiem in summa, ut spe cessandi totum spatium bos agilius enitatur. Sulcum autem ducere longiorem, quam pedum centum viginti contrarium pecori est, quoniam plus æquo fatigatur, ubi hunc modum excessit. Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellat, & boves inhibeat, ut colla eorum refrigescant, quæ celeriter conflagrant, nisi assidue refrigerentur, & ex eo tumores ac deinde ulcera invadunt. Nec minus dolabra, *quem vomere bubulcus utatur, & præfractas stirpes summas radices, quibus ager arbusto consitus implicatur, omnes refodiat ac persequatur. Boves cum ab opere disjunxerit, substrictos confricet, manibusque comprimat dorsum & pellem revellat, nec patiatur corpori adhærere, quia id genus morbi maxime est armentis noxium. Colla subigat, merumque faucibus, si æstuaverint, infundat. Satis autem est singulis binos sextarios præbere: sed ante ad præsepia boves religari non expedit, quam sudare atque anhelare desierint; cum deinde tempestive potuerint vesci, non multum nec universum cibum, sed partibus & paullatim præbere convenit: Quem cum absumserint ad aquam duci oportet, sibiloque allectari, quo libentius bibant; tum demum reductos largiori pabulo satiari. Hactenus de officio bubulci dixisse abunde est.* Et mox: *Eum porro an recte aretur, frequenter explorare debet agricola, nec tantum visu qui fallitur nonnunquam, superfusa terra latentibus scamnis; verum etiam tactu, qui minus decipitur, cum solidi rigoris admota pertica transversis sulcis inseritur: ea si æquabitur, ac sine offensione penetravit, manifestum est totum solum deinceps esse motum: sin autem subeunti durior aliqua pars obstitit, crudum veruactum esse demonstrat. Hoc cum sæpius bubulci fieri vident, non committunt scamna facere.* Hæc eadem monet *Palladius* lib. II. cap. 3. *Pingues & sicci agri proscindi, & apparari jam possunt. Sed boves melius collo quam capite junguntur; quos ubi ad versuram venerint, arator retineat, & jugum propellat, ut eorum colla refrigerentur. Sulcus autem in arationibus longior, quam centum & viginti pedum esse non debet: servandum vero est, ne inter sulcos non mota terra relinquatur. Glæbæ omnes dolabris dissipandæ sunt. Sed æqualiter terram motam esse cognoscis, si transversam per sulcos perticam mittas, quæ res sæpius facta bubulcos ab hac negligentia submovebit.*

Cum passim in scriptoribus rei rusticæ *sulci*, *liræ*, *striæ*, *porcæ* memorentur, operæ pretium erit ad intelligentiam agriculturæ hæc omnia illustrare. *Varro* lib. I. cap. 29. *Novalis ubi satum fuit ante quam secunda aratione renovetur. Rursum cum terram primum arant, proscindere appellant, cum iterum offringere dicunt: quod prima aratione glæbæ grandes solent excitari (cum iteratur offringere vocant;) tertio cam arant jacto semine, boves lirare dicuntur, id est cum tabellis additis ad vomerem simul, & satum frumentum operiunt in porcis, & sulcant fossas, quo pluvia aqua delabatur. Nonnulli postea qui segetes non tam latas habent, ut in Appulia, id genus prædii per sarritores occare solent, si quæ in porcis relictæ grandiores sunt glæbæ. Qua aratrum vomere lacunam striam facit, sulcus vocatur. Quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit. Sic quoque exta dies cum dabatur, porricere dicebant. Plinius* lib. XVIII. 20. *Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit, crate vel rastro, & sato semine iteratio. Hoc quoque ubi consuetudo patitur crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare, operiente semina, unde primum adpellata deliratio. Lucilius apud Nonium. Quapropter deliro, & cupide officio fungor bonorum. Isidorus* Origin. XV. 15. *Porca est, quod in arando extat, lira quod defossum.* Inde *lirare liras, in quas semen jactum est, addita tabella operire. Columella* lib. II. cap. 8. *Sed quamvis tempestive sementis confecta erit, cavebitur tamen, ut patentes liras, crebrosque sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, & omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes derivemus.* Elices explicantur a *Festo*. *Elices sulci aquarii per quos aqua educitur e liris.* Eædem sunt fossæ quas sulcant, quo pluvia aqua delabatur. *Eustathius* ad Iliad. μ'. Ἕλιξ ἡ ἁπλῶς συστροφὴ ἐπὶ ὁδοῦ, ἢ ὕδατος ἢ χαμπτῆρος. *Columella* iterum lib. XI. cap. 2. *Sed jugerum talis agri quatuor operis expeditur; nam commode proscinditur duabus, una iteratur, tertiatur dodrante, in liram satum redigitur quadrante opere;*

Liras autem rustici vocant eadem porcas, cum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis præferat. Et mox. *Itaque optime inter Kalendas & Idus Septembris aratur, ac subinde iteratur, ut primis pluviis æquinoctialibus conseri possit: neque in lira, sed sub sulco talis seminandus est.* Hic vocat *liram* (legitur in editione Lipsiensi 1733. in nota ad h. l.) quæ porca est, inter duos sulcos extans terræ dorsum. Exsuccatam & effœtam humum, non in porca, quæ siccior arati pars est, sed in sulco ipso seminari vult, ubi uligo residet, & pluvia aqua delabitur. Ergo porcæ sunt liræ factæ, priusquam semen jactetur. Ergo & diversa liratio, qua terra ipsa aratro in liram redigebatur, ab ea liratione, qua semen in liris & porcis operiebatur. Hæc iterum *Salmasius* ad *Solinum* pag. 512. Mirum *liræ* vocabulo ita abusos veteres, ut nunc eminentem partem, nunc depressam notet: nunc cum porca, cum sulco alias conveniat. *Liram* interdum esse cavam partem, aperte indicat *Columella* II. 8. 3. ubi *patentes* liras crebrosque sulcos aquarios συνωνύμως conjungit, add. *Non.* I. 62. & vetus Gromat. apud *Rigultium* pag. 298. Rursus eminere *liram* non hoc tantum loco significat, cui forte σοφὸν φάρμακον adhibere aliquis possit, & *liram* intelligere latiorem, atque minus profundam, sulcum autem depressiorem angustioremque (Vid. *Columellam* II. 2. 47.) Sed clarissime 5. 8. hujus ipsius capitis, itemque II. 3. 21. Quid igitur? Admittemusne intellectus unius vocis duos sibi oppositos? Ægre id quidem. Sed inter rusticos scilicet: qui interdum delirant.

Hebraice sulcus תלם *Job* XXXI. 38. תלמיה יבכיון *sulci ejus flebant*. Ibid. XXIX. 10. התקשר לים בתלם *ut liges Rhinocerontem in sulco*. *Psal.* LXIX. 10. תלמיה רוהנחת גרודיה. *Sulcos germinum ejus irriga*. *Ose.* X. 4. *Super sulcos agri*. Ibid. XII. 11. כגלים על תלמי שדי *quasi acervi super sulcos agri*. 2. Hebraice sulcus ערינה dicitur. *Ezech.* XVII. 7. מערגות מטעה. *De sulcis plantationis suæ*. Et vers. 10. על ערגת צמחה תיבש. *In sulco germen ejus arescet*. 3. עונת Hebraice sulcus dicitur. *Ose.* X. 10. לשתי עונתם *ad duos sulcos suos*. In Targum I. sulcus dicitur עוגית & עוג. *Ezech.* XVII. 10. על עוגית נצבתה תיבש. *In sulco plantationis suæ arescet*. Ibid. vers. 7. מעוגית נצבתה. *De sulcis plantationis suæ*. 3. עונתא. *Ose.* X. 10. על תרתין עונתיה *ad duos sulcos suos*. 4. מורדנית, posset legi מורדית *Psal.* CXXIX. 3. יאוריכו למורדיתהון. *Prolongarunt sulcos suos*; ubi 4. תלמא pro Hebræo תלם *Job* XXXIX. 10. ותקטור ריטנא בתלמא *ut liges rhinocerontem in sulco*. Ibid. XXXI. 38. ותלמיהו בכין & *sulci ejus flebant*. 5. מרביני צמחהא רוי *Psal.* LXV. 11. מרביניך *sulcos germinum ejus irriga*.

Sulci pluviales a Talmudicis appellantur, qui liræ & porcæ a Latinis scriptoribus nuncupantur. Misna Celaim cap. II. 3. היתה שרהו זרועה חטים ונמלך לו רעה שעורים ימתין לה עד שתתליע יופפך ואחר כך יזרע אם צמחה לא יאמר אזרע ואכ׳ אופך אלא אופך ואכ׳ זורע כמה יהא חורש בתלמי הרביעה אבא שאול אומר כדי שלא ישייר רובע לבית סאה: *Si fuerit ejus ager tritico satus, mutata sententia velit hordeo reserere, moratus dum prorumpat vertat, & deinde reserat. Quantum autem arare tenetur? Ad modum sulcorum pluvialium. Aba Saul dicit, eatenus ut non prætermittat quadrantem de agri sato.* Ubi *Guisius*. Qui sint *sulci pluviales*, ita docet *Maimonides*, ut parum mihi satisfaciat. Verba tamen apponam, quia aliqua saltem ex parte sententiam nostram, quam infra subjicio, corroborant. Sic autem ille למא כלפנאה אן יקלב אלארץ קאל אנה לא ילומאן יקלבהא בלהא כט אמאס כט התי לא יבקי מנהא קליל ולא כתיר אלא וקר אקלב ואנמא יחרתהא מתלמא הקלב קבל אלמטר לינול אלמטר פיהא וינוץ פי עמקהא וללך אקלאב כפיף ליס באלמסתקצי: *Quandoquidem cogendus est terram vertere, illud additur, non obligari totam subigere contiguis plane sulcis, ut ita nec parum nec multum supersit non subactum: teneri autem eo modo subigere, quo subigi solet ante pluviam, ut eadem pluvia penitus in eam penetret: quod fit levi sulco, nec eo quidem in altum acto.* Contra *R. Samson*, quem exscribit *Bertinorius* כתלמים שדרך בני אדם לחרוש אחר שתרד הרביעה שחורשין עוד תלמים גדולים: *Quales sunt illi sulci, quos ducere solent homines post pluviam, quum hactenus ampliores sulcos agunt.* Sed hæc ut dixi, mihi minime satisfaciunt. Ego ego hoc in *Misna* indicari puto: in artratione hac, vel inaratione, de qua agit, non requiri crebros & contiguos sulcos, nullo interveniente scamno, ut in justa aratione; sed rariores quales adhibere solent ad aquam pluviam per collicias in fossas derivandam. Sunt enim ut ego arbitror, חלמי הרביעה istiusmodi sulci, quos *Festus* porcas appellari docet, *Porcæ appellantur rari sulci, qui ducuntur aquæ derivandæ gratia. Dicti quod porcent, id est prohibent aquam frumentis nocere. Nam crebriores sulci limi vocantur.* Hæc ille non satis ex mente meliorum autorum *Varronis* & *Columellæ*. Certe rariorem duntaxat sulcum requiri rebantur ma-

magiſtri illi, quorum hæc laudatur ſententia in *Gemara Hieroſolymitana* שקיון שנתן דעתו לחרוש אפילו לא רצף: *Cum ſemel in animum induxerit arare, numquam non continentes ſulcos egerit*. Aba Saul ibidem אין שחייבין אותו להיות חורש רק אלא כתלמי הרביעה: *Non cogendus minutim arare, ſed ad modum duntaxat ſulcorum pluvialium*. Qualis autem aratio in artrando requiratur, vel maxime intelligas ex illis Rabban Simeonis Gamalielis filii, quæ habentur in eadem Gemara. רשב״ג אומר זנב הסוס היתה נקראת כדי שיהא סוף עפרה של זו נוגע בזו וסוף עפרה של זו נוגע בזו: *Rabban Simeon Gamalielis filius hoc arationis genus* caudam equinam *dici aſſerit, cum extremitas moti cæſpitis unius verſus alterum tangit, & extremitas moti cæſpitis alterius verſus iterum alium*. Undulantem ſulcorum continuationem interjectis cuneatis ſcamnis deſcribit, quam non alia melius figura repræſentare poſſum, quam Græcorum elemento Σ. Vetus *Toſaphta*, unde hæc in Gemaram translata ſunt, in tribus quas vidi editionibus mendoſiſſima. אין מחיביין אותו להיות חריש רק אלא חורש חרוש גסי כתלמי הרביעה רבן שמעון אומר זנב הסוס היתה נקרית סוף עפרה נוגע בעפרה של זו. Et ſic refinge. אין מחייבין אותו להיות חריש רק אלא חורש חריש גסי כתלמי הרביעה רבן שמעון אומר זנה הסוס היתה נקוית סוף עפרה של זו נוגע בזו וסוף עפרה של זו נוגע בזו: *Non cogendus eſt minutim arare, verum rudiorom ſulcum ducit, quales ſunt ſulci pluviales. Rabban Simeon dicit: Cauda equina dicebatur*, cum &c. ut ſupra. Quos *Talmudici pluviales* appellant, *Columella aquarios* ſulcos vocat lib. II. cap. 8. *Sed quamvis tempeſtive ſementis confecta erit, cavebitur tamen, ut patentes liras, crebroſque* ſulcos aquarios, *quos nonnulli elices vocant, faciamus, ut omnem humorem in colloquias, atque inde extra ſegetes derivemus*. *Palladius* lib. X. 3. *Solet terra humorem ſalſum vomere, qui ſegetes necat: ubi hoc ſit columbinum ſtercus, aut cupreſſi folia oportet inſpergere, & ita, ut eadem miſceantur, inarare; melius tamen omnibus remediis erit, ſi aquarius ſulcus noxium deducat humorem*.

De liris fit mentio *Terumoth* cap. IX. 5. מאה לגנה של תרומה של חולין וגו. *Si inter centenas liras primitiis conſitas unica ſit frugum profanarum &c.* Ubi Guiſius. *Liras*. *Maimonidi* לגנה eſt אסם למוצע מזרוע מן אלארץ *nomen ſpatii alicujus ſoli, quod frugibus inſeritur*: & in commentario pro eo ſubſtituit Arabicum דקעה *areolam*. R. *Tanchumo* ſignificat אלכט אלדי יכטה אלחראת *ſulcum ab aratro proſciſſum*. Addit ita etiam Arabice denotare לגנה. Sed id apud Lexicographos Arabas non reperio. Duntaxat *Mohammedes Phiruzabadius* الجبة exponit الجماعة يجمعون في الامر ويرضونة *cœtum hominum quibus convenit de eadem re eamque gratam habere*. Metaphora forte an ab ordinata frugum ſerie in arvo. Huc autem facit, quod in Chaldæo Paraphraſte *Eſai*. XXVIII. 25. in Bibliis Hiſpanicis legitur הא כזרעי חטין על לגנין *ut ſerunt triticum in liris*: melius multo quam quod alii codices præferunt על נייר *loco inculto*; neque enim quiſquam elegerit triticum loco inculto ſerere, neque id patitur loci ſenſus. Lixicographi autem *Elias* & *Aquinas* על לגנין afferunt ex hoc loco. *Elias* etiam addit ſe neſcire quid ſignificet.

Præter liras & porcas, effodiebantur foſſæ ad derivandas aquas ab agris. *Cato* cap. CLV. *Per hyemem aquam de agro depelli oportet. In monte foſſas inciles puras habere oportet. Prima autumnitate cum pulvis eſt, tum maxime ab aqua periculum eſt. Cum pluere incipiet, familiam cum ferrei, ſarculiſque exire oportet, incilia aperire, aquam diducere in vias, & ſegetem curare oportet, uti fluat*. Et mox. *Per ſegetem in frumentis, aut in ſegete, aut in foſſis ſicubi aqua conſtat, aut aliquid aquæ obſtat, id emitti, patefieri, removerique oportet*. Gloſſæ apud *Barthium* Adv. XXVIII. 19. *Ancilla foſſa, quæ fit ad aquam derivandam in via*. *Varro* de L. L. 6. p. 73. *Ancilia dicta ab aneſſa*. *Columella* II. 2. *Si humidus erit, abundantia uliginis ante ſiccetur foſſis. Earum duo genera cognovimus, cæcarum & patentium; ſpiſſis atque cretoſis regionibus apertæ relinquuntur; at ubi ſolutior humor eſt, aliquæ fiunt patentes, quædam etiam obcæcantur, ita ut in patentes ora hiantia cæcarum competant; ſed & patentes latius & apertas ſumma parte declineſque, & ad ſolum coarctatas, imbricibus ſupinis ſimiles facere convenit: nam quarum recta ſunt latera, celeriter aquis vitiantur, & ſuperioris ſoli lapſibus replentur. Operæ rurſus obcæcari debebunt, ſulcis in altitudinem tripedaneam depreſſis, quod cum parte dimidia lapides minutos, vel nudam glaream receperint, æquentur ſuperjecta terra, quæ fuerat effoſſa; vel ſi nec lapis erit, nec glarea, ſarmentis connexus velut funis informabitur in eam craſſitudinem, quam, quam ſolum foſſæ poſſit anguſtæ, quaſi accommodatam coarctatamque capere. Tum per imum contendetur, ut ſuper calcatis cupreſſinis, vel pineis, aut ſi eæ non erunt, aliis frondibus terra contegatur, in principio atque exitu foſſæ more ponticulorum*

rum

rum binis saxis tantummodo pilarum vice constitutis, & singulis superpositis, ut ejusmodi constructio ripam sustineat, ne praecludatur humoris illapsu atque exitu. Palladius l. IV. c. 3. *Si humidus erit, fossarum ductibus ex omni parte siccetur. Sed apertae fossae notae sunt, caecae vero hoc genere fiunt. Imprimuntur sulci per agrum transversi altitudine pedum ternum, postea usque ad medietatem lapidibus minutis replentur, aut glarea, & super terra, quam egesseramus, aequatur. Sed fossarum capita unam patentem fossam petant, ad quam declives decurrunt; ita & humor deducetur, & agri spatia non peribunt. Si defuerint lapides, sarmentis vel stramine subjecto cooperiantur, vel quibuscunque virgultis.* Suas & Judaei habuere fossas, quibus ab agris aquae derivarentur. Vocantur אנניא fossae, lacus in agris ad recipiendas aquas superfluas. עד מישר אנניא: *Usque ad planitiem fossarum. Judic.* IV. II. Sic apud Talmudicos *Bava Kama* fol. 61. 2. באנני דארעא *de fossis terrae*. Praeterea dicuntur כנך בנכי porcae, fossae. למעבר בנכי לכרמיהון. *Ad faciendum fossas vineis suis. Moed Katon* fol. 4. 2. Appellantur etiam בצעין & בצעים. Ut apud *Kimchium Judic.* IV. II. בצעי המים, *fossae, lacunae aquarum. Sanhedrin* fol. 5. 2. מי בצעים *aquae fossarum*. Dicitur etiam fossa בקיע *Moed Katon* fol. 2. Appellatur etiam ניץ, & plur. ניצין. *Psal.* CXL. II. בניצין רמחמרין *in fossas lutosas*. Et *Eccles.* x. 8. נומצא ubi in *Hebr.* habet גומץ. *Prov.* XXII. 14. נמצא קמיקתא *fossa profunda*. I. *Reg.* XVII. 37. 38. & 2. *Reg.* XVIII. 7. מזיקתא pro Hebraeo תעלה. *Chagiga* 19. I. dicitur נמסיות. Praeterea dicitur חריצא, חרוץ. *Job* XXXVIII. 25. חריצי מיא *fossae aquarum*. Et *Jos.* XI. 8. ועד חריצי מיא *Et usque ad fossas aquarum*. Hebr. משרפות quasi dicas conbustionis, i. e. calidas, Thermas. ננא etiam dicitur fossa, vel locus agri depressus, in quo aqua colligitur. *Bava Batra* fol. 103. I. נגאני דארעא *fossae terrae*. In Misna & in Gemara ibidem appellantur נקעים. At נגאנים Autor Aruch deducit ab אגן, unde אנניא *fossae aquarum* Judic. IV. II. *interpretatur* באנני דארעא *in fossis terrae*. Nuncupatur etiam נקע. *Maschirin* cap. I. ולא ימלא נקעים מים *Neque impleat fosens aquis*. Praeterea vocantur פשקין fossae, lacunae aquarum. ואי פשקי רבי. *Et in lacunis, vel ad fossas aquarum crescit R. David Jonae* IV. 6. *In Bava Kama* c. 5. de nominibus fossarum ita scribunt, בור esse fossam rotundam, שיח longam & angustam, חריץ latam infra, & supra angustam, נעיץ angustam infra, & supra latam, מערה esse quadratam & obtectam.

Arationis initium fiebat in mente Adar ante Pascha. *Schevvith* cap. II. עד אימתי חורשין בשדה הלבן קרב שביעית וגו׳ א״ר שמעון נתת תורת כל אחד ואחד בידו אלא בשדה הלבן עד הפסח ובשדה האילן עד עצרת: *Quousque licet agrum albentem arare anno ante septimum? &c. Dicit R. Simeon. Ununquemque ita arbitrio suo permisisti. Verum agrum albentem usque ad Pascha, agrum arboribus consitum usque ad Pentecosten.* Eodem fere tempore prima aratio fieri solebat a Romanis. *Virgilius* Georgic. I.

Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur & Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.

Ubi *Servius: Vere novo gelidus canis cum montibus humor liquitur.* Novum ver ideo ait, quia anni initium mensis est Martius. Et sciendum decem tantum menses fuisse apud Majores. Martium autem anni principium habere voluerunt propter Martem suae gentis autorem. *Vere novo:* Et anni initium accipimus primam partem veris: nam anni quatuor sunt tempora divisa in ternos menses, quod ipsorum temporum faciunt discretionem; ut primo mense veris, novum dicatur ver, secundo adultum, tertio praeceps &c. Iterum *Virgilius* ibid.

——— ergo age terrae
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni.
Fortes invertant tauri, glebusque jacentes
Pulverulenta coquat maturis solibus aestas.

Varro lib. I. cap. 27. *Vere stationes quaedam fiunt; terram rudem proscindere oportet, quae sunt ex ea enata, priusquam ex iis quid seminis cadat, ut sint eradicata, & simul glebis ab sole percalefactis aptiores facere ad accipiendum imbrem, & ad opus faciliores relaxatas. Columella* lib. II. cap. 4. *Pingues campi, qui diutius continent aquam, proscindendi sunt anni tempore jam incalescente, cum omnes herbas ediderint, neque adhuc earum semina maturuerint, sed tam frequentibus densisque sulcis arandi sunt, ut vix dignoscatur in utram partem vomer actus sit; quoniam sic omnes radices herbarum perruptae necantur. Sed & compluribus iterationibus*

sic

ſic reſolvatur veruactum in pulverem, *ut vel nullam vel exiguam deſideret occationem cum ſeminaverimus*. *Nam veteres Romani dixerunt*, *male ſubactum agrum*, *qui ſatis frugibus occandus ſit*. *Palladius* lib. II. ubi de menſe Januario, cap. III. ſcribit pingues, & ſiccos agros hoc menſe poſſe proſcindi. *Pingues & ſicci agri proſcindi*, *& apparari jam poſſunt*. In Februario; *Locis tepidis*, *vel ſi clemens tempus & ſiccum fuerit*, *colles pingues vel hoc menſe proſcinde*. Et in menſe Martio: *Nunc locis frigidis prata purganda*, *atque ſervanda ſunt; locis gelidis colles pingues*, *& agros uliginoſos proſcindere*, *atque exarare conveniet*. Et in menſe Aprili. *Hoc menſe pingues campi*, *& agri*, *qui diu aquam tenent*, *proſcinduntur poſt Idus*, *cum & omnes herbas protulerint*, *& earum ſemina nondum maturitate firmata ſunt*. Et in menſe Majo. *Nunc quoque pingues agri*, *& herboſi proſcinduntur*.

At graciles & ſteriles agri circa Kalendas Septembris arandi erunt. *Virgilius* loc. cit.

> *At ſi non fuerit tellus fœcunda*, *ſub ipſum*
> *Arcturum*, *tenui ſat erit ſuſpendere ſulco*
> *Illic officiant lætis ne frugibus herbæ*,
> *Hic ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam*.

Ubi *Servius*. Oritur autem idem Arcturus ante XV. Kal. Octobris, atque exinde pluviæ incipiunt; quod ipſe aperuit dicendo: *Hic ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam*. Arcturum autem pluviarum & tempeſtatum eſſe autorem. *Plautus* oſtendit in *Rudente*, cum eundem ipſum dicentem facit. *Increpui hybernum*, *& fluctus movi maritimos*. *Plinius*. *Tenue ſolum & aridum paulo ante ſationis tempus moveri debet; at altum & grave hyeme etiam*. *Columella* l. c. *Exilis ager planus*, *qui aquis abundat primum aratur ultima in parte menſis Auguſti*, *ſubinde Septembri ſit iteratus*, *paratuſque ſementi circa æquinoctium*. *Expeditior autem labor ejuſmodi ſolo eſt*, *eo quod pauciores impenduntur operæ: nam tres viri jugero ſufficiunt*. *Item graciles clivi non ſunt æſtate arandi*, *ſed circa Septembres Kalendas*, *quoniam ſi ante hoc tempus proſcindantur*, *effœta*, *& ſine ſucco humus æſtivo ſole peruritur*, *nullaſque virium reliquias habet*. *Itaque optime inter Kalendas*, *& Idus Septembris aratur*, *ac ſubinde iteratur*, *ut primis pluviis æquinoctialibus conſeri poſſit; neque in lira ſed ſub ſulco talis ager ſeminandus eſt*. *Palladius* in menſe Auguſto. *Auguſto menſe ultimo circa Kalendas Septembres ager planus*, *humidus*, *exilis incipiat exarari*. Et in menſe Septembri. *Nunc ager humidus*, *planus*, *exilis*, *quem primo Auguſto arari diximus*, *iteratur & ſeritur*.

XII. Prima aratio ſeu proſciſſio latiori ſulco perficiebatur. Miſna *Celaim* II. 6. הרוצא לעשות שדהו משר מכל מין בּ״ש אומרי׳ שלשה חלמים של פתיח וב״ה אומרים מלא העול השרוני. *Qui agrum ſuum velit diſtinguere in longiores areolas ſingulas ſingularum ſpecierum*, *ſchola Schammai dicit: tres ſulcos proſciſſionis*. *Schola Hillel dicit: ad plenitudinem jugi Saronitici*. Ubi *Bartenora*. חלמים של פתיח ſulci aperturæ, *ac ſi dicat*, *quod inter quamlibet areolam relinquit latitudinem trium ſulcorum*, *de eo quod exaravit; ſic dicitur* Eſai. XXVIII. 24. יפתח וישדד אדמתו. *Et in* Talmude Hieroſolymitano *aquam tenent*, *proſcinduntur poſt Idus*, *cum & omnes herbas protulerint*, *& earum ſemina nondum maturitate firmata ſunt*. *Exponunt*, *quod ſit menſura duorum cubitorum in latitudine & in longitudine*, *poſtea vero eas format figuras*, *uſque dum nullus ferme inter eas relinquatur locus*, *inde apparebit illum non velle ſeminare mixturam* העול השרוני. Jugum Saroniticum. *i. e. in valle*, *quod latius eſt jugo*, *quo arant in montibus*. *Guiſius* in h. l. Nugatur plane *Maimonides* ad hunc locum, dum ſic commentatur שלארץ אדה אבתלח הנשק מחסעה תחסטי כל שקה מנהא חלם של פתיח מענאה חפיר אנפתאה אל ארץ: *Terra cum permaduit*, *amplis dehiſcit rimis*, *quæ ſingulæ rimæ dicuntur ſulci* של פתיח i. e. foſſionis, vel apertionis terræ. Ego חלמי של פתיח explico *ſulcos proſciſſionis*, *Eſaiæ* loco fretus יפתח וישדד אדמתו *proſcindet*, *& offringet humum ſuam Eſai.* XXVIII. 24. Nam פתח & שדד ita opponi videntur, ut Latina *proſcindere & offringere*. *Varro* de re ruſtica lib. I. 32. *Cum proſcideris*, *offringi oportet*, *id eſt iterare ut frangantur glæbæ*, *prima enim aratione grandes glebæ ex terra ſcinduntur*. Proſciſſio latiori ſulco excitat glæbas, vaſtoſque cæſpites convellit, quos iteratio crebriori ſulco offringit, & comminuit: Vide eundem *Varronem* lib. I. cap. 29. Interim ſcio in veteri *Toſaphta* pro שלשה חלמים של פתיח poni שלשת חלמין מפולשין מראש שדה ועד סופו: *tres ſulcos per totum agrum tranſeuntes ab uno fine ad alterum*.

XIII. Agri novales: Hebræos agros ſuos novellaſſe conſtat I. *Sam.* VIII. 12. ubi *Chaldæus* למנר ניריה *ad novellandum novale ſuum*. Hebræus חרש. Et Proverb.

XIII.

XIII. 23. רב אכל ניר ראשים. *Multitudo cibi novale pauperum*. *Jerem.* IV. 3. נירו לכם ניר *novellate vobis novale*. *Ose.* X. 12. נירו לכם ניר. *Novellate vobis novale*. Tosaphta *Menachoth* cap. IX. אין מביאין אלא מן השרות הניטרות ומיוחדות לכן כיצר הוא עושה נרה שנה ראשונה ושניה חורשה: *Non adducebant* (manipulum) *nisi ex agris custoditis & ad hoc destinatis. Quomodo faciebat? Novellabat anno primo, & secundo arabat*. Misna *Menachoth*. אין מביאין לא מבית הזבלים ולא מבית השלחים ולא מבית האילין ואם הביא כשר כיצר הוא עושה נרה שנה ראשונה ובשנה שנייה נזרע קודם לפסח שבעים יום והוא עושה סולת מרובה: *Non adducunt ex agro stercorato, neque ex agro siticuloso, neque ex agro arboribus consito; si autem, adducat, erit legitimum. Quomodo faciebat? Anno primo novellabat, & anno secundo seret ante Pascha septuaginta dies, & faciet multam similam*. Ubi Gemara Babylonica. כיצר עושה נרה שנה ראשונה אי בעיא להו הכי קאמר נרה שנה ראשונה ושניה נרה וזריעה או דלמא נרה שנה ראשונה ושניה זורעה בלא נרה תא שמע דתניא אר יוסי אף חיטי כרזיים וכפר אחים אלמלא סומכות לירושלים היו מביאין מהן אף על פי שאין מביאין את העומר אלא מן השדות המודרמות והמנירות לכך שבהן חמה זורחה ומהן חמה שוקעה ביצר עושה נרה שנה ראשונה ושניה חורש ושונה וזורעה קודם דפסח שבעים יום: *Quomodo faciet, Novellabit anno primo. Necesse est; sic dicit. Novellabit anno primo, & secundo novellabit, & seret: aut fortasse novellabit anno primo, & secundo seret sine novellatione. Veni & audi. Etenim extat traditio. Dicit R. Jose. Vel frumenta Karsitarum, & villæ Achim si non essent proxima Hierosolymis, inde afferebant, quia non afferebant manipulum, nisi ex agris australibus, & novellatis, quia in iis sol oriebatur, & inde sol occidebat. Quomodo faciebat? Novellabat anno primo, & secundo arabat, & serebat ante Pascha septuaginta dies*. Misna *Peah* cap. II. ואלו מפסיקין לפאת הנחל והשלולית ודרך וגו' והבור והניר: *Hæc disterminant quoad angulum alveus, & rivus, & via &c. & ager rudis & novale*: Ubi *Maimonides*. ניר *est terra aratro subacta*; Est vox Biblica. Gemara Hierosolymitana ad h. l. בור וניר חייבין בפיאה וגו' הכל מודין אם חרש מפסיק אם לא חרש אינו מפסיק: *Ager rudis & novale obligantur ad angulum &c. Omnes consentiunt; Si fuerit aratum, disterminat, si non fuerit aratum non disterminat*. *Virgilius* Georgic. lib. I.

> *Alternis idem tonsas cessare novales*
> *Et segnem patiere situ durescere campum*

Ubi *Servius*. Proprie novales sunt primum arva proscissa, & primum segetem ferentia. *Patiere*. *Patieris*: *Situ durescere campos*: Ut redeat in vires priores. *Columella* VI. I. *Novele non aratum, graminosum*. *Varro* lib. I. cap. 29. *Novalis ubi satum ante, quam secunda aratione renovetur. Renovetur rursum terram*. Ita emendandus hic locus interpungendusque. Nam supra dixit. *Terram proscindere oportet &c. Ursinus*. Obscuræ sunt *Varronis* vostri descriptiones de agro novali, paulo vero clarior est illa autoris antiqui de limitibus pag. 293. Edit. *Goesii*. *Novalis ager est primum proscissus, sive qui alternis annis vacat novandarum sibi virium causa. Novalia enim semel cum fructu erant, & semel vacua*. Nescio autem annon h. l. textum *Varronis* sollicitare debeam, qui fortassis a librario male habitus est. *Schoettg*. Nimirum autor de limitibus *Goessianus* utramque significationem vocis *novalis* interpretatur. *Varro* illam modo respicit, ubi agrum notat, qui superiore anno quieverit, & nunc tanto maturius conseri potest, quod alias etiam *veruactum* appellatur. Definitio *Varroniana* obscura est, quia ad etymologiam respicit. Secunda aratione s. iteratione non opus est in terra, quæ quievit.

Si agri angustia non patitur novalia, aliis frugibus serendus est. *Virgilius* l. c.

> *Aut ibi flava seres mutato sidere farra,*
> *Unde prius lætum siliqua quassante legumen,*
> *Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini*

Ubi *Servius*. *Aut ibi flava seres mutato sidere farra*. Si te terrarum cogit angustia, & non habes ubi intermisso agro rursus seras, ibi frumenta seras, unde legumina sustulisti. Agri recreantur aut cessatione; ea autem fit quando arvis spatium conceditur, judicio *Plinii* lib. XVIII. cap. 12. aut commutatione seminum, quorum alia agrum pinguefaciunt, ut far, lupinus, vicia, faba. *Theophrastus* κύαμος κοπρίζειν δοκεῖ τὴν γῆν διὰ μανότητα καὶ εὐσηπτίαν, *stercorare agrum faba videtur tum propter raritatem, tum propter putredinis facilitatem*. *Varro* lib. I. cap. 44. *Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paulo levioribus sationibus serere, id est, quæ minus sugunt terram*.

XIV. Ager sterilis stercorandus erat

ante

ante iterationem, i. e. ante ſecundam arationem. *Columella* lib. II. cap. 5. *Prius tamen quam exilem terram iteremus, ſtercorare convenit, nam eo quaſi pabulo gliſcit.* Fimus Hebraice. Dicitur גלל paſſim in veteri Teſtamento, 2. דמן. 2. *Reg.* IX. 37. *Pſal.* XXIII. II. *Eſai.* XXV. 10. *Jerem.* VIII. 2. IX. 22. & 16. 4. 3. פרש *Exod.* XXIX. 14. *Levit.* IV. 12. VIII. 17. XVI. 27. *Num.* XIX. 8. *Malach.* II. 3. 4. גולי *Dan.* II. 5. Dicitur 5. סוחה. *Eſai.* V. 25. ותהי נבלתם כסוחה. *Et erit cadaver eorum ſicut fimus.* 6. החרסות. *Jerem.* XIX. I. אשר שער החרסות; *Quæ eſt porta ſterquilinii.* In Targum 1. dicitur זבל. 2. *Reg.* 6. 25. קבא דזבל *Kabus ſtercoris*. 2. *Reg.* IX. 38. ותהי נבלתא דאיזבל כזבל מברר על אפי חקלא: *Eritque cadaver Izabelis ſicut fimus diſperſus in ſuperficie agri.* Sic *Jerem.* IX. 22. Talmudice etiam hoc ſenſu uſurpatur. *Schabb.* cap. 4. לא בזבל ולא במלח. *Non cum fimo, neque cum ſale.* *Menachoth* cap. 8. בית הזבלים. *Locus vel ager, qui opus habet ſtercoratione.* זיבול *ſtercoratio.* וים ניבול וזיבול היה *dies fœditatis & ſtercorationis fuit.* Moed Katon fol. 3. I. מזבלין באילן *Firmum ſpargunt circa arborem.* Avodda Zara fol. 49. I. גנתא דאזרבל *Hortus qui ſtercoratus eſt.* עד שיזרבל שדהו. *Donec ſtercoratur ager ejus.* 2. in Targum appellatur מפקא. 2. *Reg.* x. 27. שויוה לבית מפקת אנשא *Redegerunt illam in latrinam.* *Deut.* XXIII. 14. ותכסי ית מפקתך *Et operies ſtercus tuum.* *Eſai.* XXXVI. 12. למיכל מפקתהון *Ad comedendum ſtercora ſua.* Talmudici quoque hanc vocem uſurpant. *Schabb.* fol. 134. I. האי ינוקא דלא ידיע בי מפקתיה לשיפיה מישחא *Infans iſte cujus non dignoſci poteſt locus egeſtionis excrementorum, ungendus eſt oleo.* 3. Chaldaice dicitur סחיתא סחית. *Eſai.* V. 25. כסחיתא בגו שרקיא *ſicut ſtercus in medio platearum.* *Zeph.* I. 17. ונבלתהון כסחיתא *& cadaver ipſorum ut ſtercus.* 4. פרתא פרת. *Deut.* XXI. 8. in *Jonathane* מן יד נפקין נחיל דמורנין מגו פרתא דעגלתא. *Statim prodeunt examen vermium ex ſtercore vitulæ.* Similiter apud Talmudicos, *Cholim* fol. 18. I. ממסמס ליה בפרתא *inquinat illum in ſtercore.* Zevachim fol. 85. I. נקרבינהו בפרתייהו: *Offeremuſne* (inteſtina) *cum fimo ipſorum? Sanhedrin* 67. 2. דם ופרתא *Sanguis & ſtercus.* 5. קיקלתא. קיקלא, קלקולא, קיקלתא, קלקלתא. *Jerem.* XIX. 12. דקדם תרע קלקלתא *quæ eſt ante portam fimi.* *Pſal.* CXIII. 7. מקיקלתא ירים השיבא. *E ſtercore erigit pauperem.* *Thren.* IV. 5. נפפו קקלתן *amplexati ſunt ſtercora.* Apud Talmudicos *Bava Kama* fol. 21. I. ההוא גברא דבנה אפרנא אקילקלתא *Vir iſte qui extruxit palatium juxta ſterquilinium.* *Gittin* fol. 69. I. וניכלנהו בקלקולו דמתא *Et comedet ea in ſterquiliniis urbis.* 6. רעי. *Pſal.* LXXXIII. II. היך רעי דרמים לארעא *Sicut fimus, qui conteritur in terra.* *Job* XX. 7. כרעייה לעלמא יהובד *Sicut ſtercus ipſius in perpetuum peribit.* *Exod.* XXIX. 14. וית רעיה תוקיד בנורא *Et fimum ejus combures igne.* *Levit.* VIII. 17. *Num.* XIX. 5. *Levit.* IV. II. ורעיה *Et fimum ejus.* *Levit.* XVI. 27. וית רעיהון. *Et excrementa ipſorum.* Omnia in *Jonathane*. 7. אוכלא appellatur in Targum *Ex.* XXIX. 14. וית אוכליה תוקיד בנורא. *Et exta ejus & fimum ejus combures igni.* Iterum *Levit.* IV. II. על אוכלה יוקד *cum fimo ejus comburet*, *Levit.* XVI. 27. & *Num.* XIX. 5. וית אוכלהון *& fimum eorum.* Præterea Talmudice 1. dicitur כפותא, כופיתא *Sanhedrin* fol. 98. 2. ואיתיב בטולא דכופיתא דחמריה *ut ſedeam in umbra fimi aſini ejus.* *Bava Batbra* fol. 73. 2. ורמא כופתא וסכרלה לירדנא *Et projecit fimum, & obſtruxit vel obturavit Jordanem.* Iterum *Sanhedrin* fol. 110. I. מיטלל לכו ככפותא *removet vos quaſi fimum.* 2. לשש unde לשלש. *Schab.* 142. 2. היתה עליו לשלשת מקנחה בסמרטוט. *Si fuerit ſuper eo ſtercus, abſterget illud linteo.* Vid. *Zevachim* fol. 94. I. 3. סעת סעותא. *Aruch* ex Peſikta explicat per זבל. 4. פקוסנא. *Avoda Zara* fol. 33. 2. טאני דפקוסנא *Vaſa ſtercorea.* Gloſſa. מארמה ומצפיעי הבקר *ex terra, & ex egeſtis boum.* 5. רפש *Bava Kama* fol. 30. I. לא יהי אלא כרפשו *non erit niſi ut projiciens excrementa ſua.* Gloſſa זבלו. 6. רפת. *Maimonides* in comment. *Kelim* cap. 10. I. dicit כלי גללים eſſe vaſa facta מרפת הבקר והעפר *ex ſtercore bubulo & terra.*

Stercorationem agrorum apud Judæos fuiſſe antiquiſſimam probatur ex plurimis Scripturæ locis, præſertim ex *Pſal.* XXIII. II. היו דמן לארמה *Erunt ſtercus ſuper terram.* *Jerem.* VIII. 2. לדמן על פני הארמה. *In ſtercus in ſuperficie terræ.* Et XVI. 4. & XXV. 33. & IX. 22. כדמן על פני השדה *Sicut fimus in ſuperficie agri.* Et 2. *Reg.* IX. 37. כדמן על פני השדה. *Sicut fimus in ſuperficie agri.* Fimus enim ſpargebatur in agros, ut ſtercore lætarentur. Romani inepte Picumno ſtercorandorum agrorum inventum tribuerunt. *Servius* in *Æneid.* IX. *Pilumus & Picumnus fratres fuerant, & dii horum* (Rutulorum). *Picumnus uſum invenit agrorum ſtercorandorum, unde & ſterquilinius dictus eſt. Pilumnus vero pilendi, ſeu pinſendi frumenti, unde a piſtoribus colitur, unde & ab ipſo pilum dictum eſt.* Et *Æneid.* x. *Pilumnus idem ſtercutius, qui propter pilum inventum, quo fruges confici ſolent, ita appellatus eſt.* Pli-

Plinius XVII. 9. *Augeas rex agros lætificare in Græcia excogitaſſe traditur; divulgaſſe vero Hercules in Italia, quæ regi ſuo Stercutio, Fauni filio, ob hoc inventum immortalitatem tribuit.*

Sterquilinium. *Dan.* II. 5. נולי appellatur ובתיכון נולי יתשמון & *domus veſtræ in ſterquilinium redigentur*. Talmudice קלולא, קיקלתא, קלקלתא, קיקלתא, קיקלא *Keritut* fol. 6. 1. שמעתכון אקיקלי דמתא מחסיא ולא אפרני דפומבדיתא. *Studium veſtrum potius ſit in ſterquilinio vultis Mechasja* (ſc. Sora) *quam in palatiis urbis Pumbedithæ*. *Bava Kama* fol. 21. 1. ההוא גברא דבנה אפדנא אילקלתא. *Vir iſte, qui extruxit palatium juxta ſterquiliniam*. *Gitt.* 69. 1. וניכלנהו בקלקולי דמתא. *Et comedat ea in ſterquiliniis urbis*. Talmudice etiam ut Hebraice אשפות dicitur. *Jerem.* XIX. 1. החרסות dicitur. Ubi Targum דקדם תרע קלקלתא, *quæ eſt ante portam ſterquilinii*. *Nehem.* III. 14. ואת שער האשפות & *portam immunditierum*, ſeu *ſterquilinii*. *Schevvith* cap. III. מאימתי מוציאין זבלים לאשפתות משיפסיקו עובדי עבירה (נא׳ עובדי עבודה) דברי ר״מ ר׳ יהודה אומר משייבש המתוק ר׳ יוסי אומר משיקשור עד כמה מזבלין עד שלש שלש אשפתות לבית סאה של עשר עשר משפלות של לתך לתך מוספין על המשפלות ואין מוספין על האשפתות ר״ש אומר אף על האשפתות עושה אדם את שדהו שלש שלש אשפתות לבית סאה יותר מיכן מחציב דברי ר׳ שמעון וחכמים אוסרין עד שיעמיק שלשה או עד שיגביה שלשה עושה אדם את זבלו אוצר ר״מ אומר עד שיעמיק שלשה או עד שיגביה שלשה היה לו דבר מועט מוסיף עליו והולך ר׳ אלעזר בן עזריה אומר עד שיעמיק שלשה או עד שיגביה שלשה או עד שיתן על הסלע: A quo tempore evehere licet ſtercus in fimeta? Ex quo deſitum eſt agriculturam exerceri. Verba R. Meir. R. Jehuda dicit: Ex quo exaruerit ſuccus. R. Joſe dicit: Ex quo fatiſcat. Quam crebra faciunt fimeta? Ad uſque terna per ſati ſpatium, ſingula denum corbium ſemicoros capientium. Corbium numerum augere licet, non autem fimetorum. R. Simeon etiam numerum fimetorum augeri vult. Cuilibet licet terna diſponere fimeta per agrum ſuum pro ſingulis agri ſatis. Plura etiam licet ex ſententia R. Simeonis. Sed ſapientes vetant niſi loco tres *palmos* alte cavato, vel tres ſurſum levato. Fimum in promtuarium congerere licet. R. Meir vetat, niſi loco tres *palmos* alte depreſſo, vel tres ſurſum levato. Si cui ſuppetat parum quid, ſubinde augere licet. R. Elieſer ben Azaria vetat, niſi loco tres *palmos* alte depreſſo, vel tres ſurſum levato, vel niſi ſuper petram reponat. *Cato* cap. II. *Cum tempeſtates pluviæ fuerint, videto, quot dies, quæve opera per imbrem fieri potuerit . . . . ſtercus foras efferri, ſterquilinium fieri*. *Varro* lib. I. cap. 38. *Sterquilinium ſecundum villam facere oportet, ut quam pauciſſimis operis egeratur*. Ibid. cap. 13. *Secundum villam duo habere oportet ſterquilinia, aut unum bifariam diviſum; alteram enim partem ferri oportet e villa novam, alteram veterem tolli in agrum; quod enim inſertur recens minus bonum; id cum flacuit, melius: necnon ſterquilinium melius illud, cujus latera, & ſummum virgis ac fronde vindicatum ab ſole. Non enim ſucum, quem quærit terra, ſolem ante exugere oportet. Itaque periti (qui poſſunt) ut eo aqua influat eo nomine faciunt. Sic enim maxime retinetur ſuccus, in eoque quidam ſellas familiaricas ponunt*. *Columella* lib. I. cap. 6. *Sterquilinia quoque duo ſint, unum quo nova purgamenta recipiat, & in annum conſervet. Alterum ex quo vetera vehantur: ſed utrumque more piſcinarum devexum levi clivo, & extructum pavitumque ſolum habeat, ne humorem tranſmittant: plurimum enim refert, non adſiccato ſucco fimum vires continere, & aſſiduo macerari liquore, ut ſiqua interjecta ſint ſtramentis aut paleis ſpinarum vel graminum ſemina, intereant, nec in agrum exportata ſegetes herbidas reddant. Ideoque periti ruſtici, quicquid ovilibus ſtabuliſque converſum progeſſerunt, ſuperpoſitis virgeis cratibus tegunt, nec areſcere ventis ſinunt, aut ſolis incurſu patiuntur exuri*. *Palladius* lib. I. 33. *Stercorum congeſtio locum ſuum tenere debebit, qui abundet humore, & propter odoris horrenda a prætorii avertatur aſpectu. Humor abundans hoc præſtabit ſtercori, ut ſi qua inſunt ſpinarum ſemina, putrefiant*.

Variæ fimorum ſpecies a Judæis recenſentur. In Targum *Ezech.* IV. 15. גלי טוויא *fimum boum*, & גלי אנשא *ſtercus humanum*, Bava Kama cap. III. ההופך את הגלל. *Qui vertit fimum bovinum*. Ubi Gloſſa צואת הבקר. *Avoda Zara* fol. 33. 2. pro fimo bovino פקוסנא legitur. מאני דסקוסנא *Vaſa ſtercorea*. Ubi Gloſſa מאדמה ומצפיעי הבקר *Ex terra, & ex egeſtis boum*. *Deut.* XXI. 8. in *Jonathane* הן יד נפקין נחיל דמורנין מגו פרתא דעגלתא *Statim prodeunt examen vermium ex ſtercore vitulæ*. *Maimonides* in commentario *Kelim* cap. X. כלי גללים eſſe vaſa facta ex מרפת הבקר והעפר *ex ſtercore bubulo, & terra*. *Sanhedrin* fol. 98. 2. והיתיב בטולא דכופיתא חמריה. *Ut ſedeam in umbra fimi aſini ejus*. *Schab.* 141. 2. היתה עליו לשלשת מקנחה בסמרטוט. *Si fuerit ſuper eo ſtercus, abſtergit illud linteo*, *Aruch* expo-

exponit: *Stercus gallinarum* פרשא פרש fimus, stercus tam intestinorum, quam vesicæ gutturis in avibus. In *Becharoth* fol. 7. 2. & *Cholin* fol. 116. 2. memoratur פרש עבה *fimus crassus*, פרש רקה פרש רכה *fimus tenuis*, *vel liquidus*; פירשא בעלמא *fimus vulgaris communis*. *Varro* lib. 1. 38. *Quæ loca in agro stercoranda videndum, & qui & quo genere potissimum facias. Nam discrimina ejus aliquot. Stercus optimam scribit esse* Cassius *volucrium, præter palustrium ac nantium: De hisce præstare columbinum, quod sit calidissimum & fermentare possit terram. Id ut semen adspergi oportere in agro, non ut de pecore acervatim poni. Ego arbitror præstare ex aviariis turdorum ac merularum, quod non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum ita bubus ac suibus, ut fiant pingues. Itaque qui aviaria conducunt, si caveat dominus, stercus ut in fundo maneat minoris conducunt, quam ii, quibus id accedit.* Cassius *secundum Columbinum scribit esse hominis. Tertio caprinum & ovillum, & asininum. Minime bonum equinum, sed in segetes: in prata enim vel optimum ut ceterarum veterinarum, quæ hordeo pascuntur, quod multam facit herbam. Columella* lib. 11. cap. 15. *Tria igitur stercoris genera sunt præcipua, quod ex avibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus consit. Avium primum habetur, quod ex columbariis egeritur: deinde quod gallinæ, ceterique volucres edunt; exceptis tamen palustribus aut nantibus, ut anatis & anseris: nam id noxium quoque est: maxime tamen columbinam probamus, quod modice sparsum terram fermentare comperimus. Secundum deinde quod homines faciunt, si & aliis villæ purgamentis immisceatur, quoniam per se naturæ est ferventioris, & idcirco terram perurit. Aptior est tamen surculis hominis urina, quam sex mensibus passus fuerit veterascere, si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas, nullo alio magis fructus exuberat; nec solum ea res majorem facis proventum, sed etiam saporem & odorem vini pomorumque reddit meliorem. Potest & vetus amurca, quæ salem non habet, permista huic commode frugiferas arbores, & præcipue oleas rigare: nam per se quoque adhibita multum juvat. Sed usus utriusque maxime per hiemem est & adhuc vere, ante æstivos vapores, dum etiam vites & arbores obleaqueatæ sunt. Tertium locum obtinet pecudum stercus, atque in eo quoque discrimen est: nam optimum existimatur, quod asinus facit, quoniam id animal lentissime mandit, ideoque facilius conquoquit, & bene confectum atque idoneum protinus arvo fimum reddit. Post hæc quæ diximus ovillum, & ab hoc caprinum est, mox ceterorum jumentorum armentorumque. Deterrimum ex omnibus suillum habetur: Quin etiam satis profuit cineris usus & favillæ. Frutex vero lupini succisus optimi stercoris vim præbet. Nec ignoro quoddam esse ruris genus, in quo neque pecora neque avis haberi possint: attamen inertis est rustici eo quoque loco defici stercore. Licet enim quamlibet frontem, licet e vepribus compitisque congesta colligere; licet filicem sine injuria vicini etiam cum officio decidere, & permiscere cum purgamentis cobortis, licet depressa fossa, qualem stercori reponendo primo volumine fieri præcipimus, cinerem cœnumque cloacarum, & culmos ceteraque, quæ everruntur, in unum congerere, sed eodem medio loco robustam materiam defigere convenit; namque ea res serpentum noxam latere in stercore probibet. Nam ubi greges quadrupedum versantur, quædam quotidie, ut culina, & caseale, quædam pluviis diebus, ut bubilia, & ovilia debent emundari. At si tantum frumentarius ager est, nihil refert genera stercoris separari: sin autem surculo & segetibus, atque etiam pratis fundus est dispositus, generatim quoque reponendum est sicut caprarum & avium. Reliqua deinde in prædictum locum concavum congerenda, & assiduo humore satianda sunt, ut herbarum semina culmis, ceterisque rebus immista putrescant. Æstivis deinde mensibus non aliter, ac si repastines, totum sterquilinium rastris permisceri oportet, quo facilius putrescat, & sit arvis idoneum. Parum autem diligentes existimo esse agricolas, apud quos minores singulæ pecudes tricenis diebus minus quam singulas, itemque majores denas vebes stercoris efficiunt, totidemque singuli homines, qui non solum ea purgamenta, quæ ipsi corporibus edunt, sed & quæ colluvies cortis & ædificii quotidie gignit, contrahere, & congerere possunt. Illud quoque præcipiendum habet, stercus omne, quod tempestive repositum anno requieverit, segetibus esse maxime utile; nam & viros adhuc solidas habet, & herbas non creat: quanto autem vetustius sit, minus prodesse: quoniam minus valeat: itaque pratis quam recentissimum debere injici, quod plus herbarum progeneret: idque mense Februario luna crescente fieri oportere: Nam ea quoque res aliquantum fœni fructum adjuvat. Palladius* lib. 1. cap. 33. *Stercus asinorum primum est, maxime hortis, dein ovillum, & caprinum, & jumentorum: porcinum vero pessimum: cineres optimi: sed columbinum fervidissimum, ceterarumque avium satis utile est, excepto palustrium. Stercus quod anno requieverit,*

verit, segetibus utile est, nec herbas creat: si vetustius sit, minus proderit; pratis vero recentia stercora proficient ad uber herbarum: Et maris purgamenta si aquis dulcibus eluantur, mista reliquis vicem stercoris exhibebunt, & limus, quem scaturiens aqua, vel fluvii incrementa respuerint Autor Geopon. 19. columbinum præ ceteris commendat: ἔςι δὲ κόπρος μὲν καλὴ ἡ τῶν πτηνῶν ἁπάντων, πλὴν τῶν χηνῶν καὶ τῶν ἐνύδρων ὀρνέων, διὰ τὴν ὑγρότητα· πολὺ δὲ καλλίων ἡ τῶν περιςερῶν, πολὺ τὸ θερμὸν ἔχουσα· διό τινες μὴ σκευάζοντες αὐτὴν, ἀλλ' ὁποία ἐςὶν ἐῶντες, σὺν τῷ σπόρῳ ἐπιῤῥάπτουσιν. De turdorum stercore *Plinius* lib. XVII. 9. M. Varro *principatum dat turdorum fimo ex aviariis; quod etiam pabulo boum suumque magnificat: neque alio cibo celerius pinguescere asseverat*. De caprino Autor Geopon. ibid. Τρίτη ἡ ὀνεία γονιμωτάτη τῇ φύσει οὖσα, καὶ πᾶσι τοῖς φυτοῖς μάλιςα χρησιμωτέρα, τετάρτη ἡ τῶν αἰγῶν, καὶ ἡ τῶν προβάτων ἑξῆς. *Plinius* l. c. *Proximum deinde caprarum est, ab hoc ovium, deinde boum, novissimum jumentorum*. De equino *Plinius* l. c. *Varro præceptis adjicit, equino, quod sit levissimum, segetes alendas, prata vero graviore, & quod ex hordeo fiat, multasque gignat herbas. Virgilius* Georgic. lib. 1.

Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros:
Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arva:
Nec nulla interea & inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis
Sive inde occultas vires, & pabula terræ,
Pinguia concipiunt, sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor,
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas
Seu durat magis, & venas adstringit hiantes.

Præter fimorum species jam memoratas, serere consuevere veteres fabas, & lupinos, quibus mirum in modum pinguescerent agri. *Varro* lib. 1. cap. 39. *Quædam etiam serenda non tam propter præsentem fructum, quam in annum prospiciendum, quod ibi subsecta atque relicta terram faciant meliorem. Itaque lupinum, cum necdum filiculam cepit & nonnunquam fabalia, si ad siliquas non ita pervenit, ut fabam legere expediat, si ager macrior est, pro stercore inarare solent*. Et mox. *Contra ubi segetes frumentarias ibi fabam potissimum seras. Columella* lib. II. cap. 15. *Sed ex his quæ retuli seminibus, idem Saserna putat, aliis stercorari, & juvari agros, aliis rursus peruri, & emaciari; stercorari lupino, faba, vicia, eruo, lenta, cicercula, piso. De lupino nihil dubito, atque etiam de pabulari vicia, si tamen eam viridem desectam confestim aratrum subsequatur, & quod falx reliquerit, priusquam inarescat, vomis rescindat, atque obruat; id enim cedit pro stercore: tum si radices ejus desecto pabulo relictæ inaruerint, succum omnem solo auferent, vimque terræ absument; quod etiam in faba, ceterisque leguminibus, quibus terra gliscere videtur, verisimile est accidere: ut nisi protinus sublata messe eorum proscindatur, nihil iis segetibus, quæ deinceps in eo loco seminari debent, profuturum sit*. Idem cap. 16. *Jam vero & ego reor, si deficiatur omnibus rebus agricola: lupini certe expeditissimum præsidium non deesse: quod cum exili loco circa Idus Septembris sparserit, & inaruerit, idque tempestive vomere vel ligone succiderit, vim optimæ stercorationis exhibebit: Succidi autem lupinum sabulosis locis oportet, cum secundum florem; rubricosis, cum tertium egerit. Illic dum tenerum est, convertitur, ut celeriter ipsum putrescat, permisceaturque gracili solo: hic jam robustius, quod solidiores glebas diutius sustineat, & suspendat, ut eæ solibus æstivis vaporatæ resolvantur. Plinius* lib. XVII. cap. 9. *Inter omnes autem constat nihil esse utilius lupini segete, priusquam siliquetur, aratro vel bidentibus versa*.

Duplex erat stercorationis ratio apud Judæos; prima hujusmodi erat, ut exacta hyeme, ab ovibus inclusis cratibus & retibus, translatis singulis noctibus ex altero ad alterum spatium caulis, brevi tempore vel amplissimi agri stercorari possent. Etenim apud Judæos דיר & דייר est *stercorare*; nempe faciebant דירות caulas ovium in agris, ut ex ovium fimo agri stercorarentur. Inde participium apud Talmudicos המדייר את שדהו *caulificans agrum suum Schevvith*. cap. 3. i. e. ex agro suo caulam ovium faciens ut stercoraretur. Sic ex *Nithpahel* שדה שנטייבה ושנדיירה: *Ager qui melioratus, & stercoratus est*. Ibid. fol. 38. 1. Ubi *Bartenora* שנדיירה: Stercoratus, *si confecerint in agro illo caulas pro jumento uti dictum*

eſt cap. præcedenti, *ſed non fecerint ex eo fimum*, *ſed reliquerint ſtercbus in caula ad ſtercorandum agrum*. Prius de accurata cultura, alterum de dicto ſtercorationis modo intelligitur: אין מריירין שדה בחולו' של מועד: *Non ſtercorant agrum in die profeſto ſolennitatis Moed Katon* fol. 13. *Varro* lib. 2. cap. 2. *Quibus in locis meſſes ſunt factæ; inigere* (oves) *id utile duplici de cauſa, quod & caduca ſpica ſaturantur, & obtritis ſtramentis, & ſtercoratione faciunt in annum ſegetes meliores*. Hæc ſtercorandi ratio adhuc obſervatur in agro Romano.

2. Uſitato modo ſpargebatur fimus in agris, ut ſtercorarentur; uti conſtat ex *Pſal*. xxiii. 11. היו דמן לארמה *Erunt ſtercus ſuper terram Jerem*. viii. 2. לדמן על פני הארמה: *in ſtercus in ſuperficiæ terræ*; & xvi. 4. & xxv. 33. & ix. 22. כדמן על פני השדה *ſicut fimus in ſuperficie agri*. Et 2. *Reg*. ix. 37. כדמן על פני השדה: *Sicut fimus in ſuperficie agri*. *Columella* lib. 11. cap. 5. *Prius tamen quam exilem terram iteremus, ſtercorare conveniet; nam eo quaſi pabulo gliſcit. In campo rarius, in colle ſpiſſius, acervi ſtercoris inſtar quinque modiorum diſponentur, atque in plano pedes intervalli quoque verſus octo, in clivo duobus minus relinqui ſat erit. Sed id nobis decreſcente luna fieri placet; nam ea res herbis liberat ſegetes. Jugerum autem deſideret, quod ſpiſſius ſtercoratur, vehas quatuor & viginti, quod rarius, duodeviginti. Disjectum deinde protinus fimum inarari, & abrui convenit, ne ſolis halitu vires amittat, & ut permiſta humus prædicto alimento pingueſcat. Itaque cum in agro diſponentur acervi ſtercoris, non debet major modus eorum diſſipari, quam quem bubulci eodem die poſſint obruere*. Et mox cap. 16. *Interim qui frumentis arva præparare volet, ſi autumno ſementem facturus eſt menſe Septembri, ſi vere, qualibet parte hyemis modicos acervos luna decreſcente diſponat, ita ut plani loci jugerum duodecim, clivoſi quatuor & viginti vebes ſtercoris teneant; & ut paulo prius dixi, non antea diſſipet cumulos, quam erit ſaturus. Si tamen aliqua cauſa tempeſtivam ſtercorationem facere probibuerit, ſecunda ratio eſt antequam ſarrias more ſeminantis ex aviariis pulverem ſtercoris per ſegetem ſpargere. Si & is non erit, caprinum manujacere, atque in terram ſarculis permiſcere: ea res lætas ſegetes reddit. Nec ignorare colonos oportet, ſicut refrigeſcere agrum, qui non ſtercoretur, ita peruri ſi nimium ſtercoretur, magiſque conducere agricolæ frequenter id potius, quam imaodice facere. Nec dubium quin aquoſus ager majorem ejus copiam, ſiccus minorem deſideret: alter quod aſſiduis humoribus rigens hoc adhibito regelatur: alter quod per ſe tepens ſiccitatibus, hoc aſſumto largiore torretur: propter quod nec deeſſe ei talem materiam, nec ſupereſſe oportet. Si tamen nullum genus ſtercoris ſuppetat, ei multum proderit feciſſe, quod M.* Columellam *patruum meum doctiſſimum, & diligentiſſimum agricolam ſæpenumero uſurpaſſe memoria repeto, ut ſabuloſis locis cretam ingereret: cretoſis ac nimium denſis ſabulum: atque ita non ſolum ſegetes lætas excitaret, verum etiam pulcherrimas vineas efficeret. Palladius* lib. x. *Septembri menſe. Agri nunc ſtercorandi ſunt, ſed in colle ſpiſſius, in campo rarius lætamina diſponentur, cum luna minuitur: quæ res ſi ſervetur, herbis officiet. Uni jugero aſſerit* Columella xxiv. *ſtercoris carpenta ſufficere; in plano vero* xviii. *ſed iidem cumuli tot diſſipandi ſunt, quot ea die poterunt exarari, ne ſtercora exiccata nihil proſint. Ejiciuntur quidem lætamina, & qualibet hyenos parte; ſed ſi tempore ſuo ejici aliqua ratione non poterunt, antequam ſeras, more ſeminis per agros pulverem ſtercoris ſparge, vel caprinum manu projice, & terram ſarculis miſce. Nec prodeſt nimium ſtercorare uno tempore, ſed frequenter & modice. Ager aquoſus plus ſtercoris, ſiccus vero minus requirit. Sed ſi lætaminis copia non abundat, hoc pro ſtercore optime cedit, ut ſabuloſis locis cretam, vel argillam ſpargas, cretoſis ac nimium ſpiſſis ſabulem. Hoc etiam ſegetibus proficit, & vineas pulcherrimas reddit*.

XV. Iteratus ager dicebatur, qui poſt primam arationem iterabatur, i. e. iterum arabatur. *Guiſius* ad cap. 11. 5. *Celaim. Eſai*. xxviii. יפתח וישדד ארמתו *Proſcindet, & offringet humum ſuam*. פתח & שדד ita opponi videntur ut Latina *proſcindere*, & *offringere*. *Varro* lib. 1. cap. 32. *Cum proſcideris, offringi oportet, id eſt iterare, ut frangantur glebæ: prima enim aratione grandes glæbæ ex terra ſcinduntur*. De hac *Guiſii* ſententia in explicando *Eſaiæ* textu, inferius erit diſſerendi locus. Gemara *Babylonica Menachoth* l. c. כיצד עושה נרה שנה ראשונה איבעיא להו הכי קאמר נרה שנה ראשונה ושניה נרה וזורעה או דלמא נרה שנה ראשונה וזורעה בלא נרה וגו' כיצד עושה נרה שנה ראשונה ושניה חורש ושונה וזורעה קודם לפסח שבעים יום וגו' חורש ושונה ולטעמיך מתניתין לא קתני שונה ברייתא קתני שונה לא קשיא כאן בעבודה כאן בשאינה עבודה: Quomodo faciebar? Novellabat anno primo: Dicendum ita erat: Novellabat anno primo, & anno ſecundo novellabat, & ſerebat; aut fortaſſe

no-

novellabat anno primo, & anno secundo serebat sine novellatione &c. Quomodo faciebat? Novellabat anno primo, & anno secundo arabat, atque iterabat & serebat septuaginta dies ante Pascha &c. Arabat atque iterabat: At juxta tuam opinionem, Misna non docet; iterabat: Baraitha docet: iterabat: Non est oppositio: Hic agitur de opere; & ibi agitur quando non sit opus. *Varro* lib. I. cap. XXIX. *Rursum cum terram primum arant, proscindere appellant, cum iterum offringere, quod prima aratione glæbæ grandes solent excitari, cum iteratur, offringere vocant; tertio cum arant jacto semine boves lirare dicuntur*. Et mox cap. XXXII. *Quarto intervallo inter solstitium & caniculam arationes absolvi, quæ eo fructuosiores fiunt, quo calidiore terra aratur*. *Columella* lib. II. cap. 4. *Quo tempore cum arati fuerint, diebus interpositis circa solstitium, quod est nonum, vel octavum Kalen. Julias, iteratos esse oportebit. Julio mense agri qui Aprili proscissi fuerunt, iterantur*. Et mox. *Colles pinguis soli peracta satione trimestri, mense Martio, deinde ab Aprili medio usque ad solstitium iterandi. Sed in arando maxime est observandum, semper ut transversus mons sulcetur. Nam hac ratione difficultas acclivitatis infringitur, laborque pecudum & hominum commodissime sic minuitur. Paululum tamen quotiescunque iterabitur, modo in elatiora, modo in depressiora clivi obliquum agi sulcum oportebit, ut in utramque partem rescindamus, nec eodem vestigio terram moliamur*. *Palladius* lib. VIII. *Julio mense agri, qui Aprili proscissi fuerunt, circa Kalendas iterantur*. *Virgilius* Georgic. lib. I.

> *Et qui proscisso, quæ suscitat æquore terga,*
> *Rursus in obliquum verso perrumpit aratro;*
> *Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.*

XVI. Agri tertiati, i. e. tertio arati: *Varro* lib. I. cap. 34. *Quinto intervallo inter caniculam, & æquinoctium autumnale oportet aratro offringi*. *Columella* lib. II. cap. 4. *Deinde ab Aprili medio usque ad solstitium iterandi, tertiandique Septembri circa æquinoctium*. *Palladius* lib. X. *Septembri mense ager pinguis, & qui diu tenere consuevit humorem, tertia vice arabitur, quamvis humido anno possit & antea tertiari*. *Theophrastus*: Ἡ δὲ κατεργασία ἐν τῷ νεῷ κατ᾽ ἀμφοτέρας τῆς ὥρας, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος, ὅπως χειμασθῇ, καὶ ἡλιωθῇ ἡ γῆ, πολλάκις γὰρ μετὰ βληθεῖσα μανὴ καὶ κουφὴ, καὶ καθαρὰ γίνεται τῆς ὕλης: *quod est novale licet operari utroque tempore æstivo & hyberno, ut terra frigora & solem sentiat: Siquidem ea frequenter inversa, rara, levis, atque a materia redditur vacua*. Hinc egregie Virgilius Georgic. lib. I.

> *Illa seges demum votis respondet avari*
> *Agricolæ, bis quæ solem, quæ frigora sensit:*
> *Illius immensæ ruperunt horrea messes.*

Columella l. c. testatur in pinguibus agris plurimas faciendas fuisse iterationes. *Sed & compluribus iterationibus sic resolvatur veruactum in pulverem, ut vel nullam vel exiguam desideret occationem*. Ibid. cap. 13. quartum sulcum, i. e. quartam arationem commemorat: *Semina quæ quarto sulco seruntur*. *Plinius* quintum & nonum sulcum lib. XX. commemorat. *Spissius solum sicut plerumque in Italia quinto sulco seri melius est, in Tuscia vero nono*. *Plinius* Junior Epist. V. de agris suis in Tuscia sitis, Appennino subjacentibus. *Quos nisi ingentes boves & fortissima aratra perfringant, tantis glæbis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, adsurgit, ut nono demum sulco perdometur*. Contra Columella lib. IX. cap. 9. scribit hordeum altero sulco, i. e. secunda aratione seri solitum. *Altero sulco seminari debet*. Idem ibid. cap. II. de farragine. *Farraginem in restibili stercoratissimo loco, & altero sulco serere convenit*.

XVII. Sementis apud Hebræos fieri solebat in æquinoctio Tisri sc. Septembris. *Jonathan* ad *Genes.* VIII. 22. דרוע בתקופת תשרי *Sementis in æquinoctio Tisri*. Tosaphta *Taanith*. cap. חצי תשרי מרחשון וחצי כסליו זרע: *Dimidium Tisri, Marchesvan & dimidium Kaslev sementis*. Targum in *Eccles.* ולא תתמנע מלמזרע אף בכסלו: *Ne intermitens etiam* (sc. serius) *seminare in mense Kaslev*. In Hebræo est וגם לשמונה *in octavo*, unde in Targum legendum esset במרחשון in Octobri, quo mense serotina sementis fiebat; idcirco dictum אף, in Targum, & וגם in Hebræo *etiam*; quando sementem in æquinoctio *Septembris* non feceris. Romani ante occasum Vergiliarum sementim facere consueverunt, id est die nono ante Kal. Novemb. *Virgilius* Georgic. lib. I.

> *At si triticeam in messem, robustaque farra*
> *Exercebis humum, solisque instabis aristis,*

Ante

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſiaque ardentis decedat ſtella coronæ.

Varro lib. I. cap. 34. *Sexto intervallo ab æquinoctio autumnali incipere ſcribunt, oportere ſerere, uſque ad diem* XCI. *poſt brumam, niſi quæ neceſſaria cauſa coegerit non ſerere: quod tantum interſit, ut ante brumam ſata, ſeptimo die: quæ a bruma ſata.* XL. *die vix exiſtant: neque ante æquinoctium incipi oportere putant, quod ſi minus idoneæ tempeſtates ſint conſecutæ, puteſcere ſemina ſolant. Columella* lib. II. cap. 8. *Placet noſtro Poetæ adoreum, atque etiam triticum non ante ſeminare quam occiderint Vergiliæ, quod ipſum numeris ſic ediſſerit.* At ſi triticeam in meſſem robuſtaque farra exercebis humum, ſolisque inſtabis ariſtis, ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur. *Abſconduntur autem altero, & trigeſimo die poſt autumnale æquinoctium, quod fere conficitur nono Kal. Octobris: propter quod intelligi debet tritici ſatio dierum ſex & quadraginta ab occaſu Vergiliarum, qui ſit ante diem* IX. *Kal. Novemb. ad brumæ tempora: ſic enim ſervant prudenter Agricolæ, ut quindecim diebus priuſquam conficiatur bruma, totidemque poſt eam confectam, neque arent, neque vitem, neque arborem putent. Palladius* lib. XI. *Octobri menſe ardorecum ſeremus ac triticum. Juſta ſatio eſt a decimo Kalendarum Novembrium, uſque ad ſextum Idus Decembris regionibus temperatis.* Et lib. XII. *Novembri menſe triticum ſeremus & far ſatione legitima, ac ſementi ſolemni.* At in agris uliginoſis ſeminari oportebat circa Kal. Octobris. *Columella* l. c. *Ceterum locis uliginoſis atque exilibus, aut frigidis aut etiam opacis plerumque circa Kalendas Octobris ſeminare convenire.* Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent, *ut prius convaleſcant radices frumentorum, quam hybernis imbribus aut gelicidiis, pruimiſque infeſtetur. Sed quamvis tempeſtive ſementis confecta erit, cavebitur tamen ut patentes liras, crebroſque ſulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, & omnem humorem in colliquias, atque inde extra ſegetes derivemus. Septembri menſe . . . Nunc ager humidus, planus, exilis, quem primo Auguſto arari diximus, iteratur & ſeritur. Graciles clivi nunc primum arandi ſunt, & ſerendi ſtatim circa æquinoctium.*

Seminandi ratio deſcribitur a *Varrone* lib. I. cap. 29. *Tertio cum arant jacto ſemine, boves lirare dicuntur, id eſt cum tabellis additis ad vomerem ſimul, & ſatum frumentum operiunt in porcis, & ſulcant foſſas, quo pluvia aqua delabatur: nonnulli poſtea, qui ſegetes non tam latas habent (ut in Apulia) id genus prædii per ſarritores occare ſolent, ſiquæ in porcis relictæ grandiores ſint glæbæ. Plinius* lib. XVIII. cap. 20. *Aratione per tranſverſum iterata, occatio ſequitur, ubi res poſcit crate vel raſtro, & ſato ſemine iteratio. Hæc quoque ubi conſuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocatur lirare, operiente ſemina, unde primum adpellata deliratio Columella* lib. II. cap. 4. *Sed jugerum talis agri quatuor operis expeditur: nam commode pro ſcinditur duabus, una iteratur, tertiatur dodrante, in liram ſatum redigitur, quadrante opera. Liras autem ruſtici vocant easdem porcas, cum ſic aratum eſt, ut inter duos latius diſtantes ſulcos medius cumulus ſiccam ſedem frumentis præbeat.*

XIX. Promittit Deus *Levit.* XVI. 4. Hebræis, ſi ſua præcepta ſervarent, ſe daturum pluviam in tempore ſuo, & agris fœcunditatem. אם בחקתי תלכו ואת מצותי תשמרו ועשיתם אותם ונתתי גשמיכם בעתם ונתה הארץ יבולה ועץ השרה יתן פריו והשיל לכם דיש אח בציר ובציר ישיג את זרע ואכלתם לחמכם וישבתם לבטח בארצכם. *Si in decretis meis ambulaverit, & mandata mea obſervaveritis, feceritiſque ea. Tunc dabo pluviam veſtram in tempore ſuo, dabitqae terra proventum ſuum, arbor quoque agri dabit fructum ſuum. Attingetque vobis trituratio vindemiam, & vindemia attinget ſementim, comedetiſque panem veſtrum ad ſaturitatem, & ſedebitis cum confidentia in regione veſtra.* Si contra feciſſent, minatur ibid. Deus ſe cohibiturum pluvias; ויתתי את שמיכם כברזל ואת אראכם כנחשה: *Ac dabo cœlum veſtrum ſicut ferrum, & terram veſtram ſicut æs. Deut.* XII. 16. כי הארץ אשר אתה בא שמה לרשתה לא כארץ מצרים הוא אשר יצאתם משם אשר תזרע את זרעך והשק ית ברגלך כגן הירק והארץ אשר אתם עברים שמה לרשתה ארץ הרים ובקעת למטר השמים תשתה כוים ארץ אשר יהוה אלהיך דרש אתה תמיד עיני יהוה אלהיך בה מרשית השנה ועד אתריתשנת וה יה אם שמע תשמעו אל מצותי אשר אנכי מצוהי אתכם היום לאהבה את יהוה אלהיכם ולבעדו בכל לבבכם ובכל נפשכם ונתתי מטר ארצכם בעתו יורה ומלקוש ואספת דגנך ותירשך ויצהרך ונתתי עשב בשרך לבהמטך ואכלת ושבעת: *Terra quam tu ingrederis ad hæreditandum, non ſicut terra Ægypti eſt ipſa, ex qua egreſſi eſtis, in qua ſerebas ſemen tuum, & quam adaquabas opera pedis tui, ſicut hortum oleris. Terra, ad quam vos tranſitis ad hæriditandum, eſt terra montium & vallium,*

lium, de pluvia cœli bibit aquam. Est terra, quam Dominus Deus tuus requirit, semper sunt oculi Domini Dei tui in ea a principio anni & usque ad finem anni. Erit itaque si auscultando auscultaveritis præceptis meis, quæ ego præcipio vobis hodie, ad diligendum Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra; tum dabo pluviam terræ vestræ in tempore suo tempestivam & serotinam, & colliges granum tuum, & mustum tuum, ac oleum tuum, & dabo herbam in agro tuo jumentis tuis, comedesque, ac saturaberis. Jerem. v. 24. ולא אמרו בלבבם ניראנא את יהוה אלהינו הנתן גשם יורה ומלקוש בעתה: *Et non dixerunt in cordibus suis. Timeamus, quæso, Dominum Deum nostrum; qui dat pluviam tempestivam & serotinam in tempore suo.* Ezech. xxxiv. 26. והורדתי גשם בעתו גשמי ברכה יהיו: *Et faciam descendere pluviam in tempore suo, pluviæ benedictionis erunt.* Ose. vi. 3. ויבוא כגשם לנו כמלקוש יורה *Et veniet quasi pluvia nobis serotina, & tempestiva.* Zachar. x. 1. שאלו מיהוה מטר בעת מלקוש יהוה עשה חזיזים ומטר גשם יתן להם לאיש עשב בשדה: *Petite a Domino pluviam in tempore serotino, & Dominus faciet fulgura, & pluviam dabit eis, singulis herbam in agro.* Egregius est locus *Job* xxxviii. ubi Deus autor & pater pluviam, nivis, tonitruum &c. demonstratur הבאת אל אצרות שלג ואוצרות ברד תראה אשר חשכתי לעת צר ליום קרב ומלחמה אי זה הדרך יחלק אור יפץ קדים על ארץ מי פלג לשטף תעלה ודרך לחזיז קלות להמטיר על ארץ לא איש מדבר לא אדם בו להשביע שאה ומשאה ולהצמיח מצא דשא היש למטר אב או מיהוליד אגלי טל מבטן מי יצא הקרח וכפר שמים ילדו כאבן מים יתחבאו ופני תהום יתלכדו: *Numquid ingressus est thesauros, nivis, aut thesauros grandinis adspexisti? Quæ præparavi in tempus angustiæ, in diem gladii & belli. Per quam viam spargitur lux, dividitur oriens super terram. Quis dedit inundationi canalem, & viam fulguri perstrepenti? Ut placuit super terram, ubi non esset vir in deserto, ubi non esset homo? Ut impleat ruinam, & desolationem, & produceret herbam virentem? Quis est pluviæ pater? Vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies? Et gelu de cœlo quis genuit? In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.* Targum *Deut.* xi. 14. בכיר ולקיש: *Primigeniam & serotinam pluviam.* Consentiunt omnes Hebræi pluviam tempestivam fuisse in mense Marchesvan i. e. Octobri, & serotinam in mense Nisan, i. e. Martio. Targum *Joel.* ii. 23. ולקישא בירח ניסן: *Et pluviam serotinam in mense Nisan.* Et *Jonathan* in *Deut.* xxxii. 2. וכרסימין לקושין דמרווין צמחוני ארעא בירחא דניסן: *& sicut imbres serotini, qui irrigant germinantia terræ in mense Nisan. Jonathan* ad *Deut.* xi. 14. ואתן מטרא דארעכון בעדניה בכיר במרחשוון ולקיש בניסן: *Tunc dabo pluviam terræ in tempore suo, tempestivam in Marchesvan, & serotinam in Nisan.* A Talmudicis pluvia prima, seu primigenia, seu tempestiva רביעה appellatur, quæ post jactam sementem decidit mense Marchesvan, sic dicta, שמרביעה את ארץ quod facit ut coeat terra cum ea ad producendum concepta semina. *Taanith.* fol. 6. 2. מאי לשון רביעה דבר שרובע את הקרקע כדרב יהודה דא״ר יהודה מטרא בעלה דארעא הוא שנ׳ כאשר ירד הגשם והשלג מן השמים ולא ישוב כי אם הרוה את הארץ והולידה והצמיחה: Quid est vocabulum רביעה? Res quæ init terram juxta mentem R. Jehuda: R. Jehuda dicit. Pluvia est maritus terræ, sicut dicitur *Esai.* lvi. 10. *Nam cum descendit pluvia aut nix de cœlo, rursus illuc non revertitur, sed inebriat terram ipsam, facitque ut pariat ipsa, & producat germina.* Hinc apud Talmudicos איזו היא רביעה ראשונה הבכירה בשלשה במרחשון בינונית בשבעה בו אפילה בשבעה עשר בו: Quænam est pluvia prima? Primigenia est quæ cadit tertio die Marchesvan: media quæ septimo, serotina quæ decimo septimo descendit. Juxta verba R. Meir. R. Jehuda dicit: Septimo & vigesimo tertio. R. Jose dicit: decimo septimo & vigesimo tertio, & primo Novembris. *Taanith* fol. 6. 1. Exierat Februarius, & nondum descenderant ipsis pluviæ (scilicet ab initio anni mense Septembri) ירדה להם רביעה ראשונה בצחר בניסן descendebat ergo ipsa pluvia primo Martii. Dicebat propheta (*Joel*) ipsis. Ite & seminate fruges: Responderunt ipsi populus. Qui habet modium tritici, & duos modios hordei præstatne ut comedat illos, & vivat, aut ut serat & moriatur? Dicebat propheta; etsi ita sit, tamen exite & serite: Tunc factum est ipsis miraculum: Revelatum ipsis forte est frumentum in rimis parietum, & foraminibus formicarum. Exierunt, & seminarunt illud die secundo, tertio & quarto. Die quinto ירדה רביעה שנייה descendit pluvia secunda &c. Eodem mense per miraculum satæ fruges & maturæ factæ, demissa sc. pluvia prima, quæ Octobri cadere debuisset, & pluvia serotina, quæ mense Martio cadere solet. Hæc conjunctim datæ uno mense, unde & eodem mense sementis jacta maturuit: Et illud dest, quod Propheta *Joel* dixit ii. 23. *Demittet vobis pluviam primam & serotinam in*

in primo. Propter hoc miraculum tribuitur hic רביעה ראשונה menſi Martio, quæ propria ut menſis Octobris. *Jonathan Deut.* XXXII. 12. ממלי דילי כרביעות רוחי משרא דמינחבין על דיתאין בירח מרחשון וכרסיסין לקושין דמרויין צמחוני ארעא בריחא דניסן: *Sermones mei ſicut pluviæ primigeniæ ventorum pluviorum, qui flant ſuper herbas in menſe Marcheſvan, & ſicut guttæ pluviæ ſerotinæ, quæ irrigant germina terræ in menſe Niſan*. *Siphri* ad *Deuteronom.* XI. 14. ונתתי מטר ארצכם בעתו יורה ומלקוש ונתתי אני לא על ידי מלאך ולא על ידי השליך מטר ארצכם ולא מטר ארצות וכן הוא אומר הנותן מטר על פני ארץ ושולח מים על פני חוצית ר׳ נתן אומר בעתו מלילי שבת ללילי שבת כדרך שירדו בימי הילני המלכה וכל כך למה כדי שלא ליתן פתחון פה לבאי העולם לומר הרי שכר כל המצות אלא אם בחוקותי תלכו ואם את משפטי תשמורו ועשיתם אותם ונתתי גשמיכם בעתם והיה אם שמוע תשמעו אל מצותי ונתתי מטר ארצכם בעתו יורה ומלקוש וגו׳ יורה שיורד ומורה הבריות להכניס פירותיהם ולהטיח גגותיהם ולעשות כלצריכם ד״א יורה שמתכוין לארץ ואין יורה בזעף ד״א יורה שמורה ומרוה את הארץ ומשקה על תהום וכן הוא אומר תלמיה רוח נחת גדודיה יורה במרחשון ומלקוש בניסן אתה אומר יורה במרחשון ומלקוש בניסן או יורה בתשרי ומלקוש באייר ת״ל בעתו יורה במרחשון ומלקוש בניסן וכן הוא אומר והורדתי הגשם בעתו אי מה יורה שמשיר הפירות ושוטף הזרעים ואת הגרנות ת״ל ומלקוש מה מלקוש לברכה אף יורה לברכה או מה מלקוש מפיל בתים עוקר אילנות ומעלה סקי ת״ל יורה ומלקוש מה יורה לברכה אף מלקוש לברכה וכן הוא אומר ובני ציון גילו ושמחו ביי׳ אלהיכם כי נתן לכם המורה לצדקה ויורד לכם גשם יורה ומלקוש בראשון: *Et dabo pluviam terræ veſtræ in tempore ſuo, tempeſtivam & ſerotinam; & dabo*. Ego, non per Angelum, neque per legatum. *Pluviam terræ veſtræ*. Non autem terris. Et ſic dictum eſt *Job* V. 10. *Qui dat pluviam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis univerſa*. R. *Nathan* dicit: *In tempore ſuo*. A noctibus Sabbathi ad noctes Sabbathi, ſicut deſcenderunt tempore Helenæ reginæ. Et hæc omnia qua de cauſa? Ne daretur cauſa obloquendi venientibus in mundum, dicendo: Ecce merces omnium præceptorum. *Verum ſi in ſtatutis meis ambulaveritis, & judicia mea cuſtodieritis, feceritiſque ea, dabo pluvias veſtras tempore ſuo. Et erit ſi auſcultando auſcultaveritis præceptis meis, tum dabo pluviam terræ veſtræ in tempore ſuo &c.* Tempeſtivam. Quæ deſcendens doceat creaturas ad colligendos fructus ſuos, & ad illinendum hortos ſuos, & ad faciendum omnia ſibi neceſſaria. יורה quia diſponit terram; & non eſt יורה in turbine. Alia expoſitio. יורה quia deſcendit, & ſaturat terram, & irrigat uſque ad abyſſum. Et ſic dictum eſt *Pſal.* LXV. 11. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus*. Tempeſtivam in Marcheſan, & ſerotinam in Niſan. Tu dicis tempeſtivam in Marcheſvan, & ſerotinam in Niſan; aut non erit tempeſtiva niſi in Tiſri, & ſerotina in Jjar? Idcirco dictum eſt. *In tempore ſuo*. Tempeſtiva in Marcheſvan, & ſerotina in Niſan. Et ſic dictum eſt: *Et dimittam pluviam in tempore ſuo*. Aut ſicut יורה facit decidere fructus, & inundat ſemina, & arenas. Idcirco dictum eſt: *Et ſerotinam*! Sicut ſerotina in benedictionem, ita pariter tempeſtiva in benedictionem. Aut ſicut ſerotina findit domos, & eradicat arbores, & producit immunda. Idcirco dictum eſt: *Tempeſtivam & ſerotinam*. Sicut tempeſtiva in benedictionem, ita pariter ſerotina in benedictionem. Et ſic dictum eſt *Joel* II. 25. *Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vebis doctorem juſtitiæ, & demittet vobis pluviam tempeſtivam, & ſerotinam in primo*. *Peſiktha* 71. 2. ונתתי מטר ארצכם בעתו יורה ומלקוש ר׳ נתן אומר בעתו מלילי שבת ללילי שבת יורה שמורה את הבריות להכניס פירותיהן ולטיח גגותיהן ולעשות כל צרכיהם ד״א יורה שמרווה את הארץ ומשקה עד תהום וכן הוא אומר תלמיה רוח נחת גדוריה יורה במרחשון ומלקוש בניסן שיורד על המלילו׳ ועל הקשין: *Et dabo pluviam terræ veſtræ in tempore ſuo tempeſtivam & ſerotinam*. R. Nathan dicit: A noctibus Sabbathi ad noctes Sabbati. יורה quia inſtruit creaturas ad colligendos fructus ſuos, & ad illinendum hortos ſuos, & ad faciendum omnia quæ ſibi neceſſaria ſunt. Alia expoſitio: יורה Quia diſponit terram, & irrigat uſque ad abyſſum. Et ſic dictum eſt. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus*. *Tempeſtivam* in Marcheſvan, *& ſerotinam* in Niſan; quia deſcendit ſuper ſpicas, & ſuper paleas. *Gemara Hieroſolymitana* ad cap. I. tractatus *Taanith* מתניתא דר׳ מאיר דתני אי זהו זמנה של רביעה רבי מאיר אומר הבכירה בשלשה והבינונית בשבעה והאפילה בעשרים ושלשה ר׳ יוסה אומר הבכירה בשבעה עשר והבינונית בעשרים ושלשה והאפילה בשלשים יום שכן מצאנו היחידים אין מתחילין להתענות אלא בראש חרש כסליו א״ר אבמרי אחוי דר׳ יוסי הכל מורין בשבעה עשר שהוא זמן כימה לשקע שבו ירד מבול לעולם מה טעמה ביום הזה נבקעו כל מעיינות תהום רבה ר׳ אבא בר זמינא ר׳ לעזר בשם ר׳ הושעיה הלכה כמי שהוא אומר בשלשה במרחשון שואלין את הגשמים:

הנשמים: Miſna R. Meir, qui docet. Quodnam eſt tempus pluviæ primigeniæ? R. Meir dicit: Primigenia die tertio *Octobris*, & mediana die ſeptimo, & ſerotina vigeſimo tertio, quia ſic deprehendimus, quod ſingulares non incipiant jejunare niſi in principio menſis Caslev. Dicit R. Abmari frater R. Joſe: Omnes fatentur quod die decimo ſeptimo ſit tempus Plejadum ad ſubmergendum, quia eo tempore deſcendit diluvium mundo: Qua de cauſa? Quia dictum eſt. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*. R. Aba bar Zamina, R. Elieſer nomine R. Oſajah. Conſtitutio juxta mentem illius qui dicit. Die tertio Marcheſvan petunt pluvias. Toſaphta Taanith cap. I. אי זו רביעה ראשונה ר״מ אומר בכירה לשלשה בינונית לשבעה אפילה לשבעה עשר ר׳ יהודה אומר הבבירה לשבעה בינונית לשבעה עשר אפילה לעשרים ושלשה ר׳ יוסי אומר הבכירה לשבעה עשר בינונית לעשרים ושלשה אפילה לראש חדש׳ כסליו וכן היה ר׳ יוסי אומר אין היחידים מתענין אלא מראש החדש: Quenam eſt pluvia prima? R. Meir dicit. Primigenia tertio die *Marcheſvan*; mediana ſeptimo, ſerotina decimo ſeptimo. R. Jehuda dicit: Primigenia die ſeptimo, mediana decimo ſeptimo; ſerotina vigeſimo tertio. R. Joſe dicit: Primigenia die decimo ſeptimo, mediana vigeſimo tertio, ſerotina die primo menſis Caslev, ſc. *Novembris*. Et ſic dicit R. Joſe: Singulares non incipiebant jejunare niſi a principio menſis. *October* dicitur מרחשון, Hebraicæ בול I. *Reg.* VI. 38. *Deut.* XXXII. *Eſther* III. in Targ. ſec. Quidam deducunt a רחש, *eructare*, quod aquas iſte menſis eructare, & cupioſe producere ſoleat, unde & בול a מבול *diluvio*, & aquarum exundantia. Vocatur & חשון. Nonnulli aſſerunt pluviam primigeniam, & ſerotinam utramque fuiſſe in menſe Niſan. *Toſaphta Taanith* loc. cit. שואלין את הגשמים עד שיצא ניסן שנ׳ ויורד לכם גשם יורה ומלקוש ברשון וגו׳ דברי ר״מ וחכמים אומרים יורה במרחשון ומלקוש בראשון בניסן אמר להן ר״מ הואיל ואילן עושה פירות לשנים עשר ותבוא לששה חדשים מה כנצינו באילן שנ׳ בו לחדשיו יבכר אף תבואה לחמשה עשר יום הא למדת שיורה ומלקוש בניסן: Petunt pluvias priuſquam egrediatur Niſan: Dictum eſt enim *& demittet vobis pluviam primigeniam, & ſerotinam in primo*. Verba R. Meir: Et ſapientes dicunt. *Primigenia* in menſe Marcheſvan, & ſerotina primo die Niſan. Reſpondit illis R. Meir. Quoniam arbor producit fructus duodecimo menſe, & proventus ſexto menſe. Quid deprehenditur in arbore? Dictum eſt: *In menſibus ſuis primitiva faciet*. Ita pariter proventus quintodecimo die. Hinc percipis, quod pluvia primigenia, & ſerotina ſit in menſe Martio.

Si non pluviſſet tertio, aut ſeptimo die Octobris in publicis precibus petebant pluvias. *Miſna Taanith* cap. I. אין שואלין את הגשמים אלא סמוך לגשמים רבי יהודה אומר העובר לפני התיבה ביום טוב האחרון של חג האחרון מזכיר והראשון אינו מזכיר ביום טוב הראשון של פסח הראשון מזכיר והאחרון אינו מזכיר עד אימתי שואלין ר׳ יהודה אומר עד שיעבור הפסח ר״מ אומר עד שיצא ניסן שנ׳ ויורד לכם גשם יורה ומלקוש בראשון בשלש במרחשון שואלין את הנשמים רבן גמליאל אומר בשבעה בו חמשה עשר יום אחר החג כדי שיגיע האחרון שבישראל לנהר פרת הגיע שבעה עשר במרחשון ולא ירדו גשמים התחילו היחידים מתענין: Non petunt pluvias niſi prope tempus pluviarum. R. Jehuda dicit: Tauſiens ante arcam die feſto poſtremo ſolennitatis Tabernaculorum, poſtremus memorabit, at primus non memorabit (ſc. *orationem pro pluviis*.) Die primo feſto Paſchatis, primus memorabit, poſtremus non memorabit. Quandiu petunt pluvias? R. Jehuda dicit: Poſtquam præterierit Paſcha. R. Meir dicit. Poſtquam præterierit Niſan. Dictum eſt enim: *Et demittet vobis pluviam primigeniam, & ſerotinam in primo menſe*. Tertio die Marcheſvan, ſc. *Octobris* petunt pluvias. Raban Gamaliel dicit: ſeptimo die ejuſdem menſis, quindecim diebus poſt feſtum Tabernaculorum, ut poſſit pervenire poſtremus ex Iſraelitis ad flumen Perath. Si advenerit dies decimus ſeptimus Marcheſvan, & nondum cecidiſſent pluviæ, incipiebant ſingulares jejunare.

Si in principio menſis Caslev; ſc. *Novembris* non cecidiſſent pluviæ, indicebatur univerſo populo jejunium. *Miſna Taanith* l. c. הגיע ראש חדש כסליו ולא ירדו גשמים בית דין גוזרין שלש תעניות על הציבור וגו׳ עברו אילו ולא נענו בית דין גוזרין עוד שלש תעניות על הציבור וגו׳ עברו אילו ולא נענו בית דין גוזרין עוד שבע שהן שלש עשרה תעניות על הציבור ומה אילו יתירות על הראשונות שבאילו מתריעין ונועלין את החניות ובשני מטין עם החשיכה ובחמישי מותרין מפני כבוד השבת עברו אילו ולא נענו ממעטין במשא ובמתן בבניין ובנטיעה באירוסין ובנישואין ובשאלת שלום בין אדם לחבירו כבני אדם הנזופין למקום היחידים חוזרין ומתענין עד שיצא ניסן יצא ניסן וירדו גשמים סיסן קללה שנאמר הלא קציר חטים היום: Si adveniſſet principium menſis Caslev, & nondum deſcendiſſent pluviæ, Synhedrium decernebat tria jejunia ſuper coetu &c. Si illa præteriiſſent, & nondum exauditi eſſent; Synhedrium decer-

cernebat tria alia jejunia ſuper coetu &c. Si iſta præteriiſſent, & nondum exauditi eſſent, præterea ſynhedrium decernebat ſeptem jejunia, quæ erant tredecim ſuper coetu. Et iſta erant prioribus graviora, quia in iſtis clangebant, & claudebant tabernas. In ſecundo die aperiebant prope tenebras, & in quinto permiſſum erat propter honorem Sabbathi. Si iſta præteriiſſent, & nondum exauditi eſſent, intermittebatur mercatura, & ædificatio, & plantatio, & ſponſalia, & nuptiæ, & ſalutatio: Incedebant ſicut homines caſtigati a Deo. Singulares iterum jejunabant uſque ad exitum menſis Niſan: Si vero adhuc non deſcendiſſent pluviæ, ſignum erat maledictionis. Dictum eſt enim: *Annon hodie eſt meſſis triticea?* Ethnicos quoque pro impetrandis pluviis jejunia & nudipedalia indixiſſe aſſerit *Tertullianus* de jejunio. *Sed & omnem* πατεινοφόνησιν *Ethnici agnoſcunt, cum ſtupet cœlum, & erat annus, nudipedalia enunciant.* Idem *Apolog.* cap. 40. *Aquileja Jovi immolatis, nudipedalia populo denuntiatis.*

Agri a Judæis ex aquis e foſſis, ſtagnis, & rivis derivatis, ſi neceſſitas exegiſſet, irrigabantur. Hujuſmodi foſſæ & ſtagna: 1. Vocantur אגם. Targum *Eſai.* XLII. 15. ואנמין איבש *& ſtagna exſiccabo.* *Eſai.* iterum XXXV. 7. לאנמין דמיין *in ſtagna aquarum.* *Exod.* VIII. 5. ועל אריחיא אנמיא *ſuper rivos & ſuper ſtagna.* *Jerem.* LI. 32. וית אנמיא אוקידו בנורא *Et ſtagna exuſſerunt igne.* 2. Dicebatur אמה foſſa ad recipiendas aquas, unde rivi fiunt ad agros irrigandos *Bava Kama* fol. 99. 2. אמה בבית השלחים אני מוכר לך *Foſſam in agro ſiticuloſo ego vendo tibi.* אמה בית הקילון *Foſſam canalium ego do tibi.* 3. בנכי בנך porcæ foſſæ. *Moed Katon* fol. 4. 2. למעכד בנכי לכרמיהון *Ad faciendum foſſas vineis ſuis.* 4. בצעים, בצעין *foſſæ lacunæ aquarum.* Unde בצעי המים *foſſæ lacunæ aquarum* apud *Kimchium Judic.* IV. 11. *Sanhed.* fol. 5. 2. מי בצעים *aquæ lacunarum.* Ubi fol. 96. 1. מה בישה כך בין ביצעי המים עאכו: *Si in arida ſic contigit, quanto magis in paludibus aquarum.* *Schevuoth* fol. 16. 1. שני ביצעין היו בהר המשחה התחונה ועליונה: *Duæ paludes fuerunt in monte oliveti altera inferior, & altera ſuperior.* 5. בקיע *Moed Katon* fol. 8. 2. 6. 6. גוב גבא גובא *Prov.* VI. 15. Targum אשתי מיא מן גובך. *Bibe aquam de ciſterna tua.* *Jerem.* II. 13. כנובין תבירין *ſicut ciſternæ fractæ.* Sed hæc non ſpectant fortaſſe ad irrigandos agros. 7. גרניתא גרנותא *foſſa ciſterna*, fons, locus collectionis aquarum unde hauriebantur aquæ ad irrigandum agros, & ad potandos greges. His præpoſitus erat certus,

qui decernebat qui quo die, quantum haurire deberent, ac contra facientes mulctabat. Sic cuidam centum ictus dati, uti legitur in *Bava Kamah* fol. 27. 2. Vide in *Bava Metzia* fol. 103. In *Bava Batra* fol. 91. 1. legitur אפילו ריש גרנותא משמיא מוקמי ליה: *Etiam præfectus ciſternus cœlitus conſtituitur.* 8. ברקא *ſtagnum.* *Eruvin* fol. 21. 1. בבבל לא שכיחי ברק דמיא: *In Babylonia non inveniuntur ſtagna aquarum.* Significat etiam inundationem. *Bava Metzia* fol. 66. 2. אתא ברקא שקיל עודי עודית: Venit inundatio & abſtulit optimum agrorum. Omittimus מזיקתא Hebraice תעלה, quod ſpectat foſſam, aquæductum urbis videre eſt 1. *Reg.* XVIII. 35. 38. & 2. *Reg.* XVIII. 17. 9. חרדלית foſſa lacuna aquæ pluvialis ex alto defluentis. *Mikvaoth* cap. 5. מטבילין בחרדלית *Lavant in aquis pluviis.* *Chagiga* 19. 1. למיטבל בחרדלית של גשמים *Ad lavandum in lacunis pluviarum.* Sed hoc potius ſpectat lavacra quam agrorum irrigationem: 10. memorantur *Job* XXXVIII. 25. חריצי מיא *foſſæ aquarum.* Et *Joſ.* II. 8. ועד חריצי מיא *Et uſque ad ciſternas aquarum:* 11. פשרא ſtagnum, ex imbribus aut nivibus diſſolutis collectam *Kidduſch.* fol. 73. 2. 12. שיקיא *ſtagna.* *Exod.* VIII. 5. ועל שיקיא *Et ſuper ſtagna* Hebr. האנמים *Eſai.* XXXII. 20. דאתון דמן לדזרעין על שיקיא *& ſimiles eſtis iis, qui ſeminant juxta ſtagna*, i. e. juxta loca irrigua. *Exod.* VII. 19. in Jonathane ועל שיקייהון *& ſuper ſtagna ipſorum* Hebr. ועל אגמיהם. Hinc horti & agri qui prope ſtagna ſiti ſunt, vacantur irrigui. *Geneſ.* XIII. 10. ארי כולא בית שקיא *Quod tota ipſa eſſet locus irrigationis* i. e. irriguus. Hebr. כלה משקה *Joſ.* XV. 19. אתר בית שקיא דמיא *locum irrigationis aquarum* i. e. irriguum. *Eſai.* LXI. 11. & I. 30. וכגנת שקיא *& ſicut hortus irrigationis.* *Ecclef.* II. 5. עבדית לי גנת שקין *Feci mihi hortos irrigationum*, i. e. irriguos. 13. denique dicitur שלולית foſſa conceptaculum aquarum; unde rivuli & aquæductus ducuntur ad irrigandum agros *Peah* cap. 2. ואלו מפסיקין לפאת הנחל והשלולית *Hæc diſterminant quoad angulum flumen, & rivus.* Ubi *Guiſius*. Quid ſit שלולית diſceptatur in Gemara *Bava Kamah* 61. 4. Alius vult eſſe מקום שמימי גשמים שוללים שם *locum ubi aquæ pluvie decurrunt*, i. e. torrentem. Alius אמת המים שמחלקת לאגפיה *rivum aquæ, qui prædam impertit agris ad ripam ſitis.* Recte hic, utcunque non recete capiatur a *Maimonide*, forte an prava lectione decepto, nam pro לאגפיה legit לחברותיה *rivum aquæ qui prædam impertit aliis.* Hinc שלולית exponit סאקיה מא חמתר מנהא ארדע ליסקי בהא מואצעא אכרי:

canalem aquæ unde rivi derivantur ad alia loca irriganda. Hæc secutus *Buxtorfius*. Sed שלולית est ipse rivus ad agrum irrigandum ex amne derivatus; ut recte doctor ille Gemarista, utcunque in Etymologia, dum a præda ita dictum vult, non parum ineptiat. Illam melius petas ex lingua Arabica, ubi metaphora ab ense petita dicitur. استل النهر جدول ارا انسق منه *evaginavit amnem rivus, cum ab eo derivatur*; inquit *Zamachsharius*. Inde vetus poeta *Dhurrumma* بسعلقا جدول كالسيف منصلتن *evaginavit amnem rivus ensis instar eductus*. Hinc ipse rivus سلالة quod ipsissimum est nostrum vocabulum שלולית.

Per canales aquæ ex rivis & stagnis deducebantur in agros. Canales pro vario usu variis insigniuntur apud Judæos nominibus: 1. vocantur שפכין. *Bava Batra* fol. 6. 1. אחזיק לנטפי אחזיק לשפכי, *qui possidet stillicidium, possidet etiam canales*. Ibid. 3. 2. עד דמתקין שפכי *donec reficeres ei canales*. 2. רעים *Taanith* 25. שני ריעים אני שומע *sonitum duorum canalium ego audivi*. 3. מרגבא מרזב. *Job* XXXVIII. 25. למרזבא דמיא *In canalem aquarum*. *Eccles*. II. 8. מרזבין דשריין מיא פשורי ומרזבין דשריין מיא חמימי: *Canales qui effundunt aquas tepidas; & canales qui effundunt aquas calidas*. *Job* XXVIII. 4. די מזרלח מרזביא *qui diffluit in canales*. *Psal*. XLII. 8. זלחי מרזביך *ad sonum fluentium canalium tuorum*. 4. קילון proprie canalis, aquæductus ad irrigandos agros vel prata. *Maschkin* cap. 4. הממלא בקילון עד ימים חמאים. Glossa צינור. *Mikva* cap. 8. אפילו נתמלאו בקילון. *Etiamsi repleta fuerit fossa per canalem*. Videtur (ut observat h. l. *Buxtorfius*) esse Græcum Κήλον κηλώνειον, Latine *Tolleno*, genus machinæ quo trahitur aqua in alteram partem prægravante pondere. *Plinius* lib. XIX. cap. 4. *Hortos villæ jungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat profluo amne, si minus e puteo, organisve pneumaticis, vel tollenorum haustu rigandos*. 5. צנתר. *Esther* I. 2. תרין צנתרין דדהב *duo tubi aurei* ut *Elias* adducit. 6. צנור צנר. *Eccles*. I. 7. למויל מצנורי תהומא *ad eundum ex canalibus abyssi*. *Cholin* 105. 1. חזא צנורא דבדקא *vidit canalem eruptionis aquæ*. *Sanhedr*. 7. 1. תגרא דמיא לצנורא דבדקא דמיא דמיא כיון דרוח רוח *contentio similis est canali eruptionis aquarum, quæ cum crescit, crescit*. 7. סילון סלן, videtur esse ex Græco σωλὴν inversis vocalibus. *Schabb*. 38. 2. הביאו סילון של צונן לתוך אמה של חמין: *Adducunt canalem aquæ frigidæ intra fossam aquæ calidæ*. 8. מרך *Genes*. XXX. 38. נועץ ית חוטריא במורכים *Et imposuit virgas quas decorticaverant in canales*, Hebr. ברהטים. *Exod*. II. 16. ומלבה ית מורכותא & *impleverunt canales*. *Genes*. XXIV. 20. ורוקינת לגינתא למורכות בית שקתי & *evacuavit lagenam in canales loci aquarum*. 9. מזחילה *Eruvin* fol. 99. 2. קולט אדם מן המזחילה *colligens quis aquas ex canali*. Vide *Bava Batra* fol. 22. 2. ubi in Glossa traditur esse צינור גדול aqualiculum seu canalem magnum.

Iteratas fuisse irrigationes constat ex cap. II. 9. *Schevuith*. הבזלים הסריסים ופול המצרי שמנע מהם מים לי יום לפני ר״ה מתעשרין ומותרים בשביעית אם לאו אסורין בשביעית ומתעשרין לשנה הבאה ושל בעל שמנע מהם מים שתי עונות דברי ר״מ וחכ״א שלש: *Cæpæ spadones, & faba Ægyptia, a quibus substracta fuerit aqua per triginta dis ante annum ineuntem, decimantur pro ratione anni præteriti, & in septimo licite percipiuntur. Si minus, illicite percipiuntur in septimo, & decimas solvunt pro ratione anni insequentis. In siccaneo autem campo natæ, a quibus subducta est aqua duarum rigationum; verba R. Meir, sed sapientes dicunt, trium*. Ubi *Guisius in siccaneo &c.* & hic iterum cæcutiunt Judæi juris interpretes saltem recentiores. Nesciunt enim quid sit בעל, quamquam in Misna sæpissime recurrat ut *Terem*. X. 11. *Succ*. III. 3. & *Bava Batra* III. 1. R. *Salomo* ad *Bava Batr*. agrum esse ait המסתפקת במי גשמים *qui ex aqua pluvia subsistit*, non aliunde rigatus. Ad *Succa* sic קרקע שאינו צריכה להשקית דסני ליה במטר השמים *agrum qui non opus habet rigationis, quippe cui abunde sufficit cœlitus demissa pluvia*. Et hæc quidem non usquequaque male, quamquam vel ex hac nostra Misna constet בעל agrum esse, in quo rigatio aliqualis usurpatur. Sed hæc R. *Salomonem*, & qui eum exscribit *Bertinorium*, in fœdissimum errorem conjecerunt. Illis בעל est שרה שהוא בעמק ומלוחלחת ואין צריך להשקיתה: *Ager in valle, uliginosus, quem proinde non est opus irrigare*. Non quicquam dici potuit sensui hujus vocis magis contrarium. *Maimonides* si fieri potest, adhuc fœdius: בעל cum בית השלחין *confundit*, quum palam distinguuntur in ipsa Misna *Bava Batra* III. 1. R. *Tanchum* autem in Lexico multo melius describit: בעל ut sit אלארץ אלעטשאנא אלתי לא תסקי ניר מא תשרבה פי אלשתא מן אלמטר *terra siticulosa non aliunde rigua, quam a pluvia, quam hyeme imbiberit*. Ego vero hujus vocabuli signi-

significationem multo certius docebo tum ex Misna *Terum.* x. 11. tam ex usu ejusdem in lingua Arabica. In isto Misnæ loco opposita habemus בעל & שקיא, plane ut *riguis siccanea* apud *Columellam* כרוב של שקיא עם כרוב של בעל. *Brassica rigua* vel *agri rigui cum brassica siccanea* vel *campi siccanei*. *Bertinorius* ad h. l. ארץ יבשה שצריך לשקיתה שקיא exponit *terram aridam rigationis indigentem* & e contrario בעל interpretatur ארץ לחה שאין צריך להשקותה *terram uliginosam rigationis minime indigentem*. Nempe ut בעל sit solum uliginosum, etiam notissimam vocem שקיא a certa & propria sua significatione deflectit. Sed שוקיא pro loco suapte natura riguo centies in Chaldæis occurrit Paraphrastis. Exemplum affero ex *Onkelo Genes.* XIII. 10. *Vidit omnem planitiem Jordanis* ארי כוליה בירת שקיא: *quod tota erat rigua*. Hinc etiam vetus & optimus Glossogr. Syrus Anonymus ܒܝܬ ܫܩܝܐ *terram riguam* ܒܝܬ ܫܩܝܐ dici significans. Scio tamen בית שקיא & שקיא apud Chaldæos adeoque & Syriacum ܫܩܝܐ non modo pro solo suapte natura riguo, sed etiam pro illo, quod arte rigatur, poni. Significat adeo locum quoquo modo riguum. Jam ergo בעל ei oppositum siccaneum erit solum. *Columella* II. 17. *Ejus ergo animadvertimus duo genera, quorum alterum est siccaneum, alterum riguum*. Et supra cap. 2. *De siccaneis & riguis non comperimus utra numero vincant*. Hoc amplius apparet ex lingua Arabica, ubi بعل exponente *Mohamede Phiruzabadio* est الارض المرتفعة تمطر في السنة مرة وكل نخل وشجر وزرع لا يسقى اذ ما سقته السما *editior terra semel quotannis pluvia permadens; item quicquid est palmarum, arborum, satorum, quod non rigatur omnino, vel cœlitus tantum*. Ubi præter quamquod terræ attribuitur non riguæ, tribuitur etiam palmis, arboribus, satis non riguis, plane ut ulmi Atiniæ siccaneæ riguis opponuntur apud *Plinium* XVI. 17. Huc etiam facit, quod *Ismael Jahuharius* بعل exponat النخل الذي يشرب بعروقه ويستغني عن السقي *Palmam, quæ radicibus humorem attrahit, rigationis non indiga*. Addit autem *Abuamrum* & *Asinæum* (vel ut ex eo legitur apud *Phiumium*, *Azharæum*) dissentire de significatione vocis بعل Ille بعل & عذي synonimice dici contendit quicquid cœlitus rigatur. Hic etiam inter ista differentiam ponit ut عذي dicatur quicquid cœlitus rigatur بعل quod nec cœlitus nec aliunde sed radicibus suis tantum nutritur. Quod autem ad rem nostram plane facit est versus ille Poetæ a *Jahuario* laudati, & ejus ad eum nota: versus sic est

اذا ما علونا ظهر بعل عريضة

Cum superavimus dorsum campi late patentis.

Ubi *Jahuarius* notat بعل non significare campum quemlibet sed ارض مرتفعة لا يصيبها سيح ولا سيل *editiorem terram quam nunquam attingit aquæ fluxus, vel torrens*. Quod autem Misna nostra loquatur de rigatione בעל שדה quæ res nec بعل Arabum hactenus descripto, nec siccaneis *Columellæ* convenire videtur. (Nam & *Columella* rigationem plane excludit, verbis prius citatis, *quorum alterum est siccaneum, alterum riguum*, hæc subjungens: *Læto pinguique campo non desideratur influens rivus, meliusque habetur fœnum, quod suapte natura succoso gignitur solo, quam quod irrigatum aquis elicitur*,) id accipiendum est de rigatione manu facta, non per rivos in campos inductos, quod nec patitur quidem situs campestris editior, qualem exprimit versus supra laudatus. Alterum autem rigationis genus admittere etiam Arabum بعل vel ex hoc versu *Abdallæ* Ravahæ filii agnoscere licet.

هنالك لا ابالي سقي نخل ولا بعل
وان عظم الاتا

Hic non mihi curæ est rigatio palmæ, nec siccanei campi, quantumvis uberiorem efficiat proventum.

Alii hic pro سقي نخل legunt سقي نخل ut ita reddi debeat. *Hic non mihi curæ est palma rigua nec siccanea &c.* ut in hac Poetæ Arabis versu eodem modo opponantur بعل & سقي atque שקיא & בעל in Misnæ loco laudato. Atque ex his satis patet quid sit בעל, nempe ager vel campus siccaneus, editiori positione, quam ut riguis lætari possit.

Legimus cap. 1. *Moed Katon* deductas fuisse aquas ex altera ad alteram arborem ut irrigarentur. ר' אליעזר בן יעקב אומר

אומר מושכין את המים מאילן לאילן ובלבד שלא ישקה את כל השדה זרעים שלא שתו לפני המועד לא ישקם במועד וחכמים מתירין בזה ובזה: R. Elieſer ben Jacob dicit deducunt aquas ex una arbore ad aliam, ea conditione ne riget totum agrum. Semina quæ non rigata ſunt ante feſtum, non rigabit in diebus feſti intermediis; Sapientes utrumque permittunt.

Virgilius Georgic. lib. I. etiam apud Romanos agrorum irrigationem uſitatum fuiſſe:

> *Quid dicam jacto qui ſemine comminus arva*
> *Inſequitur, cumuloſque ruit malo pinguis arenæ?*
> *Deinde ſatis fluvium inducit, rivoſque ſequentes?*
> *Et cum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,*
> *Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam*
> *Elicit: illa cadens raucum per levia murmur*
> *Saxa ciet: ſcatebriſque arentia temperat arva.*

Columella lib. I. cap. 2. *Tum rivos decurrentes in prata, & hortos & ſalicta, vivæ aquæ ſalientes demittant. Palladius* lib. I. cap. 34. *Felix poſitio eſt, cui leniter inclinata planities aquæ fluentis per ſpatia diſcreta derivat: Si fons deſit, aut imprimendus eſt puteus, aut ſi neque hoc, piſcina ſuperius conſtituenda eſt, ut illinc aquas pluvias conferente, hortus per æſtivas rigetur ardores.*

Licuiſſe agros rigare in feſto parvo conſtat ex cap. I. *Moed Katon* משקין בית השלחין במועד ובשביעית בין ממעין שיצא בתחילה בין ממעין שלא יצא בתחילה אבל אין משקין לא מימי הגשמים ולא מימי הקילון: Rigant campum ſiticuloſum diebus feſti intermediis, & anno ſeptimo, ſive ex fonte, qui exierit ab initio, ſive e fonte, qui non exierit ab initio. Ceterum non rigant neque ex aquis pluviarum, neque ex aquis canalis. *Virgilius* hoc apud Romanos non licuiſſe teſtatur Georgic. lib. I.

> *Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus,*
> *Fas & jura ſinunt; rivos deducere nulla*
> *Relligio vetuit.*

Ubi *Servius*. *Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus*. Non mirum eſt ruſticum aliqua facere debere per pluvias, cum ſint quædam, quæ facere poſſit etiam feſtis diebus. *Fas & jura ſinunt*. Divina humanaque jura permittunt. Nam *fas* ad religionem, *jura* pertinent ad homines. *Rivos deducere nulla relligio vetuit, ſegeti protendere ſæpem, inſidias avibus moliri, incendere vepres. Deducere;* i. e. ſiccare nam irrigare inducere eſt; ut *deinde ſatis fluvium inducit*. Sane ſcribendum ſecundum *Varronem* contra religionem eſſe, vel ſi irrigentur agri, vel laventur animalia feſtis diebus. Nymphæ enim ſine piaculo non poſſunt moveri. Sed ſcimus neceſſitati religionem cedere. Unde perite *Virgilius* ait: *Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri*: i. e. ſalutifero. Nam dicturus eſt in tertio ſcabie tentari animalia, niſi laventur. De irrigatione uno nihil ad hunc pertinet locum, quia *deducere* ut diximus ſignificat ſiccare.

XXI. Sementim conſequitur occatio, de qua extat monumentum antiquiſſimum *Job* XXXIX. 13. אם ישרד עמקים אחריך: *An occabit valles poſt te? Eſai.* XXVIII. 25. הכל היום יחרש החרש לזרע יפתח וישרד אדמתו: *Tota die arabit arator, ut ferat; Aperiet & occabit humum ſuam*; Scilicet arator multis & continuis arationibus arare debebit, ut ferat: *Aperiet*; id eſt jacto ſemine lirabit, porcas, liras, elices, & ſulcos latiores faciet, ut aqua pluvia delabatur, ne ſegetem lædat. *Varro* lib. I. cap. 29. *Rurſum cum terram primum arant, proſcindere appellant, cum iterum, offringere dicunt, quod prima aratione glæbæ grandiores ſolent excitari (cum iteratur offringere vocant) tertio cum arant jacto ſemine, boves lirare dicuntur, id eſt cum tabellis additis ad vomerem ſimul & ſatum frumentum operiente in porcis, & ſulcant foſſas, quo aqua pluvia delabatur: Nonnulli poſtea, qui ſegetes non tam latas habent (ut in Appulia) id genus prædii per ſarritores occare ſolent, ſiquæ in porcis relictæ grandiores ſunt glæbæ. Qua aratrum vomere lacunam ſtriam facit, ſulcus vocatur; quod eſt inter duos ſulcos elata terra, dicitur porca, quod ea ſeges frumentum porriciat.* Sulci, qui jacto ſemine ducebantur, variis nominibus appellantur. Dicuntur *elices*, & *ſulci aquarii*. *Columella* lib. II. cap. 8. *Sed quamvis tempeſtive ſementis confecta erit, cavebitur tamen ut patentes liras, crebroſque ſulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, & omnem humorem, in colliquias atque inde extra ſegetes derivemus*. Idem lib. XI. 2. *Eodem tempore foſſas, rivoſque purgare, & elices ſulcoſque aquarios convenit facere. Feſtus: Elices ſulci aquarii. Euſthatius* ad Iliad. μ' Ἔλιξ ἡ ἁπλῶς συστροφὴ ἐπὶ ὁδοῦ τυχὸν, ἢ ὕδατος, ἢ καμπτῆρος. *Plinius* lib. 18. 19.

18. 19. *In uſu eſt & collicias interponere ſi ita locus poſcat, ampliore ſulco, quæ in foſſas aquam educant.* *Palladius* lib. x. cap. 3. *Solet terra humorem ſalſum vomere, qui ſegetes necat; ubi hoc ſit, columbinum ſtercus, aut cupreſſi folia oportet inſpergere, & ita ut eadem miſceantur, Melius tamen omnibus remediis erit, ſi aquarius ſulcus noxium educat humorem.* Hebræi, ut ſupra vidimus, patentiores ſulcos, quos aquarios *Columella* vocat, pluviales appellant cap. 11. *Celaim* כמה יהא הורש כתלמי הרביעה: *In quantum autem arare tenetur? Ad modum ſulcorum pluvialium:* Ubi *Bartenora*: כמה חורש יהא חורש *In quantum arabit?* Ne dicas quod tenetur arare ſulcos parvos inter ſe conjunctos, ſed ut ſulcos pluviæ primæ, cujuſmodi ſulcos ſolent arare ſimul, ac deſcenderit prima pluvia, quando arant ſulcos magnos. Dicuntur etiam liræ, & porcæ. *Columella* lib. xi. cap. 3. *Eſt autem lira ſimilis ei porcæ, quam in ſationibus campeſtribus ruſtici faciunt, ut uliginem vitent.* Et lib. 11. cap. 4. *Sed jugerum talis agri quatuor operis expeditur, nam commode proſcinditur duabus, una iteratur, tertiatur dodrante, in liram ſatum redigitur quadrante opere. Liras autem ruſtici vocant eaſdem porcas, cum ſic aratum eſt, ut inter duos latius diſtantes ſulcos medius cumulus ſiccam ſedem frumentis præbeat.* *Salmaſius* ad *Solinum* cap. 37. pag. 511. *In liram ſatum redigitur.* Sic lego apud Columellam. Nam male eſt vulgo: *In liram ſtatim redigitur.* Quod hic *ſatum in liras redigere* dixit, alibi vocat *ſemen imporcare*; ut de faba: *& ſimiliter cum ſemen crudo ſolo ingeſſerimus, inarabimus, imporcatumque occabimus.* Inaratione ſimul etiam imporcabatur, ut apparet hoc eſt in porcas ſive liras redigebatur; Nam *Columellæ lira & porca* eadem eſt. *Columella* iterum lib. xi. cap. 2. *Quin etiam pro conditione regionis & cœli terra vel proſcinditur, vel iteratur; eaque ſi eſt difficilis, proſcinditur operis tribus, iteratur duabus, tertiatur una; lirantur autem jugera duo opera una, at ſi facilis eſt terra, proſcinditur jugerum duabus operis, iteratur una, lirantur una jugera quatuor; Cum in ſubjecta jam terra latiores porcæ ſulcantur.* *Feſtus.* *Porcæ appellantur rari ſulci, qui ducuntur aquæ derivandæ cauſa; dicti quod porcant, id eſt probibent aquam frumentis nocere.* *Alfenus* in L. 24. D. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ. *Vicinus loci ſuperioris ita arabat, ut per ſulcos itemque porcas aqua ad inferiorem veniret.* Præterea ante proſciſſionem, & iterationem non fiebat ſementis, ſed poſt proſciſſum & iteratum agrum jacto ſemine lirabatur; & deinde occabatur; Ita ut ſenſus l. c. *Eſaiæ* ſit ni fallor; Proſcindet, & offringet arator, ut ſerat, & jacto ſemine aperiet, i. e. latiores ſulcos, porcas & liras faciet, ad educendas aquas, ne ſegeti noceant; & deinde occabit. *Oſe.* x. 11. יחרוש יהודה: ושדד לו יעקב *Arabit Juda, & occabit ſibi Jacob.* *Nonius* 1304. *Occationem ab occæcatis ſeminibus, quæ id efficitur dici M. Tullius voluit de ſenectute. Terram cum gremio mollito, atque ſubacto ſparſum ſemen excepit, primum occæcatum cobibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit nominata eſt.* *Serenus* apud eundem *Nonium*. *Occatio occæcatio eſt.* Vid. *Feſtus* in occare. *Plinius* lib. xviii. cap. 20. *Aratione per tranſverſum iterata, occatio ſequitur, ubi res poſcit, crate vel raſtro, & ſato ſemine iteratio. Hæc quoque ubi conſuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare, operiente ſemina, unde primum adpellata deliratio.* Occationem cum liratione confundit *Plinius*, cum occatio poſt ſementim fieri ſoleret. *Varro* lib. 1. cap. 29. *Tertio cum arant jacto ſemine, boves lirare dicuntur, i. e. cum tabellis additis ad vomerem ſimul, & ſatum frumentum operiunt in porcis, & ſulcant foſſas, quo pluvia aqua delabatur: Nonnulli poſtea qui ſegetes non tam latas habent (ut in Appulia) id genus prædii per ſarritores occare ſolent, ſi quæ in porcis relictæ grandiores ſunt glæbæ.* *Columella* lib. xi. cap. 2. *Sementi facta inoccare oportet quod ſparſeris. Duo jugera tres operæ commode occabunt, arboreſque quæ intererunt, ablaqueabunt, quamvis antiqui ſingulis operis ſingula jugera ſarriri, & occari velint, quod an recte fieri poſſit, affirmare non auſim.* Lib. 11. cap. 12. diligenter ſupputat quot operis occari poſſint variæ fruges. *Et ut jam percenſeamus, quot operis in aream perducantur ea quæ terræ credidimus. Tritici modii quatuor, vel quinque bubulcorum operas occupant quatuor, occatoris unam, ſarritoris duas primum, & unam cum iterum ſarriuntur, runcatoris unam, meſſoris unam & dimidiam: in totum ſumma operarum decem & dimidia. Siliginis modii quinque totidem operas deſiderant. Seſami modii novem vel decem, totidem operas, quot tritici modii quinque poſtulant. Hordei modii quinque bubulci operas tres exigunt, occatoriam unam, ſarritoriam unam & dimidiam, meſſoriam unam. Summa operarum ſex & dimidia. Fabæ modii quatuor vel ſex invetereto duas operas bubulcorum detinent, ac in reſtibili unam. Occantur ſeſquiopera, ſarriuntur ſeſquiopera,*

ra,

ra, iterum ſarriuntur una opera, & tertio una, metuntur una. Summa ſit operarum octo vel ſeptem &c. Vide reliqua l. c. Idem lib. II. cap. 4. ſcribit ſi iteratis arationibus ſubactus fuerit ager, nullam aut exiguam deſiderari occationem. *Sed & compluribus iterationibus ſic reſolvatur veractum in pulverem, ut vel nullam vel exiguam deſideret occationem, cum ſeminaverimus. Nam veteres Romani dixerunt male ſubactum agrum, qui ſatis frugibus occandus ſit.*

Occationem ſequitur ſarritio: Talmudici variis vocibus expreſſerunt ſarriendi rationem. I.° dicitur רפק. *Taanith* 23. I. אשכחוה דהרי קא רפיק: *invenerunt eum ſarrientem in agro. Eruvin* 25. I. אתא ההוא גברא רפק בה פורתא: *Venit vir iſte & ſarrivit parumper in eo. Sota* 10. I. קמי דשתי חמרא חמרא קמי רפוקא גרידא דריבלא: *Coram bibentibus vinum datur vinum, coram ſarritore corbis olerum.* 2.° קשקש *ſarrire, ſarculis fadere, & expurgare novas herbas;* dicitur de olivetis & vineis. *Moed Katon* 3. I. לא יקשקש תחת הזיתים *Non ſarriet ſub oleis.* Et mox ad illud. *Et anno ſeptimo intermittes eam Exod.* XXIII. II. ſc. מלקשקש *a ſarriendo. R. Salomon* ad illud ונטשתה *& relinques eam* ſc. מלזבל ומלקשקש: *a ſtercorando & ſarriendo Exod.* XXIII. II. *Succa* 44. 2. ומקשקשין בכרמים: *Et ſarriunt in vineis.* Sarritio, ſarculatio dicitur קשקוש. *Moed Katon* fol. 3. I. וקשקוש בשביעית מי שרו *Et ſarritionem in anno ſeptimo quomodo permiſit?* 3.° עדר *ſarrire, ſarculo fodere Eſai.* v. 6. ubi de vinea. *Non putabitur* ולא יעדר: *neque ſarrietur.* Ibid. VII. 25. וכל ההרים אשר במעדר יעדרון: *Et omnes montes, qui ſarculo ſarrientur.* Targum: די במעדר יתפלחון: *qui ſarculo coluntur.* Vid. *Prov.* XIII. 12. *Nida* 67. I. כעודר ומוסק *Sicut ſarriens, & ſtringens olivas. Schevuith* cap. 2. מזבלין ומעדרין *Stercorant, & ſarriunt.* Niphal נעדר *ſarriri, paſtinari.* עדור *ſarritio, ſarritura;* מעדר *ſarritor.* Dicitur מעדר *ſarculus,* quibus terra ſarritur, uti conſtat ex l. c. *Eſai.* VII. 25. & מרדיא in Targum *Pſal.* CXLI. 7. דפלח ומבזע במרריא בארעא: *Qui fodit, & findit ſarculis in terra Columella* lib. II. cap. 12. *Quoniam quando quidque ſerendum ſit perſecuti ſumus, nunc quemadmodum, quotque operis ſingula eorum quæ retulimus, colenda ſint demonſtrabimus. Peracta ſementi, ſequens cura eſt ſarritionis, de qua non convenit inter autores. Quidam negant eam quicquam proficere, quod frumenti radices ſarculo detegantur, aliquæ etiam ſuccidantur, ac ſi frigora inceſſerint poſt ſarritionem, gelu frumenta enecentur: ſatius autem ea eſſe tempeſtive runcari & purgari. Pluribus tamen ſarriri placet: ſed neque eodem modo, neque iiſdem temporibus uſquequaque fieri. Nam in agris ſiccis & apricis, ſimul ac primum ſarritionem pati queant ſegetes, debere eas permota terra adobrui, ut fruticare poſſint: quod ipſum ante hyemem fieri oportere, deinde poſt hyemem iterari. In locis autem frigidis & paluſtribus plerumque tranſacta hyeme ſarriri, nec adobrui, ſed plana ſarritione terram permoveri. Multis tamen nos regionibus aptam eſſe hyemalem ſarritionem comperimus, duntaxat ubi & ſiccitas cœli, & tepores permittunt. Sed nec iſtud ubique fieri cenſemus: verum incolarum conſuetudine uti: Sunt enim regionum propria munera, ſicut Ægypti & Africæ, in quibus agricola poſt ſementem, ante meſſem ſegetem non attingit: quoniam cœli conditio, & terræ bonitas ea eſt, ut vix ulla herba exeat, niſi ex ſemine jacto, ſive quia rari ſunt imbres, ſeu quia qualitas humi ſic ſe cultoribus præbet. In iis autem locis, ubi deſideratur ſarritio, non ante ſunt attingendæ ſegetes, etiamſi cœli ſtatus permittit, quam cum ſata ſulcos contexerint. Triticumque & adoreum, cum quatuor fibras habere cœperunt, hordeum cum quinque, faba & cætera legumina cum quatuor digitis e terra extiterint, recte ſarrientur. Excepto tamen lupino, cujus ſemini contraria eſt ſarritio, quoniam unam radicem habet, quæ ſive ferro ſuccisa eſt, ſeu vulnerata, totus frutex emoritur. Quod etiam ſi non fieret, ſupervacuus tamen eſſet cultus, cum ſola hæc res adeo non infeſtatur herbis, ut ipſas herbas perimat. At aliæ ſegetes, quæ vel humidæ moveri poſſunt, melius tamen ſiccæ ſarriuntur, quoniam ſic tractatæ non infeſtantur rubigine: hordeum vero niſi ſicciſſimum tangi non debet. Fabam multi ne ſarriendam quidem putant, quod & manibus, cum maturuerit, ducta ſecernatur a cetera runcatione, & internatæ herbæ fœno reſerventur: cujus opinionis etiam* Cornelius Celſus *eſt, qui inter ceteras dotes leguminis hanc quoque enumerat, quod ſublata faba fœnum ex eodem loco ſecari poſſe dicit. Sed mihi videtur peſſimi agricolæ committere, ut ſatis herba proveneat: frugibus enim plurimum detrabitur, ſi relinquitur runcatio. Neque enim eſt ruſtici prudentis magis pabulis ſtudere pecudum, quam cibis hominum, cum præſertim liceat illa quoque cultu pratorum conſequi: adeoque fabam ſarriendam cenſeo, ut exiſtimem debere ter ſarriri: Nam ſic cultam comperimus non ſolum multiplicare fructum, ſed exiguam portionem in valvulis habere, freſæque ejus & expurgatæ modium pene tam plenum eſſe, quam integræ, cum vix minuatur menſura detra-*

detractis putaminibus. Atque in totum, sicut ante jam diximus, hyberna sarritio plurimum juvat diebus serenis ac siccis post brumam confectam mense Januario, si gelicidia non sint. Ea porro sic debet fieri, ne radices satorum lædantur, & ut potius adobruantur, cumulisque exaggerentur, ut latius se frutex humi diffundat. Idem lib. XI. cap. 2. 9. *Eodemque mense ante Kal. Febr. sarriendæ segetes autumnales, sive illæ seminis adorei sunt, quod quidam far vernaculum vocant, seu tritici: eorumque tempestiva sarritio est, cum enata frumenta quatuor fibrarum esse cœperunt: hordeum quoque maturum, quibus superest opera, nunc demum sarriri debebunt: Sed & faba eandem culturam exigit, si jam coliculus ejus in quatuor digitos altitudinis creverit: nam prius sarrivisse nimium teneram non expedit.* Palladius lib. II. cap. 9. *Hoc mense* sc. Januario, *serenis & siccis diebus, dum gelicidium non est, sunt sarculanda frumenta: quod opus plerique negant fieri debere, quia radices eorum detegantur, aut incidantur, & necentur frigore subsecuto: mihi autem videtur herbosis locis tantum esse faciendum. Sed triticum & far sarritur quatuor foliorum: hordeum quinque, faba & legumina cum supra terram quatuor digitis fuerint. Lupinus vero, qui unam radicem habet, si sarculetur, extinguitur: quod nec desiderat, quia herbas præter auxilium cultoris affligit. Faba autem si bis sarculetur, proficiet, & multum fructum & maximum afferet, ut ad mensuram modii complendi fresa propemodum sicut integra respondeat. Si siccas segetes sarculaveris, aliquid contra rubiginem præstitisti; maxime hordeum siccum sarrietur. Varro* lib. I. cap. 29. *In primo intervallo inter Favonium, & æquinoctium vernum hæc fieri oportet, segetes sarriri.*

Sarritiones ab Hebræis fuisse iteratas constat ex *Moed Katon* fol. 3. 1. תרי קשקושי הוו: *duæ sarritiones sunt*. Et *Succa* 44. 2. ותן פריסיא לקשקושי כרמיא *Expendito nummos pro sarritionibus vinearum. Varro* lib. I. cap. 28. *Nos utrumque facere debemus, & imitari alios, & aliter ut faciamus experientia tentare quædam, sequentes non aleam, sed rationem aliquam: ut si altius repastinaverimus, aut minus quam alii, quod momentum ea res habeat, ut fecerunt ii, in sariendo iterum, & secundo oberit, quia cum pullulare desiit frumentum, putrescit, si adobrutum est. Nihil itaque amplius in iteratione, quam remoliri terra debet æqualiter, eamque transacto æquinoctio verno statim peragi oportet intra dies viginti, antequam seges in articulum eat, quoniam serius sarrita corrumpitur insequentibus æstivis siccitatibus & caloribus.* Et lib. XI. cap. 2. *Igitur a Kal. Martii usque ad decimum Kal. Aprilium sarritura quoque frumentorum iteratur egregie: modios tres una opera recte sarrit. Palladius* lib. IV. cap. 8. *Nunc etiam quibus moris est, frumenta iterum sarrire conveniet.* Sarcula *Varro* de L. L. 4. 33. a *serando* vel *sarriendo* dicta censet; ubi *Scaliger. Serare* (inquit) *est leviter sarire*, quia sarculi usus est, *ut operiat satam segetam, & deinde etiam sarriat*: *Palladius* lib. I. cap. 43. commemorat *sarculos vel simplices, vel bicornes. Columella* lib. II. cap. 11. ubi de herba medica commemorat sarrienda ligneis rastris. *Quod ubi feceris ligneis rastris, id enim multum confert, statim jacta semina obruantur; nam celerrime sole aduruntur. Post sationem ferro tangi locus non debet. Atque, ut dixi, ligneis rastris sarriendus & identidem runcandus est, ne alterius generis herba invalidam medicam perimat.*

Postremo loco runcabantur segetes. Talmudice נכש runcare, evellere herbas noxias. Schaob. 103. 1. המנכש והמקרסם *eruncans & collucans arbores*. Bava Metzia fol. 89. 4. המנכש בשומין *evellens allium*. Legitur *Levit.* XXVI. 20. *in Raschi*: ולא רצה לנכש *& noluit runcare*. *Beres. Raba* sect. 45. הקוצים אללו לא מתנכשין *spinæ iste non runcatur*. *Bava Metzia* cap. V. 10. אמר אדם לחבירו נכש עמי ואנכש עמך עדור עמי ואעדור עמך ולא יאמר לו נכש עמי ואעדור עמך עדור עמי ואנכש עמך: *Dicere potest homo proximo suo: runca mecum, & ego tecum runcabo, sarrito mecum, & ego tecum sarriam. Sed ei non dicet. Runca mecum, & ego tecum sarriam, sarrito mecum, & ego tecum runcabo*. Ubi *Bartenora* נכש *notat extirpare malas herbas, quæ inter frumentum crescunt. Terumoth* cap. IX. 7. המנכש עם בחסיורת: *Is qui runcationi operatur apud alienigenam in bulbis &c.* Ubi iterum *Bartenora* המנכש *qui extirpat herbas malas, quæ inter proventum & olera creverint. Celaim* II. 5. תבואה שעלו בה ספחי אסטים וכן מקום הגרנות שעלו בהן מינין הרבה וכן תלתן שהעלתה מיני צמחי׳ אין מחייבין אותו לנכש אם נכש או כיסח אומרים לו עקור את הכל חוץ ממין אחד: *Si inter frumentum enascatur isatis restibilis, atque ita si in arearum solo prodeant diversæ species, & si fœno Græco variæ herbæ internascantur, non cogunt eruncare, si eruncaverit vel succiderit, ei dicunt. Extirpa totum, præter speciem unam.* Ubi *Bartenora* אין מחייבין לנכש *non obligant eum ad runcandum; aliter enim tenetur exstirpare, quatenus crocus nocet proventui, & herbæ damnum inferunt fœno Græco &c.*

Varro lib. I. cap. 30. *Secundo intervallo inter vernum æquinoctium & vergiliarum exortum hæc fieri. Segetes runcari, herbam e ſegetibus expurgari. Columella* lib. II. cap. 12. *Subjungenda deinde eſt ſarritioni runcatio, curandumque ne florentem ſegetem tangamus, ſed aut ante, aut mox cum deflorverit.* Iterum lib. XI. cap. 2. *Tertio Idus Majas, per hos dies runcandæ ſegetes ſunt.* Idem lib. XI. cap. 3. *Nunc de iis quæ aliquam curam deſiderant, ſingulis loquar, quæque prætereiro intelligi oportebit, nullam operam poſtulare niſi runcatoris, de qua ſemel hoc dicendum eſt, omni tempore conſulendum eſſe, ut herbæ exterminentur.* Idem lib. II. cap. II. ubi de herba medica. *Locum in quo Medicam proximo vere ſaturus es, proſcindito circa Kalendas Octobris, & eum tota hyeme putreſcere ſinito; deinde Kalendis Februariis diligenter iterato, & lapides omnes egerito, glebaſque offringito, poſtea circa Martium menſem, tertiato & occato. Cum ſic terram ſubegeris, in morem horti areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenum facito, ut per ſemitas aqua miniſtrari poſſit, adituſque utraque parte runcantibus pateat:* Et mox. *Atque ut dixi ligneis roſtris ſarriendus, & identidem runcandus eſt, ne alterius generis herba invalidam medicam perimat. Plinius* lib. XVIII. 21. *Poſtea pauci runcunt, quod botaniſmon, ſeu* βοτανίζειν *vocant. Theophraſtus* ὑποτίλλειν τὴν βοτάνην dixit. *Palladius* lib. I. cap. 43. memorat *runcones. Runcones quibus vepreta perſequimur.*

XXII. Meſſis tempus in Palæſtina incidebat in æquinoctium Niſan. *Toſaphta Taanith* cap. I. חצי ניסן אייר וחצי סיון :קציר *Dimidium Niſan, Ijar, & dimidium Sivan meſſis:* Geneſ. VIII. 22. *Jonathan* וחצרא בתקופת ניסן. *Et meſſis in æquinoctio Niſan.* Meſſis hordeacea triticea erat multo maturior; Etenim manipulus hordeaceus offerebatur poſtridie Sabbathi, ſc. feſti Paſchatis, i. e. die decima ſexta menſis Niſan. *Levit.* XXIII. 9. כי חבואו אל ארץ אשר נחן לכם וקצרתם את קצירה והבאתם את עומר ראשית קצירכם אל הכהן והניף את העומר לפני יי' לרצונכם מחרת (*Siphra* ממחרת השבת והניף הכהן (יום טוב *Cum veneritis in terram quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem, adducetis manipulum primitiæ meſſis veſtræ ad ſacerdotem; & ventilabit manipulum coram Domino in beneplacitum veſtrum, poſtridie Sabbathi* (Siphra *poſtridie diei feſti*, i. e. Paſchatis) *ventilabit ipſum ſacerdos. Jonathan* ארום תעולין לארעא דאנא יהיב לכון ותחצדין ית חצרא ותייתון עומרא שירי הצדכון לות כהנא ואניף וירים עומרא קדם ליי לרעלכון מבחר יומא טבא קמאה דפסחא וריםני כהכא: *Quando ingreſſi fueritis terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem, tum afferetis manipulum primitiæ meſſis veſtræ ad ſacerdotem, & ventilabit & elevabit manipulum coram Domino in acceptationem veſtri; poſtridie diei feſti Paſchæ elevet ipſum ſacerdos.* Hordeacem fuiſſe manipulum probatur in Siphra 7. 4. 8. I. ואם שקריב מנחת בכורים ליי' זו מנחת העומר מניז היא בארת מן השעורין או יכול מן החטין א״ר אליעזר נאמר כאן אביב ונאמר אביב במצה מה אביב אמור במצה שעורין אף כאן שעורין ר' עקיבא אומר נאמר לצבור הבא בכורים בפסח והבא בכורים בעצרת כמה מצינו שממין שהיחיר מביא חובתו ממנו יהא הצבור מביא בכוריו בפסח אף ממין שהיחיד מביא חובתו ממנו יהא הצבור מביא בכוריו בעצרת מאי זה מין היחיד מביא חובתו מן השעורין אף צבור לא יביא אלא מן השעורין אם תאמר מן החטין אין שתי הלחם בכורים: *Et ſi offeres munus primitiarum Domino.* Hoc eſt munus manipuli. Unde afferebatur? Ex hordeis. Aut crederem ex tritico? Dictum eſt hic אביב ſc. *ſpica*, & dictum eſt in placenta *ſpica*; ſicut ſpica dicta in placenta erat ex hordeis, ita pariter hoc loco ex hordeis. R. Akiba dicit: Dictum eſt cœtui: Affer primitiva in Paſchate, & affer primitiva in Pentecoſte: Quid invenimus? Quod ex ea ſpecie unde privatus adducebat debitum ſuum, cœtus adduceret ſuas primitias in Paſchate; ita pariter ex ea ſpecie, unde privatus adducebat debitum ſuum, cœtus adduceret primitias ſuas in Pentecoſte. Quænam erat ſpecies unde privatus adducebat debitum ſuum? Ex hordeis; ita pariter cœtus non adducebat niſi ex hordeis: Si dicas ex tritico; Duo panes non erunt primitiæ. Gemara Babyl. *Menachoth* אם תקרב מנחת ביכורים במנחת העומר הכתוב מדבר מהיכן באה מן השעורין אתה אומר מן השעורין או אינו אלא מן החיטין ר' אליעזר אומר נאמר אביב במצרים ונאמר אביב לדורות מה אביב האמור במצרים שעורין אף אביב האמור לדורות שעורין ור' עקיבא אומר מצינו יחיד שמביא חובתו מין החיטים וחובתו מן השעורים וציבור שמביאין חובתן מן החיטין מביאין חובתן מן המעורין אם אתה אומר בא מן החיטין לא מצינו ציבור שמביא חובתו מן השעורין דבר אחר אם אתה אומר עומר בא מן החיטין אין שתי הלחם בכורים: *Si offeres munus primitiarum.* De munere manipuli textus loquitur: unde adducetur? Ex hordeo; tu dicis ex hordeo, aut non niſi ex tritico? R. Elieſer dicit. Memoratur ſpica in Ægypto, & memoratur ſpica in generationibus, ſicut ſpica memorata in Ægypto erat ex hordeo, ita pariter ſpica memorata in generationibus

nerationibus erit ex hordeo. Et R. Akiba dicit. Deprehendimus quod privatus adduceret debitum ſuum ex tritico, & adduceret debitum ſuum ex hordeo, & quod cœtus, qui adducebat debitum ſuum ex tritico, adduceret debitum ſuum ex hordeo. Si vero dicas, quod adduceret ex tritico, non invenimus quod cœtus adduceret debitum ſuum ex hordeo. Alia expoſitio: Si tu dicas, quod manipulus adducatur ex tritico, duo panes non erunt primitivi.

Manifeſto probatur ex cap. IX. *Exod.* 31. menſe Niſan triticum fuiſſe immaturum, & hordeum tantummodo fuiſſe ſpicatum: *Et linum & hordeum percuſſa ſunt; quia hordeum erat ſpecatum, & linum flores edidit: Triticum vero & ſpelta non percuſſa ſunt, quia ſerotina erant.* *Jonathan.* וכתנא וסרתא לקון ארום סרתא הוות בסירא וכיתנא עבר פוקלין וחיטיא וכונתיא לא לקון ארום לקישן הינין: *Et linum, & hordeum percuſſa ſunt, quoniam hordeum ſpicatum erat, & linum fecerat calamos; ſed triticum & ſpelta non percuſſa ſunt, quoniam ſerotina erant.*

Præterea *Jonathan* teſtatur *Geneſ.* XXX. 14. meſſem triticeam in menſe Sivan, ſc. Majo fuiſſe peractam ואזל ראובן ביומי סיון בזמן חצר חיטין: *Et abiit Ruben in menſe Sivan, tempore meſſis triticeæ.* In Scriptura ubique diſtinguitur meſſis hordeacea a triticea. Contra *Ruth.* I. 22. fit mentio meſſis hordeaceæ. בתחלת קציר שעורים *In principio meſſis hordeaceæ.* Iterum 1. *Sam.* VI. 13. memoratur meſſis triticea: ובית שמש קצרים קציר חטים בעמק *Beth Samitæ metebant meſſem triticeam in valle.* Et ibid. XII. 17. הלוא קציר חטים היום *Nunquid non meſſis tritici eſt hodie?* 2. *Sam.* XXI. 9. המתו בימי קציר בראשנים תחלת קציר שעורים: *Et occiſi ſunt diebus meſſis primis, initio meſſis hordeaceæ.* Obſervandum eſt hoc loco dici *diebus meſſis primis initio meſſis hordeaceæ*, eo quod hordeacea meſſis prius & maturius triticea peracta fuerit.

Deinde de manipulo *Levit.* II. 14. dicitur ואם תקריב מנחת בכורים ליהוה אביב קלוי באש גרש כרמל תקריב את מנחת בכוריך: *Si vero obtuleris munus primitivorum Domino, ſpicam recentem toſtam igni, contuſam, teneram, afferes munus primitivorum tuorum.* Et *Levitic.* XXIII. 10. כי תבאו אל הארץ אשר אני נתן לכם וקצרתם את קצירה והבאתם את עמר ראשית קצירכם אל הכהן: *Quando veneritis in terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem, afferetis manipulum, primitiam meſſis veſtræ ad ſacerdotem.* Et de duobus panibus dictum eſt *Exod.* XXXIII. 16. וחג הקציר בכורי מעשיך: *Et ſolennitatem primitivorum operis tui.* Ibid. XXXIV. 22. Similiter de duobus panibus dictum eſt, בבכורי קציר חטים *in primitivis meſſis triticeæ.* Obſervandum eſt in duobus panibus memorari *meſſem triticeam.* Et *Levit.* XXIII. 16. pariter de duobus panibus. והקרבתם מנחה חדשה ליהוה: *Et offeretis munus novum Domino.* Et verſu ſequenti. ממושבתיכם תביאו לחם תנופה שתים שני עשרנים סלת תהיינה חמץ תאפינה בכורים ליהוה: *Ex habitaculis veſtris afferetis panem ventilationis, duo ex duabus decimis ſimilæ erunt, fermentatæ coquentur, primitiæ Domino.* Et *Num.* XXVIII. 26. ubi de duobus panibus. וביום הבכורים בהקריבכם מנחה חדשה ליהוה בשבעתיכם: *Et in die primitivorum cum offeretis munus* novum Domino *in hebdomadibus veſtris.* Hinc vides manipulum, qui offerebatur poſtridie Paſchatis, vocari *primitivum*, & *principium meſſis*, & ſimiliter duos panes, qui offerebantur in Pentecoſte, appellari *primitivos*, & *munus novum*; Si manipulus fuiſſet triticeus, duo panes qui offerebantur in Pentecoſte, qui erant triticei, quomodo vocari poſſent primitivi? Hinc optime dictum eſt in *Siphra* 8. 1. ubi de manipulo אם תאמר מן החטין אין שתי הלחם הבכורים: *Si dicas ex tritico, duo panes non erunt primitivi.*

Hinc obſervandum eſt tres ſolennitates ea de cauſa inſtitutas eſſe, ut in Paſchatæ Iſraelitæ de meſſe hordeacea, in Pentecoſte de meſſe triticea, & in feſto Tabernaculorum de collectione fructuum ex area & torculari Deo gratias agerent. *Exod.* XXIII. 15. את חג המצות תשמר שבעת ימים תאכל מצות כאשר צויתך למועד חדש האביב כי בו יצאת ממצרים ולא יראו פני ריקם וחג הקציר בכורי מעשיך אשר תזרע בשדה וחג האסף בצאת השנה באספך את מעשיך מן השדה: *Feſtum azymorum obſervabis; ſeptem diebus comedes azyma, quemadmodum præcepi tibi in tempore menſis humidarum ſpicarum, quia in eo egreſſus ex Ægypto, & non apparebunt coram me vacui: & feſtum meſſis primitivorum operis tui, quæ ſeminaveris in agro, & feſtum collectionis in exitu anni, cum collegeris opera tua ex agro.* Et XXXIV. 17. את חג המצות תשמר שבעת ימים תאכל מצות אשר צויתך למועד חדש האביב יצאת ממצרים וגו׳ וחג שבעת תעשה לך בכורי קציר חטים וחג האסיף תקופת השנה: *Feſtum azymorum obſervabis tibi, ſeptem diebus comedes azyma quod præcepi tibi ſtato tempore, menſe humidarum ſpicarum, quia menſe humidarum ſpicarum egreſſus es ex Ægypto &c. Et feſtum hebdomadarum facies tibi primitivorum meſſis triticeæ. Et feſtum collectionis in reverſione*

anni. Et *Deut.* XVI. I. שמור את חרש אביב ועשית פסח ליהוה אלהיך כי בחרש אביב אוציך יהוה אלהיך ממצרים לילה וגו׳ ועשית חג שבעות ליהוה אלהיך וגו׳ חג הסכת תעשה לך שבעת ימים באספך מגרנך ומיקבך: *Obſerva menſem humidarum ſpicarum, & facies Paſcha Domino Deo tuo, quia in menſe humidarum ſpicarum eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto noctu &c. Et facies feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo &c. Feſtum Tabernaculorum facies tibi ſeptem diebus, quum collegeris de area tua, & de torculari tuo.*

Accedit quod in Toſaphta Taanith ſupra dictum eſt חצי ניסן אייר וחצי סיון קציר: *Dimidium Niſan, Jir, & dimidium Sivan meſſis*. Scilicet quod in dimidio menſis Niſan, i. e. decima ſexta hujus menſis poſt feſtum Paſchatis fieret meſſis hordeacea, & circa dimidium menſis Sivan prope Pentecoſtem fieret meſſis triticea, eo quod duo panes triticei in die Pentecoſtis poſt quinquaginta dies a demeſſo manipulo hordeaceo offerendi erant. Quod legitur apud *Clementem Alexandrinum* lib. I. Stromatων Chriſti natalem incidiſſe in menſem Ægyptium *Pachonem*, ſcil. Martium, aut initium Aprilis quo falcem Ægyptii in ſegetem mittebant:

> Λήϊα δ' αὐαθέντα Παχὼν δρεπάνοισι φυλάσσει
>
> *Segetes florentes Pachon falci cuſtodit*, i. e. deſtinat.

Intelligendum eſt de meſſe hordeacea, cum legatur *Exod.* IX. 31. ut ſupra dictum eſt, triticum in menſe Niſan fuiſſe immaturum in Ægypto: והפשתה והשערה נכתה כי השערה אביב והפשתה גבעל והחטה והכסמת לא נכו אפילת הנה: *Et linum & hordeum percuſſa ſunt, quoniam hordeum ſpicatum erat, & linum fecerat calamos: ſed triticum & ſpelta non percuſſa ſunt, quoniam ſerotina erant.*

Manipulus in peculiari agro ſerebatur, & peculiari aratione, & cultu colebatur. Gemara Babylonica ad cap. IX. *Menachoth* כיצד עושה נרה שנה ראשונה איבעיא להו הכי קאמר נרה שנה ראשונה ושניה נרה יוזורעה או דלמא נרה שנה ראשונה ושניה זורעה בלא נרה תא שמע דתניא א״ר יוסי אף חיטי כרזים וכפר אחים אלמלא סומכות לירושלכם הוו מביאין מהן לפי שאין מביאין את העומר אלא מן השרות המדרמות לכך שבהן חמה זורחה ומהן חמה שיקעת כיצד עושה נרה שנה ראשונה ושניה חורש ושונה וזורעה קודם לפסח שבעים יום כדי שתהא סמוכה לחמה ועושה קנה זרת ושיבולת זרתיים וקוצר ומעמר ודש וזורה ובורר וטחן ומרקיד וגו׳ קתני מיהת חורש ושונה ולטעמיך מתניתין לא קתני שונה ברייתא קתני שונה לא קשיא כאן בבעודה כאן כשאינה עבודה מאי הוי עלה תא שמע דתניא ניר חציה ונור חציה ניר חציה וזורע חציה א״ר יוחנן אין מביאין את העומר אלא מין השרות המדרומות שבארץ ישראל שבהן חמה זורחת ומהן חמה שוקעת תניא נמי הכי אבא שאול אומר עומר היה בא מבקעת בית מקלה בבת שלשה סאין היתה ושדה מודרמת היתה ובה חמה זורחת וממה חמה שוקעת נר חציה וזורע חציה נר חציה וזורע חציה ר׳ חלקיה בר טובי הוה ליה קרנא דארעא ניר חציה וזורע חציה ניר חציה וזורע הציה ועברת על חד תרי ומז בין להו לחיטי לסמידא: Quomdo faciebat? Novellabat anno primo: Ita dicendum eſt. Novellabat anno primo, & ſecundo novellabat, & ſerebat. Aut fortaſſe novellabat anno primo, & ſecundo ſerebat ſine novellatione. Veni & audi: Etenim extat traditio: Dicit R. Joſe: Vel frumenta Karſitarum, & villæ Achim, ſi non eſſent proxima Hieroſolymæ, afferebant quia non afferebant manipulum, niſi ex agris auſtralibus, & novellatis; quia in iis ſol oriebatur, & inde ſol occidebat. Quomodo faciebat? Novellabat anno primo, & ſecundo arabat, atque iterabat, & ſerebat ante Paſcha ſeptuaginta dies, ut eſſet prope æſtum, & faceret cannam inſtar ſpithamæ, & ſpicam inſtar duarum ſpithamarum, & metebat, & in manipulos colligebat, & triturabat, & ventilabat, & purificabat, & molebat, & cribrabat &c. Hinc docet. Arabat, atque iterabat; Et juxta tuam opinionem Miſna non docet, quod iteraret. At Barajitha docet quod iteraret. Non eſt objectio: Hic agitur de opere, & ibi agitur quando non ſit opus. Quid eruitur? Veni & audi: Etenim extat traditio: Novellabat dimidium, & ſerebat dimidium: Novellabat dimidium, & ſerebat dimidium: Dicit R. Jochanan: Non adducebant manipulum niſi ex agris auſtralibus qui erant in terra Iſrael, quod in iis ſol oriretur, & ab iis occideret. Ita quoque extat traditio. Aba Saul dicit: Manipulus non adducebatur niſi ex valle Beth-Mikla; in quantitate trium ſatorum erat, & ager erat auſtralis, ubi ſol oriebatur & occidebat. Novellabat dimidium, & ſerebat dimidium; novellabat dimidium, & ſerebat dimidium, R. Chalkia habebat bar Tobiæ ſpatium terræ, novellabat dimidium, & ſerebat dimidium, novellabat dimidium, & ſerabat dimidium, & faciebat pro uno duo, & emebant hæc hæc frumenta pro farina.

Tribus de cauſis intercalabatur annus, ſed potiſſimum ſi immutaturæ eſſent fruges,

ges, quominus offerri poſſit manipulus. Babyl. Sanhedr. II. 2. דתניא מעשה ברבן גמליאל שהיה יושב על גב מעלה בהר הבירת והיה יוחנן סופר עומד לפניו ושלש איגרות לפניו מונחות אמר לו טול איגרא חדא וכתוב לאחנא בני גלילאה עילאה ולאחנא בני גלילאה תתאה שלומכון יסגא מהודעין אנחנא לכון דזמן ביעורא מטא לאפרושי מעשר׳ ממעטנ׳ דזיתא וטול איגרתא חדא וכתו׳ לאחנא בני דרומא שלומכון יסגא מהודעין אנחנא לכון דזמן ביעורא מטא לאפרושי מעשר׳ מעומרי שיבליא וטול איגרא חדא וכתוב לאחנא בני בבבל ולאחנא דבמדי ולשאר כל גלוותא דישראל שלומכון יסג׳ לעלם מהודעין אנחנא לכון דגוזליא רכיכין ואימרי ערקין וזמנא דאביבא לא מטא ושפרא מילתא באנפיי ובאנפי חביריי ואוסיפות על שתא לא׳ יומין תלתין דילמא בתר דעברוהו׃ תנו רבנן על שלשה דברים מעברין את השנה על האביב ועל פירות האילן ועל התקופה על שנים מהן מעברין ועל אחד מהן אין מעברין ובזמן שאביב אחד מהן הכל שמחין רבן שמעון בן גמליאל אומר על התקופה איבעיא להו על התקופה שמחין או על התקופה מעברין תיקו ת״ר על שלשה ארצות מעברין את השנה יהודה ועבר ירדן והגליל על שתים שהן מעברין ועל אחת מהן אין מעברין ובזמן שיהוד׳ אחת מהן הכל שמחין שאין עומר בא אלא מיהודה׃ Traditio. Narratur, quod Raban Gamaliel, qui ſedens in gradibus montis domus, & Jochanan Scriba ſtabat coram eo; & tres epiſtolæ in ejus conſpectu poſitæ erant; ei dixit: Sume epiſtolam unam; & ſcribe fratribus noſtris, filiis Galilææ ſuperioris, & fratribus noſtris filiis Galilææ inferioris. Pax multiplex ſit vobis. Significamus vobis fratres noſtri, quod tempus remotionis advenerit, ut ſeparentur decimæ de cupis oleariis: Et ſume epiſtolam alteram, & ſcribe fratribus noſtris auſtralibus: Pax multiplex ſit vobis; Significamus vobis fratres noſtri; quod tempus advenerit, ut ſeparentur decimæ ex manipulis ſpicarum: Et ſume epiſtolam alteram, & ſcribe fratribus noſtris filiis captivitatis Babylonis, & fratribus noſtris, qui ſunt in Media, & reliquis omnibus captivitatibus Iſrael: Pax multiplex ſit vobis in perpetuum; Significamus vobis fratres noſtri, quod pulli ovium ſint teneri, & agni graciles, & tempus humidarum ſpicarum nondum advenerit, & placuit in conſpectu meo, & in conſpectu ſociorum meorum, ut anno adderentur triginta dies: Fortaſſe poſtquam intercalaſſent. Tradiderunt ſapientes. Trium rerum cauſa intercalatur annus ſc. propter ſpicas humidas, & propter fructus arboris, & propter revolutionem, (ſc. propter æquinoctium). Duarum rerum cauſa intercalatur, at propter unam non intercalatur; Et quando manipulus humidarum ſpicarum erat una ex iis, omnes lætabantur. Rabam Simeon ben Gamaliel dicit; propter revolutionem: Dicendumne eſt, quod propter revolutionem lætarentur, an propter revolutionem intercalarent? Quæſtio non eſt deciſa: Tradiderunt ſapientes. Propter tres regiones intercalatur annus, propter Judæam, Peræam, & Galilæam: Propter duas ex iis intercalabatur, at propter unam non intercalabatur; & quando Judea erat una ex iis, omnes lætabantur, eo quod manipulus non adduceretur niſi ex Judæa. Si non maturæ eſſent novæ fruges annus intercalabatur in menſe Adar: *Mekiltha* 2. 2. שמור את חדש האביב וגו׳ שמור את הפסח לאביב ואביב לפסח שיבא אביב כזמנו הא כיצד עבר את אדר שיבא אביב בזמנו הרי שעברו את אדר ולא בא אביב בזמנו שומעאני שיעברו ראש חדש ניסן היה ר׳ שמעין אומר הא אם אמרת כן נמצאת אתה עושה ניסן שני ואמרה תורה ראשון הוא לכם ר׳ נתן אומר שמור את חדש סמוך לאביב אתה מעבר ואי זה זה הוי אומר זה אדר: *Obſerva menſem humidarum ſpicarum &c.* Obſerva Paſcha propter humidas ſpicas, & humidas ſpicas propter Paſca, ut humidæ ſpicæ afferantur tempore ſuo. At ſi intercalaſſent Adar, & nondum maturæ eſſent humidæ ſpicæ in tempore ſuo, crederem fuiſſe intercalandum principium menſium Niſan? R. Simeon dicit: At ſi ita dicas, deprehenderis quod facias duos Niſan: Atqui lex dicit: *Principium ipſe vobis*. R. Nathan dicit: *Obſerva menſem*. Menſem, qui ſit proximus menſi humidarum ſpicarum tu intercalabis; & quinam ille eſt? Dicit; ille eſt Adar.

Maxima celebritate metebatur manipulus. Toſaphta *Menachoth* cap. 8. יום הנף שחל להיות בשבת דוחה את השבת בקצירת העומר כיצד הן עושים שלוחי בית דין יוצאין מערב יום טוב נוטלים את הקופות ואת המגלות ומסרגים שם בעומר שלש סאים ומניחים את הקופות ואת המגלות ובאים יום טוב סמוך לחשיכה היו וצאין ובכלום גדול היה יוצא עמהם כיון שחשיכה אמר להן בשבת זו בשבת זו בשבת זו בקופה זו בקופה זו ר׳ אליעזר בר ר׳ צדוק מוסיף אף במגל זו במגל זו במגל זו שלשה פעמים על כל דבר ודבר והם אומרין לו הן הן הקוצר אומר לו קצור וכל כך למה מפני ביתוסין שהיו אומרים אין קצירה העומר במוצאי יום טוב קצרוהו ונתנוהו להופות והביאו לעזרה: Dies ventilationis, qui incidebat in Sabbathum pellebat Sabbathum in demeſſione manipuli quomodo faciebant? Legati Synhedrii egrediebantur veſpera diei feſti, ſunebant caniſtra & fal-

& falces: Poſtquam fecerunt in manipulo ſpatium trium ſatorum, & deponebantur caniſtra & falces, & veniebant, die feſto prope tenebras egrediebantur, qui erat magnus inter omnes, egrediebatur cum illis poſt obortas tenebras: dicebat illis. In hoc Sabbato? In hoc Sabbatho? In hoc Sabbatho? Hoc caniſtro? Hoc caniſtro? Hoc caniſtro? R. Elieſer bar R. Sadoch etiam addebat: Hac falce? Hac falce? Hac falce? Tribus vicibus in ſingulis: Et illi reſpondebant: Sic ſic. Metamne? Reſpondebat: mete. Et hæc omnia qua de cauſa? Eo quod Baithuſæi dicerent, non fuiſſe faciendam demeſſionem manipuli in exitu diei feſti. Demetebant, & immittabant in caniſtra, & adducebant in atrium. Miſna *Menachoth* כיצד הן עושין שלוחי בית דין יוצאין מערב יום טוב ועושין אותן כריכות במחובר לקרע כדי שיהא נוח לקצר כל העיירות הסמכות לשם מתכנסות לשם כדי נקצר בעסק גדול כיון שתחשיכה אמר להן בא השמש אומר הין בא השמש אומר הין מגל זו אומר הין מגל זו אומר הין קופה זו אומר הין קופה זו אומר הין בשבת אומר להן שבת זו אמר הין שבת זו אמר הין אקצור והם אומרים לו קצור אקצור והם אומרים לו קצור שלשה פעשים על כל דבר ודבר והם אומרים לו הין הין הין כל כך למה לי מפני הבייתוסים שהיו אומרים אין קצירת העומר במוצאי יום טוב : Quomodo faciebant? Legati Synhedrii egrediebantur veſpera diei feſti, & faciebant faſciculos ex eo quod terræ infixum erat, ut facilius demeti poſſet. Omnes vero urbes ibi vicinæ, illic congregabantur, ut majori cum ſtudio demeteretur. Poſtquam obortæ eſſent tenebræ dicebat illis. Occiditne ſol? Reſpondebar ſic: Occiditne ſol? Reſpondebat: ſic. Hac falce? Reſpondebat: ſic. Hoc caniſtro? Reſpondebat: ſic. Hoc caniſtro? Reſpondebat: ſic. In Sabbatho dicebat illis. In hoc Sabbatho? Reſpondebat: ſic. In hoc Sabbatho? Reſpondebat: ſic. Metamne? Reſpondebat illi: mete. Metamne? Reſpondebat illi: mete. Tribus vicibus in ſingulis: Et illi reſpondebant, ei: ſic, ſic, ſic. Hæc omnia qua de cauſa? Propter Barithuſæos, qui dicebant, non licuiſſe demetere manipulum in exitu diei feſti.

Demetendus erat manipulus, dum adhuc ejus ſpicæ eſſent humidæ, ideoque demenſis Niſan, ſcil. Martius, in quo demetebatur, dictus eſt אביב, & Chaldaice אתון נפקין בירחא אביבא *Exod.* XIII. 4. דאביבא: *Hodie vos exitis in menſe ſpicarum humidarum*. *Exod.* XXXIV. 18. שר ירחא דאביבא: *Obſerva menſem ſpicarum humidarum*. Et *Deuteron.* XVI. I. בירחא דאביבא: *In menſe ſpicarum humidarum eduxit te Deus ex Ægypto*. In *Bechoroth* 52. 2. diſtinguitur ſeges a ſpica, & ſpica a culmo. ספורה והוו שובלי *Seges erat & fuerunt ſpicæ, quæ antea ſeges herbida erat, paulo poſt in culmum & ſpicam excrevit*. *Varro* lib. I. cap. 47. *In ſegetibus autem frumentum, quod culmus extulit. Spica ea, quæ mutilata non eſt, in hordeo & tritico tria habet continentia, granum, glumam, ariſtam: & etiam primitus ſpica cum oritur, vaginam: granum dictum, quod eſt intimum ſolidum, gluma, qui eſt folliculus ejus; ariſta quæ ut acus tenuis longe eminet e gluma; proinde ut grani theca ſit gluma, & apex ariſta. Ariſtam & granum omnibus fere notum: gluma paucis. Itaque id apud Ennium ſolum ſcriptum ſcio eſſe in Euhemeri libris verſis: videtur vocabulum habere a glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum; itaque eodem vocabulo appellant fici ejus, quam edimus, folliculam. Ariſta dicta, quod areſcit prima; granum a gerendo; id enim ſeritur, uti ſpica gerat frumentum, non ut glumam aut ariſtam gerat: uti vitis ſeritur, non ut pampinum ferat, ſed uvam. Spica autem, quam ruſtici ut acceperunt antiquitus, vocant ſpecam, a ſpe videtur nominata; eam enim quod ſperant fore, ſerunt. Spica mutica dicitur, quæ non habet ariſtam: eæ enim quaſi corona ſunt ſpicarum, quæ primitus cum oriuntur, neque plane apparent, qua ſublatent herba, ea vocatur vagina, uti qua latet conditum gladium. Illud autem ſumma in ſpica jam matura, quod eſt minus quam granum, vocatur frit; quod in infima ſpica, ad culmum ſtramenti ſummum, item minus quam granum eſt, appellatur urruncum.* Cicero de ſenectute de vagina: *Quæ nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit, calamoque erecta geniculato, vaginis jam quaſi pubeſcens includitur, e quibus cum emerſit, fundit frugem ſpiri ordine ſtructum, & contra avium minorum morſum munitur vallo ariſtarum.* *Plinius* de eadem XVIII. 3. *Ita enim eſt in commentariis Pontificum: Augurio canario agendo dies conſtituantur, priuſquam frumenta vaginis exeant, & antequam in vaginas perveniant.* *Virgilius* Georgic. I. vaginam ſtipulam vocavit: *Spicea jam campis cum meſſis inhorruit, & cum frumenta in viridi ſtipula lactantia turgent.*

Spica variis nominibus appellatur apud Hebræos. 1.° כרמל *Levit.* II. 14. 2.° מלילה a confricando *Deuter.* XXIII. 25. וקטפת מלילה בידך: *Et avelles ſpicam manu tua.* Ubi Targum: ותקטוף מלילילי בידך *& avelles ſpicas manu tua.* 3.° שבלה *Judic.* XII. 6. & paſſim: Chaldaice שובלא, שובל, שבולא, שבלא: *Geneſ.* XLI. 47. חריז קוצין. *Ut quælibet*

libet spica faceret duos pugillos. 4.° Hierosolymitanæ תובלי. *Genes*. XLI. 5. שבעה תובלי *septem spicæ adscendebant in calamo uno*. 5.° in *Jonathane* בסירא *spica mutica* pro Hebræo אביב *Exod*. IX. 31. סרתא הות בסירא: *Hordeum erat spica mutica*, sive *spicatum*. 6.° אביבא pro Hebræo אביב *spica humida*.

Mos erat Judæis ut prætereuntes messoribus benedicerent. *Ruth*. II. 4. ubi de Booz invisente messores suos ויאמר לקצרים יהוה עמכם ויאמרו לו יברכך יהוה: *Et dixit messoribus: Dominus vobiscum: Et illi responderunt: Benedicat tibi Dominus*. *Psal*. CXXIX. 7. יהיו כחציר גגות שקדמת שלף יבש שלא מלא כפו קוצר וחצנו מעמר ולא אמרו העברים ברכת יהוה אליכם ברכנו אתכם בשם יהוה: *Et sint sicut herba tectorum, quæ priusquam evellatur exaruit: De qua non implevit manum suam, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit: Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos; benedicti sitis in nomine Domini*.

Summo gaudio & lætitia dies messis & vindemiæ celebratos fuisse testatur *Esai*. IX. 3. שמחו לפניך כשמחת בקציר *Lætantur coram te, sicut est lætitia in messe*. Et XVI. 9. & 10. כי על קיצך ועל קציריך הידר נפל ונאסף שמחה וגיל מן הכרמל ובכרמים לא ירנן לא ירעע יין ביקבים לא ידרך הדרך הידר השבתי: *Quoniam super vindemiam tuam, & super missam tuam irruit clamor: Et removebitur lætitia & exultatio de Carmelo; & in vineis non erit canticum, & clamor; vinum in torcularibus non calcando calcabitur, jubilum calcantium cessare feci*.

Apud Romanos serius quam apud Hebræos peractam fuisse messem testatur *Varro* lib. I. cap. 32. *Quanto intervallo inter solstitium & caniculam plerique messem faciunt, quod frumentum dicant quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere, cum sit maturum*. *Plinius* lib. XVIII. 17. *Varro quatuornovenis diebus, fruges absolvi tradit, & mense nono meti*: Sed videtur apud *Plinium quadragenis diebus* ex hoc loco *Varronis* legendum esse. *Theophrastus* Hist. plant. VIII. 3. Μετὰ δὲ τὴν ἀπάνθησιν, ἁδρύνονται πυρὸς μὲν καὶ κριθὴ τεσσαρακονταῖα μάλιστα &c. *Columella* lib. XI. cap. 2. *Tertio Kalend. Augustas Aquila occidit: significat tempestatem: His diebus locis temperatis & maritimis messis conficitur, & intra dies triginta, qua desecta est, stramenta præcisa in acervum congeruntur*. Et lib. II. cap. 21. *Sed cum matura fuerit seges, antequam torreatur vaporem æstivi sideris, qui sunt vastissimi per ortum caniculæ, celeriter demetatur: nam dispendiosa est cractatio: primum quod avibus prædam, ceterisque animalibus præbet, deinde quod grana & ipsæ spicæ culmis arentibus & aristis celeriter decidunt; si vero procellæ ventorum, aut turbines incesserint, major pars ad terram defluit: propter quæ recrastinari non debet, sed æqualiter flaventibus jam satis, antequam ex toto grana indurescant, cum rubicundum colorem traxerint, messis facienda est, ut potius in area, & in acervo quam in agro grandescant frumenta, constat enim si tempestive decisa sint, postea capere incrementum*. *Palladius* lib. VII. cap. 2. in mense Junio maturius peractam fuisse messem testatur. *Nunc primo* (sc. die Junii) *hordei messis incipitur, quæ consummanda est, antequam grana arefactis spicis lapsa decurrant, quia nullis, sicut triticum, folliculis vestiuntur*. Et mox. *Nunc etiam mense postremo locis maritimis & calidioribus ac siccis tritici messis absciditur; quam paratam esse cognosces, si æqualiter spicarum populus maturato rubore flavescat*.

Varro lib. I. cap. 50. tria genera metendi describit: *Frumenti tria genera sunt messionis, unum, ut in Umbria, ubi falce secundum terram succidunt stramentum, & manipulum, ut quemque subsecuerunt, ponunt in terra; ubi eos fecerunt multos, iterum eos percensent, ac de singulis secant inter spicas & stramentum; spicas conjiciunt in corbem, atque in aream mittunt; stramenta relinquunt in segete, unde tollantur in acervum. Altero modo metunt, ut in Piceno, ubi ligneum habent incurvum batillum, in quo sit extremo serrula ferrea; hæc cum comprehendit fascem spicarum desecat, & stramenta stantia in segete relinquit, ut postea subsecentur. Tertio modo metitur, ut sub urbe Roma, & locis plerisque, ut stramentum medium subsecent, quod manu sinistra summum prehendunt, a quo medio messem dictam puto: infra manum stramentum, quod terræ hæret, postea subsecatur. Contra quod cum spicæ stramentum hæret, corbibus in aream defertur; ubi discedit in aperto loco palam; a quo potest nominata esse palea*. *Columella* lib. II. cap. 21. *Sunt autem metendi genera complura: Multi falcibus verriculatis, atque iis vel rostratis, vel denticulatis medium culmum secant; multi mergis, alii pectinibus spicam ipsam legunt: idque in rara segete facillimum, in densa difficillimum est. Quod si falcibus seges cum parte culmi demessa sit, protinus in acervum vel in nubilarium congeritur, & subinde opportunis solibus torrefacta proteritur. Sin autem spicæ tantummodo recisæ sunt, possunt in horreum conferri, & deinde per hyemem vel baculis excuti, vel exteri pecudibus*. *Palladius*

lib.

lib. VII. cap. 2. singularem metendi rationem describit. *Pars Galliarum planior hoc compendio utitur ad metendum, & præter hominum labores, unius bovis opera spatium totius messis absumit: fit itaque vehiculum, quod duabus rotis brevibus fertur: hujus quadrata superficies tabulis munitur, quæ forinsecus reclines in summo reddant spatia largiora: ab ejus fronte carpenti brevior est altitudo tabularum; ibi denticuli plurimi ac rari ad spicarum mensuram constituuntur in ordinem, ad superiorem partem recurvi. A tergo vero ejusdem vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum: ibi bos capite in vehiculum verso jugo aptatur, & vinculis, mansuetus sane, qui non modum compulsoris excedit; hic ubi vehiculum per messes cœpit impellere, omnis spica in carpentum denticulis comprehendere cumulatur, abruptis ac relictis paleis; altitudinem vel humilitatem plerumque bubulco moderante, qui sequitur, & ita per paucos itus ac reditus brevi horarum spatio tota messis impletur, Hoc campestribus locis vel æqualibus utile est, & iis quibus necessaria palea non habetur.*

XXIII. *Levit.* XIX. 9. in messe præcipitur relinquendum pauperibus angulum agri, qui non demetatur, & spicilegium. ובקצרכם את קציר ארצכם לא תכלה פאת שדך לקצר ולקט קצירך לא תלקט, *& cum messueritis messem terræ vestræ, non finies angulum agri tui metendo; & collectionem agri tui non colligas. Jonathan* ובזמן מחצדכון ית חצדא דארעכון לא תסיפון אומנא חדא דאית בחקלך למחזור ולקטא דחצדך לא תלקיט: *Tempore autem quo metetis messem terræ vestræ, non finietis angulum unum qui est in agro tuo per circuitum, & collectionem agri tui ne colligas.* Et XXIII. 22. ובקצרכם את קציר ארצכם לא תכלה פאת שדך בקצרך ולקט קצירך לא תלקט לעני ולגר תעזב אתם אני יהוה אלהיכם: *& cum messueritis messem terræ vestræ, non consummabis angulum agri tui in messione tua, & spicilegium messis tuæ non colliges, pauperi & peregrino relinques ea, ego Dominus Deus vester. Jonathan* ובזמן מחצדכון ית חצר ארעכון לא תסייפון אומנא חדא דאית בחקלך בחצדך ולקטא דחצדך לא תלקיט לעניי ולגיורי תשבוק יתהון אנא הוא יי' אלהון: *Et cum messueritis messem terræ vestræ, non consummabitis angulum qui est in agro tuo, in messione tua, & collectionem messis tuæ non colliges; pauperibus, & peregrinis relinques ea: Ego sum Dominus Deus vester. Siphra* ad *Levit.* XIX. 9. ובקוצרכם פרט לשקצרוהו הליסטים קירסמוה נמלים שיברתה הרוח או בהמה ובקצרכם פרט לשקצרוה גויים מיכן אמרו נכרי שקצר שדהו ואחר כך נתגייר פטור מן הלקט והשכחה והפיאה ורבי יהודה מחייב בשכחה שאין שכחה אלא בשעת העימור און לי אלא קוצר תולש מניין תלמוד לומר לקצור קוטף מניין תלמוד לו' קצירך אין לי אלא תבואה קיטניות מניין תלמוד לומר בארצכם אילנות מניין תלמוד לומר שדך יכול הירק והקישואים והדילועים והאבטיחים והמלפפניות הכל בכלל תל' קציר מה קציר מיוחד שהוא אוכל ונשמר וגידולו מן הארץ ולקיטתו כאחת ומכניסו לקיום יצאו ירקות אף על פי שלקיטתן כאחת אבל אין מכניסו לקיום יצאו התאינים שאף עלפי שמכנסן לקיום אבל אין לקיטתן כאחת והתבואה והקיטנית בכלל הזה ובאילן האוג והחרובים האגוזים והשקדים הגפנים והריסונים הזיתים והתמרים חייבים בפיאה לא תכלה פאת שדך ואין פאת אלא מחמת הכילוי ואין פאה אלא שיש לה שם ואין פאה אלא בסוף מיכן אמרו נתן בין בתחילה בין באמצע הרי זו פיאה ובלבד שלא יפחות באחרונה אחד מששים וכן היה ר' שמעון אומר בשביל ארבעה דברים אמרו לא יתן אדם פיאה אלא בסוף שדהו מפני גזל עניים מפני בטול עניים ומפני מראית העין ומשום שאמרה תורה לא תכלה פאת שדך מפני גזל עניים כיצד שלא יראה אדם שעה פנויה ויאמר לקרובו העני בוא וטול לך פיאה מפני ביטול עניים כיצד שלא יהיו עניים יושבים ומשמרים כל היום ואומרי' עכשיו הוא נותן פיאה אלא ילכו וילקטו בשדם אחרת ויבואו בשעת הכילוי מפני מראי' העין כיצד שלא יהיו העוברי' והשבים אומרי' ראו היאך קצר איש פלוני את שדהו ולא פיאה לעניים ומשום שאמרה תורה לא תכלה פאת שדך שדך ולא שדה אחרים רבי שמעון בן יהודה אומר משום רבי שמעון שדך ולא שותף עם הגוי שדך לחייב על כל שדה ושדה מיכן אמרו אילו מפסיקים לפיאה הנחל והשלולית דרך היחיד ודרך הרבים ושביל הרבים ושביל היחיד הקבוע בימות החמה ובימות הגשמי' הבור והניר וזרע אחר והקוצר לשחת מפסיק דברי רבי מאיר וחכמי' אומ' אינו מפסיק אלא אם כן חרש אמות הסים הקבועה הרי זו מפסקת רבי יהודה אומר אם אינה יכולה ליקצר כאחת הרי זו מפסקת כל ההרים אשר במעדר יעדרון אף על פי שאין הבקר יכול לעבור בכליו הוא נותן פיאה לכל הכל מפסיקים לזרעי' ואינו מפסיק לאילן אלא גדר שהוא גבוה עשרה טפחי' אם היה שער כותש אינו מפסיק לאילן אלא נותן פיאה לכל לחרובים כל הרואים זה את זה אמר רבן גמליאל נוהגים היו בית אבא נותנים פיאה אחת לזיתים שהיה להם בכל הרוח ולחרובים כל שרואים זה את זה רבי אליעזר בר צדוק אומר משמו אף לחרובים שהיה להם בכל העיר ולקט קצירך לא לקט קיטוף ולקט קצירך אין לקט אלא מחמת הקציר מיכן אמרו היה קוצר קצר מלא ידו תלש מלא קומצו הכהו קוץ עקצתו עקרב נבעת נפל מידו על הארץ הרי של בעל הבית תוך היד ותוך המגל לעניים אחר יד ואחר המגל לבעל הבית ראש המגל וראש

וראש היד רבי ישמעאל אומר לעניים רבי עקיבא אומר לבעל הבית לא תלקט לעני לא תסייע את העני לא תלקט הזהיר את העני בשלו: *Cum messueritis*: Excludit, si latrones messuerint, si absumserint formicæ, si fregerit ventus, aut jumentum. *Cum messueritis*. Excludit, si messuerint gentiles. Hinc dixerunt. Si alienus messuerit agrum, & postea fiat proselytus, liber est a spicilegio, manipulo oblivione relicto, & angulo. Et R. Jehuda obligat ad manipulum oblivione relictum, quia manipulus oblivione relictus non observatur nisi quando fiunt manipuli. Non probo nisi de metente, de evellente unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Messis tuæ*. Non probo nisi de proventu, legumina unde probantur? Ex eo quod dictum est: *In terra vestra*. Crederem olus, & cucumeres, & pepones, & melopepones omnes posse includi? Idcirco dictum est: *Messis*. Sicut messis est peculiaris, quæ comeditur, & custoditur, & crescit ex terra, & uno tempore colligitur, & introducitur ut conservetur: Excluduntur olera, quæ licet uno tempore colligantur, tamen non introducuntur ut conserventur: Excluduntur ficus, quæ quamvis introducantur, ut conserventur, tamen una vice non colliguntur: & proventus, & legumina in hoc genere comprehenduntur. Et in arbore Samach siliquæ, nuces, & amygdalæ, vites, & malogranata olivæ, & palmæ obligantur ad angulum: *Non consummabis angulum agri tui*. Non est angulus nisi propter consummationem; Et non est angulus, nisi dederit illi nomen; & non est angulus nisi in fine. Hinc dixerunt; Si assignaverit sive in principio sive in medio, ecce ille est angulus, dummodo relinquat in fine minus una ex sexaginta partibus. Et sic dicebat R. Simeon. Quatuor rerum causa dixerunt. Nemo assignabit angulum nisi in fine agri sui, propter rapinam pauperum, propter etiam pauperum, propter aspectum oculi, & propterea quod dicit lex. *Non consummabis angulum agri tui*. Propter rapinam pauperis quomodo? Ne quis videat tempus vacuum, & dicat propinquo suo pauperi; veni & sume tibi angulum. Propter otium pauperum quomodo? Ne pauperes sedentes expectent toto die & dicant: nunc assignat angulum, ut abeant & colligant in alio agro, & veniant tempore consummationis. Propter adspectum oculorum quomodo? Ne prætereuntes & sedentes dicant: quomodo vir N. messuit agrum suum, & non reliquit angulum pauperibus? Et propterea quod dicit lex. *Non consummabis angulum agri tui*. *Agri tui*; non agri alieni. R. Simeon ben Jehuda dicit nomine R. Simeonis. *Agri tui*: non illius in quo societatem habeat cum gentili. *Agri tui*. Ad obligandum omnes & singulos agros. Hinc dixerunt: Hæc dividunt angulum, scil. fluvius, alveus, via privata, & publica, semita publica & privata, constituta tam æstivo quam hyberno tempore, & ager rudis & novale, & sata alius generis; & qui metit in pabulum, disterminat. Verba R. Meir; & Sapientes dicunt, non disterminat, nisi etiam aret. Canalis stabilis aquarum dividit. R. Jehuda dicit; si non possit meti una vice, dividit. In omnibus montibus, ubi non possit sarculo fodi, licet bos pertransire non possit cum suis instrumentis, dabit angulum pro omnibus. Hæc omnia dividunt in seminibus, at non dividit in arbore, nisi maceria, quæ sit promineat decem palmos; si frondes collidantur; non dividit, sed dabit angulum pro omnibus. In siliquis omnes quæ inter se respiciunt. Dicit R. Gamaliel. Solebat domus patris mei dare unum angulum in olivis, quæ erant in uno latere. Et in siliquis si inter se respicerent. R. Elieser ben Zadoch dicit suo nomine. Etiam pro siliquis, quæ erant in tota urbe. *Et spicilegium messis tuæ non colliges*. Decerpendo. *Et spicilegium messis tuæ*. Non est spicilegium nisi propter messem. Hinc dixerunt: si metens impleat manum, aut evellat plenitudinem pugilli sui, si spina eum percutiat, aut scorpio pungat, ita ut decidat de manu sua in terram, ecce hoc erit patrisfamilias: si cadat intra manum, aut intra falcem, erit pauperum; si post manum & post falcem, erit patrisfamilias: De extremitate falcis & manus, R. Ismael dicit: erit pauperibus; R. Akiba: erit patri familias. *Non colliges*; *pauperis erit*; Non auxiliaberis pauperi: *Non colliges*. Monet pauperum de suo.

Deut. XXIV. 19. jubetur non fuisse ac Domino agri colligendum manipulum oblivione relictum. כי תקצר קצירך ושכחת עמר בשדה לא תשוב לקחתו לגר ליתום ולאלמנא יהיה: למען יברכך יהוה אלהיך בכל מעשה ידיך: *Cum messuens messem tuam in agro, & oblitus fueris manipulum in agro, non revertere ad tollendum eum, peregrino, pupillo, & viduæ erit, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum*. *Jonathan* ארום תחצרון חצריכון בחקליכון ותתנשון עומרא בחקלא לא תתובון למיסביה לגיורא ליתמא ולארמלתא יהי מטול די יברככון מימרא דיי אלהכון בכל עובדי ידיכון: *Quando metetis messes vestras in agris vestris, & obliti fueritis manipulum in agro, non revertemini ut tolla-*

tollatis ipsum, peregrino, pupillo, & viduæ erit; ut benedicat vobis verbum Domini Dei vestri in omnibus operibus manuum vestrarum. Ubi *Siphra* כי תקצור קצירך פרט לשקצרוהו ליסטים וכירסמוה נמלים ושיברהו הרוח או בהמה קצירך פרט לשקצרוהו גוים מיכאן אמרו נכרי שקצר את שדהו ואחר כך נתגייר פטור מן הלקט ומן שכחה והפיאה ר׳ יהודה מחייב בשכחה שאין שכחה אלא בשעת העומר קצירך פרט לאחרים קצירך פרט להקרש כשתימצי לומר קצר הקרש ולקח ישראל פטור רבי יוסי הגלילו אומר מכלל שנאמר כי תקצור קצירך בשדה ושכחת עומר כל זמן שיש לו קציר יש לו עומר ויש לו שכחה וכל זמן שאין לו קציר אין לו עומר ואין לא שכחה כשתימצי לומר קצר הקרש ולקח ישראל פטור קצר גוי ולקח ישראל פטורים בשדך פרט למעמר בשדה חבירו דברי רבי וחכמים מחויבים מכאן אתה אומר העומר ששכחוהו פועלים ולא שכח בעל הבית שכח בעל הבית ולא שחיפוהו בקש הרי זה אינו שכחה ושכחת עומר בשדה ולא הגדיש יכול אף שכחו פועלים יותר משנים תלמוד לומר לגר וליתום ולאלמנה יהיה מיכן אמרו שני עומרים שכחה שלשה אינה שכחה שני ציבורי זיתים וחרובין שכחה שלשה אינה שכחה שני גרגרים פרט שלשה אינה פרט בשדה פרט לטמונה דברי רבי יהודה וחכמים אומרים בשדה לרבות את הטמונה בשדה לרבות את הקמה שהיה בדין ומה עומר שהורע כח עני יש לו שכחה קמה שיפה כח עני בה אינו דין שיש לו שכחה לא אם אמרת בעומר שאינו מציל לא את העומר ולא את הקמה תאמר בקמה שהיא מצלת את העומר ואת הקמה תלמוד לומר בשדה לרבות את הקמה לא תשוב לקחתו פרט לראשי שורות מיכאן אמרו ראשי שורות העומר שכנגדו יוכיח והעומר שהחזיקו בו להוליכו לעיר ושכחו מודים שאין שכחה לא תשוב לקחתו כולו כאחד וכמה יהיה בו שיעורו חכמים בעושה סאתים מיכאן אמרו העומר שיש בו סאתים ושכחו אין שכחה שני עומרים ובהם סאתים רבן גמליאל אומר לבעל הבית וחכמים אומרים לעניים אמר להם רבן גמלאל וכי מרוב העומדים יופי כח של בעל הבית או הורע כוחו אמר להם יופי כחו אמר להם אם בזמן שהוא עומר אחד ובו סאתים ושכחו אינו שכחה שני עומרים ובהם סאתים אינו דין שלא יהו שכחה לא תשוב לקחתו מיכן אמר רבי ישמעאל שבולת של קציר וראשה מגיע לקמה אם נקצרת עם הקמה הרי היא של בעל הבית ואם לאו הרי של עניים ספק בעל הבית המוציא מעניים עליו הראיה שהמוציא מחבירו עליו הראיה ומנין לספק לקט ספק שכחה ספק פיאה תלמוד לומר לגר ליתום ולא למנה יהיה: *Cum messueris messem tuam*; Excludit; si messuerint latrones, aut si populaverint formicæ, aut confregerit ventus aut jumentum. *Messem tuam.* Excludit, si messuerint gentiles. Hinc dixerunt: Alienus si messuerit agrum suum, & postea factus sit proselytus, liber est a spicilegio, & a manipulo oblivione relicto, & ab angulo. R. Jehuda eum obligat ad manipulum oblivione relictum; quia manipulus oblivione relictus non est nisi tempore manipuli. *Messem tuam.* Excludit messem alienorum: *Messem tuam.* Excludit messem sanctuarii: Quasi deprehenditur, quod dicas: Si metat sanctuarium, & emat Israelita, absolvitur, si metat gentilis, & emat Israelita, absolvitur. R. Jose Galilæus dicit: Generaliter dictum est: *Cum messueris messem tuam in agro, & oblitus fueris manipulum.* Quando ibi fuerit messis, erit etiam manipulus, & manipulus oblivione relictus; & quando ibi non fuerit messis, ne manipulus quidam erit, neque manipulus oblivione relictus. Quasi deprehenditur quod dicas: Si metat sanctuarium & emat Israelita, absolvitur, si metat gentilis, & emat Israelita, absolvitur. *In agro tuo.* Excludit, qui manipulos facit in agro socii sui: Verba R. Meir. At sapientes eum obligant: Hinc tu dicis: Si manipulum oblivione relictum reliquerint operarii, at non reliquerit dominus, aut si reliquerit dominus, & non reliquerint operarii, antequam constiterint pauperes, in ejus conspectu, aut obduxerint palea, non erit manipulus oblivione relictus: *Et oblitus fueris manipulum in agro:* Non autem abscissum. Crederem vel si obliti fuerint operarii plusquam duos? Idcirco dictum est: *Peregrino, pupillo & viduæ erit.* Hinc dixerunt: Duo manipuli sunt oblivione relicti, at tres non sunt oblivione relicti: Duo acervii olivarum, & siliquarum sunt oblivione relicti, at tres non sunt oblivione relicti. Duo acini sunt acinilegium, at tres non sunt acinilegium. *In agro.* Excludit reconditum. Verba R. Jehuda. At sapientes dicunt: *In agro.* Ad includendum segetem. Quia erat argumentum. Si in manipulo, in quo mala est conditio pauperis, est oblivio; In segete, in qua bona est conditio pauperis, non erit æquum ut sit oblivio? Minime si dixisti de manipulo, qui non liberat manipulum neque segetem, dices de segete, quæ liberat manipulum, & segetem? Idcirco dictum est. *In agro*; Ad includendum segetem. *Non revertere ad accipiendum.* Excludit capita ordinum. Hinc dixerunt: Capita ordinum: Manipulus qui sit e regione illius, probet, & manipulus, quem apprehenderint, ut deportent in civitatem, & obliti fuerint, fatentur quod

non sit oblivio. *Non reverteris ad accipiendum illum*. Totum simul: & quantum in eo erit? Metiti sunt sapientes, si producat duo sata. Hinc dixerunt. Si in manipulo fuerint duo sata, & obliti fuerint, non est manipulus oblivione relictus. Si fuerint duo manipuli, & in iis fuerint duo sata, Raban Gamaliel dicit, erunt patrisfamilias, & sapientes dicunt, erunt pauperum. Respondit illis Raban Gamaliel. In majori parte manipulorum bona ne est conditio patrisfamilias, an mala? Respondit: Bona est conditio: Dixit illis: Si in uno manipulo fuerint duo sata, & obliti fuerint, non est manipulus oblivione relictus: Si in duobus manipulis fuerint duo sata, non erir æquum ut non sint oblivione relicti? *Non reverteris ad accipiendum illum*: Hinc dixit R. Ismael. Spica messis & ejus summitas si attingit segetem, si metatur cum segete, erit patrisfamilias, si minus pauperis. Si dubitaverit patrisfamilias, & velit educere de potestate pauperum; ipse adducere debet probationem: Etenim, qui vult educere de potestate socii sui, ipse adducere debet probationem. Et unde probatur dubium spicilegii esse spicilegium, & dubium manipuli oblivione relicti esse manipulum oblivione relictum, & dubium anguli esse angulum? Ex eo quod dictum est. *Peregrino, pupillo, & viduæ erit*. Ex his lux impertitur *Ruth*. cap. II. 2. אלכה נא' השדה ואלקטה בשבלים אחר אשר אמצא חן בעיניו ותאמר לה לכי בתי ותלך ותבוא ותלקט בשה אחלי הקצרים וגו ויען הנבער חנצב על הקוצרים ויאמר נערה מוצבית היא השבה עם נעמי משרי מואב ותאמר אלקטה נא ואספתי בעמרים אחרי הקוצרים ותבוא ותעמור מאז הבקר ועד עתה זה שבתה הבירת מעט וזו ותקם ללקט ויצו בעז את נעריו לאמר גם בין העמרים תלקט ולא חכלימוה של תשלולה מן חצבתים ועזבתם ולקטה ולא הנערו בה ותלקט בשדה עד הערב ותבט את אשר לקפה: *Vadam in agrum, & colligam spicas, post metentes, ubi invenero gratiam in oculis ejus: cui illa respondit: Vade filia mea. Et abiit; & colligebat spicas in agro post metentes &c. Et respondit juvenis: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi de regione Moab: Et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia, & de mane usque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reversa est &c. Atque inde surrexit ut spicas ex more colligeret; præcepit autem Booz pueris suis dicens, etiamsi vobiscum metere voluerit, ne probibeatis eam: & de vestris quoque manipulis projicite de industria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat: Collegit ergo in agro usque ad vesperam, & quæ collegit virga percussit*. *Esai*. XVII. 5. והירה כאסף קציר קמה וזרעו שבלי יקציר והיה כמלקט שבלים בעמק רפאים: *Et erit quasi colligens metens segetem; & brachium ejus spicas metet, & erit quasi colligens spicas in valle Raphaim*.

XXIV. Priusquam in aream segetes adducerentur. Ut ibi triturentur, variis figuris in agris coacervabantur. *Peah* cap. V. 8. המעמר לכובע וחולכומסאות לחררה ולעמרים אין לו שכחה ממנו ולגורן יש לו שכחה המעמר לגדיש יש לו שכחה ממנו ולגורן יש לו שכחה: Si quis manipulet in galeas, siros, placentam, vel manipulos, de eo non est manipulus oblivione relictus; inde in aream, de eo est manipulus oblivione relictus. Si quis manipulet in metam, de eo est manipulus oblivione relictus; inde in aream, in eo non est manipulus oblivione relictus. Ubi *Bartenora*. לכובעות *in tiaras* ad faciendum ex manipulis id quod formam habet pilei, *Bonnet*: moris enim erat conficere capitis coronamenta ex istiusmodi spicis. לכומסאות *in galeros*: ii galeri non erant alti admodum, adscendentes sursum ut pileus *Bonnet*, sed deorsum se incurvantes, & intorquentes ut penitus possent conspici; & derivatur a כמוס *Deut*. XXXII. ולחרוה & *ad modum placentæ*; si messuerit pausillum, & collegerit tantum manipuli quantum ad perficiendam placentam sufficit super prunas. Alia expositio: Sunt qui dicunt messores proventum demetentes solere eum omnem colligere in acervant uno in loco, & deinde eum deferre ad locum triturationis scil. aream, qui locus vocatur נורן; at id quod in agro acervus vocatur קובעות, quia se habet ut forma pilei, vel tiaræ quam imponunt capiti: quod autem acervant e spicis in cavitates terræ incisis כומסאות a כמס *abscondere* vid. *Deut*. XXXII. 34. Id autem quod acervant in modum lapidis molaris vocatur חררה eo quod חררה *placenta* rotunda est: ולעמרים & *in manipulos*, conficit manipulos parvos, ut deinde ex duobus aut tribus conficiat unum magnum &c. *Qui manipulos colligit in acervum &c*. Ubi *Guisius*. *Galeas*: acervos turbinatos instar galeæ. *Siros*: כומסאות. Vox quam non alibi temere reperias. *Maimonides*: חפרה פי אלארץ *foveam in terra* exponit. Quod si verum, nec ego multum a vero abludo. *Hesychius*. Σιροῖς, ὀρύγμασιν, ἐν οἷς κατετίθεντο τὰ σπέρματα. Mox σιροὺς exponit τάφρους ἐσκεπασμένας. Similia fere apud *Suidam* nisi quod scribat σειροὺς, & σιῤῥοὺς. *Varro* de Re rustica

vis σειρὸς lib. 1. cap. 57. 63. Hinc *Columella*. *Possunt etiam defossa frumenta servari, sicut transmarinis quibusdam provinciis, ubi puteorum in modum, quos appellant siros, exhausta humus editos a se fructus recipit*. Forsan tamen aliud est כומסא. Certe كمز Arabice est *manibus congessit, coegitque rem in rutundiorem formam*. Inde كمزة *conglobata dactylorum massa*. *Cumulus rotundior arenarum, aut terræ*, ut *Camusum* eleganter & fideliter exprimit *Golius*. Sequitur חררה i. e. *placenta*: Hic autem intelligitur acervus πλακουντώδης.

Ex agris afferebantur segetes in aream ut triturarentur. Quamvis cap. 2. hujus commentarii de tritura actum sit, tamen nonnulla repetam, & nonnulla addam, ut ordo agriculturæ servari possit. Area statuenda erat in loco editissimo, quam perflare possit ventus. Hinc area Aruna erat in sublimi loco sita, ubi templum deinde ædificatum est. 1. *Paralip.* XXI. 20. *Et Aruna triturabat triticum*. *Varro* lib. 1. cap. 51. *Aream esse oportet in agro sublimiori loco, quam perflare possit ventus*. *Palladius* lib. 1. cap. 36. *Sit autem area loco sublimi, & undecumque perflabili*.

Quatuor modis trituram apud Hebræos peractam fuisse constat ex *Esai.* XXVIII. 27. 28. ut cap. 2. hujus commentarii dictum est. כי לא בחרוץ יודש קצח ואופן עגלה על כמן יוסב כי במטה יחבט קצח וכמן בשבט לחם יודק כי לא לנצח ארוש ידושנו והמם גלגל עגלתו ופרשיו לא ידקנו: *Non autem tribula incisa trituratur gith, nec rota plaustri super cyminum circumagitur, sed virga excutitur gith, & cyminum baculo: Panis autem comminuetur, verum non in perpetuum triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum*. Primo virgis triturabatur. *Judic.* VI. 11. *Gedeon* חובט חטים בגת. *Baculo vel virga excutiebat triticum in torculari*. Et *Ruth* II. 17. *Et collegit in agro ad vesperam usque*, ותחבט *& virga excussit quod collegerat*. *Columella* lib. II. cap. 21. *Sin autem spicæ tantummodo recisæ sunt, possunt in horreum conferri, & deinde per hyemem vel baculis excuti, vel exteri pecudibus*. Et mox: *Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur*. Idem lib. II. cap. 10. ubi de leguminibus. *Modicus fasciculorum numerus resolutus in extrema parte areæ collocetur, quem per longissimum ejus, mediumque spatium tres vel quatuor homines promoveant pedibus, & baculis furcillisve contundant; deinde cum ad alteram partem areæ pervenerint, in acervum culmos regerant*. 2.° triturabatur tribulo facto ex tabula lapidibus aut ferro exasperata, quo imposito auriga, aut pondere grave trahebatur junctis equis. *Esai.* XLI. 15. מורג appellatur הנה שמתיך למורג חרוץ חדש בעל פיפיות תדוש הרים ותדק וגבעות כמץ תשים: *Ecce posui te in tribulam novam incisam variis incisuris, ut montes tritures, collesque ponas in glumam*. Propter has incisuras vocatur etiam חרוץ *incisum*, ut *Esai.* XXVIII. 27. *Gith* non trituratur בחרוץ. Tribulas fuisse ferratas constat ex 2. *Sam.* XII. 31. ואת העם אשר בה הוציא וישם במגרה ובחריצי הברזל: *Et populum, qui ibi erat eduxit, & posuit in serra, & sub tribulis ferreis*. Et 1. *Paral.* XX. 3. ואת העם אשר בה הוציא וישר במגרה ובחריצי הברזל: *Et populum qui ibi erat, eduxit, & secuit serra, & tribulis ferreis*. Et *Amos* I. 3. על דושם בחרצות הברזל *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis*: Boves has tribulas traxisse constat ex 2. *Sam.* XXIV. 22. והמרגים וכלי הבקר לעצים *& tribulas & instrumenta bovum in ligna*. *Varro* lib. 1. cap. 52. *E spicis in aream excuti grana quod fit apud alios jumentis junctis, ac tribulo, id fit e tabula lapidibus, aut ferro asperata, quo imposito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana*. Tribulam *Columella* lib. II. cap. 21. *traham* appellat: *Et si pauca juga sunt, adjicere tribulem & traham possis, quæ res utraque culmos facillime comminuit*. *Virgilius* lib. 1. Georgic. *Tribulaque traheæque*. Ubi *Servius*: *Tribula genus vehiculi, quo teruntur in area fruges maturæ*. *Traheæque*. Epeathesis est *traheæ* pro *trahæ*, sicut navita pro nauta: Est vero *traha* genus vehiculi dictum a trahendo, nam non habet rotas. 3.° peragebatur, tritura plaustro rotis instructo. *Hieronymus* in *Esai.* XXV. *Sunt carpenta ferrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus, quæ stipulam conterunt, & comminuunt in palea*. Et in *Esai.* XXVIII. *Quæ* (plaustrorum rotæ) *in serrarum similitudinem ferreæ, circumaguntur, & trahuntur super demessas segetes*. Item: *Triticum de quo efficitur panis, rotis ferreis teritur, & omnis ejus stipula comminuitur in paleas*. Græca editio ad *Esai.* XXV. 10. sic habet. Καταπατηθήσεται ἡ Μωαβῖτις, ὃν τρόπον πατοῦσιν ἅλωνα ἐν ἁμάξαις. Et *Romana*. *Triturabitur Moab sub eo, sicut trituratur palea in plaustro*. Et *Esai.* XXVIII. 27. Οὐ δὲ τρόχος ἁμάξης περιάξει τὸ κύμινον. Et *Romana*: *& rota plaustri super cyminum non circuibit*. Et de pane vers. 28. *Neque vexabit eum rota plaustri*. Et *Esai.* XLI. 15. Ἐποίησά σε ὡς τρόχους ἁμάξης ἀλόν-

ἀλῶντας. Et *Vulgata*. *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans*. *Varro* l. c. appellat *ploſtellum pœnicum*. *Aut ex aſſibus dentatis cum articulis, quod vocant ploſtellum pœnicum: In eo quis ſedeat atque agitet, quæ trahant, jumenta, ut in Hiſpania citeriore; & aliis locis faciunt*. 4.° a bobus aut aliis jumentis triticum triturabatur; uti legitur *Eſai*. xxviii. 28. ופרשיו לא ידקנו: *Nec ungulis ſuis comminuet eum*. Huc pertinet illud *Jerem*. I. 11. *Pingues eritis* כעגלה דשה *ut vitula triturans*. Et *Oſe*. x. 11. ואפרים עגלה מלמדה אהבתי לדוש: *Et Ephraim vitula eſt, quæ aſſuevit, & amat triturare*. Et *Mich*. iv. 13. קומי ודושי בת ציון כי קרנך אשים ברזל ופרסתיך אשים נחושה והדקות עמים רבים: *Surge, tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos*. *Varro* l. c. *Apud alios exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod ungulis e ſpica exteruntur grana: Homerus* Iliad. x'

> Ὡς δ' ὅτε ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
> Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ
> Ῥίμφα τε λέπτ' ἐγένοντο ὑπὸ πόσσ' ἐριμύκων.
> *Ut cum boves mares latis frontibus jungit aliquis*
> *Ut in rotunda area album hordeum obterant,*
> *Et ſub mugientium boum pedibus grana ſtatim tenuia fiant.*

Vid. *Callimachum* hymno in Cererem, *Xenophontem* in Æconomico. *Columella* lib. II. cap. 21. melius equis quam bobus trituratas fuiſſe ſegetes teſtatur. *At ſi competit, ut in area teratur frumentum, nihil dubium eſt, quia equis melius quam bubus ea res conficiatur*.

Poſtquam triturata eſſent frumenta, ventilabantur. Singularis eſt textus *Eſaiæ* XLI. 15. 16. ubi deſcripta trituratione ventilatio ſtatim ſequitur: הנה שמתיך למורג חרוץ חדש בעל פיפיות תדוש הרים ותדק וגבעות כמץ תשים תזרם ורוח תשאם וסערה תפיץ אותם: *Ecce ponam te in tribulam novam inciſam variis inciſuris, ut montes tritures & comminuas, colleſque ponas in glumam; ventilabis eos, & ventus tollet eos, & turbo diſperget eos*. *Eſai*. iterum xxx. 24. ויאכלו אשר זרה ברחת ובמזרה *Et comedent quod ventilatum fuerit pala & ventilabro*. *Jerem*. iv. 11. לא לזרות ולא להבר: *Non ad ventilandum neque ad purgandum*. Ibid. xv. 7. ואזרם במזרה *Et ventilabo in ventilabro*. Ibid. LI. 2. ושלחתי זרים וזרוה: *Et miſi Babilonem ventilatores, & ventilabunt eam*. Iterum *Eſai*. xxx. 28. להנפה גוים בנפת *ad ventilandum gentes ventilabro*. *Ruth*. III. 3. הנה הוא זרה את גרן השערים: *Ecce ipſe ventilat aream hordeorum*: Ventilare Chaldaice דרי dicitur. *Eſai*. xxviii. 25. ומפרח ית דוקא: *& ventilabit paleam*. 2.° דרי. *Eſai*. xxx. 24. ודרי בריחתא ובמדירא: דרה דרא *Quod ventilatum eſt palea, & ventilabro*. 3.° נוף. 4.° בדר. *Ruth*. III. 2. הוא מבדר אידר סעורין: *Ipſe ventilat aream hordeorum*. Talmudice רקר. Schab. 73. הטוחן והמרקד *molens, & vannens*. *Gittin* cap. v. ומרקדת עמה: *Et vannuit cum ea*. הרקדה *vannatio, ventilatio*; 2.° מרח *Bava Bathra* 94. I. עד שלא מרחו *antequam ventilentur*. *Peah* c. I. פטור מן המע שרות עד שימרח: *Liber eſt a decimis donec ventilavit*. *Ventilabrum, vannus dicitur* מדירה. Hebraice מזרה. 2.° מניפה מנפה. *Bava Metzia* 86. I. בתי הניפי במניפיך *Filia mea ventilato mihi ventilabro tuo*. 3.° כונס *Bava Metzia* 105. I. 3.° עתר *pala furcilla* frumentaria, qua vertitur frumentum. Jevuomoth 64. I. למה נמשלה תפלתן של צדיקים בעתר מה עתר זו שמהפך התבואה ממקום למקום כך תפלת של צדיקים מהפכת מדותיו של הקבה ממדה רגוזה רחנות: *Quare aſſimilantur preces juſtorum palæ? Sicut pala invertit frumentum de loco in locum, ita pariter preces juſtorum vertunt proprietates Dei S.B. a proprietate iracundiæ ad proprietatem miſericordiæ*: Gluma, ſtipula ſeu palea ventilabro a frumento excutiebatur; Gluma, Hebraice מוץ dicitur, Chaldaice מוצא *Eſai*. xvii. 13. ורדף כמץ הרים לפני רוח *Et rapietur quaſi gluma montium a facie venti*. Ibid. xxix. 5. וכמץ. *Et ſicut gluma*. Et XLI. 15. *Et ſicut glumam ponet*. *Hoſ*. xiii. 3. כמץ יסער מגרן *ſicut gluma excuſſa a turbine*. Targum: כמוצא דנסבה רוח *Sicut ſtipula quam tollit ventus*. *Pſal*. I. 4. כי אם כמץ אשר תדפנו רוח: *Sed erunt ſicut gluma quam projicit ventus*. Et xxxv. 5. יהיו כמץ לפני רוח *Erunt ſicut gluma a facie venti*. *Job* xxi. 18. יהיו כתבן לפני רוח וכמץ גנבתו סופה: *Et erunt ſicut ſtipula a facie venti, & ſicut gluma quam diſpellit turbo*. Obſervandum eſt in *Job* & in *Pſalmis* מוץ & מץ in Targum legi מוז & מוזא. *Pſal*. I. 4. ומוזא ליטל טלנה עלעולא: *Et ſicut gluma quam diſpellit turbo*. Et *Pſal*. xxxv. 5. הלהן כמוזא: *Et ipſi ſicut gluma*. Similiter *Job* xxi. 18. Vocatur etiam גלגלא, גלגל. *Eſai*. xvii. 13. כגלגלא קדם עלעולא *Sicut ſtipula coram turbine*. Dan. iv. 36. עור appellatur. כעור מאדרי קיט *Sicut gluma ex area æſtiva*. Dicitur etiam Chaldaice דוק & דוקא. *Eſai*. xxviii. 28. מפריש

מפריש

מפריש עיבורא ומפרח ית דוקא: *Separat frumentum, & avolare facit paleam*. Ibid. XL. 15. הא נגיתא כרוקא דפרח *Ecce insulæ sicut palea quæ avolat*. Talmudice נישובת appellatur. *Bava Batra* 94. 1. המקבל עליו רובע נישובת: *Sumpsit in se quartam partem glumæ*. *Varro* lib. cap. 52. *Quod ungulis e spica exteruntur grana in tritis, oportet e terra subjactari vallis aut ventilabris, cum ventus spirat levis: ita fit, ut quod levissimum est in eo, atque appellatur acus, evannetur foras extra aream, ac frumentum quod est ponderosum, purum veniat ad corbem*. *Nonius* in hunc locum *Varronis*. *Evannetur, dictum est ventiletur, vel moveatur, a vanno, in quo legumina ventilantur*. *Columella* lib. 11. cap. 21. *At ubi paleis immista sunt frumenta, vanno separentur: ad eam rem Favonius habetur eximius, qui levis æqualisque æstivis mensibus perflat: quem tamen apperiri lenti est agricolæ; quia dum expectatur; sæva nos hyemæ deprehendit. Itaque in area detrita frumenta sic sunt aggeranda, ut omni flatu possint excerni. At si compluribus diebus undique silebit aura, vannis expurgentur, ne post nimiam ventorum segnitiem vasta tempestas irritum faciat totius anni leborem*. Idem lib. 11. cap. 10. ubi de leguminibus. *Nam semina excussa in area jacebunt, superque ea paullatim eodem modo reliqui fasciculi excutientur: Ac durissimæ quidam acus resectæ, separatæque erunt a cudentibus: minimæ vero, quæ de siliquis cum faba resederunt, aliter secernentur. Nam cum acervus paleis granisque mistus in unum fuerit conjectus, paullatim ex eo ventilabris per longius spatium jactatur: quo facto palea, quæ levior est, citra decidet: fabaque longius emittetur, pura eo perveniet, quo ventilator eam jaculabitur*. *Virgilius* Georgic. lib. 1.

—— *& mystica vannus Jacchi*.

Ubi *Servius*. *Et mystica vannus Jacchi*. Id est cribrum areale. Legimus autem, & *vallus* secundum *Varronem*; quod id nihilominus significat; *mystica* autem *Jacchi* ideo dicit, quod apud antiquos Liberi patris, quem nunc *Jacchum* vocat, sacra ad purgationem animæ pertinebant, & sic homines ejus mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. Hinc est quod dicitur Osiridis membra a Typhone dilaniata messis cribro superposuisse; nam idem est Liber pater, in cujus mysteriis vannus est, quia ut diximus, animas purgat. *Vannum* Græci vocant λίκνον, instrumentum ad cuncta fere sacrificia idoneum, ut veteres Grammatici tradunt; unde qui illud gerebat in sacris, λικνόφορος vocabatur. Christus merito ventilator dicitur. *Matth.* III. 12. quod ventilabro separabit triticum i. e. justos, & paleas i. e. impios comburet. *Cujus ventilabrum in manu sua, & peremundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Et *Luc.* III. 17. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*.

Postremo post ventilationem cribrabratur triticum. Cribrare *Talmudice* 1.° dicitur חשר. *Beresch.* Rabba fol. 16. 1. וחשרין אותן כמין כברה: *Et (nubes) cribrant eas, tanquam cribrum*. 2.° כבר *Beresch. Rabba* sect. 4. כובר חטין בנברה *cribrat triticum in cribro*. *R. Salomon* ad *Jud.* VI. 11. אביו היה חובטן והוא כוברן *Pater ejus excutiebat* (sc. tritica) *& ipse cribrabrat ea*. 3.° כרבל. Hinc citat *Baal-Aruch* ex *Jelammadenu* והבכורה בירו והיה מודד עפר ומכרבל: *Et cribrum in manu ejus, & metiebatur pulverem, & cribrabat*. 4.° רבל *Bava Metzia* fol. 26. 2. דהיית ארבלא וקא מרבל: *Quod adduceret cribrum & cribraret*. *Cholin*. 59. 1. מרביל הוא דרביל ליה: *cribratum est, nam cribravit eam*. *Peah.* cap. 7. סאה ארבלית *Seah critici cribrati*. ארבלא *cribrum*; pro eo in Targum legitur ערבלא *Amos* IX. 9. 5.° קנון cribri genus, quo expurgantur legumine. *Betza* cap. 1. הבורר קטנית ביום טוב וגו' בורר כדרכו בחיקו בקנון ובתמחוי: *Purificans legumen in die festo &c. purificat more suo in sinu suo, infundibulo vel scutella*. *Colum.* l. 11. c. 21. *Pura deinde frumenta si in anno reconduntur, repurgari debent; nam quanto sunt expolitiora, minus a curculionibus exeduntur*.

Manipulus demessus afferebatur in atrium, ut ejus spicæ igni torrerentur Misna *Menachoth* cap. 6. הביאוהו לעזרה והיו מהבהבין אותו באור כדי לקיים בו מצות קלי דברי ר' מאיר וחכמים אומרים בקנים ובקלבוס חובטין אותו כדי שלא יתמעך נתנוהו לאבוב ואבוב היה מנוקב כדי שיהא האור שליט בכולהו שטחוהו בעזרה והרוח נשבת בו נתנוהו לריחים של גרוסת והוציאו ממנו עשרון שהוא מנופה בשלש עשרה נפה: Et adducebant in atrium & torrebant ipsum ad ignem, ut in eo observaretur præceptum tosti. Verba R. Meir; & sapientes dicunt. Cannis & baculis eum percutiebant, ut comminueretur. Immittebant in sartaginem; & sartago erat perforata, ut undique invaderet ignis. Expandebant in atrio, & ventus ipsum perflabat; immittebant in molas fabarias, & ex eo educebant decimam, quæ cribrabatur tre-

de-

decim cribris. Ubi *Gemara Babylonica* תנו רבנן אביב זה אביב קלוי באש מלמד שהיו ישראל מהבהבין אותו באש כדי לקיים בו מצות קלי דברי ר׳ מאיר וחכמים אומרים אין אור לשון קלי אלא דבר אחר הא כיצד וכו׳ אין לשון קלי הא כיצד אלא דבר אחר קליל הא כיצד אביב של קליות היה שם והיה מנוקב ככברה כדי שתהא האור שולטת בכולו אביב קלוי כשהוא אומר באש הפסיק הענין כרמל רך ומל וכן הוא אומר ואיש בא מבעל שלישה ויבא לאיש האלהים לחם ביכורים ועשרים לחם שעורים וכרמל בצקלונו ויאמר תן לעם ויאכלו בא ויצק לנו ואכלנו ונאוה היה: Tradiderunt ſapientes. אביב: Hæc eſt ſpica toſta igne. Docet quod Iſraelitæ torrerent igne, ut obſervaretur præceptum toſti; verba R. Meir; & ſapientes dicunt: Non eſt ignis ex phraſi toſti, ſed res alia. Quomodo? &c. Non eſt ex phraſi toſti, ſed res alia: Quomodo? Sartago ad torrendum ibi erat, & erat perforata inſtar cribri, ut undique invaderet ignis. *Spica toſta igne*. Ignoratur utrum ſit ſpica toſta igne, an ſartago toſta igne. Quando vero dicitur: *igne*; definit ſubjectum. כרמל ſpica tenera & friabilis: & ſic dictum eſt. *Et vir venit de Baal-Saliſa deferens viro Dei panem primitiarum, viginti panes hordeaceos, ſpicam recentem in pera ſua: Et dixit: Da populo ut comedat: Venit & poſuit coram eis, & comederunt, & fuit bonum.* *Siphra* 8. 1. אביב קלוי באש גרש כרמל מלמד שמהבהבין אותו באור כדי לקיים בו מצות קלוי דברי ר׳ מאיר וחכמים אומרים אין לשון קלוי אלא לשון אבוב של קלאים היה שם ומנוקב כמין נפה כדי שיהא האור שולט בכולו אביב אלו נאמר אביב קלוי גרש הדבר שקיל אפשר באש הפסיק הענין ויקלנו אביב כרמל רך מל וכן הוא אומר ואיש בא מבעל שלישה ויבא לאיש האלהיש לחם בכורים עשרים לחם שעורים וכרמל באקלונו באקלונו בא ויצק לנו ואכלנו ונאוה היה: *Spicam toſtam igne, contuſam, teneram*. Docemur quod igne torreretur, ad obſervandum præceptum, quod dictum eſt: *Spicam toſtam*. Verba R. Meir: & Sapientes dicunt: Hæc vox קלוי non deſignat niſi vas torrentium, quod ibi erat, & erat perforatum inſtar cribri, ut undequaque ignis dominaretur. אביב *ſpicam*, ſi dixiſſet ſpicam toſtam, contuſam; res eſſet dubia, credi poterat, quod tenera torreretur. Quando vero dicit: *ſpicam toſtam igne, contuſam*: Idcirco dictum eſt; *igne*: Definit ſubjectum; ut ſpica torreretur. כרמל ſc. ſpica tenera; & ſimiliter dictum eſt 2. *Reg.* IV. 42. *Vir autem venit de Baal-ſaliſa, deferens viro Dei panem primitiarum, viginti panes hordeaceos, ſpicam recentem in pera ſua. Et dixit: Da populu ut comedat: Venit & poſuit coram eis, & comederunt, & fuit bonum.*

Poſt oblatum manipulum permiſſæ erant novæ fruges. Miſna *Menachoth* cap. 6. משקרב העומר מותר חרש מיד הרחוקין מותרין מחצית היום ולהלן משחרב בית המקדש התקין רבן יוחנן בן צכאי שיהא יום הנף כולו אסור א״ר יהודה והלא מן התורה הוא אסור שנ׳ עד עצם היום הזה מפני מה הרחוקין מותרין מחצית ולהלן מפנו שהן יודעין שאין בית דין אין מתעצלין בו: Poſtquam fuerat oblatus manipulus, permiſſus erat proventus novus ſtatim. Remotioribus permiſſus erat a meridie & ulterius. Poſt excidium domus Sanctuarii conſtituit Raban Jochanan ben Zachai, ut totus dies ventilationis eſſet interdictus. Dicit R. Jehuda: Atqui ex lege erat interdictus: Dictum eſt enim: *uſque ad ipſum diem iſtum*: Cur remotioribus permiſſus erat a meridie & ulterius? Quia norant, quod Synhedrium non eſſet negligens. Ubi *Gemara Babylonica* רב ושמואל תרויהו אמרין בזמן שבית המקדש קיים עומר מתיר בזמן שאין בית המקדש קיים האיר מזרח מתיר מ״ט תרי קראי כתיבי כתב עד יום הביאכם וכתב עד עצם היום הזה הא כיצד בזמן שבית המקדש קיים כאן בזמן שאין בית מקדש קיים ר׳ יוחין וריש לקמש אור מזרח מתיר ואה כתב עד הביאכם למצות משקרב העומר הותר חרש מיד למצוה ועומר היה מתיר במרינה ושתי הלחם במקדש למצוה: Rab & Samuel ambo dicunt: Stante domo ſanctuarii manipulus permittebat. Poſt excidium domus ſanctuarii, lux orientis permittit. Qua de cauſa? Duo textus ſcripti ſunt: Alter dicit: *Uſque ad diem adductionis veſtræ*. Et alter dicit: *Uſque ad ipſum diem iſtum*. Quomodo? Hic agitur quando ſtabat domus ſanctuarii, & ibi poſt excidium domus ſanctuarii. R. Jochanan, & Riſch Lakiſch ambo dicunt. Vel ſtante domo ſanctuarii lux orientis permittebat: & ſcriptum eſt: *Uſque ad adductionem veſtram*. Ad præceptum. Poſtquam erat oblatus manipulus, permiſſus erat proventus novus ſtatim juxta præceptum: Manipulus permittebat in provincia, & duo panes in ſanctuario juxta præceptum. *Siphra* 50. 4. עד הביאכם את קרבן אלהיכם זה העומר יכול זה הכבש צא וראה מה אמור למטן משם הבאה עומר אף כאן עומר משקוב העומר מוצאין שוקי ירושלים מלא קמח קלי שלא כרצון חכמים דברי ר׳ מאיר ר׳ יהודה אומר כרצון חכמים היו עושין משקרב העומר מותר החדש מיד והרחוקים מותרים מחצות היום ואילך ולהלן משחרב בית המקדש התקין רבן יוחנן בן זכאי שיהא יום הנף כולו אסור א״ר יהודה והלא מן התורה הוה אסור שנ עד עצם היום הזה

מפני

מפני מה הרחוקים מותרים מחצות היום ולהלן מפני שהם יורעין שאין בית דין ממעצלים בו: *Donec adducatis oblationem Deo veſtro*: Hic eſt manipulus: Crederem eſſe agnum? Egredere & vide, quid infra dictum ſit: *Poſtquam adduxeritis manipulum*: Ita pariter hoc loco agitur de manipulo: Poſt oblatum manipulum, inveniebant plateas Hieruſalem plenas farina toſta; quod erat contra voluntatem ſapientum: Verba R. Meir. R. Jehuda dicit: Erat juxta voluntatem ſapientum faciebant: Poſt oblatum manipulum permiſſus ſtatim erat proventus novus: & remotioribus permiſſus erat a meridie & ulterius: Poſt excidium domus ſanctuarii conſtituit Raban Jochanan ben Zachai, ut totus dies ventilationis eſſet interdictus. Dicit R. Jehuda: Atqui ex lege erat interdictus: Dictum eſt enim: *Uſque ad ipſum diem iſtum*. Qua de cauſa remotioribus permiſſus erat a meridie & ulterius? Quia norant, quod in eo Synhedrium non eſſet negligens.

Poſt oblatum manipulum plateæ Hieruſalem erant plenæ farina toſta. Miſna *Menachoth* loc. cit. משקרב העומר יוצאין ומצאין שוק ירושלם שהוא מלא קמח קלי שלא כרצון הכמים דברי ר׳ מאיר ר׳ יהודה אומר כרצון חכמים היו עושין: Poſtquam erat oblatus manipulus, egredientes inveniebant plateam Hieroſolymæ plenam farina toſta; at hoc non erat juxta voluntatem ſapientum: Verba R. Meir; R. Jehuda dicit: Juxta ſententiam ſapientum faciebant. Toſaphta *Menachoth* cap. x. משקרב העומר יוצאין ומוצאין שוק ירושלם שמלא קמח וקלי שלא כרצון חכמים דברי ר׳ מאיר והכמים אומרים כרצון חכמים הן עושין משקרב העומר מותר החרש מיד הרחוקים מותרים מחצות היום ולחלן משחרב הבית התקין רבן יוחנן בן זכאי שיהא יום הנף כולו אכור אמר ר׳ יהודה והלא מן התורה הוא אסור שנ׳ עד עצם היום הזה מפני מה הרחוקים מותרין מחצות היום ולהלן מפני שיורעין שאין בית רין מתעצלים בו חעומר היה מותר במרינה ושתי הלחם במקרש: Poſt oblatum manipulum egredientes inveniebant plateas Hieruſalem plenam farina & toſto, quod erat contra voluntatem ſapientum; verba R. Meir: Et ſapientes dicunt. Juxta voluntatem ſapientum faciebant: Poſt oblatum manipulum ſtatim erat permiſſus proventus novus. Remotioribus permittebatur a meridie & ulterius. Poſt excidium domus conſtituit Raban Jochanan ben Zachai, ut totus dies ventilationis eſſet interdictus. Dicit R. Jehuda: Atqui ex lege erit interdictus. Dictum eſt enim: *Uſque ad ipſum diem iſtum*. Cur remotis permittebatur a meridie & ulterius? Quia norant, quod in hoc non eſſet negligens Synhedrium. Manipulus permittebat in provincia, & duo panes in ſanctuario.

XXVI. Die quinquageſimo a demeſſo manipulo hordeaceo, offerebantur in Templo duo panes triticei ex novis frugibus. *Levit.* XXIII. 15. וספרתם לכם ממחרת השבת מיום הביאכם את עומר התנופה שבע שבתות תמימות תהיינה עד ממחרת השבת השביעה תספרו חמשים יום והקרבתם מנחה חדשה ליהוה וגו׳: *Numerabitis autem vobis ab altero die Sabbathi, a die quo obtuleritis manipulum ventilationis, ſeptem hebdomadæ erunt perfectæ: Uſque ad alterum diem ſeptimanæ ſeptimæ numerabitis quinquaginta dies, & offeretis munus novum Domino &c.* Ubi *Siphra* fol. 50. וספרתם לכם כל אחד ואחד ממחרת השבת ממחרה יום טוב יכיל ממחרת שבת בראשית אמר רבי יוסי ברבי יהודה כשהוא אומר עד ממחרת השבת השביעית תספרו חמשים יום כל ספורחם לא יהיה אלא חמשים יום אם אומר את ממחרת שבת בראשית פעמים שאתה מונה חמשים ואחד חמשים ושתים חמשים ושלש חמשים וארבעה חמשים וחמשה חמשים וששה הא מה אני מקיים ממחרת השבת ממחרת יום טוב רבי יהודה בן בתירה אומר ממחרת השבת ממחרת יום טוב יכול ממחרת שבת בראשית כשהוא אומר שבעה שבועות תספור לך ספירה שהיא תלווה בבית דין יצאה שבת בראשית שאינה תלויה בבית דין שספירתה בכל אדם רבי יוסי אומר ממחרת השבת ממחרת יום טוב יכול ממחרת בראשית וכי נאמר ממחרת שבת בפסח והלא כל השנה מלאה שבחות צא וחשוב מאי זו שבת נאמר כאן ממחרת שבת ונאמר למטה ממחרת שבת מה מחרת שבת האמור למטן רגל ותחלת רגל אף ממחרת שבת אמור כאן רגל ותחלת רגל הא מה אני מקיים ממחרת השבת ממחרת יום טוב מיום הביאכם תספרו יכול יקצור ויביא וספור אימתי שירצה תלמוד לומר מהחל חרמש בקמה תחל לספור יכול יקצור ויספור ויביא אימתי שירצה תלמוד לומר מיום הביאכם תספרו יכול יקצר ביום ויספור ביום ויביא ביום תלמוד לומר שבע שבתות תמימות תהיינה אימתי הם תמימות בזמן שמתחיל בערב יכול יקצור בלילה ויספור בלילה ויביא בלילה תלמוו לומר מיום הביאכם אין הבאה אלא ביום הא כיצר קצירה וספירה בלילה והבאה ביום עד ממחרת השבת שביעית תספרו חמשים יום זו היא שאמר רבי יוסי ברבי יהודה כל ספירתך לא תהיה אלא חמשים יום תספרו חמשים יום יכול יספור חמשים ויקרש חמשים ואחד תלמוד לומר שבע שבתות תמימות תהיינה אי שבע שבתות תמימות תהיינה יכול יספור ארבעים ושמנה ויקרש יום ארבעים ותשעה תלמוד לומר תספרו חמשים יום הא כיצר מוה ארבעים ותשעה וקרש יום חמשים כיובל והקרבתם מנחה חדשה ליהיה חרשה לכל המנחות אין לי אלא מנחת חטים

מנחת

מנחת שעורים מנין כשהוא אומר וביום הביכורים בהקריבכם מנחה חדשה ליהוה ממשבותיכם אם אינו ענין למנחת חטים תנהו ענין למנחת שעורים : *Et numerabitis vobis ſinguli*. *Ab altero die Sabbathi*. Ab altero die feſti *Paſchatis*. Aut dicendum ab altero die Sabbathi creationis? Dicit R. Joſe bar R. Jehuda. Quando dicitur: *Uſque ad alterum diem ſeptimanæ ſeptimæ numerabitis quinquaginta dies*: Omnis earum numerus non erit niſi quinquaginta dierum. Si dicas ab altero die Sabbathi creationis, aliquando numerabis unum & quinquaginta, duos & quinquaginta, tres & quinquaginta, quatuor & quinquaginta, quinque & quinquaginta, ſex & quinquaginta; quomodo ergo explicabo *ab altero die Sabbathi*? Ab altero die feſti *Paſchatis*. R. Jehuda ben Bethera dicit. *Ab altero die Sabbathi*. Ab altero die feſti *Paſchatis*. Crederem ab altero die Sabbathi creationis. Quando vero dicitur. *Septem hebdomadas numerabis tibi*. Numeratione, quæ dependeat a Synhedrio; excluditur Sabbathum creationis, quod non dependet a Synhedrio, quod ejus enumeratio a quovis homine fieri poteſt. R. Joſe dicit: *Ab altero die Sabbathi*. Ab altero die feſti *Paſchatis*. Crederem ab altero die Sabbathi creationis? Num dictum eſt ab altero die in Paſchate? Atqui dictum eſt, *Ab altero die Sabbathi*. Atqui univerſus annus plenus eſt Sabbathis; Egredere & computa, quodnam ſit hoc Sabbathum: Dictum eſt hic: *Ab altero die Sabbathi*. Et dictum eſt inferius: *Ab altero die Sabbathi*. Sicut *ab altero die Sabbatho*, de quo inferius dicitur, eſt feſtum, & principium feſti; ita pariter *ab altero die Sabbathi*; de quo hoc loco agitur, erit feſtum & principium feſti &c. *A die quo obtuleritis numerabitis*. Crederem quod meteret, adduceret, & numeraret quando vellet? Idcirco dictum eſt: *Ab immiſſione falcis in ſegetem incipies numerare*. Crederem quod meteret, & numeraret, & adduceret quando vellet? Idcirco dictum eſt. *A die quo obtuleritis, numerabitis*. Crederem quod meteret interdiu, & interdiu numeraret, & interdiu adduceret? Idcirco dictum eſt. *Septem ſeptimanæ perfectæ erunt*. Quando erunt perfectæ? Quando inceperit in veſpera. Crederem, quod meteret noctu, & noctu numeraret, & noctu adduceret. Idcirco dictum eſt. *A die quo obtuleritis*: Adductio non erat niſi interdiu. Quomodo erit? Meſſio, & numeratio erit noctu, & interdiu adductio. *Uſque ad alterum diem ſeptimanæ ſeptimæ numerabitis quinquaginta dies*. Hoc eſt quod dicebat R. Joſe bar R. Jehuda: Tota tua numeratio non erit niſi quinquaginta dierum. *Numerabitis quinquaginta dies*. Crederem quod numeraret quinquaginta dies, & quinquageſimum primum ſanctificaret? Idcirco dictum eſt. *Septem hebdomadæ perfectæ erunt*: Si ſeptem hebdomadæ perfectæ erant, crederem, quod numeraret octo & quadraginta dies, & nonum & quadrageſimum ſanctificaret? Idcirco dictum eſt: *Numerabitis quinquaginta dies*. Quomodo? Numerabit novem & quadraginta dies, & quinquageſimum diem ſanctificabit ſicut in Jubilæo. *Et offertis munus novum Domino*. Ut ſit novum omnibus muneribus. Non probo niſi de munere triticeo, de munere hordeaceo unde probatur? Quando vero dicitur: *Et in die primitivorum, quando offeretis munus novum Domino ex habitaculis veſtris*: Si non poterit explicari de munere triticeo, explicetur de munere hordeaceo.

CAPUT SEXTUM.

De Vinetis.

I. *Palæstina vineis suis celeberrima.* II. *Vineæ collinæ, & montanæ.* III. *Duplex serendarum vitium ratio: Vitis novella pastinata, pampinata, ablaqueata, putata, pedata, alligata.* IV. *Vitis arbustiva, & pedestris.* V. *De ridicis, arundinetis, salictis &c.* VI. *Pergula.* VII. *Vineæ calvitium, & præcinctus.* VIII. *Quænam sit vinea juxta Hebræorum disciplinam.* IX. *Putatio. Falx putatoria.* X. *Vitæ disraratæ, abnodatæ, frondatæ, stercoratæ, cinere perfusæ, pulveratæ, perfossæ.* XI. *Uvarum species.* XII. *Vindemia. Vindemia summa lætitia celebrata.* XIII. *Lex de non racemanda vinea, & de acinilegio.* XIV. *Torcularia, ceteraque vasa vinaria.* XV. *Calcatio.* XVI. *Vinorum species.*

I. PAlæstinam vineis suis, & vini ubertate fuisse celebrem testatur palmes & botrus uvæ, quem inde absciderunt exploratores. *Num.* XIII. 24. ויבאו עד נחל אשכל ויכרתו משם זמורה ואשכול ענבים אחד וישאהו במוט בשנים: *Pervenerunt itaque usque ad torrentem Eshebol, & absciderunt inde palmitem & botrum uvarum unum, & portaverunt illum vectabulo inter duos.* Præterea ejus nummi plerumque botro & palmite insigniti sunt, ad demonstrandam vinearum ubertatem. Vocatur Palæstina 2. *Reg.* XVIII. 32. & *Esai.* XXXVI. 17. ארץ לחם וכרמים *terra panis, & vinearum.* In ejus felicitate & calamitate vineæ in primis recensentur. *Esai.* LXV. 21. ונטעו הכרמים ואכלו פרים: *Plantabunt vineas & comedent fructus.* Idem LXI. 5. ובני נכר אכריכם וכרמיכם *Et filii peregrinorum agricolæ & vinitores vestri erunt.* *Ose.* II. 15. ונתתי לה כרמיה משם ואת עמק עכור לפתח תקיה וענתה שמה כימי נעוליה וכיום עלותה מארץ מצרים: *Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem, & canet ibi, juxta dies juventutis suæ, & juxta diem ascensionis ejus de terra Ægypti.* *Esai.* XVI. 10. ונאסף שמחה וגיל מן הכרמל ובכרמים לא ירנן לא ירעע יין ביקבים לא ידרך הדרך הידרך השבתי: *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque jubilabit, vinum in torcularibus non calcabit qui calcare consueverunt; vocem calcantium abstuli.* *Joel.* I. 11. הבישו אכרים הילילו כרמים על חטה ועל שערה כי אבד קציר שדה הגפן הובישה: *Contristati sunt agricolæ, ululaverunt vinitores, super tritico, & hordeo, quia periit messis agri, vitis exaruit.* *Amos* IV. 9. הכיתי אתכם בשדפון ובירקון הרבות גנותיכם וכרמיכם ותאניכם וזיתיכם יאכל הגזם: *Et percussi vos in vento urente & in aurugine multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum, & olivetorum vestrorum comedet eruca.* *Idem* V. 11. כרמי חמד נטעתם ולא תשתו את יינם: *Vineas amantissimas plantabitis, & non bibetis vinum earum.* *Ibid.* vers. 17. ובכל כרמים מספד כי אעבר בקרבך אמר יהוה: *Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui; dicit Dominus.* *Sophon.* I. 13. ונטעו כרמים ולא ישתו את יינם: *Plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.* Præter hæc Israel, sc. Palæstina plerumque vineæ, & viti assimilata est. *Psalm.* LXXX. 9. 17. גפן ממצרים תסיע תגרש גוים ותטעה פנית לפניה ותשרש שרשיה ותמלא ארץ כסו הרים צלה וענפיה ארזי אל תשלח קצירה עד ים ואל נהר יונקותיה למה פרצת גדריה וארוה כל עברי דרך יכרסמנה חזיר מיער וזיז שדי ירענה אלהים צבאות שוב נא הבט משמים וראה ופקד גפן זאת: *Vitem de Ægypto transtulisti, ejecesti gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti, in conspectu ejus, plantasti radices ejus, & implevit terram. Operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus: Ut quid detraxisti maceriem ejus, & vindemiant eam omnes, qui pertranseunt per viam? Exterminavit eam aper de sylva, & volucer agri depastus est eam. Deus exercituum convertere, respice de cœlo, & vide, & visita vitem istam.* *Esai.* V. 1. 6. אשירה נא לידידי שירת דודי לכרמו כרם היה לידידי בקרן בן שמן ויעזקהו ויסקלהו ויטעהו שרק ויבן מגדל בתוכו וגם יקב חצב בו ויקו לעשות ענבים ויעש באשים ועתה יושב ירושלם ואיש יהודה

יהורה שפטו נא ביני ובין כרמי מה לעשות
עוד לכרמי ולא עשיתי בו מדוע קויתי לעשות
ענבים ויעש באשים ועתה אוריעה נא אתכם
את אשר אני עשה לכרמי הסר משוכתו
והיה לבער פרץ גדרו והיה למרמס ואשיתהו
בתה לא יזמר ולא יעדר ועלה שמיר ושית
ועל העבים אצוה מה מטיר עליו מטר: *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ meæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filii olei: Et sepivit eam, & elapidavit eam, & sevit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, atque etiam torcular exsculpsit in ea; & speravit ut faceret uvas, & fecit labruscas. Nunc ergo habitatores Hierusalem & filii Jehuda judicate inter me & vineam meam: Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci? An quod speravi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid faciam vineæ meæ; auferam sepem ejus, & erit in direptionem, diruam maceriem ejus & erit in conculcationem: & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & adscendant vepres & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem* *Jerem.* XII. 6. רעים רבים שחתו כרמי בססו את
חלקתי נתנו את חלקת חמרתי למדבר שממה
שמה לשממה אבלה עלי שממה נשמה כל
הארץ כי אין איש שם על לב: *Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam dissipationem, luxitque super me, desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* *Ezech.* XVII. 3. 11. הנשר הגדול גדול
הכנפים ארך האבר מלא הנוצה אשר לו
הרקמה בא אל הלבנון ויקח את צמרת הארז
את ראש יניקותיו קטף ויביאו אל ארץ כנען
בעיר רכלים שמו ויקח מזרע הארץ ויתנהו
בשדה זרע קח על מים רבים צפצפה
שמו ויצמח ויהי לגפן סרחת שפלת
קומה לפנות דליותיו אליו ושרשיו תחתיו
יהיו ותהי לגפן ותעש בדים ותשלח פארות
ויהי נשר אחד גדול גדול כנפים ורב
נוצה והנה הגפן הזאת כפנה שרשיה עליו
ודליותיו שלחה לו להשקות אותה מערגות
מטעה אל שדה טוב אל מים רבים היא
שתולה לעשות ענף ולשאת פרי להיות לגפן
אדרת אמר כה אמר אדני יהוה תצלח הלוא
את שרשיה ינתק ואת פריה יקוסס ויבש כל
טרפי צמחה תיבש ולא בזרוע גדולה ובעם רב
למשאות אותה משרשיה והנה שתולה התצלח
הלא כגעת בה רוח הקדים תיבש יבש על
ערגת צמחה תיבש: *Aquila grandis magnarum alarum; longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, summitatem frondium ejus avulsit, & transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam, & tulit de semine terræ, & posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas in superficie posuit illud, cumque germinasset crevit in vineam latiorem humili statura respicientibus ramis ejus in eam, & radices ejus sub illa erant; facta est ergo vitis, & fructificavit in palmites, & emisit propagines. Et facta est aquila altera grandis magnis alis multisque plumis, & ecce vitis ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui. In terra bona super aquas multas plantata est, ac faciat frondes, & portet fructum, ut sit in vitem grandem. Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergone prosperabitur? Nonne radices ejus evellet, & fructus ejus distringet, & siccabit omnes palmites germinis ejus, & arescet, & non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus? Ecce plantata est: Ergone prosperabitur? Nonne cum tetigerit eam ventus urens siccabitur, & in areis germinis sui arescet.* Idem XIX. 10.
אמך כגפן בדמך על מים שתולה פריה וענפה
היתה ממים רבים ויהיו לה מטות עז אל
שבטי משלים ותגבה קומתו על בין עבתים
וירא בגבהו ברב דליתיו ותתש בחמה לארץ
השלכה ורוח הקדים הוביש פריה התפרקו
ויבשו מטה עזה אש אכלתהו ועתה שתולה
במדבר בארץ ציה וצמה ותצא אש ממטה
בדיה פריה אכלה ולא היה בה מטה עז שבט
למשול קינה היא ותהי לקינה: *Mater tua quasi vitis in sanguine tuo, super aquam plantata est, fructus ejus, & frondes ejus creverunt ex aquis multis, & factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura ejus inter frondes, & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum; & evulsa est in ira, & in terram projecta, & ventus urens siccavit fructum ejus; marcuerunt & arefactæ sunt virgæ roboris ejus; ignis comedit eam, & nunc transplantata est in desertum, in terra invia & sitiente; & egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit, & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium; planctus est, & erit plauctus.* Postremo inter opes Israelitarum vineæ inprimis recensebantur. 1. *Paralipom.* XXVII. 28. ubi de opibus David ועל אכרים שמעי הרמתי ועל
כרמים לאצרות היין זבדי השפמי: *Vinitoribus* præerat *Semejas Ramathites, cellis autem vinariis Zabadia Aphonites*. Et 2. *Paral.* XXVI. 10. ubi de Oziæ regis opibus אכרים וכרמים בהרים ובכרמל *Agricolas, & vinitores* habuit *in montibus, & in Carmelo*.

II. Vineæ collinæ & montanæ. 2. *Paral.* XXVI. 10. וכרמים בהרים ובכמל: *Et vinitores in montibus & in Carmelo*. *Jerem.* XXXI. 5. עוד תטעי כרמים בהרי שמרון

Præterea plantabis vineas in montibus Samariæ &c. Esai. XVI. 10. ונאסף שמחה וגיל מן הכרמל ובכרמים לא ירנן לא ירעע יין ביקבים לא ידרך הדרך ידרך השבתי: *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit, neque jubilabit, vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat, vocem calcantium abstuli. Jonathan*. Genes. XLIX. 12. וסמקין טורוי ומעצרתיה מן חמרה: *Et propterea rubebunt montes ejus, & turcularia ejus præ vino*: Targum Hierosolimitanum ibid. יסמקון טורוי מן גופני ומעצרתי מן חמריה: *Rubicundi sunt montes ejus vineis, & torcularia ex vino ejus. Varro* lib. I. cap. 6. *Propter hæc tria fastigia formæ, discrimina quædam fiunt sationum, quod segetes meliores existimantur esse campestres, vineæ collinæ. Columella*. lib. III. cap. I. *At si vero est eligendus vineis locus, & status cœli, sicut censet verissime Celsus, optimum est solum, nec densum nimis, nec resolutum; soluto tamen propius, nec exile, nec lætissimum; proximum tamen uberi, nec campestre nec præceps, simile tamen edito campo*: Et cap. 3. *Fere autem omni statu locorum campestria largius vinum, sed jucundius afferunt collina*. Et lib. III. cap. II. *Hyginus quidem secutus Tremellium, præcipue montium ima; quæ a verticibus defluentem humum receperint, vel etiam valles, quæ fluminum alluvio, & inundationibus concreverint, aptas esse vineis asseverat, me non dissentiente. Palladius* lib. II. cap. 13. *Sed solum vineis ponendis nec spissum sit nimis, nec resolutum, propius tamen resoluto, nec exile, nec lætissimum, tamen læto proximum, nec campestre, nec præceps, sed potius edito campo*. Hinc *Virgilius* Georgic.

Bacchus amat colles ——

III. Vitis inserabatur. *Esai.* V. 2. ויעזקהו ויסקלהו ויטעהו: *Et sepivi eam, & elapidavi eam, & inserui eam*. De septis, & elapidatis vineis superiori capite actum est. Duplici ratione apud Hebræos inserebatur vitis. I.° Defossa vite, unde propagines exorirentur. *Celaim* cap. VII. המבריך את הגפן בארץ אם אין עפר על גבה שליש טפחים לא יביא זרע עליה אפילו הבריכה בסלע או בסילון הבריכה בסלע אעפ שאין עפר על גבה אלא שלש אצבעות מותר להביא זרע עליה וארכובה שבגפן אין מודדין לה אלא מן העקר השני: Is qui vitem in terra stratam propagaverit, nisi terra adobruatur in altitudinem palmorum trium, semen non superinducet, ne quidem si cucurbita, vel tubulo trajecta deprimatur. In petra utcunque non supra existat terra plusquam trium digitorum, semen superinducere licet. Quod ad mergi curvaturam in vite spectat, emensuatio non instituitur aliunde, quam a radice secunda. *Columella* lib. V. cap. 6. *Nonnunquam etiam cum arborem totam vitis comprehendere nequit, ex usu fuit partem aliquam ejus deflexam terræ immergere, & rursus ad eandem arborem duas vel tres propagines excitare, quo pluribus vitibus circumventa celerius vestiatur*. 2.° palmitibus in scrobem depactis. Ibid. cap. V. גפן שהי' בגת או בנקע נותנין לה עבודת' וזורע את המותר: Viti (i. e. palmiti) in lacum vel in scrobem depactæ, assignato cultu suo, reliquum obseritur. *Iterum ibid.* המבריך שלשה גפנים ועקריהם נראי' ר' אליעזר בר צדוק אומר אם יש ביניהם מארבע אמות ועד שמונה הרי אלו מצטרפות ואם לאו אינו מצטרפות: Siquis mergos deprimat a tribus vitibus ita ut radices conspicuæ sint, R. Eliefer bar Sadoch, dummodo intersit, a quaternis ad octenos cubitos, conflari putat, si minus, non conflari. Ubi *Bartenora*. המבריך ג' נפנים: *Qui propagaverit tres vites*. Modus propagationis hic est, nimirum quando duo egressi fuerint surculi ex mica vite, tum effodit in terram, & demittit surculos in fundum illius foveæ, & educit caput ejus ab alio latere, & ita fit vitis, atque ut tres fiant sex vites; & eodem modo dicere poterit, qui absconderit duas vites ex tribus, quæ eo modo fiunt in vineam, quatenus duæ sunt e regione duarum, & una exiens in caudam. ועקריהן נראים *& radices earum conspicuæ fuerint*; ut tota vitis non fuerit tecta in solo, quia tres vites non faciunt sex, nisi relinquat radicem, & de una vite conficiat duas, si inter quamlibet vitem non minus quam quatuor fuerint cubiti, nec plus quam octo, conjunguntur; & etiamsi duæ surgant ex una radice, nihilominus habentur duæ vites. Siphra ad *Levit.* XIX. 23. ונטעתם פרט לעולה מאליו ונטעתם פרט למרכיב ולמבריך מיכן אמרו סיפוק על מיפוק אעפ שהבריכה בארץ מותר: *Et plantaveritis* excludit quod sponte crescit & adscendit: *Et plantaveritis*. Excludit qui inoculat, & propaganat. Hinc dixerunt. Ligatio vitium & ligatio super ligationem, & si propagaverit eas in terra permissum est. *Orla* cap. I. 5. אילן שנעקר ובו בריכה והוא היה מסנה חזרי הזקינה לחיות כברכי הבריכי שנה אחר שנה ונפסק מונה משעה שנפסק סיפוק הנפנים וסיפוק על גבי סיפוק אעפ שהבריכין בארץ מותר: Arbor quæ exstirpata, & in qua propago fuerit, & inde vixerit, fiet ut vetus sit instar propaginis; si propagaverit eam uno anno post alterum, & succi-

ſucciderit, computabit ab illo tempore quo ſuccidit. Ligatio vinearum, & ligatio ſuper ligationem, & ſi propagaverit eas in terra, licet. *Bartenora* ובו בריכה *Et in ea fuerit propago*. Solent agricolæ effodere foveam, & in ea abſcondere ramum arboris, ut radix illius rami ab alio latere prodeat, & ibidem conficiat arborem; extremitas vero arboris relinquitur arbori affixa, & annexa in qua actione non obtinet jus de præputio &c. סיפוק הגפנים *ligatio vitium*; ſolent agricolæ protrahere ramum vitis oblongum, qui ab uno latere eſt, ad ramum alterius vitis, & hæc actio vocatur, סיפוק, & libera eſt a jure præputii. Ubi *Maimonides*. Si quis accipiat ramos ab arbore, eoſque in ſolo extendat, & pulvere contegat, rami illi ſine dubio producent fructus; & ſi radices fundatæ fuerint in terra, & fundamentum eorum annexum fuerit arbori primæ, rami illi, qui radices egerunt in terra vocantur בריכה, & arbor prima vocatur זקנה. Præterea hoc loco dicunt; ſiquis extirpaverit arborem, illa autem accreverit, & humores attraxerit de ramis illis, quæ prodierint de illa, & terra contecti fuerint, fiet denuo ut arbor illa veniat in ſtatum propaginis, & rami qui erant propagines, venient in ſtatum arboris principalis, & hic ſenſus eſt verborom להיות כבריכה monſtrat enim verbo ſecundo, quale ſit jus propaginis cum veteri arbore. הבריכה שנה אחר שנה *ſi propaginaverit eam anno poſt annum*; id eſt ſi ramos arboris abſconderit in terra illo anno, & accreverint, anno vero ſecundo acceperit illos ramos, qui creverint anno primo, eoſque in terra abſconderit, & eo modo fecerit ſingulis annis; ונפסקה *& ſuccisa fuerit*; id eſt ſi ita fecerit anno poſt annum, quicquid creverit in illis ramis ſibi annexis, non tenetur de præputio, quia fundamentum eorum annexum eſt arbori veteri, ſi vero amputaverit ramos, & fundamentum eorum de arbore veteri ſucciderit, computabit ab eo tempore, quo amputaverit ramos, & omnes propagines obligatæ erunt de præputio.

Palmites variis nominibus celebrantur: *Geneſ.* XL. 10. שריגים, & מצוגיא in *Jonathane*. תלתי אצוגיא *tres palmitas*. Dicuntur etiam כנה *Pſal.* LXXX. 16. עוברא in *Targum* ועוברא די נציבת ימינך *Et palmitem quem plantavit dextera tua*. *Num.* XIII. 24. וקצו מתמן עוברתא *& ſucciderunt inde palmitem* Hebr. זמורה *Ezech.* XVII. 3. עוברתא דארזא *ramum cedri*. Iterum XVII. 6. ושלחת עוברין. *Et emittebat palmites*. Hebr. פארות. in *Jonathane* XLIX. 22. Iterum ibid. XVII. 6. לכפפא עוברתה: *ut incurvaret ſe palmes ejus*. *Geneſ.* XLIX. 22. in *Jonathane* ובעוברתהא *Et palmitibus ſuis ſubigit omnes arbores ſteriles*. *Hoſ.* XIV. 6. באילן לבנן דמשלח עוברתנה: *Sicut arbor Libani, emittit palmites ſuos*: Dicuntur etiam שבקין. *Ezech.* XVII. 6. ועבד שבקין *Et fecit palmites*; Hebr. בדים; Videtur legendum שבשין *Geneſ.* XL. 10. ובגנפנא תלתא שבשין *Et in vite erant tres palmites*. Hebr. שרגים *Joel.* I. 7. חזרו שבשהא. *Ezech.* XV. 2. שבשתא באעי חרשא: *Palmes qui eſt inter ligna ſylvæ*. Hebr. הזמורה. Et XVII. 4. ינקותיו נסיב Legitur *Geneſ.* XL. 10. שרביט in Targum Hieroſolymitano שרבטיא *Tres propagines tres Patriarchas ſignificant*. Vocatur etiam ענף etiam Hebraice. *Ezech.* XVII. 8. למעבר ענף: *Ad faciendum palmitem*. *Dan.* IV. 11. וקציצו ענפוהי *& ſuccidite palmites*; *Ibid.* verſ. 9. ובענפוהי ידרן צפרי שמיא:, *& in palmitibus ejus habitabunt volucres cœli*. Appellatur etiam נוף. *Eſai.* XXXVII. 31. ורמים נופיה *& elevavit palmitem ſuum*. *Ezech.* XIX. 10. & XXXI. 3. דנופה שכור. *Cujus palmos uber erat*. *Hebr.* ענף. Appellatur גדרן in *Coheleth* cap. III. 13. תלאן בגדרון: *Suſpendit eos in palmite*. Dicitur שבטוטין in *Bereſch. Rabba* ſect. 34. משבטוטכן שבארץ ישראל הביאהו: *E palmitibus terræ Iſrael adduxit illud*: Sic quoque legitur in Jalkut ex eodem loco; & in margine explicatur גפנים יבשות; *vites palmites vitis aridæ*. At in *Bereſch. Rabba* legitur ſect. 33. שבשושין. Demum *Jerem.* XI. 16. & *Ezech.* cap. XVII. & cap. XIX. appellantur דליות. *Columella* lib. III. cap. 13. *Ejus autem ratio cum Italici generis futuris agricolis, tum etiam provincialibus tradenda eſt: quoniam in longinquis & remotis regionibus iſtud genus vertendi & ſubigendi agri minime uſurpatur, ſed aut ſcrobibus aut ſulcis vineæ plerumque conſeruntur. Scrobibus vineta ſic ponuntur. Quibus vitem mos eſt ſcrobibus deponere, fere per tres longitudinis pedes, perque duos in altitudinem cavato ſolo, quantum latitudo ferramenti patitur, malleolos utrinque juxta latera foſſarum conſternunt, & adverſis ſcrobium frontibus curvatos erigunt; duabuſque gemmis ſupra terram eminere paſſi; repoſita humo cetera coæquant: quæ faciunt in eadem linea intermiſſis totidem pedum ſcamnis, dum peragant ordinem. Tum deinde relicto ſpatio prout cuique mos eſt vineas colenti, vel aratro vel bidente perſequentes ordinem inſiſtunt: Et ſi foſſore tantum terra verſetur, minimum eſt quinque pedum interordinium, ſeptem maximum: ſin bubus & aratro: minimum eſt ſeptem pedum, ſatis am-*

amplum decem. Nonnulli tamen omnem vitem per denos pedes in quincuncem disponunt, ut more novalium terra transversis adversisque sulcis proscindatur. Id genus vineti non conducit agricolæ, nisi ubi lætissimo solo vitis amplo incremento consurgit. At qui pastinationis impensam reformidant, sed aliqua tamen parte pastinationem imitari student, paribus alternis omissis spatiis, senum pedum latitudinis sulcos dirigunt, fodiuntque & exaltant in tres pedes, ac per latera fossarum vitem vel malleolum disponunt. Avarius quidem dupondio, & dodrante altum sulcum, latum pedum quinque faciunt; deinde ter tanto amplius spatium crudum relinquunt, atque ita sequentem sulcum infodiunt, quod cum per definitum vinetis locum fecerint in lateribus sulcorum viviradices, vel decisos quamrecentissimos palmites novellos erigunt, consitis compluribus inter ordinaria semina malleolis, quos posteaquam convaluerint crudo solo quod emissum est, tranversis scrobibus propagent, atque ordinent vineam paribus intervallis, sed eæ quas retulimus, vinearum sationes, pro natura, & benignitate cujusque regionis aut usurpandæ, aut repudiandæ sunt nobis. Nunc pastinandi agri propositum est rationem tradere: Ac primum ex omni sive arbustivo sive sylvestri loco, quem vineis destinaverimus, omnis frutex, atque arbor erui & submoveri debet, ne postea fossorem moretur, neve jam parstinatum solum jacentibus molibus imprimatur, & exportantium ramos atque truncos ingressu proculcetur. Neque enim parum refert suspensissimum esse pastinatum, & si fieri posset, vestigio quoque inviolatum: ut mota æqualiter humus novellis seminis radicibus, quamcunque in partem prorepserint, molliter cedat, ne incrementa duritia sua reverberet, sed tenero velut nutritio sinu recipiat, & cœlestes admittat imbres, eosque alendis seminibus dispenset, ac suis omnibus partibus ad educandam prolem novam comparet: Campestris locus alte duos pedes, & semissem infodiendus est: acclivis regio tres, præruptior vero collis vel in quatuor pedes vertendus, quoniam cum a superiori parte in inferiorem detrahitur humus, vix justum pastinationi præbet regestum: nisi multo edetiorem ripam, quam in plano feceris. Rursus depressis vallibus minus alte duobus deponi vineam non placet, nam præstat non consererem, quam in summa terra suspendere. Nisi tamen si scaturigo palustris obvia, sicut in agro Ravennate, plusquam sesquipedem probibeat infodere. Primum autem prædicti operis exordium est, non ut hujus temporis plerique faciunt agricolæ, sulcum paulatim exaltare, & ita secundo vel tertio gradu pervenire ad destinatam pastinationis altitudinem; sed protinus æqualiter linea posita rectis lateribus perpetuam fossam educere, & post tergum motam humum componere, atque in tantum deprimere, donec altitudinis mensuram datam ceperit, tum per omne spatium æqualiter movenda linea est; obtinendumque ut eadem latitudo in imo reddatur, quæ cœpta est in summo &c. Palladius lib. II. cap. 10. *Pastinum fieri nunc tempus est, quod fit tribus generibus, aut terra in totum fossa, aut sulcis, aut scrobibus. Terra tota debet effodi, ubi ager immundus est, ut sylvestribus truncis, & radicibus filicis, vel herbarum noxiarum spatia liberentur; ubi autem mundæ sunt novales, scrobibus pastinemus aut sulcis; sed sulcis melius erit, quia humorem in tota spatia transmittunt. Fiunt ergo sulci tanta longitudine, quantam designaveris tabulæ; latitudine pedum duorum & semis, vel trium, ita ut juncti duo fossores designatum linea spatium bidentibus persequantur altitudine trium vel duorum semis pedum. Deinde si per homines vinea colenda est, tantum crudi soli relinquimus, & sic alter sulcus imprimitur; si vero arandæ sunt vineæ, quinque vel sex pedum spatia, quæ non sunt fodienda, in medio relinquemus. Quod si scrobes fieri placeat, faciemus tribus pedibus altas, duobus semis latas, tribus longas. Sive fossoribus colantur vineta, seu bubus, eadem spatia, quæ inter sulcos sunt dicta, servemus. Ultra tres vero pedes altius fodiendæ scrobes non sunt ne laborent frigore sarmenta quæ pangimus. Latera scrobibus æqualiter incisa sint, ne obliqua vitis saucietur alte nitentibus ferramentis cum fossor incumbet. Pastini vero, quod omne versabitur trium vel duorum semis pedum altitudine, terra universa fodietur; in quo erit diligentia, ne crudum solum fraude occulta fossor includat; quam rem subinde custos virga, in qua prædictæ altitudinis modus designatus est, per spatia quæ fodiuntur, exploret. Radices omnes & purgamenta, maxime rubi & filicis, in summum regeri faciat. Quæ cura in omni positionis genere, & ubique servanda est. Tabulas autem pro domini voluntate vel loci ratione faciemus, sive integrum jugerum continentes, seu medium, seu quartanariam tabulam, quæ quartam jugeri partem quadrata conficiet. Mensura vero pastini hæc est, ut in tabula quadrata jugerali, centeni octoni pedes per singula latera dirigantur, qui in se multiplicati trecentos viginti quatuor decempedas quadratas per spatium omne complebunt: secundum hunc numerum omnia quæ volueris pastinare discuties. Decem &*

octo enim decempedæ, decies & octies supputatæ trecentis viginti quatuor explebunt.

Vere, vel autumno serendæ erant vites. *Virgilius* Georg. lib. II.

> *Optima vinetis satio est cum vere rubenti*
> *Candida venit avis, longis invisa colubris*
> *Prima vel autumni sub frigora, cum rapidus sol*
> *Nondum hyemem contingit equis jam præterit æstas.*
> *Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis*
> *Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt:*
> *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
> *Conjugis in gremium læte descendit, & omnes*
> *Magnus alit magno commissus corpore fœtus:*
> *Avia tum resonant avibus virgulta canoris,*
> *Et Venerem certis repetunt armenta diebus:*
> *Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris*
> *Luxant arva sinus, superat tener omnibus humor,*
> *Inque novos soles audent se gramina tuto*
> *Credere, nec metuit surgentes pampinus austros.*
> *Aut actum cœlo magnis aquilonibus imbrem,*
> *Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.*

Columella lib. III. cap. 14. *Sequitur opus vineæ conserendæ, quæ vel autumno tempestive deponitur. Ad id melius, si aut pluvius aut frigidus status cœli est, aut ager pinguis, aut campestris, & uliginosa planities: rursus autumno, si sicca, si calida est aeris qualitas, si exilis atque aridus campus, si macer præruptusve collis: vernæque positionis dies fere qudraginta sunt: ab Idibus Februariis usque in æquinoctium; rursus autumnalis ab Idibus Octob. in Kal. Decembres. Sationis autem duo genera, malleoli, vel viviradicis; quod utrumque ab agricolis usurpatur; & in provinciis magis malleoli, neque enim seminariis student, nec usum habent faciendæ viviradicis. Hanc sationem cultores Italiæ plerique jure improbaverunt, cum pluribus dotibus præstet viviradix. Nam minus interit, cum & calorem, & frigus & ceteras tempestates propter firmitatem facilius sustineat: deinde adolescit maturius: ex quo evenit, ut celerius quoque sit tempestiva edendis fructibus: tum etiam nihil dubium est, sæpius translatum; potest tamen malleolus protinus in vicem viviradicis censeri soluta & facili terra: Ceterum densa & gravis utique vitem desiderat. Seritur ergo prius in emundata inoccataque & æquata pastinatione, macro solo, quinis pedibus inter ordines omissis, mediocri senis: in pingui vero septenum pedum spatia danda sunt, quo largiora vacent intervalla, per quæ frequentes prolixæque materiæ diffundantur: Hæc in quincuneum vinearum metatio expeditissima ratione conficitur: quippe linea per totidem pedes, quot destinaveris interordiniorum spatiis, purpura vel quolibet alio conspicuo colore insuitur, eaque sic denotata per repastinatum intenditur, & juxta purpuram calamus defigitur: atque ita paribus spatiis ordines diriguntur: quod deinde cum est factum, fossor insequitur, scrobemque alternis omissis per ordinem spatiis a calamo ad proximum calamum non minus altum quam duos pedes & semissem planis locis refodit: acclivibus in dupondium & dodrantem: præcipitibus etiam in tres pedes, in hanc mensuram scrobibus depressis viviradices ita deponuntur, ut a media scrobe singulæ & in diversum sternantur, & contrariis frontibus fossarum ad calamos erigantur. Satoris autem officium est primum quamrecentissimum, & si fieri potest, eodem momento, quo serere velit, de seminario transferre plantam diligenter exemtam & integram: deinde veteranam vitem totam exputare, & ad unam materiam firmissimam redigere, nodosque & cicatrices allevare: siquæ etiam radices (quod maxime cavendum est, ne fiat in eximendo) laboraverint, eas amputare; sic deinde curvatam deponere, ne duarum vitium radices implicentur, id enim vitare facile est per imum solum juxta diversa latera fossarum dispositis paucis lapidibus, qui singuli non excedant quinquelibrale pondus. Hi videntur, ut Mago predit, & aquas hyemis, & vapores æstatis propulsare radicibus: quem secutus* Virgilius *tutari semina, & muniri sic præcipit*

> Aut lapide bibulum aut squallentes infode conchas

Et paulo post:

> —— jamque reperti
> Qui saxo super, atque ingentis pondere testæ
> Urgerent: hoc effusos munimen ad imbres.
> Hac ubi hiulca siti findit canis æstifer arva.

Idem-

Idemque Pœnus autor probat vinacea permista stercori depositis seminibus in scrobe vires movere, quod illa provocent, & eliciant novas radiculas: hoc per hyemem frigentem & humidam scrobibus inferre calorem tempestivum, ac per æstatem virentibus alimentum, & humorem præbere. Si vero solum cui vitis committatur, videtur exile, longius accersitam pinguem humum scrobibus inferre censet; quod an expediat, regionis annona operarumque ratio nos docebit. Exigue humidum pastinatum sationi convenit; melius tamen vel arido, quam lutoso semen committitur; idque cum supra summam scrobem compluribus internodiis productum est; quod de cacumine superest, duabus gemmis tantum supra terram relictis amputatur, & ingesta humo scrobis completur. Coæquato deinde pastinato, malleolus ordinariis vitibus interserendus est: eumque fas erit medio spatio, quam vacat inter vites, per unam lineam depangere: sic enim melius & ipse convalescet, & ordinariis seminibus modice vacuum solum ad culturam præbebitur. In eadem deinde linea, in qua viviradit obtinebit, ordinem suum, præsidii causa quorum ex numero propagari possit in locum demortuæ vitis: Quinque malleoli pangendi sunt per spatium pedis: isque pes a medio interordinio sumitur, ut ab utraque parte paribus intervallis distent. Palladius lib. III. cap. 9. in mense Februario. *Ponendæ sunt vites glacidis diebus, ne tepidis, curandumque est ne sarmenta sole urantur aut vento, sed vel statim ponantur, vel obruta reserventur. Hac mense ac deinceps toto vere vinea ponenda est regionibus frigidis, pruinosis, pinguibus campis, & humidis provinciis.* Iterum in mense Martio cap. I. *Nunc vineas oportet inserere, cum vites non aquato sed spisso humore lacrymabunt.* Idem in mense Octobri cap. 2. 4. *Hoc mense postremo, ubi calidi ac sicci aeris qualitas est, & ubi exilis & aridus est campus, ubi collis præruptus aut macer, vites utilissime ponuntur, de quibus satis mense Februario disputavi. Nunc locis siccis, calidis, exilibus, macris, arenosis, aridis, quæcumque de pastinis, de vitibus ponendis, putandis, propagandis, reparandis, vel arbusto faciendo, ante dicta sunt, rectius fiunt, ut contra exilitatem glebæ hybernis imbribus adjuventur.* Idem in mense Novembri cap. 2. *Hoc etiam toto mense locis calidis & siccis vel apricis erit vitium celebranda positio: Nunc & propago jure ducetur.*

Quo pacto ponendus sit surculus, nos docet *Columella* lib. III. cap. 17. *De positione surculi non minima disputatio fuit inter autores; quidam totum flagellum, sicut erat matri detractum, crediderunt sationi convenire, idque per gemmas quinas, vel etiam senas partiri, complures taleolas terræ mandaverunt: quod ego minime probo, magisque assentior his autoribus, qui negaverunt esse idoneum frugibus superiorem partem materiæ, solamque eam quæ est juncta cum vetere sarmenta probaverunt; ceterum omnem sagittam repudiaverunt. Sagittam rustici vocant novissimam partem surculi, sive quin longius recessit a matre, & quasi emicuit, atque prosilivit; sive quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit. Hanc ergo prudentissimi agricolæ negaverunt conseri debere: Nec tamen sententiæ suæ rationem nobis prodiderunt: videlicet quæ ipsis in re rustica multum callentibus promta erat, & ante oculos pene exposita: omnis enim fœcundus pampinus intra quintam aut sextam gemmam fructu exuberat, reliqua parte quantumvis longissima vel cessat, vel perexiguos ostendit racemos: quam ob causam sterilitas cacuminis jure ab antiquis incusata est. Malleolus autem sic ab iisdem pangebatur, ut novello sarmento pars aliqua veteris hæreret; sed hanc positionem damnavit usus: Nam quicquid ex vetere materia relictum erat, depressum atque obrutum, celeriter humore putrescebat, proximasque radices teneras, vix dum prorepentes, vitio suo enecabat: quod cum acciderat, superior pars seminis retorrescebat. Mox Julius Atticus & Cornelius Celsus ætatis nostræ celeberrimi autores, patrem atque filium Sasernam secuti, quicquid residui fuit ex vetere palma per ipsam commissuram, qua nascitur materia nova resecuerunt, atque ita cum suo capitulo sarmentum depresserunt. Sed Julius Atticus prætorio capite & recurvato ne pastinum effugiat, prædictum semen demersit. Pastinum vocant agricolæ ferramentum bifurcum, quo semina panguntur, unde etiam repastinatæ dictæ fuere vineæ veteres, quæ refodiebantur: Hæc enim propria appellatio restibilis vineti erat; nunc antiquitatis imprudens consuetudo, quicquid emoti soli vineis præparatur, repastinatum vocat. Sed redeamus ad propositum. Vitiosa est, ut mea fert opinio, Julii Attici satio, quæ contortis capitibus malleolum recipit, ejusque rei vitandæ non una ratio est; primum quod nulla stirps antequam deponatur vexata & infracta melius provenit, quam quæ integra & inviolata sine injuria deposita est: deinde quicquid recurvum & sursum versus spectans, demersum est, cum tempestivum eximitur, in modum hami repugnat obluctanti fossori, & velat uncus infixus solo, antequam extrahatur, prærumpitur: nam*

nam fragilis eſt ea parte materia, quæ torta & recurvata cum deponeretur, ceperat vitium: propter quod perfractam majorem partem radicum amittit. Sed ut incommoda iſta præteream, certe illud quod eſt inimiciſſimum, diſſimulare nequeo, nam paulo ante cum de ſumma parte ſarmenti diſputarem, quam ſagittam dixeram vocitari, colligebam fere intra quintam vel ſextam gemmam, quæ ſint proximæ veteri ſarmento, fructus medii: Hanc ergo fœcundam partem conſumit, qui contorquet malleolum, quoniam & ea pars quæ duplicatur, tres gemmas vel quatuor obtinet, & reliqui duo vel tres fructuarii oculi penitus in terram deprimuntur, merſique non materias, ſed radices creant; ita evenit ut quod in ſalicto conſerendo vitaverimus id ſequamur in ejuſmodi malleolo, quem neceſſe eſt facere longiorem, ſi volumus detortum depangere: nec dubium quin gemmæ cacumini proximæ, quæ ſunt infœcundæ, in eo relinquantur, ex quibus pampini pullulant vel ſteriles, vel certe minus feraces, quos ruſtici vocant racemarios. Quid? quod plurimum intereſt, ut malleolus qui deponitur, ea parte qua eſt a matre deciſus, coaleſcat, & celeriter cicatricem ducat? Nam ſi id factum non eſt, velut per fiſſuram, ita per apertam vitis medullam nimius humor trahitur, idemque truncum cavat: unde formicis aliiſque animalibus, quæ putrefaciunt crura vitium, latebræ præbentur: hoc autem evenit retortis ſeminibus: cum enim per executionem imæ partis eorum perfractæ ſunt, apertæ medullæ deponuntur; atque irrepentibus aquis, prædictiſque animalibus, celeriter ſeneſcunt. Quare pangendi optima eſt ratio recti malleoli, cujus unum caput, cum conſertum eſt bifurco paſtini, anguſtis faucibus ferramenti, facile continetur ac deprimitur: idque ſarmentum ſic depreſſum citius coaleſcit. Nam & radices e capite, qua reciſum eſt, æque mittit: quæ cum excreverunt, cicatri-em obducunt, & alioquin plaga ipſa deorſum ſpectans non tantum recipit humorem, quantum illa quæ reflexa & reſupina, more infundibili per medullam tranſmittit quicquid aquarum cœleſtium ſuperfluit. Palladius lib. III. cap. 9. *Caput ſarmenti cum deponitur, torquendum non eſt, nec aliquo modo vexandum, ne demerſa penitus fœcundiore parte, quod ſterili proximum eſt, ſupra terram relinquatur: deinde quoniam ipſa tortura vexatio eſt: & pars ea de qua radix futura præſumitur, injuriæ nulli ſubjicienda eſt, cum qua contendere cogatur antequam teneat.*

Pampinanda erat novella vitis. Miſna *Schevvith* IV. 6. המזנב בגפנים וקוצץ קנים ר׳ יוסי הגלילי אומר ירחיק טפח ר׳ עקיבא אומר קוצץ כדרכו בקרדום או במגל ובמגירה ובכל מה שירצה: Qui demutilat, ſeu pampinat vites, vel ſubſecat arundines, R. Joſe Galilæus dicit, ſpatium palmi relinquet. R. Akiba dicit: Poterit reſecare uſitato more ſecuri, falce, vel ſerra, vel qua re cunque volet. Ubi *Bartenora:* המזנב *qui decaudat* qui excindit extremitates vitium, ut truncus eo magis ſe extendat, & accreſcat. *Maimonides* המזנב *qui decaudicat*; qui exſcindit vitium extremitates. *Varro* lib. I. cap. 31. *Tertio intervallo inter Vergiliarum exortum & ſolſtitium vites pampinari, ſed a ſciente, nam id quam putare majus, neque in arbuſto, ſed in vinea fieri. Pampinare eſt ex ſarmento coles qui nati ſunt de iis qui plurimum valent, primum ac ſecundum, nonnunquam etiam tertium relinquere, reliquos decerpere, ne relictis colibus ſarmentum nequeat miniſtrare ſucum. Itaque in vitiario primum cum erit vitis, tota reſecari ſolet, ut firmiore ſarmento e terra exeat, atque in pariendis colibus vires habeat majores. Eiuncidum enim ſarmentum propter infirmitatem ſterile, neque ex ſe poteſt ejicere vitem, quam vocant minorem flagellum, majorem etiam unde uvæ naſcuntur palmam: prior litera una mutata declinata a venti flatu, ſimiliter flabellum ac flagellum: poſterior quo ea vitis immittitur ad uvas præbendas, dicta primo videtur a pariendo parilema: exin mutatis literis, ut in multis, dici cœpta palma: ex altera parte cuprea dicta, quod parit capreolum, is eſt colliculus viteus intortus, ut cincinnus, is enim vites ut teneat, ſerpit ad locum capiundum, ex quo a capiendo cupreolus dictus. Theophraſtus* de cauſis Plaut. III. 19. πρῶτον μὲν καὶ μέγιςον ἐςιν ἡ κλάσις δεύτερον, δὲ καὶ τρόπον τινὰ τέτω παρα πλήσιον βλαςολογία καὶ γὰρ ἐνταῦθα εἰδέναι δεῖ τὰ ποῖα συμφέρει καταλιπεῖν, καὶ τὰ ποῖα ἀφαιρεῖν, καὶ πρὸς τὸς ἑτέρες καρπὸς, καὶ πρὸς τὴν ὅλην φύσιν. *Columella* lib. IV. c. 6. *Ea porro ſive malleolo, ſive viviradice depoſuimus, optimum eſt ab initio ſic formare, ut frequenti pampinatione ſupervacua detrahantur, nec patiamur plus quam in unam materiam vires & omne alimentum conferre: primo tamen bini pampini ſubmittuntur, ut ſit alter ſubſidio, ſi alter forte deciderit. Cum deinde paullum induruere virgæ, tam deteriores ſingulæ detrahuntur, ac ne quæ relictæ ſunt, procellis ventorum decutiantur, molli & laxo vinculo adſurgentes ſubſequi conveniet; dum claviculis ſuis quaſi quibuſdam manibus adminicula comprehendant. Hoc ſi operarum penuria facere prohibet in malleolo, quem & ipſum pampinare cenſemus: at* certe

certe in ordinariis vitibus utique obtinendum est, ne pluribus flagellis emacientur, nisi si propaginibus futuris prospiciemus: sed ut singulis materiis serviant, quarum incrementa elicere debebimus, applicato longiore adminiculo, per quod prorepant in tantum, ut sequentis anni jugum exsuperent, & in fructum curvari possint: Ad quam mensuram, cum increverint, cacumina infringenda sunt, ut potius crassitudine convalescant, quam supervacua longitudine attenuentur. Idem tamen sarmentum, quod in materiam submittimus, ab imo usque in tres pedes & semissem pampinabimus & omnes ejus intra id spatium nepotes enatos sæpius decerpemus. Quicquid deinde supra germinaverit intactum relinqui oportebit. Magis enim convenit proximo autumno falce deputari superiorem partem, quam æstivo tempore pampinari: quoniam ex eo loco unde nepotem ademeris, confestim alterum fundit: quo enato nullus relinquitur oculus in ipsa materia, qui sequenti anno cum fructu germinet. Omnis autem pampinationis ea est tempestivitas, dum adeo teneri palmites sunt, ut levi tactu digiti decutiantur. Nam si vehementius induruerint, aut majore nisu convellendi sunt, aut falce deputandi, quod utrumque vitandum est; alterum, quia lacerat matrem si revellere coneris; alterum, quia sauciat quod in viridi, & adhuc stirpe immatura fieri noxium est. Neque enim eatenus plaga consistit, qua vestigium fecit acies, sed æstivis caloribus falce vulnus penitus impressum latius inarescit, ita ut non minimam partem de ipso matris corpore enecet: Atque ideo si jam caulibus duris falcem adhibere necesse est, ii paululum ab ipsa matre recidendi, & velut reseces relinquendi sunt, qui caloris excipiant injuriam, eatenus qua nascuntur a latere palmites: ultra enim non serpit vaporis violentia. In malleolo similis ratio est pampinandi, & in longitudinem eliciendi materiam, si eo velimus anniculo uti, quod ego sæpe feci: sed si propositum est utique recidere, ut bimo potius utamur, cum ad unum pampinum jam redegeris, & ipse excesserit pedalem longitudinem, decacuminare conveniet, ut in cervicem potius confirmetur, & sit robustior. Palladius lib. VI. 2. *Hoc mense*, scil. Majo *pampinari conveniet: sed tunc est opportuna pampinatio, cum teneri rami digitis stringentibus crepabunt sine difficultate carpentis: Hæc res uvas efficit pinguiores, & maturitati consulit solis admissa.* Virgilius Georgic. lib. II.

> *At dum palmitibus adolescit frondibus ætas*
> *Parcendum teneris, & dum se lætus ad auras*
> *Palmes agit laxis purum immissus habenis;*
> *Ipsa acie falcis nondum tentanda sed uncis;*
> *Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.*

Pampinationem sequitur ablaqueatio, de qua *Columella* lib. IV. cap. 8. *Sequens deinde tempus (ut pradit Celsus, & Atticus, quos in re restica maxime nostra ætas probavit) ampliorem curam deposcit. Nam post Idus Octobris, priusquam frigora invadant, vitis ablaquenda est: quod opus adopertas ostendit æstivas radiculas, easque prudens agricola ferro decidit. Nam si passus est convalescere, inferiores deficiunt, atque evenit ut vinea summa parte terreni radices agat, quæ & frigore infestentur, & caloribus majorem in modum æstuent, ac vehementer sitire matrem in ortu caniculæ cogant. Quare quidquid intra sesquipedem natum est cum ablaqueaveris, recidendum est.* Sed *hujus non eadem ratio est amputandi, quæ traditur in superiore parte vitis. Nam minime adlevanda plaga est, minimeque applicandum ferramentum ipsi matri: quoniam si si juxta truncum radicem præcideris, aut ex cicatrice plures enascentur, aus hyemalis, quæ ex pluviis constitit in lacusculis ablaqueationis, aqua brumæ congelationibus nova vulnera peruret, & ad medullam penetrabit, quod ne fiat, recedere ab ipso codice instar unius digiti spatio conveniet, atque ita radiculas præcidere, quæ sic ademtæ non amplius pullulant, & a cetera noxa truncum defendunt:* Hoc *opere consummato si est hyems in ea regione placida, patens vitis relinquenda est; sin violentior id facere prohibet, ante Idus Decembris prædicti lacusculi æquandi sunt.* Si *vero etiam prægelida frigora regionis ejus suspecta erunt, aliquid fimi, vel si est commodius, columbini stercoris, aut in hunc usum præparatæ veteris urinæ senos sestarios, antequam vitam adobruas, radicibus superfundes. Sed ablaqueare omnibus autumnis oportebit primo quinquennio dum vitis convalescat: ubi vero truncus adoleverit, fere triennio intermittendus erit ejus operis labor. Nam & minus ferro crura vitium læduntur, nec tam celeriter radiculæ inveterato jam codice enascuntur.* Palladius lib. XI. cap. 5. *Post Idus Octobris ablaqueanda est omnis novella vinea seu in pastino, seu in scrobibus aut sulcis, ut amputentur radices supervacuæ quos produxit æstate; quæ si convaluerint, inferiores radices faciunt interire, & ita remanebit vitis in summitate suspen-*

ſuſpenſa; quæ res eam frigori obnoxiam faciet & calori. Sed hæ radiculæ non ad ſiccum debent recidi, ne aut plures inde naſcantur, aut nova plaga corpori vitis impreſſa, vi ſecuturi algoris uratur: recidemus autem relicto digiti ſpatio, & ſi placida ibi hyems, apertas relinquemus vites; ſi violenta, ante Decembres Idus operiemus, ſi præfrigida, aliquantum columbini ſtercoris ſub ipſa hyeme circa viticularum veſtigia largiemur, quod contra frigus nimium Columella dicit toto faciendum eſſe quinquennio. Idem lib. II. cap. I. *Januario menſe locis temperatis ablaqueandæ ſunt vites, quod Itali excodicare appellant: id eſt circa vites codicem dolabra terram diligenter aperire, & purgatis omnibus velut lacus efficere, ut ſolis teporibus, & imbribus provocentur.*

Poſt ablaqueationem putanda erat vitis novella: *Columella* loc. cit. *Ablaqueationem deinde ſequitur talis putatio, ut ex præcepto veterum autorum, vitis ad unam virgulam revocetur, eaque recidatur duabus gemmis juxta terram relictis. Quæ putatio non debet ſecundum articulum fieri, ne reformidet oculus: ſed medio fere internodio ea plaga obliqua falce fit, ne ſi tranſverſa fuerit cicatrix, cœleſtem ſuperincidentem aquam contineat. Sed nec ad eam partem, qua eſt gemma, verum ad poſteriorem declinatur, ut in terram potius devexa, quam in germen delacrumet. Namque defluens humor cœcat oculum, nec patitur frondeſcere. Putandi autem duo ſunt tempora: melius autem, ut ait Mago, vernum, antequam ſurculus progerminet, quoniam humoris plenus facilem plagam & & levem, & æqualem accipit, nec falci repugnat: Hunc autem ſecuti ſunt Celſus & Atticus: Nobis neque anguſta putatione coercenda ſemina videntur, niſi ſi admodum invalida ſunt, neque utique vero recidenda. Sed primo quidem anno, quo ſunt poſita, frequentibus foſſionibus omnibus menſibus dum frondent, ac pampinationibus adjuvanda ſunt, ut robur accipiant nec pluſquam uni materiæ ſerviant, quam ut educaverint, autumno, vel vere ſi magis competit, abradenda, & nepotibus quos pampinator in ſuperiore parte amiſerat, liberanda cenſemus, atque ita in jugum imponenda. Ea enim levia & recta ſine cicatrice vinea eſt, quæ ſe primi anni flagello ſupra jugum extulit, quod tamen apud paucos agricolas & raro contingit. Ideoque prædicti autores primitias vitis reſecare cenſuerunt. Sed nec utique verno omnibus regionibus melior putatio eſt, ubi vero aprica loca ſunt, molleſque hyemes, optima & maxime naturalis eſt autumnalis: quo tempore divina quadam lege & æterna fructum cum fronde ſtirpes deponunt. Hæc facere ſive viviradicem ſive malleolum conſeveris, cenſeo; nam ullam veterem opinionem damnavit uſus, non eſſe ferro tangendos anniculos malleolos, quod aciem reformident: Quod fruſtra Virgilius & Saſerna, Steloneſque & Catones timuerunt, qui non ſolum in eo errabant, quod primi anni capillamenta ſeminare intacta patiebantur, ſed & poſt biennium cum vivaradix recidenda erat, omnem ſuperficiem amputabant ſolo tenus juxta ipſum articulum, ut e duro pullularet; nos autem magiſter artium docuit uſus, primi anni malleolorum formare incrementa, nec pati vitem ſupervacuis frondibus luxuriantem ſylveſcere; nec rurſus in tantum coercere, quantum antiqui præcipiebant, ut totam ſuperficiem amputemus: nam id quidem maxime contrarium eſt. Primum quod cum ad terram decideris, ſemina velut intolerabili affecta vulnere pleraque intereunt, & nonnulla etiam, quæ pertinaciter vixerunt, minus fœcundas materias afferunt: ſiquidem e duro quæ pullulant, omnium confeſſione pampinaria, ſæpiſſime fructu carent. Media igitur ratio ſequenda eſt, ut neque ſolo tenus malleolum recidamus, nec rurſus in longiorem materiam provocemus: ſed annotato ſuperioris anni pollice, ſupra ipſam commiſſuram veteris ſarmenti unam vel duas gemmas relinquemus, ex quibus germinet.* Palladius lib. III. cap. 15. *Novellam vitem Columella dicit a primo anno ad unam materiam eſſe formandam, nec recidendam totam, ſicut Italiæ conſuetudo eſt, anno ſecundo expleto, quia vel intereant vites in totum reciſæ, vel infœcunda ſarmenta producant, quæ amputato capite velut pampinaria de duro coguntur exire; quare juxta ipſam commiſſuram veteris ſarmenti, unam vel duas gemmas cenſemus relinquendas: quod eſt merito in viticula fortiore ſervandum.*

Poſt putationem palandam fuiſſe vitem novellam ſcribit *Columella* l. c. *Putationem ſequitur jam pedandæ vineæ cura: verum hic annus nondum vehementem palum, aut ridicam deſiderat: notatum eſt enim a me plerumque teneram vineam melius adminiculo modico, quam vehementi palo adquieſcere: itaque aut veteres, ne novæ radicem agant, arundines binas ſingulis vitibus applicabimus, aut ſi regionis conditio permittit, vetera deponemus haſtilia, quibus adnectuntur ſingulæ tranſverſæ perticæ in unam partem ordinis: quod genus jugi canterium vocant ruſtici: plurimum id refert eſſe, quod paullum infra curvationem vitis prorepens pampinus ſtatim apprehendat, & in tranſverſa potius ſe fundat, quam in edita, ventoſque facilius*

cilius substineat subnixus canterio. *Itaque jugum intra quartum pedem conveniet allevari, dum se vinea corroboret*. *Palladius* lib. III. cap. 15. *Quod est merito in viticula fortiore servandam, & sane excipiendam calamis novellam vel exiguis palis, ut tertio anno robustiores possit accipere*. *Nam quadrima novella, ubi lætum solum est, tres materias merito nutrire cogetur*.

Postremo vitis novella jugo erat alliganda. *Columella* l. c. *Impedationem deinde sequitur alligator, cujus officium est, ut rectam vitam producat in jugum, quæ sive justa palum est posita, ut quibusdam placuit autoribus, observare debebit qui adnectit, ne in adliganda materia flexum pali, si forte curvus est, sequendum putet; nam ea res uncam vitem facit; sicut Attico & non multis aliis agricolis visum est, inter vitem & palum spatium relinquatur, quod non mihi displicet, recta arundo adjungenda stirpi est, & ita per crebra retinacula in jugum perducenda*. *Vinculi genus quale sit, quo religantur semina, plurimum refert*. *Nam dum novella vinea est, quam mollissimo nectenda est; quia si viminibus salicis aut ulmi ligaveris, increscens vitis se ipsam præcidit*. *Optima est ergo genista, vel paludibus defectus juncus, aut ulva: non pessima tamen in umbra siccata faciunt in hunc usum arundinum quoque folia*. *Palladius* lib. V. cap. 7. *Palandæ atque ligandæ sunt vites, sed novellam mollibus vinculis alligamus, quia eam teneram vincula duriora præcidunt*. Hactenus de novella vite, in qua illustranda, fortasse lectoris patientia abusi sumus.

IV. Vitis arbustiva a Talmudicis vocatur דלית, in Scriptura חנית, ברית, שבית, & humilis רגליות; *Celaim* VI. 3. המדלית את הגפן על מקצה אפיפירות לא יביא זרע אל תחת המותר ואם הביא לא קדש ואם החרש אסור וכן המדלה על מקצת אילן סרק: Qui virem suspenderit super partem alteram exoletorum ramalium, is non invehet semen subter reliquam partem. Sin vero invexerit, non ita sacrasse censetur, attamen si prorepserit materies, illicitum fit. Pariter siquis vitem attollat super partem aliquam arboris infelicis. Ubi *Guisius*. *Exoletorum ramalium*. Nihil falsius quam *Maimonidis* interpretatio vocis אפיפיירות. Sunt ut illi videtur הי אלגסינאת אלתי תעמל מן אלקצב ומאלעוד לתמתד עליתא אלעראיש, opera plexa ex arundine vel ligno, ut super ea explicentur vites pergulanæ. Et ad Chel. XVII. 3. אלתערישאת אלתי שבה שבאך לתמתד עליהה אנצאז אלכרמאת כסהמא בינא פי כלאים ואסמה אמלשהור במצר אלמיכעב: Opera ex arundine plexa cratium instar, super quibus protendantur vitium palmites, ut exposuimus in titulo *Celim*, quæ vulgato nomine in Ægypto audiunt مكعب Sed nec vox illa in *Celim* eadem cum nostra hac; nec nostra id sonat quod vult Ma.monides. R. *Nathan* etiam differentiam agnoscit, ut ibi docebimus. Illi אפיפיירות hic loci est אילן שעושה פירות הרבה arbor quæ largos fructus edit. Sed *Musaphias* rectius ex lingua Græca, *arborem* interpretatur *quæ jam non amplius fructus facit, senio confecta, vel alia de causa*. Egregie mea sententia; ut sit *Hesychii*: ἀπόφορα, i. e. δένδρα μὴ φέροντα καρπόν. Nec audiendus est *Cohen de Lara*, qui *Musaphiæ* expositione rejecta Mendose אפיפירות legi contendit pro אפיפירות cum ד, id est ἀποφυάδες. Bene quidem illud & acute, si verum esset quod addit, כי הוא מסוך אל נפן וממנו הוא *juncta esse* הפיפירות *viti, & ex ipsa enata*. Tales enim αἱ ἀποφυάδες. Sed quam hoc, nihil aliud est a veritate magis alienum: ut vel hujus Misnæ autoritate abunde constat. Stultum sit credere, vitem in sui ipsius duramenta & flagella erigi posse, & suspendi. Legendum ergo אפיפירית id est ἀπόφορα. Pergit Misna *Celaim* l. c. המדלה את הגפן על מקצת אילן מאכל מותר להביא זרע אל תחת המותר ואם הלך החדש יחזירנו מעשה שהלך ר' יהושע אצל ר' ישמעאל לכפר עזיז והראהו גפן מודלה על מקצת תאנה אמר לו מה אני להביא זרע אל תחת המותר אמר לו מותר והעלהו משם לבית המגניים והראהו גפן שהוא מודלה על מקצת הקורה וסדן של שמקה ובו קירות הרבה אמרו לו תחת הקורה אסור והשאר מותר אי זהו אילן סרק כל שאינו עושה פירות ר' מאיר אומר הכל אילן סרק הוץ מן הזית והתאנה ר' יוסי אומר כל שאין כמוהו נוטעין שדות שלמות הרי זה אילן סרק: Siquis vitem suspenderit super partem aliquam arboris esculentæ, subter partem reliquam semen invehere licet; & si prorepat materia, revocabit. Narratur factum. Profectus est R. Josue Capharazizum ad R. Ismaelem. Ille ostendit ei vitem super partem ficus suspensam, & percontatus est, numquid licet mihi subtur reliquam partem semen inferre? Respondit ei licitum esse. Inde assumsit eum secum Beth maganiam, eique ostendit vitem suspensam super partem trabis: trabs autem illa fuit truncus sycomori, cui plurimæ trabes infixæ. Dixit ei sub trabe ista illicitum esse, sub reliquis licitum? Quænam est arbor infelix. Rabi Meir universas infelicibus accenseri arbitratur præter oleam & ficum. Quibuscumque conseri non solent

lent integri agri, eas omnes R. Jose infelicibus deputari vult. *Peah* cap. IV. ברלית ובדקל פוריד ומחלק לעניים De vite arbustiva & palma pater familias decerpit, & distribuit pauperibus. *Kerit.* fol. 15. I. דלית המודלית על תאינה. Vitis elevata vel suspensa super ficum. *Celaim* cap. VII. אין מביאין מן הדליות Non adducunt uvas ex vitibus arbustivis. *Bartenora* ad *Peab* cap. IV. דלית est vitis extendens se super ligna & arbores. *Peab* cap. VII. 8. איזו היא שכחה בערי' כל שאינו יכוו' לפשוט את ידו וליטלה וברגליות שיעבור הימנה: Quodnam est prætermissum in vitium pergula? Quicquid nequit exporrecta manu decerpi. In pedestibus autem simul ac a vite recesserit vindemiator. Ubi *Maimonides*. עריס notat vitem magnificam, cujus vindemia peragitur in ramis arborum altarum, & Arabice vocatur עריס. רגליות sunt vites, quæ se extendunt super terram, ut pedibus queant conculcari, ut omnes fere sunt vineæ, & derivatur a voce רגל *pes*. *Bartenora*. עריס est vinea, cujus vites elevantur super baculos, & derivatur vox a ערס notans lectum confectum super ligna: רגליות sunt vites super terram extensæ, quæ pede possunt conculcari. *Orla* cap. I. 5. סיפוק הגפנים וסיפוק ער גבי סיפוק אע״פ שהברכין בארץ מותר: Ligatio vitium, & ligatio super ligationem, etsi propagaverit eas in terra, licet. Ubi *Bartenora* סיפוק הגפנים *ligatio vitium*: solent agricolæ protrahere ramum vitis oblongum, qui ab uno latere est, ad ramum alterius vitis, & hæc actio vocatur סיפוק. *Maimonides* סיפוק הגפנים *ligatio vitium*; siquis accipiat ramum unius vitis, eumque protrahat ad alteram vitem, atque adeo ambas colliget, etsi ramum in terra contexerit: סיפוק על גבי סיפוק *ligatio super ligationem*; idest quando arborum cacumina colligantur, & extremitas unius rami jungatur eum extremitate alterius, ut sibi invicem insideant Misna *Menachoth* cap. X. אין מביאין מן הדליות אלא מן הרגליות ומן הכרמים העובדין: Non adducunt e vitibus altis, sed depressis, & e vitibus arte excultis. Tosaphta *Menachoth* cap. IX. אין מביאין מן הדליות אלא מן הרגויות ומיוחדות לכן: Non adducunt ex vitibus altis, sed ex depressis, & ad hoc destinatis *Virgilius* Georgic. lib. II.

> *Tum leves calamos, & rasæ hastilia virgæ,*
> *Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes*
> *Viribus eniti quarrum, & contemnere ventos*
> *Assuescant, summasque sequi tabulata per ulmos*

Varro lib. I. cap. 8. *Contra vineam sunt qui putent sumtu fructum denotare. Refert* (inquam) *quod genus vineæ sit, quod sunt multæ species ejus, aliæ enim humiles, ac sine ridicis, ut in Hispania, aliæ sublimes, ut quæ appellantur jugatæ, ut pleræque in Italia: quarum nomina duo, pedamenta & juga; quibus stat rectis vinea, dicuntur pedamenta; quæ transversa junguntur, juga; ab eo quoque vineæ jugatæ. Jugorum genera sunt quatuor, pertica, arundo, restes, vites; pertica, ut in Falerno, arundo, ut in Arpino, restes, ut in Brundusino; vites, ut in Mediolanensi: Jugationis species duæ, una directa, ut in agro Canusino; altera compluviata in longitudinem & in latitudinem jugata, ut in Italia pleræque. Hæc ubi domo nascuntur, vinea non metuit sumtum; ubi multa ex propinqua villa, non valde. Prium genus quod dixi, maxime quærit salicta; secundum arandineta, tertium junceta, aut ejus generis rem aliquam; quartum arbusta ubi traduces possint fieri vitium, ut Mediolanenses faciunt in arboribus, quas vocant opulos; Canusini in barundulatione in ficis. Pedamentum item fere quatuor generum; unum robustum quod optimum solet afferri in vineam e querca, ac junipero, & vocatur ridica, alterum palus e pertica, melior e dura, quod diuturnior: quem cum infimum terra voluit, puter evertitur, & fit solum summum: tertium quod horum inopiæ subsidio misit arundinetum: inde etiam alquot colligatas libris dimittunt in tubulos fictiles, cum fundo pertuso, quos cuspides appellant, qua humor adventitius transire possit: quartum est pedamentum nativum ejus generis, ubi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit, quos traduces, quidam rumpos appellant. Vineæ altitudinis modus longitudo hominis: Intervalla pedamentorum, qua boves juncti arare possint. Ea minus sumtuosa vinea, quæ sine jugo ministrat acratophoro vinum. Hujus genera duo; unum, in quo terra cubilia præbet uvis, ut in Asia multis locis, quæ sæpe vulpibus & hominibus fit communis; nec uon si parit bumus mures, minor fit vindemia: nisi totas vineas oppleris muscipulis; quod in insula Pandataria faciunt. Alterum genus vineti, ubi ea modo removetur e terra vitis, quæ ostendit se afferre uvam. Sub eam ubi nascitur uva; subjiciuntur circiter bipedales e surculis furcillæ, ne vindemia pereat, & vindemia facta denique discat pendere in palmam, aut funiculo, aut vinctu, quod antiqui vocabant cestum. Ibi dominus simul ac vidit* occi-

occipitium vindemiatoris, furcillas reducit hybernatum in tecta, ut sine sumtu earum opera altero anno uti possit. Hac consuetudine in Italia utuntur Reatini: Hæc ideo varietas maxime, quod terra cujusmodi sit, refert: ubi enim natura humida, ibi altius vitis tollenda, quod in partu & alimonio vinum non ut in calice quærit aquam sed solem; itaque ideo ut arbitror, primum e vinea in arbores adscendit vitis. Idem cap. 26. *In omni vinea diligenter observant ut ridica vitis ab septentrione versus tegatur: Et si cupressos vivas pro ridicis inserunt, alternos ordines imponunt, neque eas crescere altius, quam ridicas patiuntur; neque propter eas adserunt vites, quod inter se hæc inimica.* Idem lib. v. cap. 4. ubi de vineis provincialibus. *Vinearum provincialium plura genera esse comperi, sed ex iis quas ipse cognovi maxime probantur, vel arbusculæ brevi vineæ, sine adminiculo per se stantes; deinde quæ pedaminibus adnixæ singulis jugis imponuntur; eas rustici canteriatas appellant. Mox quæ defixis arundinibus circummunitæ per statumina calamorum materiis ligatis in orbiculos gyrosque flectuntur: eas nonnulli characatas vocant. Ultima est conditio stratarum vitium, quæ ab enata stirpe confestim velut projectæ per humum porriguntur &c.* Et mox. *Vitis quæ sine adminiculo suis viribus consistit, solutiore terra scrob, densiore sulco ponenda est: sed & scrobes & sulci plurimam prosunt, si in locis temperatis, in quibus æstas non est perfervida, ante annum fiant, quam vineta conserantur &c.* Idem lib. IV. cap. 19. *De positione jugi, quatenus a terra levandum sit, hoc dixisse abunde est; humillimam esse quatuor pedum, celsissimam septem; quæ tamen in novellis seminibus vitanda est: Neque enim hæc prima constitutio vinearum esse debet, sed per annorum longam seriem ad hanc altitudinem vitis perducenda est. Ceterum quanto humilius est solum, & cœlum, placidioresque venti, tanto est altius attollendum jugum. Nam lætitia vitium patitur se celsius evagari, fructusque submotus e terra minus putrescit, & hoc uno modo perflatur ventis, qui nebulam, & rorem pestiferum celeriter adsciccant, multumque ad deflorescendum, & ad bonitatem vini conferunt. Rursus exilis terra & acclivis torrensque æstu vel quæ vehementibus procellis obnoxia est, humilius jugum poscit. At si cuncta competunt voto, justa est altitudo vineæ pedum quinque: nec tamen dubium, quin vites tanto melioris saporis præbeant mustum, quanto in editiora juga consurgunt. Pedatam vineam jugatamque sequitur alligatoris cura, cui antiquissimum esse debet, ut supra dixi, rectam conservare stirpem, nec flexum ridicæ sequi persequi ne pravitas statuminum ad similitudinem sui vitem configuret. Id non solum ad speciem plurimum refert, sed ad ubertatem, & firmitatem, perpetuitatemque. Nam rectus truncus similem sui medullam gerit, per quam velut quodam itinere sine flexu atque impedimento facilius terræ matris alimenta meant, & ad summum perveniunt, at quæ curvæ sunt & distortæ, non æqualiter allidunttur, inhibentibus nodis, & ipso flexu incursum terreni humoris veluti salebris retardante. Quare cum ad summum palum recta vitis extenta est, capistro constringitur, ne fœtu gravata subsidat, curveturque: tum ex eo loco quod proximum jugo ligatum est, brachia disponuntur in diversas partes, palmæque superpositæ deorsum versus curvantur vinculo, itaque id quod jugo dependet, fructu impletur, rursusque curvatura juxta vinculum materiam exprimit. Quidam enim partem, quam nos præcipitamus, supra jugum porrigunt, & crebris viminibus innexis continent, quos ego minime probandos puto. Nam dependentibus palmitibus, neque pluviæ neque pruinæ grandinesque tantum nocent, quantum religatis & quasi tempestatibus oppositis: iidem tamen palmites priusquam fructus mitescant, variantibus adhuc & acerbis uvis, religari debent, quominus roribus queant putrescere, aut ventis ferisque devastentur. Juxta decumantum atque semitas palmites intrinsecus flectendi sunt, ne prætereuntium incursu lædantur. Et hac quidem ratione tempestiva vitis ad jugum perducitur. Nam quæ vel infirma vel brevis est, ad duas gemmas recidenda est, vehementiorem fundat materiam, quæ protinus emicet in jugum.* Idem ibid. c. 26. *His peractis sequitur, ut jam ante diximus adminiculandæ jugandæque vineæ cura, cui stabiliendæ melior est ridica palo, neque ea quælibet, nam est præcipua cuneis fissa olea, quercus, & suber, aut si quæ sunt similia robora; tertium obtinet locum pedamen teres idque maxime probatur ex junipero & lauru & cupressu, recte etiam faciunt ad eam rem sylvestres pinus, atque etiam sambuci probabilis usus: tamen in his hæc eorumque similia pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque earum putres dedolandæ, atque alia convertenda, quæ sinceritatem habent: alia submovenda, quæ vel cariosa, vel justo breviora sunt, eorumque in vicem idonea reponenda, jacentia statuenda, declinata corrigenda. Jugo si non erit opus nova sartura, recentia vincula inserantur; si restituendum videbitur, antequam vitis palo applicetur, perticis vel arundinibus connectatur,*

ctatur, ac tum demum, ſicut in novella præcipimus, vitem juxta caput infraque brachia colligemus cum ridica: idque facere non oportebit omnibus annis eodem loco, ne vinculum incidat, & truncum ſtrangulet. Brachia deinde ſub ſtella quadripartito locabimus, teneroſque palmites ſuper jugum ligabimus nihil repugnantes naturæ, ſed ut quiſquis obſequetur, leviter curvabitur, ne deflexu frangatur, neve jam tumentes gemmæ detergeantur: atque ubi duæ materiæ per unam partem jugi mittentur, media pertica interveniat, directæque palmæ per jugorum compluvia decurrant, & velut merſæ cacuminibus in terram deſpiciant. Id ut ſcite fiat meminerit alligator, ne retorqueat ſarmentum, ſed tantum inflexum devinciat, & ut omnis materia, quæ modo poteſt præcipitari, jugo ſuperponatur, ut potius innixa perticæ, quam e vinculo pendeat. Sæpe enim notavi per imprudentiam ruſticos ſubjicere jugo palmam, & ita colligare, ut ſolo vimine ſuppendeat quæ vinea cum accipit pampini, & uvarum pondus infringitur. Idem lib. IV. cap. 16. 17. *Cum menſem trigeſimum exceſſerit poſita vinea i. e. tertio autumno vehementioribus ſtaminibus impedanda eſt, idque non ut libet, aut fortuito faciendum; nam ſive prope truncum defigitur palus, pedali tamen ſpatio recedendum eſt, ne aut premat, aut radicem vulneret, & ut foſſor ab anni parte ſemina circumfodiat; iſque palus ſic ponendus eſt, ut frigorum & aquilonum excipiat violentiam, vitemque protegat; ſive medio interordinio pangetur, vel defodiendus eſt, vel prius paxillo perforato ſolo, altius adigendus, quo facilius & jugum & fructum ſubſtineat. Nam quando propius truncum ridica ſtatuitur, etiam leviter defixa ſtabilior eſt; quoniam contingens vitem mutua vice ſubſtinetur, & ſubſtinet. Staminibus deinde firmiora juga ſunt alliganda, eaque vel ſaligneis perticis, vel compluribus quaſi faſciolis arundinum connectuntur, ut rigorem habeant, nec pandantur onere fructuum; nam binæ jam materiæ ſingulis ſeminibus ſubmittendæ erunt; niſi tamen gracilitas vitis alicujus anguſtiorem putationem deſiderabit, cujus unus palmes, atque idem paucorum oculorum relinquendus eſt. Perticæ jugum firmius faciunt, minuſque operoſum arundines pluribus operis jungantur, quoniam & pluribus locis nectuntur; eæque inter ſe converſis cacuminibus vinciendæ ſunt, ut æqualis craſſitudo totius jugi ſit; nam ſi cacumina in unum competunt, imbecillitas ejus partis gravata pondere jam maturum fructum proſternit, & canibus feriſque reddit obnoxium.* Palladius lib. III. cap. 11. *Vineæ in provinciis multis generibus fiunt: ſed optimum genus eſt, ubi vitis velut arbuſcula ſtat brevi crure fundata. Hæc primo calamo juvatur, donec ſolidetur, ſed altior ſeſquipede eſſe non debet; ubi robuſta fuerit; ſola conſiſtet: aliud genus eſt, in quo cannis pluribus circa diſpoſitis, ipſa vitis per cannas ſarmentis ligatis in orbiculos flectitur ſe ſequentes. Ultimæ poſitionis vitis eſt, quæ per terram projecta diſcumbit: Hæ omnes & ſcrobibus ponuntur & ſulcis.* Et mox: *Vitis, quæ in arbore collocatur. Prima ejus materia ad ſecundam vel tertiam gemmam præcidatur: deinde omnibus annis aliquod per ramos creſcere ſubinde patiantur, unum materiam ſemper ad cacumen arboris dirigentes. Sed qui fructum volunt maximum, materias plures per ramos ſubmittunt; qui vinum melius, ſarmenta in cacumen extendunt. Fortioribus ramis arborum plures materiæ, debilioribus imponendæ ſunt pauciores. Putandi autem ratio talis eſt, ut & vetera ſarmenta, quibus primi anni fructus pependit, omnia recidantur, & nova circumciſis capreolis & ramis inutilibus dimittantur: Sed providendum eſt omnibus annis vitem reſolvi, ac religari, quia refrigeratur. Ita formandi ſunt rami arborum vitiferarum, ne alter ſub alterius linea dirigatur; ſed loco pingui ulmus e terra octo pedibus, gracili vero ſeptem ſine ramo relinquenda eſt. In ſolo roſido & nebuloſo rami arboris vitiferæ in orientem, & occidentem putatione dirigantur, ut latera vacua ſolis rudiis membra totius vitis oſtendant. Agendum eſt autem ut vitis ſpiſſa non ſit in arbore, & deficientibus primis arboribus ſubſtituendæ ſunt aliæ. In loco clivoſo humilius rami arborum ſervandi ſunt, in plano & uliginoſo, altius. Palmites ad arborem non duro vimine ligentur, ne eos vinculum recidat, aut atterat: Hoc autem noveris, quia palmes, quod extra ligaturam pendens habuerit, fructu induet: quod infra ligaturam, materiæ ſequentis anni deputabit.*

V. Autores rei ruſticæ præmonent ridicas, arundines, ſalictas &c. pro jugandis vitibus præparari. *Bava Batra* cap. IV. 8. המוכר את השדה מכר את האבנים שהם לצורכה ואת הקנים שבכרם שהם לצורכו ואת התבואה שהיא מחוברת לקרקע ואת מחיצת הקנים שהיא פחותה מרית רובע: Siquis agrum vendiderit, etiam vendidit lapides in uſum ipſius, & cannas vineæ, quæ in ipſius fuerunt uſum, necnon proventum, qui terræ affixus eſt. Sic etiam cannarum interſtitium, quod ſpatio quartarii minus fuerit. Ubi *Maimonides*: והקנים שהם לצרכו: & *cannas in uſum ipſius*: ad origendum ſuper illas vites מחיצת הקנים *pacies cannarum*; notat ſpatium illud, in

quo

quo vites tantummodo plantatæ sunt. Et *Bartenora*. קנים *cannas* super quas traducunt vites: מחיצת הקנים *interstitium*; si multæ cannæ simul venerint, & spatium quartario minus fuerit, cessat jus earum respectu agri. In *Schemoth Rabba* sect. 1. fol. 116. cap. 3. ותמלא הארץ אותם: *Et repleta est terra illis*. *Exod*. 1. 7. כחושים של קנים *instar filorum calamorum*. Glossator exponit: *Sicut sylva calamorum*; i. e. *Arundinetum*. *Cato* cap. 17. *Robus, materies item pro ridica, ubi solstitium fuerit ad brumam semper tempestiva erit. Cetera materies quæ semen habet, cum semen maturum habet, tum tempestiva est. Quæ materies semen non habet, cum glubebit, tum tempestiva est: Ea quæ semen viride & maturum habet, uti semen de cupresso, de pino, quidvis anni legere possis. Item quidvis anni matura est & tempestiva, ibi dum sunt nuces bimæ, inde semen excidet, & anniculæ eæ, ubi primum incipiunt hiascere, tum legi oportet, per sementim primum incipiunt maturæ esse, postea usque adeo sunt plus menses* VIII. *Hernotinæ nuces virides sunt. Ulmus, cum folia cadunt, tum iterum tempestiva est*. *Columella* lib. IV. cap. 30. *Quoniam constituendis colendisque vineis, quæ videbantur utiliter percipi posse, disservimus, pedaminum jugorumque, & viminum prospiciendorum tradenda ratio est: hæc enim quasi quædam dotes vineæ ante præparantur; quibus si deficiat agricola, causam faciendi vineti non habet, cum omnia, quæ sunt necessaria, extra fundum quærenda sint; nec emtionis tantum, sicut ait Attius, pretium onerat vitis rationem, sed etiam comparatio molestissima, convehenda enim sunt tempore iniquissimo hyberno. Quare radices viminales, atque arundineta, vulgaresque sylvæ vel consulto consitæ e castaneis, pejus facienda sunt. Viminalium, ut Atticus putat, singula jugera sufficere possunt quinis & vigenis jugeribus ligandæ vineæ; arundineti singula jugera vigenis jugandis: castaneti jugerum totidem palandis, quot arumdineti jugandis: Salicem vel riguus ager vel uliginosus optime, nec incommode tamen alit planus & pinguis, atque is debet converti bipalio (ita enim præcipiunt veteres) in duos pedes & semissem: (salicto destinactum solum) nec refert cujus generis vinea, dum sit lentissimum: putant tamen tria esse genera præcipue salicis, Grecæ, Gallicæ, Sabinæ, quam plurimi vocant Amerinam. Græca flavi coloris est, Gallica obsoleti purpurei, & tenuissimi viminis. Amerina salix gracilem virgam, & rutilam gerit. Atque hæc vel cacuminibus, vel taleis deponuntur. Perticæ cacuminum modicæ plenitudinis, quæ tamen dipondiarii cubiti crassitudinem non excedunt; optime panguntur eousque dum ad solidum demittantur. Taleæ sesquipedales, terreno immersæ paullulum obruuntur &c.* Et mox. *Perarida loca, quæ genus id virgultorum non recipiunt, genistam postulant: Ejus cum sit satis firmum tum etiam lætissimum est vinculum. Seritur autem semine, quod cum est natum, vel desertur bima viviradix, vel relicta, cum id tempus excessit, omnibus annis more segetis juxta terram demeti potest. Cetera vincula qualia sunt ex rubo, majorem operam, sed in egeno tamen necessariam exigunt. Perticalis fere salix eundum agrum, quem viminalis desiderat: Melior tamen riguo provenit, atque ea taleis conseritur, & cum germinavit ad unam perticam submittitur, crebroque foditur, atque exherbatur, nec minus quam vinea pampinatur, ut in longitudinem ramorum potius quam in latitudinem evocetur: sic culta quarto demum anno cæditur. Nam quæ vinculis præparatur, potest annicula præcidi ad semissem supra duos pedes, vel e trunco fruticet, & in brachia velut humilis vinea disponatur; si tamen siccior fuerit ager, bima potius resecabitur. Arundo minus alte pastinatur, melius tanta bipalio seritur; eo cum sit vivacissima, nec recuset ullum locum; prosperius resoluto, quam denso, humido, quam sicco, vallibus quam clivis, fluminum ripis & limitibus, ac vepretis commodius quam mediis agris, deponitur &c. Castanea roboribus proxima est, & ideo stabiliendis vineis habilis. Ejus enim in repastinato nux posita celeriter emicat, & post quinquennium cæsa mare salicti recreatur, atque in palum formata fere usque in alteram cæsionem perennat*. *Palladius* lib. III. cap. 23. *Tempore hoc canneta ponenda sunt factis brevissimis scrobibus, & oculis cannarum per singulas scrobes obrutis, qui semipedis spatio inter se distare debebunt. Si calidæ & siccæ provinciæ studemus, valles humidas vel irriguas opus est deputare cannetis; si frigida regio est, locis mediis instituantur, sed succo villarum subditis. Inter hæc asparagorum etiam semina spargere possumus, ut mista nascantur, quia & asparagi coluntur; & incenduntur eo more quo cannæ. Sed si sunt antiqua canneta, hoc tempore sarrientur, recisis quæ in radice purganda sunt, id est putribus, male porrectis, & siqua gignendi oculos non habebunt. Nunc salicis plantas, & omnium generum, quæ arbusto applicandæ sunt, vel genestæ, ubi deerit, obruemus*. Idem l. XIII. c. 2. *Et maceriem bene hoc mense* scil. Decembri *cædemus; palos quoque & corbes faciemus & ridicas*.

Quo

Quo tempore cædendæ sint ridicæ, & pali nos docet *Columella* lib. XI. cap. 2. *Ridicis, vel etiam palis conficiendis, idoneum tempus est* (sc. Kal. Febr.) *nec minus in ædificia succidere arborem convenit: sed utraque melius fiunt luna decrescente ab vigesima usque in trigesimam, quoniam omnis materia sic cæsa judicatur carie non infestari. Palos una opera cædere, & exputatos acuere centum numero potes: ridicas autem querneas, sive oleagineas findere, & dolabratas utraque parte exacuere numero sexaginta. Item ad lucubrationem vespertinam palos decem, vel ridicas quinque conficere, totidemque per antelucanam lucubrationem.*

VI. De pergula hæ leguntur in *Celaim* cap. VI. איזהו עריס הנוטע שורה של ה' נפנים בצד הגדר שהוא גבוה י' טפחים או בצד חריץ שהוא עמוק י' טפחים ורחב ארבעה נותנין עבודתו ארבע אמות בשׂא ארבע אמות מעקר הנפנים לשדה ובהא מן הגדר לשדה אר' יוחנן בן נורי טועין כל אומרים כן אלא אם יש שם ארבע אמות מעקר גפנים ולגדר נותנין לו את עבודתו וזורע את המותר וכמה היא עבודת הגפן ששה טפחים לכל רוח ר' עקיבא אומר שלשה עריס שהוא יוצא מן המדרגה ר' אליעזר בן יעקב אומר אם עומד בארץ ובוצר את כולו הרי זה אוסר ארבע אמות בשדה ואם לאו אינו אוסר אלא כנגדו ר' אליעזר אומר אף הנוטע אחת בארץ ואחת במדרגה אם גבוה מן הארץ עשרה טפחים מצטרפת עמה ואם לאו הרי זו מצטרפת עמה פסקי עריס ה' אמות ועוד וכל מדות שאמרו חכמים אין בהם ועוד חוץ מפסקי עריס הלו הן פסקי עריס עריס שחרב מאמצעי ונשתיירו חמש גפנים מכאן וחמש גפנים מכאן אם יש שם שמנה אמות לא יביא זרע לשם שמונה אמות ועוד נותנין לו כדי עבודתו וזרע את המותר עריס שהוא יוצא מן הכותל מתוך הקרן וכלה נותנין לו עבודתו וזרע את המותר ר' יוסי אומר לא אם אין שם ארבע אמות לא יביא זרע לשם הקנים היוצאים מן העריס והם עליהם לפסקן כנגדן מותר עשאן כדי שיהלך עליהן החדש אסור הפרח היוצא מן העריס רואין אותו כאילו מטולטלת תלוים בו כנגדו אסור וכן בדילת חמותה זמורה מאלן לאילן תחתיה אסור ספקה בחבל או בנמי תחת הספוק מותר עשאה כדי שיהלך עליו אחרש אסור: Quid est pergula? Ubi ponitur ordo quinque vitium ad maceriam altam denos palmos, vel ad fossam denos altam, latam quaternos, tribuunt ei cultum suum cubitorum quatuor. Schola Schanmai dicit quatuor cubitos a radicibus vitium in agrum emetiendos. Schola Hillel dicit a macerie in agrum emetiendos. R. Jochanan ben Nuri dicit: Errant qui ita dicunt: Verum si intervallum sit quatuor cubitorum inter vitium radices & maceriem, cultum suum eis tribuitur, reliquum semine obserendum. Quantus autem est cultus vitis? Palmorum senum quaquaversus. R. Akiba dicit palmorum trium. Pergula ex aggere promissa, R. Eliеser ben Jacob dicit; si is, qui in terra stat, totam vindemiare potest, sationi illicitos reddit quatuor cubitos in agrum, sin minus, non aliud illicitum reddit, quam quantum ei subest. R. Eliеser dicit: Etiam ubi depangitur *ordo* unus in terra, alius in aggere; si is denis palmis terra editior sit, hic cum illo non conflatur: sin minus, hic & ille conflantur. Intercisiva pergulæ sunt octo cubitorum & amplius. In universis autem mensuris, quas de vinea tradiderunt sapientes, non obtinet illud & amplius, præterquam in pergula intercisiva: Hæc autem sunt intercisiva pergulæ, cum pergula media sui parte abolescit vitibus quinis utrinque remanentibus: Si intercapedo ista octo cubitorum sit, non licet illuc inferre semen. Si octo cubitorum & amplius, cultu suo vitibus attributo, reliquum satis occupatur. Si pergula e pariete ex ipso angulo promissa deficiat, tribuitur ei cultus suus, & reliquum obteritur. R. Jose dicit: Si ibi non fuerit spatium quatuor cubitorum, ibi inserere non licet. Si quis prominentes cannas præcidere pepercerit, infra eas licet: Sin eo fine ita constituerit, ut per eas præserperet materia, non licet. Materiam extra pergulam luxuriantem appenso quasi perpendiculo æstimant, ut quicquid subsit, satu illicitum habeatur. Similiter in vite suspensa, si quis traducere protendat de arbore in arborem, quod subest illicitum habetur. Si continuaverit funiculo vel junco, quod supplemento subest, licitum habetur; si eo fine usurpaverit, ut per eam proserperet materia, illicitum. *Columella* lib. IV. cap. 21. *Itaque pingui terra singulis brachiis licebit bina jungere flagella, nec tamen numerosius onerare, quam ut una vitis octo serviat palmitibus; nisi si admodum nimia ubertas plures postulabit: illa enim pergulæ magis quam vineæ figuram obstinet, quæ supra hunc modum materiis distenditur.* Idem lib. XI. cap. 2. *Et siquæ pergulæ vitium generosarum, vel siquæ in agris, aut vepribus singulares arbores maritæ a putatoribus relictæ sunt, utique deputari debent; post quem diem sera & infructuosa sit hujusmodi rerum cultura.* Et lib. III. cap. 2. commemorat pergulanam vitem. *Nam has nuper mihi cognitas, pergulanam dico, & irtiolam, fereolamque non facile asseverem, quo gradu habendæ sint,*

sint, quod etsi satis fœcundas scit, nondum tamen de bonitate vini, quod afferunt, judicare potui. *Palladius* lib. III. cap. 12. *Illæ vero quæ altius coluntur, ut in jugo, vel pergula, ubi quatuor pedibus supra terram levatæ steterint quaterna brachia habeant.* Idem lib. XII. 3. *Nunc ac deinceps vinea vetus, quæ in jugo est vel pergula, si robusto, & integro trunco sit, ablaqueata fimo satietur.*

VII. Quid sit vineæ calvitium, & præcinctus legitur in *Misna Celaim* cap. IV. קרחת הכרם ב״ש אומרים כ״ד אמות ובה״א י״ו אמה מחול הכרם ב״שא י״ו אמה וב״ה אומרים שתים עשרה אמה ואיזו היא קרחת הכרם כרם שחרב מאמצעו אם אין שם שש עשרה אמה לא יביא זרע לשם היה שם שש עשרה אמה נותנין לה עבודתה וזרע את המותר אי זו היא מחול הכרם בין כרם לגרר אם אין שם י״ב אמות לא יביא זרע לשם היו שם י״ב אמה נותנים לו עבודתו וזצע את המותר ר׳ יהודה אומר אין זה אלא גדר הכרם ואי זה הוא מחול הכרם בין שני הכרמים אי זה הוא גדר שהוא גבוה י׳ טפחים וחריץ שהוא עמוק עשר ורחב ארבעה: Calvitium vineæ, dicit Schola Schammai, est cubitorum viginti quatuor. Schola Hillel dicit: cubitorum sedecim. Præcinctus vineæ; Schola Schamai dicit, est cubitorum sedecim; & Schola Hillel, est cubitorum duodecim. Quodnam est calvitium vineæ? Locus in medio vitibus vacuus. Is si minor sit sedecim cubitis, eo non inferetur semen. Si sedecim cubitorum sit, cultus suus vineæ tribuitur, reliquum occupant sata. Quinam dicitur vineæ præcinctus? Spatium inter vites & maceriem. Id si minus sit cubitis duodecim, eo non inferetur semen. Si duodecim cubitorum sit, cultus suus vineæ datur, reliquum occupant sata. R. Jehuda, dicit: Hoc non est nisi maceria vineæ. Quinam ergo dicitur præcinctus vineæ? Spatium inter binas vineas. Quænam est maceria? Denos palmos alta. Fossa? Denos alta, quaternos lata. *Columella* lib. IV. cap. 29. *Tum quod ex insito profundit subligandum, ne vento surculus motus labefactetur, aut explantetur tener pampinus, qui cum excrevit nepotibus orbandus est, nisi propter penuriam, & calvitium loci submittitur in propagine.* De vineæ calvitio hæc idem habet lib. III. cap. 16. *Coæquato deinde pastinato malleolus ordinariis vitibus interserendus est; eumque sat erit medio spatio quod vacat inter vites, per unam lineam depangere: Sic enim melius & ipse convalescet, & ordinariis seminibus modice vacuum solum ad culturam præbebitur.* *Calvitium* etiam *Catoni* & *Plinio* cognitum, a quibus *vinea calvata* appellatur.

VIII. Quænam sit vinea juxta Hebræorum disciplinam legitur cap. IV. *Celaim* הנוטע שורה של חמש נפנים ב״שא כרם וב״הא אינו כרם עד שיהו שם שתי שירות לפיכך הזרע ארבע אמות שבכרם ב״שא קידש שורה אחת וב״הא קידש שתי שורות הנוטע שורה א׳ בתוך שלו ושורה א׳ בתוך של חבירו ודדך היחיד ודרך הרבים באמצע וגדר שהוא נמוך מעשרה טפחים הרי אלו מצטרפות גבוה מי׳ טפחים אין מצטרפות ר׳ יהודה אומר אם ערסן מלמעלה הרי אלו מצטרפות הנוטע שתי שורות אם אין ביניהם ח׳ אמות לא יביא זרע לשם היו שלש אם אין בין שורה לחברתה שש עשרה אמות לא יביא זרע לשם ר׳ אלעזר בן יעקב אומר משום חנינא בן הכינאי אפילו חרבה האמצעית ואין בין שורה לחברתה י״ו אמת לא יביה זרע לשם שאילו מתחילה נטען הרי זה מותר בח׳ אמות הנוטץ את כרמו על שש עשרה שש עשרה אמה מות׳ להביא זרע לשם א״ר יהודה מעשה בצלמון בא׳ שנטע את כרמו על שש עשרה שש עשרה אמה והיה הופך שער שתי שורות לצד אחד וזורע את הניר ובשנה האחרת היה הופך את השער למקום אחר וזרע את הבור ובא מעשה לפני חכמים והתירו ר״מ ור׳ שמעון אומרים אף הנוטע כרמו על שמנה שמנה אמות מותר כרם שחרב אם יש בו ללקט י׳ נפנים לבית סאה ונטועות כהלכתן הרי זה נקרא כרם (כרם דל ס״א) שהוא נטוע ערבוביא אם יש בו לכוין ב׳ כנגר ג׳ הרי זה כרם ואם לאו אינו כרם ר״מא הואיל והוא נראה כתבנית הכרם הרי זה כרם כרם שהוא נטוע על פחות פחות מאר ב׳ אמות ר׳ שמעון אומר אינו כרם וחכ״א כרם ורואין האמצעיות באילו אינן חריץ שהוא עובר בכרם עמוק י׳ ורחב ארבע ר׳ אלעזר בן יעקב אומר אם היה מפולש מראש הכרם ועד סופו הרי זה נראה כבין ב׳ כרמים וזורעין בתוכו ואם לאו הרי הוא כגת והגת שבכרים עמוק עשרה ורחבה ארבעה ר׳ אליעזר אומר זורעים בתוכה וחכ״א שומרה שבכרם גבוה עשר ורחב ארבע זורעין בתוכ׳ ואם היה שער כותש אסור: Ubi est consitus ordo quinque vitium, schola Schammai dicit vineam esse; schola Hillel dicit non esse vineam, nisi duo sint ordines. Hac de causa siquis occupet cubitos quaternos vineæ, schola Schammai dicit, unum tantum ordinem sancificasse, & schola Hillel dicit, sanctificasse duos ordines: Si quis binas vites depangat adversus binas, atque aliam in caudam abeuntam, vinea est. Binas adversus binas, atque aliam inter binas, vel binas adversus binas atque aliam in medio, non est vinea, nisi depangatur binæ adversus binas, atque alia in caudam abiens: Siquis depangat ordinem


dinem unum in ſuo, & alterum in ſocii agro, intercurrente via privata, vel publica, vel maceria denis palmis depreſſiori, conſlantur, altiori denis palmis non conſlantur. Si opere pergulano ſuperne conjunxerit, R. Jehuda dicit, quod conſlentur. Qui poſuerit duos ordines, niſi interſint octo cubiti, ſemen illuc non inferet. Ternos, niſi inter unumquemque ordinem, & alium ſedecim interſint cubiti, ſemen illuc non inferet. R. Elieſer ben Jacobi dicit nomine Chanine ben Achinæi: Si vel medius ordo exolaverit, niſi inter reliquos binos interſint ſedecim cubiti, illuc non inferetur ſemen; quod tamen ſi ab initio ita fuerint poſiti, licitum foret vel octo cubitorum intervallo. Siquis vineam ſeverit per cubitos denos, licet ibi ſemen inferre. Dicit R. Jehuda: narratur de quodam Salamine, qui vineam conſerit relictis interordiniis cubitorum ſedecim. Flectens autem frondem binorum ordinum ad eandem partem, novale obſerebat; alio deinde anno fronde ſata verſus revocata obſerebat requietum. Allatus fuit caſus coram ſapientibus, permiſerunt. R. Meir & R. Simeon dicunt; Vel ſiquis ſerat vineam ſuam inter octonos cubitos, licere. Vinea quæ exolevit, ſi in ea ſeligere eſt denas vites in agri ſato poſitas ut poſtulat conſuetudo, dicitur vinea rareſcens. Vinea extra ordinem conſita, ſi in ea deſtinare eſt binas ex adverſo trium, erit vinea, ſin minus non eſt vinea. R. Meir dicit vineam eſſe, quandoquidem cernitur vinearum forma. Vinea quæ conſita eſt interordiniis quatuor cubitis minoribus, R. Simeon dicit: non eſt vinea; & conſiderantur alterni ordines, quaſi non eſſent. Foſſa per vineam tranſiens denos palmos alta, lata quaternos, R. Eliezer ben Jacobi dicit, ſi totam a capite ad finem permeet, eo loco habetur, ac ſi eſſet inter binas vineas, & in ea ſeritur; ſin vero, ut lacus torcularis habetur. Lacum autem vineæ denos altum, latum quaternos, R. Elieſer dicit, quod in eo poſſit ſeri; & ſapientes vetant. In ſpecula vineæ denos alta, linea quaternos, ſeritur; ſi autem frondes ſuperne collidantur non licet. Vid. *Columella* lib. III. c. 13. & l. V. c. 5. *Ceterum* (inquit) *quatuor angulis ſemina applicabuntur, ſubjecta minuta terra, & ita ſcrobes adobruentur. Sed de ſpatiis ordinum eatenus præcipiendum habemus, ut intelligant, agricolæ, ſive aratro vineas culturi ſunt, laxiora interordinia relinquenda, ſive bidentibus, anguſtiora, ſed neque ſpatioſiora quam decem pedum, neque contractiora quam quatuor. Multi tamen ordines ita diſponunt, ut per rectam lineam binos pedes, aut ut plurimum ternos inter ſemina relinquant: tranſverſa rurſus laxiora ſpatia faciunt, per quæ vel foſſor vel arator incedat.*

IX. Putatio. *Levit.* XXV. 3. 4. שש שנים תזמור כרמך: *ſex annis putabis vineam tuam.* Targum תחסח כרמך: *Jonathan* ושית שנין כרמך לא תזמור Ibid. v. 4. תנזרין כרמיכון: *Vineam tuam non putabis.* Jonathan iterum וכרמיכון לא תנזרון. *Et vineas veſtras non putabitis.* *Job* XXIV. 6. Targum כרמה דרשעיא יכסחון: *Et vineam improborum putant.* Hebr. ולקשו. *Pſalm.* LXXX. 13. ubi de vinea. ומכסחין יתה *Et putant eam*; Hebr. וארוה. *Eſai.* cap. 5. 7. לא יזמר *Non putabitur.* *Sanhedrin* fol. 26. 1. חזיא להחיא גברא כסח בכרמי: *Vidit virum quendam qui erat putans in vinea.* *Schevvith* cap. II. 3. מזרדין. Ubi *Bartenora* notat ſuccidere ramos virides, quando illi in magna dantur copia, ut arbori noceant, quorum pars quædam relinquitur, & vocatur זירוד. Et *Maimonides* מזרדין eſt amputare arborum ramos ſe nimium extendentes, nam זרדין eſt nomen ramorum, qui amputantur in tempore putationis. *Varro* lib. I. cap. 34. *Uvas autem legere & vindemiam facere inter æquinoctium autumnale & vergiliarum occaſum. Dein vero vites putare incipere & propagare, & ſerere poma. Hæc aliquot regionibus, ubi maturius frigora fiunt aſperiora, melius verno tempore.* *Columella* lib. IV. cap. 10. *Putandi autem duo ſunt tempora; melius autem ut ait Mago vernum, antequam ſurculus progerminet, quoniam humoris plenus facilem plagam, & levem & æqualem accipit, nec falci repugnat. Hunc autem ſecuti ſunt Celſus, & Atticus. Nobis neque anguſta putatione coercenda ſemina videntur, niſi ſi admodum invalida ſunt, nec utique verno recidenda. Sed primo quidem anno, quo ſunt poſita, frequentibus foſſionibus, omnibus menſibus dum frondent, ac pampinationibus adjuvanda ſunt, ut robur accipiant, nec plus quam uni materiæ ſerviant, quam ut educaverint, autumno vel vere ſi magis competat, abradenda, & nepotibus, quos pampinator in ſuperiore parte omiſerat, liberanda cenſemus, atque ita in jugum imponenda: ea enim levis & recta ſine cicatrice vinea eſt, quæ ſe primi anni flagello, ſupra jugum extulit, quod tamen apud paucos agricolas, & raro contingit. Ideoque prædicti autores primitias vitis reſecare conſuerunt. Sed nec utique verno omnibus regionibus melior putatio eſt; ubi vero aprica loca ſunt, molleſque hyemes, optima & maxime naturalis eſt autumnalis: quo tempore divina quadam le-*

ge, & æterna fructum cum fronde stirpes deponunt. Idem cap. 23. *Nunc quoniam parum videmur de putatione vinearum locuti, maxime necessariam partem propositi operis diligentius persequemur. Placet ergo, si mitis ac temperata permittit in ea regione quam colimus, cœli clementia, facta vindemia secundum Idus Octobris auspicari putationem: cum tamen æquinoctiales pluviæ præcesserint, & sarmenta justam maturitatem ceperint: nam siccitas seriorem putationem facit: Sin autem cœli status frigidus, & pruinosus hyemis violentiam denuntiat, in Idus Febr. hanc curam differemus. Atque id licebit facere, si erit exiguus possessionis modus: nam ubi ruris vastitas electionem nobis temporis negat, valentissimam quamque partem vineti frigoribus, macerrimam vere, vel autumno: quin etiam per brumam meridiano axi oppositas vites, aquiloni per ver & autumnum deputari conveniet. Nec dubium quin sit horum virgultorum natura talis, ut quanto maturius detonsa sint, plus materiæ; quanto serius, plus fructus afferant.* Vid. lib. IV. cap. 24. *Palladius* lib. III. cap. 12. *Hoc mense* sc. Februario *locis frigidis aliquatenus & temperatis vitium justa putatio est. Sed ubi multæ sint vineæ, dividentur, & pars earum, quæ Septentrionem respiciet, verno tempore: alia pars adversa clementioribus plagis, recidatur autumno. Sed in putatione semper nitamur, ut vitis fiat in crure robustior, neve debili viticulæ duo duramenta servemus. Auferenda sunt lata, intorta, debilia, malis locis nata sarmenta. Focaneus etiam, qui inter duo brachia medius nascitur, debet abradi, qui si pinguedine sua bracbium quodcumque proximum debilitaverit, illi deciso ipse succedat: Erit tamen optimi putatoris, inferius sarmentum, quod bono loco natum fuerit, reparandæ vitis causa semper tueri, & ad unam vel duas gemmas relinquere. In locis clementioribus altius vitem licebit expandere: in exilibus, aut æstuosis, aut declivibus, aut procellosis, humilior est habenda: locis pinguibus, singulis brachiis vitium bina flagella dimitte. Sed erit sapientis æstimare vim vitis: nam quæ altius colitur, & fœcunda est, plusquam octo palmites habere non debet, ita ut conservemus semper in inferiore parte custodem. Circa crus quicquid nascitur, amputandum est, si non desideret vinea renovari. Quod si truncus vitis sole, aut pluviis, aut noxiis animalibus est cavatus, purgamus quicquid est mortuum, plagasque eas amurca linimus, & terra: quod proderit adversam prædicta. Cortex etiam recisus, & pendens a vite tollatur: quæ res minorem fæcem reddit in vino. Muscus radatur, ubicumque repertus. Sed plagæ, quas in duro vitis accipiet, obliquæ & rotundæ esse debebunt. Decisis, sicut supra dixi, male natis omnibus, & veteribus, novellos & fructuarios serva. Ungues etiam custodum siccos, & annotinos recide, & omnia quæ vetera vel scabra reperies. Illæ quæ altius coluntur, ut in jugo, vei pergula, ubi quatuor pedibus supra terram lenatæ steterint, quatuor brachia habeant. Si macra vitis erit, in singulis brachiis singula flagella dimittimus; si pinguis, bina: sed providendum, ne in una parte sint sarmenta, quæ servas: quod cum fit, vitis, tamquam si fulgure tangatur, arescit. Relinquenda sunt sarmenta neque circa durum, neque in summo, quia hæc velut pampinaria minus afferunt, illa vitem nimietate fœtus onerant, & longius ducunt: quare in medio loco servanda sunt, quæ tuemur. Plaga non juxta gemmam, sed aliquanto superius fiat, & avertatur a gemma propter lacrymam defluentem.* Idem lib. IV. cap. I. *Martio mense locis frigidis putatio vinearum celebratur, de qua abunde Februario mense locuti sumus, usquequo incipit gemma esse suspecta.* Idem lib. XI. cap. 4. Ubi de mense Octobri: *Nunc locis calidis, exilibus, macris, arenosis, aridis, quæcumque depastinis, & de vitibus ponendis, putandis, propagandis, reparandis, vel arbusto faciendo, ante dicta sunt, rectius fiunt, ut contra exilitatem glæbæ hybernis imbribus adjuventur.* Idem lib. XII. cap. 4. Ubi de mense Novembri. *Nunc putatio autumnalis celebratur in vitibus, & arboribus, maxime ubi invitamur tempore provinciæ.*

Falx putatoria Hebraice מזמרה appellatur. *Esai.* II. 4. וחנותותיהם למזמרות. *Et lanceas eorum in falces putatorias. Joel* IV. 3. ומזמרותיהם לרמחים. *Et falces putatorias eorum in falces. Mich.* IV. 3. וחנותותיהם למזמרות: *Et lanceas eorum in falces putatorias. Cato* cap. XI. commemorat *falces vineaticas*. Et *Palladius* lib. I. cap. 43. *Bidentes, dolabras, falces putatorias, quibus in arbore utamur, & vite: Item messorias vel fœnarias, ligones, lupos, id est ferrulas manubriatas minores majoresque ad mensuram cubiti, quibus facile est, quod per serram fieri non potest, resecando trunco arboris aut vitis interseri; acus per quas in pastinis, sarmenta merguntur: falces a tergo accutas, atque lunatas: cultellos item curvos minores, per quos novellis arboribus surculi aridi atque extantes facilius amputentur. Item falciculas brevissimas tribulatas &c.* Varro I. 22. *Sic alia quorum nonnulla genera species habent plures, ut falces, nam dicuntur ab eodem scriptore vineaticæ opus esse sex, sirpiculæ*

culæ v. sylvaticæ v. arborariæ III. *& rustariæ* X. *Columella* lib. IV. c. 24. *Super cetera illud etiam censemus, ut duris tenuissimisque & acutissimis ferramentis totum illud opus exequamur: obtusa enim & hebes & mollis falx putatorem moratur, eoque minus operis efficit, & plus laboris affert vinitori: nam sive curvatur acies, quod accidit molli, sives tardius penetrat, quod evenit in retuso & crasso ferramento, majore nisu est opus: tum etiam plagæ asperæ atque inæquales vites lacerant; neque enim uno sed sæpius repetito ictu res transigitur: quo plerumque fit, ut quod præcidi debeat, perfringatur; & sic vitis laniata, scabrataque putrescat humoribus, nec plagæ consanentur. Quare magnopere monendus putator est, ut prolixet aciem ferramenti, & quantum possit novaculæ similem reddat. Nec ignoret in quaque re, qua parte falcis utendum sit: Nam plurimos per hanc inscitiam vastare vineta comperi. Est autem sic disposita vinitoriæ falcis figura, ut capulo pars proxima, quæ rectam gerit aciem, culter ab similitudinem nominetur; quæ flectitur sinus; quæ a a flexu procurrit, scalprum, quæ* b *deinde adunca* c *est, rostrum appellatur: cui superposita semiformis lunæ species, securis dicitur; ejusque velut apex pronus imminens, mucro vocatur* d*: Harum partium quæque suis muneribus fungitur, si modo vinitor gnarus est. Nam* e *cum in adversum pressa manu desecare quis debet, cultro utitur; cum autem* f *retrahere, sinu: cum allevare, scalpro: cum incavare* g*, rostro; cum ictu cædere, securi: cum in angusto aliquid expurgare, mucrone. Major autem pars operis in vineam ductim potius, quam cæsim facienda est; nam ea plaga quæ sic efficitur uno vestigio, allevatur: prius enim putator applicat ferrum, atque ita quæ destinavit, præcidit; qui cæsim vitem petit, si frustratus est (quod sæpe evenit) pluribus ictibus stirpem vulnerat. Tutior igitur & utilior putatio est, quæ (ut retuli) ductu falcis, non ictu conficitur.*



X. Vites disraratæ. *Peah* cap. VII. 5. המדל בגפנים כשם שהוא מדל בתוך שלו כן הוא מדל בשל עניים: Qui vites disrarat, quemadmodum disrarat in parte sua, ita etiam disrarat in parte pauperum. Ubi *Bartenora* המדל בגפנים *qui rarefacit vites*: Quando vites se nimium implicant, exscindit medias, & eo alias adjuvat. *Maimonides* putat hic de flagellis excidendis agi. המדל *qui evellit*, sensus est (inquit) uti permissum est excidere flagella, eaque abjicere, quando excidant botros, sic etiam permissum est excidere racemos. *Ibid.* cap. III. 3. וכן בכרם המדל. *Maimonides* כרם מדל *ut vinea attenuata, ac rarefacta*, pars vero relicta ad calcandum, aut arefaciendum. *Guisius* in h. l. *Deglabrat*. Non potuit melior contigisse hujus loci interpres quam ipsa Misna *Schab.* IV. 4. ubi docet מדל eum dici, qui oleas singulas, vel binas subinde avellit, utpote qui rariores faciat, attenuetve, i. e. disraret, ut loquitur *Columella* in consimili argumento de arundineti veteris castratione, qui ternas continua מחליק, utpote qui tot auferendo in causa est ut glabretum appareat. *Columella* IV. 32. ubi de arundineto. *Sed illud de integro refodi debet; hoc potest intercidi, & disrarari, quod opus rustici castrationem vocant: quæ tamen refectio arundineti cæca est, quia non apparet in terra quid aut tollendum sit, aut relinquendum; tolerabilius tamen arundo castratur, antequam cæditur; quatenus calami, velut indices demonstrant, quid eruendum sit.*

Vites abnodatæ. *Schevvith* cap. II. 2. מפרקין. Ubi *Bartenora*. מפרקין. *Avellunt folia ab arbore*, ut reliqua alleventur, & rarefiant, meliusque excrescant. *Maimonides* מפרקין. Succidunt folia arboris. *Columella* lib. IV. cap. 24. *Vocatur enim focaneus palmes, qui solet in bifurco medius prorepere, & idcirco eum prædicto vocabulo rustici appellant, quod inter duo brachia,*

chia, qua se dividit vitis, enatus velut fauces obsidet, atque utriusque duramenti alimenta præcipit. Hunc ergo tanquam æmulum diligenter iidem amputant, & abnodant, priusquam corroboretur.

Vites frondatæ. *Schevvith* l. c. מיבלין. Ubi *Bartenora. Succidunt verrucas*, sive maculas quæ excreverunt in arboribus. Et *Maimonides*. מיבלין derivatur a voce יבלת *verruca*, notat ergo succidere verrucas arborum. *Columella* v. 6. *Atque in frondatione cavendum, ne aut prolixiores pollices fiant, qui ex amputatis virgis relinquuntur, aut rursus ita alleventur, ut ipse truncus lædatur, aut delibretur. Virgilius* Eclog. I.

> *Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.*

Ubi *Servius. Frondator*; id est rusticus, vel quod animal frondibus vescitur. Nam tria genera sunt frondatorum; frondator qui arbores amputat, & qui frondibus manipulos facit hyemis tempore animalibus ad pastum offerendos; & qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat; aut avis quæ in frondibus habitat, his vescitur; vel etiam palumbes, quæ in frondibus nidificant.

Vites stercoratæ. *Schevvith* l. c. מזבלין. *Maimonides* מזבלין adjicientes agro stercus, & fimum hortis ad humectandam terram. *Columella* lib. III. cap. 15. *Idemque Pœnus autor probat vinacea permixta stercori depositis seminibus in scrobem vires movere, quod illa provocent, & eliciunt novas radiculas; hac per hyemem frigentem & humidam scrobibus inferre calorem tempestivum, ac per æstatem virentibus alimentum & humorem præbere.* Idem lib. II. cap. 15. *Secundum* (stercus) *quod homines faciunt, si & aliis villæ purgamentis immisceatur, quoniam per se naturæ est ferventioris, & idcirco terram perurit. Aptior tamen est surculis hominis urina, quam sex mensibus passus fueris veterascere, si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas; nullo alio magis fructus exuberat, sed etiam saporem, & odorem vini pomorumque reddit meliorem.* Idem lib. IV. cap. 22. *Quippe hyberno tempore ablaqueata fimo satiatur. Virgilius* Georgic. lib. II.

> *Quod superest quæcumque premes virgulta per agros*
> *Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra.*

Vites cinere perfusæ. *Schevvith* l. c. קוטמין. *Bartenora*; exponunt cinerem adjicere radicibus, & amputare radices: Et *Maimonides* וקוטמין *& cinerem adspergunt*. Commentator exponit per *succidere ramos*. *Guisius* in h. l. *cineres perfundere*. Ita קוטמין interpretantur nonnulli. Alii potius *decacuminare*, vel ramusculos perfringere: ut *thallus & salix* נקטם ראשו *præfracto capite Suc.* III. I. Sed de his vocibus universis vide Synopsin R. *Nathanis* in זבל. *Columella* lib. II. *Licet depressa fossa, qualem stercori reponendo primo volumine fieri præcipimus, cinerem cœnumque cloacarum, & culmos ceteraque quæ occursant, in unum congerere, sed eodem medio loco robustam materiam defigere convenit.* Idem lib. XI. cap. 3. *Rutam autumno semine satam mense Martio differre oportet in apricum & cinerem aggerere*: Idem lib. X. cap. 2. *Hoc eadem mense* sc. Martio *in pastinato seminario novissimo positio est olearis taleæ, eamque oportet, cum panxeris, fimo & cinere mistis oblinire, & superponere muscum, ne sole findatur. Palladius* lib. III. 25. *Stercus ovillum tamen non exiguum quidem sed libenter absumunt, vel si cineris pulveres misceantur.*

Vites pulveratæ. *Schevvith*. מאבקין. Pulverem excitant. *Bartenora* מאבקין *radices retectas pulvere conteguunt. Maimonides*. מאבקין *pulverem adjiciunt* ut arboribus bene fit, & abundantius producant. *Columella* lib. XI. cap. 2. *Quibusdam in locis, ut in Bætica maritimis regionibus, & in Africa vindemia conficitur. Sed frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, & resolvitur in pulverem. Hoc eodem tempore priusquam vineæ pulverentur, si perexilis est, & rara ipsa vitis, lupini modii tres, vel quatuor in singula jugera sparguntur, & inoccantur.* Idem lib. IV. cap. 28. *Medium igitur eorum dierum spatium, quo acini formantur, vinearum nobis aditum negat: quippe florentem fructum moveri non expedit; pubescentem vero & quasi adolescentem convenit religare, foliis omnibus nudare, tum & crebris fossionibus implere; nam fit uberior pulverationibus. Palladius* lib. IV. cap. 7. *Hoc mense* sc. Martio, *novella vinea incipit pulverari, quod nunc ac deinceps per omnes Kalendas usque ad Octobres faciendum est, non solum propter herbas sed ne tenera adhuc semina solidata terra constringat.* Idem lib. VIII. cap. I. *Nunc* (sc. Mense Julio) *& novellæ vites mane & vesperi jam calore deposito, effodi debent, & averso gramine pulverari. Virgilius* Georgic. lib. II.

Sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus.

Ubi *Servius*. *Pulvisque movendus*. Genus ipsum culturæ pulveratio vocatur, quo imminutæ glebæ vitibus applicantur. Apud Græcos tamen pulverationem a fossione distingui, ex *Budæo* ad Theophrastum II. 8. constat.

Vites perfossæ. *Esai.* v. 6. לא יזמר ולא יעדר: *Non putabitur non fodietur*. Ibid. VII. 27. וכל ההרים אשר במעדר יעדרון. *Et omnes montes qui sarculo coluntur*. Talmudice dicitur קשקש proprie de olivetis & vitibus. *Moed Katon* fol. 3. I. יקשקש תחת הזיתים *Non sarriet sub oleis*. Et ad illud *Exod.* XXIII. II. *Et anno septimo intermittes eam* מלקשקש *a sarriendo*. R. *Salomon* ad l. c. *Exod.* ונטשתה, *& relinques eam* מלזבל ומלקשקש *a stercorando & sarriendo*. *Succa* fol. 44. 2. ומקשקשין בכרמים. *Et sarriunt in vineis*. *Moed Katon* fol. 3. I. וקשקוש בשבעי מי שרי. *Et sarritionem in anno septimo quomodo permisit?* Ibid. תרי קשקושי היו. *Duæ sarritiones sunt*. מעדר *sarculum* Hebraice & Chaldaice מרריא. *Psal.* 141. 7. דפלח ומבוע במרריא בארעא: *Qui fodit, & findii sarculis in terra*. *Virgilius* Georgic. lib. II.

> *Est etiam ille labor curandis vitibus alter;*
> *Cui nunquam exhausti satis est, namque omne quotanis*
> *Terque quaterque solum scindendum, glæbaque versis*
> *Æternum frangenda bidentibus; omne levandum*
> *Fronde nemus.*

Varro lib. I. cap. 35. *Vineas veteres iterum occare, novellas etiam tertio, si sunt etiam tum glæbæ*. *Columella* lib. IV. 5. *Numerus autem vertendi soli bidentibus, ut verum fatear, definiendus non est, cum quanto crebrior sit, plus prodesse fossionem conveniat. Sed quoniam impensarum ratio modum postulat, satis plerisque visum est, ex Kalendis Martiis usque in Octobres trigesimo quoque die novella vineta confedere, omnesque herbas & præcipue gramina extirpare, quæ nisi manu eliguntur, & in summum rejiciantur, quantulacunque parte adobruta sint, reviviscunt, & vitium semina ita perurunt, ut scabra atque retorrida efficiant*. Et cap. 4. *Insequitur deinde fossor, qui crebris bidentibus æqualiter, & minutium soli terga convertat. Hanc plurimam fossuram maxime nos probamus, nam illa, quam in Hispania hybernam appellant, cum terra vitibus detrahitur, & in media spatia interordiniorum confertur, supervacua nobis videtur, quia jam præcessit autumnalis ablaqueatio, quæ & nudavit summas, & ad inferiores pervenit radiculas, & hybernos transmisit imbres. Numerus autem fossionis aut idem esse debet, qui primi anni, aut una minus; nam utique frequenter solum exercendum est, dum id incremento suo vites innumbrent, ne patiantur herbam subcrescere*. Et cap. 17. *Quin etiam crebræ fossiones dandæ, quanvis possit una detrahi culturæ prioris anni*. Et cap. 27. *Igitur antequam gemment per divortium veris atque hyemis quam altissime fodiendæ vineæ sunt, quo lætius atque hilarius pullulent*. Et cap. 18. *Medium igitur earum dierum spatium, quo acini formantur, vinearum nobis aditum negat; quippe florentem fructum moveri non expedit; pubescentem vero & quasi adolescentem convenit religare, foliisque omnibus nudare; tum & crebris fossionibus implere; nam fit uberior pulverationibus. Nec inficior plerosque ante me rusticarum rerum magistros tribus fossuris contentos fuisse, ex quibus Græcinas, qui sic refert: potest videri satis esse constitutam vineam ter fodere*: *Celsus quoque & consentiunt tres esse motus in vita, seu potius in omni surculo, naturales; unum quo germinet, alterum quo floreat, tertium quo maturescat, hos ergo motus censent fossionibus concitari. Non enim natura, quod vult, satis efficit, nisi eam labore cum studio juveris*. Idem lib. XI. cap. 2. *Eodemque mense ante Kal. Febr. Vineæ quæ sunt plantatæ, & ligatæ, recte jam fodiuntur*. Idem ibid. III. *Id Febr. Eurus: per hosce dies locis maritimis & calidis item vinearum fossio iisdem locis peragenda*. Idem ibid. *Ab Idibris Maiis usque in Kal. Junias veteraneam vineam priusquam florere incipiat, iterum fodere oportet*. Idem ibid. *Nam de fodiendis colendisque novellis vineis sæpius jam dixi nullum esse mensem omittendum, donec autumnale æquinoctium conficiatur*. *Palladius* lib. IV. cap. 7. *Nunc* (sc. mense Martio) *locis frigidis vinearum fossio celebranda est*. Idem lib. VI. 4. *Hoc mense* sc. Majo, *arbores & vinæ quæ ablaqueatæ fuerant occare, hoc est operire jam conveniat*. Idem lib. VII. cap. *Nunc frigidissimis locis, quæ Majo sunt prætermissa, agros proscindemus herbosis & gelidis partibus, vineta occabimus*. Idem lib. IX. cap. I. *Hoc enim mense* sc. Augusto, *locis frigidissimis occatio vinearum fit*. Idem lib. XII. cap. 2. *Nunc* sc. mense Novembri *& propago jure ducetur, & locis frigidis novellas vites & arborum plantas circumfodere, atque aperire conveniet*, Animadverte *Uarronem* & *Palladium* vitium occationem voca-

vocare, quam *Columella fossionem* appellat.

XI. In Targum *Esai.* XVIII. 5. memoratur סמדר uva prima post florem apparens, aut in flore latens. *Gittin* cap. III. 8. ר׳ יהודה אומר בשלשה פרקים בודקין את יין בקרים שלמוצאי החג ובהוצאת סמדר בבשעת כניסת המים בבוסר: R. Jehuda dicit. Tribus temporibus inquirebant de vino cum vento orientali, exeunte festo Tabernaculorum, & exeunte uva prima, & aquis intrantibus omphacem. Ubi *Bartenora* ובשעת כניסת לבוסר & aquis intrantibus omphacem, quando omphaces sunt instar fabæ, sunt בוסרים, & ab eo tempore, quo eas intrat humor, & accrescit interius, ut eum inde exprimere possit, tum dicitur כניסת מים. Dicitur etiam בסרא בוסרא בוסר loc. cit. *Esai.* & *Job* XV. 33. היך גופנא בוסריה. *Decutiet sicut vitis omphacem suum* Cap. 4. *Schevvit* הבוסר similiter appellatur. הבוסר משהביא מים אוכל בו בשרה: Omphaces cum pane sub dio comedere licet, quanprimum succum adeptæ sint. Ubi Bartenora משהביא מים *quamprimum produxerit aquam*, quamprimum ex omphace potetit exprimere liquorem. Cum vinacea apparent, tum sunt mauræ uvæ. *Schevuith* l. c. הבאיש כונס לתוך ביתו. Cum vinacea ostendunt, donum portare licet. Ubi *Bartenora*: הבאיש *maturuerit* ab eo tempore quo vocatur באשה, quando grana in omphace extra dantur conspicienda. Et *Maimonides*. הבאיש *maturuerint*; quod fit quando grana, quæ continentur intra putamina uvarum conspiciuntur exterius, præ magno uvarum splendore, quem emittunt quando eas penetrat aqua, & vocatur nomine באשה, quia brevi tempore putrescit, si eam relinquant. Et *Guisius*: *vineacea ostendunt*: Id est הבאיש si vera referunt Gemaristæ Hierosolymitani ad *Maas.* i. 2. ubi משיבאישו exponitur משיקראו באושה ex quo vocuntur באושה. Ubi alius addit. והוא שתהא חרצנה שלהן נראית מבחוץ: illud vero fit, quum vinacea translucent. Uvæ immaturæ vocantur ענקוקלות. *Orla* cap. I. ענקוקלות והחרצנים והזגים והתמד שלהם: Uvæ immaturæ, grana, pelliculæ uvarum, & vinacea earum &c. Vocantur etiam דמרמניות uvæ immaturæ, omphaces, in Talmude Hierosolymitana *Jorm Tov* דמרמניות שבכרם הרי אילו אסורות: Omphaces quæ sunt in vinea, sunt prohibiti. Dicuntur etiam ארמרמני in Beresch. Rabba sect. 34. in fine. כד ינוקא מתילוד אנא נכלי ארמרמני: quando infans nascitur, subigimus ei massam ex uvis immaturis. Quidam putant esse uvas coloris rubri. Uvæ immaturæ dicuntur etiam גופנין & נפנין *Num.* VI. 4. in *Jonath.* מגופנין מקלופין ועד זונין נואין רענבא: *A labruscis decorticatis usque ad acinos uvarum*. *Demai* cap. I. והגופנין. *Vites serotinæ*. *Bartenora*. גופנים sunt uvæ, quas in vitæ relinquunt in fine vindemiæ, & hæ difficile admodum maturescunt. צמוקים sunt uvæ passæ. I. *Sam.* XXV. 18. ומאה צמוקים: *Et centum botros uvæ passæ*; Ibid. 30. 12. שני צמוקים *Et duos botros uvæ passæ*. 2. *Sam.* 16. I. ומאה צמוקים *Et centum botros uvæ passæ*. I. *Paral.* XII. 41. וצמוקים *& uvas passas*. Uva cum racemo dicitur פרכיל. *Schemoth Rabba* sect. 15. ובידו פרכיל ענבים: & in manu sua habebat palmitem uvarum. *Virgilius Georg.* lib. II. plurimas uvarum species memorat:

> *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris*
> *Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos:*
> *Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ:*
> *Pinguibus e terris habiles, levioribus illæ:*
> *Et passo psythia utilior, tenuisque lageos,*
> *Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.*
> *Purpureæ, preciæque, & quo te carmine dictum*
> *Rhetica? ne cellis ideo contende Falernis.*
> *Sunt & Aminææ vites, firmissima vina*
> *Tmolus & assurgit quibus, & rex ipse Phanæus,*
> *Argitisque minor: cui non certaverit ulla,*
> *Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.*
> *Non ego te mensis, & Diis accepta secundis*
> *Transierim Rhodia, & tumidis Bumasthe racemis.*
> *Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint,*
> *Est numerus, neque enim numero comprehendere refert;*
> *Quem qui scire velit, Lybici velit æquoris idem*
> *Discere, quam multæ Zephyro turbantur arenæ,*
> *Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,*
> *Nosse quot Jonii veniant ad litora fluctus.*

Vid. *Columella* lib. III. cap. 2. qui lib. XII. cap. 39. passum, quomodo fiat, docet. *Passum optimum sic fieri Mago præcipit, ut & ipse feci. Uvam præcoquem* bene

bene maturam legere, acina arida, aut vitioſa rejicere, furcas vel palos, qui cannas ſuſtineant, inter quaternos pedes figere, & perticis jugare: tum inſuper cannas ponere, & in ſole pandere uvas, & noctibus tegere ne irrorentur: cum deinde exaruerint, acina decerpere, & in dolium aut in ſeriam conjicere, eodem muſtum quam optimum, ſic ut grana ſubmerſa ſint, adjicere: ubi conbiberint uvæ, ſeque impleverint, ſexto die in fiſcellam conferre, & prelo premere, paſſumque tollere; poſtea vinaceos calcare adjecto recentiſſimo muſto, quod ex aliis uvis factum fuerit, quod per triduum inſolaveris, tum permiſcere, & ſubactam briſam prelo ſubjicere, paſſumque ſecundarium ſtatim vaſis oblinitis includere, ne fiat auſterius: deinde poſt viginti vel triginta dies, cum deferbuerit, in alia vaſa deliquare, & confeſtim opercula gypſare, & pelliculare. Paſſum ſi ex uva Apiana facere volueris, uvam Apianam integram legito, acina corrupta purgato, & ſecernito, poſtea in perticis ſuſpendito: perticæ uti ſemper in ſole ſint, facito: ubi ſatis corrugata erunt acina demito, & ſine ſcorpionibus in dolium conjicito, pedibuſque bene calcato, ubi vinum tabulatum feceris, vinum vetus conſpergito, poſtea alterum ſupercalcato, & item vinum conſpergito: eodem modo tertium calcato, & infuſo vino ita ſuperponito, ut ſupernatet, & ſinito dies quinque: poſtea pedibus proculcato, & in fiſcina nova uvas premito. Quidam aquam cœleſtem veterem ad hunc uſum præparant, & ad tertias decoquunt: deinde cum ſic uvas, ut ſupra ſcriptum eſt, paſſas fecerunt, decoctam aquam pro vino adjiciunt, & cetera ſimilia adminiſtrant: hoc ubi lignorum copia eſt, viliſſime conſtat, & eſt in uſu vel dulcius, quam ſuperiores notæ paſſi.

XII. Vindemia Hebraice בציר Chaldaice קטף. *Eſai.* XXIV. 13. כעוללין בתר קטף *ſicut racemi poſt vindemiam*. Hebr. בציר. Sic *Mich.* VII. 1. *Levit.* XXVI. 5. ויערע לכון דישא לקטפא וקטפא וגו׳ *Et attinget vobis tritura vindemiam, & vindemia &c. Jerem.* XLVIII. 32. ועל קטפיך בוזזין נפלו. *Et in vindemiam tuam prædatores irruerunt*. Hebr. ועל בצירך. Vindemiator Hebraice dicitur בצר & Chaldaice קטף & קטוף. *Jerem.* VI. 9. כרקטף על סלסלון *Ut vindemiator ſuper qualos*. Hebr. כבצר. *Jerem.* XLIX. 9. אם הטופין כקטפין אתו עלך. *Si raptores quaſi vindemiatores veniant ſuper te. Obad.* V. ubi legitur קטופין. Vindemiare Hebraice בצר Chaldaice קטף. *Judic.* IX. 27. וקטפו ית כרמיהון *& vindemiarunt vineas ſuas*. Hebr. ויבצרו. *Jerem.* VI. 9. למקטף שארא דישראל *ad vindemiandum reliquias Iſrael*. Hebr. עולל יעוללו. *Racemando racemabunt*.

Levit. XXV. 5. וית ענבי שבקך לא תקטוף. *Et uvas relictionis tuæ non decerpes*. Hebr. תבצר. *Deut.* XXIV. 21. כי תקטוף כרמך. *Cum vindemiabis vineam tuam. Levit.* XXV. 11. ולא תקטפון ית שבקהא *& non vindemiabitis uvas relictas ejus*. Mature factam fuiſſe vindemiam in æſtate conſtare videtur ex *Jerem.* XL. 10. אספו יין וקיץ. *Colligite vinum & æſtivos fructus*. Ibid. V. 12. ויאספו יין וקיץ *& collegerunt vinum & æſtivos fructus*. Et XLVIII. 32. על קיצך ועל בצירך. *Super æſtivos fructus tuos, & ſuper vindemiam tuam*. Et ex *Mich.* VII. 1. אללי לי כי הייתי כאספי קיץ כעללת בציר אין אשכול לאוכל בכורה אותה נפשי: *Væ mihi quia fui ſicut collector fructuum æſtivorum, ſicut racemator vindemiæ, & non fuit botrus ad comedendum, primitiva deſideravit anima mea*. Serius factam fuiſſe vindemiam apud Romanos teſtatur *Varro* l. 1. cap. 34. *Uvas autem legere, & vindemiam facere inter æquinoctium autumnale, & vergiliarum occaſum*. Et cap. 54. *In vinetis uva cum erit matura, vindemiam ita fieri oportet, ut videas a quo genere uvarum, & a quo loco vineti incipias legere, nam & præcox & miſcella, multo ante coquitur: quo prior legenda: & quæ pars arbuſti ac vineæ magis aprica, prius debet deſcendere de vite. Columella* lib. XI. cap. 2. *Quarto Kalend. Octob. His diebus vindemiæ pluribus regionibus fiunt, quarum maturitatem alii aliter interpretati ſunt; quidam cum vidiſſent partem aliquam uvarum vireſcere, crediderunt tempeſtivam eſſe vindemiam: quidam cum coloratas, & perlucidas uvas animadvertiſſent: nonnulli etiam cum pampinos ac folia decidere conſideraſſent: quæ omnia fallacia ſunt: quoniam immaturis uvis eadem omnia poſſunt accidere propter intemperiem ſolis aut anni. Itaque nonnulli guſtu explorare maturitatem tentaverunt, ut ſive dulcis eſſet ſapor uvæ, ſive acidus, proinde æſtimarent. Sed & ipſa res habet aliquam fallaciam; nam quædam genera uvarum nunquam dulcedinem capiunt propter auſteritatem nimiam. Jamque opportunum eſt, quod nos facimus, ipſam naturalem contemplari maturitatem: naturalis autem maturitas eſt, ſi cum expreſſeris vinacea, quæ acinis celantur, jam infuſcata, & nonnulla propemodum nigra fuerint: nam colorem nulla res vinaceis poteſt afferre, niſi naturæ maturitas, præſertim cum in media parte acinorum ſint, ut & a ſole æſtuante, & a ventis protegatur, humorque ipſe non patitur ea percoqui, aut infuſcari, niſi ſuapte natura. Hoc igitur cum exploratam habuerit villicus, ſciat vindemiam ſibi eſſe faciendam. Palladius* lib. X. cap. 11. *Hoc menſe*, ſcil. Septem-

bri,

bri, *locis tepidis maritimisque celebranda vindemia est. Sed maturitatem vindemiæ cognoscimus hoc genere: si expressa uva vinacta, quæ in acinis celantur, hoc est grana sint fusca, & nonnulla propemodum nigra: quam rem naturalis maturitas facit.* Columella lib. XII. 18. commemorat instrumenta plurima, & vasa quibus uvæ in vindemia præcidebantur, & in cellam vinariam afferebantur. *Si ager amplus, aut vineta aut arbusta grandia sunt perenne fabricandæ decimodiæ, & trimodiæ, & fiscellæ texendæ, & picandæ; nec minus falculæ, & ungues ferrei quamplurimi parandi, & exacuendi sunt, ne vindemiator manu distringat uvas, & non minima fructus portio dispersis acinis in terram diabatur; Funicula quoque fiscellis aptandi sunt, & lora trimodiis.*

Ex uvis aliæ lectæ ad bibendum, aliæ ad edendum. *Varro* l. c. *In vindemiam diligentius uva non solum legitur ad bibendum, sed eligitur ad edendum. Itaque lectius defertur in forum vinarium, unde in dolium inane veniat; electa in secretam corbulam, unde in ollulas addatur, & in dolia plena vinaceorum contrudatur: alia quæ in piscinam in amphoram picatam descendat, alia quæ in aream, ut in carnarium adscendat.* *Galenus* lib. II. de aliment. facultatibus. Ἐν αἷς αἱ ῥάγας ὀλίγην μὲν ἔχουσι τὴν ὑγρὰν οὐσίαν, οὐκ ὀλίγην δὲ τὴν στερεωτέραν, ἣ ὡς πρὸς σάρκα τῆς ῥαγὸς ἔφην εἶναι, καὶ χρῶνται γε κατὰ τὸν τῆς ὀπώρας καίρον ἀποτιθέμενοι πολυειδῶς. *In quibus acini humidam quidam substantiam habent exiguam, solidiorem autem non paucam, quamve carnem acini esse diximus, atque iis utuntur, eas variis modis in fine æstatis reponentes.* *Columella* lib. XII. 43. *Alii cum legerunt uvam, siqua sunt in ea vitiosa grana, forficibus amputant, atque ita in borreo suspendunt, in quo triticum suppositum est.* *Plinius* lib. XV. cap. 17. *Sunt qui malunt uvas in scrobe ramentisve abjetis, populi, fraxini servare. Sunt qui suspendi procul malis, protinusque in granariis jubeant, quoniam optime fit operimento pulvis pensilibus.* *Didymus* Geop. IV. 15. Φυλάττονται δὲ αἱ σταφυλαὶ ἐπὶ πλεῖστον χρόνον, καὶ ἐν ταῖς ἀποθήκαις τοῦ σίτου κρεμνύμεναι, καὶ μάλιστα ἐὰν ὁ σῖτος ἀνακινῆται· Ὁ γὰρ ἀνιστάμενος ἀπ' αὐτοῦ κονιορτὸς προσιζάνων αὐταῖς πολύ τι συμβάλλεται πρὸς διαμονήν. *Palladius* lib. X. cap. 17. *Uvas quas servare volumus, legamus illæsas, neque acerbitate rigidas, neque maturitate defluentes, sed quibus est & granum luce penetrabili splendidum, & tactus cum molli jucunditate callosus. Si qua sunt corrupta vel vitiosa, resecemus; nec patiamur interesse, quibus inexpugnabilis acerbitas contra blandimenta æstivi caloris induruit. Tunc incisos botryonum tenaces calida pice oportet amburi, atque ita in loco sicco, frigido & obscuro sine luminis irruptione suspendi.* Idem lib. XII. cap. 12. de servanda uva in vite usque ad veris initia. *Græcis asserentibus, ut uvam serves in vite usque ad veris initia, circa ipsam vitem, quæ fructu plena est, loco umbroso scrobem fodies, altitudine trium pedum, latitudine duorum, & mittis sabulonem, & ibi calamos figis, in quibus retorquebis assidue sarmenta fructibus plena, & illæsis botryonibus alligabis, ut solum non contingant, & cooperies, ut imber eo penetrare non possit. Item Græcis docentibus uvas in vite, aut poma in arbore si diu servare volueris, vasculis clausa fictilibus ab ima parte pertusis diligenter a summo tecta suspende, quamvis poma & gypso cooperta in longum serventur ætatem.*

Singulari lætitia, apud Judæos vindemia & calcatio celebrata fuit. *Esai.* XVI. 10. ונאסף שמחה וגיל מן הכרמל ובכרמים לא ירנן לא ירעע יין ביקבים לא ידרך הדרך הידר השבתי: *Auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non canetur, neque clamabitur; vinum in torcularibus non calcabit calcator, clamorem abstuli.* *Jerem.* XLVIII. 33. ונאספה שמחה וגיל מכרמל ומארץ מואב ויין מיקבים השבתי לא ידרך הידד הידד לא הידד: *Et ablata est lætitia de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus abstuli; Non calcabit; clamor non clamabitur.* Et apud Ethnicos. *Virgilius* Georgic. lib. II.

Nan aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris,
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi,
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theseidæ posuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres:
Necnon Ausonii Troja gens missa coloni
Versibus incomtis ludunt, risuque soluto:
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,
Et te Baccha vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Lex extat de non racemanda vite & de acinilegio *Levit.* XIX. 10. וכרמך לא תעולל ופרט כרמך לא תלקט לעני ולגר תעזב אתם אני

אני יהוה אלהיכם: *Et vineam tuam non racemabis, & grana vineæ tuæ non colliges, pauperi & peregrino relinques est; ego Dominus Deus vester. Jonath.* וכרמיכון לא תבערון טוטלוותהון ונתרא דכרמך לא תלקט לענייי ולגיורי תשבוק יתהון בחיבורהון אנא יי אלהכון: *Et vineas vestras non excutietis, racemos earum, & grana decidentia vineæ tuæ non colliges: pauperibus & peregrinis relinques ea in collectione eorum; Ego Dominus Deus vester.* Targum Hierosolymitanum. וכרמכון לא תבערון טוטלותון ופרט כרמיכון לא תלקיטון: *Et vineas vestras non excutietis, & racemos earum, & granum vinearum vestrarum ne colligatis:* Iterum & *Deut.* XXIV. 21. כי תבצר כרמך לא תעולל אחריך לגר ליתום ולאלמנה יהיה: *Cum vindemiaveris vineam tuam, non racemabis post te; peregrino, pupillo & viduæ erit. Jonathan* ארום תקפון כרמיגון לא תעללול מן בתריכון לגיורא ליתמא ולארמלא יהוון: *Quando vindemiabitis vineam vestram, non colligetis racemos post vos, peregrino, pupillo & viduæ erunt.* Targum Hierosolymitanum. ארום תקטפון כרמיכון לא תבערו טוטלותהון מבתר כן לגיורא ולארמלתא יהון: *Quando vindemiabitis vineas vestras, non perquiretis racemos earum postea; peregrino & viduæ erunt. Siphra* ad *Levitic.* XIX. 10. וכרמך לא תעולל מיכן אמרו כרם שכולו עוללות רבי אליעזר אומר לבעל הבית רבי עקיבא אומר לעניים אמר רבי אליעזר וכי תבצר לא תעולל ואם אין בציר מין עוללות אמר לו רבי עקיבא וכרמך לא תעולל אפילו כולו עוללות שיכול הואיל והתיר הכתוב את העוללות לעניים יכול יבואו עניים ויטלו אותם בכל שעה שירצו אם כן למה נאמר וכי תבצר לא תעולל אין לעניים בעוללות קודם לבציר ופרט כרמך אין פרט אלא מחמת הבציר מיכן אמרו היה בוקר עקץ את האשכולות הוסבך בעלים ונפל לארץ ונפרט הרי של בעל הבית המניח כלכלה תחת הגפן בשעה שהוא בוצר הרי זה גוזל העניים על זה נאמר לא תשיב גבול עולים איזו היא עוללת כל שאין לה לא כתף ולא נטף יש לה כתף אבל לא נטף נטף אבל לא כתף לבעל הבית אם ספק לעניים עוללות שבארכובה אם נקצרת עם האשכול הרי של בעל הבית ואם לאו הרי של עניים גרגיר יחיד ריהודה אומר אשכול וחכמים אומרים עוללת לעני יכול לעני מאחרים תלמוד לעני יכול לעני מאחרים תלמוד לומר לגר אי לגר יכול לגר תושב תלמוד לומר ללוי מה לוי בן ברית אף גר בן ברית מעזוב הנח לפניהם והם יבזבזו אפילו תשעים ותשעה אומרים לחלק ואחר אומר לבזבז אפילו בריא אפילו ידיו יפות לזה שומעים שאמר כהלכה יכול בדלית ובדקל כן תלמוד למוד לומר אותם אפילו תשעים ותשעה אומרים לבזבז ואחד אומר לחלק אפילו זקן אפילו חולה לזה שומעים שאמר כהלכה מה ראית לומר בדלית ובדקל לחלק ובשאר כל הפירות לבזבז אחר שריבה הכתוב מיעט תלמוד לומר קציר מה קציר מיוחד שהקטן מושל בו כגדול יצאו הדלית והדקל שאין הקטן מושל בהם כגדול רבי שמעון אומר חלקי אגוזים כדלית וכדקל תעזוב לפניהם הנח תבואה בקשה תלתן בעמיר תמרים במכברות יכול אפילו השירה אותן הרוח בשם שזכו בהם כך זכו בעציהם מנין שספק לקט ספק שכחה ספק פיאה תלמוד לומר לעני ולגר תעזוב אותם אני יהוה אלהיכם אני איני גובה מכם אלא נפשות שנאמר אל תגזול דל כי דל הוא ואל תדכא עני בשער וכן הוא אומר כי יהוה יריב ריבם וקבע את קובעיהם נפש: *Et vineam tuam non racemabis.* Hinc dixerunt; vinea quæ tota sit racemaria. R. Eliesser dicit, erit patrifamilias. R. Akiba dicit: Erit pauperibus. Dicit R. Eliesser: Atqui dictum est: *Et cum vindemiaveris, non racemabis.* Si non vindemiat, quomodo obligatur ad racemos? Respondit illi R. Akiba: *Et vineam tuam non racemabis*; Quamvis tota sit racemaria. Quoniam permittit textus racemos pauperibus crederem quod pauperes venientes illos sumerent, quovis tempore libuerit? Si ita est; Cur dictum est? *Et cum vindemiaveris, non racemabis.* Non sunt racemi pauperibus ante vindemiam. *Et granum vineæ tuæ.* Non est granum nisi propter vindemiam. Hinc dixerunt: Si vindemians uvam decerpat, atque illa frondibus implexa descendens in terram discerpatur, erit patris familias. Si supponat canistrum viti, quo tempore vindemiat, hæc erit rapina pauperum. Hac de causa dictum est *Prov.* XXIII. 9. *Non retroages terminum adscendentium.* Quinam est racemus? Ille, cui deest humerus, & stria. Si habeat humerum & striam, erit patrisfamilias, si dubius erit pauperibus. Racemi in eodem palmite si vindemiantur cum uva, erunt patrisfamilias; si minus, erunt pauperibus. Acinum peculiare R. Jehuda dicit esse botrum, & sapientes dicunt esse racemum. *Pauperi*; Crederem pauperi alienorum. Idcirco dictum est: *Peregrino*; si *peregrino*. Crederem peregrino inquilino? Idcirco dictum est. *Levitæ*. Sicut Levita est filius fœderis, ita pariter peregrinus filius fœderis. *Deseres*. Relinque coram illis & ipsi sument. Quamvis novem & nonaginta dicerent, ut dividatur, & unus diceret, ut deseratur; vel sit esset robustus, & manus ejus essent validæ, huic auscultant, quia locutus est juxta legem. Crederem ita fuisse faciendum in vite suspensa, & in palma? Idcirco dictum est *Illi*: Quamvis novem & nonaginta dicerent, ut deseratur, & unus diceret ut dividatur, vel si fuerit senex, vel ægrotus, huic auscultant, quia locutus

tus est juxta legem. Quid vidisti ut diceres in vite suspensa, & in palma ut dividat, & in reliquis omnibus fructibus ut deserat? Postquam inclusit textus, excludit. Idcirco dictum est: *Messis*. Sicut Messis est peculiaris, qua potiri potest tam minorennis, quam majorennis; excluduntur vitis suspensa & palma, qua non potest potiri minorennis, sicut majorennis. R. Simeon dicit: nuces glabræ considerandæ sunt sicut vitis suspensa, & palma. *Deseres*; coram illis relinques, proventum cum palea, fœnum Græcum cum gramine, dactylos cum palmis. Crederem vel si ventus excusserit? Idcirco dictum est: *illos*. Si separasset, & postea ventus excussisset, sicut habent jus in illis, ita pariter jus habebunt in eorum lignis; Unde probatur quod dubium spicilegium sit spicilegium, & dubius manipulus oblivione relictus sit manipulus oblivione relictus, & dubius angulus sit angulus? Ex eo quod dictum est. *Pauperi & peregrino deseres illum*: Ego non exigo a vobis nisi animas. Dictum est enim: *Non rapies pauperi, quia pauper ille, & non affliges pauperem in porta*. Et similiter dictum est *Prov.* XXII. 23. *Quia Dominus contendet contentionem eorum, & configet eos, qui confixerunt animam*. *Siphri* ad *Deuter.* XXIV. 21. כי תבציר כרמך מיכן היה ר׳ אליעזר אומר כרם שכולו עוללו׳ לבעל הבירת ר׳ עקיבא אומר לעניי׳ לא תעולל אי זו היא עוללרת כל שאין לו כתף ולא נטף יש לו כתף ואין לו נטף נטף ואין לו כתף הרי היא של בעל הבית ואם לאו הרי הם של העניים אחריך מלמד שיש לו שכחה מלמד שיש לו פאה מיכן אמרו אי זו היא שכחה בערים כל שאין לפשוט את ידיו וליטלה ברגליות משיעבור הימינה לגר וליתום נאמר כאן גר ויתום דנאמר להלן גר ויתום מה גר ויתום האמור להלן בעושה סאיחם אף גר ויתום האמור להלן בעושה סאתים: *Quando vindemiabis vineam tuam*. Hinc R. Eliefer dicebat: Vinea quæ tota erat racemaria, erit patrisfamilias. R. Akiba dicit; pauperibus: *Non racemabis*. Quinam est racemus? Ille, cui deest humerus & stria; si in eo fuerit humerus, at non fuerit stria; & stria & non humerus; erit patrisfamilias, si minus, erit pauperum. *Post te*. Docetur, quod illi esset prætermissum, & docetur, quod illi esset angulus. Hinc dixerunt; quodnam erat prætermissum in pergula? Quicquid nequit exporrecta manu decerpi; in pedestribus autem, simul ac a vite recesserit vindemiator. *Peregrino, & pupillo*: Memoratur hic peregrinus & pupillus, & memoratur ibi peregrinus & pupillus; sicut in peregrino & pupillo ibi memorato, intelligitur, quando produxerit duo sata, ita pariter in peregrino & pupillo hoc loco commemorato, intelligitur, quando produxerit duo sata. *Jerem.* VI. 9. עולל יעוללו כגפן שארית ישראל השב ידך כבוצר על כלסות: *Racemando racemabunt sicut vineam, reliquias Israel; converte manum tuam, sicut vindemiator in qualis*. Idem cap. XLIX. 9. אם בצרים באו לך לא ישאירו עוללות. *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemos*. *Abad.* I. 5. בצרים באו לך הרוא ישאירו עוללות *si vindemiatores venissent super te, numquid reliquissent racemos?*

XIV. Torcular. *Esai.* V. 2. וגם יקב הצב בו *Atque etiam torcular exculpsi in ea*. 1.° Hebraice dicitur גת. *Jud.* VI. 11. חבט חטים בגת *excutiebat triticum in torculari*. *Nehem.* XIII. 15. דרכים גתות בשבת. *Calcantes torcularia in Sabbatha*. *Psal.* VII. 1. LXXXI. 1. CIV. 1. למנצח על הגתות *victori super torcularibus*. *Esai.* LXIII. 2. ובגדיך כדורך בגת *& vestes tuæ, instar calcantis in torculari*. *Thren.* I. 15. גת דרך יי׳ *Torcular calcavit Dominus*. *Joel* IV. 13. כי מלאה גת; *quoniam plenum est torcular*. 2.° dicitur יקב. *Num.* XVIII. 26. וכמלאה מן היקב: *& juxta plenitudinem ex torculari*. Ibid. v. 30. כתבואת גורן וכתבואת יקב *juxta proventum areæ, & juxta proventum torcularis*. *Deut.* XV. 14. מצאנך ומגרנך ומיקבך *Ex ovibus tuis, ex area tua, & ex torculari tuo*. Ibid. XVI. 13. באספך מגרנך ומיקבך. *In collectione tua ex area tua, & ex torculari tuo*. Vid. 2. *Reg.* VI. 27. *Job* XXIV. 11. *Prov.* III. 10. *Esa.* V. 2. Ibid. XVI. 10. *Jerem.* XLVIII. 32. 33. *Hos.* IX. 2. *Joel* II. 24. *Hag.* II. 17. *Zach.* XIV. 10. 3.° dicitur פורה *Esai.* LXIII. 3. מדוע אדם ללבושך ובגדיך כדורך בגת פורה דרתי לבדי: *Quare rubrum vestimentum tuum, & vestes tuæ instar calcantis in torculari? Torcular calcavi solus*. Chaldaice 1.° dicitur מעצרת, & מעצרתא, torcular, lacus torcularis, quasi expressorium uvarum. *Job* XXIV. 11. מעצרתא עצרו. *Torcular expresserunt*. *Jerem.* XXV. 30. כנחתי מקצתרא *sicut qui descendunt in torcular*. *Num.* XVIII. 27. וכמלתא מן מעצרתא: *Et sicut plenitudo musti ex torculari*. *Thren.* I. 15. מעצרתא *sicut vinum in torculari*. *Hos.* IX. 2. וממצרתא לא יתזונין. *Et ex torculari non alentur*. *Esai.* X. 33. דמתבעיט במעצרתא *quæ calcatur in torculari*. Idem XVI. 10. וחמר במעצריא לא יעצרון *& vinum in torcularibus non exprimient*. *Deut.* XV. 14. מאדרך וממעצרתך *ex borreo tuo, atque ex torculari tuo*. 2.° dicitur נעוא. *Exod.* XXII. 18. in *Jonath.* בכורי חמר נעוך: *Primogenia vini torcularis tui*. Dicitur etiam בר torcular, prelum torcularis, locus ubi exprimuntur uvæ, iterum trapes vel trapetum, mola olearia.

Joel. II. 24. ויטופון נעויא חמרא ובדיא משחא *& ſtillabunt torcularia vino & trapetes oleo.* *Geneſ.* XLIX. 12. יטופון נעוהי בחמר *ſtillabunt torcularia ejus vino.* *Taboros* cap. 10. הנועל בית הבר בפני הבדרין: Claudens domum torcularis coram torculariis. *Schevvith* 8. טוחן הוא בבית הבר עושין זיתים בבר: Molit in loco torcularis ſeu in trapeto, ſc. olivas faciunt olivas in torculari. *Cato* c. 12. *In torcularium quæ opus ſunt vaſis quinis. Prelo temperata* v. *ſupervacua* III. *ſuculas* v. *ſupervacuam* I. *funes loreos* v. *ſubductarios* v. *medipontos* v. *trocleas* v. *capiſtra* v. *aſſercula* v. *ubi prela ſita ſient; ſerias* III. *vectes* XL. *fibulas* XL. *confibulas ligneas, qui arbores comprimat, ſi diſbiaſcent, & vineos* VI. *trapetos* v. *cupas minuſculas* x. *palas ligneas* x. *rutra ferrea* v. Et cap. 18. ubi de ædificio torcularis: *Torcularium ſi ædificare voles, quadrariis vaſis, uti contra ora ſient, ad hunc modum vaſa componito: arbores craſſas* P. II. *altas* P. VIII. *cum cardinibus; foramina longa* P. III. 8. *exculpta digitos* VI. *Ab ſolo foramen primum* P. I. 8. *inter arbores & arbores & parietes* P. II. *in* II. *arbores* P. I. *arbores ad ſtipitem primum directos* P. VI. *ſtipites craſſi* P. II. *alti cum cardinibus* P. x. *ſucula præter cardines* P. VIII. *prelum longum* P. XXV. *inibi lingulam* P. II. 8. *pavimentum binis vaſis cum canalibus duobus* P. XXXIV. *trapetibus locum dextra ſiniſtra, pavimentum* P. XX. *inter binos ſtipites vectibus locum* P. XXII. *Alteris vaſis ex adverſum ab ſtipite extremo ad parietem, qui pone arbores eſt* P. XX. *Summa torculario, vaſis quadratis latitudine* P. LXVI. *longitudine* P. LII. *Inter parietes arbores ubi ſtatues fundamenta bona facito alto* P. v. *inibi lapides ſilices, totum forum longum* P. v. *latum* P. II. 8. *craſſum* P. I. 8. *Ibi foramen pedicinus duobus facito. Ibi arbores pedicino in lapide ſtatuito. Inter duas arbores quod loci ſupererit, robore expleto, eo plumbum infundito, ſuperiorem partem arborum digitos ſex altam facito ſiet, eo capitulum robuſtum indito, ut ſiet ſtipites ubi ſtent. Fundamenta pedum* v. P. *facito. Ibi ſilicem longum* P. II. 8. *craſſum* P. II. 8. *planum ſtatuito, ibi ſtipites ſtatuito. Item alterum ſtipitem ſtatuito. Inſuper arbores ſtipiteſque trabem planam imponito, latam* P. II. *craſſam* P. I. *largam* P. XXXVII. *Vel duplices indito, ſi ſolidas non habebis, ſub eas trabes inter canales & parietes extremos, ubi trapeti ſtent, trabeculam pedum* XXIII. 8. *imponito ſeſquipedalem, aut binas pro ſingulis eo ſupponito. In iis trabeculis trabes, quæ inſuper arbores ſtipites ſtant, collocato. In his tiguis parietes inſtruito, jungitoque materiæ, ut oneris ſatis habeat. Aream ubi facies* P. v. *fundamenta alta facito, lata* P. VI. *aream & canalem rotundam facito latam* P. IV. 8. *Ceterum pavimentum totum fundamenta pedum duorum facito. Fundamenta primum fiſtucato, poſtea cementis minutis, & calce arenato ſemipedem unumquodque corium ſtruito. Pavimenta ad hunc modum facito, ubi libraveris, de glarea & calce arenato primum corium facito: id pilis ſubigito, idem alterum corium facito: eo calcem cribro ſuccretam indito alte digitos duo: ibi de teſta arida pavimenta ſtruito; ubi ſtructum erit pavito fricatoque, uti pavimentum bonum ſiet. Arbores ſtipitaſque robuſtas facito, aut pineas. Si trabes minores facere voles, extra columnam expolito: ſi ita feceris, trabes pedum* XXII. *longæ opus erunt. Orbem olearium latum pedibus* IV. *punicanis coagmentis facito, craſſumque digitos* VI. *facito, ſubſcudes illigneas adindito. Eas ubi confixeris, clavis corneis occludito. In eum orbem tris catenas indito. Eas catenas cum orbibus clavis ferreis corrigito. Orbem ex ulmo aut ex corylo facito. Si utrumque habebis, alternas indito. In vaſa vinaria ſtipites arboreſque binis pedibus altiores facito, ſupra foramina arborum pedem quæque ut abſient uvæ fibulæ locum facies, ſemipedem ab cardine facito, cetera dividito quam rectiſſime. Porculum in media ſucula facito. Inter arbores medium quod erit, id ad mediam collibrato, ubi porculum figere oportebit; uti in medio prelum recte ſitum ſiet. Lingulam cum facies, de medio prelo collibrato; ut inter arbores bene conveniat, digitum pollicem laxamenti facito. Vectes longiſſimos pedum* XVIII. *ſecundos pedum* XVI. *tertios pedum* XV. *remiſſarios pedum* XII. *alteros pedum* x. *tertios pedum* VIII. Et cap. XX. Ubi de concinnando trapeto. *Trapetum quomodo concinnare oporteat. Columellam ferream, quæ in miliario ſtat, eam rectam ſtare oportet in medio ad perpendiculum, cuneis ſalignis circumfigi oportet bene: Eo plumbum effundere caveat, ni labet Columella. Si movebitur, eximioto, denuo eodem modo facito, ne ſe moveat. Modiolos in orbis oleaginos ex orchite olea facito, & eos circumplumbato; caveto ne laxi ſient. Si autem labent, in cupam eos indito; tunicas ſolidas & latas digitum pollicem facito; labeam biſariam faciat, & habeat quas figat clavis duplicibus, ne cadant.* Et cap. XXI. ubi de cupa. *Cupam cito* P. x. *tam craſſam quem modioli poſtulabant, mediam inter orbis, quæ conveniat, tam craſſam quam Columella ferrea erit. Eam mediam pertundito, ut in Columella indere poſſis. Inter cupam dextra ſiniſtra pertundito late digitos primoris* IV.

alte

alte digitos primoris tres, sub cupa tabulam ferream lata cupa media erit, pertusam figito, quæ in columellam conveniat dextra sinistra; foramina ubi feceris, laminis circumplectito, replicato in inferiorem partem cupæ omnis quatuor laminas: dextra sinistra foramina utrinque secus laminas. Sublaminas pollulas minutas supponito, eas inter se se configito, ne foramina majora fiant, quo cupulæ minusculæ indentur. Cupam qua fini in modiolos erit, utrinque secus imbricibus ferreis quatuor desues, ibi utrinque secus facito, qui figas: imbrices medias clavulis figito. Supra imbrices extrinsecus cupam pertundito, qua clavus eat, qui orbem claudat. Insuper foramen librarium ferreum digitos sex latum indito, pertusum utrunque secus qua clavus eas. Hæc omnia ejus rei causa fiunt, uti ne cupa in lapide conteratur. Armillas IV. *facito, quas circum orbem indas, ne cupa & clavus conterantur. Intrinsecus cupam materia ulmea aut faginea facito.* Et mox cap. XXII. ubi de trapeto accommodando. *Trapetum hoc modo accommodare oportet: librator uti statuatur pariter, ab labris digitum minimum orbem abesse oportet, ab solo mortarii orbes cavere oportet, ne quid mortarium terant. Inter orbem & miliarium unum digitum interesse oportet; si plus intererit, atque orbes, nimium aberunt, funi circumligato miliarium arcte crebro, uti expleas quod nimium interest. Si orbes altiores erunt, atque nimium mortarium deorsum teret, orbiculos ligneos pertusos in miliarium, in columellam supponito, eo altitudinem temperato. Eodem modo latitudinem orbiculis ligneis, aut armillis ferreis temperato, usque dum recte temperabitur.* Cum multa sint obscura in hoc *Catonis* loco, præstabit ea illustrare ex *Pompa* de instrumento fundi cap. XI. *Torcularium & torcular* machina est uvis premendis ac torquendis apta, & si quandoque significat locum vel ædificium ubi vindemia perficitur. Hujus descriptio extat apud *Catonem*, quæ varii generis instrumenta habet, *tractoria*, *funaria*, *pressoria*, de quibus singulatim dicemus. *Prelum* est trabs, qua uva calcata premitur, quod *Cato* de carpino atra potissimum faciundum præcipit ob duritiem ejus arboris, ex qua boum juga olim fabricabantur *Vitruvio* teste, & manubria rusticis fiebant ut tradit *Plinius* lib. XIX. cap. *6*. *Lingula* est novissima pars preli, quæ inter duas arbores rectas inseritur in modum linguæ. *Fibulæ* sunt clavi lignei, qui per tabulas tignaque trajiciuntur, ut ea constringant; & *confibulæ* sunt tamquam duplices fibulæ, quæ, siquando partes dishiascent ad constringendum utrinque adhibentur. *Armillæ* sunt annuli ferrei cavati, in quibus vertibula versantur. *Subscudes* sunt tabellæ ligneæ quibus immissis asseres aut tigna compinguntur; sic dictæ a subcudendo, quod locus, cui inseruntur, cudendo scalpris excavatur, & ipsæ ictu mallei immittuntur. *Pacuvius* apud *Festum*; *nec ulla subscus cohibet compagem alvei*. *Pedicinus* est pes tenuis edolatusque, quo arbor inseritur cardini aut suæ basi. *Sucula* a suis similitudine vocatur machina tractoria, inter *chelonia* versatilis, circum quam *ductarius funis* obvolvitur, cujus ope trajectis per foramina vectibus, prelum tenditur, vel subducitur, & trabes attolluntur, vasa vinaria ex apothecis educuntur. *Porculus* est paxillus vel uncus in medio suculæ fixus, ut teneat funem, qui suculam circumplexus simul versatur. *Meliponti* sunt funes longissimi & crassissimi, sic dicti quod melius premant. Nam *pontare* pro deprimere etiam hodie Mechanici usurpant. *Capistrum* est retinaculum quo prelum subductum tanquam freno retinetur, ut subsidat decidatque. *Trochlea* est machina tractoria cum rotulis vel orbiculis æreis vel ligneis, qui per articulum vertantur, trajectis ductariis funibus, quibus relevatur prelum. Nomen habet a τρόχῳ, i. e. rotula, fitque ad similitudinem Græcæ literæ Θ autore *Isidoro*. *Forum* est pars torcularis, in quam uva defertur, ut prelo subjiciatur. *Varro* appellat *forum vinarium*. *Patibula* sunt fustes validiores, quorum usus in torculari ad aliquid moliendum, muniendum, ferendumve. *Titinius* Fullonibus. *Siquis quam hodie præter hanc, Posticum nostrum pepulerit patibulo hoc ei caput defringam*. Ubi *Nonius* minus recte: *Patibulum est sera qua ostia occluduntur, quod hac remota valvæ pateant*. Non enim a patendo, sed a patiendo dictum patibulum. *Vectes* sunt pali robusti, quibus per foramina trajectis machina tractoria, & sucula circumagitur ab operariis, aut prelum torquetur. Eos *Cato* in premendo fortiter prelo adhibet longos triplici ordine, pro numero scilicet eorum, qui premunt: in torquendo leviter & remisse, breves, quos vocat *remissarios*.

XV. Peracta vindemia, qualis uvæ in locum torcularium deferebantur. Qualos vindemiatorios commemorat *Jeremias* lib. IV. *9*. כבוצר על סלסלות *Sicut vindemiator ad qualos*. Targum. ברקטף על סלסלין *Sicut vindemiator ad qualos*. *Avoda Zarab* 59. 2. שהביא ענבים בסלין או ברודורין. Qui fert uvas ad torcular in qualis aut fiscellis. *Pompa* de instrument. fundi cap. XI.

Vinde-

Vindemiæ parantur *ſulculæ & ungues ferrei*, quibus uvæ maturæ deſecantur, ne vindemiatoris manu diſtringantur, & lædantur. *Corbes* & *corbulæ*, quæ ab oppido *Ameria* dicuntur *Amerinæ*, ut *Amerina retinacula Virgilius* Georgic. I. *Fiſci*, *fiſcinæ*, corbulæ breves, in quibus uvæ deſectæ reponuntur, & deferuntur, unde *Nævius* poeta proverbialiter dixit. *In pectus tuum tanquam uvam vindemiator in fiſcinam*. Etſi in corbibus etiam ſpicæ, grana, in fiſcinis paleæ, ſemina, frondes, & id genus reliqua portantur: ex quo *Plinius fiſcinas frondarias* nominat. Eidem rei ſunt *deccemmodia*, *trimodia* ſic dicta a menſura decem, trium modiorum. *Alveus*, *Linter*, *Navia*, a navis ſimilitudine appellantur vaſa concava uno e ligno exſculpta; in quibus portantur & ſervantur collectæ uvæ donec perveniant ad Torcularium. *Tibullus* I. *Hæc mihi ſervabit plenis in lintribus uvas*. *Servius* in illud *Virgilii* Georgic. I. *Cavat arbore lintres:* Alii (inquit) lintres, in quibus uvæ portantur, accipiunt. *Feſtus*. *Navia eſt ex uno ligno exſculpta, ut navis, quo utuntur alveo in vindemia*. Quali vindemiatorii exceptoriique ſunt corbes vimineæ, in quibus uvæ feruntur, ut in caniſtro, apud *Ulpian*. tit. de inſtr. & *inſtrum*. leg. I. 8.

Uvæ poſtquam erant apportatæ ad Torcular calcabantur. דרך *calcare* Hebraice. *Judic*. IX. 27. ויבצרו כרמיהם וידרכו *Et vindemiarunt vineas ſuas, & calcarunt*. *Eſai*. XVI. 10. יין ביקבים לא ידרך הדרך *Vinum in torcularibus non calcabit calcator*. *Thren*. I. 15. גת דרך יי' *Torcular calcavit Dominus*. *Job* XXIV. 2. יקבים דרכו ויצמאו: *Torcularia calcarunt, & ſitierunt*. *Nehem*. XIII. 15. דרכים גתות בשבת *Vidit calcantes in torculariis in ſabbatho*. Iterum *Eſai*. LXIII. I. מי זה בא מאדום חמוץ בגדים מבצרה זה הדור בלבושוצעה ברב כחו אני מדבר בצדקה רב להושיע מדוע אדם ללבושך ובגדיך כדרך בגת פורה דרכתי לבדי ומעמים אין איש אתי ואדרכם באפי וארמסם בחמתי ויז נצחם על בגדי וכל אגאלתי: *Qui eſt iſte qui venit de Edom ſordidatus veſtibus, de Boſra gradiens in veſte colorata in multitudine fortitudinis ſuæ? Ego loquar in juſtitia, potens ad ſalvandum. Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtes tuæ inſtar calcantis in torculario? Torcular calcavi ſolus, & de populis non eſt vir mecum; & calcabo eos in furore meo, & conculcabo eos in ira mea, & adſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & indumentum meum inquinavi*. Non ſolum דרך de uvis, ſed etiam de olivis dicitur *Mich*. אתה תדרך זית ולא תסוך שמן: *Tu calcabis olivas, at non ungeris oleo*. Chaldaice dicitur עצר. *Judic*. IX. 27. וקטפו ית כרמיהון ועצרו; *Et vindemiarunt vineas eorum, & calcarunt*. *Eſai*. XVI. 10. וחמר במעצריא לא יעצרון עצריו: *Et vinum in torcularibus non calcabunt calcatores*. *Mich*. VI. 11. ותעצר ענבין *Et calcabis uvas*. Dicitur etiam Chaldaice רפס. *Ezech*. XXV. 6. ורפסתא ברגלך *Et calcavi pedibus tuis*; Hebraice רקע. *Dan*. VII. 7. ושרא ברגלה רפסה *Et reliquum pedibus ſuis conculcabat*. Targum Hieroſ. lib. XLIX. II. מרמי לרפוס ענבים *Similis calcato uvarum ſucco*. 3.° בטש. *Exod*. XXIV. 10. והוו נשיא בטשן ית טינא *Erantque mulieres calcantes lutum*. 4.° dicitur בעט. *Joel* III. 13. דמתבעט במעצרתא *Sicut calcator, quæ calcat in torculari*. *Thren*. I. 15. מבעט ענבים *calcat uvas*. *Pſal*. LX. 10. בעטית מואבאי *Conculcavi Moabitas*. Talmudice dicitur דרך ut Hebraice. *Schevvith* cap. VIII. 6. אין דורכין ענבי' בגת אבל דורך הוא בעריבה: Uvas non calcabunt in torculari, ſed calcabit in mactra. נתיות *calcatrices*, ſeu *torculariæ* memorantur *Bereſch. Rabba* ſect. 71. אף הנתיות שאחורי קורים: Etiam calcatrices poſt trabes torcularis. ſc. Gloſſa הנתיות כו' נשים הדורכות בגת אחורי הקורות של בית הבד: *Gatijoth* ſunt mulieres calcantes in torculari poſt trabes torcularis. Et הבדדין *torcularii Taaros* cap. 10. הנועל בית הבד בפני הבדדין והבוצרים: Claudens domum torcularis coram torculariis & vindemiatoribus. Ibid. הבדדין הנכנסים והיוצאים torcularii ingredientes & egredientes. Similiter apud ceteras gentes calcatæ uvæ. *Ovidius* Faſt. IV.

> *Venerat autumnus calcatis ſordidus uvis*

Idem Metamorf. lib. II.

> *Stabat & autumnus calcatis ſordidus uvis*

Sedulius I.

> *Sordidus impreſſas calcabat] vinitor uvas*.

Poſt calcatas uvas, reliquum quod erat muſti, prelo exprimebatur. *Varro* lib. I. cap. 54. *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum ſcopi cum folliculis, ſubjiciendi ſub prælum, ut ſi quid reliqui habeant muſti, exprimatur in eundem lacum. Cum deſiit ſub prelo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rurſus premunt: & rurſus cum expreſſum, circumciſitum appellant, ac ſeorſum quod expreſſum eſt, ſervant, quod reſpit ferrum: Expreſſi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur; ea vocatur lora, quod* lota

lota acina, at pro vino operariis datur hyeme. Columella XII. 36. *Mustum tortivum est, quod post primam pressuram vinaceorum circumciso pede exprimitur. Cato* cap. XXIII. *Torticium mustum suo cuique dolio indito. Plinius* lib. XIV. 20. *Super omnia Cato maturescente jam vino jubet mustum, quod ille torticium appellat, nos intelligimus novissime pressum.*

Aliquandos uvas fuisse expressas legitur. *Genes.* XL. 9. ואקח ארת הענבים ואשחט אל כוס פרעה ואתן את הכוס על כף פרעה: *Et accepi uvas, & expressi illas in calicem Pharaonis, & dedi calicem in manum Pharaonis. Jonathan* in l. c. ונסבית ית ענבייא ועצרית יתהון לכסא דפרעה עד דיהבין כסא על ידא דפרעה: *Et accepi uvas & expressi eas in calicem Pharaonis, dedique calicem in manum Pharaonis.* Et verſ. 11. ודי אמרת נסיבית ית עינבייא ועצרית יתהון לכסא דפרעה: *Quod autem dixisti. Accipiebam uvas & exprimebam eas in calicem Pharaonis.* Targum Hierosol. l. c. ודי אמרת נסיבית ית ענביא ועצרית יתהון בכסא דפרעה: *Quod autem dixisti: Accepi uvas, & expressi eas, in calicem Pharaonis.* Verbum Chaldaicum עצר non ſolum calcare, ſed etiam premere, exprimere ſignificat. Judic. VI. 38. ועצר ית נזתא: *Et expressit vellus. Job* XXIV. 11. יעצרון משח *Exprement oleum. Columella* lib. X. de cultu hortorum:

> *Sordidus & musto spumantes exprimet uvas.*

Ex torculari calcatis uvis vinum defluebat in cupam. *Therumoth* VIII. 9. חבית שנשברה בגת העליונה והתחתונה טמאה: effracto dolio in ſuperiore torcularis parte, cum pars inferior polluitur &c. Ubi *Bartenora*. בגת העליונה *in torculari superiori*, eſt locus in quo exprimunt, התחתונה eſt inferior fovea, quæ eſt in torculari, in quam diffluit vinum. *Maaſ.* cap. 1. 7. היין משקיפה אע״פ שקפה קולט מן הגת העליונה ומן הצנור ושותה: Vini area eſt, ex quo deſpumatum eſt; quamvis deſpumatum ſit, tamen e ſummo torculari, atque e canali exceptum bibere licet. Ubi Bartenora משיקפה *quando despumatum fuerit*, quando vinum dejecit nucleos, & grana in lacum dum efferveſcit: גת העליונה *torcular superius*, quia nondum deſcendit in lacum cinum illud, quod in eo calcatur. הצנור *tubus*, qui datur in ore torcularis, vinum defluens per huna tubum vel canalem in lacum, vinum vero quod eſt in torculari aut tubo, nondum rite perfectum cenſetur. *Maimonides* משיקפה *quando despumatum fuerit*, quando vinum abjecerit ſpumam granorum: גת העליונה *torcular superius* eſt torcular, in quo uvas calcant; *torcular inferius* vero eſt, in quod deſcendit vinum, quod voce Hebrea יקב dicitur; צנור *tubus*; per hunc deſcendit vinum in torcular inferius. Cupa Talmudice dicitur גיניה, גינ *Schabb.* 157. 2. גינית סדוקה *cupa fissa.* Et *Bereſch. Rabba* ſect. 33. & *Schab.* 18. 1. & 109. 2. *Avoda Zara* ab initio פלוס כפיתה עלינו את ההר כגינית: *An obtexisti nos monte quasi cupa?* Appellatur quoque אכובא *Avoda Zara* 60. 1. גוי ארנא וישראל אכובא חמרא אסיר: Si gentilis ad vas poſitus ſit, & Iſraelita ad cupam, vinum eſt vetitum. Et דרודור deſignat tinam, cupam, orcam, *Kelim* cap. 15. דרדור עגלה cupa rotunda. *Avoda Zara* fol. 61. גוי שהביא ענבים בסלים ובדורורים: Gentilis qui attulit uvas in caniſtris & tinis. Vocatur etiam אורנא, ſic adducit *Aruch* ſed in Gemara legitur אננא *Berach.* 22. 1. ר׳ הוא יתיב באננא דמיא R. Zira ſedebat in cupa aquæ. In *Avoda Zara* fol. 75. 1. Memorantur נורגי funes vel aliud quid, quo uvarum maſſæ ſub prelo torcularis conſtringuntur, ne a mola diſſiparentur. *Popma* de inſtrum. fundi cap. XVI. Cupæ ligneæ ſunt latæ & vaſtæ, in quibus vinum novum & recens expreſſum ſervatur. *Cicero* in Piſonem. *Panis & vinum a propala & de cupa. Augustinus* confeſs. IX. 8. *Juberetur a parentibus de cupa vinum depromere*: Lacus memorat. *Palladius* lib. 1. cap. 18. in quibus vinum ex calcatis uvis excipiebatur. *Sic autem dispositam* (ſc. cellam vinariam) *ut basilicæ ipsius formam calcatorium loco habeat altiore constructum, ad quod inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depressi sunt, gradibus tribus fere vel quatuor adscendatur. Ex his lacubus canales structi vel tubi fictiles circa extremos parietes currant, & subjectis lateri suo doliis per vicinos meatus manantia vina defundant. Si copia major est, medium spatium cupis deputabitur, quas ne ambulacra probibeant, basellis altioribus impositas, vel supra obruta dolia possumus collocare spatio inter se longiore distantes, ut si res exigat, curantis transitus possit admitti. Quod si cupis locum suum deputabimus, is locus ad calcatorii similitudinem podiis brevibus, & testaceo pavimento solidetur, ut etiam si ignorata se cupa diffuderit, lacu subdito excipiantur non peritura vina quæ fluxerunt.*

A fæcibus muſtum & vinum depurabatur. *Schabb.* cap. XX. נותנין מים על גבי השמרים בשביל שיצלו וסוננין את היין בסודרין ובכפיפה מצרית: Fundunt aquas ſuper fæces, ut clareſcant, & colant vinum ſudariis, & corbe viminoſa. גרגותני eſt

eſt corbis per quam colatur muſtum ſub prelo torcularis. *Chagiga* fol. 22. 1. *Avoda Zara* fol. 56. 2. גרנתוני הוא כל גדול שקשור בצינור והיין יורד מן הצינור לתוכו ומתוכו לבור כדי לסנגן היין מזגין וחרצנין: Gurgateni eſt corbis magna, quæ alligatur canali, in quam vinum ex canali deſcendit, & ex eo in foſſam ad colandum vinum a vinaceis & acinis. שחלה erat corbis aut caniſtrum, per quod vinum aut muſtum colabatur. חמרא דשפייה בשחלה Vinum colatum per corbem vininoſam. *Aruch* explicat כפיפה מצרית corbem ex virgultis factam. צביתא quali viminei per quos colatur muſtum, aut alius potus. *Cholin* 64. 1. לא לישפי אניש שיכרא בצביתא באורתא: Non colabit homo ſiceram per qualos ad lumen ſive lucernam. משמרת: dicitur ſaccus colatorius, per quem vinum turbidum & fæcatum percolabatur. *Schabb.* cap. xx. תולין את המשמרת ביום טוב: Suſpendunt ſaccum colatorium in die feſto. *Gloſſa* שק שמסננין בו היין משמרת שמוציאת היין וקולטת את השמרים: Saccus, quo percolatur vinum; emittit vinum, & retinet fæces. *Therumoth* cap. VIII. המשמרת של יין. Colum vinarium. *Maimonides* de cibis vetitis cap. II. הסמנן את היין או את החומץ או את השכר ואכל את הבחושים או את היתושין ותולעות שסנגן לוקה: Qui percolat vinum aut acetum, aut ſiceram, & comedit culices, aut muſcas, & vermes, quos percolavit, vapulat. Hoc eſt quod Chriſtus objicit Judæis *Matth.* XXIII. 24. Ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διυλίζοντες τὸ κώνωπα. *Duces cæci, qui percolatis culicem.* Vinum relinquebatur aliquando in fæcibus ſuis, quibus conſervabatur. *Jerem.* XLVIII. 11. שאנן מואב מנעוריו ושקט הוא אל שמריו ולא הורק מכלי אל כלי ובגולה לא הלך על כן עמד טעמו בו וריחו לא נמר: *Fraudulentus fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requievit in fæcibus ſuis, nec evacuatus fuit de vaſe in vas, & in captivitatem non abiit, & ejus guſtus in eo eſt, & ejus odor non fuit immutatus.* Targum כחמרא דנטיר על שמריה: *Sicut vinum quod conſervatur in fæcibus ſuis.* Cato cap. CXXIV. *Vinum fæcatum ſic facito. Fiſcinas olearias Campanicas duas illæ rei habeto, eas fæcis impleto, ſub prælumque ſubdito, exprimitoque.* Columella lib. XII. cap. 17. ubi de aceto. *Poſtea in junceis fiſcellis, vel ſparteis ſaccis percolant.* Idem lib. XII. cap. 19. ubi de conſervando muſto. *Iſque qui præerit huic decoquendo, cola juncea vel ſpartea ex crudo, id eſt non malleato ſparto, præparata habeat; itemque faſciculos fœniculi fuſtibus illigatos, quos poſſit utique ad fundum vaſorum demittere, ut quicquid fæcis ſubſederit, exagitet, & in ſummum reducat; tum colis omnem ſpurcitiam, quæ redundarit expurget; nec abſiſtat id facere, donec videbitur eliquatum omni fæce muſtum carere.* *Popma* cap. XI. de inſtrum. fund. *Quali* vindemiatorii exceptoriique ſunt corbes vimineæ, in quibus uvæ feruntur ut in caniſtro, apud *Upian.* tit. de inſtr. & inſtrum. leg. 1. 8. quamvis etiam. *Quali* & Cola ſunt vaſa viminea, vel juncea aut ſpartea, per quæ liquatur & defluit calcatis uvis. *Cato* II. *Cola vitilia* III. *cola qui florem demant*, id eſt primum liquorem & optimum, qui flos vini eſt. *Virgilius Georg.* II. *tu ſpiſſo vimine qualles, Colaque prelorum ſpumoſis deripe tectis.* Præterea colum vinarium vas erat e lapide ſpongioſo factum, quo aquam ex nivibus colare ſolebant delicatuli, ut æſtivo tempore frigidius biberent. *Martialis. Attenuare nives norunt & lintea noſtra, frigidior colo non ſalit unda tuo.* His annumerandus *Saccus vinarius*, quo per colaturam vina franguntur & caſtigantur, redduntur que mitiora, defæcata & liquida, vel etiam odoratiora, & magis grata, injectis in ſacco aromatibus: qua ratione comparatur *vinum Hippocraticum* vulgo dictum. *Martialis. Ut liquidum poteſt Alanda merum; Turbida ſollicito tranſfundere Cæcuba ſacco.* *Crates* texta viminea, in quibus planis ſuper terram uvæ & fici ſtratæ ſiccantur, vel erectis & acclinatis in teſtudinis morem, a rore, pluvia & frigore defenduntur: cui uſui ſunt *crates ficarie Catonis* XLIX. *Sportæ fæcariæ* prælo ſuppoſitæ fæcem excipiunt, unde vinum fæcatum exprimitur, ut *Cato* docet CLIV.

Multa vinaria vaſa recenſentur a Judæis. 1. פטס cadus, vas, dolium magnum. *Echa Rabathi* cap. III. v. 16. או לתוך הפיטס aut intra dolium. Ibid. ומחרא עטיס אישתי: Et excuſſo dolio bibi. *Betza* fol. 15. בעלי פיטסין magiſtri doliorum magnorum, qui habent dolia magna, & multum bibunt. *Kelim* cap. 3. שטופלין בה את הפטסין: qui oblinunt dolia. *Baal Aruch* legit hoc cum daleth פירסנן. *Bava Batra* fol. 93. 2. עשר פיטסין decem dolia magna, eſt Græcum πίθος. 2.° חובה חבה חיבא dolium. *Mikvaoth* cap. 2. פי חבית orificium dolii: חובית מלא יין: *Dolium plenum vino.* *Schabb.* fol. 74. 2. מאן דעבד חביתא is qui conficit dolium. Gloſſa hic explicat de vaſculo teſtaceo חבית של אפרסמון אל תנח באשפה אלא טלטל אותו ממקומו כדי שריחו נודף ריחנו ונהיו ממנו בני אדם: Vaſculum balſami ne relinquas in fimo, ſed move illud de loco ſuo, ut odor flagret, & utilitatem inde accipiant filii hominis. Quæ in Gemara leguntur חביתא, Aruch ali-

quando legit חצבא. *Menachoth* x. ולא כונסין אותו בחצבין גדולים אלא בחביות קטנות Non colligebant in dolia magna sed in parva. *Succa* 29. 1. חצבא ושחיל בר מטללתא: Hydria & Obba extra tuguria sunt. Glossa עצבא של חרס ששואבין בו המים: Chitsba ex fictili est, quo hauriunt aquas; שחיל est ex ligno. *Berach.* 22. 1. רב נחמן תקן חצבא בת חשעה קבין R. Nachman constituit vas novem caborum. *Sanhedr.* דהוה קא מפקא ריפתא לעניא בחצבא: Apportabat panem pauperi in hydria. *Pesach.* fol. 40. 1. חצבא דאבשרנא olla frumento illita. *Berach.* חצביהאצטמיד נחמן דרב: conjunctum & consolidatum fuit vas R. Nachman. 3.° דנא vasculum, dolium. *Berach.* fol. sc. ארבע מאה דני דחמרא: quadraginta dolia vini. *Joma* 28. 2. דנא דחלא dolium aceti. *Avoda Zara*. fol. 60. 1. נוי ארדנא וישראל אכובא חמרא אסיר: Si gentilis ad dolium positus sit, & Israelita ad cupam, vinum est vetitum. 4.° נרב נריב נרבא *uter*, Jerem. XIII. 12. כל נרב ימלי המר. *Omnis uter implebitur vino*. Hebr. כל נבל ימלא יין: 1. *Sam.* x. 3. וחד נטל נרב דחמר *Unus portabat utrem vini*. Hebr. ואחר נשא נבל יין: Ibid. xxv. 18. ותרין גרבין דחמר *Et duos utres vini*. *Joel.* 1. 17. אמסין גרבי חמר: *computruerunt utres vini*: *Jos.* IX. 4. ונארות יין בלים: *ut utres scissos*. Ibid. v. 13. ואלה נארות אשר מלאנו חרשים: *Et ecce utres vini novos implevimus*. אברורין utres parvi *Bava Batra* 42. 2. באברורי הוא מנחי: cum utribus parvis apponunt. *Glossa*. Quando uter vini unus major est altero, tunc minori apponunt נוד קטון utrem parvum ad æquandam sarcinam asini, ne inæquale pondus asinum gravet. Dicitur etiam uter. זפר. *Zohar* in *Num.* col. 299. אפיק חד זפירא מלי מיין produxit utrem unum repletum vino Arabice ספירא i. e. נאד 5. Cadus, hydria dicitur כר כרר. *Judic.* VII. 16. כרין ריקנין *cados vacuos* 1. *Reg.* VIII. 34. מלו ארבע כרין מיא: *implete quatuor cados aqua*: *Menachoth* 87. 1. חביות כריות לודיות בינוניות: dolia, cadi mediocres Lyddæ. Dicuntur cadi דקורין Cholin fol. 127. כדקורי דהרפניא sicut cadi Harpaniæ. 6.° *Cantharus*. *Maaser Scheni* cap. 3. המשאיל קנקין למעשר שני qui commodaverit cantharos ad decimam secundam. *Pirke Avoth* cap. 4. אל תסתכל בקנקן אלא במה שיש בו יש קנקן חדש מלא ישן ויש ישן שאפילו חדש אין בו: Ne inspicias cantharum, sed id quod in eo est, est enim cantharus novus quandoque repletus vino veteri; est etiam quandoque cantharus vetus, in quo ne novum quidem vinum est: *Avoda Zara* 29. 2. נודות הגוים וקנקניהן ויין ישראל כנוס בהן אסורין: Utres gentilium & eorum canthari; in quibus vinum Israelitæ continetur, prohibiti sunt. Dicitur etiam cantharus, עלת, עלית, עיליתא, eo quod faciat adscendere vinum ex cado. *Eruvin* 52. 2. עלת נפקת בכרא. Cantharus percussit vinum in cado; id est cantharo exhaustus est cadus usque ad fundum, ut vinum deficiat. *Schabb.* 119. 1. זבינה בתליסר עיליתא דדינרי דדהבה: vendidit eum tredecim cantharis denariorum auri. *Bava Batra* 133. 2. הוה ליה עיליתא דדינרי erat ipsi amphora plena pecunia. Appellatur etiam כובא כוב *Schabb.* 48. 1. פרס דסתודר אפומי דכובא: Expandit linteum super os canthari. Glossa קנקן. *Avoda Zara* 60. 1. ישראל ארדנא וגוי אכובא חמרא אסור: Si Israelita stet super dolium, & gentilis apud cantharum, vinum est vetitum. Similiter dicitur גולפא. *Kidduf.* 81. 1. אביי דייר גולפי: Abaje ordinabat cantharos. *Nedar.* 49. 2. שקל גולפא על כתפיה accepit cantharum in humeros suos. *Megillah* 26. 1. אמר אביי שמא מכאן אורח ארעא למשבק אינוש גולפא ומשכה באושפיזיה: Dicit Abaje. Forte hinc est consuetudo ut relinquat homo cantharum & pellem in hospitio suo. 7.° *Lagena* Hebr. אשישה. R. *David* ad illud 2. *Sam.* 6. 19. ואשישה אחת *&* *lagenam unam* scribit ואשישה מלאה יין lagenam unam plenam vino. *Aben Ezra* ad illud *Hos.* III. 1. אשישי ענבים sicut אשישות סמכוני באשישות *corroborate me lagenis Cantic.* II. 5. id est אשישי יין ענבים lagenis vini uvarum, i. e. ex uvis expressi. Talmudici de voce אשישה dissentiunt *Pesach.* 36. 1. Unde ad illud ואשישה אחת 2. *Sam.* 6. 19. R. Channa dicit אשישא אחת משׁשה ביפא Aschischa est una de sexta parte Ephæ. R. Samuel dicit אשישא גרבא דחמרא Aschischa est, dolium, sive cadus vini. 8.° hydriæ appellantur קורפרייא. Gemara Hierosol. יום טוב cap. 7. כאילין קורפרייא דקיקתא דמיטענן תרתיי ותלת בנו ידא: Sicut istæ hydriæ, quarum duæ aut tres in manu portari possunt. 9.° חנרא appellatur amphora. *Bechor.* 9. 1. שרנחו בחנרא funde ea in amphoram. Quidam libri legunt אנרא, alii תיגארא. Dicitur etiam קרוא, קרויא. *Genes.* XXI. IV. ונסיב לחמא וקרויא דמיא *Et accepit panem, & amphoram aquæ*. Hebr. וחמת מים *& utrem aquæ*. Et vers. 15. עד די שלימו קרויה מן מיא: *Donec consumtæ essent aquæ ex amphora*. In Targum Hierosol. est מן קרנת. Et sic legit *Elias* קרנתא. *Popma* l. c. cap. XVI. & XVII. Vasa vinaria majora & capaciora sunt *Culleus*, sive *Culleum*, quod viginti amphoras capit, urnas quadraginta; *qua nulla est major mensura liquoris* ait *Fannius*; eoque vinum vendere & admetiri

tiri solebant per labrum *culleare*, ita ut in vini *culleos* singulos quadraginta urnas, & auctarii loco unam præterea adderent. *Cupæ* ligneæ sunt, latæ & vastæ, in quibus vinum novum & recens expressum servatur. *Cicero* in Pisonem. *Panis & vinum a propola, & de cupa*. *Augustinus* confess. ix. 8. *Juberetur a parentibus de cupa vinum depromere*. *Orca* est genus vinarii vasis magni & teretis, a quo *urceos* & *urceolos* dictos putat *Horatii* interpres. *Varro*. 1. *quæ in Hispania fervore musti ruptæ*. *Seriæ*, *dolia* interdum erant decem amphorarum capacia, aliquando minora. Hæc oblinebantur, & oppicabantur cortice pice & resina, ne vinum fugeret, unde *oblinire dolia* est obturare, & contra *relinire* est resignare & aperire. *Terentius* Neauton. *Releni dolia omnia, omnes serias*. Quamquam in doliis & seriis etiam frumenta condebantur, ut testatur *Cato* ii. & *Ulpian.* tit. de verb. signif. l. 206. & hoc amplius dolia erant *olearia*, *amurcaria*, *deacinata*, quæ acinis liberata sunt, ubi mustum deferbuit. *Cato* XXVI. Minora vasa vinaria sunt *Cadus* sive metretes, qui continet urnas duas, vel ut nonnulli censent tres cum dimidia. *Amphora*, *Fidelia*, *Lagena*, *Culigna*, *Testa*, vasa fictilia, vel vitrea, in quo vinum e dolio, vel cupa defundebatur, ac vetustas ac nobilitas vino diffuso quærebatur, obsignatis vasis, & in tabella apposito nomine vini, & numero consularis anni, ut apud *Petronium* amphoræ vitreæ gypsatæ affixis pittaciis cum hoc titulo. *Falernum Opimianum annorum centum*. *Proculus* tit. de trit. vino & oleo leg. *Amphoras, & cados in quibus vina diffusa servantur, legatos esse*. *Horatius* Carmin. iii. *Cortice adstrictum pice dimovebis Amphoræ fumum bibere institutæ*. Idem epist. 1. 5. *Vina bibes iterum Tauro diffusa*. *Juvenalis* v. *Ipse capillato diffusum consule potat*. Hinc *vinum doliare* quod in doliis est, *dixit Ulpian.* tit. de peric. & comm. rei vend. *Amphorarium* quod in amphoras diffusum est; idem tit. de trit. vino. Est autem Amphora e Græco ἀμφόρα, continetque quemadmodum *Columella* scribit, duas urnas sive sextarios quadraginta, ut vero *Mutianus*, & *Festus*, octo & quadraginta sextarios. Latini vocant *Quadrantal*, quasi vas pedis quadrati sive magni, quo utitur *Plautus* Curcul. *Modica est, capit quadrantal*. *Fidelia* fictilis aut vitrea ad vina & conditanea servanda apta, quæ capiebat congium, & antiquo ritu cum vino offerebatur diis, ut Fidei a Plautino servo Aulularia: *Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam:* atque etiam donabatur causidicis a clientibus, quo respexit *Persius* iii. *Ne invideas quod multa fidelia putet*. *Lagena & Laguncula* vas fictile, vel e radicum filis cum fici tum etiam sylvestrium autore *Plinio* XVI. 31. aut e cucurbita, *Columella* x. Ejus usus plurimus in conviviis, in itinere, in venatione olim fuit, atque etiam hodie manet: sed fere stanneæ, aut vitreæ aut vimine obductæ. *Flossa* vulgo dicitur. *Horatius* lib. ii. Sat. ult. *Convivæ reliqui minimum nocuere lagenis*. *Plinius* Epist. 6. *Cum venabere, licebit autore me, ut panarium & lagunculam, sic etiam pugillares feras; Culigna* dicta a Græco κύλιξ ut *Festus* tradit. *Cato* CXXXIII. *Culignam vini dapi*. Idem: *Culignam in fœno Græco ponito*. *Varro* de vit. pop. Rom. lib. 1. *Cymbia, culignæ, pateræ, gutti*. *Testa* fictilis ad vina condenda accommodata, quam *Horatius* vocat Græcam, quod vino Græco primo imbuta fuisset, vel quod Cumis civitate Græcæ originis facta, ut *Martialis: Cumanam testam*. *Juvenalis* v. *Cujus patriam titulunque senectus, Delevit multa veteris fuligine testæ*. His addendus *Uter vinarius* corio consutus, qui ut ἀσκὸς apud *Pollucem* inter vasa vini conditoria erat, & in conviviis primo ponebatur, postea *Tina*; cujus nomen integrum in Belgico idiotismo rustici hodieque usurpant, sed pro vase ligneo, in quo lac mulsum vel expressum adservatur. *Varro* de vit. pop. Rom. lib. 1. *Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant*. *Apulejus* Metamorph. *Tinarios utres ferentes*. D. *Matthæus* Evang. ix. οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς.

Vasa picanda erant. *Moed Katon* fol. 12. 1. זופתין כוזתא ולא זופתן חביתא Picant urceum, at non picant dolium. *Kelim* cap. 10. קבותין שגפתן, urcei quos pice obduxerint. Pix Chaldaice קופרא, Hebraice כפר. *Genes.* VI. *pice*. Hebr. כפר *picare, pice illinire, & obducere*. Apud Talmudicos *Nedar.* 51. 1. חפייה כופרא obduxit eam pice. *Schab.* 67. 1. מאן דארתח כופרא qui fervere facit picem, hoc est fundit, liquefacit. *Bava Metzia* 70. 1. בני כופרא Picarii, i. e. nautæ tractantes picem ad picandas naves. *Cato* cap. XXIII. *Picentur dolia, quæ opus sunt, picentur*. *Columella* lib. XI. cap. 2. *Sed antequam fructum cogere incipiat, cuncta præparanda erunt superiore (si fieri posset) mense, si minus, certe ut ante quindecim dies dolia partim picata, partim defæcata, & diligenter lota marina, vel aqua salsa, & recte siccata; tum & opercula colaque, & cetera sine quibus confici mustum non potest: torcularia vero & fora diligenter emunda-*

ta, lotaque, & si res ita exegerit, picata. Idem lib. XII. cap. 18. *Dolia quoque & seriæ, ceteraque vasa ante quadragesimum diem picanda sunt, atque aliter ea quæ demersa sunt humi, aliter quæ stant super terram: nam ea quæ demersa sunt, ferreis lampadibus ardentibus calefiunt, & cum picem in fundum destillavit, sublata lampade, rutabulo ligneo, & ferrea curvata radula ducitur, quod destillavit, aut quod in lateribus hæsit: deinde penicillo detergitur, & ferventissima pice infusa novo alio rutabulo & scopula picatur. At quæ supra terram consistunt, complures dies antequam curentur in solem producantur: deinde cum satis insolata sunt, in labra convertuntur, & subjectis parvis tribus lapidibus suspenduntur, atque ita ignis subjicitur, & tamdiu incenditur, donec ad fundum calor tam vehemens perveniat, ut apposita manus patiens ejus non sit: tum dolio in terram demisso, & in latus deposito pix ferventissima infunditur, volutaturque, ut omnes dolii partes linantur. Sed hæc die quieto a ventis fieri debet, ne admoto igne, cum afflaverit ventus, vasa rumpantur. Sunt autem satis sesquicullearibus doliis picis duræ pondo vicequina: nec dubium quin si quinta pars picis brutiæ in universam cocturam adjiciatur, utilissimum sit omni vindemiæ.*

Cella vinaria memoratur I. *Paralip.* XXVII. 27. ועל שבכרמים לאצרות היין זבדי השפמי: *Et cellis vinariis* præfuit *Zabadias Asepamites. Cantic.* II. 4. הביאני אל בית היין: *Adduxit me in cellam vinariam. Bava Bathra* cap. VI. מרתף של יין מקבל עליו עשר קוססות למאה: Si quis vendiderit promtuarium vini, recipiat in se decem dolia acida pro centum. Tosaphta *Menachoth* cap. IX. לא היו מניחין אותן במרתף: Non reponebant in cella, seu promtuario. *Cato* lib. cap. III. *Patrem familiæ villam rusticam bene ædificatam habere expedit, cellam oleariam, vinariam &c. Varro* lib. I. II. *Dubium enim non est, quin cella vinaria major sit facienda in eo agro, ubi vineta sint ampliora.* Idem cap. 13. *Fructus ut est vinum, & oleum loco plano in cellis, item ut vasa vinaria, & olearia, potius faciundum. Columella* lib. I. cap. 6. *Pars autem fructuaria dividitur in cellam oleariam, torculariam, cellam vinariam, defrutariam &c.* Idem lib. XII. 18. *Cella quoque vinaria omni stercore liberanda, & bonis odoribus suffienda, nequem redoleat fœtorem, acoremve. Palladius* lib. I. cap. 18. *Cellam vinariam septentrioni debemus habere oppositam frigidam, vel obscuræ proximam, longe a balneis, stabulis, furno, sterquiliniis, cisternis, aquis, & ceteris odoris horrendi, ita instructam necessariis, ut non vincatur a fructu, sic autem dispositam ut basilicæ ipsius forma calcatorium loco habeat altiore constructum, ad quod inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depressi sint, gradibus tribus, aut quatuor adscendatur.*

XVI. Quamplurimæ recensentur a Judæis vini species. *Menachoth* cap. X. memoratur vinum sole adustum, dulce, fumatum, coctum, vetus. אין מביאין הליסטיון ואם הביא כשר אין מביאין ישן דברי רבי וחכמים מכשרין אין מביאין לא מתוק ולא מעושן ולא מבושל: Non adducunt (scil. pro muneribus) ἡλιστὸν sc. sole adustum, si vero adducat, erit legitimum. Non adducunt vetus. Verba Rabbi. Et sapientes probant. Non adducunt dulce, nec fumatum, nec coctum. Ubi Gemara Babyl. אין מביאין לא מבית הזבלים אין מביאין לא מתוק ולא מבושל ולא מעושן ואם הביא פסול והא קתני רישא אין מביאין את הליסטיון ואם הביא כשר וגו' Non adducebant ex agro stercorato, neque adducebant dulce, neque coctum, neque fumatum; & si adducat, erat illegitimum. Atqui docet in principio propositionis. Non adducunt sole siccatum & adustum, & si adducat, erit legitimum &c. Loco citato celebrantur vina Kerotim, & Tolin, & Bet-Rima, & Bet-Laban, & Signa. מאין היו מביאין את היין קרותים ועטולין אלפא ליין שנייה להן בית רימה ובית לבן בהר וכפר סיגנא בבקעה: Unde vinum adducebant? E Kerotim, & Tolin, quæ primæ sunt pro vino; ipsis secunda est Bet-Rima, & Bet-Laban in monte, & pagus Signa in valle. Præter hæc aliæ recensentur vini species in Tosaphta *Menachoth* cap. IX. יין אליסטון והכושי והבוריק ושל צמוקים רבי ארמר יין בן שתי שנים ובן שלש שנים שרחה טעמה או שנשתנה מראיו לא יביא: Vinum ἡλιοστὸν, Æthiopicum seu nigrum, & subaldidum, & ex uvis passis, non adducet, ut si adducat erit legitimum. Rabbi dicit: Vinum bienne, & trienne, si fuerit depulsus ejus sapor, aut si fuerit mutatus ejus color, non adducet. In *Bava Batra* cap. VI. memoratur vinum acidum, conditum, vetus, vetustissimum. המוכר יין לחבירו והחמיץ איננו חייב באחריותו ואם ידוע שיינו מחמיץ הרי זה מקח טעות ואם אמר לי יין מבושם אני מוכר לך חייב להעמיד לו עד העצרת וישן משל אשתקד ומיושן משל שלש שנים: Siquis vinum vendiderit proximo suo, idque acidum factum fuerit, non tenetur ad cautionem illius. Et si constiterit quod vinum ipsius acescere soleat, ecce hæc emtio erronea est. Si dixerit ei, vinum conditum tibi vendo, tenetur operam dare, ut se conservet usque ad Pente-

Pentecosten. Si vinum vetus, pertinet ad annum præteritum, si vero vetustissimum, trium annorum est. Vinum conditum memoratur *Cantic.* VIII. 2. אשקך מיין הרקח: *Et dabo tibi poculum ex vino condito*. *Prov.* XXIII. 31. vinum rubrum, אל תרא יין כי יתאדם *Ne intuearis vinum, quando rubescit*. *Dan.* V. I. נסוך חמר סרמק וחמר חיור *Libamen vini rubri*, *& vini albi*. *Deut.* VIII. 8. חל וחריף. *Vinum dulce*, *& acutum*: hoc est generosum, forte. In *Jonathane* בחמר חילת מבשל *Cum vino dulci cocto*. In *Aruch* in חמר sexto pro חילת scribitur חרת novum. *Job* XXXII. 19. היך חמר חרת *ut vinum novum*. Apud Talmudicos חמרא מרקא vinum dilutum. חפורא חייא vinum vivum, id est purum, non dilutum. In *Therumoth* cap. II. memoratur יינומלין vinum mellitum, vinum mulsum ex Hebræo יין & μέλι vel potius est Græcum corruptum οἰνόμελι איומלין אנס vinum melle conditum, vinum mulsum, potus ex vino, melle, & pipere. *Avoda Zara* fol. 30. 2. אי זהו אינומלין אינומלין יין ודבש ופלפלין: Quid est Inomelin? Inomelin est vinum, mel, & piper. *Schabb.* 39. 2. ועושין אינומלין בשבת. Faciunt vinum mulsum in Sabbatho. *Aruch* notat in quibusdam libris legi יימומלין, quod esset compositum ex Hebræo & Græco, inusitate. טיליא vini austeri & pessimi genus. *Gittin* 70. I. מאן דשתי טיליא חיורא אחזתהו זיתק: Qui bibit vinum album austerum, corripit eum debilitas, hoc est dolor colicus. Ibid. notatur. Sexaginta sunt genera vinorum, optimum ipsorum est סומקא נרידא רכולהו ריחתנא rubrum odoriferum; טיליא חיורא minimum omnium est Tilæum album. In *Avoda Zara* fol. 30. I. טילא חריפא דמצרי זיקי vinum Tilæum austerum, quod rumpit utres, sc. austeritate & aciditate sua. Et fol. 28. I. טרפסא אטיליא Apium in vino Tilæo.

פורצמא vinum languidum, aut acescens, quod saporem, & colorem amisit. *Bava Batra* 95. 2. פורצמא דמזדבן אקרנתא vinum languidum quod venditur in compitis urbis. תירוש mustum, vinum recens, & dulce, sic dictum quod mentes hominis facile possidet. In Gemara *Joma* 76. 2. ואמאי קרי ליה תירש שכל המתגרה בו תהיה רש: Quare vocatur Tirosch תירש? Quod omnis qui trahitur eo, erit pauper; nempe זכה יעשה ראש לא זכה נעשה רש Si mereatur, erit Rosch ראש *caput*, si non mereatur erit רש *Rasch* pauper. Ergo תירש dicitur quasi תהיה רש, eris pauper si abutaris eo, & תהיה ראש eris caput, sic recte utaris. חמר Vinacea quæ ex uvis pressis remanent. מחמר loram faciens, qui aquam vinaceis affundit, & macerata denuo prelo subdit. Potus inde expressus dicitur lora, Græcis δευτερία. *Maas.* cap. ult. יותן מים על החמר fundens aquam super vinacea vocatur מחמר potus ipse יין גרוע vinum minutum. Interdum pro lora ipsa sumitur החמר עד שלא החמיץ Lora antequam acescat, vel acrem saporem assumat. *Cholin* 25. 2. *Pesach.* 72. 2. Vinum thure mixtum, de quo Babyl. *Sanhedr.* fol. 43. I. היוצא ליהרג משקין אתו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו וג׳. Cum educitur, ut occidatur, dabant ei bibere thus vino mixtum, ut dementetur; sicut scriptum est: *Date potum inebriantem perituro*, *& vinum amaris animo*. Traditio est illustres fœminas Hierosolymitanas hoc ultro & gratis præbuisse. Hinc illustratur *Marc.* XV. 23. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum*, *& non accepit*. De vinis *Chelbon*, de quo *Ezech.* II. 12. Sareptæ, Gazæ &c. satis dictum est in primo capite hujus commentarii. De vinorum speciebus, ne diutius lectoris patientia abutamur, vide *Catonem*, *Varronem*, ceterosque rei rusticæ scriptores.

CAPUT SEPTIMUM.

De Olivetis.

I. *Palæstina olivetis suis, & olearum ubertate celebrata.* II. *Olearum variæ species.* III. *Oleæ collinæ.* IV. *Oleæ insitæ, plantatæ.* V. *Oleæ sordibus oblitæ, stercoratæ, disraratæ, deglabratæ, putatæ, sarritæ perfossæ aratæ.* VI. *Oleæ conditivæ, oleariæ.* VII. *Olearum districtio.* VIII. *Lex de non racemanda olea.* IX. *Torcular, prelum, trapetum, fisci, ceteraque instrumenta, quibus olearum exprimebatur, & excipiebatur.* X. *Unctio.* XI. *Lex de planta anni quarti.* XII. *De quiete terræ in anno Sabbathico, & Jubilæo.* XIII. *De primitivis, primitiis, decima prima, decima secunda, & decima pauperum.* XIV. *De lege agraria quinquagesimo quoque anno in Jubilæo repetita & confirmata.*

I. PAuca dicenda mihi erunt de Olivetis, eo quod nullam vel exiguam requirant culturam, ut testatur *Virgilius* Georg. lib. II.

Contra non ulla est oleis cultura; neque illæ
Procurvam expectant falcem, rastrosque tenaces;
Cum semel hæserunt arvis, aurasque tulerunt;
Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, & gravidas cum vomere fruges
Hoc pinguem, & placitam paci nutritor olivam.

Columella lib. V. cap. 8. *Omnis tamen arboris cultus simplicior, quam vinearum est, longeque ex omnibus stirpibus, minorem impensam desiderat olea, quæ prima omnium arborum est. Nam quamvis non continuis annis, sed fere altero quoque fructum afferat, eximia tamen ejus ratio est, quod levi cultu sustinetur, & cum se non induit, vix ullam impensam poscit, sed & siquam recipit, subinde fructus multiplicat: neglecta compluribus annis, non ut vinea deficit, eoque ipso tempore aliquid etiam interim patrifamilias præstat, & cum adhibita cultura uno anno emendatur.*

Palæstinam olivetis æquæ ac ceteris fructibus fuisse feracissimam probatur ex *Deut.* VIII. 7. כי יהוה אלהיך מביאך אל ארץ טובה ארץ נחלי מים עינת ותהמת יצאים בבקעה ובהר ארץ חטא ושערה וגפן ותאנה ורמון ארץ זית ושמן ודבש: *Nam Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram torrentium aquarum, fontium, & abyssorum erumpentium in vallibus & in montibus; terram tritici & hordei, & vitis & ficus, & malogranati, terram olivæ, olei, & mellis. Jonathan* ארום יי אלהכון מעיל יתכון לארעא משבחא בפירהא ארעא דנגרא נחלין דמיין צלילין מבועי עינוון חליין ותהומין דלא מיובשין נפקין בבקען ובטוורין ארעא דמרבייא חינטין ושערין ומלכלבא נופנין דמנהון נפיק חמר חל וחריף ומרביא תינין ורומנין ארעא דמן זייתהא עבדין משח ומן תומרייהא עבדין דבש: *Quoniam Dominus Deus vester introducit vos in terram cujus fructus laudabiles sunt, terram cujus torrentes fluunt aquis limpidissimis, fontibus scaturientibus dulcibus, & abyssis quæ non arescunt, egredientibus per campos, & montes; in terram producentem tritica & hordea, & progerminantem vineam, ex quibus erit vinum dulce & præmaturum, & producentem ficus & malogranata, terram ex cujus olivis fit oleum, & ex cujus palmis fit mel.* Targum Hierosol. ארעא דמן זיתהא עבדין משח *Terram ex cujus olivis faciunt oleum.* 2. *Reg.* XVIII. 32. עד באי ולקחתי אתכם אל ארץ כארצכם ארץ דגן ותירוש ארץ לחם וכרמים ארץ זית יצהר ודבש: *Donec veniam, & tranferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, terram tritici & musti, terram panis, & vinearum, terram olivarum & olei, & mellis. Deut.* XXIII. 24. ולאשר אמר ברוך מבנים אשר יהי רצוי אחיו וטבל בשמן רגלו: *Et ad Asher dixit. Benedictus a filiis Asher; erit acceptus fratribus suis, & intingens in oleo pedem suum. Jonathan* ולשבטא דאשר בריך משה נביא דיי ואמר בריך הוא מבניא דיעקב אשר יהי מרעי לאחוי ומספק להון מזוני בשבי ותחומיה

שמיטתא ותחומיה יהי מרבי זיתין סניעין עבדין משח מספקין למטבול ביה רינלוי : *Tribum etiam Aſer benedixit Moſe propheta Domini, & dixit. Benedictus eſt a filiis Jacob Aſer; erit gratus fratribus ejus, & ſuppeditabit illis cibos in annis remiſſionis terræ & limes ejus producet olivas multas, facientes oleum, ſuppeditabunt hoc ad lavandum in eo pedes ejus*. Targum Hieroſol. ולשבטא דאשר ברך משה נביא דיי ואמר בריך הוא מבניא אשר יהי מרעי לאחוי בשמטא וארעיה תהוי עבדא משח כמיא : *Tribum etiam Aſer benedixit Moſe propheta Domini, & dixit. Benedictus eſt a filiis Aſer; erit gratus fratribus ſuis in requie terræ; terra vero ejus faciet oleum inſtar aquarum*: *Joſephus* lib. III. de bello cap. 2. ubi de Peræa. Τόγε μὲν μαλθακὸν ταύτης καὶ τὸ πάμφορον, καὶ τὰ πεδία δενδρέσι κατάφυτα ποικίλοις, τὸ πλεῖστον δὲ εἰς ἐλαίαν, τὸ καὶ ἄμπελον, καὶ φοινικῶνας ἤσκηται. *Peræa ſane mollities & ingenium fructuoſum, campos habet cum variis arboribus conſitos, tum maxime olivetis, ac vineis & palmetis excultos*. *Ecba Rabbati* fol. 85. 3. מה היו עשרת שבטים עושים היו משלחין שמן למצרים : Quid faciebant decem tribus? Mittebant oleum in Ægyptum. *Hoſ.* XII. ubi de Ephraim. ושמן למצרים יובל. *Et oleum in Ægyptum ferebat*. Hieronymus comment. ad *Hoſ.* cap. 12. *Licet quidem arbitrentur, quod nequaquam in Ægypto oleum gignitur, ſed pretioſiſſimum miſſum eſt ab Ephraim, cujus terra Samaria olei fertiliſſima eſt*. *Plinius* teſtatur lib. XXIII. 4. in Syria Elæomeli ſponte naſci. *Elæomeli in Syria ex ipſis oleis manat*. Idem lib. XV. 7. *Sponte naſcitur* (oleum) *in Syriæ maritimis, quod Elæomeli vocant: manat ex arboribus pingue, craſſius melle, reſina tenuius, ſapore dulci*. Et *Dioſcorides* lib. I. de re medica cap. 37. Ἐλαιομέλι καθ' ἁλμυρὰ τῆς Συρίας provenire ſcribit. Animadvertendum eſt, quod ſæpe minetur Deus Hebræis, ſi ſibi obſequentes non ſint, ſe olearum fructum perditurum. *Deut.* XXVIII. 40. זיתים יהיו לך בכל גבולך ושמן לא תסוך כי ישל זיתך : *Olivæ erunt tibi in omni termino tuo, at non ungeris, quia defluet olea tua*. *Jonathan* זיתין יהון לכון בכל תחומכון ומשח לא תשוטין ארום נתרין זיתיכן : *Oleæ erunt vobis in omni limite veſtro, ſed oleo non ungemini, quoniam marceſcent olivæ veſtræ*. Targum Hieroſol. ומשח לא תמשחון ארום יתר נצח דזיתכון : *Et oleo non ungemini, quoniam defluet flos olivarum veſtrarum*. *Amos* IV. 9. וזיתכם נאכל הגוס. *Et oliveta veſtra comedet eruca*. *Hab.* III. 18. כחש מעשה זית : *Mentietur opus olivæ*. Hag. II. 20. ועץ הזית לא נשא. *Et arbor olivæ non floruit*. *Mich.* VI. 15. אתה תדרך זית ולא תסוך : *Tu calcabis olivam, & non ungeris*. Præterea oliveta recenſebantur inter Regum opes. I. *Chron.* XXVII. 28. ועל הזיתים והשקמים אשר בשפלה בעל חנן הגדרי ועל אצרות השמן יועש : *Et ſuper oliveta, & ficeta, quæ erant in campeſtribus, Balanan Gadarites, & ſuper apothecam olei Joas*.

II. Tekoa & Regheb & Guſc-Chalab. in primis oleo in Palæſtina celebratæ ſunt. *Toſaphta Menachoth* cap. IX. תקוע אלפא לשמן אבא שאול אומר שנייה לה רגב בעבר הירדן ר' אלעזר בן יעקב אומר שלישית גוש חלב בגליל : Tehoa primum tenet locum in oleo. Aba Saul dicit. Secundum poſt illam Regheb in Peræa. R. Elieſer ben Jacob dicit. Tertium poſt illam Guſch-Chalab in Galilæa. Miſna *Menachoth* cap. X. תקוע אלפא לשמן אבא שאול אומר שניה לה רגב בעבר הירדן : Tekoa primum tenet locum in oleo, Aba Saul dicit, ſecundum poſt illam Regheb in Peræa. Ubi Gemara Babyl. וישלח יואב תקועה ויקח משם אשה חכמה מאי שנא תקועה אמר ר' יוחנן מתוך שרגילין בשמן זית חכמה מצוייה בהן תנו רבנן וטבל בשמן רגלו זה חלקו של אשר שמושך שמן כמעיין אמרו פעם אחד נצריכו אנשי לודיקיא בשמן מינו להן פולמוסטוס אחד אמרו לו לך והבא לנו שמן במאה ריבוה הלך לירושלים אמרו לו לך לצור הלך לצור אמרו לו לך לגוש חלב הלך לגוש חלב אמרו לו הלך אצל פלוני לשדה הלך ומצאו שהיה עוזק תחת זיתו אמר לו יש לך שמן במאה ריבוא שאני צריך אמר לו המתן לי עד שאסיים מלאכתי המתין עד שאסיים מלאכתו לאחר שאסיים מלכאתו הפשיל כליו לאחריו והיה מסקל ובא בדרך אמר לו יש לך שמן במאה רבוא כמדומה אני ששחוק שחקו בי היהודים כיון שהגיע לעירו הוציאה לו שפחתו קומקמום של חמים ורחץ בו ידיו ורגליו הוציאה לו ספל זהב וטבל בו ידיו ורגליו לקיים מה שנ' וטובל בשמן רגלו לאחר שאכלו ושתו מדד לו שמן במאה ריבוא אמר לו כלום אתה צריך ליותר אמר לו הן אלא שאין לי דמים אמר לו אם אתה רוצה ליקח קח ואני הלך עמך ואטול דמיו מדד לו שמן בשמנה עשר ריבוא אמרו לו לא הניח אותה האיש לא סוס לא פרד ולא גמל ולא חמור בארץ ישראל שלא שכרו כיון שהגיע לעירו יצאו אנשי עירו לקלסו אמר להם לא לי קלסוני אלא לזה שבא עמי שמדד לי שמן במאה ריבוא והרי נושה בי בשמונה עשרה ריבוא לקיים מה שנ' יש מתעשר ואין כל מתרושש והון רב : *Et miſit Joab Tekoa, & accepit inde uxorem ſapientem*. Quid docet Tekoa? Dixit R. Jochanan. Quia aſſueti erant in oleo olivæ, ſapientia deprehendebatur in illis. Tradiderunt ſapientes: *& lavabit in oleo pedem ſuum*. Hæc eſt portio Aſſer, qui trahebat oleum, ſicut fontem. Dixerunt: Aliquan-

quando oleo opus habuerunt incolæ Laodicææ; Constituerunt sibi legatum. Dixerunt illi. Abi, & affer nobis centum myriades olei. Venit Hierusalem; Dixerunt illi: Abi Tyrum; Cum venisset Tyrum; dixerunt illi. Abi Gusch-Chalabh. Cum venisset Gusch-Chalabh. Dixerunt illi. Confer te in agrum penes N. N. Juit eumque deprehendit fodientem sub suis oleis. Dixit illi: Habesne centum myriades olei, quibus opus habeo? Respondit: Expecta, dum perficiam opus meum. Expectavit, dum perficeret opus suum, postquam perfecit opus suum, appendit vasa humeris suis, removit lapides, & incessit per viam. Dixit illi: Habesne olei centum myriadas? videtur mihi, quod me irrideant Judæi. Quando venit in suam civitatem, eduxit illi ejus ancilla cucumam aquæ calidæ, & lavit manus & pedes ejus, eique eduxit labrum aureum, in quo lavit manus & pedes ejus oleo; ad confirmandum quod dictum est: *Et lavabit in oleo pedem suum*. Postquam comederunt, & biberunt, metitus est illi olei centum myriades, dicens. Num amplius tibi opus est? Respondit; sic; at mihi non sunt nummi. Dixit: Si velis emere, eme; & ego tecum veniam, & accipiam ejus pretium; & metitus est illi olei octodecim myriades. Dixerunt: Non reliquit iste vir equum neque mulum, neque camelum, neque asinum in terra Israel, quem non conduxerit: Quando pervenit ad suam civitatem, egressi incolæ suæ civitatis eum collaudarunt. Dixit illis: Nolite me laudare, sed hunc qui venit mecum; qui mihi metitus est centum myriades olei, & ecce mecum porto octodecim myriades ad confirmandum, quod dictum est: *Est quasi dives, qui nihil habeat, & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit*. *Peah* cap. VII. Celebrantur oleæ Netophathææ, Saphconææ, & Besanææ. כל זית שיש לו שם בשדה אפילו כזית הנטופה בשעתו שכחו אינו שכחה במה דברים אומרים בשמו ובמעשיו ובמקומו בשמו שהיה שפכוני או בישני במעשיו שהוא עושה הרבה במקומו שהוא עומד רצד הגת או בצד הפרצה: Quæcumque olea celebritatem adepta est, velut olea Netophathæa suo tempore, si oblivione relinquatur, non tamen sumitur pro prætermissa. De quo hæc dicta sunt? Videlicet nomine, proventu, vel loco; nomine, ut fuerit Saphconæa, vel Besanæa; proventu, ut fuerit fructu fœcunda; loco ut posita fuerit juxta torcular, vel prope effractam sepem. Ubi *Guisius*. *Basanæa*. Appellative has voces sumunt Judæi ridicule. De שפכוני parum mihi constat. Tamen בישני denominatio gentilis est a בית שאן, quæ etiam *Edrisio* & *Abulfedæ* Geographis Arabibus celeberrimis eliso elemento ת dicitur بيسان Ita etiam ביישנאי in Talmude Hierosolymitano Megill. 73. d. sunt Bethsanenses, vel Scythopolitani. Talmud alterum Megil. 24. b. היפני ובישני לא ישא את כפיו: Hifannus & Besanæus non elevabit manus, id est non pronunciabit benedictionem e suggestu. R. *Salomon* ibi exponit. *Sacerdos ex incolis Hifæ vel ex incolis Bethsanæ*. Quin in ipsa Gemara statim sequitur אין מורדין לפני התיבה לא אנשי בית שאן ולא אנשי בית היפה: *Non prodire jubent ante arcam neque incolas Bethsanæ, neque incolas Beth-hifæ*. Oppidum illud in regione Decapolitana. Sed Decapolitanæ oleæ & *Plinio* etiam commendatæ. *Decapoli vero Syriæ perquam parvæ, nec cappari majores carne, oleo tamen commendantur*. Ita locum legit *Delecampius*. Celebratur etiam Berach. 39. 1. olea אגורי ex eo dicta quod ששמנו הגור בתוכו: oleum suum non perdat, sed intra se collectum retineat. Ibid. fol. 39. commendatur אברוטי olivæ pinguis species. In *Aruch* scribitur ארבושי. Octo olearum genera enumerat *Cato* cap. VI. *In agro crasso & caldo oleam conditivam, radium majorem, Salentinam, orchitem, poseam, Sergianam, colminianam, albicerem*. Decem olearum genera a *Columella* lib. V. cap. 8. recensentur. *Olearum, sicut vitium, plura genera esse arbitror, sed in meam notitiam decem modo pervenerunt. Pausia, Algiana, Liciniana, Sergia, Nevia, Culminia, Orchis, Regia, Circites, Murtea. Ex quibus bacca jucundissima est Pausiæ, speciosissima est Regiæ quæ potius escæ, quam oleo est idonea. Pausiæ tamen oleum saporis egregii, dum viride est, vetustate corrumpitur Orchis quoque & Radius melius ad escam, quam in liquorem stringitur. Oleum optimum Licinia dat, plurimum Sergia: omnisque olea major fere ad escam; minor oleo est aptior*. *Palladius* III. 18. *Baccarum genus numerosum est, & plurium vocabulorum, sicut Pausia, Orchis, Radius, Sergia, Licinia, Colminia, & ceteræ, quas nominare non attinet. Pausia tamen oleum, quod reddit, dum viride est, optimum est, sed cito vetustate corrumpitur. Optimum Licinia dat, plurimum Sergia. Sed de his generaliter præcepisse sufficiet, majores baccus cibo, minores oleo profuturas*. *Varro* lib. I. cap. 44. *In agro crasso & calido oleam conditaneam, radium majorem Sallentinam, Orchitem, poseam, Sergianam, colminiam, albicerem: quam earum in his locis optimam dicent esse, eam maxime serere*.

III.

III. Oleæ collinæ. 2. *Sam.* xv. 30. *Et David adſcendit* במעלה הזיתים *clivum olivarum*. *Columella* lib. v. cap. 8. *Nulla ex his generibus, aut perfervidum, aut gelidum ſtatum cœli patitur. Itaque æſtivoſis locis ſeptentrionali colle, frigidis meridiano gaudet. Sed neque depreſſa loca, neque ardua, magiſque modicos clivos amat, quales in Italia Sabinorum vel tota provincia Bætica videmus. Hanc arborem plerique exiſtimant ultra milliarium ſexageſimum a mari aut non vivere, aut non eſſe feracem, ſed in quibuſdam locis recte valet. Optime vapores ſuſtinet Pauſia, frigus Sergia. Aptiſſimum genus terræ eſt oleis, cui glarea ſubeſt, ſi ſuperpoſita creta ſabulo admiſta eſt. Non minus probabile eſt ſolum, ubi pinguis ſabulo eſt. Sed & denſior terra, ſi vivida, & læta eſt, commode recipit hanc arborem. Creta ex toto repudianda eſt, magis etiam ſcaturiginoſa, & in qua ſemper uligo conſiſtit. Inimicus eſt etiam ager ſabulo macer & nuda glarea. Nam etſi non emoritur in ejuſmodi ſolo, nunquam tamen convaleſcit. Poteſt tamen in agro frumentario ſeri, vel ubi arbutus, aut ilex ſteterant. Nam quercus etiam exciſa radices noxias oliveto relinquit, quarum virus enecat oleas. Palladius* lib. III. cap. 18. *Quod ſi olivetum ſuo loco facere volueris, hæc genera terrarum ſequeris, terram cui miſta ſit glarea, aut cretam ſabulonis conjunctione reſolutam, aut terram naturæ denſioris, & humidæ. Creta figuli omnino repudianda eſt, & uliginoſa, & in qua ſemper humor adſiſtit, & ſabulo macer, & nuda glarea, quamvis enim comprehendat, non convaleſcat. Poteſt ſeri & ubi arbutus, & ſilex ſteterit; nam cerrus & æſcubus exciſa radices noxias relinquit, quarum virus oleam necat. Locis æſtuoſis ſeptentrionali colle, frigidis, meridiano gaudet; mediis clivis delectatur. Neque imum locum, neque arduum patitur, magis modicos clivos diligit, ſicut eſt regio Sabina, vel Bætica.* In noſtra Italia Etruriæ, Liguriæ, Piceni, & Umbriæ colles olivetis celebrantur.

IV. Oleæ ſatæ & plantatæ. *Deut.* VI. 11. כרמים וזיתים אשר לא נטעת. *Vineas oliveta, quæ non plantaſti. Joſ.* XXIV. 15. כרמים וזיחים אשר לא נטעתם *Vineas, & oliveta, quæ non plantaſtis.* Eodem fere modo pactas fuiſſe oleas, quo vites teſtatur *Cato* cap. XLVI. *Taleas oleagineas quas in ſcrobe ſaturus eris, tripudaneas decidito, diligenterque tractato, ne liber laboret, cum dolabis aut ſecabis. Quas in ſeminario ſaturus eris, pedalis facito, eas ſic inſerito. Locus bipalio ſubactus ſiet, beneque terra tenera ſiet, beneque glutus ſiet. Cum taleam demittes, pede taleam opprimito, ſi parum deſcendet, malleolo, aut mateola adigito, cavetoque ne librum ſcindas, cum adiges. Palo prius locum ne feceris, quo taleam demittas; ſi ita ſeveris uti ſtet talea, melius vivet. Taleæ ubi trimæ ſunt, tum denique maturæ ſunt, ubi liber ſe ſe vertet. Si in ſcrobibus aut in ſulcis ſeres, ternas taleas ponito, eaſque divaricato: ſupra terram ne plus* IV. *digitos tranſverſos emineant, vel oculos ſerito. Seminarium ad hunc modum facito. Locum quam optimum, & apertiſſimum & ſtercoratiſſimum poteris, & quam ſimillimum genus terræ eæ, ubi ſemina poſiturus eris, & uti ne nimis longe ſemina ex ſeminario ferantur, eum locum bipalio vortito, delapidato, circumque ſepito bene, & in ordine ſerito, in ſeſquidem quoquoverſum taleam demittito, opprimitoque pede. Si parum deprimere poteris, malleo aut mateola adigito. Digitum ſupra terram facito ſemina emineant, fimoque bubulo ſummam taleam oblinito, ſignumque apud taleam apponito, crebroque ſarrito, ſi voles cito ſemina creſcant, ad eundem modum alia ſemina ſerito. Palladius* lib. III. cap. 18. *Hoc menſe* (ſc. Februario) *locis temperatis inſtituemus oliveta, quæ vel paſtinis conſerenda ſunt, ut extremas circa decimantum tabulas cingant, vel ſuum locum tenebunt. Si ponuntur in paſtino, radicatæ plantæ deciſis capitibus & brachiis, & in truncum redactæ uſque ad menſuram cubiti unius & palmi in fermento terræ foſſæ defiguntur, locum palo antea deprimente: bordei grana ſubterjaciantur, & amputetur iis quicquid putridi inventum fuerit, aut arentis: & tunc amputata capita luto velentur & muſco, ulmeis vinculis, vel tenacibus quibuſcumque conſtricta. Sed maximum beneficium eſt, ut proficiat incremento, ſi rubrica partes notentur, quibus obverſæ ſteterunt, & contra eas ſimili ratione ponantur. Sint a ſe diſcretæ pedibu quindecim vel viginti. Omnis ſubinde circa eas herba vellatur: & quoties ſe imber infuderit, breviſſimis ac frequentiſſimis foſſionibus ſollicitentur: & ſubinde ducta a trunco terra atque permiſta in aliquanto altiores cumulos congeratur.* Et mox. *Si frumentarius ager eſt, quem conſerimus oliveto, quadragenis inter ſe pedibus diſtent, ſi macer, vicenis quinis. Melius faciemus, ſi ordines in Favonium dirigamus. Cum deponentur in ſcrobes ſiccas, conſtituantur ternis pedibus foſſæ. Glarea etiam, ubi lapides defuerunt, miſceatur & ſtercus. Si clauſus locus eſt, modice ſupra terram, quæ ponuntur, emineant. Si pecora formidantur, altiores trunci eſſe debebunt. In ſiccis vero provinciis, cum pluviæ deſunt,* riga-

rigare conveniet. Si provincia indiget olivetis, & non eſt unde planta ſumatur, ſeminarium faciendum eſt, id eſt tabula effoſſa, ſicut ſuperius dixi, ut ibi (ſicut Columella dicit) rami ſerra inciſi in modum ſeſquipedalem deponantur: inde poſt quinquennium poterit valida planta transferri; & locis frigidis hoc menſe plantari. Scio pleroſque, quod facilius, atque utilius eſt, radices olearum, quæ in ſylvis plerumque ſunt, aut in locis deſertis, in cubitalem menſuram reciſas, aut in ſeminario, ſi placuerit, aut in oliveto ſolere diſponere, & admiſtione ſtercoris adjuvare. Qua re proveniet, ut ex unius arboris radicibus numeroſa planta naſcatur. Columella lib. XI. cap. 2. *Hoc eodem menſe* (ſc. Majo) *in paſtinato ſeminario noviſſima poſitio eſt olearis taleæ, eamque oportet cum panxeris, fimo & cinere miſtis oblinire, & ſuperponere muſcum, ne ſole findatur; ſed hoc idem opus melius fiet ultima parte menſis Martii, vel prima menſis Aprilis, & ceteris temporibus, quibus præcepimus ſeminaria plantis, vel ramis conſerere.* Vid. idem lib. V. cap. 9. quem locum cum nimis prolixus ſit, conſulto prætermiſimus.

V. Oleæ ſordibus oblitæ. *Schevvit* cap. II. מזהמין את הנטיעות. Sordibus oblinunt plantas. Ubi *Bartenora*. מזהמים *ſordibus inugunt*, quando arborum cortices decidunt, adjiciunt ipſis fimum, aut ſtercus ad ſanationem conferens, ne arbores moriantur: eſt qui exponit, quod ungant arborem odore quadam ingrato, quo depellantur vermes, aut moriuntur conſervata arbore. Rei ruſticæ ſcriptores amurcam oleis inſpergendam monent. Cato XXXVI. *Amurcam ſpargas vel irriges ad arbores, circum capita majora amphoras, ad minora urnas cum aquæ dimidio addito. Columella* XI. 2. *Oleis laborantibus circum radices amurcam, quæ ſalem non habeat, nunc conveniet infundere, maximis ſex congii, mediocribus arboribus urnæ ſatis faciunt, ceteris æſtimanda erit portio: ſed tamen quæ nihil vitii habuerint, aliquanto lætiores fient, ſi amurca rigantur inſulſa. Palladius* lib. III. cap. 25. *Si arbor ægra eſt, amurca aquæ æqualiter miſta radicibas debet affundi aut calx viva temperata cum creta, vel reſina locularis pici liquidæ miſta trunco arboris adlini, vel ablaqueatæ arbori circa radices imparis numeri poma cydonia pro magnitudine ejus ponenda, & obruenda firmantur: quod annis ſingulis factum, cuſtodiet a vitiis, ſed arboris longæ derogabit ætati.* Idem lib. IV. cap. 8. *Nunc* (ſc. menſe Martio) *oleis laborantibus circum radices inſulſa amurca fundetur: maximis arboribus (quod Columella dicit) ſex congii, mediocribus quatuor, ceteris pro æſtimatione ſufficiunt. Alii paleas fabæ binos per majorem arborem qualos, alii veteris humanæ urinæ trunco, quantum ſatis videtur, affundunt, & arbori mortarium ſtatim faciunt, maxime locis ſiccis, trunco ante cooperto.*

Oleæ diſraratæ & deglabratæ. *Schevvith* cap. IV. 4. המדל בזיתים בשׁא נגום ובה״ ישרש ומודים בתחליק עד שינום אי זה הוא המדל אחד או ב׳ המחלק ג׳ בצר זה: Qui oleas diſrarat; Schola Schamai dicit; poterit ſuccidere; Schola Hillel dicit; poterit radicitus evellere; Conſentiunt de eo qui deglabrat, quod poſſit ſuccidere. Quis eſt ille qui diſrarat? Qui unam, vel binas. Quis eſt qui deglabrat? Qui tres continuas ſuſtollit. Ubi *Bartenora*. המדל בזיתים *qui attenuat olivas*, quando olivæ ſe proxime contigerint, remonent unam, & relinquunt duas, aut removent duas, & relinquunt unam, ut eo magis creſcant. מדל notat *removere*, at ſunt qui exponant *attenuare*, ut ſi agrum ſuum attenuat ab olivetis. יגום *ſuccidet*, ſuccidet arborem, relinquens in terra radicem, & non penitus extirpabit, ne videatur colere terram. מודים במחילק conveniunt in eo qui deglabrat, ut etiam extirpet, ſi removeat tres olivas, unam ad latus alterius, ut ſuperficium terræ magis deglabret. *Maimonides* ad cap. III. 3. *Poeh*. המחליק qui evellit eſt idem quod המחתך per partes decidere; ſic *Eſai.* XLI. 7. מחליק פטיש. *Guiſius* ad cap. III. 3. *Peah*. *Deglabrat*. Non potuit melius contigiſſe hujus loci interpres quam ipſa Miſna *Schabb.* IV. 4. ubi docet מדל eum dici, qui oleas ſingulas vel binas ſubinde avellit, utpote qui rariores faciat attenuetve, id eſt diſraret, uti loquitur *Columella* in ſimili argumento de arundineti veteris caſtratione: qui ternas continuas מחליק, utpote qui tot auferendo in cauſa eſt, ut glabretum appareat.

Putandæ erant oleæ. *Schevvith* cap. II. 3. מזרדין ומפסלין. *Detruncant & putant*. Ubi *Bartenora* מזרדין notat ſuccidere ramos virides, quando illi in magna dantur copia, ut arbori noceant, quorum pars quædam relinquitur, & vocatur זירוד. מפסלין abjiciunt id quod perditum eſt, & non amplius valet: alii exponunt ſuccidere, nempe quod ſuccidere ſolent omnes arboris ramos, ut de novo excreſcat, & producat novos ramos. *Maimonides* מזרדין eſt amputare arborum ramos ſe nimium extendentes, nam זרדין eſt nomen ramorum, qui amputantur in tempore putationis. מפסלין notat exſcindere ramos, qui exaruerunt,

& per-

& perditi ſunt. *Cato* cap. XLV. *Olivetum diebus* XV. *ante æquinoctium vernum incipito putare. Ex eo die dies* 45. *recte putabis. In hoc modo putato. Qua locus recte ferax erit, quæ arida erunt, & ſiquid ventus interfregerit, & omnia eximito, qua locus ferax non erit, id plus concidito, aratoque, bene enodato, ſtirpeſque leves facito. Varro* lib. I. cap. 30. *Oleam ſeri, interputarique oportet. Columella* lib. V. cap. 9. *Quin etiam pluribus interpoſitis annis olivetum putandum eſt; nam veteris proverbii meminiſſe convenit, eum qui aret olivetum, rogare, qui ſtercoret, exorare, qui cædat, cogere.* Idem lib. XI. cap. 2. *Iiſdem diebus* (ſcil. menſe Majo) *ubi prægelidum & pluvium cœlum eſt, oleæ putantur & emuſcantur. Ceterum tepidis regionibus duobus temporibus anni iſtud facere oportebit. Primo ab Idib. Octob. uſque ad Idus Decembres, item 26. Idib. Febr. uſque ad Idus Martias, ſi tamen arbor librum non remittit. Palladius* lib. VI. c. 4. *Nunc &* (ſc. menſe Majo) *& ſeminaria fodiuntur aſſidue, & locis prægelidis & pluvioſis oleæ putantur, & eis muſcus abraditur.* Idem lib. XI. cap. 8. in menſe Octobri. *Muſcus tamen ſemper radatur arboribus & putentur (ſicut Columella dicit) octo annorum ætate tranſacta. Videtur mihi unoquoque anno ſicca & infructuoſa cum aliqua debilitate naſcentia debere recidi.* Idem lib. XII. cap. 4. in menſe Novembri. *Nunc putatio autumnalis celebratur in vitibus & arboribus, maxime ubi invitamur tepore provinciæ, & putantur oliveta.*

Oleæ perfoſſæ, ſarritæ & aratæ. *Menachoth* c. VIII. ומצאו שהיה עוזק תחת זיתו Et invenit eum fodientem ſub olea ſua. Moed Katon fol. 3. 1. לא יקשקש תחת הזיתים: Non ſarriet ſub oleis. *Siphra* 53. 3. יכול לא יקשש תחת הזיתים ולא ימלא הנקעים תחת הזיתים ולא יעשה עוניאות בין אילן לאילן חבירו תל שדך לא תזרע וכרמך לא תזמור: Crederem, quod non poſſet ſarrire oleas, neque implere foveas ſub oleis, neque facere areas inter arborem & arborem? Idcirco dictum eſt. *Agrum tuum non coles, & vineam tuam non putabis. Maaſ.* cap. III. 3. השוכר את הפועל לעשות בזיתים: Si quis conducat operarium ad operandum in oleis. Ubi *Bartenora* לעשות בזיתים *ad operandum in olivis*, ad expurgandum & ſarriendum ſub olivis *Maimonides* לעשות בזיתים *ad operandum in olivis*, non ad colligendum olivas, neque ad deferendum eas in alium locum, ſed ad operandum in arboribus; & eo ſenſu dixerunt ad expurgandum & ſarriendum ſub olivis *Moed Katon* fol. 3. 1. Columella lib. V. cap. 9. *Hoc facile utile eſt propter foſſorum ignorantiam, ut cum bidentibus aut ſarculis ſeminarium colere inſtitueris, depoſitæ taleæ non lædantur. Quidam melius exiſtimant oculis excolere, & chorda ſimili ratione diſponere; ſed utrunque debet poſt vernum æquinoctium ſeri, & quam frequentiſſime ſeminarium primo anno ſarriri, poſtero & ſequentibus, cum jam radiculæ ſeminum convaluerint, raſtris excoli. Sed biennio a putatione abſtineri; tertio anno ſingulis ſeminibus binos ramulos relinqui, & frequenter ſarriri ſeminarium conveniet.* Et mox. *Atque etiam rigandæ ſunt plantæ, cum ſiccitates inceſſerunt, nec niſi poſt biennium ferro tangendæ; ac primo ſurculari debent, ita ut ſimplex ſtilus ad altitudinem maximi ſcrobis excedat: deinde arando ne coxam bos aliamve partem corporis offendat.* Et mox: *Sed id minime bis anno arari debet & bidentibus alte circumfodiri. Nam poſt ſolſtitium cum terra æſtibus hiat, curandum eſt, ne per rimas ſol ad radices arborum penetret. Poſt æquinoctium autumnale ita ſunt arbores ablaqueandæ, ut a ſuperiore parte, ſi olea in clivo ſit, incilea excitentur, quæ limoſam aquam ad codicam deducant &c. Quin etiam compluribus interpoſitis annis olivetum putandum eſt; nam veteris proverbii meminiſſe convenit, eum qui aret olivetum, rogare fructum, qui ſtercoret exorare; qui cædat, cogere.*

Oleæ conditivæ, & oleariæ. *Therumoth* cap. I. 9. ותורמין שמן על זיתים הנכבשים Et delibant de oleo pro olivis conditivis. Ubi *Bartenora*. זיתים הנכבשים *olivæ condiendæ* ſunt olivæ ſalitæ, & vino conditæ aut aceto, ut eo melius conſerventur; *Maimonides* זיתים הנכבשים *olivæ condiendæ* ſunt olivæ quæ aqua ſunt diſſolvendæ, ac emolliendæ ſale, ut præparatæ ſint in cibum. Iterum ibid. cap. II. 6. ותורמין זיתי שמן על זיתי כבש ולא זיתי כבש על זיתי שמן: Delibant oleas olearias pro oleis conditivis, at non oleas conditivas pro oleis oleariis. *Bartenora*. Separant de olivis quarum oleum eſt exprimendum pro olivis quæ condiendæ ſunt, de quibus non fit oleum, ſed quæ ponuntur in vino aut aceto ut conſerventur in cibum; & quia olivæ ſunt meliores olivis conditivis, propterea de olivis olei ſeparant pro olivis conditivis, utpote de bonis pro malis. *Maimonides* זיתי שמן *olivæ olei* ſunt olivæ, quæ eum in finem deſtinatæ ſunt, ut de illis exprimatur oleum, quarum oleum melius eſt oleo earum, quæ condiuntur, & propterea dicit בהרימכם את חלבו. *Maaſer.* cap. IV. 3. הנוטל זיתים מן המעטן טובל אחד אחד במלח ואוכל אם מלח ונתן לפניו חייב: Qui ſumſerit olivas e cupa eaſque ſigillatium intinxe-

tinxerit ſale, comedat, ſi vero ſaliverit, & coram ſe poſuerit, tenetur. *Bartenon* מעטן notat locum, quo olivas in acervum colligunt ut molleſcant, & ad comedendum aptæ fiant. *Okazim* cap. 2. זתים שכבשן בטרפנהן טהורין: Olivæ quas maceravit quis cum foliis ipſarum ſunt puræ. Gloſſa addit בחומץ בשאר ומשקין in aceto videlicet, vel aliis liquidis. Memoratur קלופסין olivarum magnarum ſpecies, quæ eſui magis ſerviunt, quam ut inde fiat oleum. Inconditas etiam olivas comedere ſolebant Judæi. *Schevvith* cap. IV. 9. זיתים משיכניסו רביעית לסאה פוצע ואוכל בשרה: olivas elidere, & in agro comedere licet, ex quo ſingulæ ſata quartarium fundant. *Bartenora*. פוצע *elidat*, vel *comprimat*; ſolent enim comprimere olivas, ut amaritudo earum lævigetur, & gratiores habeantur ad guſtum. *Maimonides*. פוצע *elidat*, ut ſolent comprimere olivas quando comeduntur. *Cato* cap. CXVII. *Oleæ albæ quemadmodum condiantur. Antequam nigræ fiant, contundantur, & in aquam dejiciantur; crebro aquam mutet. Deinde ubi ſatis maceratæ erunt, exprimat, & in acetum conjiciat, & oleum addat, ſalis ſelibram in modium olearum. Fœniculum & lentiſcum ſeorſim condat in acetum. Si una admiſcere voles, cito utitor, in orculam calcato manibus ſiccis, cum uti voles, ſumito. Oleam albam quam ſecundum vindemiam uti voles, ſic condito. Muſti tantundem addito, quantum aceti; cetera item condito ita, uti ſupra ſcriptum eſt*. Varro lib. I. cap. 55. *Olea ut uva per idem bivium redit in villam, alia ad cibum eligitur, alia ut eliqueſcat*. *Columella* lib. V. cap. 8. *Ex quibus bacca jucundiſſima eſt Pauſiæ, ſpecioſiſſima eſt Regiæ, quæ potius eſcæ quam oleo eſt idonea Orchis quoque & Radius melius ad eſcam, quam in liquorem ſtringitur*. Idem lib. XII. cap. 47. *Olivarum conditurae. Acerbam pauſeam menſe Septembri vel Octobri, dum adhuc vindemia eſt, contunde, & aqua calida paululum maceratam exprime, fœniculique ſeminibus & lentiſci cum cocto ſale modice permiſtam reconde fideliam, & muſtum quam recentiſſimum infunde. Tam faſciculum viridis fœniculi ſuperpoſitum merge, ut olivæ premantur, & jus ſuperemineat. Sic curata oliva tertio die poſſis uti. Albam Pauſeam vel orchitam, vel radiolum vel regiam dum contundes, primum quamque ne decoleretur, in frigidam muriam demerge, cujus cum tantum paratæ habueris, quantum ſatis fuerit implendæ amphoræ, fœniculi aridi faſciculum ſuſpende in imo; deinde viridis fœniculi ſemina, & lentiſci, deſtricta & purgata urceolo habeto: tum exemtam de muria olivam exprimito, & permiſtam prædictis ſeminibus in vas adjicito; deinde cum ad fauces pervenerit ejus, fœniculi aridi faſciculos ſuperponito, & ita recentis muſti duas partes, & unam duræ muriæ permiſtas adjicito. Hæc conditura compoſitis olivis toto anno commode uteris. Quidam olivam non contundunt, ſed acuta arundine inſecant: idque operoſius quidem, ſed melius eſt, quia hæc candidior eſt oliva, quam ea quæ ex contuſione livorem contrahit. Alii ſive contuderint, ſive inſecuerint olivas, modico ſale cocto, & prædictis ſeminibus immiſcent: deinde ſepam vel paſſam, vel ſi eſt facultas, mellam infundunt. Mella autem quomodo fiat, paulo ante hoc ipſo libro præcepimus. Cetera omnia ſimiliter adminiſtrant. Poſias olivas vel regias ſine macula quam candidiſſimas manu deſtrictas eligito; deinde ſubſtrato fœniculo arido in amphoram conjicito, intermiſtis ſeminibus lentiſci, nec minus fœniculi, & cum ad fauces vas repleveris, adjicito muriam duram: tum ſpiſſamento facto de arundinum foliis, olivam premito, vel infra jus merſa ſit; & iterum infudito muriam duram, dum ad ſummum amphoræ labrum perveniat. At hæc oliva per ſe parum jucunda eſt, ſed ad eas conditituras quæ lautioribus menſis adhibentur, idonea maxime eſt: nam cum res exigit, de amphora promitur, & contuſa recipit quamcumque volueris condituram; plerique tamen ſectivum porrum, & rutam cum apio tenero, & mentam minute concidunt, & contuſis olivis miſcent: deinde exiguum aceti piperati, & pluſculum mellis aut mulſi adjiciunt, oleoque viridi irrorant, atque ita faſciculo apii viridis contegitur. Quidam ſic lectæ olivæ in modios ſingulos ternas heminas ſalis permiſcent, & adjectis ſeminibus lentiſci, fœniculoque ſubſtrato amphoram uſque ad fauces replent olivis; deinde aceto non acerrimo infundunt, & cum jam pene amphoram impleverint, fœniculi ſpiſſamento deprimunt baccam, & rurſus acetum uſque ad ſummum labrum adjiciunt; poſtea quadrageſimo die omne jus defundunt, & ſapæ vel defruti tres partes cum aceti una permiſcent, & amphoram replent. Eſt & illa probata compoſitio, ut cum muria dura pauſea alba maturuerit, omne jus defundatur, & immiſtis duabus partibus defruti cum aceti una repleatur amphora. Eadem conditura poſſet etiam regia componi vel orchita. Quidam unam partem muriæ, & duas aceti miſcent, eoque jure olivas poſeas colymbadas faciunt: quibus ſi per ſe quis uti velit, ſatis jucunda experietur, quamvis & hæ cum exeunt de muria, condituram qualencumque recipere poſſunt.*

ſunt. Olivæ poſeæ cum jam decolorantur, antequam miteſcant, cum petiolo leguntur, & oleo quam optimo ſervantur. Hæc maxime nota etiam poſt annum ræpræſentat viridem ſaporem olivarum: Nonnulli etiam cum de oleo exemerunt trito ſale aſperſas pro novis apponunt. Eſt & illud conditurræ genus, quod in civitatibus Græcis plerumque uſurpatur, idque vocant Epityrum. Oliva pauſea vel orchita cum pr mum ex albo decoloratur, fitque luteola, ſereno cœlo manu diſtringitur, & in vannis uno die ſub umbra expanditur: & ſiqui adhærent pediculi, foliaque aut ſurculi, leguntur, poſtero die cribratur, & novo fiſco incluſa prelo ſupponitur, vehementerque premitur, ut exſudet quantulumcunque habet amurcæ. Patimur autem nonnunquam tota nocte, & poſtero die pondere præſſam baccam velut exaniari, tum reſolutis corticulis eximimus eam, & in ſingulos modios olivæ triti ſalis cocti ſingulos ſextarios infundimus; itemque lentiſci ſemen, rutæque & fœniculi folia ſub umbra ſiccata, quæ uti ſatis videntur conciſa minute admiſcemus, patimurque horis tribus, dum aliquatenus bacca ſalem combibat, tum ſuperfundimus boni ſaporis oleum, ita ut obruat olivam, & fœniculi aridi faſciculum deprimimus, ita ut jus ſupernatet. Huic autem conditurræ vaſa nova fictilia ſine pice præparentur; quæ ne poſſint oleum ſorbere tanquam olivariæ metretæ imbuuntur liquamine; tum demum & aſſicantur.

Sequitur autem & frigus hyemis, per quo olivitas, ſicut vindemia, curam villicæ repetit. Prius itaque (quoniam inchoavimus) de conditura olivarum præcipiemus, ac ſtatim conficiendi olei rationem ſubjiciemus. Pauſeæ baccæ vel orchitæ, nonnullis regionibus etiam Næviæ, conviviorum epulis præparantur. Has igitur cum jam nigruerint, nec adhuc tamen permaturæ fuerint, ſereno cœlo diſtringere manu convenit, lectaſque cribrare & ſecernere, quæcunque maculoſæ, ſeu vitioſæ, minorifve incrementi videbuntur: deinde in ſingulos modios olivæ ſalis integri ternas hominas adjicere, & in vimineos qualos confundere, ſuperpoſito copioſo ſale, ita ut olivas contegat, ſicque triginta dies pati conſudaſcere, neque omnem amurcam exſtillare: poſtea in alveum diffundere, mundaque ſpongia ſalem ne permaneat, detergere: tum in vas adjicere, & ſapa vel defruto amphoram replere ſuperpoſito ſpiſſamento aridi fœniculi, quod olivam deprimat. Plerique tamen tres partes defruti, aut mellis, & unam aceti, & eo quo condiunt jure. Quidam cum olivam nigram legerunt, eadem portione, qua ſupra, ſaliunt, & ſic collocant in qualis, ut immiſtis ſeminibus lentiſci alterna tabulata olivarum & ſalis uſque in ſummum componunt, deinde poſt quadraginta dies, cum oliva quicquid habuit amurcæ, exſudavit in alveum defundunt, & cribratam ſeparant ab ſeminibus lentiſci, ſpongiaque detergent, ne quid adhæreat ſalis: tum in amphoram confundunt adjecto defruto vel ſapa, vel etiam melle, ſi eſt copia, ceteraque ſimiliter faciunt. In ſingulos modios olivæ ſingulos ſextarios maturi ſeminis aniſi lentiſcique & ternos cyathos ſeminis fœniculi; ſi id non eſt, ipſum fœniculum conciſum, quantum ſatis videbitur, adjici oportet: deinde in ſingulis modiis olivarum ſalis cocti & non moliti ternas heminas admiſceri, & ita in amphoris condi, eaſque faſciculis fœniculi obturari, & quotidie per terram volutari: deinde tertio quoque aut quarto die quicquid amurcæ ineſt, mitti. Poſt XL. *dies in alveum diffundi, & a ſale tantummodo ſeparari, ſic ne ſpongia detergeantur olivæ, ſed ita ut erunt exemtæ, maſſulis ſalis miſtis in amphoram condantur, & ſpiſſamentis impoſitis ad uſus in cellam reponentur. Maturam olivam in ſtatura factam colymbadem, de muria tollito, ſpongia tergito, deinde canna viridi ſcindito duobus vel tribus locis, & triduo in aceto habeto: quarto die ſpongia extergito, in urceum aut cacabum novum mittito ſubſtrato apio, & modica ruta. Conciſis deinde pleno vaſe olivis immitte defrutum uſque ad os. Lauri turiones in hoc uſu mittito, ut olivas deprimant, poſt dies viginti utere.*

Oliva nigra maturiſſima ſereno cœlo legito, eaque ſub umbra uno die in cannis porrigitur, & quæcunque eſt vitioſa bacca, ſeparatur. Item ſi qui adhæſerant pediculi, adimuntur, foliaque & ſurculi, quicunque ſunt intermiſti, eximuntur. Poſtero die diligenter cribratur, ut ſi quid ineſt ſtercoris, ſeparetur: deinde intrita oliva novo fiſco includitur, & prelo ſubjicitur, ut tota nocte exprimatur. Poſtero die injicitur quam mundiſſimis molis ſuſpenſis, ne nucleus frangatur; & cum eſt in ſampſam redacta, tunc ſal coctus trituſque manu permiſcetur cum ceteris aridis condimentis: hæc autem ſunt carpum, cyminum, ſemen fœniculi, aniſum Ægyptium. Sat erit autem totidem heminas ſalis adjicere, quot ſunt modii olivarum, & oleum ſuperfundere ne exareſcat: idque fieri debebit, quotieſcunque videbitur aſſiccari. Nec dubium eſt quin optimi ſaporis ſit, quæ ex oliva poſia factum eſt. Ceterum ſupra duos menſes ſapor ejus non permanet integer. Videntur autem alia genera huic rei magis eſſe idonea, ſicut Licinia

niæ & culmineæ. Verumtamen habetur præcipua in hos uſus olea Calabrica, quam quidam propter ſimilitudinem oleaſtellum vocant. Palladius lib. XII. c. 22. *Hoc enim menſe (ſcil. Novembri) olivas condiemus. Harum genera ſunt diverſa. Colymbades olivæ fiunt ſic: alternis cratibus olivarum pulejum ſpargis & mel & acetum, & ſales modice, ſtatura intercedente ſuffundes. Item ſternes olivas ſupra ſurculos fœniculi, vel anethi, ſive lentiſci, & ramulis olivæ ſubditis, aceti heminam & muriam ſuperfundis, & has conſtructiones uſque ad vaſculi plenitudinem patieris inſurgere.* Aliter. *Electas olivas muria maturabis, poſt* XL. *dies muriam fundis univerſam: tunc duas defruti partes, aceti unam, mentam minute inciſam vaſculo adjicies, & olivis replebis, ut juſta infuſione liquor ſupernatet.* Aliter. *Olivas manu lectas, una nocte integra in balnei vapore eſſe patieris, tabulæ vel crati ſuperpoſitas: mane balneis exemptas ſalibus tritis conſperges & uteris: quæ non amplius quam* VIII. *dies poterunt cuſtodiri.* Aliter: *Olivas illæſas primomittis in muria, poſt dies* XL. *levabis, atque intercides acuto calamo; & ſi dulciores habere volueris, duas ſapæ partes, & aceti unam; ſi acriores, aceti duas, & ſapæ unam debebis infundere.* Aliter. *Paſſi ſextarium unum, cineris bene creti, quantum manus utraque geſtabit, vini veteris unum ſuniculum, & aliquantum cupreſſi foliorum; miſtis omnibus olivas infundis, inculcas, & ſubinde cruſtam faciendo ſaturabis, donec ad vaſculorum ſumma ora pervenias.* Aliter. *Olivas quas jacentes repereris, rugis contrahentibus criſpas colligis, & ſalibus tritis reſperſas expandis, donec ſole inareſcant: tunc ſubſtrato lauro alternas crates baccarum ſæpius ordinabis: tunc defrutum cum ſaturejæ faſciculo duobus aut tribus undis fervere patieris, & poſtquam tepuerit, ſupra compoſitas baccas refundes admiſto ſale paululo, & origani faſce conjecto, ſupra jus omne perſundes.* Aliter. *Lectas baccas ex arbore, ſtatim condies, rutam & petroſelinum ſternes intra ſpatia ſtructionis, & ſubinde cyminati ſalis adſperſione cumulabis: poſtremum mel & acetum ſuperfundes: noviſſime optimi olei quantumcunque miſcebis.* Aliter. *Legis olivas ex arbore nigras, & compoſitas muria diluis: tunc ollæ adjices mellis partes duas, vini unam, defruti dimidiam, & ubi ſimul deferbuerint, deponis ac permoves, & acetum miſces; cum refrixerit, ſuper olivas origani ſurculos ſternis, & ſupra jus omne diffundes.* Aliter. *Olivas manu lectas cum pediculis aqua ſpargis tribus diebus: deinde mittis in muria, & poſt* VII. *dies exemtas in vaſe adjicis cum muſti & aceti æquis ponderibus; & impletum vas ita operies, ut aliqua ſpiramenta dimittas.*

Hebræi virgis ſeu baculis ex arbore decutiebant olivas. *Deut.* XXIV. 20. כי תחבט זיתך. *Cum decuſſeris olivam tuam*; ſcil. virga ſeu baculo; חבט enim ſignificat virga ſeu baculo decutere, excutere, percutere. Hinc *Judic.* VI. 11. בנו חיבט חטים *filius ejus excuſſerat triticum. Ruth.* II. 17. יחבט אשר לקטה *virga excuſſit, quod collegerat. Eſai.* XXVII. 12. יחבט יי' משבלת הנהר *In die illa percuſſit Dominus ab alveo fluminis.* Et XXVIII. 27. במטה יחבט קצח *virga excutiet gith.* Chaldaice etiam dicitur חבט. *Judic.* VI. 11. חבט חטים *excutiens triticum. Proverb.* XXVIII. 3. מטרא חביטא pluvia percutiens Hebr. סחף. *Eſai.* XXVIII. 27. ארי בחוטרא חבטין קצחא *Quia virga excutiunt melanthium.* ארי תחבוט זיתך *Cum decuſſeris oleam tuam. Eſther* VI. 1. וקבטרה יתירה כולי לילא *& percuſſit eam tota nocte.* Talmudice etiam hoc ſenſu exprimitur. *Middoth* cap. 1. חובטו במקלו percutiebat illum baculo ſuo. *Succa* cap. IV. Ramos palmarum afferebant, & excutiebant eos in terra ad latera altaris, & illa dies vocabatur יום חבוט חריות dies excuſſionis ramorum. Dicitur etiam Hebraice olearum excuſſio נקף. *Eſai.* XVII. 6. ונשאר בו עוללת כנקף זית *Et relinquetur racemus in eo quaſi excuſſio oleæ.* Idem XXIV. 12. כנקף זית *quaſi excuſſio oleæ.* Talmudice etiam hoc ſenſu accipitur נוקף זית שני decutit olivam ſecundanam. Citat hoc *Baal Aruch* ex *Nidda* fol. 3. ſed illic non reperitur. *Jonathan* l. c. ארום תשבטון זיתיכון. *Quando excuſſeritis oleas veſtras.* A שבט virga ſeu baculo. Hinc Talmudice *Schabb.* fol. 75. 2. ubi de lana אוחזין הכרכר ושובטין apprehendunt bacillum ſeu vergam, & excutiunt. Targum Hieroſol. ארום תחרין זיתיכון. *Quando excutietis oleas veſtras.* Talmudici per מסק collectionem olearum exprimunt, quod deſignat *deſtringere decerpere olivas. Negaim* cap. 2. כמוסק זתים ſicut deſtringens olivas. *Peah* cap. VIII. א"ר יהודה והלא יש שאינן מוסקין את זיתיהם אלא לאחר רביעה שניה. Dicit R. Jehuda. Atqui nonnulli ſunt, qui non deſtringunt oleas niſi poſt pluviam ſecundam. Ubi *Bartenora* מוסקים *amputantes*, hoc verbum מסק proprium eſt olivis, ut קצר proventui, & בצר uvis, item ut ארה ficubus, & גדר palmis. *Maimonides.* מוסקין abſcindentes vel amputantes olivas, cui rei hoc proprium eſt verbum, uti עדר aratoriæ, & בצר uvis, & proventui קצר. *Schevvith* cap. VI. 2. אבל לא קוצרין ולא בוצרין, ולא מוסקין at non metunt, neque vindemiant, neque olivas deſtringunt.

gunt. *Peah* iterum cap. VII. 2. ubi memoratur virga decuſſoria. כל זמן שיש לו תחתיו יש לו בראשו ר״מ אומר משתלך המחבא. Quandiu quicquam ei reſtat ſubter oleam, reſtat & in ſummitate. R. Meir dicit; ex quo receſſerit virga decuſſoria. Ubi *Bartenora*. R. Meir dicit משתלך המחבא *quando receſſerit virga decuſſoria*, poſtquam inquiſierit decuſſor omnes olivas abſconſas, tum id quod relictum fuerit, pauperibus cedit, quando non inveniuntur ſub arbore olivæ, quæ pertinent ad poſſeſſorem, ſed ſi nondum venerit decuſſor ad carpendum omnes abſconſas olivas etiamſi non inveniantur ſub arbore, poterit reverti ut colligat eas. *Maimonides*. המחבא lignum aliquod quo decutiunt olivas abſconſas inter folia, & propterea vocatur מחבא eo quod revelat id quod abſconditum eſt. Hoc verbo diſtringendi in legendis oleis utitur etiam *Columella* l. XI. c. 2. *Tum & olea diſtringenda eſt, ex qua velis viride oleum efficere, quod fit optimum ex varia oliva, cum incipit nigreſcere; nam acerbum niſi ex alba olea fieri non debet.* Idem lib. XII. cap. 50. *Cum primum baccæ variare cœperint, & jam quædam nigræ fuerint, plures tamen albæ, ſereno cœlo, manibus diſtringi olivam oportebit, & ſubſtratis tegetibus, aut cannis, cribrari, & purgari.* *Varro* lib. I. cap. 55. in oleis legendis decuſſionem improbat. *De oliveto; oleam quam manu tangere poſſis e terra, legere oportet, quam quatere, quod ea quæ vapulavit, maceſcit, nec dat tantum olei, quam manu ſtricta; melior ea quæ digitis nudis legitur, quam illa quæ cum digitalibus; durities enim eorum non ſolum ſtringit baccam, ſed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos. Qui manu tangi non poterunt, ita quati debent, ut arundine potius quam pertica feriantur; gravior enim plaga medicum quærit; qui quatiet ut adverſam cædat; ſæpe enim ita percuſſa olea ſecum defert de ramulo plantam, quo facto, fructum amittunt poſteri anni; eſt hæc non minima cauſa, quod oliveta dicant alternis annis non ferre fructus, aut non æque magnos.* *Plinius* lib. XV. 3. *Oleam ne ſtringito, neve verberato; Qui cautiſſime agunt, arundine levi ictu, nec adverſos percutiunt ramos. Sic quoque alternare fructus cogitur decuſſis germinibus.* Cato CXLV. *Oleam ne ſtringito, neve verberato injuſſu domini, aut cuſtodis.*

Varia vaſa ad legendas oleas præparanda monet *Cato* cap. XXXI. *Ad oleam cogendam, quæ opus erunt, ponentur. Vimina matura, ſalix per tempus legantur, uti ſiet, unde corbulæ fiant, & veteres ſarciantur, fibulæ unde fiant. Aridæ iligneæ ulmeæ, nuceæ, ficulneæ, face uti in ſtercus, aut in aquam conjiciantur; inde ubi opus erit, fibulas facito; vectes iligneos, acrufolios, laureos, ulmeos facito uti ſient parati.* Columella lib. XII. cap. 50. *Nunc ad ipſam rem veniendum eſt; quamquam multa omiſſa ſunt, quæ ſicut ante vindemiam, ſic ante olivitatem præparanda ſunt, tamquam lignorum copia, quæ multo ante apportanda ſunt, ne cum res deſideraverit, operæ avocentur; tum ſcalæ, corbulæ, decemmodiæ, trimodiæ ſaotriæ, quibus diſtricta bacca ſuſcipitur, fiſci, funes cannabini, & ſpartei, conchæ ferreæ, quibus depletur oleum, opercula, quibus vaſa olearia conteguntur, ſpongiæ majores, & minores, urcei quibus oleum progeritur, canneæ tegetes, quibus oliva excipitur, & ſi qua ſunt alia, quæ nunc memoriam meam refugiunt. Hæc omnia & multo plura eſſe debent: quoniam in uſu depereunt, & pauciora ſunt; quorum ſiquid ſuo tempore defuerit, opus intermittitur.* *Pompa* de inſtrum. fundi cap. XII. Oleæ legendæ & premendæ ſerviunt *digitabula*, tegumenta digitorum, quibus preſtam oleam ſtrictores ex arbore decerpunt: ſic dicta ut acetabula, ignitabula; *Corbulæ decemmodiæ, trimodiæ*: quibus diſtricta bacca ſuſcipitut.

VIII. *Deuter.* XXIV. 20. Jubetur in colligendis oleis, non fuiſſe a dominis colligendos racemos, ſed relinquendos peregrino, pupillo & viduæ לא תחבט זיתך תפאר אחריך לגר ליתום ולאלמנה יהיה: *Cum decuſſeris oleam ſuam, racemos non decerpes poſt te, peregrino, pupillo & viduæ erit.* Jonathan ארום תשבטון זיתיכון לא תבקרינון מן בתריכנן לגיורא ליתמא ולארמלא יהי: *Quando excutietis oleas veſtras, non quæretis eas poſt vos, peregrino, pupillo, & viduæ erit.* Targum Hieroſol. ארום תחרון זיתיכון לא תהבקרון יתוהון מן בתר כן לגיורא ליתמא ולארמלא יהון: *Quando excutietis oleas veſtras, non inquiretis eas poſtea, peregrino, pupillo & viduæ erunt.* *Siphri* 52. תחבוט זיתיך הראשונים היו חובטים זיתיהם ונוהגים בו עין יפה מכאן אמרו הזית שהוא עומד שלש על שלש שורות של שני מלבנין נשכחו אינן שכחה זיתיך פרט לאחרים זיתך פרט להקדש לא תפאר לא תתפאר לעני מיכאן אמרו מי שאינו מניח את העניי׳ ללקט או מניח האחד או שמסייע לאחד מהם הרי זה גוזל העניי׳ על זה נאמ׳ אל תסיג גבול עולם אחריך מלמ׳ שיש לו שכחה אחריך מלמד שיש לו פיאה לגר ליתום ולאלמנה נאמר כאן גר יתום ונאמר להלן גר יתום מה גר יתום האמור להלן בעושה סאתים אף גר יתום האמור כאן בעושה סאתים: *Quando decuſſeris oleam tuam.* Veteres decutiebant oleas ſuas; & liberales erant. Hinc dixe-

xerunt. Olea quæ conſiſtat inter tres ordines duarum areolarum, ſi frangatur, non eſt oblivione relicta. *Oleam tuam*. Excludit oleam alienam. *Oleam tua*. Excludit oleam Sanctuarii. *Racemos non decerpes*. Non decerpes; pauperi. Hinc dixerunt, qui non ſinit pauperes colligere, aut alteri permittit, aut alteri ex iis opitulatur, hæc erit rapina pauperum. Hac de cauſa dictum eſt. *Ne retroagas terminum adſcendentium*. *Poſt te*: Docetur, quod in in ea ſit racemus oblivione relictus. *Poſt te*. Docetur, quod in ea ſit angulus. *Peregrino, pupillo, & viduæ*. Memoratur hic peregrinus, & pupillus, & memoratur ibi peregrinus, & pupillus, ſicut in peregrino, & pupillo ibi memorato intelligitur, quando fecerit duo ſata, ita pariter in peregrino, & pupillo hoc loco memorato intelligitur, quod faciat duo ſata. *Peah* cap. VII. כל זית שיש לו שם בשדה אפילו כזית הנטופה בשעתו שכחו אינו שכחה במה דברים אמורים בשמו ובמעשיו ובמקומו בשמו שהיה שפכוני או בישני במעשיו שהוא עושה הרבה במקומו שהוא עומד בצד הגת או בצד הפרצה ושאר כל הזיתי' שנים שכחה ושלשה אינן שכחה ר' יוסי אומר אין שכחה לזיתים זית שנמצא עומד בין שלש שורות של שני מלבנים ושכחו אינו שכחה זית שיש בו סאתים ושכחו אינו שכחה אד"א בזמן שלא התחיל בו אבל אם התחיל בו אפילו כזית הנטופה בשעתו ושכחו יש לו שכחה כל זמן שיש לו תחתיו יש לו בראשו ר"מ אומר משתלך המחבא: Quæcumque olea celebritatem adepta eſt in agro, velut olea Netophatæa ſuo tempore, ſi oblivione relinquatur, non tamen erit oblivione relicta. De quo hæc dicta ſunt? Videlicet nomine, proventu, & loco. Nomine ut fuerit Sophocanæa, vel Baſanæa. Proventu, ut fuerit fructu fœcunda. Loco, ut poſita fuerit juxta torcular, vel prope effractam ſepem. De ceteris omnino oleis binæ ſunt oblivione relictæ, ternæ non ſunt oblivione relictæ. R. Joſe dicit: Non eſt oblivione relictum in oleis. Olea quæ reperitur ſtams inter tres ordines duarum areolarum, ſi oblivione relinquatur, non tamen erit oblivione relicta: Olea quæ duo habet ſata, ſi oblivione relinquatur, non erit oblivione relicta. De quo hæc dicta ſunt? Quando non incohaverit. At ſi inchoaverit, vel ſi fuerit inſtar oleæ Netophatææ ſuo tempore, & oblivione relinquatur, erit oblivione relicta. Quamdiu quicquam ei reſtat ſubter olea, reſtat & in ſummitate. R. Meir dicit, ex quo receſſerit virga deſcuſſoria. Ibid. cap. VIII. 9. בזיתים משתרד רביעה שניה א"ר יהודה והלא יש שאינן מוסקין את זיתיהם אלא לאחר רביעה שניה אלא כדי שיהא יוצא העני ולא יהא מביא ברבעה אסורית: Ad oleas quum jam ceciderit pluvia ſecunda. Dicit R. Jehuda; atqui nonnulli non deſtringunt olivas ſuas, niſi poſt pluviam ſecundam; At paüper ne exeat, niſi ſi referat quatuor aſſarios. *Bartenora*. Quatuor aſſarios velent pondiola.

IX. *Maaſ*. cap. I. 7. Memorantur inſtrumenta olearia, quibus oleum exprimebatur, & excipiebatur השמן משירד לעוקה אעפ"י שירד נוטל מן העקל ומבין הממל ומבין חפסים: Olei *area* ex quo diffluat in lacum. Quamvis diffluxerit e fiſco, vel ab orbe, vel de regulis detractum. Ubi *Bartenora* עוקה eſt lacus torcularis in quem oleum deſcendit. עקל eſt vas aliquod e funibus confectum, in quo olivas colligunt, quando ipſis trabem imponunt. ממל eſt ſuperior lapis, quo olivas commolere ſolent. מבין חפסים *inter aſſeres* oleum id quod inter aſſeres defluxerit. Maimonides. עוקה lacus in quem deſcendit oleum. עקל notat vas e funibus contextum inſtar retis in forma rotunda, in quo congregabatur oleum, quod erat expreſſum. ממל notat lapidem, quo exprimebantur olivæ מבין חפסין. *inter duos lapides* aut duo ligna torcularis. *Schevvith* VIII. 6. ואין עושין זיתים בבד ובקוטב אבל כותש הוא ומכניס לבודידה ר' ש"א אף טוחן הוא בבית הבד ומכניס לבודידה: Et non facient (*ſc. anno ſeptimo*) oleas trapeto, & prelo, ſed tundet, & ſubdet preſſorio. R. Simeon dicit. Poterit etiam trapeto molere, & ſubdere preſſorio. Ubi *Bartenora*. קוטב eſt jugum aliquod magnum & grave, quod in ſummitate ſua habet magnum lapidem, quo olivas in torculari deprimunt *Maimonides*. בד eſt torcular in quo olivos deprimunt, quod Arabice etiam בד vocatur; קוטב eſt torcular parvum, in quo exprimunt olivas. בודידה eſt torcular minimum. *Bava Bathra* cap. IV. 5. המוכר את בית הבד מכר את הים ואת הממל ואת הבתולות אבל לא מכר את העבירין (ס"א) ואת הגלגל ואת הקורה ובזמן שאמר לו הוא וכל מה שבתו כו הרי כולן מכורין ר' אליעזר אומר המוכר בית הבד מכר את הקורה: Siquis vendiderit torcularis donum, etiam mare vendidit, molam, & ſtatumina; ſed non vendidit tabulas, nec rotam, nec tigillum; & ſi dixerit ei, illam & quicquid in illa eſt, tum omnia vendidiſſe cenſetur. R.blieſer dicit: Siquis vendiderit torcularis donum, vendidit etiam ligna. Ubi *Bartenora*. הים *mare* eſt lapis, cui imponuntur olivæ, quando eas molunt. ממל eſt mola ſuperior, quæ contundit olivas. בתולות notat ſtatumina cedrina, quibus tigna torcularis ſuſtentant. מעבירין ſunt aſſeres graves, quos

quos ponunt ſuper ſaccis, quibus imponunt olivas contuſas ad exprimendum illas. ונלגל *&* *rotam*: nam volvit lapidem molarem, & deprimit olivas contuſas ad exprimendum oleum. *Maimonides*. הים eſt lapis in quo molunt olivas. ממל eſt lapis, quo olivas molunt ſuperius. בתולות *virgines*: ſunt columnæ ſive ſtatumina cedrina, in quibus ſuſpendunt tignum torcularis. מעכירין ſunt aſſerere graves, quos ſuper olivas ponunt exprimendas, & illis ſuperponitur magnus lapis. ונלגל *&* *rotam*, quæ voluit lapidem atque attollit, & olivas contuſas deprimit, ut oleum exprimatur. *Menachoth* cap. x. שלש זתים הן ובהן שלשה שמנים הזית הרשון מגרגרו בראש הזית וכותש ונתן לתוך הסל ר׳ יהודה אומר סביבות הסל זה ראשון טוען בקורה ר׳ יהודה אומר באבנים זה שני חזר וטחן וטען זה שלישי הראשון למנורה והשאר למנחות השני מגרגרו בראש הגג וכותש ונותן לתוך הסל ר׳ יהודה אומר סביבות הסל זה ראשון טוען בקורה ור׳ יהודה אומר באבנים זה שני חזר וטען וטחן זה שלישי הראשון למנורה והשאר למנחות שלישי עוטנו בבית הבד עד שליקה ומעלהו ומנגבן בראש הגג כותש ונותן לתוך חסל ר׳ יהודה אומר סביבות הסל זה ראשון טען בקורה ר׳ יהודד אומר באבנים זה שני חזר וטחן וטען זה השלישי הראשון למנורה והשאר למנחות: Tres erant olearum ſpecies, & in ſingulis erant tres oleorum ſpecies. Prima colligebatur in ſummitate oleæ, & contundebat & immittebat in caniſtrum. R. Jehuda dicit circa caniſtrum. Hæc erat prima ſpecies. Deprimebat trabe. R. Jehuda dicit; lapidibus. Hæc erat ſecunda ſpecies. Iterum molebat, & deprimebat. Hæc erat tertia ſpecies. Prima pro candelabro, & reliquæ pro muneribus. Secunda ſpecies colligebatur in ſummitate tecti, & contundebat, & immittebat in caniſtrum. R. Jehuda dicit: circa caniſtrum. Hæc erat prima ſpecies. Deprimebat trabe; & R. Jehuda dicit: lapidibus: Hæc erat ſecunda ſpecies. Iterum contundebat & deprimebat. Hæc erat tertia ſpecies: Prima pro candelabro, & reliquæ pro muneribus. Tertiam ſpeciem intra donum reponebat, donec putrefacta fuerit, & exſiccabat in ſummitate tecti, contundebat, & immittebat in caniſtrum. R. Jehuda dicit: circa caniſtrum: Hæc erat prima ſpecies. Deprimebat trabe. R. Jehuda dicit: lapidibus. Hæc erat ſecunda ſpecies. Iterum molebat & deprimebat. Hæc erat tertia ſpecies. Prima pro candelabro, & reliquæ pro muneribus. *Cato* cap. XIII. *In torcularium in uſu quod opus eſt. Urceum ahæneum, quod capiat quadrantalia quinque, uncos ferreos tres, orbem ahæneum unum, molas unas, cribrum unum, lucernulam unam, ſecurim unam &c.* *Columella* XII. 50. *Itaque cum lacus, quemadmodum diximus, extruxeris, aſſerculos inter ſe diſtantes ſemipedalibus ſpatiis ſupra ſolum ponito, & cannas diligenter ſpiſſe textas injicito, ita ut ne baccam tranſmittere queant, & olivæ pondus poſſint ſuſtinere. Juxta omnes autem lacuſculos, ea parte qua defluet amurca, ſub ipſis fiſtulis in modum foſſularum concavum pavimentum, vel cavum lapidem eſſe oportebit, in quo conſiſtat, & unde hauriri poſſit quicquid defluxerit; Præterea lacus vel dolia præparata ſub tecto habere oportebit, quæ ſeorſum recipiant ſui cujuſque generis amurcem, ſive quæ ſincera defluxerit, ſive etiam quæ ſalem receperit, nam utraque uſibus plurimis idonea eſt. Oleo autem conficiendo molæ utiliores ſunt, quam trapetum quam canalis, & ſolca. Molæ quam facillimam patiuntur adminiſtrationem; quoniam pro magnitudine baccarum vel ſubmitti vel etiam elevari poſſunt, ne uncleus, qui ſaporem olei vitiat, confringatur. Rurſus trapetum plus operis, faciliuſque quam ſolea & canalis efficit. Eſt & organum erectæ tribulæ ſimile, quod tudicula vocatur: idque non incommode opus efficit, niſi quod frequenter vitiatur, & ſi bacce pluſculum ingeſſeris, impeditur. Pro conditione tamen & regionum conſuetudine prædictæ machinæ exercentur: ſed eſt optima molarum, tum etiam trapeti.* *Palladius* lib. I. 20. *Olearis cella meridianis ſit objecta partibus, & contra frigus munita, ut illi per ſpecularia debeat lumen admitti. Ita & operas, quæ hyeme futuræ ſunt, nullus algor impediet, & oleum cum premetur, adjutum temporibus, frigore valebit aſtringi. Trapetis, & rotulis & prelo nota forma quam conſuetudo dictavit.* *Popma* de inſtrum. fundi cap. XII. *Fiſci* & *ficellæ* ſunt quali in quibus olivæ incluſæ prelo ſupponuntur, ne fraces & ſordes in lacum cum olea defluant. Quem uſum monſtrat *Columella* XII. & *Ulpian.* tit. Locati l. 19. cum erit. *Fiſcos autem quibus ad premendum oleam utimur, colonum ſibi parare debere. Cortinæ* vaſa plumbea in quæ oleum expreſſum fluit, & inde in labra funditur, ut fraces & amurca liquentur. *Cupulæ* vaſa auſata, quaſi cupides minores, quibus oleum depletur, & in fictilia vaſa diffunditur, cui rei quoque ſerviunt *conchæ* ferreæ & rotundæ, ut teſtatur *Plinius* XXIII. ut & *Columella* XII. 50. *Infundibula* per quæ oleum aut vinum infunditur in vaſa anguſti oris ut urceos amphoras: ſicut *Vitruvio infundibulum* eſt per quod frumentum decurrit, & tranſmittitur. *Spongiæ* majores & minores, quibus fiſcinæ aut dolia

dolia effinguntur, & purgantur; *Urcei* quibus oleum progeritur in lacum aut cortinam. *Unci* ferrei, de quibus urcei urnævæ suspenduntur, vel quibus gestantur. *Labrum* olearium vasculum rotundum, in quod oleum transfertut a cortina aut lacu; *ut labrum lupinarium*, in quo lupinus aqua maceratur; *labrum eluacrum* in quo aliquid eluitur vel lavatur; *labrum culleare* quod capiebat mensuram cullei, & vino admetiendo parabatur, ea forma qua *Cato* præscribit cap. LV. *Labellum pollulum* est labrum parvulum. *Gemellar structile*, est quasi duplex labrum olearium, cui nomen dedit gemina structura. *Mola*, *canalis*, *solea*, *Tudicula* referuntur a *Columella* inter instrumenta olearia pressoria, sed minora quam *trapetum*, quod *Varro* I. ait esse *molam oleariam e duro & aspero lapide*. *Columella* XII. a mola separata, & pro trabe accipit, qua oleum exprimitur. *Cato* totam constructionem & fabricam intelligit in quo *Orbis* est ipsa olearia mola, quæ in trapeto vertitur, & oleam terit. *Molile* scapus vel manubrium, quo mola impellitur & circumagitur. *Miliarium* vas angustum & longum milii forma, quod sub trapeto ponitur ad excipiendum liquorem: etiamsi alios quoque usus præstat, in culina, in balneo, ad aquam calefaciendam, quod ad *Catonem* notavi. *Tympanum* est machina tractoria, versatilisque, quæ prelum tendit, deprimit, aut sustollit; sicut *tympana* appellata mechanicis axes, quarum capita habeat foramina, quibus inditis vectibus, iisque funibus advolutis pondera vel protrahuntur, vel sustolluntur, ut est apud *Vitruvium*, *Oribasium*, & alios. *Ulpian.* tit. Locat. 69. *quod si regulis olea premitur, & prelum, & suculam, & regulas, & tympanum & trocbleas, quibus relevatur prelum, dominum præstare oportere*. Ubi *regulæ* sunt tabellæ ligneæ, quibus ut in fiscis imposita bacca prelo subjicitur, & exprimitur. *Columella* XII. *suspensa mola oleam frangito, eamque vel in regulas, vel in novos fiscos adjicito*. Ibid. *Aut regulis si consuetudo erit regionis, aut certe novis fiscinis sampsæ exprimi*. *Plinius* XV. *Exilibus regulis pede incluso*.

Oleas statim ac collectæ fuerint, *Cato* cap. LXIV. molendas esse monet. *Olea ubi matura erit, quamprimum cogi oportet, quam minimum in terra & in tabulato esse oportet. In terra & in tabulato putescit. Leguli volunt, uti olea caduca quamplurima sit, quo plus legatur. Factores ut in tabulato diu sit, ut fracida sit, quo facilius efficiant. Nolito credere oleam in tabulato posse crescere. Quam citissime conficies, tum maxime expedies, & totidem modiis collectæ plus olei efficient, & melius. Olea quæ diu fuerit in terra & in tabulato, inde olei minus fiet, & deterius. Columella* lib. XII. cap. 50. *Plerique agricolarum crediderunt, si sub tecto bacca deponatur, oleum in tabulato crescere, quod tam falsum est quam in area frumenta crescere; idque mendacium vetus ille* Porcius Cato *sic refellit. Ait enim in tabulato corrugari olivam, minoremque fieri; propter quod cum facti unius mensuram rusticus sub tecto deposuerit, & post multos dies eam molere voluerit, oblitus prioris mensuræ quam intulerat; ex alio acervo similiter seposito, quantum cuique mensuræ defuit, supplet, eoque facto videtur plus olei quieta, quam recens bacca reddere, cum longe plures modios acceperit. Attamen si id maxime verum esset, nihilominus ex pretio viridis olei plusquam ex multitudine nummorum contrahitur. Sed &* Cato *dixit. Et sic quidem quicquid ponderis aut mensuræ oleo accedit, si portionem velis in factum redactæ baccæ computare, non proventum, sed detrimentum senties. Quapropter dubitare non debemus lectam olivam primo quoque tempore commolere preloque subjicere*. *Varro* tamen contra sentiens, aliquandiu in tabulato lectas oleas relinqui monet lib. I. cap. 55. *Hæc de qua fit oleum, congeri solet acervatim per dies singulos in tabulato, uti ibi mediocriter fracescat, ac primus quisque acervus demittatur per serias ac vasa olearia ad trapeta, in quæ eam terent molæ oleariæ duro & aspero lapide. Olea lecta si nimium diu fuit in acervis, caldore fracescit, & oleum fœtidum fit. Itaque si nequeas mature conficere, in acervis jactando ventilare oportet*.

Rationem olei conficiendi ita describit Columella *l. c. Cum primum baccæ variare cœperint, & jam quædam nigræ fuerint, plures tamen albæ sereno cœlo manibus distringi olivam oportebit, & substratis segetibus aut cannis cribrari, & purgari; tum diligenter mundatam protinus in torcular deferri, & integram in fiscinis novis includi, prelisque subjici, ut quantum possit paulisper exprimatur: postea resolutis corticulis emolliri debebunt, adjectis binis sextariis integri salis in singulos modios, & aut regulis si consuetudo erit regionis, aut etiam novis fiscinis sampsæ ex primi quod deinde, primum defluxerit in rotundum labrum (nam id melius est, quam plumbeum quadratum, vel structile gemellar) protinus capulator depleat, & in fictilia labra huic usui præparata defundat. Sint autem in cella olearia tres labrorum ordines, ut unus primæ notæ,*

notæ, id eſt primæ preſſuræ oleum recipiat, alter ſecundæ, tertius tertiæ; nam plurimum refert non miſcere iterationem, multoque minus tertiationem cum prima preſſura, quoniam longe melioris ſaporis eſt, quod minore vi preli, quaſi læſivum defluxerit; cum deinde paululum in labris primis conſtiterit oleum, eliquare id capulator in ſecunda labra debebit, & deinde in ſequentia uſque ad ultima; nam quanto ſæpius translatione ipſa ventilatur, & exercetur, tanto fit liquidius, & amurca liberatur. Sat erit autem in ſingulis ordinibus tricena componi labra, niſi vaſta fuerint oliveta, & majorem numerum deſideraverint. Quod ſi frigoribus oleum cum amurca congelabitur, pluſculo ſale cocto utique utendum erit: ea res reſolvit oleum, & ſeparat ab omni vitio; neque verendum eſt ne ſalſum fiat; nam quantumcunque adjeceris ſalis, nihilominus ſaporem non recipit oleum. Solet autem nec ſic quidem reſolvi, cum majora frigora inceſſerunt; itaque nitrum torretur, & contritum inſpergitur, & commiſcetur: ea res eliquat amurcam. Quidam, quamvis diligentes olearii, baccam integram prelo non ſubjiciunt, quod exiſtimant aliquid olei deperire; nam cum preli pondus accepit, non ſola exprimitur amurca, ſed & aliquid pinguedinis attrahit. Illud autem in totum præcipiendum habeo, ut neque fumus neque fuligo, quamdiu viride oleum conficitur, in torcular admittatur, aut in cellam oleariam: nam ut utraque res inimica huic rei, peritiſſimique olearii vix patiuntur ad unam lucernam opus fieri; quapropter ad eum ſtatum cœli & torcular & cella olearia conſtituenda eſt, qui maxime a frigidis ventis averſus eſt; quoniam minime vapor ignis deſideratur. Et mox. *Nec ignoro etiam cibarium oleum eſſe faciendum. Nam ubi exeſa vermiculis oliva decidit, vel tempeſtatibus, & pluviis in lutum defluxit, ad præſidium aquæ calidæ decurritur, ahenumque calefieri debet, ut immundæ baccæ eluantur; ſed id non ferventiſſima fieri oportet, verum modice calida, quo commodior guſtus olei fiat; nam ſi excoctus eſt, etiam vermiculorum ceterarumque immunditiarum ſaporem trahit. Sed cum fuerit oliva elota, reliqua, ſicut ſupra præcepimus, fieri debebunt. Fiſcis autem non iiſdem probum & cibarium oleum premi oportebit: nam veteres ad caducam olivam, novi autem ordinario aptari oleo, ſemperque cum expreſſerint facta, ſtatim ferventiſſima debent aqua bis aut ter elui; deinde ſi ſit profluens, impoſitis lapidibus, ut pondere preſſi detineantur, immergi; vel ſi nec flumen eſt, in lacu aut piſcina quam puriſſimæ aquæ macerari, & poſtea virgis verberari, ut ſordes feceſque decidant, & iterum elui ſiccarique.* Palladius *lib.* XII. *cap.* 17. *Græci in conficiendi olei præceptis iſta juſſerunt; tantum legendum eſſe olivæ, quantum nocte veniente poſſimus exprimere: molam primo oleo debere leviter eſſe ſuſpenſam; oſſa enim confracta ſordeſcunt; quum de ſolis carnibus ſit prima confectio; & de ſalignis caniſtros fieri debere virgultis, quia genus hoc oleum dicitur adjuvare. Nobilius erit quod ſponte defluxerit. Sales deinde ac nitrum jubent novo oleo miſceri, ut hæc res ſpiſſitudinem ejus abſolvat; deinde cum amurca ſubſederit, oleum purum* XXX. *diebus exactis, in vitrea vaſa transferri; ſecundum ſimili diſciplina fieri, ſed mola fortiore quaſſari.*

Conſentiunt etiam Judæi, quod primum ex oleis in cupeam defluxerit, ceteris fuiſſe præſtantius. *Sipbra* 52. 3. מיכן אמרו שלשה זיתים ובו שלשה שמנים הזית הראשון מגרגרו בראש הזית וכונסן לתוך הבד וטוחנו בריחים ונותנם בסלים וטוענם בקורה והיוצא מהם ראשון פורקם וטוחנם שנייה היוצא מהם שיני וחזר וטוחן זה שלישי הראשון למנורה והשאר למנחות הזית השיני מגרגרו בראש הגג וכונסו לתוך הבד וטוחנו בריחיים ונותנו בסלים וטוענו בקורה והיוצא מהם ראשון פורקן וטוחנן שנייה היוצא מהם שיני חזר וטחן וטען זה שלישי הראשון למנורה והשאר למנחות הזית השלישי עוטנו בבית עד שילקה ומעלהו ועושהו תמרה בראש הגג כונסן לבית וטוחנן בריחיים ונותנן בסלים וטוענן בקורה והיוצא מהם ראשון פורקן וטוחנן שניה היוצא מהם שיני חזר וטחן וטען זה שלישי הראשון למנורה והשאר למנחות רבי יהודה אומר לא היה טוחנן בריחים אלא כותשן במכתשת לא היה טוחנן בקורה אלא באבנים ואינו נותן בתוך הסל אלא סביבות הסל הראשון שבראשון אין למעלה הימיני השיני שבראשון והראשון שבשיני שוין השלישי שבראשון והשיני שבשיני והראשון שבשלישי שוים השלישי שבשיני והשיני שבשלישי שוים השלישי שבשלישי אין למטה הימנו: Hinc dixerunt tres ſunt ſpecies olivarum, & in iis tres oleorum ſpecies. Prima ſpecies eſt illa, cujus grana colligebat in ſummitate oleæ colligebat, & indebat in torcular, eamque molis molebat, & in caniſtra indebat, & comprimebat trabe, & inde defluebat primum oleum. Contundebat, & molebat iterum, quod inde defluebat erat ſecundum; Atque iterum molebat, quod inde emanabat erat tertium. Primum pro candelabro, & reliqua pro muneribus. Secunda olivæ ſpecies erat illa, cujus grana ſingula coacervabat in ſummitate tecti, & in torcular conjiciebat, & molis molebat

lerebat, & in caniſtra, ſive quales indebat, & trabe comprimebat, quod inde emanabat oleum, erat primum; ſecunda vice contundebat, & molebat, quod inde defluebat, erat ſecundum; iterum molebat, & comprimebat; hoc erat tertium. Primum pro candelabro, & reliqua pro muneribus. Tertia olivæ ſpecies eſt illa, quam domi deponebat, donec putreſceret, & exſiccaretur in cacumine tecti, introducebat in domum, & molis molebat, & in qualos conjiciebat, & trabe comprimebat, quod inde emanabat oleum, erat primum; ſecunda vice contundebat & molebat; hoc erat ſecundum: Iterum molebat, & comprimebat: Hoc erat tertium. R. Jehuda dicit: Non molebat molis, ſed mortario contundebat, neque trabe comprimebat, ſed lapidibus, neque in qualos conjiciebat, ſed circa qualos. Quod erat primum in prima ſpecie, omnium erat præſtantiſſimum. Secundum in prima, & primum in ſecunda erant æqualia. Tertium in prima & ſecundum in ſecunda, & primum in tertia erat æqualia. Tertium in ſecunda, & ſecundam in tertia erant æqualia. Quod erat tertium in tertia, nullum erat inferius. Gemara Babyl. *Menachoth* cap. x. מכאן אמרו זית ראשון מגלגלו בראש הזית וכונסו לבית הבד וטוחנו ברחים ונותנו בסלין שמן היוצא ממנו זה היה ראשון טען בקורה שמן היוצא ממנו זה היה שני פרק חאר וטקן וטען זה היה שלישי ראשון למנורה והשאר למנחות וכן זית שני וזית שלישי טוענו בבית הבד עד שלקה ומעלה לראש הגג ועושה אותו כמין תמרה עד שיזובו מימיו וכונסו לבית הבד וטוחנו בריחים ונותנו בסלין ושמן היוצא ממנו זה היה ראשון טען בקורה שמן היוצא ממנו זה היה שני פרק חזר וטחן וטען זה היה שלישי הראשון למנורה והשאר למנחות רבי יהודה אומר לא היה טוחנו בריחים אלא כותשו במכתשת ולא היה טוען בקורה אלא באבנים ולא היה נותנו בסלין סביבות הסל׳ הא גופא קשיא כותש מני רבי יהודה היה תוך הסל אתאן לרבנן האי תנא סבר לה כותיה בחדא ופליג עליה בחדא: Hinc dixerunt. Primam ſpeciem olivæ ſubigebant in ſummitate oleæ, & immittabant in torcular, & molebant molis, & indebant in qualos; quod defluebat oleum, erat primum. Comprimebat trabe; quod inde defluebat, erat oleum ſecundum. Contundebat iterum, molebat, & comprimebat, quod inde emanabat, erat oleum tertium. Primum pro candelabro, & reliqua pro muneribus. Et ſimiliter in ſecunda ſpecie olivæ. Et in tertia ſpecie olivæ comprimebat in torculari donec marceſceret, & afferebat in ſummitatem tecti, & faciebat inſtar palathæ dactylorum, donec effluerent ejus aquæ, & immittebat in torcular, & molebat molis, & indebat in qualos, & quod inde effluebat oleum, erat primum. Comprimebat trabe; & quod inde emanabat oleum, erat ſecundum. Contundebat iterum molebat & comprimebat; hæc erat tertia ſpecies olei. Primum pro candelabro, & reliqua pro muneribus. R. Jehuda dicit; non molebat molis, at contundebat in mortario, neque immittebat in qualos, ſed circum qualos. Ecce fundamentum. Objectio. Contundebat. Cujuſnam hæc ſententia eſt? R. Jehuda. Intra qualos, ex mente ſapientum. Hic doctor conſentit in uno, & diſſentit in altero.

Multæ a rei ruſticæ ſcriptoribus oleorum ſpecies memorantur, quæ brevitatis cauſa prætereundæ mihi ſunt, de uno oleo viridi, quod tantopere a veteribus celebratum eſt, aliquid dicendum. *Cato* cap. LXV. *Oleum viride ſic facito. Oleam quam primum ex terra tollito, ſi inquinata erit, lavito, & foliis & ſtercore purgato; poſtridie, aut poſt diem tertium, quam lecta erit, facito. Oleam ubi nigra erit, ſtringito. Quam acerbiſſima olea oleum facies, tum oleum optimum erit; domino de matura olea oleum fieri maxime expediet. Palladius* lib. XI. cap. 10. *Nunc oleum viride faciemus hoc genere; Olivam recentiſſimam, cum varia eſt, colligis, & ſi diebus alliquot collegeris, expandis ne caleſiat; ſiqua ibi putris & ſicca eſt, removes; Ubi vero compleveris modum factorii, ſales tritos vel non tritos quod eſt melius, in olivam eandem mittes per decem modios, tres ſalis, & ſic ſalitum in novis caniſtris eſſe patieris, ut pernoctet cum ſalibus, & ducat in ſe eoſdem ſapores: ac mane premi incipiat olei meliorem fluxum redditura, ſalis ſapore concepto; canales ſane & omnia receptacula olei calida aqua prius lavabis, ut nihil de anni præteriti rancore cuſtodiant. Focos etiam non propius admovebis, ne olei ſaporem fumus inficiat. Columella* XII. cap. 50. *Attamen ſi id maxime verum eſſet, nihilominus ex pretio viridis olei pluſquam multitudine mali nummorum contrahitur.*

Olea (inquit *Varro* lib. I. cap. 55.) *ut uva per idem bivium redit in villam, alia ad cibum eligitur, alia ut eliqueſcat, ac non ſolum corpus intus unguat, ſed etiam extrinſecus; itaque dominum & balneas, & gymnaſium ſequitur.* Unctio omnium antiquiſſima illa eſt, quæ legitur facta fuiſſe a Jacob *Geneſ.* XXVIII. 18. in Bethel. *Anteluciano ſurgens Jacob mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat pulvinaris loco ſibi, ponens eum ſtatuam,* ויצק שמן על ראשה: *Et effudit oleum ſuper ſum-*

summitatem ejus: Jonathan ואריק משחא על רישה: *Et fudit oleum super verticem ejus;* & altera, quæ ab ipso Jacob peracta legitur *Genes.* XXXII. 14. *Statuitque Jacob statuam in loco, in quo locutus fuerat ad eum, statuam lapidis, conspersitque super eam conspersionem,* ויצק עליה שמן, *& fudit super eam oleum. Jonathan* ואקים תמה קמא באמרא דמליל עמיה קמא דאבנא וסיך עלה ניסוך חמר וניסוך מוי ארום בדין עתידין למעבר בחגא דמטייא ואריק עלה משח זיתא: *Et erexit ibi statuam in loco, in quo locutus erat cum eo, statuam lapidis, & libavit super eam libamen vini, & libamen aquæ, quoniam sic facturi erant in festo Tabernaculorum, & effudit super eam oleum olivarum.* Hanc unctionem & consecrationem ratam habuisse Deum constat ex eo quod dictum est *Genes.* XXXI. 13. *Ego sum Deus ille fortis Deus Bethelis,* אשר משחת שם מצבה *ubi unxisti statuam.* Hinc ex Dæmonis κακοζηλία, nata est consuetudo ungendi cippos & lapides, apud Ethnicos, qui dicti sunt Βαίτυλοι Bætyli ex Bethel, ubi Jacob lapidem unxit & consecravit. Bætyli non solum Termino sed aliis etiam diis consecrati fuerunt teste *Damascio* apud Photium. Τῶν βαιτύλων ἄλλων ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι Θεῷ, Κρόνῳ, Διὶ, Ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις. *Betylorum alium alii Deo consecratum esse, Saturno, Jovi, Soli & aliis.* De Bætylo lapide in monte Parnasso *Pausanias* in Phocicis scribit. Τούτου καὶ ἔλαιον ὁ σήμερα καταχέουσι, καὶ κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι ἀργά. *Hunc quotidie oleo perfundunt, singulisque festis lanam in eo ponunt rudem. Lucianus* in Deorum concilio. Ἀλλὰ ἤδη πᾶς λίθος, καὶ πᾶς βωμὸς χρησμῳδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ, καὶ στεφάνους ἔχῃ καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν. *Sed jam lapis omnis, omnisque ara vaticinatur, quæ sit oleo perfusa, & coronas habeat, cuique vir præstingator suppetat. Arnobius* de se ipso loquens ad Christianismum converso lib. I. *Lubricatum* (inquit) *lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar & beneficia poscebam nihil sentiente de trunco &c. Augustinus* de civit. Dei lib. XVI. cap. 38. scribit credidisse Ethnicos per unctionem lapides fieri Deos. *Nec more* (inquit) *idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum Deum: Neque enim adoravit eundem lapidem, vel illi sacrificavit Minutius* ad *Marcum* fratrem. *Non boni viri est Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo hærentem, sic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere; effigiatos sane & unctos & coronatos.*

Hominum unctionem fuisse antiquissimam constat ex *Deut.* XXVIII. 40. זיתים יהיו לך בכל גבולך ושמן לא תסוך: *Olivæ erunt tibi in omni limite tuo, & oleo non ungeris. Ezech.* XVI. 9. וארחצך במים ואשטף דמיך מעליך ואסכך בשמן: *Et lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo Mich.* VI. 15. אתה תדרך זית ולא תסוך שמן: *Tu calcabis oleam, & non ungeris oleo.* Unctio præcipue legitur peracta in capite 1. *Sam.* X. 1. ויקח שמואל את פך השמן ויצק על ראשו וישקחו: *Et accepit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & unxit eum.* 2. *Reg.* IX. 6. *Et effudit oleum super caput ejus. Psal.* CXXXIII. 2. כשמן טוב על הראש: *Sicut oleum bonum super caput. Psal.* XXIII. 8. ושנת בשמן ראשי *Impinguasti in oleo caput meum. Eccles.* IX. 8. ושמן על ראשך לא יחסר *Et oleum super caput tuum non deficiet.* Græcos, quibus unguenta erant incognita, antiquissimis temporibus, solo oleo in unctionibus usos fuisse, probari potest ex eo, quod *Homerus* nunquam μύρου mentionem fecerit, ut observat *Eustathius* ad Iliad. ψ'. & *Plinius* lib. XIII. cap. 1. ubi de unguentis: *Qui primus* (inquit) *invenerit, non traditur; Iliacis temporibus non erant, nec thure supplicabatur.* Equidem *Homerus* non introducit τοὺς Ἥρωας μύροις ἀλειφομένους. Oleo simplici utebantur, cui indebatur e fruticibus odor, præsertim e rosa. Rosaceum oleum laudat *Hemerus* Iliad. XXIII. Et Venus Hectorem ῥοδόεντι χρῖεν ἐλαίῳ *rosaceo oleo inunxit.* Virgines olim rejectis unguentis se solo oleo unxisse videntur. Dianam & Palladem unguenta respuisse legitur apud *Callimachum*, Palladem præsertim, cui tam invisa unguenta, & alabastri fuerint, ut oleo puro, & incommixto ejus statuas inungi opus esset.

> Μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι, μηδ' ἀλαβάστρως
> (Οὐ γὰρ Ἀθηναία χρίματα μικτὰ φιλεῖ)
> Οἴσετε, μηδὲ κάτοπτρον &c.

Eadem apud Persas obtinuit consuetudo. Esther per sex menses antequam regi nuberet, ungenda Eunuchis traditur, per sex menses oleo myrhino tanquam virgo, per sex sequentes aromatis & unguentis muliebribus tanquam regis sponsa, regique nuptura. *Esther* II. 12. ובהגיע תר נערה ונערה לבוא אל המלך אחשורוש מקץ היות לה כדת הנשים שנים עשר חדש כי כן ימלאו ימי מרוקיהן ששה חדשים בשמן המר וששה חדשים בבשמים ובתמרוקי הנשים: *Cum autem venisset tempus singularum per ordi-*

ordinem puellarum, ut intrarent ad regem Assuerum, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur, ita duntaxat, ut sex mensibus oleo myrrhino ungerentur, & aliis sex aromatis, & pigmentis muliebribus. Præcipue in ungendo utebantur oleo omphacino, quod erat oleum crudum & amarum, ex olivis vel immaturis, vel deciduis expressum. Gemara Babyl. *Menachoth* cap. x. אמפקנין שמן זית שלא' הביא שליש למה סכין אותו שמשיר את השיער ומעדן את הבשר: Omphacinum oleum olivarum, quæ non maturuerint tertiam partem. Quare inungunt se eo? quia effluere facit pilos, & delicatam reddit carnem. *Pesach.* fol. 43. 1. ולמה סכין בו שמשיר את השיער ומעדן את הבשר: Quare autem inungunt se eo? Quia effluere facit pilos, & delicatam reddit carnem. Vajik. rab. sect. 5. ad illud *Amos* VI. 6. וראשית שמנים ימשחו *Et præstantissimo unguento ungunt se*. R. Jehuda dicit: Hoc est oleum stactinum. R. Jannai dicit אנפיקינון oleum omphacinum שהוא משיר את השער ומצהיר את הגוף: Quod diffluere facit pilos, & nitidum reddit corpus. Vid. & Bemidb. rab. sect. 10. Ber. rab. sect. 98. fol. 151. 3. ubi scribitur אנקיטן. Et in Targum ואנפיקינון רמנתר ית סערא ומפנק ית בשרא: Et oleo omphacino quod defluere facit pilos, & delicatam facit carnem. *Esther* II. 12. pigmentis eradebant extremos pilos versus frontem, ut frontem latam ostentarent puellæ istæ aulicæ. Est vox peregrina. Ego non dubito (inquit *Buxtorfius* in suo lexico Chaldaico ad h.l.) quin sit Græca ὀμφάκινον *omphacinum* ex uvis acerbis & immaturis confectum, & ὀμφάκινον ἄλειον *oleum* ex olivis immaturis, quod & ὠμοτριβὲς dicitur, quia olivæ illi acerbæ, unde exprimuntur, crudæ adhuc sunt. Vide de eo apud *Dioscoridem* lib. I. cap. 29. *Olei omphacini* quoque meminit *Plinius* lib. XXIII. cap. 4. & lib. XII. cap. 27. *Oleum & omphacinum est: Fit duobus generibus & totidem modis, ex olea & vite. Olea adhuc alba expressa, deterius ex druppa &c.*

Hospites, convivæ, præcipue oleo uncti. Telemachum & Pisistratum hospites in ædibus Menelai lotos ab ancilla, & unctos testatur *Homerus* Odys. IV. Apulejus divertens apud Milonem ab ancilla lavatur & ungitur Metam. lib. I. *Fotis* (inquit Milo) *sarcinulas hospitis susceptas cum fide caude in illud cubiculum, ac simul e promtuario oleum unctui, lintea tersui, & cetera huic eidem usui profer ocyter, & hospitem meum perduc ad proximas balneas, satis arduo itinere, atque prolixo fatigatus est*. Et mox. *Illico lavacro trado: Quod unctui, quod tersui opus ipse præministro*. Post lotiorem peractam fuisse unctionem tradit *Eustathius* Iliad. x. Ἐλαίῳ δ' ἐχρίζοντο οἱ λουσάμενοι ἐμφράττοντες τοὺς σωματικοὺς πόρους, ὡς ἂν κατὰ λουτρὸν στέγοιεν ὑγρότητα. Convivæ ante epulas oleo peruncti. *Homerus* Iliad. lib. x.

> Ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ δείπνῳ ἐφιζανέτην.

Unde *Athænæus* lib. IV. Δεῖν θεραπεύσαντα τὸ σωμάτιον καὶ λουσάμενον ἰέναι πρὸς δεῖπνον. *Horatius* lib. II. Sat. 7.

> —— *jusserit ad se*
> *Mecænas serum sub lumina prima venire*
> *Convivam, nemon oleum feret ocyus.*

Apulejus Metam. lib. IV. *Nudati & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.*

Levit. XIX. 23. jubetur non fuisse comedendos fructus arboris nisi quinto anno ab ejus plantatione. וכי תבאו אל הארץ ונטעתם כל עץ מאכל וערלתם ערלתו את פריו שלש שנים יהיה לכם ערלים לא יאכל ובשנה הרבעית יהיה כל פריו קדש הלולים ליהוה ובשנה החמשית תאכלו את פריו להוסיף לכם תבואתו: *Cum autem veneritis ad terram, & plantavitis omnem arborem fructiferam, rejicietis rejectionem ejus; fructus ejus tribus annis erit vobis rejectaneus; non comedetur; anno autem quarto erit universus fructus ejus sanctitas laudum Domino. In anno quinto comedetis fructus ejus adaugendum vobis proventum ejus*. *Siphra* 49. 3. in h. l. כי תבואו יכול משבאו לעבר הירדן ת"ל אל הארץ הארץ המיוחדת כי תבואו ונטעתם פרט לשנטען גוים עד שלא באו לארץ או יכול שאני מוציא את שנטעו גוים משבאו לארץ ת"ל כל עץ מיכן אמרו עד שבאו אבותינו לארץ ומצאו נטוע פטור נטעו אף על פי שלא כיבשו חייב ונטעתם פרט לעולה מאיליו ונטעתם פרט למרכיב ולמבדיך מיכן אמרו סיפוק גפנים סיפוק על סיפוק אף על פי שהבריכה בארץ מותר ר' מאיר אומר מקום שכחה יפה מותר מקום שכחה רע אסור אין לי אלא שנטע אגוז ושקר נטע ייחור מניין תלמוד לומר כל עץ עץ מאכל ולא עץ סרק עץ מאכל פרט לנוטע לסיוג ולקורות ולעיצים רבי יוסי אומר אפי' אמר הפנימי למאכל והחיצון לסייג הפנימי חייב והחיצון פטור אמר רבן שמעון בן גמליאל במה דברים אמורי' בזמן שנטע לסייג ולקורות ולעיצים דבר שהוא ראוי להם שאין ראוי להם מניין ת"ל כל עץ נטעו לעצים וחישב עליו לאכילה מניין ת"ל כל עץ מאימתי הוא מונה לו משעת נטיעתו פריו

פריו פרט לעלים ולולבים ולמי נפנים ולמי סמדר או יכול שאני מוציא את ענקוקלורת וחכוסר ת״ל פריו פריו דברי ר׳ יוסי הגלילי ר׳ עקיבא אומר וערלתם את עורלתו ערילים לרבות כולם שלש שנים יכול בתוך שלש שנים הוא אסור ולאחר שלש שנים יהיה מותר ת״ל יהיה לכם להביא את הנטוע לרבים רבי יהודה אומר לכם פרט לנוטע לרבים רבי שמעון בן אלעזר משמו הנוטע לרבים חייב בעורלה עלה מאיליו לרבי פטור מן הערלה לא יאכל אין לי אלא שלא יאכל מניין שלא יצבח בו ושלא יהנה בו ת״ל וערלתם ערלים לרבות את כולם מניין לשלשים יום לפני ראש השנה הרי הן ככל השנה ת״ל ובשנה הרביעית יהיה כל פריו להביא את הפרט ואת העוללות כדברי בית הילל בית שמייאו׳ יש לו פרט ויש לו עוללות והעניים פודים לעצמם ובית הילל אומרים כולו לגת קודש מה קורש אמור להלן טעון חומש וביעור אף קודש האמור כאן טעון חומש וביעור הילולים מלמד שהוא טעון ברכה לפניו ולאחריו מיכן הודה רבי עקיבא אומר לא יטעום אדם כלום קודם שיברך מניין לשלשים יום לפני ראש השנה הרי הן ככל השנה ת״ל ובשנה החמישית תאכלו את פריו להוסיף לכם תבואתו רבי יוסי הגלילי אומר הרי אתה כמוסיף פירות חמישית על פירות רביעית מה פירות חמישית לבעלים אף פירות רביעית לבעלים רבי עקיבא אומר דברה תורה כנגד היצר שלא יהיה אדם אומר הרי ארבע שנים אני מצטער בו חנם לכך נאמר להוסיף לכם תבואתו תבואתו מלמד שאין נפרה אלא תבואה מיכן אמרו אין פודים את הרבעי עד שיבוא לעונת המעשרות:

Quando veneritis. Crederem quando venissent trans Jordanem? Idcirco dictum est: *Ad terram*. Ad terram peculiarem. *Quando veneritis*, *& plantaveritis*; excludit, si plantaverint gentiles, antequam advenissent ad terram. Aut crederem posse excludere, si plantassent gentiles, postquam advenissent in terram? Idcirco dictum est: *Omnem arborem*. Hinc dixerunt: Priusquam advenissent patres nostri in terram, & plantatum invenissent, liberum erat. *Plantaveritis*. Quamvis non subegissent terram tenebatur. *Et plantaveritis*. Excludit quod sponte crescit, & adscendit. *Et plantaveritis*. Excludit qui inoculat, & propagat. Hinc dixerunt: Ligatio vitium & ligatio super ligationem, & si propagaverit eas in terra, permissum est. R. Meir dicit: Ubi vis ejus valida est, licet, ubi non est valida, non licet. Non probo nisi quando plantasset nucem, & amygdalam, si plantasset palmitem, unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Omnem arborem*. Arborem frugiferam, non autem arborem sylvestrem. *Arborem frugiferam*. Excludit si plantet pro sepe, aut pro tignis, aut pro lignis. R. Jose dicit: vel si dicat: Interius pro cibo, & exeterius pro sepe; interius tenetur, & exterius absolvitur: Dicit Raban. Simoen ben Gamaliel. De quo hæc dicta sunt? Quando plantaverit pro sepe, tignis, & lignis, quod sit illis conveniens; si non fuerit illis conveniens, unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Omnem arborem*. Quando illi numerat? A tempore suæ plantationis. *Fructus ejus*. Excludit frondes, & palmites, & aquas vitis, & omphacium. Aut crederem posse excludere uvas immaturas, & uvam omphaciam? Idcirco dictum est; *fructus ejus; fructus ejus*. Verba R. Jose Galilæi. R. Akiba dicit: *Rejicietis rejectionem ejus*. *Rejectionem* ad includendum omnia. *Tribus annis*. Crederem intra triennium fuisse interdictum, & post triennium fuisse perumissum? Idcirco dictum est: *Erit vobis*. Ad includendum qui plantaverit pro multis. R. Simeon ben Elieser dicit suo nomine. Qui plantaverit pro multis, tenetur propter rejectionem. Si sponte crescat & adscendat pro multis, absolvitur a rejectione. *Non comedetur*. Non probo nisi quod non sit comedendum; unde probatur, quod ex eo non sit colore inficiendum neque ullum ex eo commodum percipiendum? Ex eo quod dictum est: *Rejicietis rejectionem*. Unde probatur triginta dies ante principium anni reputari sicut annum integrum? Ex eo quod dictum est: *Et anno quarto erit fructus ejus*. Ad includendum ramos, & racemos juxta verba scholæ Hillel; schola Schammai dicit. Est illi granum, & illi sunt racemi, & pauperes sibi ipsis rediment. At schola Hillel dicit. Omne cedit torculari. *Sanctitas*; sicut sanctitas ibi dicta tenebatur ad quintam partem, & ad remotionem, ita pariter sanctitas in hac loco dicta tenetur ad quintam partem & ad remotionem, *Laudum*. Docemur quod teneretur antea & postea ad benedictionem. Hinc dicebat R. Akiba. Nihil homo gustabit antequam benedicat. Unde probatur triginta dies ante principium anni reputari tanquam integrum annum? Ex eo quod dictum est: *Et anno quinto comedetis fructum ejus ad adaugendum vobis proventum ejus*. R. Jose Galilæus dicit: Ecce tu quasi addis fructus anni quinti ad fructus anni quarti. Sicut fructus anni quinti cedunt dominis, ita pariter fructus anni quarti cedent dominis. R. Akiba dicit: Loquitur lex contra tentationem; nequis dicat; *ecce gratis ego quadriennio affligor*. Idcirco dictum est: *Ad adaugendum vobis proventum ejus*. *Proventum ejus*. Docemur quod non redimatur nisi proventus. Hinc dixerunt. Non redimebant fructus plantæ anni

anni quarti, priusquam advenisset tempus decimarum.

XII. De quiete terræ in anno Sabbathico & Jubilæo præcipitur *Levit.* xxv. וידבר יהוה אל משה בהר סיני לאמר דבר אל בני ישראל ואמרת אלהם כי תבאו אל הארץ אשר אני נתן לכם ושבתה הארץ שבת ליהוה שש שנים תזרע שדך ושש שנים תזמר כרמך ואספת תבואתה ובשנה השבנעית שבת שבתון יהיה לארץ שבת ליהוה שדך לא תזרע וכרמך לא תזמר את ספיח קצירך לא תקצור ואת ענבי נזירך לא תבצר שנת שבתון לארץ והיתה שבת הארץ לכם לאכלה לך ולעבדך ולאמתך ולשכירך ולתושבך הגרים עמך ולבהמתך ולחיה אשר בארצך תהיה כל תבואה לאכל יובל הוא שנת החמשים שנה תהיה לכם לא תזרעו ולא תקצרו את ספיחיה ולא תבצרו את ניריה כי יובל הוא קדש תהיה לכם מן השדה תאכלו את תבואתה וגו׳ ועשיתם את חקתי ואת משפטי תשמרו ועשיתם אתם וישבתם על הארץ לבטח ונתנה הארץ פריה ואכלתם לשבע וישבתם לבטח עליה וכי תאמרו מה נאכל בשנה השביעת הן לא נזרע ולא נאסף את תבואתנו וצויתי את ברכתי לכם בשנה הששית ועשת את התבואה לשלש השנים וזרעתם את השנה השמינת ואכלתם מן התבואה ישן עד השנה התשיע עד בוא תבואתה תאכלו ישן *Et locutus est Dominus de monte Sion dicendo. Alloquere filios Israel, & dices eis. Cum veneritis ad terram, quam ego do vobis; tunc quiescet terra quiete Domino, sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, & colliges proventum ejus; Anno autem septimo quies remissionis erit terræ, quam quiescere facies Domino. Agrum tuum non seres, & vineam tuam non putabis; sponte nascens messis tuæ non metes, & uvas vineæ non vindemiabis; annus quietis erit. Erit autem quies terræ vobis in cibum, tibi & servo tuo, & ancillæ tuæ, & mercenario tuo, & hospiti tuo, habitantibus tecum; & jumento tuo, & feræ, quæ in terra tua erit omnis proventus ejus ad comedendum &c. Jubileus erit ipse annus quinquagesimus annus erit vobis; non seretis nec metetis sponte nascens ejus, neque vindemiabitis separationes ejus &c. Et facite statuta mea, & judicia mea servate, & facite illa, & habitabitis in terra cum confidentia; Dabitque terra fructum suum, & comedetis ad saturitatem, & habitabitis cum confidentia in ea. Quod si dixeritis; quod comedemus in septimo? Ecce non seremus, neque colligemus proventum nostrum. Tunc mandabo benedictioni meæ pro vobis in anno sexto, & faciet proventum pro tribus annis. Seretisque anno octavo, & comedetis de proventu veteri usque ad annum nonum, usque in adventum proventus ejus comedetis veterem.*

Siphra 53. 3. וידבר יי׳ אל משה בהר סיני לאמר מה ענין שמיטה אצל הר סיני והלא כל המצות נאמרו מסיני אלא מה שמיטה נאמרו כללותיה ודקדוקיה מסיני אף כולם נאמרו כללותיהם ודקדוקיהם מסיני כי תבאו יכול משבאו לעבר הירדן ת״ל אל הארץ ארץ המיוחדה יכול משבאו לעמון ומואב ת״ל אשר אני נותן לכם ולא עמון ומואב מניין אתה אומר כיבשו אבל לא חילקו חילקו למשפחות ולא חילקו לבתי אבות ואין כל אחד ואחד מכיר את חלקו יכול יהו חייבים בשמיטה ת״ל שדך שיהא כל אחד ואחד מכיר שדהו כרמך שיהיה כל אחד ואחד מכיר את כרמו נמצאת אתה אומר כיון שעברו ישראל את הירדן נתחייבו בחלה ובערלה ובחדש הניע ששה עשר בניסן נתחייבו בעומר שהו חמשים יום נתחייבו בשתי הלחם לארבע עשרה שנה נתחייבו במעשרות התחילו מונים לשמיטה לעשרים ואחת עשו שמיטה לששים וארבע עשו יובל ושבתה הארץ יכול מלחפור בורות ושיחים ומערות ומלתקן את המקוואות ת״ל שדך לא תזרע וכרמך לא תזמור אין לי אלא לזרע ולזמיר לחריש לעירור לניבוש ולכיסוח ולביקוע מניין ת״ל שדך לא וכרמך לא כל מלאכה שבשדך ושבכרמך ומנין שאין מזבלים ואין מפרקים ואין מעשנים בעלים ואין מאבקים ת״ל שדך לא ומנין שאין מקרסמים ואין מזרזים ואין מפסלים באילנות ת״ל שדך לא וכרמך לא יכול לא יקשש תחת הזיתים ולא ימלא את הנקעים שתחת הזיתים ולא יעשה עוניאות אילן לאילן חבירו ת״ל שדך לא תזרע וכרמך לא תזמור הזרע והזמיר בכלל היו ולמה יצאו להקיש להם אלא מה זרע וזמיר מיוחדים שהם עבודה בארץ ובאילן אף אין לי אלא דבר שהיא עבודה בארץ ובאילן יכול אף שנת היובל תהיה עולה למניין שני שבוע ת״ל שש שנים תזרע שדך ושש שנים תזמור כרמך שני זרעים עולות ממניין שני שבוע ואין שנת היובל עולה למויין שני שבוע מנין לאורז ולדוחן ולפרגים ול שומשמים שהשרישו לפני ראש השנה כונסן אתה בשביעית ת״ל ואספת את תבואתה בשביעית יכול אע״פ שלא השרישו ת״ל שש שנים תזרע שדך ואספת ששה זרעים וששה אסיפים לא ששה זרעים ושבעה אסיפים ר׳ יונתן בן יוסף אומר מניין לתבואה שהביאה שליש לפני ראש השנה כונסה אתה בשביעית ת״ל ואספת את תבואתה ואף משהביאה שליש ומנין לשלשים יום לפני ראש השנה הרי הן ככל השנה ת״ל ובשנה השביעית שבתון יהיה לארץ מיכן אמרו בנות שוח שביעית שלהם שנייה שהם עושות לשלש שנים ר׳ יהודה אומר הפרסיות שביעית שלהם מוצאי שביעית שהם עושות לשתי שנים אמרו לו לא אמרו אלא בבנות שוח שבת ליי׳ כשם שנאמ׳ בשבת בראשית שבת ליי׳ כך נאמר בשביעית שבת ליי׳ שדך לא תזרע וכרמך לא תזמור כל מלאכה שבשדך וכל מלאכה שבכרמך את ספיח קצירך לא תקצור מיכן סמכו חכמים על הספחים מיהו אסורים בשביעית ואת ענבי נזירך לא תבצור מן השמור בארץ אין אתה בוצר

בוצר אבל אתה בוצר מן המבוזר לא תבצור
לא תבצור כדרך הבוצרים מיכן אמרו תאינים
של שביעית אין קוצים אותה במוקצה אבל
קוצה אתה בחורבה אין דורכים ענבים בגרת
אבל דורכים בעריבה אין עושים זיתים בבד
ובקוטבי אבל כותש ומכניס לבדירה ר׳ שמעון
אומ׳ אף טוחן הוא בבד ומכנים לבדידה שבת
שבתון יהיה לארץ כינן שיצת שביעית אע״פ
שפירותיה שמטה מותר את לעשות מלאכה
בגופו של אילן אבל פירותיו אסורים עד
חמשה עשר בשבט והיתה שבת הארץ לכם
מן השבו׳ בארץ אתה אוכל ואין אתה אוכל
מן השמור מיכן אמרו שדה שנטייבה בי״ת
שמיי אומרי׳ אין אוכלי׳ פרותיה בשביעית
ובית הלל אומרים אוכלים בית שמאי אומרים
אין אוכלים פירות שביעית בטובה ובית הילל
אומרי׳ בטובה ושלא בטובה רבי יהודה אומר
חילוף הדברים זה מקולי בית שמי ומחומרי
בית הילל לכם ולא לאחרים לאוכלה ולא
להביא ממנה מנחות ולא להביא נסכים
ממנה לך לעבדך ולאמתך מה ת״ל לפי
שנאמ׳ ובשביעית תשמטנה ונטשתה ואכלו
אביוני עמך שיכול אין לי אלא פירות
שביעית נאכלים אלא לעניים בלבד מניין אף
לעשירים ת״ל לך ולעבדך ולאמתך הרי בעלים
עשירים אמורים עבדים ושפחות אמורים אם
כן למה נאמר ואכלו אביוני עמך העניים
אוכלים אחר הביעור ולא עשירים דברי רבי
יהודה ר׳ יוסי אומ׳ אחד עניים ואחד עשירים
אוכלים אחר הביעור דבר אחר ואכלו אביוני
עמך הראוי לאדם לאדם והראוי לבהמה
לבהמה ולשכירך מן הגוי ולתושבך מן הגוי
הגרים עמך לרבות את האכסניא ולבהמתך
ולחיה מה ת״ל ומה אם חיה שאינה ברשותך
הרי היא אוכלת בהמה שהיא ברשותך אינו
דין שתאכל אילו כן הייתי אומ׳ יכנוס לבהמה
ותהא אוכלת לעולם ומה אני מקיי׳ ביעור
פירות שביעית בפירות אדם אבל בהמה
תהיה אוכלת לעולם ובשהוא אומ׳ ולבהמתך
ולחיה מקיש בהמה לחיה כל זמן שחיה
אוכלת בשדה בהמ׳ אוכלת בבית כלה לחיה
שבשדה כלה לבהמתך שבבית אשר בארצך
מה שבארצך אוכלים לא מה שוצהיא עקילם
לעבדיו לפונשוס א״ר שמעון שמעתי בפירוש
שמוציאי׳ לסוריא ואין מוציאים לחוצה לארץ
תהיה אף הדלקת הנר אף לצבוע בה צבע
כל תבואתה מלמד שאין נאכלת אלא תבואה
מיכן אמרו מאימתיי אוכלים פירות האילן
בשביעית הפגים משהוריחו אוכל בהם פיתו
ביחלו כינס לתוך ביתו וכן כיוצא בהם ושאר
שני שבוע חייבי׳ במעשרו׳ הבוסר משגרע אוכל
בו פיתו בשדה הבאיש כונס לתוך ביתו וכן
כיוצא בו ושאר שני שבוע חייבים באעשרות
זיתים כל זמן שהם עושים שלשת לוגים
לסאה הכניסו רביע פוצע ואוכל בשדה
הכניסס חצי לוג כותש וזן בשדה הכניסו
לוג כותש בשדה וכונס לתוך ביתו וכן
כיוצא בהם ושאר שני שבוע חייבים במעשרו׳
ושאר כל פירות האילן מין את ראשי לכבוש
מהם ולשלוק מהם ולא לאכול מפניהם אלא
בעונתן למעשרות כך עונותן לשביעית ולא
לעשות ממנה זלחין ולא לעשות ממנה

מלונמא ומא לעשות ממנה איספלנית
ולא לעשות ממנה אפיקטפיזים : *Et locutus eſt Dominus ad Moſen in monte Sinai dicendo*. Qua de cauſa fit mentio de anno Sabbathico ſeparatim in monte Sinai? Nonne omnia præcepta memorata ſunt in Sinai? Verum ſicut de anno Sabbathico memorata ſunt omnia ejus generalia & particularia de Sinai, ita pariter de omnibus præceptis memorata ſunt generalia & particularia de Sinai. *Quum veneritis*. Crederem poſtquam veniſſent ad terras ſitas trans Jordanem? Idcirco dictum eſt. *Ad terram*. Terram peculiarem. Crederem poſtquam veniſſent ad terram Ammon & Moab? Idcirco dictum eſt. *Quam ego do vobis*. Non autem terram Ammon, & Moab. Unde probatur, quod dicas, ſi ſubegiſſent, & non diviſiſſent, ſi diviſiſſent familiis, & non diviſiſſent domibus patrum, & omnes & ſinguli non agnoſcerent partem ſuam, crederem quod obligati eſſent ad annum Sabbathicum? Idcirco dictum eſt: *Agrum tuum*. Ut unuſquiſque agnoſcat agrum ſuum; *Vineam tuam*. Ut unuſquiſque agnoſcat vineam ſuam. Deprehenditur quod dicas: Poſtquam tranſierunt Iſraelitæ Jordanem, obligati fuerunt ad placentam, & ad præputium arborum, & ad proventum novum. Cum adveniſſet dies decimus ſextus Niſan, obligati fuerunt ad manipulum. Poſtquam morati erant quinquaginta dies obligati fuerunt ad duos panes. Poſt annos quatuordecim obligati fuerunt ad decimas. Inceperunt numerare intermiſſionem, & poſt annum vigeſimum primum fecerunt intermiſſionem, poſt annum quartum & ſexageſimum fecerunt Jubilæum. *Et quieſcet terra*. Crederem ab effodiendis puteis, foſſis & ſpecubus, & a præparandis lavacris? Idcirco dictum eſt: *Agrum tuum non ſeres, & vineam tuam non putabis*. Non probo niſi de ſatione & putatione, de aratione, de foſſione, de herbarum runcatione, de arborum ſucciſione, & amputatione, & de ſtirpium extirpatione, unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *Agrum tuum non, & vineam tuam non* Omne opus quod fieri ſolet in agro tuo & in vinea tua. Unde probatur non licuiſſe ſtercorare, neque ſuccidere, neque ſuffimigare frondes, neque pulverem adjicere? Ex eo quod dictum eſt: *Agrum tuum non*. Et unde probatur non licuiſſe ſuccidere ramos, neque amputare, & exſcindere in in arboribus? Ex eo quod dictum eſt: *Agrum tuum non. Et vineam tuam non*. Crederem non licuiſſe farrire ſub oleis, neque implere foſſas ſub oleis, neque facere areolas inter arborem & arborem? Id-

circo dictum est: *Agrum tuum non seres, & vineam tuam non putabis*. Satio & putatio erant in genere, cur exierunt? Ut ex his fiat argumentum. Sicut satio & putatio sunt peculiares, quæ inserviunt ad culturam terræ & arboris, ita ego non probo nisi de iis quæ respiciant culturam terræ & arboris. Crederem annum Jubilæum annumeratum fuisse annis heptaeridis? Idcirco dictum est: *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam*. Anni sationis annumerantur annis Heptaeridis, at anni Jubilæi non annumerantur annis Heptaeridis. Unde probatur, si oriza, millium, papavera, & sesamum radices egissent ante principium anni, quod possint colligi in anno septimo? Ex eo quod dictum est: *Et colliges proventum ejus; anno septimo*. Crederem vel si radices non egissent? Idcirco dictum est: *Sex annis seres agrum tuum & colliges*. Sex erunt sationes, & sex collectiones, non autem sex sationes & septem collectiones. R. Jochanan ben Joseph dicit. Unde probatur proventum qui tertiam partem creverit ante principium anni, licuisse colligi in anno septimo? Ex eo quod dictum est: *Et colliges proventum tuum*. Vel postquam tertiam partem creverit. Unde probatur, quod triginta dies ante principium anni considerantur, sicut integer annus? Ex eo quod dictum est: *Et in anno septimo quies erit terræ*. Hinc dixerunt: Albarum ficuum annus septimus est secundus, quia triennio fructum producunt. R. Jehuda dicit: Persearum annus septimus post exitum septimi, quia biennio producunt. Dixerunt illi, non dictum est nisi de ficubus albis. *Quiete Domino*. Sicut dictum est in Sabbatho creationis. *Quies Domino*. Ita pariter dictum est in anno septimo. *Quiete Domino; agrum tuum non seres, & vineam tuam non putabis*. Sc. omne opus quod facere soles in agro tuo, & omne opus quod soles facere in vinea tua. *Sponte nascens in messe tua non metes*. Hinc confirmarunt sapientes sponte nata fuisse vetita in anno septimo; *Et uvas vineæ derelictas non vindemiabis*. Ex eo quod custodis in terra non poteris vindemiare, sed de communi poteris vindemiare. *Non vindemiabis*. Non vindemiabis, quomodo solent vindemiare. Hinc dixerunt: Ficus anni septimi non abscindunt falcula, se poteris succidere gladiolo. Non licet calcare uvas in torculari, sed in mactra licet. Oleas facere trapeto, & prelo non licet, sed licet tundere & indere in pressorium. *Quies erit terræ*. Postquam cessaverat annus septimus, quamvis ejus fructus sint intermistionis, tamen licet facere opus in ipso arbore, sed ejus fructus sunt vetiti, usque ad quintum decimum diem Scevat. *Et erit quies terræ vobis*. Ex eo quod quiescit in terra tu potes comedere, at non potes comedere ex custodito. Hinc dixerunt. Agri exsculti, schola Schammai dicit, non possunt comedi fructus in anno septimo. At schola Hillel dicit; possunt comedi. Schola Schammai dicit; Non possunt comedi fructus anni septimi cum gratiæ retributione; At schola Hillel dicit: possunt comedi cum gratiæ retributione, & sine gratiæ retributione. R. Jehuda dicit: Commutanda sunt verba. Hoc est unum ex iis, ubi allevat schola Schammai, & unum ex iis ubi aggravat schola Hillel. *Vobis*: Non aliis: *In cibum*. Non ut ex eo adducantur munera, neque ut ex eo afferantur libamina: *Tibi, servo tuo, & ancillæ tuæ*. Cur dictum est? Quia dictum est *Exod*. XXIII. 11. *In septimo intermittes eam, & derelinques, ut comedant pauperes populi tui*. Crederem quod in fructibus anni septimi non comederent nisi pauperes? Unde probatur de divitibus? Ex eo quod dictum est: *Tibi & servo tuo & ancillæ tuæ*. Ecce domini divites memorati sunt, pariterque servi & ancillæ memorati sunt. Si ita est, cur dictum est; *ut comedant pauperes populi tui*? Pauperes comedunt post pollucturam, non autem divites. R. Jose dicit: Tam pauperes quam divites vescuntur post pollucturam. Alia expositio: *Ut comedant pauperes populi tui*. Quod est conveniens homini, comedet homo, & quod est conveniens jumento, comedet jumentum. *Et mercenario tuo*. Ex gentilibus. *Et inquilino tuo*; ex gentilibus: *Qui peregrinantur tecum*. Ad includendum hospitem. *Et jumento tuo & feræ*. Cur dictum est? Si fera, quæ non est in potestate tua comedit, jumentum quod est in potestate tua, non erit æquum ut comedat? Si ita dixisset, ego dicerem, quod posset introducere cibum pro jumento in domum, ut de eo semper comederet. Quomodo ego explicabo pollucturam fructuum septimi anni? De fructibus hominis, sed jumentum semper de iis comedet. Quando vero dicit: *Et jumento tuo, & feræ*. Æquiparat jumentum feræ. Quandiu fera comedit in agro, jumentum poterit comedere in domo, si consumatus sit cibus feræ in agro, consumetur quoque jumento tuo cibus qui sit in domo. *Quæ in terra tua est*. Quod est in terra tua comedunt; non quod educebat Achilas servis suis in Pancsos. Dicit R. Simeon. Ego certe audivi, quod liceat educere in Syriam, at non

non licet educere extra terram. *Erit*. Vel ad accendendum lucernam, vel ad inficiendum colore. *Omnis proventus ejus*. Docemur quod non poſſet comedi niſi proventus. Hinc dixerunt; quando poterunt comedi fructus arboris in anno ſeptimo? Groſſios poſtquam purpuraſcunt, poterat comedere cum pane ſuo. Cum jam maturuerint, domum inferet. Atque ita quæ ejuſmodi ſunt; & in ceteris annis Heptaeridis obligantur ad decimas. Omphaces poſtquam grana produxerint, poterant comedere cum pane ſuo in agro; quando ſuccus in iis fuerit, domum inferebat. Atque ita quæ ejuſmodi ſunt: reliquis heptaeridis anni obligantur ad decimas. Olivas quando faciunt tres logos pro ſato, domum inferet; ſi quartarium poteſt elidere in agro, ſi ſemilogum comprehendunt, poterat elidere, & inungi in agro. Quando comprehendunt tertiam partem logi, poteſt elidere in agro, & domum inferre; & ſic de ceteris: in reliquis annis Heptaeridis obligantur ad decimas. Ceteros fructus arboris non licet condire, neque elixare, neque comedere ante eorum tempus. Verum ſicut tenentur ad decimas, ita pariter tenentur ad annum Sabbathicum. *Ad cibum*. Non ut ex eo fiant diſtillationes, neque malgama, neque emplaſtrum, neque vomitoria &c. *Jubilæus ipſe annus, quinquageſimus annus*. Crederem in ejus initio fuiſſe ſanctificatum a principio anni, & in ejus exitu fuiſſe protractum uſque ad diem expiationis, quia addunt de profano ad ſanctum? Idcirco dictum eſt: *Jubilæus ipſe annus, quinquageſimus annus erit vobis*. Ejus ſanctitas non protrahebatur niſi ad principium anni. *Non ſeretis, nec metetis ſponte naſcens ejus, neque vindemiabitis ſeparationes ejus*. Sicut dictum eſt in anno ſeptimo, ita pariter dictum eſt in Jubilæo. *Jubilæus ipſe ſanctus*; Sicut ſanctitas comprehendebat ejus pretium, ita pariter in ſeptimo anno ſanctitas comprehendebat ejus pretium. Aut dicam: ſicut ſanctitas cedebat in profana, & ejus pretium comprehendebatur, crederem hoc pariter fuiſſe obſervatum in anno ſeptimo? Idcirco dictum eſt: *Ille*. Ecce ille eſt in ſua ſanctitate. Deprehenditur, quod dicas noviſſimum comprehenſum fuiſſe in ſeptimo anno, & ipſius fructus fuiſſe interdictos. Quomodo? Si emiſſet de fructibus anni ſeptimi carnem, tam hæc quam illi erant removendi in anno ſeptimo. Si ex carne emerit piſces, caro educitur de ſanctitate, & piſces in ea comprehenduntur. Si ex piſcibus emiſſet oleum, piſces educuntur de ſanctitate, & comprehenditur oleum; Noviſſimum comprehendebatur, & ipſius fructus ſunt interdicti. *Ex agro comedetis proventum ejus*. Quando comedis ex agro, poteris etiam comedere de eo quod ſit in domo; ſi defecerit proventus in agro, deficiet quoque in domo. Hinc dixerunt, ſi quis condiderit tria condimenta in eadem fidelia; R. Elieſer dicit; quando defecerit una ex his ſpeciebus in agro, removenda eſt tota fidelia. R. Jehoſua dicit: poteſt comedere, donec in ea defecerit noviſſima. Raban Gamaliel dicit. Si defecerit ſpecies in agro, ea ſpecies removenda erit ex fidelia; & deciſio eſt juxta ejus verba. R. Simeon dicit. Omnia olera conſideranda ſunt una ſpecies quoad polluctura. Portulaca veſci licet, uſque dum defecerint Sendioth ex valle Beth-Notopha &c. *Et facite ſtatuta mea, & judicia mea ſervate, & facite illa*. Ut tribuatur cuſtodia & operatio ſtatutis, & cuſtodia & operatio judiciis. *Et habitabitis in terra*. Non exulabitis. *Cum confidentia*. Non cum timore. *Dabitque terra fructum ſuum, & comedetis ad ſaturitatem*. Scil. quod homo poterit multum comedere, & ſaturari. Verba R. Jehuda. Raban Simeon ben Gamaliel dicit; licet hoc non ſit ſignum benedictionis; ſi ita eſt, cur dictum eſt: *Et comedetis ad ſaturitatem*? Sc. comedet, & non inflabitur. Alia expoſitio: *Et comedetis ad ſaturitatem*. Sc. quod nihil deerit in ſua menſa. *Et habitabitis cum confidentia*. Non diſperſi neque timentes: *In ea*. Et non exulabitis. *Quod ſi dixeritis*. Quid comedemus in anno ſeptimo? *Ecce non ſeremus, neque colligemus proventum noſtrum*. Si non ſeremus quomodo colligemus? Dicit R. Akiba. Hinc confirmati ſunt ſapientes, quod ſponte nata interdicta eſſent in anno ſeptimo. At ſapientes dicunt: Sponte nata non ſunt interdicta ex verbis legis, ſed ex verbis ſcribarum. Si ita eſt, cur dictum eſt: *Ecce non ſeremus, neque colligemus proventum noſtrum*? Dixiſti nobis: Non ſeretis, & quod collegeritis, non inferetis ad conſervandum: Dixiſti nobis removendum eſſe. Quid comedemus a polluctura & ulterius. *Et mandabo benedictioni meæ in anno ſexto*. Non probo niſi pro ſexto, pro quinto, pro quarto, pro tertio, & pro ſecundo unde probatur? De altero in alterum annum unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *Et in anno. Et faciet proventum pro tribus annis*. Pro ſexto, pro ſeptimo, & pro exitu ſeptimi. Alia expoſitio: *pro tribus annis*. Pro ſeptimo, & pro Jubilæo, & pro exitu Jubilæi. *Et ſeretis in octavo*. Hic eſt octavus, qui eſt poſt

post intermissionem. Quando vero dicit: *Anno*. Hic est nonus post Jubilæum. *Et comedetis de proventu veteri*. Non ex inferiori. *Usque ad nonum*. Hic est nonus qui est post octavum, qui est post intermissionem. Quando vero dicit: *Anno*. Hic est decimus, qui est post nonum, & post intermissionem. *Usque in adventum proventus ejus comedetis de veteri*. Qui est undecimus respectu olivæ.

XIII. Primitivos fructus ad templum afferendos præcipitur *Deut.* XXVI. והיה כי תבוא אל הארץ אשר יהוה אלהיך נתן לך נחלה וירשתה וישבת בה ולקחת מראשית כל פרי האדמה אשר תביא מארצך אשר יהוה אלהיך נתן לך ושמת בטנא והלכת אל המקום אשר יבחר יהוה אלהיך לשכן שמו שם ובאת אל הכהן אשר יהיה בימים ההם ואמרת אליו הגרתי היום ליהוה הלהיך כי באתי אל הארץ אשר נשבע יהוה לאבתינו לתת לנו ולקח הכהן הטנא מידך והניחו לפני מזבח יהוה הלהיך וענית ואמרת לפני יהוה אלחיך ארמי אבד אבי וירד מצרימה ויגר שם במתי מעט ויהי שם לאני גדול עצום ורב וירעו אתנו המצרים ויענונו ויתנו עלינו עבדה קשה ונצעק אל יהוה אלהי אבתינו וישמע יהוה קלנו וירא את ענינו ואה עמלנו ואת לחצנו ויוצאנו יהוה ממצרים ביד חזקה ובזרע נטויה ובמרא גדל ובאתות ובמפתים ויבאנו אל המקום הזה ויתן לנו הארץ הזאת ארץ זבת חלב ודבש ועתה הנה הבאתי את ראשית פרי האדמה אשר נתתה לי יהוה והנחתו לפני יהוה אלהיך והשתחוית לפני יהוה אלאיך: *Erit autem cum impressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dat tibi in possessionem, & hæreditarie acceperis eam, & habitaveris in ea; tum accipies de primitiis omnis fructus terræ, quem inferes e terra tua, quam Dominus Deus tuus dat tibi, & pones in canistro, ibisque ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ad habitare faciendum nomen suum ibi, & venies ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis, diceque illi. Annuntio tibi hodie Domino Deo tuo, quod ingressus sum terram, quam juravit Dominus patribus nostris dare nobis. Sumetque sacerdos canistrum de manu tua, & dimittet illud coram altari Domini Dei tui. Et respondebis ac dices coram Domino Deo tuo. Pater meus, Aramæo perdituro eum, descendit in Ægyptum, & peregrinatus est illic cum viris paucis, deinde fuit illic in gentem magnam robustam ac multam. Et malefacientes nobis Ægyptii afflixerunt nos, dederuntque super nos opus durum. Ingemuimus ad Dominum Deum patrum nostrorum, & exaudivit Dominus vocem nostram, & aspexit afflictionem nostram, & angustiam nostram. Et eduxit nos Dominus ex Ægypto manu valida, & brachio extento, & terrore magno, & signis atque portentis. Et introduxit nos ad locum istum, dedit nobis terram istam, terram fluentem lacte & melle. Nunc igitur ecce attuli primitias fructus terræ, quam dedisti mihi Domine; & dimittes illud coram Domino Deo tuo, atque adorabis coram Domino Deo tuo. Siphri* 53. 3. והיה כי תבוא אל הארץ אין והיה לא מיר כי תבוא אל הארץ עשה מצוה האמורה בענין שבשכרה תיכנס לארץ אשר יי׳ אלהיך וירשת וישבת בה מה׳ שתירש תכבש ותשב ולקחת מראשית כל פרי האדמה יכול כל הפירות כולם חייבים בביכורים ת״ל מראשית ולא כל ראשית ודיין איני יודע איזה מין חייב ואיזה מין פטור הריני דן נאמר הכא ביכורי ציבור ונאמר הכא ביכורי יחיד מה ביכורי ציבור שנאמר להלן משבעת המינים אף ביכורי יחיד משבעת המינים ומה להלן חיטים ושעורים אף כאן חיטים ושעורים מניין לרבות שאר מינים ת״ל ביכורי אדמתך ריבה אחר שריבה הכתוב מיעט הא אין עליך לדון אלא כדין הראשון נאמר הכא ביכורי יחיד ונאמר הכא ביכורי ציבור מה ביכורי ציבור משבעת המינים האמורים בשבח הארץ ואילו הם חיטה ושעורה וגפן ותאינה ורימון ארץ זית שמן ודבש זית זה זית אגורי דבש זה דבש תמרי׳ מראשית אפילו אשכול אחד ואפילו גרוגרות אחת כל פרי פרי אתה מביא ביכורים ואין אתה מביא יין ושמן ביכורים האדמה פרט לעריסים ולחבורות ולסיקרקון ולגזלן שאין מביאי׳ משום שנאמר ראשית ביכורי אדמתך אמר תביא מארצך כל זמן שהם מצויים על פני ארצך יכול שאתה קורא כל זמן שאתה מביא ת״ל ואכלת ושמחת אין קריאה אלא בשעת שמחה כשתימצי לומר מעצרת ועד החג מביא וקורא מן החג ועד חנוכה מביא ואינו קורא ר׳ יהודה בן בתירה אומר מביא וקורא אשר יי׳ אלהיך נותן לך פרט לנוטע בתוך שלו ומבריך בתוך של יחיד או בתוך של רבים והמבריך מתוך של רבים או מתוך של יחיד לתוך שלו והנוטע בתוך שלו והמבריך בתוך שלו ודרך הרבים ודרך היחיד באמצע הרי זה אינו מביא רבי יהודה אומר בזה מביא מן זה הטעם אינו מביא משום שנאמר בכורי אדמתך עד שיהו כל הגדולים מאדמתך בטנא מלמד שטעונים כלי והלכת אל המקום אשר יבחר יי׳ אלהיך בו זה שילה ובית עולמים ובאת אל הכהן אשר יהיה בימים ההם זו היא שאמר רבי יוסי הגלילי וכי עלת על דעתך שתלך אצל כהן שלא היה בימיך אלא כהן שהוא כשר וכן הוא אומר אל תאמר מה היה שהימים הראשונים היו טובים מאלה אליו שאינך כפוי טובה הגרתי היום פעם אחת אתה קורא בשנה ואין אתה קורא פעמים בשנה כי באתי אל הארץ אשר נשבע יי׳ לאבותיכם פרט לגרים לתת לנו פרט לעבדים רבי שמעון אומר פרט לשבעבר הירדן שנטלו מעצמם הכהן הטנא מידך מיכן אמרו העשירי׳ מביאים ביכורים בקלתות של כסף ושל זהב ועניים בסלי נצרים

נצרים של ערבה קלופה וסלים ניתנים
לכהנים לזכות מתנה לכהנים מירך מלמד
שטעונים תנופה רבי אליעזר בן יעקב אומר
והנהתו לפני מזבח יי׳ אלהיך כל זמן שיש
לך מזבח יש ביכורים וכל זמן שאין
לך מזבח אין לך ביכורים מיכן אמרו נגנבו
או שאבדו הייב באחריותם נטמאו עזרה
בופץ ואין קורא וענית ואמרת נאמר
כאן ענייה ונאמר להלן ענייה מה להלן בלשון
הקודש אף כאן בלשון הקודש מיכן אמרו כל
מי שהוא יודע לקרות קורא וכל מי שאינו
יודע לקרות מקרים אותו נמנעו מלהביא
התקינו להיות מקרין את מי שהוא יודע
ואת מי שאינו יודע סמכו על המקרא וענית
אין ענייה אלא מפי אחרים ואמרת לפני
יי׳ אלהיך ארמי אובד אבי מלמד שלא
ירד יעקב לארם אלא לאובד ומעלה על לבן
הארמי כאלו איברו וירד מצרימה מלמד
שלא ירד להשתקע אלא לגור שם שמא
תאמר ירד ליטול בתר מלכות ת״ל ויגר שם
יכול באוכלוסין הרבה ת״ל במתי מעט כמה
שנאמר בשבעי׳ נפש ירדו אבותיך מצרימה
ויהי שם לגוי גדול מלמד שהיו ישראל
מצויינים שם וירא את עניינו כמה שנ׳
וראיתן על האבנים ואת עמלינו כמה
שנאמר כל הבן הילוד היאורה תשליכוהו וכו׳
אגדה ר׳ יהודה היה נותן בהם סימנים דצ״ך
עד״ש באח״ב ויביאנו אל המקום הזה זה בית
המקדש או יכול זה ארץ ישראל כשהוא
אומ׳ ויתן לנו את הארץ הזאת הוי אומר זו
ארץ ישראל ומה ת״ל ויביאנו אל המקום הזה
בשכר ביאתנו אל המקום הזה נותן לנו את
הארץ הזאת ארץ זבת חלב ודבש נאמר כאן
ארץ זבת חלב ודבש ונאמר להלן ארץ זבת
חלב ודבש מה להלן ארץ חמשת עממים אף
כאן ארץ חמשת עממים מיכן היה רבי יוסי
הגלילי אומר אין מביאים ביכורים מעבר
לירדן שאינה זבת חלב ודבש ועתה מיד הנה
בשמחה הבאתי משלי מראשית כל פרי
האדמה מיכן אמרו יורד אדם לתוך שדהו
ורואה תאנה שביכרה אשכול שביכר רימון
שביכר קושרים אותו בגמי ואומר הרי אילו
ביכורים אשר נתת לי יי׳ מיכן אמרו
האפוטרופוס והעבד ושליח אשה וטומטום
ואנדרוגינוס מביאים ואין קורים שאין יכול
לומר אשר נתת לי יי׳ והנחתו לפני יי׳ אלהיך
והשתחוית לפני יי׳ אלהיך מלמד שטעונים
הנפה שתי פעמים אחת בשעת קריאה ואחת
בשעת השתחואה ושמחת בכל מיני שמחות
בכל הטוב זה השיר אשר נתן לך יי׳ אלהיך
ולביתיך מלמד שאדם מביא ביכורים מנכסי
אשתו וקורא אתה והלוי והגר אשר בקרבך
מיכן אמרו ישראל ממזרים מותרים אבל לא
גרים ועבדים משוחררים שאין להם חלק
בארץ כי תכלה לעשר יכול בחנוכה
נאמר כאן קץ ונאמר להלן קץ מה קץ האמור
להלן רגל אף קץ האמור כאן רגל אי מה קץ
האמור להלן חג המצו׳ אף כאן חג המצות
נאמר להלן חג הסכות ונאמ׳ כאן חג הסוכות
תלמוד לומ׳ כי תכלה לעשר רגל שכלו בו
מעשרות חוי אומר זה פסח מיכן אמרו ערב
יום טוב של פסח האחרון של רביעית ושל

שביעית הוה ביעור השנה שלישית יכול אף
שנה שביעית תהא חייבת במעשר ת״ל בשנה
השלישית שנה שחייבת במעש׳ יצאת שנה
שביעית שאינה חייבת במעשר יכול שני
מעשרות נוהג בה אין לי אלא מעשר עני
שבו דיבר הכתוב מניין לרבות שאר מעשרות
ת״ל מעשר תבואתך ריבה ללוי לגר ליתום
ולאלמנה תן לכל אחד ואחד חלקו
ואכלו בשעריך ושבעו תן להם כדי שובעם
מיכן אמרו אין פוחתי׳ לעני בגורן מחצי קב
חיטים או קב שעורים דברי רבי יהודה רבי
אומר חצי קב בשעריך מלמד שאין מוציאים
אותו מן הארץ לחוצה לארץ אמרו משפחת
בית נבטלה הייתה בירושלם ונתנו להם
חכמים שש מאות ככרי זהב ולא רצו
להוציאם חוץ לירושלם ואמרת בכל לשון
לפני יי׳ אלהיך זה וידוי מעשר ביערתי הקודש
מן הבית זה מעשר שני ונטע רבעי וגם
נתתיו ללוי זה תרומה ותרומת מעשר לגר
ליתום ולאלמנה זה מעשר עני ולקט שכחה
ופיאה אע״פ שאין מעכבים את הוידוי ר״א
מן הבית זו חלה דבר אחר מן הבית כיון
שהפרשתו מן הבית אין את נזקק לכל דבר
ככל מצותך שאם הקדי׳ מעשר ראשון לשיני
אין בכך כלום כאשר ציויתני לא נתתיו למי
שאינו ראוי לא עברתי ממצותיך לא הפרשתי
ממין על שאינו מינו לא מן התלוש על
המחובר לא מן המחובר על התלוש ולא מן
החדש על הישן ולא מן הישן על החדש
ולא שכחתי לא שכחתי מהזכיר שמך
ולברכך לא אכלתי באוני ממנו הא אם
אכלו אינו יכול להתוודות ולא בערתי ממנו
בטמא בין שהוא טמא ואני טהור או הוא
טהור ואני טמא לא נתתי ממנו למת לא
לקחתי ממנו ארון ותכריכים למת דברי רבי
אליעזר אמר לו רבי עקיבא אם למת אם
לחי אמור מה ת״ל למת שלא החלפתי אפילו
בדבר טהור שמעתי בקול יי׳ אלהי והבאתיו
לבית הבחירה עשיתי ככל אשר ציויתני
שמחתי ושמחתי בו השקיפה ממעון קדשך
עשינו מה שגזרתה בנו עשה עמנו מה
שהבטחתנו השקיפה ממעון קדשך מן השמים
וגומ׳: *Et erit cum ingreſſus fueris terram*: Non ſignificat; *& erit*; niſi ſtatim. *Cum ingreſſus fueris terram*. Fac præceptum memoratum in ſubjecto, ut per ejus mercedem ingrediaris in terram: *Quam Dominus Deus tuus &c. & hæreditatem acceperis eam, & habitaveris in ea*. Quam hæreditabis, ſubiges & incoles. *Tunc accipies de primitiis omnis fructus terræ*. Crederem omnes fructus fuiſſe obligatos ad primitiva? Idcirco dictum eſt: *De primitiis*. Non autem omnes primitias. At nondum ſcio, quæ ſpecies obligaretur, & quæ ſpecies non obligaretur. Ecce argumentum. Memorantur hic primitiva cœtus, & memorantur ibi primitiva privati. Sic primitiva cœtus illic memorata ex ſeptem ſpeciebus, ita pariter primitiva privati ex ſeptem ſpeciebus. Sicut ibi triticum & hordeum, ita pariter hoc lo-

co

co triticum & hordeum. Unde probatur ad includendum reliquas ſpecies? Ex eo quod dictum eſt: *Primitiva terræ tuæ.* Si ſit incluſio poſt incluſionem; textus excludit. Ecce non potes differere niſi juxta primam rationem. Memorantur hic primitiva privati, pariterque memorantur primitiva cœtus; Sicut primitiva cœtus ex ſeptem ſpeciebus memoratis in laudem terræ, quæ ſunt triticum, hordeum, & vitis & ficus, & malogranatum: *Terra olivæ olei & mellis. Olivæ;* hæc eſt oliva pinguis. *Mellis*: Hoc eſt mel dactylorum. *De primitiis*; vel racemum unum, vel granum unum. *Omnis fructus.* Fructus tu afferes in primitivis; at non afferes vinum & oleum in primitivis. *Terræ.* Excludit aromata, condimenta, & rapa, quæ non afferuntur. Idcirco dictum eſt. *Principium primitivorum terræ tuæ, quod adduces ex terra tua.* Quandiu deprehendantur in ſuperficie terræ tuæ. Crederem quod legere deberes omni tempore, quo adduceres? Idcirco dictum eſt. *Et comedes & lætaberis.* Non eſt lectio niſi tempore lætitiæ. Quaſi deprehenditur quod dicas. A feſto Pentecoſtis uſque ad feſtum Tabernaculorum debet adducere & legere. A feſto Tabernaculorum uſque ad Canucha poterit adducere, at non leget. R. Jehuda ben Bethera dicit: Adducet & leget. *Quam Dominus Deus tuus dat tibi.* Excludit qui plantat in agro ſuo, & propagat in agro privati, aut in agro publico, & propagat in agro privati, aut ex agro privati in agro ſuo, & qui plantat in agro ſuo, & propagat in agro ſuo; ſi fuerit via publica, & via privata in medio, iſte non adducit. R. Jehuda dicit: Si in hunc adducit ex illo ſaporem, non adducet; quia dictum eſt. *Primitiva terræ tuæ.* Donec omnia creſcant ex terra tua. *Et pones in caniſtro.* Docemur quod requirerent vas. *Et venies ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Hic eſt Siloh & domus ſeculorum: *Et venies ad ſacerdotem qui fuerit in diebus illis.* Hoc eſt quod dicebat R. Joſe Galilæus: Putaſne quod venias ad ſacerdotem, qui non fuerit in diebus tuis? Sed deſignat ſacerdotem, qui ſit legitimus. Et ſic dictum eſt *Eccleſ.* VII. 12. *Ne dicas: Quid putas cauſæ, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc ſunt? Diceſque illi.* Quod non fueris ingratus. *Annuntio tibi hodie.* Semel in anno tu debes legere, at bis in anno non debes legere. *Quod ingreſſus ſum terram, quam juravit Dominus patribus noſtris.* Excludit peregrinos. *Dare nobis.* Excludit ſervos. Rabbi Simeon dicit. Excludit regionem trans Jordanem, quam per ſe abſtulerunt. *Sumetque ſacerdos caniſtrum de manu tua.* Hinc dixerunt. Divites adducebant primitiva in caniſtris argenteis, & aureis, & pauperes in caniſtris vimineis ex ſalicibus decorticatis, & dabant ſacerdotibus, propter meritum ſacerdotii. *De manu tua.* Docemur quod requirant ventilationem. R. Elieſer ben Jacob dicit. *Et dimittet illud coram altari Domini Dei tui.* Quandiu tibi erit altare, erunt primitiva; quandiu tibi non erit altare, non erunt primitiva. Hinc dixerunt, ſi ſurriperentur, aut amitterentur, de eorum cautione tenebatur; Si polluerentur in atrio ventilabat, at non legebat. *Et reſpondebis ac dices.* Memoratur hic reſponſio, & memoratur ibi reſponſio, ſicut ibi in lingua ſancta, ita pariter in hoc loco in lingua ſancta. Hinc dixerunt; qui ſciebat legere, legebat, qui neſciebat legere, ipſi illi legebant; at prohibuerunt adducere. Statuerunt ut legeret ille, qui ſciebat legere, & ille qui legere neſciebat, innitebatur legenti. *Et reſpondebis.* Reſponſio non erat niſi ex ore aliorum. *Ac dices coram Domino Deo tuo. Aramæo perdituro patrem meum.* Docemur quod non deſcenderit Jacob in Aram niſi ut perderetur. Et imputatur Aramæo Labani perinde ac eum perdiderit. *Et deſcendit in Ægyptum.* Docemur, quod non deſcenderit ut ibi conſiſteret, ſed ut ibi peregrinaretur. Fortaſſe dices: Deſcendit ut acciperet coronam regni. Idcirco dictum eſt: *Et peregrinatus eſt illic.* Crederem cum multis turmis? Idcirco dictum eſt. *Cum viris paucis.* Sicut dictum eſt. *Septuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, & fuit ibi in gentem magnam.* Docemur quod Iſraelitæ ibi habuerint præcepta. *Et aſpexit afflictionem noſtram.* Sicut dictum eſt *Exod. Videbitis ſuper lapides. Et anguſtiam noſtram.* Sicut dictum eſt: *Omnem filium natum projicietis illuc.* Agada. R. Jehuda dedit in illis ſigna: דצ׳כ עד׳ש באחב *Et introduxit nos ad locum iſtum.* Hæc eſt domus Sanctuarii. Aut crederem hanc fuiſſe terram Iſrael? Quando vero dicit: *Et dedit nobis terram iſtam.* Ecce terra Iſrael memorata eſt: Et cur dictum eſt: *Et introduxit nos in locum iſtum?* Propter mercedem adventus noſtris ad locum iſtum, dedit nobis terram iſtam. *Terram fluentem lacte & melle.* Pariterque dictum eſt ibi; *Terram fluentem lacte & melle.* Sicut ibi deſignat terram quinque populorum, ita pariter hoc loco deſignat terram quinque populorum. Hinc dicebat R. Joſe Galilæus. Non afferebant primitiva ex regione trans Jordanem; quia non fluebat

bat

bat lacte & melle. *Nunc igitur*. Statim; *Ecce*; in lætitia. *Attuli*. *De meo primitias omnis fructus terræ*. Hinc dixerunt. Descendet homo in agrum suum, & contemplabitur ficum quæ primum protruserit, botrum qui primum protruserit, malogranatum, quod primum protruserit; deinde ligabit junco, & dicet: Ista sunt primitiva. *Quam dedisti mihi Domine*. Hinc dixerunt: Procurator, & servus & legatus mulieris, & obstructus & androgynus afferebant, at non legebant, quia non poterant dicere. *Quam dedisti mihi Domine*. *Et dimittes illud coram Domino Deo; & te incurvabis coram Domino Deo tuo*. Docemur bis fuisse ventilanda primum tempore lectionis, & iterum tempore adorationis. *Quando compleveris decimare*. Crederem in Canuchah? Dictum est hic קץ, & dictum est ibi קץ. Sicut ibi agitur de festo, ita pariter hoc loco de festo. At sicut ibi agitur de festo azymorum, ita pariter hoc de festo azymorum. Dictum est hic festum Tabernaculorum, & dictum est ibi festum Tabernaculorum. Idcirco dictum est. *Quando compleveris decimare*. Festum, in quo complentur decimæ: Quod nam erat? Pascha. Hinc dixerunt vespera diei novissimi Paschatis anni quarti & septimi fiebat remotio anni tertii. Crederem vel annum septimum obligari ad decimam? Idcirco dictum est: *Anno tertio*: Anno, qui obligatus erat ad decimam. Excluditur annus septimus, qui non erat obligatus ad decimam. Crederem duas decimas in eo fuisse observatas? Non agit textus nisi de decima pauperis. Unde probatur ad includendum reliquas decimas? Ex eo quod dictum. *Decimam proventus tui*. Includit. *Et dabis Levitæ, peregrino, pupillo & viduæ*. Da singulis partem suam. *Ut comedant & saturentur*. Da illis ut saturari possint. Hinc dixerunt; non diminuunt pauperi in area de dimidio cabo tritici, & de cabo hordei. Verba R. Jehuda. Rabi dicit: De cabo. *In portis tuis*. Docet, quod eam non educant de terra in regiones extra terram. Dixerunt. Familia domus Nabitlah erat Hierosolymæ, & dederunt ei sapientes sexcenta talenta aurea, & noluerunt educere extra Hierosolymam. *Et dices*: qualibet lingua. *Coram Domino Deo tuo*. Hæc est confessio decimæ. *Removi sanctum e domo*: Hæc est decima secunda, & planta anni quarti: *Atque etiam dedi Levitæ*: Hæc est separatio, & separatio de decima. *Peregrino, pupillo & viduæ*: Hæc est decima pauperis, & spicilegium, manipulus oblivione relictus, & angulus; quamvis non impediant confessionem. *E domo*; hæc est placenta. Alia expositio: *E domo*: Quando separarunt e domo, ad reliquum non obligabatur. *Juxta omnia præcepta tua*; Si præcesserit decima prima secundam, nihil inservit; *sicut præcepisti mihi*: Non dedi illi, qui non fuerit dignus. *Non transgressus sum præcepta tua*. Non separavi de specie in eam quæ non sit ejus species; non de avulso pro terræ adherenti, neque de terræ adherenti pro avulso, neque de novo pro veteri, neque de veteri pro novo. *Neque oblitus sum*. Non oblitus sum memorare nomen tuum, & benedicere tibi: *Non comedi in luctu meo*: Si comedisset in luctu, non potuisset confiteri. *Neque removi de eo in impuritate*; sive illa fuerit immunda, & ego mundus, aut illa munda, & ego immundus. *Neque dedi de ea pro mortuo*. Non comparavi ex ea arcam, & involucra pro mortuo; verba R. Eliefer. Dixit illi R. Akiba; tam pro mortuo quam pro vivo erat vetitum. Cur dictum est *pro mortuo?* Quod non permutaverim vel pro re munda. *Audivi vocem Domini Dei mei*: Et adduxi eam ad domum electam. *Feci juxta ea omnia, quæ præcepisti mihi*. Lætatus sum, lætatus sum in ea. *Respice de habitaculo sanctitatis tuæ*; Fecimus quod decrevisti super nos, etiam tu fecisti, quod promisisti nobis. *Respice de habitaculo sanctitatis tuæ de cœlis &c.* Magna celebritate afferebantur ad templum primitiva. *Bicurim* cap. III. כיצד מעלין את הבכורים כל העיירות שבמעמד מתכנסות לעיר של מעמד ולנין ברחובות של עיר ולא היו נכנסין לבתים ולמשכים היה הממונה אומר קומו ונעלה ציון אל בית ה' אלהינו הקרובים מביאים התאנים והענבים והרחוקים מביאן גרגרות וצמקים והשור הולך לפניהם וקרניו מצופות זהב ועטרת של זית בראשו החליל מכה לפניהם עד שמגיעים קרוב לירושלים הגיעו קרוב לירושלים שלחו לפניהם ועטרו את בכוריהם הפחות הסגנים והגזברים יוצאים לקראתם לפי כבוד הנכנסים היו יוצאים וכל בעלי אומניות שבירושלם עומדי לפניהם ושואלין בשלומם אחינו אנשי המקום פלוני באתם לשלום החליל מכה לפניהם עד שמגיעין להר הבית הגיעו להר הבית אפילו אגריפס המלך נוטל הסל על כתפו ונכנס עד שמגיע לעזרה הגיע לעזרה ודברו הלוים בשיר ארוממך יי' כי דליתני ולא שמחת אויבי לי הגוזלות שעל גבי הסלים היו עולות ומה שבידם נותנים לכוהנים עודרו הסד על כתפו קורא: Quomodo adducunt primitiva? Omnes urbes stationariæ congregabantur in urbe stationis primariæ, & pernoctabant in plateis, non intrantes domicilia; & mane dicebat præfectus: *Surgamus, & adscendamus Sion, domum Domini Dei nostri*. Propinquiores adducebant ficus virides, & uvas

uvas, & remotiores adducebant ficus ſiccas, & paſſas. Bos vero præibat illis, cujus cornua erant auro operta, cum corona oleaginea in capite ejus, tibia reſonabat ante eos donec appropinquaſſent Hieruſalem, & quando propius accedebant Hieruſalem, mittebant ad eos, qui coronabant primitiva; duces, inſpectores, præfecti ærarii illis obviam ibant, & juxta honorem intrantium exibant, & omnes opifices, qui erant Hieroſolymæ, conſiſtebant ante eos, & ſalutabant dicendo, *Fratres noſtri filii loci N. N. venite in pace*. Tibia ante eos ſonabat, uſque dum perveniſſent ad montem templi, cum perveniſſent ad montem templi, etiam rex Agrippa levabat caniſtrum in humerum, & intrabat, donec perveniebat in atrium, poſtquam pervenerat in atrium, Levitæ canebant. *Exaltabo te Domine, quia evexiſti me, & non feciſti, ut inimici mei lætarentur de me*. Pſalm. XXX. 2. Caniſtro humero impoſito legebat.

Primitias dandas fuiſſe Sacerdotibus præcipitur *Num.* XVIII. 12. כל חלב יצהר וכל חלב תירוש ודגן ראשיתם אשר יתנו ליהוה לך נתתים בכורי כל אשר בארצם אשר יביאו ליהוה לך יהיה כל שהור בבישך יאכלנו: *Omne optimum olei, & omne optimum muſti, & tritici, primitias eorum, quas dabunt Domino, tibi dedi eas. Primitiva eorum, quæ in terra eorum, quæ afferrent Domino tibi erunt: Omnis mundus in domo tua comedet ea. Siphri* 23. 3. כל חלב יצהר כל חלב תירוש ודגן מגיד הכתוב שבשם שכלל הכתוב את קודשי מקדש לגזור דין ולכרות להם ברית כך כלל הכתוב את קדשי גבול לגזור דין ולכרות להם ברית כל חלב יצהר וכל חלב תירוש ודגן זו תרומת מעשר ראשיתם זו ראשית הגז אשר יתנו זה הזרוע והלחיים והקיבה ליהוה זו חלה ביכורי כל אשר בארצם בא הכתוב ולימד על הביכורים שתהא קדושה חלה עליהם במחובר לקרקע שביה בדין הואיל וקדושה חלת על הביכורים וקדושה חלה על התרומה אם למדתי על התרומה שאין קדושה חלה עליו בחובר לקרקע אף ביכורים לא תהא קדושה חלה עליהם במחובר לקרקע תלמוד לומר ביכורי כל אשר בארצם בא הכתוב ולימד על הביכורים שתהא קדושה חלה עליהם במחובר לקרקע שיהו נתוני לכהן כל טהור בביתך יאכל למה נאמר והלא כבר נאמר כל טהור בביתך יאכל אותו ומה תלמוד לומר כל טהור בביתך יאכלנו להביא את בת ישראל המאורסת לכהן שתהא אוכלת בתרומה משמע מביא את הארוסה או אינו מדבר אלא בנשואה כשהוא אומר כל טהור בביתך יאכלנו להביא את בת ישראל המאורסת לכהן שתהא אוכלת בתרומה משמע מביא את הארוסה ומביא את תושב ושכיר ומה אני מקיים מקרא תושב ושכיר לא יאכל בו תושב שאינו ברשותך אבל שכיר שהוא ברשותך יאכל בו ומה אני מקיים כל טהור בביתך יאכל אותו חוץ מתושב ושכיר או אף תושב ושכיר תלמוד לומר עוד במקורא אחר תושב כהן ושכיר לא יאכל קודש בין ברשותך בין שאין ברשותך וכבר שלח רבי יוחנן בן בגבג אצל רבי יהודה בנציבים אמר לו שמעתי עליך שהיתה אומר על בת ישראל המאורסת לכהן שהיא אוכלת בתרומה שלח לו ואתה הוחזקני בך שאתה בקי בחדרי תורה ולידון בקל וחומר אי אתה יודע ומה שפחה כנענית שאין קונה אותה לאכול בתרומה כספה מאבילה בתרומה בת ישראל שביאתה קונה אותה לאכול בתרומה אינו דין שיהא כסף קונה אותה שתהא אוכלת בתרומה אבל מה אעשה שהרי אמרו חכמים אין ארוסה בת ישראל אוכלת בתרומה עד שתיכנס לחופה וכנסה לחופה אף על פי שלא נבעלה אוכלת בתרומה ואם מתה בעלה יורשה: *Omne optimum olei, & omne optimum muſti, & tritici*. Oſtendit textus, quod ſicut comprehenderit ſanctitates ſanctuarii in decernendo judicio, & in feriendo fœdere, ita quoque comprehendat ſanctitates provinciæ in decernendo judicio, & in feriendo fœdere. *Omne optimum olei, & omne optimum muſti, & tritici*. Hæc eſt ſeparatio decimæ. *Primitias eorum*. Hæc eſt primitia tonſuræ. *Quas dabunt*. Hic eſt armas & maxilla. *Domino*. Hæc eſt placenta. *Primitiva omnium quæ ſunt in terra eorum*. Venit textus, & docet de primitivis quod ſanctitas in ea cadat, quando adhærent terræ. Quia erat argumentum. Quoniam ſanctitas cadit in primitiva, & ſanctitas cadit in primitias; Si percepi, de primitiis, quod ſanctitas in eas non cadat, quando terræ adhærent, ita pariter de primitivis ſanctitas in ea non cadet quando adhærent terræ. Idcirco dictum eſt: *Primitiva omnium, quæ in terra eorum*. Venit textus & docet, quod ſanctitas in ea cadat, quando terræ adhærent, & tum dentur ſacerdoti. *Omnis mundus in domo tua comedet ea*. Cur dictum eſt? Cum jam dictum ſit: *Omnis mundus in domo tua comedet illud?* Et cur dictum eſt. *Omnis mundus in domo tua comedet ea?* Ad includendum filiam Iſraelitæ, quæ deponſata eſſet ſacerdoti, quod poſſet comedere de primitiis. Ex ſenſu literali includam deſponſatam; Aut non loquitur niſi de nupta. Quando vero dicit: *Omnis mundus in domo tua comedet ea*. Ad includendum filiam Iſraelitæ deſponſatam ſacerdoti, quod comedat primitias. Ex ſenſu literali includam deſponſatam, & includam inquilinum & mercenarium. Quomodo ego explicabo tex-

textum: *Inquilinus & mercenarius non comedet de eo*. Inquilinus, qui non ſit in poteſtate tua, ſed mercenarius, qui fuerit in poteſtate tua, poterit de eo comedere. Quomodo ego explicabo: *Omnis mundus in domo tua comedet illud*? Excepto inquilino & mercenario. Aut etiam includam inquilinum & mercenarium? Idcirco dictum eſt præterea alio loco ſc. Levit. XXII. 10. *Inquilinus ſacerdotis & mercenarius non comedet ſanctum*. Miſit Rabbi Jochanan ben Bagbag ad R. Jehuda in Nezibim, dicens illi; audivi de te, quod dicas, quod filia Iſraelitæ deſponſata ſacerdoti poſſit comedere de primitiis. Miſit ad eum; quod peritus ſit in myſteriis legis, & doctus in probando argumento a minori ad majus. Num ignoras? Si ancilla Chananæa, quam non acquirit, ut ponit comedere de primitiis, ejus argentum acquirit, ut poſſit comedere de primitiis, filia Iſraelitæ, quam congreſſu acquirit, ut faciat eam comedere de primitiis; non erit æquum ut ſuo argento acquirat, ut faciat eam comedere de primitiis? Sed quid faciam? Quoniam ſapientes dicunt, quod filia Iſraelitæ deſponſata non poſſit comedere de primitiis, niſi poſtquam in thalamum ingreſſa ſit. Poſtquam ingreſſa eſt in thalamum, quamvis cum ea non congrediatur, poterit comedere de primitiis, & ſi moriatur, maritus ejus erit hæres. *Deut.* XVIII. 8. ראשית דגנך תירשך ויצהרך וראשית גז צאנך תתן לו: *Primitias tritici tui, muſti tui, & olei tui, & primitias tonſuræ ovium tuarum dedi illi*. *Siphri* ad h. l. ראשית דגנך תירושך ויורהך מלמד שאין תורמין אותן אלא מן המובחר מה מצינו בשני מינים שבאי לי אין תורמים בזה מזה כן שני מינים אין תורמים מזה על זה: *Primitias tritici tui, muſti tui, & olei tui*. Docetur quod eas non ſepararent niſi de optimo. Quid inveniamus in duabus ſpeciebus? Quod de iis non ſeparent de una in alteram, ita pariter de duabus ſpeciebus non ſeparant de una in alteram.

Decimam primam dandam fuiſſe Levitis, ut ex ea ſepararetur ſeparatio, quæ cedebat ſacerdotibus, præcipitur *Num.* XVIII. 24. ובתוך בני ישראל לא ינחלו נחלה כי את מעשר בני ישרא׳ אשר ירימו ליהוה תרומה נתתי ללוים לנחלה על כן אמרתי להם בתוך בני ישרא׳ לא ינחלו נחלה וידבר יהוה אל משה לאמר וא׳ הלוים דבר ואמרת הלהם כי תקחו מאת בני ישרא׳ את המעשר אשר נתתי לכם מאתם כנחלתכם והרמתם ממנו תרומת יהוה מעשר מן המעשר ונחשב לכם תרומתכם כדגן מן הגרן וכמלאה מן היקב כן תרימו גם אתם תרומת יהוה מכל מעשרתיכם אשר תקחו מאת בני ישרא׳ ונתתם ממנו את תרומת יהוה לאהרן הכהן מכל מתנתיכם תרימו את כל תרומת יהוה מכל חלבו את מקדש ממנו ואמרת הלהם בהרימכם את חלבו ממנו ונחשב ללוים כתבואת גרן וכתבואת יקב: *Et in medio filiorum Iſrael non hæreditabunt hæreditatem. Decimas enim filiorum Iſrael, quas ſeparant Domino ſeparationem, dedi Levitis in hæreditatem; quocirca dixi. In medio filiorum Iſrael non hæreditabant hæreditatem. Locutuſque eſt Dominus ad Moſen dicendo. Et ad Levitas loqueris & dices eis. Cum acceperitis a filiis Iſrael decimas; quas dedi vobis ab illis in hæreditatem veſtram, ſeparabitis ex eis ſeparationem Domino decimas e decimis, & reputabitur vobis ſeparatio veſtra ſicut triticum de area, & ſicut plenitudo de torculari. Sic ſeparabitis etiam ſeparationem Domino ex omnibus decimis veſtris quas acceperitis a filiis Iſrael, & dabitis ex illis ſeparationem Domini Aharon ſacerdoti. Ex omnibus donariis veſtris ſeparabitis omnem ſeparationem Domino, ex omni optimo ejus, ſanctificationem ejus ex eo. Dices illis. Quum ſeparabitis optimum ejus ex eo, reputabitur Levitis ſicut proventus areæ, & ſicut proventus torcularis*. *Siphri* ad h. l. 19. 4. ת״ל ובתוך בני ישראל לא ינהלו נחלה מאת מעשר בני ישראל אשר ירימו תרומה ליי׳ קראו המקום תרומה עד שיוצא ממנו תרומת מעשר דבר אחד בא הכתוב ללמדך שאם רצה לעשותו תרומה על מקום אהר רשאי מיכן אתה דן לתרומ׳ מה אם מעשר הקל והרי הוא נוהג בכל תרומה חמורה דין הוא מתהא נוהגת בכל ד״א ומה אם מעשר שאינו נוהג בראשית הגז הרי הוא נוהג בכל תרומה המורה דין הוא שתהא נוהגת בכל איסי בן מנהם אומר אם מעשר שאינו בא אלא מכח תלמוד ומכח יראה הרי הוא נוהג בכל תרומה חמורה דין הוא שתהא נוהגת בכל נתתי ללוים לנחלה למה נאמר לפי שהוא אומ׳ ולבני לוי הנה נתתי אין לי אלא בפני הבית שלא בפני הבית מניין תלמוד לומר לנחלה מה נחלה נוהגת בפני הבית ושלא בפני הבית אף מעשר ראשון נוהג בפני הבית ושלא בפני הבית על כן אמרתי להם למה באמר לפי שהוא אומר ובתוך בני ישראל לא ינחלו נחלה מה תלמוד לומר על כן אמרתי שיכול אין לי אלא בשעת חילוק הארץ אבל משיחלקו שומע אני יקצהלו כל שבט ושבט בפני עצמו תלמוד לומר על כן אמרתי ד״א על כן אמרתי למה נאמר לפי שנאמ׳ ונשל גוים רבי׳ מפניך אבל קיני וקניזי וקדמוני לא שמענו ת״ל על כן להזהיר בית דין על כך ואל הלוים תדבר ואמרת אליהם כי תקחו מאת בני ישראל את המעשר אשר נתתי לכם למה נאמר לפי שהוא אומר ולבני לוי הנה נתתי את כל מעשר בפירות הכתוב מדבר אתה אומר בפירות או אינו אלא באחד מעשרה בארץ ת״ל ואל הלוים

תרבר ואמרת אליהם מגיד שכפירו׳ הכתוב
מדבר לפי שלא ניתן להם חלק בארץ ניתן
להם אחד מעשר בפירות הרמותם ממנו ממין
על מינו ולא ממין על שאינו מינו והרמותם
ממנו מופנ׳ להקיש ולדון ממנו גזירה שוה
והרמותם ממנו שלא יתרום מן המחובר על
התלוש ולא מן התלוש על המחובר ולא מן
החרש על הישן ולא מן הישן על החרש
והרמותם ממנו שלא יתרום מפירות הארץ
על פירות חוצה לארץ ולא מפירות חוצה
לארץ על פירות הארץ תלמוד לו׳ וכל מעשר
הארץ שלא יתרום מפירות הארץ על פירות
חוצה לארץ ולא מחוצה לארץ על פירות
הארץ והרמותם ממנו תרומת יי׳ וכי מה
למדנו לתרומת מעשר מעתה אלא הרי זה
בא ללמד ונמצא למד מה תרומה מעשר
חובה אף מעשר ראשון חובה ונחשב לכם
תרומתכם כדגן מן הגורן וכמלאה מן היקב
רבי ישמע׳ אומ׳ אימתי נחשבת לכם תרומ׳
כשהפרשתם אותה כראוי לא הפרשתם אותה
כראוי לא נחשב לכם תרומה אבא אלעזר
בן גמליאל אומר בא הכתוב ללמדך שכשם
שהתרומה עולה במרה כך עולה באומד
ובמחשבה כדגן מן הגורן וכמלאה מן היקב
למה נאמר לפי שהוא אומר והרמותם ממנו
שומע אני יתרום שבלים של חיפים וענבים
מן היין וזתים מן השמן תלמוד לומר בדגן
מן הגורן מן הגמור מיכן אמרו התבואה
משתמרת והיין משתקפה והשמן משירד לעוקה
כן תרימו גם אתם תרומת יי׳ למה נאמר
לפי שהוא אומר ואל הלוים תדבר ואמרת
אליהם ישראל נותנים תרומה ללוים אבל
כהנים אין נותנים מעשר ללוים הואיל ואין
נותנים מעשר ללוים שומע אני יהיו אוכלים
אותו בטיבולו תלמוד לומר כן תרימו גם
אתם תרומת יי׳ ר׳ ישמעאל אומר אין צריך
מה חלה שאינה נוהגת בכל הפירות נוהגת
בפירות כהני׳ מעשר שנוהגת בכל הפירות
אינו דין שינהוג בכל פירות כהני׳ ומה תלמוד
לומר כן תרימו גם אתם מכל מעשרותיכם
בא הכתוב ולימד על מעשר שהוא נוהג בכל
איסי בן עקביא אומר אם מעשר הקל הרי
הוא נוהג בכל תרומה חמורת דין שתהא
נוהגת בכל דבר אחר אם מעשר שאינו
נוהגת בראשית הגז הרי הוא נוהג בכל.
תרומה חמורה אינו דין שתהא נוהגת בכל
איסי בן מנחם אומר אם מעשר שאינו בא
אלא מכח יראה ומכח תלמוד הרי הוא
נוהג בכל תרומה חמורה דין הוא שתהא
נוהגת בכל ונתתם ממנו תרומת יי׳ לאהרן
הכהן מה אהרן חבר אף כהנים חבירים
מיכן אמרו אין נותנים מתנות אלא לחבר
מכל מתנותיכם תרימו את תרומת יי׳ מכל
חלבו את מקדשו ממנו בתרום׳ גדולה
הכתוב מדבר או אינו מדבר אלא בתרומת
מעשר אמור הא מה תלמוד לו׳ תרימו את
תרומת יי׳ בתרומה גדולה הכתוב מדבר דברי
ר׳ יאשיה רבי יונתן אומר לפי שהוא אומר
ראשית דגנך תירושך ויצהריך חובה אתה
אומר חובה או אינו אלא רשות תלמוד לומר
תרימו את כל תרומת יי׳ הובה ולא רשות
מכל חלבו את מקדשו ממנו שאם כפל

לתוכו חרי הוא מקדשו מיכן אמרו תרומה
עולה באחד ומאה אין לי אלא תרומה
טהורה טמיאה מניין אמרת קל וחומר הוא
אם יעלה היתר את האיסור קל וחומ׳ את
האיסור להיתר רבי אומר אין צריך קל וחומר
הוא אם עלה איסור מן המותר לחיתר קל
ומוחר מן המותר למותר להתיר אין לי אלא
תרומה שהיא עולה ערלה וכלאי הכרם מניין
נאמ׳ כאן מליאה ונאמ׳ להלן מליאה מה
להלן שהיא עולה אף כאן שהיא עולה אי
מה להלן במאה ואחר אף כאן במא׳ ואחר
אמרת מקום שכפל את האיסור כפל את
העלאה מקום שלא כפל את האיסור לא
כפל העלאה מיכן אמרו תרומה עולה באחד
ומאה ערלת וכלאי הכרם באחד ומאתים
ואמרת אליהם בהרימכם את חלבו ממנו
ונחשב ללוים כתבואת גורן וכתבואת יקב
הרי זה אזהרה לבית דין שלא יהיו תורמים
אותו אלה מן המחובר ונחשב ללוים למה
נאמר לפי שהוא אומר והרמותם ממנו
תרומת יי׳ שומע אני הואיל וקראו הכתוב
תרומה תהא בקרושת עולמית תלמוד לומר
ונחשב ללוים מה תרומת גורן מפריש
תרומה ושאר חולין אף מעשר ראשון מפריש
תרומה ושאר חולים ואכלתם אותו בכל
מקום אפילו בקבר שהיה ברין הואיל ותרומה
קרויה תרומה ומעשר ראשון קרוי תרומה אם
למדתי לתרומה שאין נאכלת אלא במקום
אחד טהור אף מעשר ראשון לא יהיה נאכל
אלא במקום טהור תלמ׳ לומ׳ ואכלתם אותו
בכל מקום אף בקבר אתם ובתיכם להביא
את בת ישרא׳ המאורסת ללוי שנותנת רשות
כי שכר הוא לכם אם עבר יטול אם לא
עבר לא יטול מיכן אמרו בן לוי שקיבל עליו כל
עבודת לויה חיץ מדבר אחד אין לו חלק בלויה:

Et in medio filiorum Iſrael non hæreditabunt hæreditatem. Ex decimis filiorum Iſael cum ſeparabunt ſeparationem Domino. Vocat illam Deus ſeparationem, donec ex ipſa educatur ſeparatio decimæ. Alia expoſitio. Venit textus ad te docendum, quod ſi velit facere ſeparationem ex alio loco, liceat. Hinc tu argumentaris pro ſeparatione. Si decima quæ eſt levis obſervatur in omnibus, ſeparatio quæ eſt gravis, æquum erit ut in omnibus obſervetur. Hiſſi ben Menachem dicit: Si decima quæ non venit niſi propter doctrinam, & timorem, obſervatur in omnibus, ſeparatio quæ eſt gravis, æquum erit ut obſervetur in omnibus. *Dedi Levitis in hæreditatem*. Cur dictum eſt? Quia dictum eſt. *Et filiis Levi ecce dedi*. Non probo niſi ſtante domo, ſi non ſit domus unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *In hereditatem*. Sicut hæreditas obſervatur tam ſtante domo, quam non ſtante domo, ita pariter decima prima obſervanda erit tam ſtante quam non ſtante domo. *Quo circa dixi eis*. Cur dictum eſt? Quia dictum eſt: *Et in medio filiorum Iſrael non hæreditabunt hæreditatem*.

tem. Cur dictum est: *Quocirca dixi eis*? Crederem non posse probari nisi tempore divisionis terræ; post ejus divisionem crederem ab singulis tribubus fuisse seorsim illis assignandam partem? Idcirco dictum est: *Quocirca dixi eis*. Alia expositio. *Quocirca dixi eis*. Cur dictum est? Quia dictum est. *Deut*. XII. 1. *Et expellet gentes multas a facie tua Keni*, & *Kenisi* & *Kadmoni*. Non intelligimus: Idcirco dictum est. *Quocirca dixi*. Ad præmonendum de hoc Synhedrium: *Et ad Levitas loqueris* & *dices eis*. *Cum acceperitis a filiis Israel decimas*, *quas dedi vobis*. Cur dictum est? Quia dictum est: *Et filiis Levi ecce dedi omnes decimas*. De fructibus textus loquitur. Tu dicis fructibus. Aut non loquitur nisi de una ex decem partibus terræ. Idcirco dictum est. *Et ad Levitas loqueris*, & *dices eis*. Ostendit, quod textus de fructibus loquatur. Quoniam ipsis non data fuit pars in terra, data est una ex decem partibus fructuum. *Separabitis ex eis*: De specie in speciem. Non autem de specie in eam quæ non sit ejus species. *Et separabitis ex eis*. Superfluum est ut demonstretur, & probetur ex eo a pari. *Et separabitis ex eis*. Ne separet de terræ adhærente pro avulso, neque de avulso pro terræ adhærente, neque de novo pro veteri, neque de veteri pro novo. *Et separabitis ex eis*. Ne separet de fructibus terræ, pro fructibus extra terram, neque de fructibus extra terram pro fructibus terræ. Idcirco dictum est: *Et omnes decimas terræ*. Ne separet de fructibus terræ pro fructibus extra terram, neque de fructibus extra terram pro fructibus terræ. *Et separabitis ex eis separationem Domino*. Quid? Num modo percipimus de separatione decimæ? Sed venit ad docendum, & deprehenditur, quod addiscat. Sicut separatio decimæ ex debito, ita pariter decima prima ex debito. *Et reputabitur vobis separatio vestra sicut triticum de area*, & *sicut plenitudo ex torculari*. R. Ismael dicit: Quando reputabitur vobis separatio? Quando separata fuerit juxta institutum. Si non separabitis juxta institutum, non reputabitur vobis separatio. Aba Elieser ben Gamaliel dicit. Venit textus ad te docendum. Sicut separatio fit mensura, ita pariter fit supputatione, & æstimatione. *Sicut triticum ex area*, & *sicut plenitudo ex torculari*. Cur dictum est? Quia dictum est. *Et separabitis ex eo*. Crederem quod separaret spicas ex tritico, & uvas ex vino, & olivas ex oleo? Idcirco dictum est: *Sicut triticum ex area*. Ex perfecto. Hinc dixerunt; proventus postquam fuerit ventilatus, vinum postquam fuerit despumatum, & oleum postquam descenderit in foveam. *Sic separabitis etiam separationem Domino*. Cur dictum est? Quia dictum est: *Et ad Levitas loqueris*, & *dices eis* Israelitæ dabunt separationem Levitis, at sacerdotes non dabunt decimam Levitis. Quoniam non dant decimam Levitis, crederem quod comederent indecimatum? Idcirco dictum est. *Sic separabitis etiam vos decimam Domino*. R. Ismael dicit: Non est necesse. Si placenta quæ non observatur in omnibus fructibus, observatur in fructibus sacerdotum, decima quæ observatur in omnibus fructibus, non erit æquum ut observatur in omnibus fructibus sacerdotum? Cur igitur dictum est: *Sic separabitis etiam vos ex omnibus decimis vestris*? Venit textus & docet, quod decima observetur in omnibus. Hissi ben Akiba dicit. Si decima quæ est levis, observatur in omnibus, separatio quæ est gravis, æquum erit ut observetur in omnibus. *Et dabitis ex eis separationem Domini Aharon sacerdoti*. Sicut Aharon erat sapiens, ita pariter sacerdotes erunt sapientes. Hinc dixerunt: Non dabunt dona nisi sapienti. *Ex omnibus donariis vestris separabitis separationem Domino*; *ex omni optimo ejus*, *sanctificationem ejus ex eo*. De separatione magna textus loquitur. Aut non loquitur nisi de separatione decimæ? Quando vero dicit. *Ex omnibus decimis vestris*. Ecce separatio decimæ jam dicta est. Cur igitur dictum est: *Separabitis separationem Domino*? De separatione magna textus loquitur. Verba R. Josia. R. Jonathan dicit. Quia dictum est *Deut*. XVIII. 4. *Primitias tritici tui*, *musti tui*, & *olei tui*. Ex debito; tu dicis ex debito; aut non erit nisi ex arbitrio. Idcirco dictum est: *Separabitis omnem separationem Domino*. Ex debito, non ex arbitrio. *Ex omni optimo ejus*, *sanctificationem ejus ex eo*. Si in illud cadat, sanctificat. Hinc dixerunt: separatio facit ascendere in uno & centum. Non probo nisi de separatione munda, de immunda unde probatur? Dixisti? Argumento a minori ad majus. Si facit adscendere licitum illicitum, multo magis illicitum licitum. Non probo nisi de separatione, quod faciat adscendere, de præputio arborum, & de heterogeneis vineæ unde probatur? Dictum est *hic plenitudo*, & dictum est *Deut*. XXII. 9. *plenitudo*; sicut illic facit adscendere, ita pariter hoc loco facit adscendiere; sicut illic in centum & uno, ita pariter hoc loco. Dixisti? Ubi duplicavit interdictum, duplicavit ascensionem, ubi non duplicavit interdictum, non duplicavit ascensionem. Hinc dixe-

dixerunt. Separatio facit adſcendere in uno & centum, præputium & heterogenea vineæ in uno & ducentum. *Et dices eis: Quum ſeparabitis optimum ejus ex eo, & reputabitur Levitis ſicut proventus areæ, & ſicut proventus torcularis.* Ecce præmonitio Synhedrio; ne ſepararetur niſi ex optimo. *Et reputabitur Levitis.* Quia dictum eſt: *Et ſeparabitis ſeparationem Domino.* Crederem quoniam textus appellat ſeparationem quod eſſet in ſanctitate perpetua? Idcirco dictum eſt: *Et reputabitur Levitis.* Sicut in ſeparatione areæ ſeparatur ſeparatio, & reliquum eſt profanum, ita pariter in decima prima ſeparatur ſeparatio, & reliquum erat profanum: *Et comedetis eam in omni loco.* Vel in ſepulcro. Quia erat augmentum. Quoniam ſeparatio vocatur ſeparatio, & decima prima vocatur ſeparatio; ſi percepi quod ſeparatio non comedatur niſi in loco puro, ita pariter decima prima, non erat comedenda niſi in loco puro: Idcirco dictum eſt: *Et comedetis eam in omni loco.* Vel in ſepulcro. *Vos & domus veſtræ.* Ad includendum filiam Iſraelitæ quæ deſponſata ſit Levitæ, quod ei permiſſionem dare poterit. *Quia merces illa vobis.* Si miniſtret accipiet, ſi non miniſtret, non accipiet. Hinc dixerunt: Si filius Levitæ accipiat ſuper ſe omnia miniſteria Levitarum, excepto uno, non eſt illi pars in ordine Levitico.

De decima ſecunda præcipitur *Deut.* XIV. 22. עשר תעשר את כל תבואת זרעך היצא השדה שנה שנה ואכלת לפני יהוה אלהיך במקום אשר יבחר לשכן שמו שם מעשר דגנך תירושך ויצהרך ובכרת בקרך וצאנך למען תלמד ליראה את יהוה אלהיך כל הימים וכי ירבה ממך הדרך כי לא תוכל שאתו כי ירחק ממך המקום אשר יבחר יהוה אלהיך לשום שמו שם כי יברכך יהוה אלהיך ונתתה בכסף וצרת הכסף בידך והלכת אל המקום אשר יבחר יהוה אלהיך בו ונתתה הכסף בכל אשר תאוה נפשך בבקר ובצאן וביין ובשכר ובכל אשר תשאלך נפשך ואכלת שם לפני יהוה אלהיך ושמחת אתה וביתך והלוי אשר בשעריך לא תעזבנו כי אין לו חלק ונחלה עמך: *Decimando decimabis omnem proventum ſeminis tui egredientem agro quotannis, & comedes coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit ad habitationem capere faciendum nomen ſuum ibi, decimam tritici tui, muſti tui, & olei tui, & primogenita boum tuorum, & ovium tuarum, ut diſcas timere Dominum Deum tuum omnibus diebus. Quum vero multa fuerit a te via; quominus poſſis ferre illam quod procul abſit a te locus quem elegerit Dominus Deus tuus ad ponendum nomen ſuum ibi; quum benedixerit Dominus Deus tuus, tunc dabis eam pro argento, & crumenæ inditum accipies argentum in manu tua, & ibis ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Et dabis argentum pro omni quod deſideravit anima tua, pro bobus & pro ovibus, & pro ſicera, pro cunctis denique quæ petieris anima tua, & comedes ibi coram Domino Deo tuo & lætaberis, tu & domus tua; & Levitam, qui fuerit intra portas tuas non derelinques, quia non eſt ei portio ac hæreditas tecum. Siphri* 42. עשר תעשר מלמד שאין מעשרים משנה לחבירתה אין לי אלא מעשר שיני שבו דיבר הכתו׳ מניין לרבות שאר מעשרות ת״ל עשר תעשר מניין למעשר בהמה שאין מעשרים אותה משנה לחבירתה ת״ל עשר תעשר את כל תבואת זרעך היוצא השדה שנה שנה ר׳ שמעון בן יהודה או׳ משום ר׳ שמעון מניין למעשר בהמה שהוא בעמוד ועשר ת״ל עשר תעשר יכול דבר שנידולו מן הארץ כגון סטים וקוצה יהיה חייב במעשר ת״ל עשר תעשר ואכלת יכול אף דבש והלב ת״ל היוצא השדה שנה שנה אמור מעתה דבר היוצא מרשות שדה מכלל שנ׳ ואכלת לפני יי׳ אלהיך במקום אשר יבחר לשכן שמו שם מעשר דגנך תירושך ויצהריך יכול אין לחייב אלא על דגן תירוש ויצהר מניין לרבות שאר פירות ת״ל תבואת זרעך יאמר זה שאלמלא כן הייתי או׳ מה תבואה מיוחדת שמכניסה לקיו׳ ודרכה לאכל במות שהיא אף אני ארבה אלא כיוצא בה הא מה אני מרבה את האורז ואת הרוחן ואת הפרגי׳ ואת השומשמי׳ מניין לרבות שאר קיטניות ת״ל עשר תעשר מרבה אני את הקיטניות שדרכו להאכיל כמות שהם ועדיין לא ארבה את התרמוסים ואת החרדל שאין דרכם להאכיל כמות שהם ת״ל עשר תעשר יכול אעפ׳ שלא השרישו ת״ל ואכלת מניין לרבו׳ ירקות למעשרות מזרע הארץ ת״ל וכל מעשר הארץ לרבות מזרע הארץ לרבות שום ושיחליים וגרגיר יכול שאני מרבה לפת צונות והרעוני גינה שאינן נאכלים ת״ל מזרע הארץ ולא כל זרע הארץ מפרי העץ לרבו׳ פירות האילן יכול שאני מרבה חרובי שיטה והרובי צלמונ׳ וחרובי גירודא שאין נאכלים ת״ל מפרי העץ ולא כל פרי העץ מנין שאדם מעשר את שאוכל ת״ל תעשר מנין שזורע ת״ל הוצא השדה יכול אעפ׳ שלא נגמרה מלאכתו בשדה ת״ל כרגן מן הגורן והרי היא כשדה וכמלאה מן היקב עד שהיקב בשדה יכול יהיה אדם אוכל אכילת עראי בשדה ת״ל עשר תעשר מנין שזורע ת״ל היוצא השדה מניין שכונס ת״ל תבואת זרעך אמרו חרבו חנויות בני חנן שלש שני׳ קודם לארץ ישר׳ שהיו מוציאים פירותיהם מיד מעשר דורשים לומר עשר תעשר ואכלת ולא מוכר תבואת זרעך ואכלת לפני יי׳ אלהיך במקום אשר יבחר רבי יוסי אומר ג׳ דברים משום ג׳ זקינים ר׳ עקיבא אומ׳ יכול יהיה אדם מעלה בכורו׳ מחוצה לארץ לארץ ת״ל ואכלת לפני יי׳ אלהיך במקום אשר יבחר ממקום שאתה מביא

מביא מעשר דגן אתה מביא בכורות
מהוצה לארץ שאי אתה מביא מעשר דגן
אי אתה מביא בכורות שמעון בן זומא אומר
יכול כשם שנתנה תורה מחיצה בין קדשי
קדשים לקדשי׳ קלים כך נתנה תורה מחיצה
בין בכור למעשר שיני ודין הוא בכור טעון
הבאת מקום מה בכור אינו נאכל אלא
לפנים מן החומה אף מעשר שיני אינו
נאכל אלא לפנים מן החומה מה לבכור
שכן מיעט מקו׳ אכילתו שכן מיעט זמן
אכילתו תאמר במעשר שיני שריבה זמן
אכילתו הואיל וריבה זמן אכילתו ירבה מקום
אכילתו ת״ל ואכלת לפני יי׳ אלהיך במקום
אשר יבחר מה בכור אינו נאכל אלא לפני׳
מן החומה אף מעשר אינו נאכל אלא
לפנים מן החומה ר׳ שמעון אומר יכול יהיה
אדם מעלה מעשר שיני בזמן הזה ואוכלו
ודין הוא בכור ומעשר טעוני׳ הבאת מקום
מה בכור אינו נאכל אלא בפני הבית אף
מעשר שיני אינו נאכל אלא בפני הבית לא
אם אמרת בבכור שכן יש ממנו דמים
ואמורי׳ למזבח תאמ׳ במעשר שיני שאין
ממנו דמים ואימורים למזבח בכורים יוכיחו
שאין בהם דמים ואמורים ואין נאכלי׳ אלא
בפני הבית לא אם אמרת בבכורים שכן
טעונים הנחה לפני המזבח תאמר במעשר
שיני שאין טעון הנחה לפני המזבח ת״ל
ואכלת לפני יי׳ אלהיך במקום אשר יבחר
מקיש בכור למעשר שיני מה בכור אינו
נאכל בפני הבית אף מעשר שיני אינו
נאכל בפני הבית אחרי׳ או׳ יכול בכור שעבר
זמנו משנה לחבירתה יהיה פסול כפסולי
המוקדשים ת״ל ואכלת לפני יי׳ אלהיך במקום
אשר יבחר מקיש בכור למעשר שיני מה
מעשר שיני נאכל משנה לחבירתה אף בכור
נאכל משנה לחבירתה כי ירבה ממך הדרך
יכול ברחוק זמן הכתוב מדבר ת״ל כי ירבה
ממך הדרך ברחוק מקום הכתוב מדבר
ולא ברחוק זמן אין לי אלא שהוא מרובה
מניין אפי׳ למועט ת״ל כי לא תוכל שאתו
אין לי אלא עני עשיר מניר מניין ת״ל כי
יברכך יי׳ אלהיך ונתתה בכסף מלמד שאין
מתחלל אלא על הכסף ומנין לעשות שאר
מטבע בכסף ודין הוא הואיל והקדש מתחלל
על הכסף ומעשר שיני מתחלל מה הקדש
עשה בו שאר מטלטלים ככסף אף מעשר
שני עשה בו שאר מטבע ככסף מה להקדש
שעשה בו שאר מטלטלים ככסף תאמר
במעשר שלא עשה בו שאר מטלטלים ככסף
שנ׳ ונתתה בכסף וצרתה הכסף בידך דבר
שרכו ליצרר דברי רבי ישמעאל ר׳ עקיבא
אומ׳ דבר שיש בו צורה פרט לאסימון שאין
עליה צורה בידך פרט לכשיצא חוץ מרשותך
והלכת אל המקו׳ אשר יבחר יי׳ אלהיך בו
זו שילה ובית עולמים ונתתה הכסף בכל
אשר תאוה נפשך ר׳ יהודה אומר יכול הלקוח
בכסף מעשר שנטמא טעון פריון ודין הוא
ומה מעשר שיני שנטמא הרי הוא נפדה
הלקוח בכסף מעשר שנטמא אינו דין שיפדה
ת״ל כסף כסף ראשון ולא כסף שיני
נ׳ כספי׳ נא׳ בענין אחר למעשר טהור ונא׳
ללקוח בכסף מעשר בכל אשר תאוה נפשך

בבקר ובצאן יכול בעבדי׳ ושפחות וקרקעות
ת״ל בבקר ובצאן אין לי אלא אכילה שתייה
מנין ת״ל ביין ובשכר אין לי אלא אכילה
ושתייה מנין אף משביחי אוכלים ושתייה כגון
הקושט והחימום וראשי בשמים והתיאה
והחילתית והפילפלים וחלות הריע ת״ל
בכל אשר תשאלך נפשך יכול אף מים ומלח
ת״ל בבקר ובצאן ביין ובשכר מה אילו
מיוחדים שהם פרי מפרי וגידולו מן הארץ
אף אין לי אלא פרי מפרי וגידולו מן האר׳
בן בגבג או׳ בבקר ואכלת פרה ע״י עורה
בצאן ולקחת רחל על ידי גיזתה ביין ולקחת
חבית על ידי קנקנה ובשכר ולקחת תמד
משת חמץ יכול יקח בהמה למשתה בנו הרי
אתה דן נא׳ כאן שמחה ונא להלן שמח׳ מה
שמחה האמור כאן שלמי׳ אף שמחה האמור
להלן שלמי׳ אי מה שמחה האמור להלן עולה
ושלמים אף שמחה האמורה כאן עולה ושלמי׳
ת״ל ואכלת ושמח׳ שמחה שיש עמה אכילה
יצאו עולות שאין עמם אכילה והלוי אשר
בשעריך לא תעזבנו בכל מקו׳ שאתה מוצא
לוי הזה תן לו מחלקו אין לו חלקו תן לו
מעשר שיני אין לו מעשר שיני תן לו מעשר
עני אין לו מעשר עני תן לו שלמים אין
לו שלמים פרנסהו מן הצדקה שנ׳ ובא הלוי
כי אין לו חלק ונחלה עמך להגיד מה גרם :

Decimando decimabis. Docemur quod non decimarent de altero in alterum annum. Non probo niſi de decima ſecunda, de qua loquitur textus, unde probatur ad includendum ceteras decimas? Ex eo quod dictum eſt: *Decimando decimabis*. Unde probatur de decima jumenti, quod non decimaretur de altero in alterum annum? Ex eo quod dictum eſt: *Decimando decimabis omnem proventum ſeminis tui egredientem agro quotannis*. R. Simeon ben Jehuda dicit nomine R. Simeonis. Unde probatur decimam jumenti juberi præcepto: ſurge & decima? Ex eo quod dictum eſt: *Decimando decimabis*. Crederem fuiſſe decimandum quod creſcit ex terra, e. g. Indicum & rubiam? Idcirco dictum eſt: *Decimando decimabis, & comedes*. Crederem vel mel & lac? Idcirco dictum eſt: *Egredientem ex agro quotannis*. Dic igitur, quod egreditur de poteſtate agri. Generaliter dictum eſt: *Et comedes coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit Dominus ad habitationem capere faciendum nomen ſuum ibi*. Crederem quod non teneretur niſi pro tritico, muſto & oleo? Unde probatur ad includendum reliquos fructus? Ex eo quod dictum eſt: *Proventum ſeminis tui*. Si non dixiſſet, ego ita dicere potuiſſem. Sicut proventus eſt peculiaris, qui colligitur ut conſervetur, & comedi ſolet, ſicuti eſt, ita pariter ego his ſimilia includam. Ecce ego includo oryzam, milium & ſeſamum. Unde probatur ad includendum cetera legumina? Ex eo quod dictum eſt: *Decimando decima-*

ma-

mabis. Crederem vel si radices non egerint? Idcirco dictum est: *Et comedes*: unde probatur fuisse olera decimanda? Ex eo quod dictum est: *Et omnem decimam terræ; de semine terræ*; ad includendum allium, & ficus immaturas, & caricas. Crederem posse includere rapum, raphanos, & semina horti, quæ non comeduntur? Idcirco dictum est: *De semine terræ*. Non autem de omni semine terræ. *De fructu arboris*. Ad includendum fructus arboris. Crederem posse includere siliquas sylvestres, & siliquas Sulmona, & siliquas siccas quæ non comeduntur? Idcirco dictum est: *De fructu arboris*. Non autem de omni fructu arboris. Unde probatur quod homo decimare debeat, quod comedit? Ex eo quod dictum est. *Decimabis*. Unde probatur quod debeat decimare quod serit? Ex eo quod dictum est: *Egredientem agro*. Crederem vel si non fuerit absolutum ejus opus in agro? Idcirco dictum est *Num.* XVIII. 27. *Sicut triticum de area*. At ecce illud est in agro: *Et sicut plenitudo de torculari*. Donec sit torcular in agro. Crederem quod homo possit comedere accidentaliter in agro? Idcirco dictum est: *Decimando decimabis*. Unde probatur de serente? Ex eo quod dictum est: *Egredientem agro*. Unde probatur de colligente? Ex eo quod dictum est: *Proventum seminis tui*. Dixerunt: Devastarunt officinas filii misericordiæ triennio antequam terra Israel devastaretur, quia eduxerunt fructus suos de potestate decimæ, & exposuerunt, dicendo: *Decimando decimabis; & non vendes proventum seminis tui. Et comedes coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit*. Tres res nomine trium seniorum. R. Akiba dicit: Crederem quod homo faciat adscendere primogenita, quæ sunt extra terram, in terram? Idcirco dictum est: *Et comedes coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit*. Ex eo loco unde adducis decimam tritici, adducis primogenita: Ex locis extra terram sicut non adducis decimam tritici, ita pariter non adduces primogenita. Simeon ben Zoma dicit. Crederem quod sicut lex assignavit sepimentum inter sanctitates sanctitatum & sanctitates leves, ita pariter assignaverit sepimentum inter primogenitum & decimam secundam? Et probari potest argumento. Primogenitum adducendum erat ad locum, sicut primogenitum non comedebatur nisi intra murum, ita pariter decima secunda non erat comedenda nisi intra murum. Si dicis in primogenito, in quo diminuitur locus ejus comestionis, quia diminuitur tempus ejus comestionis, dices de decima secunda in quo prorogatur tempus comestionis? Quoniam prorogatur tempus ejus comestionis, producetur tempus locus ejus comestionis: Idcirco dictum est: *Et comedes coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit*. Sicut primogenitum non comeditur nisi intra murum, ita pariter decima non comedenda erat nisi intra murum. R. Simeon dicit: Crederem quod homo possit offerre decimam secundam hoc tempore, & comedere? Et probari potest argumento. Primogenita & decima adducenda erant ad locum. Sicut primogenitum non poterat comedi nisi stante domo, ita pariter decima secunda non poterit comedi nisi stante domo. Minime; si dixisti de primogenito, de quo offerendi erant adipes & sanguines altari, dices de decima secunda, de qua non erant offerendi adipes & sanguines altari? Primitiva probent, ex quibus licet non essent offerendi sanguines & adipes, tamen non comedebantur nisi stante domo. Minime. Si dixisti de primitivis, quæ ponenda erant coram altari, dices de decima secunda, quæ non erat ponenda coram altari? Idcirco dictum est. *Et comedes coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit*. Æquiparat primogenitum decimæ secundæ, sicut primogenitum non comedebatur nisi stante domo, ita pariter decima secunda non erit comedenda nisi stante domo. Alii dicunt: Crederem primogenitum, cujus tempus præterierit de altero in alterum annum fuisse profanatum, sicut profana sanctificatorum? Idcirco dictum est. *Et comedes coram Domino Deo tuo in loco quem elegerit*. Æquiparat primogenitum decimæ secundæ; sicut decima secunda non comedebatur nisi de anno in alterum annum, ita pariter primogenitum non erat comedendum nisi de anno in alterum annum. *Quum vero multa fuerit a te via*. Crederem quod de distantia temporis textus loquatur? Idcirco dictum est: *Quum vero multa fuerit a te via*. De distantia loci textus loquitur, non autem de distantia temporis. Non probo nisi quando fuerit multa, quando fuerit pauca, unde probatur? Ex eo quod dictum est. *Quo minus possis ferre illam*. Non probo nisi de paupere, de divite unde probatur? *Quum benedixerit tibi Dominus Deus tuus, tunc dabis eam pro argento*. Docemur quod non profanaretur nisi argento. Et unde probatur considerandos fuisse ceteros nummos sicut argentum? Argumento. Quoniam sanctitas profanatur argento, & decima secunda profanatur argento. Sicut in sanctitate considerantur cetera mobilia, sicut argentum, ita pariter in deci-

ma

ma secunda considerandi erunt cetera nummi sunt argentum. Si in sanctitate considerantur cetera mobilia sicut argentum, dices de decima secunda, in qua non considerantur cetera mobilia, sicut argentum? Idcirco dictum est. *Tunc dabis eam pro argento. Et erit ligatum argentum in manu tua*. Quod solet ligari. Verba R. Ismaelis. R. Akiba dicit. Id in quo sit figura. Excludit argentum rude, in quo non est figura. *In manu tua*. Excludit quando sit eductum de potestate tua. *Et ibis ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Hic est Siloh & domus seculorum. *Et dabis argentum pro omni quod desideraverit anima tua*. R. Jehuda dicit. Crederem quod emens argento decimam quæ polluta fuerit deberet redimere? Et probari potest argumento. Si decima quæ polluta fuerit, redimitur, emens argento decimam, quæ polluta sit, non erit æquum ut redimat? Idcirco dictum est: *Argento, argento*. Argento, primo, non autem argento secundo. Tria argenta memorata sunt in subjecto. Unum pro decima munda, & alterum pro decima immunda, & alterum pro emente decimam. *Pro omni quod desideraverit anima tua pro bobus & pro ovibus*. Crederem pro servis, ancillis & agris? Idcirco dictum est: *Pro bobus & pro ovibus*. Non probo nisi de cibo, de potu unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Pro vino & pro sicera*. Non probo nisi de cibo & potu, de conditura ciborum, & potus, ut sunt costus, & cinamomum, & summitates aromatum, & laser & laserpitium, & piper & assa fœtida unde probatur? Ex eo quod dictum est. *Pro omni quod desideraverit anima tua*. Crederem vel aquas & salem? Idcirco dictum est: *Pro bobus, & pro ovibus, pro vino & pro sicera*. Sicut ista sunt peculiaria, quæ sunt fructus, qui producuntur & crescunt ex terra, ita pariter ego non probo nisi de fructibus qui producuntur & crescunt ex terra. Ben Bagbag dicit. *Pro bobus, & emes* vaccam propter ejus pellem; *Pro ovibus: Et emes* ovem propter ejus tonsuram: *Pro vino, & emes* dolium propter ejus amphoram: *Et pro sicera, & emes* vinacea, postquam fermentaverint. Crederem quod posset emere animal pro convivio filii sui? Ecce tibi argumentum: Memoratur hic lætitia, & memoratur ibi lætitia; sicut lætitia ibi memorata designat sacrificia pacifica, ita pariter lætitia hoc loco memorata designat sacrificia pacifica; aut sicut ibi designat holocaustum & pacifica, ita pariter hoc loco designat holocaustum & pacifica. Idcirco dictum est: *Et comedes & lætaberis*. Intelligitur de lætitia, in qua sit comestio. Excluduntur holocausta, in quibus non est comestio. *Et Levitam, qui fuerit intra portas tuas non derelinques*. Ubicunque invenias Levitam istum, da illi de ejus parte, si non fuerit de ejus parte, da illi decimam secundam, si non fuerit decima secunda, da illi decimam pauperis, si non fuerit decima pauperis, da illi pacifica, si non fuerint pacifica, ales eum ex elemosyna. Dictum est enim. *Et veniat Levita, quia non est portio ac hæreditas tecum*.

De decima pauperis danda tertio quoque anno præcipitur *Deut.* XIV. מקצה שלש שנים תוציא את כל מעשר תבואתך בשנה ההוא והנחת בשעריך ובא הלוי כי אין לו חלק ונחלה עמך והגר והיתום והאלמנא אשר בשעריך ואכלו ושבעו למען יברכך יהוה אלהיך בכל מעשה ידך אשר תעשה: *Post finem trium annorum proferes omnes decimas proventus tui, in anno ipso, & relinques in portis tuis, ut veniat Levita, quia non est portio & hæreditas tecum, & peregrinus & pupillus & vidua, qui sunt intra portas tuas, ut comedant, & saturentur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manus tuæ quod feceris*. Ubi *Siphri* 42. 12. מקצה שלש שנים יכול אפילו בחג ת״ל כי תכלה לעשר יכול בחנוכה ת״ל קץ והלא נא׳ קץ מה קץ האמור להלן רגל אף קץ האמור כאן רגל אי מה קץ האמור להלן חג הסוכות אף קץ האמור כאן חג הסוכות ת״ל כי תכלה לעשר רגל שמעשר כלה בו הוי אומ׳ זה חג הפסח מיכן אמרו ערב יום טוב האחרון של פסח של רביעית ושל שביעית היה ביעור ברביעית מפני מעשר עני שבשלישית בשביעית מפני מעשר עני שבששית יכול אף שנה שביעית תהא חייבת במעשר ת״ל שנת המעשר שנה שחייבת במעשר יצתה שנה שביעית שאינה חייבת במעשר יכול יהיו שני מעשרות נוהגים בה ת״ל שנת המעשר מעשר אחד נוהג בה ואין שני מעשרות נוהגים בה אין לי אלא מעשר עני שבו דיבר הכתוב מניין לשאר מעשרות ת״ל תבואתך ריבה תוציא את כל מעשר תבואתך מלמד שמוציאי׳ אותו ממקום טומאה למקום טהרה יכול אף של שאר שנים יהיו יוציאים אותו ממקום טומאה למקום טהרה ת״ל בשנה ההיא של שנה ההיא אתה מוציא ואי אתה מוציא של שאר שנים ממקום טומאה למקום טהרה של שנה ההיא אתה מבער ואי אתה מבער ירק שיצא מראש השנה ועד הפסח והנחתו בשעריך ואם אין שם עני הניחו באוצר איני יודע מי ידחה מפני מעשר עני אם מעשר ראשון אם מעשר שיני ת״ל ובא הלוי כי אין לו חלק ונחלה עמך יבא הלוי ויטול חלקו מכל מקום דברי ר׳ יהודה רבי אליעזר בן יעקב או׳ אינו צריך הרי הוא אומ׳ ולבני לוי הנה נתתי את כל מעשר בישר׳ לנחלה מה נחלה אינה זזה אף מעשר ראשון

אינו

אינו זז יכול אפילו לקט שכחה ופיאה יהוא חייבי' במעשר ת"ל ובא הלוי כי אין לו חלק ונחלה עמך דברים שאין לו בהם חלק ונחלה עמך אתה נותן לו יצאו אילו שיש לו בהם חלק ונחלה עמך והגר והיתום והאלמנה אשר בשעריך יכול בין הסירים בין שאינן חסירים ואל תתמה שהרי הוא אומר לא תחבול בגד אלמנה בין ענייה בין עשירה ת"ל עני מה עני חסר אף כולם הסידי' יכול בין בני ברית ובין שאין בני ברית ת"ל לוי מה לוי בן ברית אף כולם בני ברית ואכלו ושבעו תן להם כדי שבען מיכן אמרו אין פוחתים לעני בגורן מחצי קב חיטי' או קב שעורים בשעריך מלמד שאין מוציאים מן הארץ לחוצה לארץ אמ' משפחה בית נבלטה הייתה בירושלם ונתנו להם שש מאות כיכרי זהב ולא רצו להוציא חוץ מירושלם: *Post finem trium annorum*. Crederem vel in festo Tabernaculorum? Idcirco dictum est: *Cumque compleveris decimare*. Crederem in Canuchah? Idcirco dictum est קץ. Sicut קץ ibi dictum designat festum, ita pariter hoc loco festum. Aut dicam, sicut ibi designat festum Tabernaculorum, ita pariter hoc loco. Idcirco dictum est. *Cumque compleveris decimare*. Festum in quo decima completur; & hoc est festum Paschatis. Hinc dixerunt. Vespera diei novissimi Paschatis anni quarti & septimi erat remotio, in quarto propter decimam pauperis, quæ erat in tertio; in septimo propter decimam pauperis quæ erat in sexto. Crederem, quod vel annus septimus obligaretur ad decimam? Idcirco dictum est. *Anno decimæ*; anno, qui obligatur ad decimam; excluditur annus septimus, qui non obligatur ad decimam. Crederem in eo duas decimas fuisse observatas? Idcirco dictum est: *Anno decimæ*. Una non duæ decimæ in eo observabantur. Non probo nisi de decima pauperis, de qua loquitur textus, de ceteris decimiis unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Proventus tui*. Includit. *Proferes omnes decimas proventus tui*. Docet, quod educerent de loco immundo in locum mundum. Crederem vel reliquis annis, quod eam educerent de loco immundo in mundum? Idcirco dictum est. *Anno ipso*. Decimam anni illius tu educes, at non educes decimas reliquorum annorum de loco immundo in locum mundum. Decimam anni illius tu removebis, at non removebis olus, quod creverit a principio anni usque ad Pascha. *In portis tuis*. Si ibi non fuerit pauper, reconde in horreo. Ignoro quænam sit removenda ante decimam pauperis, utrum decima prima, an decima secunda. Idcirco dictum est. *Ut veniat Levita, quia non est ei portio & hæreditas tecum*. Veniat Levita & accipiat portionem suam ex omni loco. Verba R. Jehuda. R. Eliesер ben Jacob dicit. Non est necesse. Ecce dictum est. *Et filiis Levi ecce dedi omnes decimas in Israel in hæreditatem*. Sicut hæreditas non recedit, ita pariter decima prima non recedit. Crederem vel spicilegium, & manipulum oblivione relictum, & angulum obligari ad decimam? Idcirco dictum est. *Ut veniat Levita, quia non est ei portio & hæreditas tecum*. Res in quibus non sit ei portio & hæreditas, dabis illi, excluduntur ista, in quibus est ei portio & hæreditas tecum. *Et peregrinus & pupillus & vidua, qui sunt in portis tuis*. Crederem sive fuerint, sive non fuerint indigentes? Tu ne mireris quia dictum est *Deut*. XXIV. 17. *Neque pignori exiges vestimentum viduæ*; Sive indigens, sive dives fuerit: Idcirco dictum est: *Pauper*. Sicut pauper est indigens, ita pariter omnes indigentes. Crederem vel si fuerit filius fœderis, vel si non fuerit filius fœderis? Idcirco dictum est. *Levita*. Sicut Levita est filius fœderis, ita pariter omnes erunt filii fœderis. *Ut comedant, & saturentur*. Da illis ut possint saturari. Hinc dixerunt: Non diminuunt pauperi in area de dimidio cabo tritici aut de cabo hordei. *In portis tuis*. Docet quod non educat de terra in locos extra terram. Dixerunt. Familia domus Nibletha erat Hierosolymæ cui dederunt sexcenta talenta aurea, & noluerunt educere extra Hierosolymam. Fallitur gravissime *Josephus Scaliger*, qui in suo opusculo *de decimis Judæorum*, decimas pauperum anno tertio & sexto Heptaeridis in locum decimarum primarum successisse scribit; cum ex constanti Judæorum traditione constet decimas pauperum in locum decimarum secundarum successisse.

XIV. Quinquagesimo quoque anno in Jubilæo legem agrariam, qua suis dominis agri vel venditi, vel oppignorati restituebantur, repetitam & confirmatam esse constat ex *Levit*. XXV. 8. 9. 10. &c. וספרת לך שבע שבתת שנים שבע שנים שבע פעמים יהיו לך ימי שבע שבתת השנים תשע וארבעים שנה והעברת תרועה בחדש השביעי בעשור לחדש ביום הכפורים תעבירו שופר בכל ארצכם וקדשתם את שנת החמשים שנה וקראתם דרור בארץ לכל ישביה יובל הוא תהיה לכם ושבתם איש אל אחזתו ואיש אל משפחתו תשבו וגו' בשנת היובל אחזאת תשבו איש אל אחזתו וכי תמכרו ממכר לעמיתך או קנה מיד עמיתך אל תונו איש את אחיו במספר שנים אחר היובל תקנה מאת עמיתך במספר שני תבואת ימכר לך לפי רב השנים תרבו מקנתו ולפי מעט השנים תמעיט מקנתו כי מספר תבואת הוא מכר

מכר לך ולא תונו איש את עמיתו ויראת
מאלהך כי אני יהוה אלהיכם וכו' והארץ לא
תמכר לצמתת כי לי הארץ כי גרים ותושבים
אתם עבדי ובכל ארץ אחזתכם גאלה תתנו
לארץ כי ימוך אחיך ומכר מאחזתו ובא
גאלו הקרב אליו וגאל את ממכר אחיו
ואיש כי לא יהיה לו גאל והשיגה ידו
ומצא כדי גאלתו וחשב את שני ממכרו
והשיב את העדף לאיש אשר מכר לו
ושב לאחזתו ואם לא מצאה ידו די חשיב
לו והיה ממכרו ביד הקנה אתו עד שנת
היובל ויצא ביובל ושב אל לאהזתו: *Et numerabis tibi septem hebdomadas annorum, septem annos septem vicibus; ita erunt tibi dies septem hebdomadarum annorum, quadraginta ac novem anni. Et transire facies cornu clangoris, in mense septimo, decima mensis, die expiationum; transire facietis cornu per universam terram vestram. Ea sanctificabis annum, quinquagesimum annum, & proclamabitis libertatem in terra omnibus habitatoribus ejus. Jubilæus erit ipse vobis, & revertemini quisque ad possessionem suam, & quisque ad familiam suam revertemini &c. Anno Jubilæo isto revertemini quisque ad possessionem suam. Quumque vendideritis venditionem populari tuo, vel emendo a manu popularis tui &c. Secundum numerum annorum post Jubilæum emes a populari tuo; juxta numerum annorum proventuum, vendet tibi. Secundum multitudinem annorum multiplicabis emtionem ejus, & secundum paucitatem annorum, minues emtionem ejus; quoniam numerum proventuum ipse vendit tibi. Ne igitur vexetis quisque popularem suum, sed timebis a Domino Deo tuo, ego Dominus Deus vester &c. Terra vero non vendetur in venditionem totalem, quoniam mea est terra; peregrini enim & inquilini estis mecum vos servi mei. In universa autem terra possessionis vestræ redemtionem dabitis terræ. Quum depauperatus fuerit frater tuus, vendideritque de possessione sua, tunc veniet redemtor ejus propinquus ipsi, & redimet venditionem fratris sui. Vir autem quum non fuerit ei redemtor, sed attigerit manus ejus, invenerit valorem redemtionis suæ, tunc supputabit annos venditionis suæ, & restituet excessum viro, cui venditum fuit, & revertetur ad possessionem suam. Quod si non invenerit manus ejus valorem restituendi ei, tum erit venditio ejus in manu ementis illam usque ad Jubilæum; at egredietur in Jubilæo, & revertetur ad possessionem suam.* *Siphra* ad h. l. 54. וספרת לך בבית
דין שבע שבתות יכול שבע שבתות ימים תל
שבע שבתו' שנים אי שבע שבתות שנים
יכול יספור שבע שמיטים זו אחר זו ויעשה
יובל תל שבע שני' שבע פעמים הא
עד שיאמרו שני כתובים הללו ואם לאו לא


שמענו ומניין שיספור לשני שבוע תל והיו
לך ימי שבע שבתות השנים מניין שיספור
לשני יובל תל והיו לך תשע וארבעים שנה
מניין עשה שביעית אעפ שאין יובל תל והיו
לך תשע וארבעים שנה ומניך עשה יובל אעפ
שאין שביעית תל תשע וארבעים שנה דברי
רבי יהודה וחכמים אומרי' שביעית נוהגת
אעפ שאין יובל והיובל אינו נוהג אלא אם
כן יש עשו שביעית ומניך שהיא בשופר תל
והעברת שופר אין לי אלא ביובל בראש
השנה מניך תל והעברת שופר תרועה בעשור
לחודש ביום הכיפורים שאין תל בחודש
השביעי ומה תל בחודש השביעי הרי תרועת
שביעי כזו מה זו בשופר אף תרועת ראש
השנה כזו וגו' וקדשתם את שנת החמשים שנה
מה ת"ל לפי שנאמר בעשור לחודש שיכול אין
לי שנה מתקדשת אלא בעשור לחודש
וכשהוא אומר וקדשתם את שנת החמשים
שנה מלמד שהיא מתקדשת מראש השנה
אמר רבי יוחנן בן ברוקה לא היו עבדים
משועבדים נפטרי' לבתיהם ולא שרות חוזרו'
לבעליהם אלא אוכלים ושותים ושמחים
ועטרותיהם בראשיהם עד שהגיע יום הכיפורים
הגיע יום הכיפורים תקעו בשופר חזרו שרות
לבעליהם ועבדים נפטרים לבתיהם וקראתם
דרור אין דרור אלא חירות א"ר יהודה מה
הלשון דרור מדבר באידרא ומסחר בכל
מרינה יושביה בזמן שיושביה עליה ולא
בזמן שגלו מתוכה היו עליה אבל היו מעורבבים
שבט יהודה בבנימן ושבט בנימן ביהודה יכול
יהיה היובל נוהג תלמוד לו' יושביה לכל
יושביה נמצאת אמר כיון שגלו שבט ראובן
וגד וחצי שבט מנשה בטלו היובלית יובל
אע"פ שלא השמיטו אעפ שלא תקעו בשופר
או יכול אע"פ שלא שילחו העבדים ת"ל היא
רברי ר' יהודה ר' יוסי אומר יובל אע"פ שלא
השמיטו אע"פ שלא שילחו העבדים או יכול
אע"פ שלא תקעו בשופר ת"ל היא א"ר יוסי
אחר שהכתוב תולה אותה לעניין תקיעת שופ'
ואחר כתו' תולה אותה לעניין שילוח עבדי'
מפני מה אני אומר יובל שלא בשילוח
עבדים שאיפשר ליובל שלא בשילוח עבדי'
אבל אי איפשר ליובל שלא בתקיעת שופר
דבר אחר תקיעת שופר תלויה בבית דין
ושילוח עבדים תלויה בכל אדם ושבתם איש
אל אחוזתו ואיש אל משפחתו תשובו אמר
ר' אליעזר בן יעקב במי מדבר אם בנמכר שש הרי
אמור אם בנמכר שנה או שתים הרי אמור
הא אינו מדבר אלא בנרצע לפני היובל
שיהא היובל מוציאו דבר אחר ושבתם איש
אל אחוזתו ואיש אל משפחתו תשובו כמה
שהוחזקה משפחתו הוא שב דברי רבי מאיר
רבי יהודה אומר לאחוזתו ולמשפחתו הוא שב
ואינו שב לסורה שהיה בה וכן הוא אומ'
בגולה תשובו לרבות את האשה בשנת
היובל הזאת זו מוציאה עבדים ואין השביעית
מוציאה עבדים והלא דין הוא ומה אם היובל
שאיני משמיט כספים מוציא עבדים שביעית
שמשמטת כספים אינו דין שמוציא עבדים
תל בשנת היובל הזאת זו מוציאה עבדים
ואין השביעית מוציאה עבדים קל וחומר
ליובל שישמיט כספים ומה אם השביעית

שאינו מוציאה עבדים משמטת כספים יובל
שהוא מוציא עבדים אינו דין שישמיט
כספים תל וזה דבר השמיטה שמוט שביעית
משמט כספים ואין יובל משמט כספים והיובל
מוציא עבדים תשובו איש אל אחזותו לרבות
המוכר שדהו ועמד בנו וגאלה שתחזור לאביו
ביובל מנין כשהוא מוכר לא תהיה מוכר אלא
לעמיתיך תל וכי תמכרו ממכר לעמיתך ומניין
כשהוא קונה לא תהיה קונה אלא מיד
עמיתך אין לי אלא קרקעות שבהם דיבר
הכתו׳ מני׳ לרבו׳ דבר המטלטל תל ממכר
לרבו׳ דבר המטלטל מניין למוכר שדהו בשנת
היובל אינו מותר לגאול פחות משתי שנים
תל שנים תקנה מאת עמיתך אחר היובל
סמוך ליובל ומיפלג מן היובל מנין ת״ל לפי
רוב השני׳ תרבה מקנתו ולפי מעוט השנים
תמעיט מקנתו שני תבואות לא שנת שרפון
ולא שנת ירקון ולא שביעית עולה לו מן
המניין נרה או הבירה עולה לו מן המנייך
רבי אלעזר אומר מכרה לו לפני ראש השנה
והיא מליאה פירות יכול יאמר לו הניחה
לפניי מליאה כדרך שהנחתיה לפניך מליאה
תל כי מספר תבואות הוא מוכר לך פעמים
שאחה אוכל ממנה שלשה תבואות לשתי
שנים והארץ לא תמכר לצמיתו׳ לחולטנית
כי לי הארץ אל תרע עינך בה כי גרים ותושבים
אתם אל תעשו עצמיכם עיקר וכן הוא
אומר כי גרים אנחנו לפניך ותושבים ככל
אבותינו וכן דוד אומר כי גר אנכי עמך תושב
ככל אבותיו אתם עמדי דיו לעבד שיהיה
כרבו כשתבוא שלי הרי היא שלכם וכל
גאולה חתנו יכול בעבדים ובשטרות
ובמטלטלים תל ארץ אחוזה אם כן למה
נאמר ובכל גאולה תתנו לרבות בתים ועבד
עברי מנין שאין אדם רשאי למכור את שדהו
ולהניח אפונדתו וליקח לו בהמה וליקח לו
כלים וליקח לו בית אלא אם כן העני תל
ימוך ומכר הא אינו מוכר אלא אם כן העני
יכול יצא מכל נכסיו בבת אחת תל מאחוזתו
מאחוזתו ולא כל אחוזתו אמר ר׳ אלעזר בן
עזריה ומה אם לגבוה שאין אדם רשאי
להחרים את כל נכסיו על אחת כמה וכמה
יהיה אדם חייב להיות חס על נכסיו ובא
גואלו הקרוב אליו מלמד שהקרוב קודם וגאל
את ממכר אחיו לרבות את הנותן מתנה
ואיש כי לא יהיה לו גואל וכי יש אדם
בישראל שאין לו גואלים אם כן למה נאמר
גואל שהוא יכול לגאול והשיגה ידו יד עצמו
ומצא שלא ימכור ברחוק ויגאול בקרוב ברע
ויגאול ביפה ולא ילוה ויגאול כדי גאולתו
ולא יגאל חציים וחשב את שני ממכרו
שני׳ הוא מחשב ואינו מחשב חדשים מנין
שאם רצה לעשות חדשים שנה יעשה תל
וחשב והשיב את העודף לאיש אשר מנין
אתה אומ׳ מכרה לראשון במנה ומכר הראשון
לשיני במאתים מנין שאינו מחשב אלא עם
הראשון תל לאשר מכר לו מכרה
לראשון במאתי׳ ומכר הראשון לשיני במנה
מניין שאין מחשב אלא עם האחרון תל
לאיש לאיש אשר בתוכה עד כאן דברי רבי
ר׳ דוסתאי בן יהודה אומר מכרה לו ממנה
מנה והשביחה והרי היא יפה ממאתים
מאתים מנין שאינו מחשב אלא ממנה
מנה תל העודף מה שנשתייר בקרקע ושב
לא חוזתו בבעל אחוזה דברתי ולא ממוכר
למוכר ואם לא מצאה ידו מה תל מניין אתה
אומר אם אינו עניין לבעל השדה תניהו עניין
לגואל שיגאל בסדר הזה תל אם לא מצאה
ידו לא ילוה די השיב לו ואינו גואל חציים
חציים יהיה ממכרו ביד הקונה אותו עד שנת
היובל לא בהקד׳ עד שנת היובל אלא מוכר
ברחוק וגולא בקרוב ברע וגואל ביפה וגאל
יגאל חציים אמר ר׳ שמעון מה הטעם לפי
שבא הדיוט אם הגיע יובל ולא גואלה
חוזרת היא שדה לבעלים ובהקדש אם הגיע
יובל ולא נגאלה חליטה היא שדה של הקדש
עד שנת היובל שלא יכנס בה כלום נמצאת
אומר שדות וכספים משמיטים כאחד יובל מוציא
בתחילתו והשביעית משמטת בסופה ויצא
ביובל אף מן ההקדש ושב לאחוזתו לרבות
האשה: *Et numerabis tibi*. In Synhedrio. *Septem hebdomadas*. Crederem ſeptem hebdomadas dierum? Idcirco dictum eſt: *Septem hebdomadas annorum*. Crederem, quod numeraret ſeptem annos Sabbathicos alterum poſt alterum & faceret Jubilæum? Idcirco dictum eſt. *Septem annos ſeptem vicibus*. Donec iſti duo textus memorentur, ſi minus; non intelligebamus. Et unde probatur, quod numerare debeat annos heptaeridis? Ex eo quod dictum eſt. *Et erunt tibi dies ſeptem hebdomadarum annorum*. Et unde probatur numerandos fuiſſe annos Jubilæos? Ex eo quod dictum eſt. *Et erunt tibi novem & quadraginta anni*. Et unde probatur fuiſſe celebrandum annum Jubilæum, quamvis non fuiſſet celebratus annus Sabbathicus? Ex eo quod dictum eſt: *Novem & quadraginta anni*. Verba R. Jehuda. At ſapientes dicunt: Annus Sabbathicus obſervatur, quamvis non ſit annus Jubilæus; at annus Jubilæus non obſervabatur, niſi ſimul cum eo obſerverur annus Sabbathicus. Et unde probatur cornu fuiſſe celebrandum? Ex eo quod dictum eſt: *Et facies tranſire cornu*. Non probo niſi in Jubilæo, in principio anni unde probatur? Ex eo quod dictum eſt: *Et facietis tranſire cornu clangoris menſe ſeptimo, decima menſis in die expiationum*. Neque erat dicendum *menſe ſeptimo*. Et cur dictum eſt: *menſe ſeptimo*? Ecce clangor ſeptimi erat huic ſimilis; ſicut iſte cum cornu, ita pariter clangor principii anni erit huic ſimilis &c. *Et ſanctificabitis annum, quinquageſimum annum*. Cur dictum eſt? Quia dictum eſt: *Decima menſis*. Crederem non poſſe probare, niſi quod annus non ſanctificaretur niſi decima menſis. Quando vero dicit: *Et ſanctificabitis annum, quinquageſimum annum*. Docemur quod ſanctificaretur a principio anni. Dixit R. Jochanan ben Beroka. Servi qui ſer-

serviebant, non dimittebantur liberi in domos suas, neque agri restituebantur dominis suis; sed edebant, & bibebant, coronas habentes in capitibus suis, donec adveniret dies expiationum. Postquam advenerat dies expiationum, clangebant cornu, restituebantur agri dominis suis, & servi dimittebantur liberi in domos suas. *Et proclamabitis libertatem*. Non est דרור nisi libertas. Dicit R. Jehuda; quid significat דרור. Quod possit habitare ubi libuerit, & vagari per totam provinciam. *Habitatoribus ejus*. Quo tempore ejus habitatores in ea fuerint; non quando ex ea transmigraverint; si in ea fuerint, sed commista fuerit tribus Jehuda in Benjamin, & tribus Benjamin in Jehuda, crederem fuisse observandum Jubilæum? Idcirco dictum est: *Habitatoribus ejus*? Deprehenditur quod dicas: Postquam transmigrarunt tribus Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse, aboliti fuerunt anni Jubilæi. *Jubilæus*. Vel si non fecissent pollucturam, vel si cornu non clauxissent, vel si servos non dimisissent. Idcirco dictum est. *Ipse*. Verba R. Jehuda. R. Jose dicit: *Jubilæus*: Vel si non fecissent pollucturam, vel si servos non dimisissent; crederem vel si cornu non clauxissent? Idcirco dictum est: *Ipse*. Dicit R. Jose. Alter textus illud applicat subjecto clangoris cornu, & alter subjecto dimissionis servorum. Quomodo ego dicam? *Jubilæus* sine dimissione servorum. Quia potest esse Jubilæus sine dimissione servorum, at non potest esse Jubilæus sine clangore cornu. Alia expositio. Clangor cornu pendet a Synhedrio, at dimissio servorum pendet a quovis homne. *Et revertemini quisque ad possessionem suam, & quisque ad possessionem suam revertemini*. Dicit R. Elieser ben Jacob: De quo loquitur textus? Si de vendito in sexennium; jam dictum est; si de vendito in annum, aut in duos annos, jam dictum est: Ecce non loquitur nisi de auribus perfosso ante Jubilæum, quod Jubilæus eum educat a servitute. Alia expositio. *Et revertemini quisque ad possessionem suam, & quisque ad familiam suam revertemini*. Ad possessionem quæ erat peculiaris familiæ suæ, revertitur. Verba R. Meir. R. Jehuda dicit. Ad possessionem suam & ad familiam suam revertitur; at non revertitur ad pristinam dignitatem. Atque ita dictum est de eo (qui propter homicidium involuntarium exultavit) *Revertemini*. Ad includendum uxorem suam. *Jubilæus* &c. *Anno Jubilæo isto*. Iste educebat servos de servitute, at septimus annus non educebat servos. Atqui est argumentum. Si Jubilæus qui non remittebat argentum, educebat servos, annus septimus, qui remittebat argentum, non erit æquum ut educeret servos? Idcirco dictum est: *Anno Jubilæo isto*. Iste educebat servos, at annus septimus non educebat servos. At probari potest argumento a minori ad majus, quod Jubilæus remitteret argentum. Si annus septimus qui non educebat servos, remittebat argentum, Jubilæus qui educebat servos, non erit æquum ut remitteret argentum? Idcirco dictum est *Deut.* xv. 2. *Hæc autem est ratio remissionis remittendo*. Annus septimus remittebat argentum, at Jubilæus non remittebat argentum, & Jubilæus educebat servos. *Revertemini quisque ad possessionem suam*. Ad includendum qui vendiderit agrum suum, quem consistens filius ejus recuperaverit, quod restituatur ejus patri in Jubilæo. Et unde probatur quod vendens non debeat vendere nisi populari tuo? Ex eo quod dictum est: *Quumque vendideritis venditionem populari tuo*. Et unde probatur quod emens non debeas emere nisi a manu popularis tui? Ex eo quod dictum est; *Aut emendo a manu popularis tui*. Non probo nisi de rebus immobilibus de quibus loquitur textus, de mobilibus unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Venditionem*. Ad includendum mobilia &c. Unde probatur, si quis vendiderit agrum suum in Jubilæo, quod non liceat ei redimere nisi post biennium? Ex eo quod dictum est. *Pro numero annorum emes a populari tuo*. Post Jubilæum, prope Jubilæum, procul a Jubilæo unde probatur? Ex eo quod dictum est: *Secundum multitudinem annorum multiplicabis emtionem ejus, & juxta paucitatem annorum diminues emtionem ejus*. Anni proventus, non annus, quo seges uredinem, vel rubiginem contraxit, neque septimus ei in numerum computantur. Si eum in novale, vel incultum reliquerit, computatur illi in numerum. R. Elieser dicit; si ante principium anni ei vendiderit, & fuerit plenus fructibus, crederem, quod posset illi dicere; redde mihi plenum fructibus, ut tibi tradidi plenum? Idcirco dictum est. *Juxta numerum proventuum vendet tibi*. Aliquando de ipso comedet tres proventus, & aliquando duos. *Terra autem non vendetur in venditionem totalem*. Absolute. *Quoniam mea est terra*. Ne oculus tuus in ea sibi complaceat. *Peregrini enim & inquilini estis*. Nolite vosmetipsos existimare principales. Et similiter dictum est: *Quia peregrini nos sumus coram te, & inquilini, sicut omnes patres nostri*. Et pariter David dicit *Psalm.* XXIX. *Quia peregrinus*

nus ego tecum, *& inquilinus ſicut omnes patres mei*. *Vos ſervi mei*. Satis eſt ſervo, ut ſit ſicut dominus. Quando fuerit mea, erit veſtra. *Et in univerſa terra redemtionem dabitis*. Crederem in ſervis, chirographis, & mobilibus? Idcirco dictum eſt. *Terras poſſeſſionis*: Si ita eſt: Cur dictum eſt: *Et in univerſa redemtionem dabitis*? Ad includendum domos, & ſervum Hebræum. Unde probatur quod nemini vendere liceat agrum ſuum, ut recondat pretium in marſupio ſuo, ut ex eo emat ſibi jumentum, & vaſa & domum, ſed ſolum quando pauper factus ſit? Ex eo quod dictum eſt: *Quum depauperatus fuerit*, *& vendiderit*. Ecce non poteſt vendere, niſi pauper factus ſit. Crederem una vice potuiſſe vendere omnes ſuas facultates? Idcirco dictum eſt: *De poſſeſſione ſua*; non de tota poſſeſſione ſua. Dicit R. Elieſer ben Azaria; ſi nemini licet conſecrare Deo omnia bona ſua, quanto magis debet habere rationem de bonis ſuis? *Tunc veniet redemtor ejus propinquus ipſi*. Docemur quod propinquus præferatur. *Et redimet venditionem fratris ſui*. Ad includendum qui dono dederit. *Et vir*, *quum non fuerit ei redemtor*. Quid? Num eſt aliquis in Iſrael, cui non ſint redemtores? Si ita eſt, cur dictum eſt? *Redemtor*; qui poſſit redimere: *Et attigerit manus ejus*; manus ipſius: *Et invenerit*. Non vendet diſſitum, ut redimat proximum, nec malum ut redimat bonum, neque mutuo ſumat ut redimat. *Valorem redemtionis ſuæ*. Ne redimat per dimidia. *Tunc ſupputabit annos venditionis ſuæ*. Annos computabit, at non computabit menſes. Unde probatur, quod ſi velit menſes facere annum liceat? Ex eo quod dictum eſt. *Tunc computabit*, *& reſtituet exceſſum viro*, *cui venditum fuerit*. Unde tu dicis, quod ſi vendiderit primo mina, & primus vendiderit ſecundo ducentis, unde probatur, quod non ſupputabit niſi cum primo? Ex eo quod dictum eſt: *Viro cui venditum fuerit*. Si vendiderit primo ducentis, & vendiderit primus ſecundo mina, unde probatur, quod non ſupputabit niſi cum ultimo? Ex eo quod dictum eſt. *Viro*, qui in eo ſcil. in agro erat. Adhuc verba Rabi. R. Doſathai ben Jehuda dicit. Si vendiderit mina, cum valeat mina; ſi meliorem feciſſet, & valeret ducentis, unde probatur, quod non ſupputet niſi ex mina minam? Ex eo quod dictum eſt: *Exceſſum*. Quod reliquum eſt in fundo. *Et revertetur ad poſſeſſionem ſuam*. De domino poſſeſſionis agit: Non autem de emtore, qui vendit. *Quod ſi non invenerit manus ejus*. Cur dictum eſt? Unde dicis: Si non poteſt explicari de domino agri, explicetur de redemtore, quod hoc ordine redimere debeat. Ex eo quod dictum eſt. *Quod ſi non invenerit manus ejus*. Non mutuo accipere debeat. *Valorem reſtituendi*. Non redimet dimidiatim. *Tum erit venditio ejus in manu ementis illam uſque ad annum Jubilæum*. At non agitur de ſanctitatibus uſque ad annum Jubilæum, ſed poteſt vendere diſſitum ut redimat proximum, malum ut redimat bonum, & redemtor poteſt redimere dimidium. Dicit R. Simeon: Qua de cauſa? Quia cum agatur de privato, ſi adveniat Jubilæus, & nondum redemtus ſit ager, reſtituentur ager dominis; at in ſanctitate ſi adveniat Jubilæus, & non redemtus ſit ager, appropriatur ager ſanctitati: *Uſque ad annum Jubilæum*. Ut nihil ingrediatur. Deprehenditur quod dicas. Agri & pecunia credita una ſimul remittebantur. Jubilæus educebat in ſuo principio, & annus ſeptimus remittebat in ſuo fine. *Et egredietur in Jubilæo*. Vel ex ſanctitate. *Et revertetur ad poſſeſſionem tuam*. Ad includendum uxorem.

CHRI-



CHRISTIANI SCHOETTGENII
ANTIQUITATES TRITURÆ
In Sacris Literis occurrentes.

I. Omnia ista, quę Sancti Spiritus impulsu in divinis literis descripta legimus, eo potissimum faciunt, ut fundamentum fidei in nobis rite ponatur, eique mores, qui pios & probos decent, superstruantur. Hæc duo sunt, quibus præcipue in dictandis scripturis animum advertit sanctissimum Numen, & quorum caussa illæ a nobis nocturna diurnaque manu sunt evolvendę. Reliqua, quæ in iisdem occurrunt, historiam tractant populi Judaici, nobisque ostendunt, quomodo doctrinæ istæ nullo non tempore sibi constiterint, & qualia pręmia, qualesve pœnę eos, qui divina mandata vel servarunt, vel neglexerunt, secuta fuerint. Non potuit tamen non fieri, ut antiquorum rituum, qui a nostris toto, quod ajunt, cœlo differunt, in iisdem mentio fieret, sine quorum cognitione sacrorum scriptorum mentem plane percipere non possumus. Nostrum ergo est, qui sacras rimari solemus literas, ea ex antiquitate fragmenta colligere, quę tempus edax rerum nobis in profanorum pręcipue scriptorum monumentis superesse voluit. Et hęc sunt illa spolia, quę infensis æternæ veritatis hostibus demta in Sanctissimi Jehovæ templo affigimus, ipsis etiam ringentibus exinde sacras inlustrantes literas.

II. Exosculamur hac in parte divinam sapientiam, quæ ipsa hæc antiquitatum monumenta in Judæorum quidem scriptis conservare poterat, nec tamen voluit. Convasamus ergo undique, quæ in nostram rem sunt, certissime persuasi, nihil sacrarum scripturarum autoritati decedere, licet profanos ad eam inclustrandam auctores adhibeamus. Soli nobis hodie Judæis non sufficiunt, qui quavis occasione data nimiam fingendi licentiam satis superque demonstrarunt. In partes ergo illi vocandi, quibus parum curæ fuit, utrum hoc an alio modo explicare velis sacras literas. Nec id quidem sine exemplo a nobis fieri planum est, & apertum. Prostant enim Dougtæi, Grotii, Dilherri, Ramiresi, Almelovenii & aliorum exempla, quæ abunde non docent, profanos quoque autores in sacrę scripturę explicatione nos inutiliter posse adhiberi.

III. Quum ergo occupatus hactenus fuerim in recensendis Romanis Rei Rusticę scriptoribus, multa in iis occurrerunt, ab Antiquariis nondum satis ex-

cuſſa, quibus tamen ſacris literis ingentem lucem poterimus adfundere. Subiit inde *Rem Ruſticam Sacram* elaborare, in quo opere, quęcunque ad occonomiam antiquam ſpectantia in ſacris voluminibus occurrunt, dilucidarentur. Poſtea vero & illud occurrit, Bochartum in divino Hierozoici opere, pleraque fere non adtigiſſe ſolum, ſed &, qua fuit in omni literarum genere peritia, fere exhauſiſſe. Spicilegium ergo aliquod ſaltem conficiendum eſſet eorum, quę a viro illuſtri vel omiſſa, vel non ſatis bene dicta ſunt. Sed hęc Deo relinquemus & tempori. Interim dum ob temporum diritatem differtur laudatorum ſcriptorum editio, ne vel plane conſilium de eis edendis abjeciſſe videar, vel nihil in eis, quod notatu dignum eſt, præſtare poſſe, *Antiquitates Trituræ* ad manus ſumo, eas ex profanis monumentis primo deducens, ad ſacra vero deinde adplicationem faciens.

IV. Ante omnia vero de loco trituræ ſumus ſolliciti, diſpicientes, ubinam illa commode potuerit inſtitui. Deſcriptionem ejus ſuppeditant Cato *cap.* 91. & 129. *Varro* 1. 51. *Virgilius Georg.* 1. 178. *ſeq. Columella* 2. 20. *Didymus Geopon.* 2. 26. & *Palladius* 7. 1. Dicebatur autem *area*, Græcis ἅλων, & fiebat in ipſo agro, ubi fruges creverant. Fodiendus erat primo locus, glebæque amurca conſpergendæ, poſtea comminuendæ, & ſolum, poſtquam iterum amurcam combiberat, paviculis atque cylindro æquandum. Aliquando lapidibus condenſebatur ſolum, ne forte, æſtu ſolis ingruente, rimas, in quibus grana deliteſcere poſſent, acciperet. Amurca autem (feces ſunt olei, quas immenſis laudibus extollunt Cato & Plinus H. N. 15. 8.) ideo fuit adhibita, quia primo quidem terram compingit & condenſet, ne rimas agat, deinde formicis, curculionibus & muribus inimica eſt, ne ibi reſidere aut frumento nocere poſſint, tandem frumentum conſervat, ne corrumpatur. Hebræi dicunt גרן, quæ vox eſt notiſſima, ſemel quoque גרה *Judic.* VI. 11. ubi de Gideone triturante ſermo eſt. Vox iſta alias *torcular* notat, quemadmodum etiam verterunt Jonathan & LXX. Putant ergo apud Druſium Judæi, tantam eam fuiſſe areolam, quanta capere poſſet torcular. Ego vero Gideonem neceſſitate compulſum in torculari frumenta excuſſiſſe credo, quum id in area non licuerit. Non enim tam facile quiſquam ſuſpicari poterat, illum hic locorum, hoc eſt, loco ad trituram inuſitatiſſimo frumenta ſua triturare. Mecum hac in parte ex Judæis faciunt R. Jeſchaia & Kimchius.

V. Locum autem hunc, quem in ipſo agro fuiſſe diximus, non procul a villa remotum eſſe volunt auctores laudati, ut bene cuſtodiri, & forte ingruentibus imbribus ſub tecta portari poſſint frumenta. Adparet idem ex ſacra hiſtoria, ubi Boas aream extra urbem habet. Poſtquam enim is Ruthæ ſex hordeorum modios dederat, tunc iſta cum iis ad urbem perrexit. Ruth. III. 15. Idem vero Boas nocte in eadem ſolus manebat, ne forte a furibus ipſi eſſet periculum. Dormiit autem juxta extremitatem acervi v. 7. forte ſub umbraculo quodam, qualia Varro alicubi facta eſſe memorat, quo in æſtu meridiano homines ſuccederent.

VI. Ille porro locus requirebatur, ut eſſet paullo editior, quem nimirum perflare poſſet ventus, & paleas abigere, id quod ipſum præcipiunt Varro & Didymus. Hæc eſt cauſſa, cur Aravna Jebuſæus aream ſuam in eo monte habuerit, in quo poſtea templum erat exædificandum. 2. *Sam.* XXIV. 18. *ſeq.* Hoc ipſum vero perpendentes Rabbini mirantur, quare Noomi ad Rutham dicere potuerit, וירדת הגורן: & *deſcende in aream*. Sic enim ſcribunt in Midraſch Ruth: וירדת הגורן מכאן שאין מעמידין את הגורן אלא בנמוך שבעיר. ר׳ שמעון בן חלפתא קבל חד חקל קידמוי דר׳ חייא רבה אמר ליה אתייה עד מאה שירן אמר לוה בגבוה של עיר לא כן כתיב וירדת הגורן אמר ליה זיל גבי תיבנא ואשכחת שירה: h. e. Deſcende ad aream, *Adparet exinde, quod non ſolent facere aream, niſi in loco civitatis depreſſiori. R. Simeon filius Chalpathæ conduxit agrum præſente R. Chija magno, dixitque ad ipſum: produxit mihi initio* (prima vice) *centuplum. Interrogavit ergo porro: ubinam prius triturabo? Reſpondit ille: in loco excelſiore non vult ſcriptura: dicitur enim* וירדת הגורן deſcende ad aream. *Hic ergo regeſſit: abi juxta ſtramen, & invenies acervum.* Senſus diſcurſus hujus Rabbinici paullo obſcurioris hic eſt: Ad interrogationem ubinam ſibi triturandum eſſet, reſpondet R. Chija, in ſcriptura S. locum excelſum reprobari, contra vero depreſſum & humilem ad hoc ipſum negotium commendari. Quod cum ille concoquere non poſſet, quum rei natura requirat, ut multo commodius in excelſo, quam depreſſo loco trituratio fiat, regeſſit, eo loci triturandum eſſe, ubi juxta ſtramen invenire poſſimus acervum, h. e. ubi acervus & ſtramenta diſtinctim poſſint haberi, quod optime fieri poteſt in loco, qui inter duos montes eſt declivis,

vis. Nam ibi ventus quidem est vehementior, stramenta autem ex adverso in altero monte jacent. Adeoque ex mente R. Simeonis locum Ruthæ sic explicabis, fuisse quidem eum locum, quo se conferre debebat, paullo depressiorem, ut ad illum ex civitate descendendum fuerit: qui tamen locus altior fuerit aliis depressioribus, adeoque a vento commode perflari poterat. Hæc est obscuri hujus commatis sententia, quam si minus recte adsecutus sum, condonabunt eruditi, qui optime sciunt facile nos in tantis tenebris posse caligare. Interim tamen explicatio loci istius Biblici sic satis bene se habet, quam si Rabbino adscribere non licet, a me prolatam esse judicabit Lector eruditus. Sed e diverticulo in viam. Hac re probe perspecta explicare possumus metaphoram, qua exinde petita aliquoties utitur Deus in sacris literis, qui se impios velut paleas dispersurum minatur. *Psalm.* I. 4. XXXV. 5. LXXXIII. 14. *Jesaiæ* XVII. 13. ubi expresse additur מוץ הרים *gluma montium*, *Hoseæ* XIII. 3. *Sapient. vers.* 14. Adde *Daniel.* II. 35. *Jesaiæ* XIV. 16. *Jerem.* IV. II. Negligit eam metaphoram Vir Clarissimus Herm. von der Hardt, qui in Exegesi Psalmi primi nuper edita, ut scenæ suæ inserviat, מוץ interpretatur *florem agri, in quem flat ventus. Dum vel levis aer*, addit, *flat in flosculos agrorum, disperguntur marcida folia*. Sed hoc est circumstantias textui ingerere, quod laudatus vir in hoc Psalmo fecit, ut palmam suam Hierichuntinam eo melius ornaret. Commodior & ad mentem Spiritus S. & antiquitatis propior est ea explicatio, quam modo protulimus. Locum vero talem, qui vento apertus est, eumque admittit, *bonum* Cato vocat *c.* 136. h. e. aptum rei feliciter & facile peragendæ. Sic Columella 2. 21. 5. *At ubi paleis immista sunt frumenta, vento separentur: ad eam rem Favonius habetur eximius, qui lenis æqualisque æstivis mensibus perflat. Itaque in area detrita frumenta sic sunt aggerenda, ut omni flatu possint excerni.* Quum vero talia utique vitæ sustinendæ necessario sint, nemini licet ædificium aliquod extruere, quo ab area alterius ventus excludi potest, prout expresse sanxit Imp. Justinianus *lib.* 14. §. I. C. de servit. & aqua. Id vero cavere jubet Didymus loco ante adducto, ne ventus paleas versus domos aut villas ferat, sed alio potius avehat. Audiemus ipsius verba cum adductis rationibus: Καὶ πρὸ πάντων παραφυλάττεσθαι δεῖ, μὴ κατὰ ἄνεμον τῶν οἰκημάτων, ἢ τῶν παραδείσων, τάττειν τὴν ἅλω. οἱ γὰρ ἄνεμοι τὴν ἄχνην (τουτέστι τὰ λεπτὰ τῶν ἀχύρων) ἐπιφέροτες λεληθότως τοῖς ὀφθαλμοῖς τῶν ἀνθρώπων, διακαίουσι τὰς κόρας, ὡς πολλοὺς ἐντεῦθεν ἑνὸς ὀφθαλμοῦ, ἑτέρους δὲ δὲ τῶν δύο στερηθῆναι. βλάπτει δὲ τὰ ἄχυρα καὶ τὴν ὀπώραν, καὶ μάλιστα τοὺς ἀμπέλους. ὥσπερ γὰρ ἡ κόπρος, οὕτω καὶ τὰ ἄχυρα ταῖς μὲν ῥίζαις συμβάλλεται, τοῖς δὲ κλάδοις καὶ τοῖς φύλλοις βλαβερώτατά εἰσι. βλάτει δὲ οὐδὲν ἧττον καὶ τὰ λάχανα. προσκαθεζόμενα γὰρ τρυπᾷ τὰ φύλλα, καὶ εὐθέως ταῦτα καίεται τρυπηθέντα. Quæ ita vertit Janus Cornarius: *Præ omnibus vero cavendum est, ne area secundum ventum domorum aut hortorum constituatur. Etenim venti tenuissima quæque ex paleis citra animadversionem hominum oculis inferentes pupillas perurunt, ut ex eo multi altero, alii utroque oculo sint privati. Lædunt autem paleæ etiam fructus autumnales foris non lignosos, & maxime vites. Quemadmodum enim stercus, sic etiam paleæ, radicibus quidem conferunt, ramulis vero & foliis maxime nocent. Neque vero minus & ipsa opera lædunt; adhærentes enim folia perforant, statimque uruntur perforata.*

VII. Area ergo eo, quo diximus, modo præparata, congerebantur in eam frumenta, nimirum spicæ saltem sive aristæ a stramine defectæ. Ostendit hoc expresse Varro R. R. I. 50. I. ubi de variis metendi generibus hæc habet: *Ac de singulis* (manipulis frumenti) *secant inter spicas & stramentum: spicas conjiciunt in corbem, atque in aream mittunt: stramenta relinquunt in segete, unde tollantur in acervum.* Idem memorat quendam metendi modum, quo *ligneum habent incurvum batillum, in quo sit extremo serrula ferrea, hæc cum comprehendit fascem spicarum desecat, & stramenta stantia in segete relinquit.* Adde Columellam 2. 21. 3. & Callimachum loco mox adlegendo. Aliam spicas demetendi rationem, ingeniosam sane, profert *Palladius* 7. I. 2. cujus verba adponemus integra: *Pars Galliarum planior hoc compendio utitur ad metendum, & præter hominum labores, unius bovis opera spatium totius messis absumit. Fit itaque vehiculum, quod duabus rotis brevibus fertur, hujus quadrata superficies tabulis munitur, quæ forinsecus reclines in summo reddant spatia largiora. Ab ejus fronte carpenti brevior est altitudo tabularum. Ibi denticuli plurimi ac rari ad spicarum mensuram constituuntur in ordinem, ad superiorem partem recurvi. A tergo vero ejusdem vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum. Ibi bos capite in vehiculum verso jugo aptatur, & vinculis, mansuetus sa-*

ſane, qui non modum compulſoris excedat. Hic ubi vehiculum per meſſes cœpit impellere, omnis ſpica in carpentum denticulis comprehenſa cumulatur abruptis, ac relictis paleis, altitudinem vel humilitatem plerumque bubulco moderante qui ſequitur, & ita per paucos itus ac reditus brevi horarum ſpatio tota meſſis impletur. Hoc campeſtribus locis vel æqualibus utile eſt, & iis, quibus neceſſaria palea non habetur. Nos autem de his quoque minutiis ſumus ſolliciti, quippe quæ nobis totum rei proceſſum faciunt multo clariorem. Ex illis ſpicis Varro eas quæ grandiſſimæ atque optimæ ſunt, in area ſecerni jubet, ut ſemen bonum habeant, I. 51. I. rationem adponemus infra §. 17. reliquæ in area terebantur. Hæc dum meditor ad ſacras literas adplicare, quæſtio incidit, *an eodem modo Judæi ariſtas a culmis deſecuerint, an vero culmos integros cum ſpicis areæ impoſuerint?* Ne cui inutiliis iſta videatur, ſtatim addendum, ejus eſſe uſum aliquem in explicando loco *Matth.* III. 12. Ut ergo ſententiam aperte dicam, puto Judæos integra ſtramenta h. e. culmos & ſpicas non diviſas injeciſſe in aream, atque ſic a Romanorum conſuetudine hac in parte parumper deflexiſſe. Nec rationes mihi deſunt, quibus eam ſuffulcire poſſim. Palmaria eſt, quia Johannes Baptiſta in loco Matthæi citato areæ expurgandæ meminit, in eoque tum frumenti in apothecam recondendi, tum ἀχύρε ſive ſtraminis igne non exſtinguendo comburendi. Jam, ſi eam allegoriam rite exponimus, primo quidem in tritura obſervabimus tenuem paleam a vento, ut modo oſtenſum eſt, abductam, deinde vero ipſum frumentum, & tandem ſtramenta. Si comparatio hic eſt inſtituenda, pii jure cum frumento comparantur, quia a Deo tandem in apotheca cœleſti reconduntur: impii vero vel cum palea, quam ventus abigit, vel cum ſtramine, quod inter alia igni quoque alimentum præbet. Priorem iſtam ſimilitudinem in V. T. aliquoties occurrere paullo ante demonſtratum eſt, poſteriore h. l. utitur Johannes. Notum autem non quidem paleas, bene tamen ſtramenta in Thuringia & alibi calefaciendis hypocauſtis, & coquendis cibis non incommode adhiberi, quæ ipſa res forte in Judæa quoque obtinuit, adeoque Johannes malorum ſupplicium deſcripturus in allegoria pergit, & ſtramentorum ſorti comparat, non vero palearum minutarum, quas jam ventus abegerat. Vox vero ἄχυρον *ſtraminis* quoque ſignificatione gaudet, quod infra oſtendemus. Teſtes vero ex eruditis pro noſtra ſententia adducimus Zegerum & Raphelium ad iſtum Matthæi locum. Sunt tamen quædam difficultates noſtræ ſententia obſtantes, quas ſilentio involvere noſtrum non eſt. Scilicet ſtramenta, ſi in area eandem cum ariſtis ſortem habuerunt, minutatim ſunt conciſa, dentibus præcipue raſtrorum & tribulorum, de quibus inferius. Ergo non potuit fieri, ut variis uſibus adhiberentur, de quibus tamen ſacra & profana autorum monumenta teſtantur. Non de nihilo hæc ſunt, quibus & illud addo, quod hodieque ſimile apud Turcas & alias gentes fieri videamus. Sed hac in parte magnopere variarunt tum integræ gentes, tum aliquæ ſaltem villæ. Utrumque videmus in uſu fuiſſe, ergo utrumque diverſis locis factum eſſe commodiſſime dicemus. Non autem negligendum eſt præterea Cyrilli Alexandrini teſtimonium, qui ad Eſaiam *lib.* 3. *tom.* 5. *pag.* 528. ita commentatur: ϗ τί τὸ ἀλοώμενον; ἄςαχυς ἄρα ϗ σῖτος, ϗ τὰ ἐξ ἀγρῶν εἰς ἅλω συμπεφυρμένα; ὐδαμῶς. ἀλλ' ὄρη ϗ βυνόι. *Et quid trituratur? num forte ſpica & triticum, & quæ ex agris in aream convehuntur? nequaquam ſed montes & colles.* En quæ hic memoret. Spicam ſaltem, ἄςαχυν, & ipſum frumentum, quæ ex agro in aream feruntur. Straminis vero ſive culmi nullam prorſus facit mentionem. Ergo mutationem iſtam jam ſatis deprehendimus, quæ ſola in hoc negotio Judæis alia erat ab aliarum gentium conſuetudine, relique enim omnes, ut ex tota hac ſcriptione adparebit, exacte ſibi invicem reſpondent.

VIII.



VIII. Comportatis hoc modo in aream, quæ eo ferri necesse erat, ipsa sequebatur trituratio, quæ tribus modis fiebat: *jumentis inactis*, *tribulo*, & *baculo*, de quibus singulis agemus singulatim.

IX. Jumentis inactis ergo terebatur frumentum, quando aliquot equorum aut boum juga in area circumagebantur, ut ungulis suis e spicis grana extererent. Ita enim expresse Varro 1. 51. 2. *Apud alios exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod* (malo *quoad*) *ungulis e spica exteruntur grana*. Sic Eustathius ad Iliad. E. 500. Ἀλωὴ, τόπος ἐν ᾧ πατεῖται ὁ πυρός. *Area, locus in quo conculcatur frumentum*. Inventum autem hujusmodi eandem cum ipsa frumenti satione antiquitatem habet, quippe quam apud gentiles Ceres invenisse dicitur, unde Callimachus hymno in eam *vers.* 20.

> Κάλλιον, ὡς καλάμην τε, καὶ ἱερὰ δράγματα πρᾶτα
> Ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι.

> *Pulchrius* dictu, *ut culmum & sacros manipulos primos*
> *Spicarum absciderit, & boves calcare immiserit*.

Vide quæ ibi notat Theodorus Grevius. Antiquissimum certe fuisse docet Homeri locus Iliad. Τ. circa finem.

> Ὡς δ᾽ ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
> Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ,
> Ῥίμφα τε λέπτ᾽ ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ᾽ ἐριμύκων.

> *Ut si aliquis jungat boves masculos latas frontes habentes*
> *Triturare hordeum album in bene complanata area,*
> *Statim vero tenuia fiunt a pedibus magnorum taurorum*.

In usu etiam fuit Ægyptiis, & potuit eadem Ceres, quæ ipsis Isis fuit, prout illustris Lochnerus in Μηκωνοπαιγνίῳ nuper edito *pag.* 76. ostendit, Ægyptios illam docere. Cyrillus in Esaiam loco adlegato: Αἰγυπτίων μὲν παῖδες συνενεγκόντες ἐξ ἀγρῶν ἐπὶ τὴν ἅλωνα δράγματα, εἶτα βοῦς ἐπαφιέντες αὐτοῖς, καὶ ἐν κύκλῳ περικομίζοντες, καταλεπτύνουσι ταῖς χηλαῖς τὰς ἀστάχυας. διακρίνουσι δὲ καὶ διϊστῶσι τῶν ἀχύρων σῖτον. οἵ γε μὴν ἐν ἑτέραις πόλεσι καὶ χώραις ἁμάξαις χρώμενοι, καὶ τροχοῖς πριστηροειδέσιν. *Ægyptiorum filii, comportatis ex agris in aream manipulis, his deinde boves immittunt, & circumagunt, ut spicas ungulis comminuant. A paleis vero triticum discernunt atque separant. In aliis autem urbibus & regionibus, plaustris & rotis prefieri similibus utentes hoc idem conantur efficere*. Nec a sacris absunt hujus rei vestigia, quæ probent, eandem illius apud orientales fuisse rationem. Micheas enim, ubi consolatur Israelitas suos, fore, ut ipsi aliquando e Babylonica captivitate sint reducendi, quo tandem tempore vindicare injuriam ab hostibus factam liceret, his verbis

bis ea effert, *cap.* IV. 12. 13. *Et illi* (ſcil. populi) *non norunt cogitationes*, *&* *non intellexerunt conſilium ejus*. *Collegit enim eos ſicut manipulum in aream*. קומי ודושי בת ציון כי קרנך אשים ברזל ופרסתיך אשים נחושה והדקות עמים רבים והחרמתי ליהוה בצעם וחילם לאדון כל הארץ: *Surge & tritura*, *filia Zion*, *quoniam cornua tua faciam ferrea*, *& ungulas tuas æneas*, *& comminues populos multos*, *& conſecrabis Domino opes ipſorum*, *& potentiam ipſorum Domino totius orbis*. En, quam magnifice & eleganter hoc vindictæ & victoriæ genus deſcribat, ab humillima re ducta metaphora, cujus evolutionem fortaſſe magno ſupercilio inſuper habebunt multi, qui hæc legent. Id vero nobis præſtat ejus inveſtigatio, ut Deum in verbo ſuo loquentem melius, quam quidem harum rerum ignari, intelligamus. Addendus hic eſt locus *Malachiæ* III. 21. ubi Deus Iſraeli ſimile quid promittit: ועסותם רשעים כי יהיו אפר תחת כפות רגליכם: *Et conculcabitis impios*, *erunt enim ſicut pulvis ſub veſtigiis pedum veſtrorum*. Eadem Deus minatur Babeli *Jerem.* LI. 33. בת בבל כגורן עת הדריכה עוד מעט ובאת עת הקציר לה: *Filia Babel eſt ſicut area*, *tempus conculcandi eam adeſt*. *Adhuc paullulum eſt*, *& veniet ipſi tempus meſſis*, qua abſoluta ſtatim incipiebat tritura. Hoc vero trituræ genus non ab omnibus promiſcue peragi potuit, ſed a ditioribus, quibus plura erant equorum boumque juga, alias enim addendum erat tribulum. Teſtatur hoc Columella 2. 21. 4. *At ſi competit*, *ut in area teratur frumentum*, *nihil dubium eſt*, *quin equis melius*, *quam bubus ea res conficiatur*: *& ſi pauca juga ſunt*, *adjicere tribulam & trabam poſſis*. Neque vero ſolorum animalium in hoc trituræ genere partes fuerunt, ſed hominum etiam, ut ariſtas verterent, & jumentorum pedibus ea, quæ nondum trita erant, ſubjicerent. Teſtatur hoc Xenophontis locus in Oeconomicis *pag.* 681. *edit.* Leunclav. Ὅπως δὲ τὸ δεόμενον κόψωσι, καὶ ὁμαλιεῖται ὁ ἀλητός, τίνι τοῦτο; ὦ Σώκρατες, ἔφη. δῆλον ὅτι ἔφην ἐγὼ, τοῖς ἐπαλωσταῖς. στρέφοντες γὰρ καὶ ὑπὸ τοὺς πόδας ὑποβάλλοντες τὰ ἄτριπτα ἀεὶ, δηλονότι μάλιστα ὁμαλίζοιεν ἂν τὸ δεινὸν, καὶ τάχιστα ἀνύτοιεν. *Ut autem comminuatur id*, *quod comminui debet*, *atque tritura fiat æquabilis*, *cuinam*, *mi Socrates*, *hoc tribuis? ait Haud*: *dubie*, *inquam*, *trituratoribus*. *Nam & invertendo*, *& ſubjiciendo pedibus ea*, *quæ necdum trita ſunt*, *ſemper ſcilicet id*, *quod horridum eſt*, *egregie exæquaverint*, *remque maturrime confecerint*. Longus *Paſtoral.* *lib.* III. *pag.* 130. Ἡ μὲν οὖν Νάπη μετὰ τοῦ Δάφνιδος αὐτοῦ μένουσα, περιήλαυνε τοὺς βοῦς, καὶ τοῖς τριβόλοις (ita recte legendum cenſuit Jungermannus) κατειργάσατο τὸν στάχυν. *Nape itaque cum Daphnide iſthic manens boves circumagebat*, *& tribulis ſpicas comminuebat*. Adde, ſi placet, Bochartum Hieroz. I. 2. 32. Iſti vero boves, qui trituræ adhibebantur, *teriones* Latinis dicebantur, vel *triones* a *terendo*, non quidem terram, ut Varro, Servius, Macrobius, Iſidorus & alii ſtatuunt, ſed a *terendo frumentum*. Inde *ſeptem triones* qui proprie duo ſunt, ſed cum rotis plauſtri & temone faciunt ſeptem. Vide, ne hic juſto prolixiores ſimus, Theſaurum Fabri a doctis viris locupletatum in voce *Triones*. Neque tamen iſta triturandi ratio plane deſiit; quippe quam hodieque apud Turcas in uſu eſſe teſtatur Leunclavius in Pandectis hiſtoriæ Turcicæ *pag.* 123. *Arearum in quas meſſis tempore ſegetes tam in Græcia*, *quam in Aſia*, *colliguntur*; *& ipſa triturandi ratio*, *hujuſmodi eſt*. *Solent illarum regionum incolæ*, *poſtquam demeſſæ fruges ſunt*, *non domum eas ex agris*, *more noſtro*, *granis necdum excuſſis*, *in horrea convehere*: *ſed in aream quamdam ſub dio comportare*. *Deinde ſparſis per aream manipulis frugum boves & bubalos immittunt*, *qui dum pedibus ſubjectas proferunt*, *ariſtis grana nullo negotio excutiuntur*. *Et ſolent hæc ſub dio fieri*, *extra pagos & opida*. Idem obtinet apud incolas inſulæ Ceylon, quorum morem deſcribit Robertus Knox in deſcriptione ejus inſulæ I. 3. *pag.* 21. 22. cujus verba, licet aliquantum prolixiora, integra latine adponemus. *Tritura apud ipſos in uſu non eſt*, *ſed frumenta jumentis inactis exteruntur*, *quod quidem celerius & facilius multo procedit*: *ſex enim boves ſingulis diebus minimum quadraginta vel quinquaginta modios exterere poſſunt*. *Id quod cum agere animus eſt*, *locum propinquum & commodum eligunt*, *in eoque partem quandam* XX. *vel* XXV. *pedum latitudine rotundam*, *unde ceſpites decerpuntur*. *Tum ſequentibus utuntur ceremoniis*: *primum cinere*, *qui florum*, *foliorum & circulorum figuras exprimit*, *locum ornant*; *poſt conchas*, *fruſta ferri*, *ligna*, *& nucum Betelinorum faſcem* (*quem ad hoc ipſum negotium aſſervant*) *in medium hujus areæ reponunt*, *eaque omnia lato lapide obtegunt*. *Poſt hæc mulierum quævis*, *quibus id præcipue negotii datum eſt*, *frumenti deſecti manipulos in capite geſtat*, *ſicque ter aream circumit*, *tandemque frumenta deponit*. *Quo facto*, *quod reliquum eſt frumenti*, *nullis ultra ceremoniis adhibitis*, *quanta poſſunt celeritate conferunt*. *Pro opera vero*, *quam mulieres*

hoc

hac re pariter & runcandis frumentis insumunt, singulare quoddam jus ipsis competit, quod lingua vernacula Warapol *vocant, h. e. tantum frumenti, quantum lapidi, quem in medio areæ magicis regulis impositum fuisse diximus, tegendo sufficit. Sæpenumero frumenta, quam primum desecta sunt, in aream congerunt, eaque jumentis exterunt, ut a pluviis, quæ alicubi densæ & frequentes decidunt, immunia conservent: nam horreis pro eorum copia sat amplis destituuntur. In aliis vero tractibus, quæ a pluviis non tantopere infestantur, frumenta in acervos gesta per aliquot menses sub dio consistere patiuntur.* Addimus ex eodem Knoxio hujus trituræ figuram, ut, quæ hactenus dicta sunt oculis quoque subjiciantur.

TRIBULA



X. Sequitur jam, ut agamus de secundo triturandi modo, qui erat, ut tribula excuterent frumenta. *Tribulæ* vel *tribuli* nomen, (utrumque enim occurrit) a *terendo* derivatur, quia universa, quæ ipsi subjecta sunt, minutissime contrivit. Isidorus Orig. xx. 14. *Tribula genus vehiculi, unde teruntur frumenta, & ob hoc ita vocatur*: quæ ille procul dubio sumsit ex Servio ad Georg. I. 164. *Tribula, genus vehiculi, omni parte dentatum, unde teruntur frumenta*. Adde & Hieronymum ad *Jesaiæ* XXVIII. Hebræis est חרוץ quod est a radice חרץ, *concidit, exscidit*. Exempla inferius occurrent. Est autem *tribulæ* vox generalis, denotans tum tribulam proprie ita dictam, tum etiam plostellum Pœnicum, ad cujus utriusque descriptionem jam progredimur.

XI. Tribulam primum verbis autorum veterum describemus, quibus deinde nostram explicationem addemus. Primus inter antiquos sit Varro, qui ita describit I. 52. I. *Id* (tribulum) *fit e tabula lapidibus aut ferro asperata, quo imposito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana*. Usitata est vox hæc Latina etiam Rabbinis, & David Cohen de Lara in Ir. David *pag.* 40. ita explicat: טריבל לוח טרוף פנימות שרשים בו מבואה: *Tribulum est tabula rupturis asperata, qua frumentum triturant*. Utuntur eo verbo Talmudistæ in Menachoth *fol.* 22. I. Sevachim *fol.* 116. 2. quæ eadem repetuntur in Avoda Sara *fol.* 24. 2. Adscribamus verba, quæ huc pertinent: מאי מורינים אמר עולא מיטה של שורביל מאי מיטה של שורביל עיזא דקורקסא דריישין אמר רב יוסף מאי קראה הנה שמתיך למורג חרוץ חרש בעל פיפיות תדוש הרים ותדוק ונבעות כמוץ תשים: Vertit V. C. Georgius Eliezer Edzardi: *Quid vero intelligitur per* מורינים*? Ula respondet: intelligi lectum seu tabulam tribulæ. Et quid est lectus seu tabula tribulæ? Resp. Capra tabula triturantium. Raf Joseph dicit: E quo dicto scripturæ hoc probatur*, (quod מורינים sint tabulæ habentes multas crenas sive incisiones, quod adhibeantur ad triturandum & comminuendum?) *Resp. E dicto Esai.* XLI. 25. Ecce ego ponam te למורג in tribulam excisam novam, habentem ora (seu dentes, crenas,) triturabis montes & comminues illos, & col-

colles quaſi ſtipulam pones. Ut autem verbum Latinum retinuerunt Rabbini ſic deſcriptionem quoque cum ipſis ſimilem proferunt. Raſche ad *Jeſ.* XLI. 15. למורג חרוץ כלי הוא של עץ וכבד ועשוי חריצים חריצים כמין כלי נפחים של ברזל שקורין לימא בלעז ונוררין על הקשין של שבלין ומחתבן עד שנעשו תבן דק: Vertit Fullerus Miſcell. 6. 12. *Eſt inſtrumentum ligneum & ponderoſum, crebris inciſurarum aciebus ad limæ ſimilitudinem eminentibus paratum: quod eo uſque trahitur ſuper culmos, dum extritis frumentis in paleas minutas redigantur.* Similia fere habent Abarbanel & Abendana ad eundem locum, Kimchius in libro Radicum, Raſche & Kimchi ad *Jeſ.* XXVIII. 27. & R. Sal. ben Melech ad 2. *Samuel.* XXIV. 22. Pauca ex Abendana repetimus: חרוץ הוא כלי שדשין בו התבואה והוא לוח עץ ואבנים דקות תחובות תחתיו: *Eſt inſtrumentum, quo triturant frumentum, & eſt tabella lignea, ſub qua lapides tenues ſunt infixi.* Ex loco Talmudico ſuperius adducto conſtat, impoſitum eſſe huic tabulæ ponderis loco inſtrumentum aliquod ferreum, quod עיזא דקורקסא *capra tabulæ triturantium* dicitur. Juvat de iſto Megiſtrorum ſententias audire. Raſche ad locum citatum ex Avoda Sara hæc habet: שורביל עיזא דקורקסא דף גדול ועב מאד ורחב וטרוף בפגימות הרבה לרוחבו עמוקות תבופות זו אצל זו ודשין בו תבואה שמעבירין עליו הבהמות והפגימות נכנסו בדייש והתבואה נחבטת: hoc eſt: *Eſt tabula longa, craſſa valde, lata, & per latitudinem ſuam inciſuris multis & crebris aſperata & hac triturant frumentum, dum per illud jumenta ducunt, & inciſuræ intromittuntur inter triturandum, frumentum autem poſtea ventilatur.* Idem gloſſator ad locum Sevachim ſic notat: עיזא דקורקסא כמין עז של עץ ויש יתידות חדים חריצים חריצים קרניש ומוליכו ומביאו על הקשים של רישה לאחר שנדשה ומחתכין ונעשין תבן: *Capra trituratoria eſt ad modum capræ ligneæ, & ſunt clavi acuti cum crebris inciſuris, galliae* cornes. *Hanc ergo traducunt ſuper ſtramenta triturationis, poſtquam jam trituratum eſt, & comminuunt, & faciunt paleam minutam.* Addamus tertium ejuſdem locum ad Menachoth *fol.* 22. 1. עיזא דקורקסא קורקסא נסר נסר גדול מלא יתידות עזא עז של ברזל נותנין עליו להכבידו: *Kurkeſa eſt tabula magna clavis plena. Capram vero ferream eidem propter onus imponunt.* Adſcripſimus hæc verba, ut oſtenderemus, quanta fides Rabbinis ſequiorum temporum in antiquitatibus deſcribendis ſit adhibenda. Adhibuerunt Talmudiſtæ vocem קורקסא, quam ipſi quidem tunc intelligebant, ut ex conſpiratione trium locorum patet, non tamen perinde Raſchius, qui proinde admodum dubius eſt, quamnam explicationem ſequatur. Primo enim & ſecundo loco, עיזא דקורקסא explicat integrum tribulum, tertio vero, & quidem recte, ferrum aliquod in capræ figuram fabrefactum, quod ponderis cauſſa tribulo imponebatur, quamvis de hoc ipſo verbo reliqui ſcriptores omnes ſileant. Ut vero noſtram de hac voce ſententiam proferamus, certo quidem de ea pronunciare non poſſumus, vocem eſſe ab Arabica lingua adſcitam, quales in Talmude plures occurrunt, & a ſequiorum temporum commentatoribus, linguæ præſertim ignaris, vix ac ne vix quidem intelligi potuerunt. Et utinam Celeberrimus quondam in Belgio Relandus pro ea, qua in hoc literarum genere polluit, ſagacitate, eas voces nobis peculiari quadam diſſertatione dilucidaſſet, quippe quod in Perſicis non ſine laude feciſſe illum conſtat. Arabica vero iſta vox eſt قرق, quod notat *locum æquabilem & planum*, addito vero س eſt قرقوس *latum & molle ſolum.* Vide Golium *col.* 1892. 1893. ut autem omnis vox, quando ex una lingua ad aliam transfertur, aliquid a propria ſignificatione amittit, quod infinitis exemplis probari poteſt: ſic forte & hæc vox ex Arabica ad Babylonicam dialectum tranſlata aliquantum immutavit ſignificationem, & notat *tabulam latam, planam & æquabilem.* Neque tamen ſufficient hæc pro locis adſcriptis, nam quæ porro ex iis uſui nobis eſſe poſſunt, in ſequentibus occurrent. Idem vero inſtrumentum porro dicitur מורג, tam in ſacris literis, quam Talmude, prout ex hactenus dictis conſtat. Deſcendit hæc vox per metatheſin a radice נרר, ut notavit Bochartus Hieroz. 1. 2. 32. *Nam* נרר, *inquit, eſt* trahere, *unde* מונר, *traha dicatur forma analogica: ut a* רדד, extendere, מורד, opus extenſum 1. *Reg.* VII. *verſ.* 29. *Ex Hebræo* מורג *factum eſt Arabicum* نورج naurag, *M. & N. permutatis. Alcamus* نورج naurag *definit inſtrumentum ferreum aut ligneum, quo fruges in area teruntur. Lexicon Copto-Arabicum Coptice reddit* ΠΙΑΣΤΗΡΙΟΝ, *pro quo lego* ΠΙΕΣΤΗΡΙΟΝ, *id eſt*, preſſorum inſtrumentum, ἀπὸ τοῦ πιέζειν, a premendo. *Suidas*: πιεστήριον, τὸ ἐκθλίβον. Hæc Bochartus. Dicitur etiam conjunctim מורג חרוץ de qua conſtructione dignus eſt ut audiatur Gatakerus Cinno 2. 2. *col.* 269. 270. Cujus hæc ſunt verba:

ba: מורג *autem* & חרוץ *quidam volunt esse substantivum utrumque, quod vel similitudinis nota, vel copula interveniente, licet non expressa, alterum alteri conjungatur. Illam interserit Pagninus, dum sic vertit*, Posui te ut traham; ut tribula nova habens ora, triturabis montes, *istam alii nonnulli, ut* מורג חרוץ *sit* ἀντὶ τοῦ מורג וחרוץ traham & tribulam ---- *ita in radicibus Camius; qui & diversa vult instrumenta, triturationi quidem exercendæ destinatum utrumque, quanquam mole vel figura a se invicem discrepantia. At aliis nullum particulæ istius utriusque aut defectum aut usum hic agnoscentibus, alia syntaxis magis probatur. Ex his autem quidam illud substantivum, istud adjectivum esse volunt, uti supra strictim est indicatum, &* מורג *quidem substantivum esse neutiquam ambigitur,* חרוץ *duntaxat controvertitur, hoc autem nomen esse verbale an participiale, inter hos convenit satis. Quidam enim, in quibus Avenarius & Irtonus,* מורג חרוץ *volunt esse* tribulam excisam, *sive* incisam, incisiones multas habentem; *ob foramina in tabula ima.* ---- *vel etiam* exacutam & expolitam. ---- *Alii tamen activam potius attribuunt, ita Camius in comment.* מחתך היטב *h. e.* bene incidentem, *sive incidere habilem, interpretatur; & inde vult dictam, quia stipulam sive stramen ab arista succidat. Proinde Piscator, quem & nostri secuti sunt*, acutam, *reddidit; & Heb. inquit*, incisam, *i. e.* incidendi facultate præditam, *nec desunt, sive verbalia, sive participialia nomina, quæ licet formulam passivam gerant, activam tamen magis notionem habeant, nec tam perpessionem aliunde illatam & impressam, quam affectionem insitam. & inhærentem designant.* ---- *Alii* מורג & חרוץ *substantivum esse utrumque volunt, nec in conjunctione tamen, sed in rectione cohærentia, &* מורג *quidem prout* משפט *quod alioqui Camets in Syllaba altera haberet, regere istic videatur, ita fuerit* traha tribulæ, *sive* tribularis; *quo a trabis aliis usibus destinatis & designatis, distinguatur, vel* traha excisionis, *quo modo* עמק החרוץ *Joel. cap.* III. *vers.* 14. *i. e.* vallis excisionis; *sive* concisionis, *uti post Vulgatum Junius & Pagninus reddidere*, a judicio deciso, definito, determinato *Esai. cap.* X. *vers.* 22. 23. & *cap.* XXVIII. *vers.* 23. *eo loci exequendo sic dicta, ubi tamen Piscator, quod magis probem*, tribulæ *sive* triturationis, *ex Esaiæ locis bis, de quibus nunc agimus. Huic autem novissimæ interpretationi omnino assentior; sed ut nomen* חרוץ *quanquam primario adjectivum merum fuerit, tamen ratione peculiari ubi de instrumento hoc triturationi designato, sic ut & alias quandoque, pro substantivo habeatur.* ---- *Ita demum* מורג חרוץ *fuerit, si adjective* חרוץ *sumatur*, traha incisoria, *sin substantive, quod ipse malim*, traha tribulæ, *sive* tribularis; *a tribula triturationis instrumento, quod ab incidendo nominis id habet, sic dicta.* Hæc Gatakerus, quæ quamvis paullo prolixiora, ad rem tamen nostram facientia adscribere pigrati non fuimus. Latinis autem dicebatur *traba*, quibus rotis destituta trahebatur per frumentum. Ex his ergo, quæ hactenus dicta sunt, constare potest *tribulum esse vehiculi genus sine rotis, cujus infima tabula ferreis clavis erat asperata, vel etiam lapidibus, qui subtus tabulæ infigebantur; quod si a jumentis per frumenta trahebatur, illa comminuebat.*

XII. Neque plane in desuetudinem abiit hoc trituræ genus, sed hodieque a diversis gentibus, adhibetur. Sic de Epirotis rusticis idem testatur Bellonius observ. I. 64. *Collecta messe frumentum triturant: haud flagellis, ut apud nos, sed bobus, quemadmodum per universam Græciam: idque facientes, asseres Chalcedonio lapide munitos post se trahunt, ut stramina & paleas confringant.* Apud Turcas simile quid observari vel ipsa experientia teste scribit Nicolaus Schmidius in descriptione captivitatis suæ Turcicæ (*) *p.* 13. 14. *Per diem cum bobus triturandum mihi fuit, quod quidem hoc modo peragitur: frumenta in campo aperto in circulum congeruntur, ita, ut aristæ introrsum versæ sint, tum bini boves alligantur tabulæ, quæ mensæ non exiguæ magnitudinem habet, totaque inferius acutis silicibus infixis asperata est. Huic insidet quidam, qui boves reste tamdiu super frumentis circumagit, donec illa penitus dissecta, & ad palearum modum diminuta sint. Idem ligneum vas habet, quo jumentorum excrementa excipit, eaque extra aream projicit.* Ex eodem figuram hujus trituræ adjicimus, cui similis fere illa est, quam ad Paraphrasin Chaldaicam I. *Chron.* XX. 3. *p.* 210. edidit Matth. Frid. Beckius, nisi quod ille lapides tabulæ injectos simul expressit, quod facile sibi quis mente potest concipere.

(*) Titulus libri, obscuri fortasse, ab obscuro quippe homine concinnati, hic est: *Kurze und vvahre Beschreibung der funfiahrigen harten Gesangniis, vvelche Nicolaus Schmide, Burger und Kurschner in Dresden, unter denen Turcken ausgestanden.* &c. *Gedruckt zu Dresden Anno* MDCXXXV. 4.

PLOSTELLUM POENICUM.



XIII. Alterum vehiculi genus nobis depingit Varro, ita l. c. gens: *Aut ex assibus dentatis cum orbiculis* (fit tribulum) *quod vocant plostellum Pœnicum. In eo quis sedeat, atque agitet, quæ trahant, jumenta, ut in Hispania citeriore, & alijs locis faciunt.* In quibus quidem verbis rite interpretandis occurrit quædam difficultas, quæ a nobis, quantum ex antiquitate subsidii superest, erit auferenda. Audiamus primo Schefferum de re Vehic. 2. 7. *p.* 128. *Tribulum Africanum*, ait ille, *quod* plostellum Pœnicum *vocarunt, fabrefactum fuit ex asseribus; illi asseres fuere* dentati, *hoc est, ut ego intelligo, non leves æqualesque, sed in modum serræ crebris incisuris asperati dentatique. Nisi putes, τὸ* dentati *referendum non ad præcedens* assibus *apud Varronem, verum sequens* orbiculis. Hæc ille; ubi non diffiteri possum, oriri aliquem scrupulum, qua ratione asseres isti dentati frumentum conterere potuerint. Nam si dicamus plostellum Pœnicum habuisse primo cavum aliquod, in quo repositi fuere lapides majoris ponderis caussa, quod omnino necesse fuit; deinde habuisse quoque asseres: quæritur, quomodo illi asseres ad plostellum adjuncti fuerint. Si usque ad aream pertigerunt, traha fuit in antecedentibus descripta, ad quam nihil faciunt orbiculi. Vel si orbiculi adfuerunt, non opus fuit ut asseres isti fuerint dentati. Notamus ergo fraudi fuisse viro doctissimo vocem *axibus*, quam ille pro *assibus*, seu, ut minus recte quidam dicunt, *asseribus* sumsit. Occurrit sane vox hæc in ea significatione, sed tantum apud Paullum Festi abbreviatorem, qui *tabulam sectilem axis adpellari* dicit. Sed nota est ejus autoritas, quæ a viris doctis non admodum magna statuitur. Quin potius *axes querneæ* in contignatione adhibitæ occurrunt apud Vitruvium 7. 1. Epitomen Vitruvii *c.* 19. &, qui ex hoc exscripsit, Palladium R. R. 1. 9. 2. & notant ipsa tigna, quibus deinde tabulæ infiguntur. Adparet id ex autorum laudatorum contextibus. *Asseris* autem vocabulum, ut hoc obiter moneamus, notat in Romana lingua non tabulas, Bretter, ut hodie plerique putant, sed tabulas dissectas, Latten. Vide quæ in hanc rem notarunt Budæus annot. prior. ad Pandectas *p.* 591. 592. edit. Lugd. ipse Schefferus de re *Vehic.* 2. 7. *p.* 128. & viri docti ad Fabri Thesaurum. Observavit id ipsum *Jos.* Scaliger in Scaligerianis primis *p.* 22. Axis *vel* asser (hæc vox male, cætera bene) *sunt* soliveaux, (quæ vox gallica Latine *tigna* notat) *non autem* tabulæ *Latinis dictæ, ut nos improprie* aisses *Gallice nuncupare credendum sit*. Sed hæc hactenus. Retinere autem debebat Schefferus usitatissimam hujus vocis notionem, qua axis id notat, circa quod cardo alicujus rei vertitur. Tales axes habere debebat plostellum Pœnicum, hoc est, tigna subtus ipsum plostelli corpus adpacta, quæ cylindrorum formam habebant, in girum movebantur, & dentibus ferreis pleraque sui parte erant exasperata. *Pœnicum* autem sive *Punicum* vocari videmus hocce tri-

trituratorii plostelli genus, quia eo Pœni sive Carthaginienses usi sunt, id quod ex Africa in Italiam quoque pervenisse palam est. An idem quoque in Judæa in usu fuerit, tacente Scriptura & genuinis aliis monumentis, nec nos audemus certi quid in medium proferre. Pro adfirmativa tamen hujus sententiæ parte possemus hoc adferre, quod Pœni sive Carthaginienses sint propago antiquorum Chivæorum, qui Josuam fugientes se suaque in naves contulerunt, & in Africa demum sedem invenerunt. Hi ergo Chivæi etiam hanc conficiendi plostelli rationem ex Palæstina potuerunt in Africam transportare, Israelitæ vero terram promissam ex divino mandato adgredientes & incolentes, a populis vicinis idem accipere. Sed hæ sunt conjecturæ: nos iis omissis ad veriora pergimus. Nimirum hæc triturandi ratio hodierno die apud Ægyptios obtinet, antiqui moris hac in parte tenaces, prout docet Georgius Christophorus a Neitschiiz in itinerario *p.* 122. *Instrumentum*, inquit, *habent*, *ad trabæ similitudinem confectum*, *cum tribus vel quatuor axibus ligneis*, *ferme ut apud nos* (Germanos) *circuli ferrei*, *qui rotis adaptantur*: *huic bubalos fortes jungunt*, *illudque plostellum per frumenta sub dio expansa trahunt*, *circuli vero isti ferrei*, *de quibus modo diximus*, *stramina minutatim dissecant*, *sicque*, *dum bubali plostellum hinc inde trahunt*, *grana commodissime ex aristis excidunt*, *quod cum voluptate quadam vidimus & mirati sumus insuper*, *tam barbaras nationes ejusmodi esse ingenio*, *quod tam artificiosas machinas invenire possint & adhibere*. Nos vero id non miramur, qui novimus trituram istam non ab istis barbaris demum esse inventam, sed ad ipsos ab antiquis temporibus perpetua traditione propagatam.

XIV. Solebant porro veteres, ne jumenta vel juncta, vel tribulum aut plostellum trahentia, nimium se frumento ingurgitarent, & sic majus detrimentum domino suo adferrent, quam labor ipsorum esset, freno quodam sive capistro ora illorum obturare, qua re impediebatur, quo minus frumenta manducare possent. Græcii nstrumentum hoc nominant παυσικάπην, ἀπὸ τοῦ παύειν τῆς κάπης, *quod cogeret cessare a præsepi*, κάπη vero est ἀπὸ τοῦ κάπτειν, *a comedendo*. Eustathius ad Iliad. x. 466. παυσικάπη κατὰ Αἴλιον Διονύσιον μηχάνημά τι τροχῷ ἐμφερὲς, δι᾽ οὗ τὸν τράχηλον διεῖρον τῶν ὑποζυγίων, ὥστε μὴ ἐσθίειν. ὡς παύουσα τῆς κάπης, ἤ τοῦ κάπτειν, ὅ ἐστι τοῦ ἐσθίειν. *Pausicapa secundum Ælium Dionysium est instrumentum rotæ simile*, *per quod colla jumentorum transmittebant*, *ut non possent edere*. *Dicitur autem ita*, *quia probibet a cibo sumendo*. Nec solum in animalibus, sed hominibus etiam illud adhibitum esse palam est, servis scilicet vetandum erat, ne in escas involarent, & quæ dominis debebantur, præriperent. Testatur hoc Hesychius, a quo forte sua mutuatus est Eustathius: παυσικάπη, μηχάνημά τι τροχῷ ἐμφερὲς, δι᾽ οὗ τὸν τράχηλον εἶρον, ὡς μὴ δύναται προσενεγκεῖν τὴν χεῖρα; *ita ut manum ori admovere non possent*; Pollux Onomast. 7. 20. τὸ γὲ μὲν τοῖς οἰκέταις τοῖς ἔνδον ἐργαζομένοις ὑπὲρ τοῦ μὴ κάπτειν τῶν ἀλφίτων περιτιθέμενον, παυσικάπη ὀνομάζεται, τροχοειδὲς μηχάνημα ὂν, τῷ τραχήλῳ περιαρμοζόμενον, ὡς ἀδυνατεῖν τῷ στόματι τὰς χεῖρας προσάγειν. *Quod vero servis intus laborantibus*, *ne farinam devorent*, *circumponitur*, *pausicape nominatur*, *& instrumentum erat rotæ in morem factum*, *collo adaptatum*, *ne ori manus admovere possent*.

XV. Antiquitas ejus moris in tritura patet ex præcepto divino, quod in deserto repetit Moses *Deut.* xxv. 4. לא תחסום שור בדישו: *Non obturabis os bovi in tritura constituto*: ubi R. Sal. ben Melech ex Kimchii libro Radicum notat מחסום esse aliquid, שישימו בפי הבהמה שלא תאכל ולא תשך: *quod ponant in os animalis*, *ne comedat*, *vel mordeat*. Rationem autem, cur Deus tam sollicite boum & jumentorum curam gerat, hanc adferunt Judæorum Magistri, quod æquum sit, eos, quorum ministerio in agris colendis utimur, etiam ab omni frugum esu plane abesse non debere. Expresse ita Raschius ex Bava Mezia *fol.* 89. 1. מה דייש מיוחד דבר בשעת גמר מלאכה פועל אוכל בו אף כל שהוא בשעת גמר מלאכה פועל אוכל בו: *Quid est tritura? est actio quædam peculiaris*, *quam si quis justo tempore laborans ad finem perducat*, *de ea debet comedere*, *quod & in omibus aliis procedit*, *ut*, *qui justo tempore laborans ad finem sua perducit*, *de iis debeat comedere*. Nec ad solos boves hæc sunt restringenda, sed ad omnis generis animalia. Quæcunque nobis in aliqua re utilitatem præstant, illa etiam in ejus partem debent venire. Recte hoc inculcat iterum Raschius, qui ad verba לא תחסום hæc notat: דבר הכתוב בהווה והוא הדין לכל בהמה חיה ועוף ולכל מלאכה שהיא בדבר מאכל אם כן למה נאמר שור להוציא את האדם: h. e. *Loquitur scriptura de re præsenti*, sive *ejusmodi quæ quotidie solet accidere*. *Et idem quoque fieri debet omnibus jumentis*, *bestiis*, *& avibus*, *in omni negotio*, *quod circa cibum versatur*. *Quod si* ita

ita est, cur queso scriptura bovis saltem mentionem facit? Respondeo, ut excipiatur homo. Nam, ut ex antecedentibus adparet, de homine ne quidem quæstio est, quum dignus sit operarius mercede sua. Multa hic ex more Judæorum philosophatur Elias Misrachi Comment. in Legem *fol.* 209. *n.* 3. edit. Bomberg. Et hæc caussa est, cur Divus Paullus hoc dicto utatur, 1. *Corinth.* IX. 9. & 1. *Timoth. v.* 18. Agit enim ibi de stipendio verbi divini doctoribus debito, id proponens, ut, qui totnm tempus atque operam suam in verbi divini prædicatione insumerent, aliquid etiam haberent, unde viverent. Hoc ipsum inlustrat verbis Mosis, quæ jam modo adducta sunt: Οὐ φιμώσεις βȣ̃ν ἀλοῶντα: quibus statim hæc subjungit: Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ θεῷ; *numquid de bobus cura est Deo?* Quorum verborum, ni fællor, hæc est sententia: Præcepit Deus in lege, ut illa jumenta, quæ nobis suam in colendis frugibus operam commendant, in partem quoque alicujus fructus nobiscum veniant. Quum ergo illud de bobus a Deo mandatum fuerit, cogitate annon a minori ad majus argumentati liceat, ita, ut, quum Deus boum curam gerere non dedignatus fuerit, docere nos voluerit, multo meliorem hominum, & in his divini verbi ministrorum debere esse conditionem, ut scil. illi multo magis aliquam ex rebus suis, quas tractant, percipere possint utilitatem. Non indigna sunt, quæ huc transferantur verba Nicolai de Clemangiis, ultimorum temporum & barbari ævi, sed boni, eloquentis & pii scriptoris, ex opusculo de novis celebritatibus non istituendis *p.* 153. *b. Quod autem scribit* (Apostolus) *de bobus curam Deo non esse, longe est ab illo dictum proposito, ad quod inducitur. Non enim illic per boves homines pecorum se ritu agentes, ut prætenditur, sed laborantes prædicatores intelligi voluit, quibus in area Ecclesiæ triturantibus non est os alligandum, quo minus vitæ necessaria illis ministrentur ab his, quibus serviunt, ut in illo legis præcepto:* Non obligabis os bovi trituranti, *non tam juxta literam de bobus cura Deo fuerit, sicut Judæi carnales sentiunt, quam juxta mysticam intelligentiam de prædicatoribus, sicut idem recte interpretatur Apostolus. Possunt nimirum*, verba sunt Sonntagii Exercitatione octava de Therapeutis *p.* 54. *incidere tempora, certique dantur casus, ubi Spiritus Sanctus clare & exerte se explicat, quod allegorias, tropologias & anagogias etiam intenderit: verum hoc in priore allegoriarum innatarum loco factum fuerat saltem indirecte, videlicet, non per verba, sed per remissis verbis significatam. In posteriore autem loco potest fieri, & fit subinde, ut ille fiat sensus literalis, qui in priore fuerat mysticus allegoricusque. Dum enim v. g. Deus per Mosen jusserat, non obligare os bovis trituranti & grana exterenti, jusserat ibidem indirecte, ceu Paulus indicat, salaria Ministris Ecclesiæ porrigere*. Cautione tamen hic aliqua Ministris Ecclesiæ opus esse animadvertit Autor Constitutionum Apostolicarum 2. 25. cujus verba adscribimus: καὶ ταῦτα λέγομεν, οὐχ ἵνα μὴ μεταλαμβάνητε ὑμῶν τῶν πόνων. γέγραπται γὰρ. Οὐ φιμώσεις βȣ̃ν ἀλῶντα. ἀλλ᾽ ἵνα μεμετρημένως μετὰ δικαιοσύνης. ὃν τρόπον οὖν ὁ βȣ̃ς ἐργαζόμενος ἐν τῇ ἅλῳ ἀκήμωτος, ἐσθίει μὲν, ἀλλ᾽ οὐ τὸ πᾶν κατεσθίει. οὕτω καὶ ὑμεῖς ἐργαζόμενοι εἰς τὴν ἅλω, τουτέστιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐσθίετε. *Atque hæc dicimus, non ut laboribus vestris nullatenus fruamini. Scriptum est enim:* non alligabis os bovi tritturanti: *sed ut moderate cum justitia utamini. Quemadmodum ergo bos in area operans cami libero ore, pascitur quidem, sed non totum depascitur: ita & vos laborantes in area, hoc est, in Ecclesia Dei, ex Ecclesia vivite*. Et hæc quidem hactenus.

XVI. Illo autem tempore, quo boves triturabant, obesi erant, & pingues, ad satietatem enim usque in area vorare poterant, unde in sacris ejusmodi vitula dicitur דשה & מרבק, sed malumus hæc eruditissimi Bocharti, quam nostris verbis proferre, quippe qui hæc in Hierozoico 1. 2. 31. tanto cum eruditionis adparatus pertractavit, ut nemo ipso melius atque doctius præstare potuerit. Hæc autem habet. „ Boves inter *Judeos* tum „ maxime pinguescebant, cum erat tri„ turæ tem, quia bovis triturantis os „ capistrare Lex prohibebat, ut suo lo„ co dicetur. Itaque inter triburandum „ bovi liberum erat vesci frugibus ad „ satietatem usque. Proinde *Propbeta* „ *Oseas*, ut *Israelitas* laborem detrectare „ & genio indulgere doceat, eos confert „ cum vitula, quæ soli trituræ assuevit, „ neque alia re delectatur, *Os.* X. *vers.* „ 11. *Ephraim*, inquit, *vita est, quæ* „ *assuevit, & amat triturare*. Quo eo„ dem sensu dicitur *Jerem.* L. *vers.* 11. „ חפושו כעגלה דשה *pingues eritis ut vi-* „ *rula triturans*. Non lego דשא per „ Aleph, sed דשה per *He* in fine; quia „ sic reperio in multis exemplaribus *Ve-* „ *netiis, Basileæ, Antverpiæ, Genevæ,* „ *Leidæ* editis. Et libros quoque vetu„ stiores hanc lectionem exhibuisse nos „ docent *Rabb. Jonas & Kimchius*. *Mar-* „ *do-*

dochæus etiam id ipſum ſequitur in *Hebraicis Concordantiis*. Sed hoc potiſſimum, quod altera lectio vix poteſt ſtare, quamvis illam fere ſequantur recentiores Interpretes. Quid enim eſſet *vitula* רשא per Aleph. Ajunt רשא *daſa*, eſſe pro רשאה *deſaab*, & ſic dici vitulam, quæ herba veſcitur, ejuſque] paſtu pingueſcit. Sed ne dicam grave id eſſe, quod רשא *daſa*, volunt eſſe pro רשאה *deſaab*, illa ipſa vox רשאה *deſaab*, non id eſſet, quod aſſerunt. Neque enim רשא Verbum *herba veſci* ſignificat, ſed *herbaſcere*. Sic *Geneſ*. I. *verſ*. II. תרשא הארץ *herbaſcat terra*, Joel. II. verſ. 22. רשאו נאות מדבר *Herbuerunt paſcua deſerti*. Et Chaldæum דתרא id ipſum eſt, ש & ת de more permutatis. Itaque רשאה eſſet *herbaſcens*, & de terra, vel agro recte diceretur, de animali non item. Denique huic *Jeremiæ* loco, *Pingues fuiſtis ut vitula* רשה *triturans*, ecce alterum plane geminum, *Malach*. IV. *verſ*. 2. ופשתם בעגלי מרבק, *& pingues fuiſtis ut vituli marbek*. In quo ſi probavero *vitulos marbek* eſſe vitulos triturantes, facile concedetur idem eſſe vitulam רשה quia cætera ſunt ſimilia. In utroque loco verbum פוש uſurpatur in pingueſcendi notione, quod alioqui eſt ſine exemplo. In utroque a vitulis ducitur ſimilitudo, ſolum ſexu mutato. Itaque hæc duo loca erunt omni ex parte parallela, ſi vitula רשה ſit idem quod vituli מרבק *marbek*, id eſt, ſi conveniat utraque vox in triturandi notione. Sed *vitulos marbek* dici vitulos, qui triturant, plane videbitur inſolens, quia multo aliter ſumunt priſci & novi Interpretes. Vox occurrit in quatuor Scripturæ locis. Primus eſt, I. *Sam*. XXVIII. 24. ubi mulier ἐγαστείμυθος legitur domi habuiſſe עגל מרבק *vitulum marbek*, quem Regi *Sauli* obtulit. Secundus *Jer*. XLVI. vſ. 21. ubi *Ægyptiis* milites, qui in tam pingui ſolo educati, ipſi etiam farti, & pingues erant, leguntur eſſe כעגלי מרבק *ut vituli marbek*. Tertius Amos VI. *verſ*. 4. ubi proceres *Iſraelis* luxu & mollitie diffluxiſſe inter cetera ex eo probat *Propheta*, quod comedebant vitulos מתוך מרבק, *e medio marbek*, ſupple *eductos*. Quartus denique hic ipſe locus, in quo verſamur, *Malach*. IV. 2. *Et pingueſcetis ut vituli* marbek. *Græcos* autem interpretes non ſatis ſciviſſe quid eſſet *vitulus marbek*, colligere eſt ex verſionum inconſtantia. Quot enim ſunt ſcripturæ loca, in quibus adhibetur hoc vocabulum, tot illius nova cudunt interpretamenta. Nempe in primo *vitulus marbek* illis eſt δάμαλις νομὰς, *juvenca paſcualis*. In ſecundo *vituli* marbek μόσχοι σιτευτοὶ, *vituli ſaginati*. In tertio *vituli e medio* marbek μοσχάρια ἐκ βουκολίων γαλαθηνὰ, *vituli ex armentis lactentes*. In quarto rurſus *vituli* marbek, μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα, *vituli ex vinculis ſoluti*. Et hos ex parte ſequutus *Hieronymus*, modo *vitulos paſcuales* aut *ſaginatos*, reddit, modo *vitulos de armento*, aut *de medio armenti*. Chaldæus quoque in *Samuele* habet עגל פטים, *vitulum ſaginatum*. Sed in aliis tribus locis ſemper pro מרבק *marbek* habet רבקה *ribka*, iiſdem radicalibus, quamvis mutata forma nominis. Unde *Kimchio* מרבק *marbek*, vel רבקה *ribka*, eſt *locus ſaginationis*, uno verbo *ſaginarium*. Et *vituli marbek*, vel *ribka*, *vituli ſaginarii*, ſeu *ſaginati*, quod ſequuntur recentiores. Hæc in genere, nunc conabimur aliquid de his vocibus docere magis præciſum. Arabice بقرة *bacara* eſt bos, & رقبة *rakaba* collum. Ad utrumque videtur alludere רבקה *rabaka*, vel *ribka*, id eſt, *vinculum* proprie *in collo bovis*. Unde in *Alkamus* ربق Verbum eſt *bovis collum vincire*, & الربيقة *rabica* eſt bos, aut etiam aliud jumentum في الربقة in *ribka* i. e. collum habens vinculo adſtrictum. Unde ad alia transfertur. Nam & de ove legas ربق الضان *ovem collo devinxit*. Et de homine ربقته من عنقي *illum collo meo adſtrinxi*. Ea Metaphorice de iis, qui promiſſorum nexibus tenentur obligati اكم الوفا بالعهد ما لم تاكلوا الرباق *vobis ſtandum erit promiſſis, niſi colli vincula devoratis*. Et in aucupiis ارتبق الطير في حبالته *Avis collo adſtricta eſt in laqueis ejus*. Quod aucupii genus *Græci* fuit notiſſimum. E quo numero *Archia Poeta* laqueum hujuſmodi vocat δειραχθὲς εὔβροχον ἅμμα πετεινῶν, *collo oneroſum multis laqueis avium tete*. Et *Antipater Sidonius* πετεινῶν ἄρρηκτον δειραιοπέδην, *infractum voluctium colli laqueum*. Item κλαγερῶν λαιμοπέδαν γεράνων, *clangentium*

,, *tium gruum gulæ laqueum*. Et alius
,, apud *Suidam* δεραφχέας πάγας, *laqueos*
,, *collum frangentes*. Proinde *Homerus*,
,, Iliad. χ. procorum pellices, quorum

,, Δερῆσιν βρόχοι ἦσαν ὅπως οἴκτιστα
,, θάνοιεν,

,, *Collis laqueis erant, ut miserime*
,, *morerentur*,

,, cum turdis & palumbis confert, qui
,, laqueo implicati sunt, collo nimirum
,, adstricti. Constat igitur hactenus apud
,, *Arabes*, ربقة *ribka* esse *colli vinculum*,
,, primo in bove, deinde καταχρηστικῶς in
,, quovis animante. Sed *Hebræi*, hac in
,, parte accurati magis, nonnisi de bo-
,, ve usurpant, idque cum ad areæ pa-
,, lum, aut columnam collo ad alliga-
,, tur, ut grana pedibus supposita tritu-
,, ret. Cujus ritus in *Talmudicis* libris
,, non pauca sunt vestigia. Ut in Tra-
,, ctatu *Gittin cap.* 5. *fol.* 53. 1. פרה
,, שהכניסה לרבקה על מנת שתינק ותדוש:
,, *Juvenca, quam inducit in* ribkam, *ut*
,, *sugat, & trituret*. Et in *Bava Messia*
,, *cap.* 2. *fol.* 30. *a.* Et in *Pesachim cap.*
,, 2. *fol.* 26. *a.* rursus de juvenca הכניסה
,, לרבקה ודשה *Inducit eam in* ribkam, *& il-*
,, la *triturat*. Et *Glossa* ad priorem lo-
,, cum, רבקה קופלא בלעז שמרבקין
,, שלוש בהמות או ארבעה בצואריהן זו
,, אצל זו הדישים הדישה: Kibka *vulgari*
,, *lingua est copula, qua tres aut quatuor*
,, *pecudes collis suis simul junctas, convin-*
,, *ciunt ad triturandum*. Et ad posterio-
,, rem, רבקה קובלא בלעז שקושרין
,, דפרית בירח Ribaka *vernaculo sermone*
,, *copula, qua quatuor juvencas simul vin-*
,, *ciunt*. Et ad vocem ודשה, *& tritu-*
,, *rat*, eadem *Glossa*, ודשה תבואה עם
,, בחירותיה *Et triturat proventum cum*
,, *sociis suis*. Et in Tractatu *Eruvin cap.*
,, 2. *fol.* 17. b. וביניהן כמלא שתי רבקות
,, של ג׳ בקר רבברי ר״מ ר׳ יהודה אומר
,, של ד׳ קשורות: *Et inter eas* (columnas
,, areæ ad triturandum) *sit spatium dua-*
,, *bus* ribkis, *quarum singulæ capiant tres*
,, *boves juxta* R. Meier; *sed* R. Juda
,, *dixit quatuor boves ligatos*, *Arabes* in
,, tritura tres solum *boves* adhibent, quo-
,, rum medius راكس *rachis* vocatur &
,, طاحن *tachin*, & هار *had* (vel *hadin*
,, Vocalibus additis) & extimus طايق
,, *taik*. Alcamus, الراكس الثور الذي
,, يكون في وسط البيدر حين يداس
,, والثيران حوالية Rachis, *bos, qui est*
,, *in media area cum tritura fit, & alii*
,, *duo circa eum*. Reliqua videat apud
,, eumdem, qui harum rerum curiosus
,, est. Nobis docuisse sufficit, quod pro-
,, bandum susceperamus, nempe voce
,, רבקה *ribka*, *copulam* significari, vel
,, *vinculum in collo boum*, aut *vitulorum*,
,, *quo triturantes vinciuntur*. Porro מרבק
,, *marbek* idem est, quod רבקה *ribka*; ut
,, ex *Jonathane* constat, in quo רבקה
,, *ribka*, ter est pro מרבק *marbek* ut jam
,, ante notavimus. Itaque מרבק *marbek*,
,, a Rab. *Selomone* constanter *copula* red-
,, ditur, *Jer.* XLVI. *vers.* 21. *Amos*
,, VI. *vers.* 4. & *Malach.* IV. *vers.* 20.
,, sed & Græci *seniores Malachiæ* verba
,, ופשתם כעגלי מרבק *Et pingues fuistis*,
,, *ut vituli* marbek, haud dubie reddi-
,, derant, καὶ σκιρτήσετε ὡς μοσχάρια ἐκ
,, δεσμῶν. *Et salietis ut vituli ex vincu-*
,, *lis*, quibus scilicet in area devinciun-
,, tur, ut subsultando, grana triturent.
,, Sed additum ἀνειμένα, *soluti*, ex Glosse-
,, mate; quia scribis imperitis, qui de
,, tritura hic agi non cogitabant, id vi-
,, debatur absurdum, ut *ex vinculis sal-*
,, *tare* dicerentur, nisi soluti. Omnino
,, igitur vituli illi, qui in *Hebræo* textu
,, dicuntur *vituli* מרבק *marbek*, & in
,, *Chaldæo vituli* רבקה *ribka*, sunt vitu-
,, li, qui in vinculis grana triturant, &
,, eorum esu pinguescunt. Et *Jeremiæ*
,, loco, *Pinguescetis, ut vitula triturans*,
,, hic *Malachiæ* est parallelus, *Pinguesce-*
,, *tis ut vituli* marbek. Recte tamen red-
,, dideris, *ut vituli saginati*: qua figura
,, Consequens ponitur pro Antecedente. "
Hactenus Bochartus.

XVII. Congeremus huc miscella quædam huc pertinentia, quæ non omnino negligenda putamus. Alium modum Ægyptiis usitatum, quo boves ab esu frugum detinuerunt, recenset Ælianus Hist. Anim. 4. 25. Ὅταν ἀλοητὸς ᾖ, καὶ στρέφονται περὶ τὸν δῖνον οἱ βόες, καὶ πεπληρωμένη τῶν δραγμάτων ἡ ἅλως ᾖ, ὑπὲρ τοῦ τοὺς βοῦς μὴ ἀπογεύεσθαι τῶν σταχύων, βολίτῳ τὰς ῥῖνας ἐπιχρίουσιν αὐτῶν. σόφισμα ἐπινοήσαντες τοῦτο καὶ μάλα γε ἐπιτήδειον. τοῦτο γὰρ ζῷον μυσαττόμενον τὴν προειρημένην χρῖσιν, οὐκ ἂν τινος ἀπογεύσαιτο, οὐδ' εἰ τῷ βαρυτάτῳ λιμῷ πιέζοιτο. *Ne boves in area ad trituram accommodati spicas interim edant, dum proculcant, eorum bubulo fimo nares illinendæ sunt*: *Quæ astuta machinatio perficit, ab illarum ut sese esu abstineant. Hoc nimirum animal hujusmodi tetri odoris aspersione deterritum, nihil, ne si fame quidem acerrima premeretur, unquam ederet*. Quamdiu autem obtinuerit mos iste bobus triturandi, incertum est. Ultimis tamen seculis

in

in Anglia adhuc viguisse docet Johannes Saresberiensis *Policr.* I. 13. *pag.* 27. ubi vanorum ominum captatores ridet, qui inter alia & hoc observabant: *Bobus triturantibus, libentius tamen arantibus, obviabis.* Non possumus autem non brevibus quoque adnotare, incommodum non minus, quam sumptuosum fuisse hoc ipsum, de quo hactenus egimus, triturandi genus. De posteriores res est aperta, comparandum enim fuit plaustrum cum multo ferramentorum genere, in quo frangi aliquid facile potuit, & sic tempus frustra terebatur. Semper autem duo boves adhibendi erant, qui aliud interea negotium potuissent peragere. Porro festinandum erat, ut ante autumni tempus tota tritura perageretur, quod multo jam commodius in horreo fit, etiam ingruente per hiemem tempestate. Tandem quoque grana ita premebantur, ut rotunditatem omnem amitterent, & granis fere non viderentur similia. Quod ipsum indigitat Gregorius M. homilia in XXI. post Pentecostem, ubi ait: *Sic in tritura areæ grana sub paleis premuntur.* Idem innuit Jesaias Propheta *cap.* XXVIII. 28. לחם יודק *panis comminuitur*, h. e. frumentum ex quo panis fit. Ex quibus verbis id nobis constat, grana aliquando vi plaustri nimium quantum fuisse compressa, & tunc præcipue, quum ab indiligentibus servis non adcurate animus advertebatur. Porro ait Propheta: והמם גלגל עגלתו *& conterit rota currus ejus*: radix autem המם significationem habet *occidendi*, *Exod.* XXIII. 27. *intereundi*, *Deuter.* II. 15. *exterendi*, I. *Samuel.* VII. 10. *consumendi* 2. *Sam.* XXII. 15. prout bene notavit Forerius. Porro addit Propheta: כי לא לנצח ארוש ידושנו *nam non in perpetuum triturando triturabit illud*: ubi Grotius: *Bene cavet sibi agricola, ne nimis diu trituram faciat, alioqui non aristas tantum & paleas expressurus, sed & grana corrupturus, ut sequentia indicant.*

XVIII. Sequitur ergo tertium trituræ genus, quod æque est antiquum, sed tamen multo commodius, quod proinde ad usque nostra tempora reservatum est, quibus tamen alias omnia ab humanis ingeniis meliora procuduntur. Peragebatur autem illud baculis vel flagellis. De prioribus mentio est apud Columellam 2. 21. 4. *Sin autem Spicæ tantummodo recisæ sunt, possunt in horreum conferri, & deinde per hiemem vel baculis excuti, vel exteri pecudibus*: Hebræi vocant חבט Kimchius ad *Judic.* VI. 11. חובט חטים כמו דש אלא שהדישה בבהמות והביטה במקל וכן כי תחבוט ויתן חובט במקל בזית להפיל חובט הזיתים: *idem est quod* דש *triturans: nisi quod radix* דוש *de animalibus*, חבט *vero de baculo usurpatur, quemadmodum Deuter.* XXIV. 20. Quando decuties olivam tuam, *ubi dicitur, quod olivæ baculo dejiciantur:* LXX. Interpretes verterunt ῥαβδίζειν, *Judic.* VI. 11. *Ruth.* II. 17. Et fiebat olim plerumque in frumentis saltem tenuioribus & leguminibus. Testatur id locus exquisitissimus Jesaiæ Prophetæ *cap.* XXVIII. 27. כי לא בחרוץ יורש קצח ואופן עגלה על כמן יוסב כי במטה יחבט קצח וכמן בשבט: Verto post habitis leguminum speciebus, de quibus disputare mei nunc non est instituti, cum Gatakero Cinni 2. 2. *Neque enim tribula triturabitur melanthium, neque rota plaustri super cuminum circumagetur, sed baculo excutitur melanthium, & virga cuminum.* De flagello autem memorat Hieronymus ad locum Prophetæ citatum: *Infirmiora semina virga excutiuntur, & baculo, quæ vulgo flagella dicuntur.* Facile adparet ex his, instrumentum triturandi, quale hodieque apud nos adhibetur, inde nomen suum habere, & suspicari licet, eandem quoque Hieronymi tempore illius fuisse formam, flagris nempe similem, non vero qualis baculi sive perticæ fuit. Rationem autem cur legumina baculo saltem excussa fuerint, addit Raschius ad locum Jesaiæ: כי לא בחרוץ דשין את הקצח לפי שזרעו נוח לצאת מחוך קשים שלו וכן על כמון לא יסבו אופן עגלה לדושו לפי כי קל הקצח לחובטו במטה וכמון בשבט: h. e. *Nam non tribulo triturant melanthium, quia semen ejus facile exit e folliculis suis: & sic quoque super cuminum non involvunt rotam currus, ut ita trituretur, quia melanthium facile pertica, & cuminum baculo ejicitur.* In Africa illud trituræ genus hodienum obtinere testatur Michael Hemmersam in itineratio *pag.* 42. *Maurorum in Guinea frumenta triturant tria vel quatuor mancipia, quia longas perticas manibus tenent, quibus tam diu frumenta percutiunt, donec grana excidant.*

XIX. Et hæc fuere, quæ de tribus triturandi generibus in medium erant proferenda, sequitur ut porro dicamus, quid frumentis extritis in area peractum fuerit. Necesse quippe erat, ut extritum frumentum a paleis & gluma purgaretur, quum omnia inter se confusa jacerent, ut ex loco Raschii supra §. XI. adducto constat. Hoc Latini vocarunt *polire, ut polita omnia dicimus exculta & ad nitorem perducta*, prout habet Nonius I. 339. Hinc *politio* & *politor* significatu occurrunt apud Catonem *cap.* 130. Alii Latini vocant *ventilare*. Auctor vitæ S. Brigidæ *cap.* 9. *num.* 55. apud Bolandum

tom.

tom. 1. *Febr. pag.* 125. *Et introiverunt in horreum, & invenerunt in eo quadraginta modios ſeminis ventilatos*: Græci dicunt καθαρίζειν & διακαθαρίζειν. Matthæi III. 15. Lucæ III. 17. item καθαίρειν Confer exempla Xenophontis, quæ ad citatum Matthæi locum congeſſit Raphelius. διακαθαίρειν. Alciphron epiſt. 3. 26. ἄρτι μοι τὴν ἅλω διακαθήραντι καὶ τὸ πτύον ἀποτιθεμένῳ ὁ δεσπότης ἐπέστη. *Cum jam aream purgaſſem, & ventilabrum deponerem, herus ſupervenit*. Item λικμᾷν. Pollux 1. 225. Λικμῆσαι, ἀποκαθῆραι τὰ ἄχυρα τῷ προκάνῳ, ἀποκρῖναι τοὺς ἀχυρμούς. Homerus *Iliad. E.* 499.

> Ὡς δὲ ἄνεμος ἄχνας φορέει, ἱερὰς κατ' ἀλωὰς
> Ἀνδρῶν λικμώντων.

> *Quemadmodum ventus paleas aufert ſacras circum areas*
> *Quando politores ventilant.*

Sapientiæ *verſ.* 23. Ἀντιστήσεται αὐτοῖς πνεῦμα δυνάμεως, καὶ ὡς λαῖλαψ ἐκλικμήσει αὐτούς. *Reſiſtet ipſis ventus fortis, & ſicut turbo ventilabit ipſos.* Heſychius: λικμῶ, πτύω. λικκμητήριον πτύον. Et apud Florentinum Geopon. 2. 25. habes λικμηθέντα σῖτον, *purgatum & ventilatum frumentum*. Adde LXX. *Ruth.* III. 2. Hebræis eſt זרה. *Jerem.* IV. 11. *Ruth. l. cap.* quod Raſchius explicat וונטור בל"עז, quod eſt Gallicum *venter*, ex τῷ *ventilare* depravatum: Talmudiſtis מרח, in Peah *fol.* 3. 1. Maaſeroth *fol.* 61. 1. Inſtrumentum politionis latinis eſt *pala*, *quæ ventilabrum vulgo dicitur, a ventilandis paleis nominata*, ut habet Iſidorus *Orig.* 20. 14. Alias eſt *vannus*, quam Servius ad *Georg.* 1. 166. explicat *cribrum areale*. Occurrit apud Varronem & Columellam: inde *evannare* apud eundem Varronem & alios, etiam in ſenſu obſcoeno, quod obſervavit Nonius 1. 62. Diminutivum ab eodem eſt *vallus*, ut a *vino*, *villum*, apud eundem Varronem. Cur autem vannus a Poeta l. c. *myſtica* vocetur, ratio eſt, quia in myſteriis Bacchicis Deo frumenta in vanno ſunt propoſita. Philargyrius: *Vannus eſt vas vimineum latum, in quod propter capacitatem ruſtici congerere frugum primitias ſolent, & Libero ſacrum facere. Unde MYSTICA dixit eſt autem uſus ejus, ut fabam vannat.* Aliter Servius: *Myſtica autem Jacchi ideo ait, quod Liberi patris ſacra ad purgationem animæ pertinebant: & ſic homines ejus myſteriis purgabantur, ſicut vannis frumenta purgabantur. Hinc eſt, quod dicitur, Oſiridis membra a Typhone dilaniata Iſis cribro ſuperpoſuiſſe. Nam idem eſt Liber pater, in cujus myſteriis vannus eſt, quia, ut diximus, animas purgat.* Rationem autem cur Virgilius inter alia ruris inſtrumenta vanni quoque myſticæ meminerit, quæ tamen ſacrum eſt vas, non noſtris ſed Petri Victorii verbi addemus. Is ita ad Varronem de re Ruſtica 1. 52. *Vannum autem in ruſtico carmine appellaſſe Vergilium, notum omnibus eſt: qui tamen dum agricolarum inſtrumentum hoc eſſe traderet, docuit in alio etiam uſu illud haberi ſolitum, & in rebus divinis, maxime Liberi patris, frequens eſſe conſuevíſſe. Eruditiſſimus enim Poeta, quod ipſe ſciebat, aliis quoque* ἐν παρέργῳ *notum eſſe voluit. Intelligit autem, ut opinor, vannum, quod* λίκνον *Græci vocant, inſtrumentum ad cuncta pene ſacrificia idoneum, ut veteres grammatici tradunt: unde qui illud gerebat in ſacris* λικνοφόρος *vocabatur. Plutarchus in Alexandro cum de Olympiade ipſius matre loqueretur, quæ Bacchi ſuperſtitionibus addicta eſſet, & mænadum more dracones etiam aleret, inquit de illis loquens,* οἱ πολλοὶ ἐκ τοῦ κιττοῦ καὶ τῶν μυστικῶν λίκνων παραναδυόμενοι καὶ περιελιττόμενοι τοῖς θύρσοις τῶν γυναικῶν καὶ τοῖς στεφάνοις, ἐξέπληττον τοὺς ἄνδρας. *Nam Vergilius etiam myſticam vannum, ille myſtica liena, vocavit.* Hæc Victorius. Græca vox hoc inſtrumentum denotans eſt πτύον, apud Matthæum l. c. Artemidorum 2. 24. & Heſychium. Sed hæc nota ſunt & aperta. Ignotius paulo eſt aliud nomen hujus inſtrumenti, *capiſterium*, quod, ut adparet, a *capiendo* dicitur, ideo, quia in eo frumenta capiuntur & purgantur. Conſtans vero hæc ſcriptio in impreſſis & manu exaratis codicibus occurrit, quod propterea moneo, ne quis Georgio Alexandrino ſive Merulæ fidem habebat, qui *Scaphiſterium* vult ſubſtituere. Occurrit hæc vox ex probatis auctoribus, quantum quidem ſciam apud ſolum Colummelam 2. 9. 11. *Cum rurſus amplior meſſis provenerit, quicquid exteretur capiſterio expurgandum erit.* Repetitur autem hæc vox barbaris demum ſeculis a Goffrido Vindocinenſi *ſerm.* 11. *Nutrix vero illius* (Benedicti) *cum a vicinis mulieribus capiſterium accepiſſet, quo modicum tritici, quod eis pro Dei amore collatum purgare debuiſſet, vas ipſum ſuper menſam non bene collocatum cecidit; & ita confractum eſt, ut in duas partes inveniretur diviſum.* Et ab Auctore vitæ S. Scholaſticæ *num.* 2. apud Bollandum *tom.* 2. *Febr. pag.* 404. narratur ipſam in juventute capiſterium caſu confractum divina virtute reſtituiſſe. De ventilatione autem proverbium exſtat apud Siracidem *verſ.*

verſ. 9. Μὴ λίκμα ἐν παντὶ ἀνέμῳ. *Ne ventiles in omni vento*. Vertunt vulgo: *Ne agiteris omni vento*, & conferri jubent verba Apoſtoli *Epheſ.* IV. 14. ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας. *Ut ne ſimus amplius pueri, qui fluctuemus, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Sed iſti homines illud neglexerunt, λικμᾷν eſſe activum, quod illi minus recte in paſſivo verterunt. Neque melius multo Grotius, qui activum pro neutro poſitum eſſe credit, & eodem ſenſu vertit: *Ne ventiles te*. Vera interpretatio ex ipſo contextu & antiquitatis viſceribus erit depromenda. Ait vir ſapiens: Μὴ λίκμα ἐν παντὶ ἀνέμῳ, καὶ μὴ πορεύου ἐν πάσῃ ἀτραπῷ· οὕτως ὁ ἁμαρτωλὸς ὁ δίγλωσσος. *Ne ventila quovis vento, & ne gradere qualibet ſemita: ſic eſt peccator bilinguis*. Senſus horum verborum, niſi me omnia fallunt, hic eſt: Non eſſe adripiendam primam quamque occaſionem oblatam, quod ipſum facere ſolent peccatores, quibus idem eſt, hoc dicere vel aliud. Nos vero ſupra §. *6*. andivimus, ventilationem ita fuiſſe inſtituendam, ne ventus paleam verſus ipſam villam tranſferret, atque ita vel hominum & pecudum oculi, vel quæcunqe alia corrumperentur. Vitium ergo erat hominum ſordidorum & μικροψύχων, primo quovis ſurgente vento frumentum polire, id quod ipſis primo quidem intuitu bonum videbatur, multa vero ſecum incommoda poſtea tulit. Senſus ergo Siracidis hic erit, *non capiendam primam quamvis occaſionem ſeſe nobis offerentem*, ſed probe omnes rerum circumſtantias diſpiciendas. Quemadmodum nec viator primam quamvis viam obviam ingreditur, ſed prius ſollicitus eſt, an eo portet eum via, quam ante pedes habet. Qui vero illud non obſervat, ille ſpeciem præbet omnibus, ſe eſſe hominem δίγλωσσον & peccatorem h. e. ejuſmodi, qui aliquid agit nulla rerum circumſtantium habita ratione, ſive id ſibi aut aliis dolorem aut interitum adferat, parum curantem. Aut ſi vel maxime prævideat, periculoſum eſſe, hoc vel illud ſi quis agat, tamen alios eo adigit, eoque ſe vere δίγλωσσον eſſe oſtendit. Alia prorſus ratione minatur Deus Iſraelitis *Ezech. verſ.* 10. וזריתי את שאריתך בכל רוח *& ventilabo reliquias tuas omni vento*. Nimirum indigitat Deus his verbis, ſe Iſraelitas ob peccata prima quavis occaſione diſperſurum, nullo reſpectu habito, an hoc ipſis forte incommodum ſit, modo pœnam ſuam ipſi infligere poſſit. Hæc hactenus.

XX. Illud porro, quod a frumento per politionem ſecernebatur, ut notum eſt, erat *acus*, *palea*, *gluma*, *ariſta &c.* Nec non de his quicquam moneremus, niſi aliqua ex ſacris literis huc eſſent adferenda. Nimirum in ſermone Johannis Baptiſtæ *Matth.* III. 12. *Lucæ* III. 17. quædam notanda occurrunt, quæ data hac occaſione nolumus omittere. Verba ſunt hæc: Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ. Vertit hæc Vulgatus: *Cujus ventilabrum in manu ſua, & congregabit triticum in bordeum ſuum, paleas autem comburet igni inexſtinguibili*. In his verbis primo ἅλων, quod alias *aream* notat, ex ſignificatione Hebræo-Græca ponitur pro *frumento*. Occurrit eadem in LXX. ſenibus *Exod.* XXII. *6*. *Ruth.* III. 2. *Hoſeæ* XIII. 3. ubi vox Hebraica גורן in eadem notione habetur. Secundo, ſignificatio vocis ἀχύρου inter viros doctos eſt controverſa. Quidam enim ex his, nominatim Petrus Keuchenius & Raphelius huic voci ſignificationem non *glumæ*, ſed *ſtraminis* tribuunt. Ac poſterior quidem Xenophontis ſui autoritate nititur, locaque ejuſmodi adducit, quæ certe probant, quod probare debent. Prior vero tum ex dicto *Jerem.* XXIII. 28. τί τὸ ἄχυρον πρὸς τὸν σῖτον; ubi ἄχυρον eſt Hebraicum תבן, tum ex ratione illud probat, quia nimirum ἄχνη ſive *palea* proprie dicta in tritura abripiebatur a ventis: ἄχυρον vero ſive *ſtramen* conſumebatur ab igne. Nihil enim obſtat, quo minus in hoc loco ἄχυρον *paleæ* ſive *glumæ* ſignificationem obtineat. Nam licet vel maxime Xenophon. huic voci aliam notionem tribuerit, vel loca ejus ita poſſint accipi, & hoc tamen etiam tenendum eſt, ipſum loqui de culmis adhuc ſecandis in campo, noſtrum vero de ariſtis jam trituratis. Nam, quod ſupra docuimus, ariſtæ a reliquo culmo abſciſſæ portabantur in aream, ſtramen vero meliorem præſtare uſum poterat, quam ut ita contereretur cum ariſtis. Et quid faceremus Heſychio Critico Græce doctiſſimo, qui ἀχυρμιὰς, τόπους explicat, εἰς οὓς τὰ ἄχυρα ἐκπίπτει λικμώμενα, *in quos paleæ ventilatæ cadunt*? Si ἄχυρα in ſingularem aliquem locum cadere potuerunt, ſi in ἀχυροδόκην, quam idem ἀποθήκην τῶν ἀχύρων interpretatur, recondi potuerunt, potuerunt etiam comburi, quia a vento non ſemper, nec plane abducta ſunt. Nam ſi ſtramen, ex ipſorum falſa ſententia, in area comminutum igni alimentum præbere potuit, quidni & paleæ comminutæ? Nec obſtat, quod ἄχνη a vento auferri, palea vero ab igne conſumi

ſumi obſervata ſit: ἄχνη enim eſt palea minutiſſima, qualem etiam ex noſtris horreis aura ſolet ejicere, ἄχυρον vero eſt paullo grandior, qualem nos pecoribus adponere ſolemus, id quod & olim ἀχύροις factum eſſe teſtatur Florentinus *Geopon.* 2. 24. Agite ergo vidiſtiſne boves aut ſues ſtramen comedentes? Ex ſtramine paleas illos exquirere quotidie in villis obſervamus, quas etiam nude ipſis adpoſitas cupide admodum deguſtant. Ergo illud ἄχυρον, quod ſtramine remoto in area per ventilationem a reliquo frumento ſecernebatur, quod in ſingularem locum cadebat, quod recondi poterat, quod animalibus adponi, non eſt ipſum *ſtramen*, ſed *palea*. Igni vero alimentum præſtare talis palea non incommode poterat, quippe ab iis tantum ejuſmodi uſibus deſtinata erat, quibus non erant animantia, eumque uſum poterat præſtare, qualem ſtramen, quod in multis Germaniæ locis ad coquendum & calefaciendum adhiberi deprehendimus. Ergo & idem Deus, qui ſe impios turbine vento in palearum morem diſperſurum interminatur, poterit eoſdem, quos ſemel cum paleis comparaverat, igne non exſtinguendo conſumere. Vox vero Hebraica תבן itidem hanc duplicem ſignificationem admittit: præter *ſtramen* enim *paleam* notat *Jeſ.* XI. 7. LXV. 25. *Job* XXI. 18. *Jerem.* XXIII. 28. & מתבן *Jeſ.* XXV. 10. Et hæc quidem hactenus: quibus expenſis adparebit, ſenſum verborum Johannis Baptiſtæ paullo ante a nobis adductorum fere hunc eſſe. Servatorem tempore adventus ſui talem fore perſonam, quæ facili negotio falſos Chriſtianos a veris poſſit diſcernere. Quemadmodum enim politor per ventilationem frumentum a palea diſcernit, & utrique locum juſtum adtribuit: ita & Meſſias vi divinæ cognitionis ſuæ tum homines malos a bonis dignoſcet, tum etiam cuique pro meritis poſt hanc vitam manſionem præparabit. Adeo, ut boni in horreum viventium ſint congregandi, mali vero igne non exſtinguendo comburendi. Conferat hæc lector cum allegoricis aliorum explicationibus, & tunc adparebit, illos propter inſignem antiquitatum ignorantiam peſſime labi. Occurrunt autem iſtæ apud perſonatum illum Theoph. Amelium in der Erörterung derer ſchwereſten Schrifftſtellen N. T. menſe Junio *pag.* 532. *ſeqq.* Referunt huc quidam vocem מרסנה *Jeſ.* XXV. 10. quæ *paleæ* notionem habet, ſed quia fere eſt inter ἅπαξ λεγόμενα, nos optimum putamus, ſi antiquiſſimos interpretes ſequamur. Chaldæus autem vertit שינא, & Symmachus πηλὸν, *lutum*. Et hi forte melius ſignificationem vocis norunt, quam omnes alii recentiores. Reliquas autem de ea ſententias vide apud Kimchium tum in libro Radicum, tum in Commentario, Forerium ad Jeſaiam, & Noldium in notis ad Concordantias particularum *pag.* 929. Quia vero χαμάτηρὸν τὸ λικμᾶν, *laborioſum erat ventilare*, ut ait Euſtathius ad Iliad. E. 500. hinc neceſſe fuit, ut plures ſibi mercenarios & adjutores adſciverint, quibus mercedis loco aliqua frugum pars data eſt, quæ ſi locus erat bonus, & vento expoſitus, minor ipſis dabatur. Oſtendit hoc ipſum Cato noſter *cap.* 136. cujus verba a librariis depravata hoc modo ex Meurſii codice refingimus. *Politionem in agro Caſinate & Venafro ſic dare oportet. In loco bono parte octava corbi dividat, ſatis bono ſeptima, tertio loco ſexta, ſi granum modio dividet: parti quinta in Venafro ager optimus*, IX. *parti corbi dividat*. Fuit olim aliqua differentia, ut hoc obiter addamus, quando frumentum corbe, & quando modio diviſum fuit, qualis vero illa fuerit, nos hodie latet.

XXI. Jam quoque de tempore diſpiciendum eſt, quo tritura commodiſſime peragi poterat. Ex antecedentibus hoc conſtat, aream fuiſſe in ipſo agro, adeoque tempus trituræ in genere fuit poſt meſſem & ante hiemem. Selegerunt autem ruſticarum rerum periti tale tempus, quod nullos haberet imbres, ſed lenem potius ventorum flatum. Quum vero pro regionum varietate meſſis tempus diverſum ſit, inde quoque conſtat, trituræ tempus pro regionis indole variaſſe. Primum tempus Autores Geoponicorum 3. 6. hoc modo ponunt: Ἀπὸ τῆς πρὸ θ. καλανδῶν Ἰουλίων ἀλοῆσαι, οὔτε γὰρ ὄμβροι, οὔτε δρόσοι ἐν ταύταις γίνονται ταῖς ἡμέραις. *A nono Calendarum Juliarum triturabis, neque enim pluviæ, neque ros in his diebus contingunt*. Circa quæ verba neceſſe eſt, ut quædam prius moneamus, quam ad ulteriora progrediamur. Nimirum notum eſt, compilationem iſtam Geoponicorum ex variis autoribus fuiſſe factam, adeoque ſemper diſpiciendum eſſe, in quanam regione verſatus ſit autor hujus vel illius capitis. In citato autem loco nullum autoris nomen adparet, quapropter aliunde diſpicienda, quæ huc ſpectent. In primo hujus tertii libri capite Varronis & Quintiliorum fratrum nomina obſervamus, ex quibus totus iſte liber conſarcinatus eſſe credendus eſt. Sed iſti fuerunt Itali, quod ex Prolegomenis Needhami de Quintiliis *pag.* 17. 18. conſtat: in Italia vero meſſis erat menſe Julio & Auguſto. Columella 11. 2. 54. hor-

hordeacea vero ut plurimum menſe Junio, Palladius 7. 2. 1. Ergo neceſſe eſt hanc laciniam non ab aliquo Italorum, ſed Aſiaticorum & Orientalium ſcriptorum eſſe profectam, quorum nomina ex laudatis Prolegomenis videri poſſunt. Ibi enim meſſis propter auræ clementiam peracta eſt menſo Majo, & Junio, ut ex iis conſtat, quæ ex Talmudiſtarum monumentis adduxit Ligtfootus in Horis Hebr. ad *Matthæi* XII. 2. & *Johannis* IV. 35. Goodwinus in Moſe & Aaron 3. 5. 3. *ſeqq.* & quæ *pag.* 577. adnotavit Hottingerus. In occidentalibus vero regionibus ordinarium trituræ tempus ita nobis deſcribunt Geoponici 3. 11. ἕως δὲ τῆς πρὸ θ. λανδῶν Σεπτεμβρείων ἀλοήσομεν, οὐ γὰρ ὄμβροι, οὐδὲ δρόσοι ἐν ταύταις γίνονται ταῖς ἡμέραις. *Cæterum uſque ad nonum Calendas Septembres triturabimus, neque enim imbres, neque ros in his diebus contingunt.* Menſe nimirum Auguſto poſt exactam meſſem uſque ad jam dictum tempus tritura fiebat quamcommodiſſime. Tritura ergo ultima pars meſſis fuit, quam ob cauſſam *meſſem trituratoriam* dixit autor operis imperfecti in Matthæum, qui vulgo Chryſoſtomus habetur, homil. 2. ubi ex incerta traditione narrat, Magos, de ſtella adparitura ex Sethi vaticinio certiores factos, quotannis poſt meſſem trituratoriam in montem aliquem adſcendiſſe, ibique tandem ſtellam, quæ nativitatem Domini prænunciaret, obſervaſſe. Hic quidem nobis memorandus eſt locus Jeremiæ Prophetæ *cap.* LI. 33. cujus hæc ſunt verba: בת בבל כגורן עת הרריכה עוד מעט ובאה עת הקציר לה: Quæ optime vertit, quamvis male diſtinxit Grotius: *Filia Babylonis quaſi area: tempus ad trituram ejus: adhuc modicum eſt, & adventabit tempus meſſionis ejus.* Nemini mirum hic videri debet, quod meſſem & trituram conjunctam videt, nam id ex eorum temporum more factum eſſe ex antecedentibus conſtat. *Meſſis* autem hoc loco, ut recte notavit Grotius, eſt interfectio civium: nam quod quis ſerit, illud quoque neceſſe eſt, ut metat. *Tritura* vero, quæ meſſem inſequitur, eſt diſſipatio urbis.

XXII. Et hæc quidem hactenus de antiquorum tritura, quantum ex relictis a temporum injuria monumentis eam delineare licuit. Supereſt, ut aliquot Sacrarum Scripturarum loca, quæ ex hactenus prolatis lucem aliquam accipiunt, in medium proferamus. Adduximus equidem quædam in antecedentibus, quorum ſenſus nobis jam patuit, ſuperſunt tamen quædam monenda, quæ vel nondum adfuerunt, vel pro inſtituti noſtri ratione ſatis pertractari non potuerunt. Incipiemus autem a loco *Jeſaiæ* XXI. 10. ubi populus Iſraeliticus a Deo vocatur מדושתי ובן גרני: *trituratio mea, & filius areæ meæ*. Vaticinatus erat Propheta hactenus contra Babelem, eique ultimum exitium interminatus erat. Poſtquam ergo Babelem abſolverat, ad Iſraeliticum populum ſe convertit, eumque ita adloquitur: מרושתי ובן נרני אשר שמעתי מאת יהוה צבאות אלוהי ישראל הנרתי לכם: *Trituratio mea, & fili areæ meæ, quod audivi a Domino exercituum, Deo Iſraelis, illud nuntiavi vobis.* Verba vero hæc ad Iſraelitas, non vero Babylonios ſpectare, jam probandum eſt. Dicit Propheta ſe illis, quos adloquitur, hæc nunciaſſe, quæ a Deo ſibi revelata fuerant. Jam vero nuſquam legimus, Jeſaiam ad Babylonios profectum eſſe, iiſque vaticinia ſua revelaſſe, ſed potius hoc certo pronunciamus, ea in terra Judaica plerumque eſſe recitata. Nec nobis deeſt ratio, cur hanc de lapſu Babyloniorum prophetiam Judæis Deus exhibuerit. Præparandi enim erant illi ad captivitatem Babylonicam, quam peccatis ſuis plus ſatis meruerant. Ergo Propheta inter alios conſolationum fontes hunc etiam aperit, ex quo Iſraelitæ cognoſcere queant, vindicandas eſſe aliquando illas injurias, quas Iſraelitæ a Babyloniis erant perpeſſuri. Neque hæc ſine teſte loquimur. Poſtquam enim, quæ hactenus dicta ſunt, meditati eramus, commodum incidimus in Commentarium Raſchii, & paullo poſt ad nos adferebatur pars prima commentarii in Jeſaiam Campegii Vitringa, viri doctiſſimi, qui eandem mecum interpretationem ſequuntur. Neque diffitetur laudatus Vitringa *pag.* 614. 615. adeſſe quædam loca, *Jerem.* LI. 33. *Joel.* III. 14. *Michæ* IV. 12. in quibus vindicta divina contra hoſtes Eccleſiæ Judaicæ ſub trituræ ſimilitudine proponitur. Interim tamen Eccleſiæ quoque eandem non incommode convenire idem vir doctus obſervat, cujus verba adſcribimus: *Cæteroquin tanta elegantia, emphaſis, claritas & lux eſt ejus ſententiæ, quæ hæc verba accipit de Eccleſia, ut ſpiritualium & Prophetici ſtyli periti hic errare poſſe non videantur. Quid enim eſt Eccleſia, quam horreum ſive area, in qua palea ſecernitur a frumento, ſive frumentum purgatur a palea? Quodnam opus & officium Prophetarum & Doctorum publicorum erga Eccleſiam, quam ut excutiendo, diſcutiendo, agitando, calcando, h. e. admonendo, redarguendo, convincendo, interminando, & ut verum loquar, Eccleſiam ſubjiciendo judiciis divi-*

nis, quæ ipsi stylo sacræ scripturæ (Jerem. I. 10.) *exequi dicuntur, id unum agant, ut frumentum Dei purgent, & separent a quisquiliis & a palea?* &c. Pergit deinde vir doctus & locum Matthæi jam supra a nobis enarratum huc trahit, quæ omnia, ne modum excedamus, adscribere nolumus. Bene tamen agit, quod spiritualem h. e. mysticum sensum ipse hanc explicationem vocat, cujus aliquando præter necessitatem est studiosior? Nos vero jam de sensu literali proprio & primario erimus solliciti. מרושה *trituratio*, ut adparet, est abstractum, quod hoc loco pro concreto ponendum est, ut *servitia*, pro *servis* &c. Quum vero vox ista sit una τῶν ἅπαξ λεγομένων, non diffiteor nos de ejus significatione paullum esse incertiores. Dubium enim est an hoc loco trituratio notet eum qui triturat, an qui trituratur. Nihil hic subsidii suppeditant interpretes antiqui: non Chaldæus, qui prolixa circumscriptione sensum quidem, sed non verba vertit: neque LXX. senes, quippe quorum auxilio in Prophetis & Psalmis sæpissime destituimur, adeo ut ipsi sacrum textum in locis paucissimis intellexisse videantur. Ii vero prima hujus versus ita reddiderunt: Ἀκούσατε οἱ καταλελειμμένοι, καὶ οἱ ὀδυνώμενοι ἀκούσατε. *Audite o derelicti, & qui doloribus adfecti estis, audite*: quæ certe cum Hebraicis parum aut nihil conveniunt. Neque ab altera phrasi בן גרני, *fili areæ meæ*, plus nobis subsidii sperandum est. Nam ex noto Hebræorum idiotismo *filius areæ* est, cujus aliquæ in area partes sunt. Ita bos vocari potest *filius areæ*, quia tribulæ junctus operam suam in ea exercet, & frumentum etiam, quod in arca collocatum est. Priore sensu utraque locutio (nam, ut observavit Kimchius, כפל הענין במלות שונות: h. e. *sensus duabus istis locutionibus expressus est unus & idem*) respectum potest habere ad bovem triturantem, cui populus Israeliticus ob tres præcipue rationes comparari potest I. quia Dei erat proprius II. ab eodem duris laboribus adfligebatur, & tamen III. varii generis bona accipiebat: qua in re cum bove convenit, cui in tritura os non erat obturandum. Interim tamen & in posteriore sensu populus Israeliticus *filius areæ* dici poterat, respectu scil. ad frumentum habito, quod sub tribula & ejus onere mirum in modum premebatur. Nos, si sensum huic loco adcommodum proferre debemus, posteriorem nobis placere non diffitemur. Populus enim Israeliticus ideo hoc præcipue loco *filius trituræ* h. e. frumentum audit, quia per pœnas divinas conterendus, & adeo a paleis, id est iniquitatibus suis erat purgandus. Et ad talem populum spectat sermo iste propheticus, quod jam supra monuimus, qui pœnis divinis sustinendis erat præparandus. Aliam viam ingreditur Raschius, non malam sane, textui tamen, ut nobis quidem videtur, non satis adcommodatam. Verba ejus sunt hæc: מרושתי גרני תבואת קדש שלי ערימת חטיי אשר נצטוויתי מפי רוח הקדש לתקן אתכם כאדם הדש וזורה תבואתו בגורן: Tritura mea & fili areæ meæ. *O sacrum frumentum meum, acerve tritici mei, quem jussus sum a Spiritu Sancto dirigere in via recta, quemadmodum homo, qui in area frumentum triturat & ventilat.* Et hæc quidem hactenus.

XXIII. Alium quendam locum ad manus sumimus, in quo trituræ mentio fit, quem quidem jam supra tetigimus, ita tamen, ut quædam circa sensum & connexionem istius supersint monenda. Propheta in antecedentibus varia Judæorum vitia taxaverat, justamque Dei pœnam iisdem minitatus erat. Sed nescio, an hæc verba cum antecedentibus commode connectere possimus. Quin potius ex iisdem adparet, singularem in iis contineri prophetiam, quæ cum antecedentibus & consequentibus plane nihil rei habeat. Nisi forte aliquis dicere velit, Prophetam his verbis concionem aliquam clausisse, iisque quasi per occupationem populum erudire voluisse, qui forte miratus erat, cur Deus tantopere populo minas proferri juberet. Respondet Propheta: id non ego facio, sed Deus, cujus sapientia summa est, hanc mihi mentem indit, ut probe sciam, quid hoc, quidve alio tempore vobis potissimum eloqui debeam. Potest tamen aliquis non inepte statuere, singularem hanc fuisse concionem, generis, ut nostri loquuntur, didascalici, ubi Propheta per allegoriam quandam inter Judæos tunc temporis non inusitatam docet, pro temporis, personarum & aliarum circumstantiarum occasione alias quoque ipsi ad populum conciones esse habendas. Neque diffitemur, eam explicationem jam olim tradidisse interpretes, Jonathanem, Raschium, Kimchium, alios, quia tamen ex professo de tritura agimus, nostrum non est aliquid, quod huc pertineat, omittere. Adtendemus ergo singulis Prophetæ verbis, & postea sensum ejus ex iisdem eruemus. Exordium adtentos facit auditores invitatione quadam per exergasiam duplicata *vers.* 23. האזינו ושמעו קולי הקשיבו ושמעו אמרתי: *Percipite & audite vocem meam, adtendite & ausculatate verbis meis*. Progreditur statim ad allegoriæ suæ protasin,

ſin, quam ab aratione deſumit *verſ.* 24. הכל היום יחרש החורש לזרע יפתח וישדד ארמתו: *Num toto tempore arabit arator ad ſerendum; proſcindet & offringet terram ſuam?* Oſtendit Propheta, agricolam non ſemper uno & eodem modo arare, ſed duplici potiſſimum, quod verba Hebraica docent. Nam primo יפתח *aperire* ſolet terram h. e. *proſcindere*, quæ prima eſt aratio, ut docet Varro R. R. 1. 29. 2. poſtea ישדד *offringere* vel *iterare* ſolet, quæ ſecunda eſt aratio. Varro *l. c.* Columella 2. 11. 3. Adde præterea quæ notarunt Salmaſius ad Solinum *cap.* 37. *pag.* 509. 512. & Guiſius ad Maſſechet Kilaim Tom. 1. Miſchnæ Surenhuſianæ *pag.* 117. Recte hæc duo verba Raſchius ita interpretatur: יפתח וישדד בתחלה הוא עושה תלמים רחבים וסוף הוא עושה תלמים קטנים במדרש רבי תנחומא: h. e. *initio facit ſulcos latiores, poſtea vero minores, ut explicat R. Tanchuma*, חרש vero vox generalis eſt, omnis *arationis* notionem comprehendens. Illud ה, quod initio verſus exſtat, interrogativum eſt, adeoque in adfirmativa interrogatione explicandum eſt negative. Sequitur *v.* 25. הלוא אם שוה פניה והפיץ קצח וכמון יזרק ושם חטה שורה ושעורה נסמן וכוסמת גבולתו: *Nonne poſtquam complanavit ſuperficiem ejus, ſerit melanthium, & ſpargit cuminum, & ponit tritico menſuram, & hordeo deſignatum eſt, & ſpeltæ finem ſuum?* אם 'ט Kimchius ad hunc locum & in libro Radicum explicat כאשר *poſtquam*, cujus notionis exempla tum apud ipſum, tum Noldium in Concordantiis Particularum *pag.* 87. videri poſſunt. Poſt duplicem autem illam, de qua modo egimus, arationem ſuccedebat *liratio*, quando liræ, in quas ſemen jactum erat, addita tabella complanabantur. Varro l. c. Iſidorus *Orig.* 15. 15. Salmaſius *pag.* 511. 512. Et hoc eſt, quod Propheta dicit שוה פניה *complanat faciem ejus* ſcil. *terræ*, ubi *facies* ex more Hebrææ linguæ pro exterioris ſuperficie accipiendæ. Lirationem excipit ipſa ſeminatio, ubi vel leguminum, vel frumentorum genera ſeruntur, unumquodque tamen ſuo modo. Diverſos autem iſtos modos indigitari putat Raſchius, eo quod ſingulis frumenti & leguminum ſpeciebus aliud vocabulum, quod diſperſionem vel ſeminationem denotet, additur. Ad alterum hujus periodi membrum immerito impegerunt interpretes, dum verbis novas, & in Hebræa lingua non uſitatas notiones adtribuunt. Nam iſta verba: ושם חטה שורה *& ponit tritico menſuram*, ſic explica: Tantum agri ſpatium ſumit, quantum ad hanc vel illam tritici menſuram requiritur. שורה verto *menſuram*, nam hæc eſt ſignificatio cognatæ vocis משורה apud *Ezechiel.* IV. 11. 16. 1. *Chron.* XXIII. 29. Et ſic quoque occurrit in vulgato Rabbinorum proverbio: אהבה מקלקלת שורה *amor deſtruit lineam ſive menſuram*, in Breſchit Rabba *Sect.* 55. & Raſche ad *Geneſ.* XXII. 3. Adde Buxtorfii *Lex. Talmud. col.* 2354. Porro ושערה נסמן *& hordeo ſignatam eſt* ſcil. ſpatium ſuum, quantum ad ejus menſuram hanc vel illam ſufficit. Nam סמן habet ſignificationem Græci σημαίνειν *notare, ſignis diſtinguere*, quod & agnoſcit Vir Celeberrimus *Jac.* Perizonius Orig. Babylonicarum *cap.* XI. *pag.* 209. וכוסמת גבולתו, *& ſpeltæ terminus ſuus:* quæ verba ſua quippe luce radiantia demum oſtendunt priorum explicationem eſſe veram. Senſus autem eorum eſt quilibet arator novit, quantum ſpatium huic vel illi ſeminis menſuræ ſit ſufficiens. Aliquam difficultatem parere videtur *verſ.* 26. ויסרו למשפט אלהיו יורנו ſed verte ita: *Et docet ipſum judicium, Deus ipſius oſtendit ipſi.* Hanc enim prudentiam dijudicandi Deus indidit mentibus agricolarum, & docet illos rectam viam, quomodo hoc vel illud ſit ſuſcipiendum. Et ſic Raſchius & Kimchius quos cur deſeramus, nulla nos cogit neceſſitas. Sequentes bini verſiculi jam ſupra a nobis explicati ſunt, prior §. 18. poſterior vero §. 17. poſtquam ergo Propheta ſingula protaſeos ſuæ membra abſolverat, addit *verſ.* 29. גם זאת מעם יהוה צבאות יצאה הפליא עצה הגדיל תושיה: *Etiam tale quid a Domino, qui mirabile facit conſilium ſuum, & magnificat virtutem ſuam.* זאת reddimus *tale*, quam notionem in aliis duobus exemplis obſervat Noldius *pag.* 356. תושיה vero vertimus, *virtutem, ſapientiam*, ſecuti Chaldæum interpretem, qui ita circumſcribit אסגי עבדי גראשית בסגי חוכמתיה quibus verbis talem ſapientiam innuit, qualem in opere creationis ſummum Numen oſtendit. Vocem autem iſtam a יש deducunt plerique ex Hebræis, & eo denotari ſputant eſſentiam divinam, cumque ea omnes divinarum perfectionum ſpecies, quæ ſignificatio omnibus locis, ubi occurrit, eſt accommodatiſſima. Reſtat ergo, ut eorum, quæ hactenus pertractavimus, ſenſum una tabella lectoribus exhibeamus. *Quemadmodum*, ait Propheta, *ruſticus ea prudentia præditus eſt, ut probe perſpectum habeat, quomodo ſe in arando gerere debeat, quando ſcil. terram proſcindere, vel offringere, vel complanare debeat: quemadmodum idem ſapienter dijudicat, quantum telluris ſpatium huic vel*

alii

alii frumentorum aut leguminum speciei sufficiat: quemadmodum denique scit, quænam frumenti species baculo sit excutienda, aut quæ tribula trituranda: sic facile quisque comprehendere poterit, Deum, qui eam prudentiam agricolis concessit, eandem quoque Prophetis inditurum, ut sciant, quale hoc, quale alio tempore orationis genus populo proferre debeant.

XXIV. Verba Prophetæ sunt hæc: אפרים עגלה מלומרה אוהבתי לדוש ואני עברתי על טוב צוארה ארכיב אפרים יחרוש יהודה ישדד לו יעקוב: In antecedentibus Propheta nomine Dei varia crimina Israelitis exprobraverat: ea vero ex abusu divinæ clementiæ proveniebant, quæ ipsos multis beneficiis tantum non obruebat. Hinc Ephraim seu regnum Israeliticum *vitulæ* adsimilat, *quæ hactenus non nisi trituræ adsueta erat*. Nam trituræ tempore vi legis divinæ boves erant pinguissimi, ut supra §. 16. ostensum est. Quum vero videam, ait Dominus, populum beneficentia mea mirum quantum abuti, laboris quippe inscium, *quum pingui collo hactenus pepercerim*, dandum est aliquid quod agat, ne beneficiis reddatur deterior. Ergo *Ephraim sub jugum mittetur, Juda arabit*, & *Ephraim occabit*. Sub duriore quippe servitutis jugo tempore posteriorum regum constricti, non sine sollicitudine degebant. Hac ergo occasione, pergit Deus *vers.* 12. זרעו לכם לצרקה *seminate vobis ad justitiam* &c. i. e. Tales vos jam gerite, ut bonum quid agatis, ne malos fructus proferendo intereatis. Simplicissima est hæc interpretatio ex ipsius rei natura depromta: quare non est, quod tempus & chartam aliorum interpretationibus confutandis insumamus. Et hæc circa explicationem quorundam dictorum biblicorum sufficiant, nam reliquorum enucleatio vel jam a nobis suscepta est, vel ita facilis est, ut perlectis his nostris ab unoquoque fieri possit.

XXV. Finem hic facere poteramus, sed restant adhuc alia duo trituræ genera, quæ quoniam in hac re operam nostram semel locavimus, præterire iniquum putavimus. Prioris meminerunt Talmudistæ in Bava Mezia *fol.* 89. 2. his verbis: פרות המרכסות בתבואה והרשות בתרומה: *Juvencæ triturantes fruges & Terumam*. Rem paullo apertius indigitat Rasche, qui verba המרכסית בתבואה sic explicat: ששורין שעורין במים ומייבשין אותן בתנור ורשין אותן בפרות להסיר חליפתן והוא חושלא: *Ponebant hordeum in aquam, & post ea arefaciebant in fornace, & triturabant juvencis, ut amoverent corticem, & tunc dicebatur* חושלא.

Infaustum plane trituræ genus est alterum, quod civibus Succothensibus minatur Gideon Judicum VIII. 7. בתת יהוה ארת זבח ואת צלמונע בידי נרשתי אם בשרכם את קוצי המרבר ואת הברקנים: *Quando Deus Sebachum & Zalmunnam in manus meas daturus est, tunc triturabo carnem vestram spinis silvestribus & tribulis*. Jonathan ita interpretatur: ואדוש ית בסריכון על כובי מדברא ועל ברקנוא: *Et triturabo carnes vestras super spinas deserti, & super tribulos*. Ubi quidam τὸ על ita exponunt, ut spinis impositi fuerint homines, postea vero his inductæ tribulæ. Verum & hoc notandum, τὸ על apud Targumistas respondere particulæ ב, quando instrumentum notat. Adeoque ab hoc nihil certi expiscari possumus. Kimchius ita explicat: ופירוש ודשתי שאכה בקוצים על בשרכם: *Interpretatio vocis* ודשתי & triturabo, *hæc est: Percutiam carnem vestram spinis*. Postea adducit quosdam qui ita explicent, שישליכם על הקוצים ערומים וירוש ברגליו עליהם: *quasi eos nudos in spinas conjecerit, & pedibus super eos insiluerit*. Certe tale quid hoc loco intelligendum esse suadet adjecta vox מרבר *deserti*, ut ad minimum eos spinis fustigatos esse certo quis adfirmare possit. Sed altiorem indaginem requirit id quod sequitur. Meminit Scriptura alius ejusmodi trituræ generis, quod non spinis agrestibus; sed tribulis ferreis factum esse adseritur. Sic Amos 1. 3. Deus se Damasco parcere nolle ait: על רושם בחרוצות הברזל את הגלעד *propterea quod Gilead tribulo ferreo contriverint*. Et David Judæorum Rex Ammonitas posuit במגרה ובחריצי הברזל ובמגזרות הברזל *sub serras, & sub tribulas ferreas, & sub ferreas secures*. 2. *Sam.* XII. 31. Hic quidem adversari mihi video Virum in hoc literarum genere clarissimum, qui in erudita dissertatione, quæ *Davidis in Ammonitas mitigata crudelitas* inscribitur, Ammonitas a Davide non tam crudeliter tractatos esse, sed *ad serranda ligna, parandum ferrum, cædendosque lapides* adhibitos §. 23. seqq. adseverat. Ratio ejus præcipua, quantum quidem ego perspicere possum, §. 7. occurrit. Adserit quippe in eo Vir Celeberrimus, non convenire hanc ejus crudelitatis narrationem cum ea laude, quæ ipsi alias in sacris literis tribuitur. Liceat vero hic statim mentem nostram brevibus aperire. Notissimum est, Davidis summa cum laude in sacris mentionem fieri, cujus haud infima pars ea est, quod *vir secundum cor Dei*, hoc est qui omnia sua ad nutum & voluntatem sanctissimi numinis exegerit, dicitur. Interim tamen nec hoc ne-

negari poteſt, eum aliquando, pro humanæ conditionis ratione, vitiis fuiſſe addictum, & iis quidem ſatis enormibus, adulterio, homicidio, & ſuperbiæ, ob quæ ipſa etiam Deo ſeveras admodum pœnas dediſſe legitur. Nimirum, quod experientia teſte noſtri Theologi eloquuntur, ſancti etiam & electi in totum gratia divina poſſunt excidere. Qui ergo jam dictis vitiis fuit contaminatus, an ſcelus eſt, eum, docente ita ſacræ ſcripturæ litera, iræ etiam, & hinc ſecutæ crudelitatis incuſare? Sed forte, inquies, ipſa verba θεόπνευςα hunc ſenſum neceſſario requirunt. Per me certe Maſora throno mota maneat in ſempiternum, quippe qui certiſſime perſuaſus ſum, inter diſcrepantes lectiones non niſi unam a divino Spiritu eſſe inſpiratam. Interim de vero ſaltem verborum, quæ τὸ כתיב repræſentat, ſenſu erimus ſolliciti. Hic quidem de מגרה, & חריצי הברזל, & מגזרות הברזל nulla inter nos erit diſceptatio. Sola nobis expedienda eſt illa phraſis, qua verbum שום cum ב conſtruitur. Illam vir Celeberrimus §. 24. explicat *adplicare* vel *adhibere alicui rei*, & loca parallela in notis paginæ ſubjectis exhibet. Liceat autem ea paulliſper ſub examen vocare. Locus *Geneſ.* XL. 15. plane nihil ad rem facit, nam verba שמו אותי בבור non poſſunt reddi *adhibuerunt me foveæ Geneſ.* II. 8. verbum שום cum nullo ſubſtantivo conſtruitur, adeoque huc non pertinet. 2. *Samuel.* XV. 4. conſtruitur cum aliquo ſubſtantivo, ſed ſine particula ב. In locis *Habac.* I. 12. *Exod.* II. 14. *Geneſ.* XLV. 8. *Pſ.* XVIII. 44. I. *Chron.* XXVI. 10. conſtruitur cum particula ל, quod etiam huc non pertinet. Quatuor ergo ſaltem reſtant loca, in quibus verbum hoc cum ב conſtruitur, nempe I. *Sam.* VIII. 2. *Pſalm.* LXVI. 9. *Deuter.* I. 13. & *Pſalm.* CV. (non CVIII. ut mendoſe impreſſum eſt) 21. Ex his duo ſaltem probant, quod probare debent, primus ſcil. & tertius, nam *Pſalm.* CV. 21. τὸ ב commodo interpretaberis *ſuper*, *Pſal. vero* LXVI. 9. per *inter*. Nos ergo, ut adcuratius procedamus, verbum שום contemplabimur ſaltem cum particula ב conſtructum, cujus quidem ſequentes in ſacris occurrunt ſignificationes. Vulgatiſſima, quando ב notat in *Judic.* VI. 19. I. *Sam.* XVII. 54. 2. *Sam.* XIV. 19. *Pſalm.* XIX. 5. *&c.* Porro explicatur per *ſuper Pſalm.* CV. 21. *Exod.* XV. 26. *contra*. *Jerem.* XLIV. 11. Ezech. XV. 7. *inter*. *Pſalm.* LXVI. 9. *juxta*. *Pſalm.* LXXVIII. 7. Tandem etiam *ſub*. *Geneſ.* XXXI. 34. ורחל לקחה את התרפים ותשימם בכר הגמל ותשב עליהם: *Et ſumſit Rachel idola, & poſuit ea ſub ſtramentis camelorum, & conſedit ſuper iiſdem*. Locus alius huic ſimilis in Hebræo codice non occurrit, in N. T. autem hic Hebraiſmus repetitur *Actor.* I. 7. Οὐχ' ὑμῶν ἐςι γνῶναι χρόνȣς ἢ καιρȣ̀ς, ȣ̃ς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξȣσίᾳ. *Non veſtrum eſt noſſe tempora vel momenta, quæ pater ſub ſua poteſtate poſuit* vel *conſtituit*. Syrus Hebraiſmum recte exprimit: ܐܝܠܝܢ ܕܐܒܐ ܣܡ ܐܢܘܢ ܒܫܘܠܛܢܐ ܕܢܦܫܗ: Quum ergo tum res ipſa, tum verba a Spiritu S. prolata hanc explicationem commode admittant, non video, quo jure Vir Celeberrimus Davidem ab hoc crimine poſſit abſolvere. Adeoque ſupplicium, quo adfecti ſunt Ammonitæ, in eo conſiſtebat, ut ex populo, qui nocentes judicabantur, areæ imponerentur, & deinde tribulæ a jumentis tractæ eos crudeliſſime dilacerarent. Cognovit idem acutiſſimus Judæus R. Levi ben Gerſchom, cujus verba, licet aliquantum prolixiora, adſcribere non pigrabor. וישם במגרה ובחריצי הברזל וגו' ר"ל ששם העם אשר בה בזה המשפט שיש בו אכזריות מה שלא יעלם והנה היה רצונו בזה שיראו שאר האומות מהלחם בישראל וגו' ויש באלו הדברים מן האכזריות מההריגה בחרב פיפיות: Et poſuit ſub terra, *Indicat ſacer ſcriptor, quod Ammoniticum populum ſæviſſimæ pœnæ ſubjecerit, & quæ latere neminem poſſet. Et hoc quidem ideo fieri voluit, ut reliqui populi timerent Iſraelitas bello perſequi*. Et poſt pauca: *Et in his verbis occurrit ſpecies crudelitatis majoris multo, quam ſi quis acuto gladio occideretur*. Abſit autem, ut dicamus in univerſum populum hoc crudelitatis genere fuiſſe ſævitum, ſed forte, quod in notis ad Concordantias Particularum obſervat Noldius *pag.* 889. *in eos ſaltem* animadverſum eſt *ex ſingulis urbibus, qui autores vel fautores ſceleris fuerunt. Nam* 2. *Samuel.* XVII. 27. *potuit Sobi Ammonita e Rabba adhuc commeatum adferre &c.*

CAROLI LUDOVICI HOHEISEL
DISPUTATIO PHILOLOGICA
DE
MOLIS MANUALIBUS VETERUM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

I. *Homonia molæ brevisque molæ manualis descriptio.*
II. *Etymologia ejusdem vocis.*
III. *Vocis* רחים ἔτυμον.
IV. *Molæ manualis ab aliis molarum generibus distinctio, variæque Latinorum Græcorum & Hebræorum molarum manualium denominationes.*
V. *De origine molarum manualium ita disseritur, ut ostendatur, Romanos olim molis non usos fuisse; sed in pila frumentum pistillo contudisse.*
VI. *Primumquæ molæ autorem, quem varium varii allegant, incertum esse.*
VII. & VIII. *Interim molas manuales omnium antiquissimas esse, ex Homero & ex Mose probatur.*
IX. & X. *Ab antiquitate molarum manualium ad frequentem respectu gentium diversarum, & multifarium respectu rerum comminuendarum usum transitus fit.*
XI. *Sequuntur partes molæ manualis præcipuæ, ad quas pertinent inprimis duo lapides molares. Tam superior, cujus diversæ diversis in linguis sistuntur denominationes.*
XII. *Qua occasione* Matth. XVIII. vers. 6. & Luc. XVII. vers. 2. *explicantur.*
XIII. *Quam inferior, ubi de genuina Latinarum vocum: meta & catillus significatione agitur.*
XIV. *Lapidum molarium usum etiam in bellis fuisse, ὡς ἐν παρόδῳ indicatur.*
XV. *Lapides autem non in omnibus Veterum molis erant conspicui, siquidem nonnunquam molæ manuales ex argento conficiebantur & auro.*
XVI. *Præter lapides, ad molæ manualis partes etiam pertinet manubrium, ad quod* Thren. v. 13. *alluditur.*
XVII. *Item axis, infundibulum, arca pollinaria & cribrum, ad quod* Amos IX. 9. & Es. XXX. 28. *respicitur.*
XVIII. *Succedunt Personæ, molis operam dantes, quæ erant ordinarie ex infima plebe.*
XIX. *Maxime ancillæ, non tantum apud Ægyptios.* Exod. XI. 5.
XX. *Babylonios & Persas.* Es. XLVII. 2.
XXI. *Arabes.* Job. XXXI. 9. 10. *qui locus prolixe exponitur.*
XXII. *Hebræosque.*
XXIII. *Sed & apud Græcos.*
XXIV. *Quin & apud Romanos.*
XXV. & XXVI. *Præter ancillas molebant etiam servi apud Orientales & captivi, iique luminibus orbati, quo spectat exemplum Simsonis* Jud. XVI. 21.
XXVII. *Nec non servi Græcorum, quibus* παυσικάπη *injiciebatur.*
XXVIII. *Inprimis servi Romanorum.*
XXIX. *Locus, ubi servi rei molitoriæ operam dabant, erat ergastulum.*
XXX. *Extraordinarie molis se nonnunquam applicabant honestioris conditionis Viri, quorum alii ad paupertatem redacti, vitæ sustentandæ gratia id faciebant, v. g. Menedemus, Asclepiades, Cleanthes & Plautus.*
XXXI. *Alii solius exercitii gratia, ut Pittacus.*
XXXII. *Cantica* ἐπιμύλια, *quibus personabant pistrinæ, considerantur.*
XXXIII. *Ad cantica ista* ἐπιμύλια *alludere videtur* cap. XXV. 10. Jerem. CXXV. 10.
XXXIV. *Nec non Ecclesiastes* cap. XII. 4.
XXXV. *Tandem sistitur privilegium molis manuariis a* Deo *concessum, videlicet immunitas a pignoratione* Deut. XXIV. 6.
XXXVI. *Cujus privilegii ratio exponitur.*

I. Li-

Q. D. B. V.

I. LIcet vocabulum Latinorum *Mola* sit πολύσημον, & nunc farri molito, saleque consperso, cujus in hostiis usus erat, a *Virgilio Ecloga* VIII. & *Horatio lib.* II. *Serm. Satir.* III. nunc carni informi in utero mulieris genitæ a *Plinio lib.* VIII. *cap.* 15. & *lib.* X. *cap.* 64. tribuatur, h. l. tamen *molam* nobis *molendinum* notare, adjecta vox *manualis* satis luculenter indicat. Molendinum ejusmodi, seu *Mola Veterum Manualis*, de qua nobis sermo est, erat vulgo machina, ex duobus lapidibus molaribus sibi invicem impositis præcipue constans, in qua manuum humanarum opera frumenta aliæve quædam res aridæ per mutuam molarium collisionem, sive confrictionem, in tenuissimam farinam massamve comminuebantur.

II. De etymo vocis: *Mola*, non omnibus eadem est sententia *Varro L.* IV. de *Lingua Latina* eam a *molendo* derivasse videtur. *Molæ*, inquit, *a molendo*: *harum enim motu eo conjecta molliuntur*. *Scaliger* ait: *Imo contra*. Itaque sine dubio scripsit *Varro*: *a molliendo*, quod verba subjecta haud obscure innuunt. *Isidorus Orig. Lib.* XX. *cap.* 8. *molam a rotunditate sui vocatam*, *ut mala pomorum* asserit. Verum enim vero Latinorum Mola est Græcorum μύλη. Hoc autem vocabulum *Matthias Martinius Lexico Philolog.* ad vocem *Mola*, non infeliciter derivavit ab Hebræorum מלל *friare*, *fricare*, quo sensu מוללין את השבלין *fricantes spicas*, dicuntur Rabbinis, observante *Buxtorfio Lexico Talmud. col.* 1214. Hancque etymologiam valde verosimilem judicavit *Jansonius Theodorus* ab *Almeloveen Antiquitatum e sacris profanarum specimine p.* 36. Lucemque ei fœneratur verbum μύλλειν, quo *Theocritus Idyllio* IV. *vers.* 58. usus est:

> Εἶπ' ἄγε μοι Κορύδων τὸ γερόντιον ἦ ῥ' ἔτι μύλλει
> Τήναν γὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποτ' ἐκνίσθη;
>
> *Dic age mihi Corydon, ille vetulus nunquid adhuc molit*
> *Illam nigra supercilia habentem amicam, quam olim deperibat?*

Licet enim verbum istud *loc. cit* sensu improprio, eoque obscœno usurpetur, tamen cum tertium comparationis in hac Metaphora a fricando desumtum sit, Græcorumque μύλλειν per duplex λ scribatur, non sine insigni veritatis specie concludere licet, istud ex מלל originem suam traxisse, quamvis in μύλη ac μύλος propter Euphoniam alterum λ exciderit. Cæterum de adducta Etymologia vocis μύλη idem ajo, quod ille apud Comicum de anu: ὃ μαχοῦμαί τινι.

III. Nec facile cum aliis de etymo Hebrææ vocis רחים, qua Scriptores Sacri *num*: XI. 8. *Exod.* XI. 5. *Deut.* XI. 5. *Deut.* XXIV. *6. Es.* XLVIII. 2. & *Jerem.* XXV. 10. utuntur, serram contentionis reciprocabimus, sive eam cum Lexicographorum vulgo *ab odore* farinæ ex ריח, sive cum *Oleastro* & *B. Gerhardo* apud *Polum Synopsi Criticorum Tom.* I. *pag.* 119. a רוח *Vento*, quem Mola veloci cusu excitat, adeo ut spirare videatur & efflare farinam a se molitam, sive denique a *rotunditate* atque *albedine*, quam cum ירח i. e. *Luna communem habet Mola*, Gussetio *Comment. Ling. Hebraic. pag.* 788. præeunte, derivare velint. Quamvis, ne quid dissimulemus, duas priores ultimæ sententiæ judicemus præferendas. Potius id considerationem meretur, vocem istam רחים nec in singulari, nec in plurali, sed tantum in duali occurrere, cujus formæ rationem *R. Salomo ben Melech* in מכלל יופי ad *Deuteron.* XXIV. *6.* his verbis exhibet: לפי שהן שתי אבנים יקראו בלשון שתים: *quia duo lapides ad molam requiruntur, nomine duali gaudet*.

IV. Molas vero istas, quas considerationi ulteriori in præsenti subjicere placet, vocamus *manuales*, Servium ad vers. 274. lib. I. *Georgicorum Virgilii* secuti, quia manibus humanis circumagebantur. Sicque distinguimus eas a molis reliquis, v. g. *asinariis*, quas jumenta, inprimis versare solent; *aquariis*, quæ fluminis aquarumve vi agitantur, nec non *alatis*, sive *pneumaticis*, quæ ventorum flatibus circumaguntur. Vocantur alias Molæ trusatiles, non tantum A. *Gellio Noctibus Attic. lib.* III. *cap.* 3. cujus verba infra dabo, sed & *Catoni de re rustica lib.* X. *Molas asinarias unas*, & *trusatiles unas* (villicus habeat). Græce χειρομύλαι Xenophonti *Pædag. Cyri lib.* VI. & *Dioscoridi lib.* V. χειρομύλωνες salutantur. Hebræi eas appellant: רחים של יד. Sic in Codice זבים h. e. *de Gonorrhœa cap.* IV. *Mischa* I. mentio injicitur τῶ חמור רחים *asini* (per quem *Jobus Ludolfus Comment. Hist. Æthiop. pag.* 565. lapidem

dem superiorem; *R. Obadias de Bartenora* & *Maimonides* structuram ligneam, cui mola est infixa, intelligunt.) *Molæ Manuariæ*. Et Autor libri *Aruch*, R. Nathan *fil.* Jechiel (Conf. Celeb. *Wolfius Bibliotheca Hebræa num.* 1727.) in רחף locum adducit ex בבא מציעא h. e. *Codice secundo de damnis*: *Qui conducit domum a vicino suo* מעמיד בו רחיים של חמור אבל לא רחיים של יד: *erigere potest in ea molam asinariam, sed non* Molam Manuariam. *Vid.* Johannes Ligtfootus *Hor. Hebr. in Lucæ cap.* XVII. 2. *tom.* II. *Opp. p. m.* 550.

V. Præmissa brevi ὀνοματολογίᾳ, ad πραγματολογίαν pedem promovemus. Ubi ante omnia de origine molarum nonnulla in medium producenda. Antiquissimis retro seculis Romani nullis utebantur molis; sed frumenta torrefacta in pilam conjecta pistillo contundebant, pinsebantque. Servius ad lib. I. *Æneid. Apud priscos molarum usus non erat: Fruges ante torrebant, & eas in pilas missas pinsebant. Et hoc erat genus molendi.* Hucque trahit verba *Virgilii lib.* I. *Æneid. vers.* 182. *seqq.*

> *frugesque receptas*
> *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.*

Nimirum prius fruges madefactæ exsiccabantur, antequam pilis injectæ pinserentur. Quod etiam *Plinius Hist. natur. lib.* XVIII. *cap.* 10. confirmat, *ex Magonis sententia triticum, aut hordeum ante profundi aqua multa* jubens, *postea evelli, deinde sole siccatum pilo repeti*. De eodem pinsendi modo verba facit *Terentius Varro lib.* I. *de re rustica, cap.* 63. *Far, quod in spicis condideris per messem, & ad usus cibatus expedire velis, permovendum hyeme, ut in pistrino pinsetur, ac torreatur*. Adde eundem *Lib.* I. *cap.* 69. Hucque spectant verba *Catonis de re rustica cap.* XIV. *Pilam, ubi triticum pinsunt, &* Pomponii Comici vetusti: *Neque molis molui, neque pilis*, (alii Codices legunt vitiose: *palmis*, quam lectionem castigavit *Thomas Gatackerus Dissert. de novi instrumenti stylo cap.* III. *pag.* 18. *Tom.* I. *Opp. Critic.*) *pinsui*. Ex quibus Autorum Veterum testimoniis facile constat, pilæ nomine venire vas illud concavum, in quo frumentum contundebatur, *pilum* & inde *pistillum* (ut ἀπὸ τȣ̃ *qualus*, *quasillus*, ἀπὸ τȣ̃ *palus*, *paxillus*, ἀπὸ τȣ̃ *velum*, *vexillum*) dictum instrumentum, quo pilæ impositæ fruges contundebantur, locumque ipsum, ubi id fiebat, vocatum: *pistrinum*. A pinsendo etiam dictos esse *pistores*, Servius loc. cit. testatur. Hi enim olim non tantum ἀρτοποιοὶ erant, sed frumenta etiam pinsebant, farinamque faciebant. Quo pertinet festivum illud *Martialis Epigramma* XVI. *lib.* VIII.

> *Pistor qui fueras diu, Cipere,*
> *Nunc causas agis, & ducenta quæris.*
> *Sed consumis, & usque mutuaris.*
> *A pistore, Cipere, non recedis.*
> *Et panem facis, & facis farinam.*

Conferantur *Thomas Dempsterus* ad *Rosini Antiquitates lib.* I. *cap.* XIX. Henr. Salmuth *ad* Pancirolli *res memorabiles* lib. II. *Tit.* XXII. & Nicolaus Henelius *Otio Vratislaviensi cap.* XLIV. *pag.* 361.

VI. Excogitatæ sunt deinceps molæ, in quibus ope duorum lapidum comminutæ fruges in farinam; sed multo quam priori modo, minutiorem ac puriorem, per saccum quippe cilicium demissam excussamque, furfuribus extra sparsis, redigebantur. Sed licet posterioribus seculis mutatus fuerit ritus frangendi comminuendique fruges, nomen tamen pistrini servatum, molisque inditum, quod ex testimoniis Antorum Veterum paulo post adducendis, sole meridiano clarius patebit. De primis autem molarum natalibus insignia sunt sententiarum divortia. Cererem homines molere docuisse primam, fingit *Plinius lib.* VII. *cap.* 56. *Ceres frumenta* (invenit), *cum antea glande vescerentur. Eadem molere, & panem conficere* (instituit) *in Attica, Italia, & Sicilia: ob id Dea judicata*. Nec a sententia *Plinii* alieni sunt, qui apud *Henelium loc. cit.* molarum inventum Isidi acceptum ferunt, quandoquidem Isidem eandem esse, quam Cererem post Diodorum *lib.* I. *Antiq. cap.* 50. & *lib.* VI. *cap.* 15. Herodotum in *Euterpe*, Apollodorum *Biblioth. lib.* II. Plutarchum *libro de Iside, & Osiride*, & Augustinum *de Civitate Dei lib.* VIII. *c.* 27. Polydorus Virgilius *de inventoribus rerum lib.* III. *cap.* 2. Lilius Gregor. Gyraldus *Historia Deorum Syntagm.* XII. *tom.* I. *Opp. p.* 384. Gerh. Johannes Vossius *de idololatria lib.* II. *cap.* 56. *p. m.* 615. aliique observarunt. Stephanus Byzantinus *de urbibus* in voce Μυλαντία originem molarum *Milanti* cuidam tribuit. Μυλαντίαι ἄκραι ἐν χαυνήρῳ (vel potius χαμαίρῳ, ut Viri doctissimi, Meursius *Comment. in Lycophronem*, Salmasius, Thomas de Pinedo, & Lucas Holstenius *Not. ad Stephanum*, legendum rectius judicarunt) τῆς Ῥόδȣ μυλάντιοι Θεοὶ, ἀπὸ Μύλαντος ἀμφότερα, τȣ̃ καὶ πρώτȣ εὑρόντος ἐν τῷ βίῳ τὴν μύλȣ χρῆσιν. *Milantia*

pro-

promontorium in Camiro Rhodi: unde Dii Mylantii. A Mylante utrumque, qui etiam primus molæ in vita humana usum invenit. Pausanias *in descriptione Atticæ lib.* III. Myletem molarum inventorem laudat. Ἀπ' αὐτοῦ προελθόντι ὡς ἐπὶ τὸ Ταΰγητον ὀνομάζουσιν Ἀλεσίας χωρίον. Μύλητα τὸν Λέλεγος πρῶτον ἀνθρώπων μύλην τε εὑρεῖν λέγοντες, καὶ ἐν ταῖς Ἀλεσίαις ταύταις ἀλέσαι. *Ab eo Taygetum versus procedenti vicus est, quem Alesias* (quod est, ac si moletrinas dicas) *vocant. Eo in loco molam primum omnium reperisse, & fruges moluisse Myletem Lelegis filium asserunt.* Sed omnes hæ meræ sunt fabulæ, suis Autoribus relinquendæ. Quo igitur Autore, & quo tempore molæ suam traxerint originem, in tanta prisci ævi caligine nemo facile determinabit.

VII. Interim molas manuarias omnia reliqua molarum genera vetustate longe multumque superares, nemo facile inficias ibit. Has enim jam temporibus, ut vulgo vocantur, heroicis, ad quæ, nemine diffitente, molarum reliquarum antiquitas non assurgit, cognitas fuisse, *Homerus* luculenter comprobat, plus simplici vice de iis verba faciens. Sic *Odyss.* VII. *vers.* 103. de Alcinoo, Phæacum Principe:

> Πεντήκοντα δὲ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες·
> Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπόν.

> *Quinquaginta ipsi in ædibus servæ sunt fœminæ:*
> *Aliæ quidem sub mola molunt pomacei coloris frugem.*

i. e. triticum. Et *Odiss.* XX. *vers.* 105. *seqq.*

> Φήμην δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρὶς
> Πλησίον, ἔνθ' ἄρα οἱ μύλαι εἵατο ποιμένι λαῶν.
> Τῇσι δὲ δώδεκα πᾶσαι ἐπερρώοντο γυναῖκες,
> Ἄλφιτα τεύχουσαι καὶ ἄλειατα, μυελὸν ἀνδρῶν.
> Αἱ μὲν, ἄρ' ἄλλαι εὗδον, ἐπεὶ κατὰ πυρὸν ἄλεσσαν.
> Ἡ δὲ μί' οὔπω παύετ' ἀφαυροτάτη δὲ ἐτέτυκτο.
> Ἥ ῥα μύλην στήσασα, ἔπος φάτο κ. τ. λ.

> *Vocem autem e domo mulier præmisit molendinaria*
> *Prope illic, ubi ei molæ erant pastori populorum.*
> *His autem duodecim omnes annitebantur mulieres,*
> *Farinas hordeaceas conficientes & triticeas, medullam virorum.*
> *Illæ quidem aliæ dormiebant, postquam triticum moluerant.*
> *Hæc autem una nondum cessarat: debilissima autem facta est:*
> *Hæc igitur molam sistens verbum dixit &c.*

VIII. Sed cur ad Homerum provocamus? cum ex antiquioribus temporibus origo molarum nostrarum sit repetenda. Profecto Moses in Pentateucho, libro omnium, qui in orbe supersunt, antiquissimo, sua ætate molarum manuariarum usum Ægyptiis familiarem fuisse asserit *Exod.* XI. 5. *Israelitasque in diserto sine fixa sede errantes Mannam* רחים *molis commoluisse* testatur. *Num.* XI. 8. Quin a veritatis tramite forsan non recedemus, si dicamus, tempore Abrahami non penitus incognitum fuisse molarum harum usum. Nam non tantum τοῦ לחם *Panis, quem Melchisedechus Abrahamo obtulit. Gen.* XIV. 8. sed & *farinæ similagineæ, quam Abrahamus depsere Saram jussit*, mentio fit *Gen.* XVIII. 6. ויאמר מהרי שלש סאים קמח סלת לושי ועשי עגות: *Et dixit: festinanter affer tria sata farinæ similagineæ, depse & fac placentas.* Frumentum vero in tam tenuem puramque farinam absque subsidio molarum redigi potuisse, vix ac ne vix quidem vero consentaneum, cum id in pila tantum crussiuscule fractum fuisse, certo certius sit. Vide *Polydorum Virgilium lib.* III. *cap.* II. *Joannem Heringium de molendinis eorumque jure quæst.* II. *num.* 48. *seqq. pag.* 38. & *Henelium Otio Uratislav. pag.* 365.

IX. Quemadmodum vero molæ manuales omnium antiquissimæ, ita & frequentissimæ, adeo, ut plurimis, ne dicam omnibus fere Gentibus usitatæ fuerint. Non tantum Veteribus *Ægyptiis, Arabibus, Hebræis, Græcis* ac *Romanis*, de quibus singulis paulo post dicendi erit occasio, familiares erant; sed & *Habessinos* hodiernos nullas alias, quam manuarias habere molas, *Ludolfus Comment. Hist. Æthiop. pag.* 565. testatur. In *Boetica* etiam molas domesticas, quæ manibus vertuntur, ad molendum frumentum usurpari, *Joannes Maldonatus Commen. in Jeremiam pag.* 419. autor est. De *Lithuanis Alexander Guagninus* (vel, qui hunc librum in *Historia* sua *Lithuanica* sibi vindicat *Matthias Strycouski, Christoph. Hartknochio in Catalogo Scriptorum Poloniæ, Præfationi libri de Reb. Polon.* subjuncto, &

& *Vinc. Placcio de Scriptoribus Pseudonymis lit. G. pag.* 329. obſervantibus,) in *Sarmatia Europæa*, ſpeciatim in *deſcriptione Lithuaniæ fol.* 29. aſſerit, eos *piſtrinas manuales trinas quinaſve in pagis & oppidis domi habere, iiſque ad commolliendas fruges uti*. Eædemque *Henelio, l. c. pag.* 377. teſte, in *Svecia* privatis tam frequentes fuere, ut, cum experientia comprobatum eſſet, illas vectigal publicis molendinis impoſitum non ſine ſummo Reipublicæ detrimento imminuiſſe, Ordinibus Regni Veciæ, in Comitiis Holmiæ A. O. R. M. DCXXVII. habitis, omnes hujuſmodi manuarias molas publico decreto tolli & abrogari placuerit.

X. Ad comminuenda frumenta molas manuales principaliter inventas fuiſſe, ex hactenus dictis facile conſtat. Cave tamen exiſtimes, eas nullis aliis rebus contundendis inſerviiſſe. Ut enim uſum molarum manualium hodiernarum multiplicem, lippis & tonſoribus notum, taceamus, Veteres, ad quos præcipue in hac noſtra tractatione digitum intendimus, molarum manualium ope etiam aromata comminuebant. Hinc in Talmude Codice ביצה ſive *de feſtis diebus cap.* II. *theſ.* IX. רחיים של פלפלין *molarum piperis* mentio injicitur. Et *Maimonides ad Codicem Miſchnicum* שביעית h. e. *de anno ſeptimò cap.* IX. §. I. teſtatur, *molas manuarias ad medicamina comminuenda adhibitas fuiſſe*. Inprimis vero prætereundum non eſt, oleo conficiendo inſerviiſſe molas manuarias, *olearias*, ſive *olivarias* propterea dictas. Vulgo hæ *trapeta* adpellantur, quamvis, ſi *Columellam* audiamus, omnino quædam inter *trapeta* & *molas olivarias* admittenda ſit differentia. Ita enim *lib.* XII. *cap.* 50. ſcribit: *Oleo conficiendo Molæ utiliores ſunt, quam Trapetum: trapetum, quam canalis* & *ſolea. Molæ quam facillimam patiuntur adminiſtrationem, quoniam pro magnitudine baccarum vel ſubmitti, vel etiam elevari poſſunt, ne nucleus, qui ſaporem olei vitiat, confringatur. Rurſus trapetum plus operis, faciliuſque, quam ſolea & canalis efficit.* Paucisque interjectis: *Pro conditione tamen, & regionum conſuetudine prædictæ machinæ exercentur; ſed eſt optima Molarum, tum etiam Trapeti.* Quæ cum ita ſint, forſan *Columella torcularia olivaria, trapetorum* nomine complexus eſt, prouti & loco *trapeti prelum* videtur poſuiſſe eodem Capite: *præceptum habemus, ut unius cujusqae diei fructus molis & prelo ſtatim ſubjiciatur.* Lucem fœnerari poteſt huic expoſitioni *Heſychius*, cui τραπεῖν (unde τράπης καὶ τραπητὸν *trapetum*) eſt ληνοπατεῖν *torcular calcare*. Molas olivarias etiam Sacræ exhibent paginæ, ſaltem in verſione B. Megalandri *Job.* XXIV. II. Die zwingen ſie Oel zu machen auf ihren eignen Muhlen. In fonte Hebræo hæcita leguntur: בין שורותם יצהירו *Intra muros eorum oleum exprimunt*, h. e. Pauperes oleum ſuum intra parietes muroſque opulentorum, in horum prelis moliſve olivariis exprimunt, creditoribus rigidis ita urgentibus, neque permittentibus, in pauperum ædibus oleum exprimi, ne miſeri debitores, ad incitas redacti, in uſum ſuum quidpiam olei convertere poſſint. Conf. *B. Seb. Schmidius Comment. in Jobum pag.* 999. Unde facile patet, ſenſum ipſius dicti B. Megalandrum in verſione ſua eleganter expreſſiſſe, licet verba paulo aliter in Codice Hebræo ſonent.

XI. Antiquitate, frequentia & multifaria molarum manualium utilitate conſiderata, præcipuæ earum *partes* paulo penitius inſpiciendæ. Inter has eminent duo *lapides*, qui Græcis vocantur λίθοι *μυλῖται*. Sic *Herodianus Hiſtor. lib.* III. *cap.* I. de Byzantio: περιτετείχιστο γενναίῳ τε καὶ μεγίστῳ ἡ πόλις τείχει πεποιημένῳ μυλίτου λίθου. *Erat enim munita urbs valido ingentique muro, conſtructo ex lapide molari.* Ubi perperam *Angelus Politianus*, interpres alias Herodiani elegantiſſimus *lapides molares* in *Mileſium lapidem* convertit, vocem μυλίτου cum τῷ μιλήτου confundens, propterea caſtigatus a *Brodæo Miſcell. lib.* VI. *cap.* XI. & *Balthaſare Scheidio Promptuario Herodiani pag.* 39. Lapis Superior molæ manualis Hebræis vocatur רכב Vox hæc licet ſæpiſſime *currum* notet, tamen nonnunquam etiam mentonymice *jumenta* currum trahentia deſignata, v. g. 2. *Sam.* VIII. 4. ויעקר דוד את כל הרכב *Et enervavit David omnia jumenta currum trahentia*. Hinc ulterius per Metaphoram eodem nomine molæ lapis ſuperior inſignitur, *quia agitatur quaſi, & circumrotatur in catino inſtar jumenti, Ludolfo Comment. ad Hiſt. Ætiop. pag.* 565. obſervante. Iſto, ad quem reſpicimus, ſignificatu τοῦ רכב occurrit *Deut.* XXIV. 6. quo de loco infra plura dabimus, nec non 2. *Sam.* XI. 21. & *Jud.* IX. 53. ubi פלח רכב eſt κλάσμα ἐπιμύλιον *fragmentum lapidis molaris ſuperioris*. Ad imitationem vocis Hebrææ רכב facta eſt appellatio Græca ὄνος, quæ vox ut *aſinum*, ita & *lapidem molæ ſuperiorem* deſignat. *Heſychio*: ὄνος ἀνώτερος λίθος τοῦ μύλου, & *Polluci Onomaſtico lib.* VII. *cap.* IV. *Segm.* 19. ὄνος ὁ ἀλήθων *aſinus molens dicitur*. *Xenophonti lib.* I. *de expeditione Cyri pag. m.* 152. ὄνος ἀλέτης *aſinus molitor* audit. οἱ δὲ ἐνοικοῦντες ὄνους ἀλέτας περὶ τὸν ποταμὸν ὀρύττοντες, καὶ ποιοῦντες εἰς Βαβυλῶνα ἦγον

καὶ

ϰ̀ ἀντιαγοράζοντες σῖτον ἔζων. *Incolæ vero lapides molares circa flumen cædunt ex uſosque Babylonem deportant, iisque venditis, coempto frumento famem levant.* Ὄνυς enim ἀλέτυς *l. c.* non *molas aſinaria, ut Romulus Amaſæus* vertit, (cujus verſionem etiam ſuam fecit Vir celeberrimus, *Georg. Raphelius Annot. in N. T. ex Xenophonte collectis pag.* 46.) ſed *lapides molares* eſſe, docte monuit *Muretus Var. Lection. lib.* VIII. *cap.* 15.

XII. Sed an *Matt.* XVIII. 6. & *Lucæ* XVII. 2. μύλος ὀνικὸς nihil aliud ſit, niſi ὄνος μυλικὸς *lapis molæ manuariæ ſuperior*, prouti *Ludolfus l. c.* exiſtimat, haud immerito quæritur? Equidem ambabus largimur, μύλον *l. l. c. c.* notare λίθον μυλικὸν, ut *Marcus cap.* IX. 42. interpretatur. Nam ὅτε κατεπόντυν τινὰς, λίθυς ἀπὸ τῶν τραχήλων ἀπεκρέμαζον, *cum aliquos in mari ſubmergebant, de collo ſuſpendebant lapides, Suida teſte.* Verum enim vero non lapis præciſe ſuperior molæ manuariæ a Salvatore intelligitur, ſed potius lapis molæ aſinariæ, quod adjecta vox ὀνικὸς haud obſcure innuit. Ad hypallagen enim adeo duram cur hic confugiamus, nulla nos urget neceſſitas. Eſto hominis collo non facile appenſa fuiſſe ſaxa molæ aſinariæ, nec tanta ad hominem ſubmergendum mole pręciſe opus eſſe, ſubeſt tamen hac in locutione Chriſti hypothetica (prouti apud Marcum & Lucam legitur) inſignis Emphaſis. Lapides enim molarum aſinariarum cum utique majores ſint, & graviores lapidibus molarum manualium, non poſſunt non certiſſimum graviſſimumque maleficis minari interitum. Itaque Servator utitur voce, ὀνικὸς, ad pœnæ certitudinem & gravitatem indicandam: quo etiam phraſis adjecta ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης *in profunditate maris*, ſeu *in mari profundiſſimo* referenda. Conſentiunt ex interpretibus Veteribus, *Syrus* & *Latinus*, e recentioribus *Grotius Not. ad Matthæum*, *Ligtfootus Hor. Hebr. in Luc.* XVII. *Bochartus Hieroz. P. I. L.* II. *c.* XIII. §. 5. *B. Job. Saubertus Operibus Poſthumis p.* 86. *Conradus Mel Antiquario S. Sect.* IV. *c.* VI. §. 5. *p.* 263. & *Dn. Chriſtoph. Matth. Pfaffius Notis Exeget. in Matth. p.* 160.

XIII. Lapis inferior Hebręis dicitur שכב ἀπὸ τῦ שכב *cubuit*, quia cubat & immotus jacet infra ſuperiorem. Equidem vox שכב Scriptoribus Biblicis non eſt familiaris, legitur tamen in Miſchna, in בבא בתרא i. e. *Codice tertio da damnis, cap.* II. circa initium: מרחיקין את הרחים שלשה מן השכב שהן ארבע מן הרכב *Removent* (a pariete vicini) *molas tres* (palmos) *reſpectu molæ inferioris*, (שכב) *qui ſunt quatuor reſpectu molæ ſuperioris.* De ſenſu hujus præcepti infra plura dabimus. Hic tantum notamus, רחים *molam* integram diſtingui in duas partes; רכב *ſuperiorem*, & שכב *inferiorem lapidem.* Hic Gręcis dicitur μύλη, nec non τράπεζα *menſa*, teſte *Pollice l. c.* Latinis ut ſuperior *meta* ſalutatur ob figuram conicam, cum meta & conus ſint Synonyma, ita inferior *catillus* vocatur, quia in modum catini eſt excavatus. Equidem *Buxtorfius Lexic. Hebr.* ad vocem רכב *Arias Montanus*, *Junius* ac *Tremellius* in *Bibliis* ad *Deut.* XXIV. 6. *Henelius Otio Uratislav. cap.* XLIV. *pag.* 363. *Heringius de molendinis Quæſt.* 4. *num.* 38. aliique multi molam ſuperiorem *catillum*, inferiorem *metam* vocant. Sed errorem illum a *Paulo JCto* invectum jure merito *Grapaldus de partibus ædium lib.* II. *cap.* 4. *pag.* 187. *Salmaſius Excercit. Plinian. cap.* LV. *pag. m.* 852. *Ludolfus l. c. pag.* 565. & *Guſſetius Comm. Ling. Hebr. pag.* 789. caſtigarunt.

XIV. Lapides molares, de quibus hactenus diximus, licet frumento comminuendo maxime inſervierint, aliis tamen quoque uſibus nonnunquam deſtinati fuere. Ex iis urbium muros exſtructos fuiſſe, ex loco *Herodiani* §. XI. allato conſtat. Pręterea lapides moleres in hoſtes dejectos eſſe, cum ſacrę, tum profanę teſtantur literę. In illis legimus de Abimelecho, quod, *cum jam in eo eſſet, ut turrim urbis Thebez oppugnaret, & ad oſtium turris ignem ei injecturus accederet, mulier* פלח רכב *fragmentum lapidis molaris ſuperioris ſuper caput ejus dejecerit, craniumque ipſius confregerit. Jud.* IX. 53. 2. *Sam.* XI. 53. Perperam *Heringius l. c. quęſt.* 4. *n.* 47. *fragmento molæ aſinariæ Abimelechum interfectum* aſſerit. Adhuc enim ſub judice lis eſt, an molę aſinariæ tempore iſto in uſu fuerint, quod idoneis argumentis facile non demonſtrabitur. Pręterea altum de mola aſinaria l. l. c. c. eſt ſilentium. Profecto רכב *Deut.* XXIV. 6. de parte molę manuarię uſurpari, nemo inficias iverit. Eodem ſenſu l. l. c. c. accipiendum. Cumque mulieribus in Oriente proprium fere fuerit, molas tractare manuarias, mirum non eſt, iſti fœminę ad manum fuiſſe lapidem molę manuarię. Ad profanos quod attinet Scriptores, varia in iis exſtant teſtimonia de lapidibus molaribus, in hoſtes, tam manuum, quam machinarum, quę baliſtę dicebantur, ope conjectis, ex quibus pauca tantum dabo.

Ovidius lib. III. *Metamorph.* verſ. 59. ſeq.

Aut comes, inquit, ero dixit: dextraque molarem

Su-

Sustulit ; & magnum magno conamine misit.

Silius Italicus *lib.* I.

Phocais effundit vastos balista molares

Statius lib. VIII. *Thebaidos*:

circumque sonori
Vertice percusso volvuntur in arma molares.

Et Ammianus Marcellinus lib. XX. *Dolia desuper cadebant, molæ & columnarum fragmenta : quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnantes*. Plura Autorum veterum recentiorumque testimonia larga manu suppeditare possemus, nisi hac in parte otia nobis fecisset *Heringius loc. cit.* Confer etiam *Lipsium Poliorceticωn*. Lib. III. *Dialog.* II.

XV. Equidem lapides molares, de quibus hactenus verba fecimus, præcipuas molarum manuariarum partes vulgo constituebant : attamen, quemadmodum recentiori ætate conspiciuntur molæ ex mero ferro & chalybe, in quibus nulli sunt lapides ; orbitis chalybeis ferreisve, in multas rimas seu fissuras limis fabrilibus excavatis, eorum vicem supplentibus, observante, quem sæpe excitavimus, *Heringio* loc. cit. *quæst.* 4. *num.* 49. *p.* 73. ita olim, quod magis mireris, molæ manuariæ argenteæ aureæque non prorsus incognitæ erant Veteribus. Ad argenteas quod attinet, fidejussorem meum dabo *Strabonem Geograph. lib.* IV. *p. m.* 287. editionis Amstelodamensis, quæ cum *Casauboni* aliorumque Notis A. C. MDCCVII. prodiit, ubi cum asseruisset, multis in locis Galliam thesauros habuisse, maxime autem paludes, in quas argenti, aut etiam auri pondera demiserint incolæ, eos tutos præstitisse, pergit : οἱ γοῦν Ῥωμαῖοι κρατήσαντες τῶν τόπων, ἀπέδοντο τὰς λίμνας δημοσίᾳ, καὶ τῶν ὠνησαμένων πολλοὶ μύλους εὗρον σφυρηλάτους ἀργυροῦς. *Romani igitur potiti his locis paludes publice vendiderunt : multique eorum, qui emerant, molas ex argento ductas repererunt*. Quin auream molam a Xerxe Persarum Rege Megabyzum accepisse, *Ctesias Persicæ Historiæ Excerptis*, *Herodoto* annexis *p. m.* 644. *num.* 24. narrat : οὕτως μὲν ἥλω διὰ τοῦ Μεγαβύζου Βαβυλών· δίδωσι δὲ αὐτῷ Ξέρξης ἄλλα, τε πολλὰ, καὶ μύλην χρυσῆν, ἑξ ἕλκουσαν τάλαντα, ὃ τιμιώτατον τῶν βασιλικῶν δώρων παρὰ Πέρσαις ἐστί. *Ita Babylon capta est per Megabyzum : cui Xerxes præter alia multa, molam auream sex talenta pendentem donavit, quod apud Persas omnium regiorum munerum est pretiosissimum.*

XVI. A molis argenteis aureisque, ad splendorem magis ostentationemque, ac ad usum quotidianum excogitatis, ad ordinarias Veterum molas, earumque partes revertimur. Ad has, post lapides molares, referri meretur *scapus*, sive *manubrium*, cujus ope lapis superior agitatur. Græcis vocatur κώπη τῆς μύλης. Quæ vox non tantum de scapo molarum asinariarum occurrit apud *Lucianum* in *Lucio*, seu *Asino*, ubi asinus molæ admotus ita loquens fingitur: ὑποζευγνύουσί με τῇ κώπῃ τῆς μύλης *alligant me scapo molæ*; sed & ad manubrium molarum manualium transfertur a *Theocriti Scholiaste Idyllio* IV. Ἀπὸ τῶν ἀλούντων, καὶ τῇ κώπῃ τοὺς μύλους ὠθούντων. *A molentibus manubrioque molas trudentibus*. Catoni *de re rustica* lib. X. *molile* salutatur, si audiamus *Adrianum Turnebum Adversariorum* lib. VII. cap. XXIII. p. m. 232. *Scapus vel manubrium, quo movetur mola, molile, ut suspicor, vocatur, ut a libra, librile : vel potius a moliendo*. Ad molile seu scapum molæ trusatilis digitum intendere videtur Jeremias *Thren.* v. 13. בחורים טחון נשאו ונערים בעץ כשלו : *Juvenes ad molendum sustulerunt* (h. e. abduxerunt Babylonii, vel ut alii, quibus cum *Coccejo Lexico* p. m. 279. טחון est Substantivum formæ גדול locum reddunt: *Juvenes molam tulerunt*) *& pueri ad lignum impegerunt*. Aben Esra : כשל כוח הנערים בהניע עץ הטחנה: *Defecerunt puerorum vires in movendo ligno molitorio*. Cui pollicem premit *Bochartus Hierozoico* part. I. lib. II. cap. XIII. §. v. per עץ *ligneum molæ scapum* intelligens. Profecto hanc interpretationem, explicationem *Hieronymi*, in obscoenum sensum hæc verba trahentis, longo post se relinquere intervallo, in Solis disco positum. Et quamvis, ut verum fatear, *Munsteri*, *Vatabli*, *Grotii* aliorumque de fascibus lignorum, quos gestare cogebantur captivi Hebræorum pueri, verba posteriora accipientium sententia nulla laboret absurditate, attamen, cum priori hemistichio de pistrinis, in quæ acti sint a Babyloniis juvenes Israelitici, verba faciat Propheta, contextui convenientissimum erit, τὸ עץ de ligno molitorio, quod scapum, seu manubrium vocant, cum Autoribus supra laudatis accipere.

XVII. Præter lapides & scapum, etiam alias quasdam partes in molis manuariis cernere licet. Nam, ut taceam *axem*, circa quem meta agitatur, huc quoque pertinet *infundibulum*, sive vas illud, per quod in molam frumentum de-

decurrit, quod Talmudistis in *codice* זבים h. e. de gonorrhœa *cap.* IV. *thes.* 3. alibique קלת salutatur. *Buxtorfius* in explicanda hac voce sibi ipsi vix satis constat. Nam *Lexico Talmud. col.* 2053. R. *Obadiam de Bartenora* secutus vertit: *arcam pollinariam*; at *col.* 162. קלת ipsi est *infundibulum*. Verba enim *Gemaræ*: מוכר את הבית מכר את האיסטרובל אבל לא את קלת: ita transfert: *Vendens domum vendit etiam arcam molæ; sed non infundibulum molæ*, hac addita ratione: *Illud vas immobile, hoc mobile. Illud idcirco cum mola venditur, hoc vero non*. Hæc posterior תוּ קלת expositio veritate se commendat, prior vero est spuria. Nam קלת est Græcorum κάλαθος Latinorumque *calathus*, quo nomine *proprie* venit ejusmodi vas, quod ex angusto orbe in ampliorem surgit. Quam ob causam *Plinius lib.* XXI. *cap.* V. *calathi* formam liliis assignat, utpote foliis ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantibus. Eademque forma cum pocula gaudeant, hæc quoque *calathorum* nomine veniunt apud *Virgilium*, Ecloga V. vers. 71.

> *Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.*

Quæ si accuratiori judicii trutina expendantur, haud obscurum erit, figuram modo dictam non *arcæ pollinariæ*; sed *infundibulo* convenire, hocque apto satis vocabulo קלת appellari. *Arca pollinaria*, sive orbis ille ligneus circa molam inferiorem ad recipiendum pollinem, ne in terram decidat, Talmudistis vocatur: איסטרובל vel אצטרובל, quæ vox, si *Buxtorfio loc. cit. col.* 162. fides habenda, est Græcum στρόβιλος *Vortex, turbo, trochus, aliquid rotundum, quod in gyrum rapi vel agitari potest*. Hincque ad *arcam ligneam rotundam circa molas* transfertur. Alibi appellatur אמתא דרחייא *cod.* ברכות sive *de benedictionibus* fol. 18. *col.* 2. & *cod.* מועד קטן *de festo parvo* fol. X. col. 2. Conf. *Buxtorfius loc. cit. col.* 113. Cum enim אמה Rabbinis vulgo *fossam* recipiendis aquis destinatam notet, arca vero pollinaria ob cavitatem suam aliquam cum fossa habere videatur analogiam, vox hæc ad eam traducta est. Tandem huc referri potest *cribrum* pollinarium, alias *subcerniculum* dictum, cujus ope pollen sive flos a furfuribus secernitur. Illud ex pellibus asininis vel suillis, crebris pertusis foraminibus, vel ex lino aut setis equorum fiebat, quemadmodum observat *Heringius* loc. cit. *quæst.* 4. *n.* 63. *pag.* 79. Græcis dicitur κόσκινον *Syracid.* XXVII. 4. Hebræis כברה ex כבר *multus* *fuit*, in Hiph. *multiplicavit* Job. XXXV. 16. & *cap.* XXXVI. 31. ob *multitudinem foraminum* ita vocatum. Sic *Amos.* IX. 9. והניעותי בכל הגוים את בית ישראל כאשר ינוע בכברה ולא יפול צרור ארץ: *Agitabo inter omnes gentes domum Israelis, quemadmodum agitatur in cribro, & non cadit in terram acervus lapidum*. Circa quem locum ὡς ἐν παρόδῳ notamus, צרור non esse *granum*, quæ est multorum sententia: (Nuspiam enim isto sensu legitur;) sed *acervum lapidum*, qua significatione occurrit 2. *Sam.* XVII. 13. Ut adeo sensus loci hic sit: Sicut acervus lapidum, quando agitatur in cribro, non cadit humi, ut ibi immotus quiescat, sed perpetuam in cribro commotionem patitur, ita Israelitæ in toto terrarum orbe inter omnes gentes agitabuntur, multisque tribulationibus vexabuntur, neque tamen penitus delebuntur; utpote in perpetua agitatione ad extremum usque diem relinquendi. Vide *Gussetium Comment. linguæ Hebr. pag.* 728. A multis etiam in hunc censum refertur מכבר *Exod.* XXXVIII. 4. 30. Verum enim vero מכבר non significat *cribrum*; sed potius *craticulam* einen Rost, licet craticula etiam a foraminum multitudine, cribrique similitudine, nomen hoc accepisse videatur. Conf. *Coccejus Lexico p. m.* 360. Potiori jure huc trahendum Hebræorum נפה, ex verbo נוף sensu *agitandi* gaudente derivandum, quod interprete *Kimchio* est כברה שמרקדין בה הקמח *cribrum, in quo agitant farinam*. Vox ista reperitur *Es.* XXX. 28. ubi *gentes* dicuntur *agitandæ* בנפת שוא: In *Cribro Vanitatis*, hoc sensu: Deum ita agitaturum esse Gentes, ut sedibus suis ejiciantur, tandemque in istarum terris nemo supersit, prouti farina ex cribro agitato excidit, ut nihil tandem in cribro remaneat. Talmudistis נפה eodem sensu familiare est in codice סוכה sive de *tabernaculi cap.* I. in fine, iisdemque פורתא דנפיתא est *farina cribrata* gebeutelt Mehl *cod.* יבמות sive de *Levirorum in fratrias officiis* fol. 114. Conf. Buxtorfius *Lex. Talmud.* col. 1320.

XVIII. A partibus molæ ad *Personas*, molas manuarias tractantes, pedem jam promovemus. Cum molæ sine magno labore vix agitentur, mirum non est, infimæ populi feci, hominibus vel servituti, vel captivitati addictis, id negotii datum fuisse. Unde *Artemidorus Oneirocrit*: lib. II. cap. XLVII. μύλον ἀεὶ τῶν σκληρῶν καὶ πονηρῶν πραγμάτων λύσιν, καὶ πιστὸν θεράποντα σημαίνει. *Mola semper durorum & difficilium negotiorum solutionem portendit, fidelemque servum significat*.

XIX. Inprimis vero apud Orientales mo-

molere *ancillarum* opus fuit. *Ancillas Ægyptiacas* molendinis admotas reperimus *Exod.* XI. 5. *Morietur omnis primogenitus in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus,* עד בכור השפחה אשר אחר הרחים: *uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt poſt molam.* אחר הרחים: *Poſt molam* ancilla dicitur eſſe, quia, qui molam trudebant, poſt vectem, quo circumagebatur, erant, eumque ante ſe agebant. Cæterum loco iſto regiæ & maximæ dignitati, officium molendi ancillis commiſſum, ceu viliſſimum ſervitutis genus, e diametro opponitur. Hacque adagiali dicendi formula nihil aliud indicat Spiritus Sanctus, niſi omnem ad unum primogenitum a ſummo ad imum, a nobiliſſimo ad abjectiſſimum, ab hærede regni ad piſtrinariæ filium uſque, manus Dei vindices eſſe expertu-rum.

XX. *Babyloniorum* non ſecus ac *Perſarum ancillas* molas manuales pariter verſaſſe, haud obſcure concludere licet ex *Eſaiæ* XLVII. 2. ubi Propheta Babylonem ſub ſpecie puellæ, olim quidem teneræ ac delicatæ, jam vero in abjectiſſimam ſervitutem a Perſis Mediſque detrudendæ, ſiſtit his verbis: קחי רחים וטחני קמח גלי צמתך וכ׳ *Sume molam & mole farinam: nuda comam tuam, retege plantam, denuda crus: tranſi fluvios: revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum.* Equidem *Hieronymus molendi* verbum h. l. in ſenſum traxit obſcœnum, honeſtaque metaphora aliquid inhoneſti velari exiſtimavit, maxime verbis ultimis innixus. At vero tota hæc oratio nihil aliud eſt, niſi ſervitutis duriſſimæ periphraſis, indicans, populum Chaldaicum ad eam redactum iri conditionem, ut non tantum omni ornatu ſit ſpoliandus, quo referenda *comæ denudatio*, ſed & juſſu Dominorum applicandus ad labores moleſtiſſimos, v. g. ad *verſaturam molæ*, quin ad ejuſmodi vilia miniſteria, quæ ſalvo honore pudoreque obire non poterat, quo ſpectant *retectio pedis*, *denudatio cruris*, & *tranſitus per fluvios*, cum nuditate majoris corporis partis conjunctus. Nam *Tavernierus*, *Thevenotius*, aliique, qui itinera in Orientem monumentis mandarunt, referunt, uſu receptum eſſe in multis Orientis partibus, ut fœminæ vilioris conditionis fluviorum alveos, fluvioſque ipſos, ſi res poſtulet, vel nudatis cruribus tranſeant, vel exuta veſte, nudæ plane ac diſcopertæ eos tranent, ſepoſito omni honoris pudoriſque reſpectu. Confer *Campegium Vitringam Comment. in Eſ.* part. II. pag. 613. & *Martinum* de *Roa Singularibus Scripturæ Sacræ* lib. IV. cap. I. pag. 421. ſeqq.

XXI. *Ancillas* quoque *Arabicas* molis admotas fuiſſe, Jobi, quem in Arabia deſerta vixiſſe, *Fridericus Spanhemius Hiſtoria Jobi* tom. II. Opp. lib. I. cap. IV. pag. 27. non contemnendis probavit rationibus, verba *cap.* XXXI. 9. 10. luculenter indicare videntur: *Si pellectus fuit animus meus ad mulierem, aut ad oſtium proximi mei inſidiatus ſum,* תטחן לאחר אשתי *molat alteri uxor mea, & ſuper eam incurvent ſe alii.* Ubi iſta verba: *molat alteri uxor mea*, nullum alium niſi hunc habent ſenſum: Uxor mea fiat ancilla viliſſimi miniſterii. Equidem me non latet, magni nominis Interpretes non tantum recentiores, ſed & cana antiquitate venerabiles, in ſenſu obſcœno hoc Jobi dictum ſumſiſſe. Sic enim *Chaldæus*: תשמש עם חורן אנתתי: *Concumbat cum altero uxor mea.* Licet enim *Coccejus Commentar.* in h. l. *Chaldæi* תשמש reddiderit: *famuletur*, tamen partic. עם verbo huic adjecta alium ſuppeditat ſenſum. Illa enim ſi jungatur verbo שמש apud Targumiſtas, hoc ordinarie ſignificat: *Concumbere, Coire. Targum Hieroſolymitanum* Gen. XXVI. 10. אלו שמש חד טליא עם אתתך: *Si concubuiſſet adoleſcens quiſpiam cum uxore tua &c.* Et *Targum Legis*, quod ſub *Jonathanis* nomine circumfertur, *Gen.* XIX. 33. ושמשת עם אבוה *& concubuit cum Patre ſuo* & ib. *verſ.* 35. ושמשת עמיה *& concubuit cum eo.* Plura, quæ larga manu ſuppeditare poſſem, teſtimonia, brevitatis cauſa ſicco pede tranſeo. Sic etiam *Hieronymus*, vel quiſquis eſt Autor vulgatæ verſionis: *Scortum alterius ſit uxor mea.* Sic LXX. ἀρέσαι ἄρα καὶ ἡ γυνή μου ἑτέρῳ *Placeat quoque uxor mea alteri*, niſi Græca verſio mendo ſcateat, & pro ἀρέσαι legendum ſit: ἀλέσαι, quod *Philippus Codurcus Annotat. in Jobum* jam ſuſpicatus eſt: quæ conjectura *Arabis* & *Syri*, veſtigiis τῶν ἑβδομήκοντα alias utplurimum inſiſtentium, h. l. tamen textum Hebræum preſſe ſequentium, verſionibus confirmari poſſe mihi videtur. Sed quicquid ſit de verſione τῶν LXX. id extra omnem controverſiæ aleam poſitum, non tantum ex *Calvini* aſſeclis multos, ex Pontificiis *Cajetanum* & *Pinedam*; ſed & ex noſtris Theologis *Luth. Seb. Schmidium*, & *Calovium* alioſque interpretationi iſti ſua dediſſe nomina. Verum enim vero, eſto profanis Scriptoribus *molere* ſæpe idem eſſe, ac *rem veneream exercere*, quo pertinent verba *Theocriti*, §. II. jam allegata, item illa lippis tonſoribuſque nota *Horatii Serm.* lib. I. Satyra II.

Huc

Huc Juvenes æquum est ascendere, non alienas
Permolere uxores.

Ne dicam de *Ausonii*, *Lucilii* aliorumque locis huc spectantibus, de quibus consulendi *Bochartus Hieroz.* pag. I. lib. II. cap. XIII. §. V. p. m. 188. Taubmannus in *Plauti Truculent. Act.* II. *Scen.* II. *pag.* 1188. *Barthius Adversarior.* lib. VIII. cap. 6. *Salmuthus* ad *Pancirollum* lib. II. tit. XXII. pag. 297. *Fesselius Adversar.* S. lib. II. cap. XV. pagin. 122. & *Dilberrus Electis* S. *lib.* II. *cap.* 4. Attamen in Sacrarum Literarum Pandectis nec unicum hactenus indubitatum testimonium pro isto verbi *molere* sensu obscœno invenire mihi licuit. Et parum abest, quin asseram, illos, qui σεμνότητα sermonis sancti elevare videntur, asserentes, Spiritum Sanctum rem inhonestam honesta tectaque hac phrasi significare voluisse, verecundiæ Scripturæ Sacræ plus detrahere, quam addere. Translata enim hæc phrasis, ista mente exposita, nescio quid κακεμφατώτερον sonat, quam si aperte cum Mose Jobus dixisset : איש אחר ישגל אשתי : *Vir alius vitiet uxorem meam*. Deut. XXVIII. 30. Profecto verecundus & a libidine alienus animus occasione verborum simplicium & alia omnia significantium ad troporum obscœnorum cogitationem non facile inducitur. Præterea, quod maxime hic notandum, verbum activum *molere* nuspiam a profanis Scriptoribus de fœminis, sed tantummodo de Viris usurpatur, cum tamen h. l. ex illorum, contra quos disputamus, Interpretum mente fœminæ tribuendum sit : quo jure judicent, qui possint. Hanc difficultatem cum emunctioris naris Criticus *Johannes Drusius* observaret, *quæst. Hebr. lib.* II. *quæst.* 38. monuit, *forsan* h. l. *passive verbum* טחן *sumendum* hoc sensu : *molatur alteri* (*ab altero*) *uxor mea*. At vero ex inductione locorum, quibus verbum טחן in codice S. legitur, sudo clarius est, nunquam *passive*, sed semper *active* istud usurpari. Vide *Exod.* XXXII. 20. *num.* XI. 8. *Jud.* XVI. 21. Es. XLVII. 2. *Thren.* V. 13. *Eccles.* XII. 3. Quæ cum ita sint, omnino dicendum, Jobum verbis istis תטחן לאחר אשתי *Molat alteri uxor mea*, ignominiosissimum servitutis genus delineare voluisse. Ὁμόψηφοι nobis sunt *Arabs*, *Syrus*, *Vatablus*, *Grotius*, *Coccejus* ad h. l. Flacius *Clave Scripturæ Sacræ pag.* I. voce *Mola* & *Sixtinus Amama Antibarbaro Biblico* p. m. 756. Neque obstat huic interpretationi membrum sequens : ועליה יכרעון אחרין *Et super eam incurvent se alii*. Ubi τὸ *incurvare* eodem sensu accipiendum videtur, quo τὸ *inclinare* apud *Plautum* in *Persa* Act. IV. Scen. VIII.

Nam jam inclinabo me cum mea liberta;

Exinde enim non concludendum, verbum טחן etiam actum venereum involvere. Potius *molere alteri*, & *stuprum pati* conjunguntur ut duo distincta, quamvis subordinata. Fœminas enim in pistrinis pudicitiam suam subinde prostituisse, dubitare nos non sinit *Plautus* in *Pœnulo* Act. I. Scen. II. vers. 54.

An te ibi vis inter istas versarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias.

Prosedæ sunt prostitutæ, à *prosedendo*, in meritoriis vel fornicibus dictæ. Conf. *Isidorus Orig.* lib. X. *Alicariæ* vero teste *Pompejo Festo de verborum significat*, p. m. 248. *sunt meretrices in Campania solitæ ante pistrina alicariorum versari quæstus gratia*. *Alica* enim (Græcis χόνδρος) fit ex granis zeæ in pila lignea tusis, quod ex *Plinio* docuit *Salmasius* de *homonymis hyles jatricæ* pag. 71. Et inde dictæ *alicariæ* fœminæ in pistrinis laborantes, sed ad omnem libidinem venales. Quare & a Poeta *pistorum amicæ* salutantur. Facitque huc locus *Pauli* Diaconi *lib.* XIII. *cap.* II. quem *Almeloveenio Antiquit. e Sacris profanorum specimine* pag. 36. debeo : *Horum mancipes tempore procedente pistrina publica latrocinia esse fecerunt : cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ, per singula latera earum domuum tabernas instituentes, meretrices in eis prostare faciebant, quatenus per eas plurimos deciperent, alios, qui pro pane veniebant, alios qui pro luxuriæ turpitudine ibi festinabant*. Hæc cum ita se habeant, quid obstat, quo minus verba Jobi posteriora de stupro, priora de actu molendi proprie sic dicto accipiamus, hoc sensu : Sit alteri serva ad pistrinum addicta, ac in pistrino ad eam usque abjectionem redigatur, ut ancillarum vilissimarum more tractetur, & per contemptum ac ignominiam aliorum libidini exponatur.

XXII. Uxore Jobi valere jussa, memoratu dignas judicamus *Judæorum fœminas* vilioris conditionis, maxime ancillas molis adhibitas. His enim officium molendi incubuisse, cum Sacræ, tum Talmudicæ loquuntur paginæ. Christus, postquam de servis *agro operantibus*; Matth. XXIV. 40. verba fecisset, iis adjungit ancillas, rei molitoriæ operam dantes, *vers.* 41. δύο

ἔσον-

ἔσονται ἐν τῷ μύλωνι, μία παραλαμβάνεται καὶ μία ἀφίεται. *Duæ erunt molentes in pistrino, una accipietur, ſed altera relinquetur*. Quæ verba a Luca *cap.* XVII. 35. paucis mutatis ſic repetuntur: δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτό. *Duæ erunt molentes ſimul*. Pro μύλωνι *Stephani* aliorumque Codices quidam apud *Millium* legunt: μύλῳ, ſenſu prorſus eodem. Utraque enim vox locum, in quo mola verſatur, ſeu piſtrinum deſignat, quamvis μύλος etiam pro mola & lapide molari accipiatur, quemadmodum ſupra jam docuimus. In Talmude plus ſimplici vice opus molituræ mulieribus, præſertim ancillis vindicatur. Si omnia Talmudiſtarum loca huc ſpectantia adducerem, oleum operamque perderem. Ex multis unicum, eumque præ reliquis memoratu dignum, in medium protuliſſe ſufficiat. Exſtat ille in Codice כתובות ſeu *de dote literiſque matrimonialibus* C. V. *Miſchna* 8. אלו מלאכות שהאשה עושה לבעלה טוחנת ואופה ומכבסת מבשלת ומינקה את בנה מצעת לו המטה ועושה בצמר הכניסה לו שפחה אחת לא טוחנת ולא אופה ולא מכבסת וג׳: *Hæc ſunt opera, quæ uxor faciet marito ſuo, molet, coquet panem, lavabit, coquet* (carnes), *lactabit infantem ſuum, ſternet illi lectum, & operabitur in lana. Si unam ancillam illi introduxerit, non molet, nec panem coquet, nec lavabit*: ad quæ verba Rab. *Obadias de Bartenora* hæc annotavit: *Molet molis manualibus, quæ parvæ ſunt. At ſi magnæ fuerint, parabit omnia, quæ ad molendum neceſſaria ſunt, ut triticum immittere in molam, & recipere farinam.*

XXIII. *Fœminas* molam egiſſe apud *Judæos*, ex hactenus dictis abunde conſtat. Id ipſum apud *Græcos* quoque obtinuit. Præter *Homerum*, cujus loca ex *Odyſſ.* VII. & XXII. huc ſpectantia, §. VII. jam attulimus, alios nunc dabo fidejuſſores, nimirum *Callimachum Hymno in Delum* verſ. 241.

> μηδ᾽ ὅθι δειλαὶ
> Δυστοκέες μογέουσιν ἀλετρίδες

> *Neque ubi miſeræ & ægre parientes*
> *laborant molitrices.*

Ubi *Scholiaſtes*: Ἀλετρίδες θεράπαιναι αἱ ἀλήθουσαι. Ἀλετρίδες *ſunt ancillæ molentes*. Conferatur *Ezechiel. Spanhemius Obſervat. in Callimachum* pag. 461. *Ariſtophanem* in *Nubibus* Act. V. Scen. II. κάχρυς γυναῖκ᾽ ἀλοῦσαν. *Mulierem hordea molentem*, introducentem; & *Athenæum Deiphoſophiſt.* lib. VI. p. m. 263. hæc *Pherecratis* exhibentem:

> Οὐ γὰρ ἦν τότε οὔτε Μάνης, οὔτε Σάκης
> οὐδενὶ
> Δοῦλος, ἀλλ᾽ αὐτὰς ἔδει μοχθεῖν ἅπαντα
> τὰν τῇ οἰκίᾳ
> Εἶτα πρὸς τούτοισιν ἤλων ὄρθριαι τὰ
> σιτία,
> Ὥστε τὴν κώμην ὑπηχεῖν θιγγανουσῶν τὰς
> μύλας.

> *Nec Manes tum, nec Sacis ulli fuit*
> *Servus: illas oportebat domi elaborare*
> *omnia.*
> *Præter hæc diluculo fruges molebant,*
> *Ut molarum, quas tractabant, ſtrepitu perſonaret, pagus.*

His addendus *Plutarchus* in Commentario, quo docet, *ne ſuaviter quidem vivi poſſe ſecundum Epicuri decreta* Tom. II. *Opp.* pag. 1101. ſeqq. ita ſcribens: Ἐν δὲ πομπαῖς καὶ θυσίαις οὐ μόνον γέρων καὶ γραῦς, οὐδὲ πένης, καὶ ἰδιώτης, ἀλλὰ καὶ παχυσκελὴς ἀλετρὶς πρὸς μύλην κινουμένη, καὶ οἰκότριβες καὶ θῆτες ὑπὸ γήθους καὶ χαρμοσύνης ἀναφέρονται. *At in pompis & ſacrificiis non vir modo ſenex, aut anus, non pauper duntaxat & plebejus; ſed & craſſa crura habens molitrix ad molam ſe movens, & vernæ ac mercenarii gaudio lætitiaque efferuntur.*

XXIV. *Romanorum* quoque *ancillas* molas verſaſſe *Plautus* docet. Ita enim in *Mercatore* Act. II. Scen. III. verſ. 62. ſeqq.

> *Nihil opus nobis ancilla, niſi quæ texat, quæ molat,*
> *Lignum cædat, penſum faciat, ædes verrat, vapulet.*

Et paucis interjectis *verſ.* 78.

> *Ego emero matri tuæ*
> *Ancillam viraginem aliquam non malam forma mala,*
> *Ut matrem addecet familias, aut Syram aut Ægyptiam:*
> *Ea molet, conficiet penſum &c.*

Equidem *Plutarchus quæſtionibus Romanis* tom. II. opp. pag. 284. negare videtur, fœminas apud Romanos molere ſolitas fuiſſe. Διὰ τί τὰς γυναῖκας οὔτε ἀλεῖν εἴων, οὔτε ὀψοποιεῖν τὸ παλαιόν; ἢ τὰς συνθήκας διαμνημονεύοντες, ἃς ἐποιήσαντο πρὸς τοὺς Σαβίνους; ἐπεὶ γὰρ ἥρπασαν τὰς θυγατέρας αὐτῶν, εἶτα πολεμήσαντες διηλλάγησαν, ἐν ταῖς ἄλλαις ὁμολογίαις καὶ τοῦτο ἐγράφη, μήτε ἀλεῖν ἀνδρὶ Ῥωμαίῳ γυναῖκα, μήτε μαγειρεύειν. *Cur antiquitus mulieres neque molere ſinebant, neque coquere? An memoria pactorum cum Sabinis initorum? Poſt raptum enim Sabinarum & bellum pace mutatum, id quoque in pactis ſcriptum fuit, mulierem vi-*

ro

ro Romano neque molere debere, *neque coquere*. Verum enim vero hæc non de ancillis; ſed de matribus familias accipienda. Accedit, vero conſentaneum eſſe, illud ſtatutum Romanorum tandem in deſuetudinem abiiſſe, quod ipſe Autor laudatus adjecta voce τὸ παλαιὸν haud obſcure innuit.

XXV. A fœminis molas agitantibus ad *Viros* huic labori mancipatos progredimur. *Servos* & *captivos* molas verſaſſe manuarias, Sacri profanique Scriptores uno fatentur ore. Juvenes Iſraeliticos Babyloniorum poteſtati traditos ad laborem hunc moleſtiſſimum adactos fuiſſe, ex *Thren.* v. 13. ſupra evictum dedimus. Hoc loco autem ſilentio prætereundum non eſt exemplum Simſonis, de quo *Jud.* XVI. 21. hæc leguntur: ויאחזוהו פלשתים וינקרו את עיניו ויורידו אותו ויאסרוהו בנחשתים ויהי טוחן בבית האסירים: *Et apprehenderunt eum Philiſtæi*, *effoderuntque oculos ejus*, *ipſumque deductum Gazam vinxerunt duobus vinculis chalybeis*, *ubi molebat in carcere*. Equidem Rabbini, quod Simſon in carcere moluiſſe dicitur, ita capiunt, ac ſi cum uxoribus Philiſtæorum coire coactus fuiſſet, ut liberos viribus lacertiſque valentes ex iis gigneret. Sic Talmudiſtæ in *Gemara Codice* סוטה ſeu *de muliere adulterii ſuſpecta* cap. I. num. 23. apud *Wagenſeilium* pag. 172. ויהי טוחן בבית האסורים אמר רבי יוחנן אין טחינה אלא לשון עבירה וכן הוא אומר תטחן לאחר אשתי ועליה יכרעון אחרים סלמד שכל אחד ואחד הביא לו אשתו כדי שתתעבר ממנו: *Erat molens in carcere: R. Jochanan ait*, *molituram h. l. nil niſi rem veneream indicare*, *prouti in illo loco* (Jobi XXXI. 10.) *molat alteri uxor mea*, *& ſuper eam incurvent ſe alii. Quare docetur*, *unumquemque adduxiſſe illi uxorem ſuam in carcerem*, *ut ex eo conciperet*. Sed ut illa interpretatio falſo, Scriptoribuſque Biblicis prorſus incognito verbi טחן ſignificatu nititur, ita eam ipſe R. *David Kimchi* procul faceſſere juſſit: דרך מדלש רחוק בזה וכי מה תועלה היה להם בזה והלא סר ממנו כוחו: *Allegoricæ hæc interpretatio longe petita eſt: Et cui bono ei pudicitiam uxorum ſuarum proſtituiſſent? Nonne robur ejus jam receſſerat ab eo?* Itaque omnino Simſonem in carcere inſtar ſervorum abjectiſſimorum molam truſatilem circumegiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Conferantur B. *Joh. Conradus Dietericus* Antiquit. Bibl. part. II. pag. 336. B. *Theodoricus Hackſpanius* Not. Philol. Theol. *part.* I. *pag.* 630. B. *Auguſt. Pfeifferus* Dub. Vexat. Cent. II. Loco LXI. p. m. 358. & ſumme Reverendus Dn. *Johannes Franciſcus Buddeus* Hiſtor. Eccleſiaſt. Veter. Teſtam. tom. I. part. II. ſect. II. §. XI. in *notis* pag. 915.

XXVI. Videturque olim moris fuiſſe, ut captivi molentes ne vertigine corriperentur, ſicque in labore impedirentur, vel luminibus orbarentur, vel oculis velatis rei molitoriæ operam darent. Jumenta ſane oculis clauſis molas verſaſſe, *Hilarius* in *Matth.* XVIII. memoriæ prodit: *Molæ opus labor eſt cæcitatis: nam clauſis jumentorum oculis aguntur*. Idem confirmat *Lucianus*, aſinum ita loquentem fingens: Ὀθόνῃ τοῖς ὄμμασιν ἐπιποτάσαντες ὑποζευγνύουσί με τῇ κώπῃ τῆς μύλης. *Oculis linteo velatis alligant me ſcapo molæ*. Quod *Apulejus* lib. IX. *aſini aurei* non ſine Africana grandiloquentia ita extulit: *Molæ*, *quæ proxima videbatur*, *matutinus adſtituor*, *& illico velata facie propellor ad incurva ſpatia flexuoſi canalis*, *ut in orbe termini circumfluentis reciproco greſſu mea recalcans veſtigia vagarer errore certo*. Simſoni autem duriora hac in parte obtigere fata, ac jumentis. Non enim velatis, ſed effoſſis oculis ad molas volvendas adactus eſt, idque juſto Dei judicio, ut intelligeret, his ſuam ſe merito imputare perniciem. Si enim eos a forma mulierum contemplanda avertiſſet, miſeriarum illarum calamitatumque, quibus premebatur, abyſſum facile evadere potuiſſet.

XXVII. *Græcorum* etiam *ſervi*, præſertim ſi Domini duriores, aut illi imperii herilis negligentes eſſent, molis addicebantur. *Pollux Onomaſtico* lib. III. cap. VIII. *Segm.* 78. καὶ ἵνα μὲν κολάζονται οἱ δοῦλοι, μυλῶνες καὶ ζητρεῖα καὶ ἀλφιτεῖα καὶ χονδροκοπεῖα καὶ ζωντεῖα. *Loci porro*, *ubi puniuntur ſervi*, *molæ*, *carceres*, *piſtrinæ*, *granaria & molendina*. Idemque aſſerit, ſervi molentis collum conſtrictum fuiſſe certa machina, qua ori manus admovere prohibebatur, ne farinam voraret. Ita enim *lib.* VII. *cap.* IV. *Segm.* 20. Τό γε μὲν τοῖς οἰκέταις τοῖς ἔνδον ἐργαζομένοις ὑπὲρ τοῦ μὴ κάπτειν τῶν ἀλφίτων περιτιθέμενον, παυσικάπη ὀνομάζεται, τροχοειδὲς μηχάνημα ὄν, τῷ τραχήλῳ περιαρμοζόμενον, ὡς ἀδυνατεῖν τῷ στόματι τὰς χεῖρας προσάγειν. *Quod vero ſervis intus* (in piſtrino) *laborantibus*, *ne farinam devorent*, *circumponitur*, *pauſicape nominatur*, *& inſtrumentum erat rotæ in modum factum*, *collo adaptatum*, *ne ori manus admovere poſſent*. Hæc παυσικάπης delineatio lucem fœneratur illis *Nævii*, quæ allegavit A. *Gellius Noct. Attic.* lib. II. cap. XIX.

Si unquam quicquam filium rescivero
Argentum amoris causa sumpse (pro sumpsisse, ut *Oratius* divisse pro divisisse) *mutuum:*
Extemplo illo te ducam, ubi non despuas.

Respicere enim videtur verbis ultimis ad pistrinum, ubi despuere non poterant servi molentes capistrati propter παυστικάπω, *Gronovio* ad illud *Gellii* locum docente.

XXVIII. Inprimis vero apud *Romanos*, *servi* mali molis applicabantur manualibus, in quibus certam quantitatem frumenti intra præfinitum tempus molere tenebantur, nisi graviter vapulare vellent. Unde *Terentius* in *Andria Act.* I. *Scen.* II. *vers.* 25.

Verberibus cæsum te in pistrinum,
Dave, dedam usque ad necem:
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te moiam.

Idemque in *Phormione Act.* I. *Scen.* V. *vers.* 18. *seqq.*

herusi si redierit,
Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes,
Opus ruri faciendum.

Et Plautus in *Asinaria Act.* I. *Scen.* I. *vers.* 16.

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?

Idem in *Epidico Act.* I. *Scen.* II. *vers.* 41. *seqq.*

Nam ni ante Solem occasum hoc argentum eloces,
Meam domum ne imbitas: tu te in pistrinum recta inferas.

Porro in *Bacchidibus Act.* IV. *Scen.* VI. *vers.* 8. *seqq.*

Taces? per omnes Deos adjuro, ut ni meum
Gnatum tam amem, atque ei facta cupiam, quæ is velit,
Ut tua jam virgis latera lacerentur probe,
Ferratusque in pistrino ætatem conteras.

Item in *Mostellaria Act.* I. *Scen.* I. *vers.* 15. *seqq.*

Rus mihi tu objectas? sane credo, Tranio,
Quod te in pistrinum scis actutum tradier.

Nec non in *Menæchmis Act.* V. *Scen.* VI. *vers.* 7. *seqq.*

Recordetur id, qui nihili sunt, quid iis pretii
Detur ab suis heris, ignavis, improbis
Viris; verbera, compedes, molæ, magna
Lassitudo, fames, frigusque durum.

Et in *Pseudolo Act.* I. *Scen.* V. *vers.* 119. *seqq.*

Sed si non faxis, nunquid causæ est, illieo
Quin te in pistrinum condam?

Ibidemque *Act.* IV. *Scen.* VI. *vers.* 37. *seq.*

Quid ego cesso Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molarum coloniam?

Idem in *Pœnulo Act.* IV. *Scen.* II. *vers.* 5. *seqq.*

Ita me Di amant, vel in lautumiis, vel in pistrino mavelim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea,
Quam apud lenonem hunc servitutem colere.

Denique in *Persa Act.* I. *Scen.* I. *vers.* 22. *seqq.*

Plusculum annum
Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.

Ad quæ *Taubmannus* conferri meretur. Servos hos molis operam dantes graphice delineat Apulejus lib. IX. *asini aurei: Dii boni, qualis illic humunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati, quam obtecti, nonnulli exiguo tegili pubem tantummodo intecti,* (vel ut codices nonnulli legunt: *injecti*) *cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti: frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati, cum lurore deformes; & fumosis tenebris vaporosæ caliginis palpebras adesi, atque adeo male luminati: & in modum pugilum, qui pulvis-*

visculo persperſi dimicant, *farinulento cinere ſordide candidati*.

XXIX. Ex adductis Comici locis haud obſcure liquet, ſervos in Romanorum ergaſtulis vinculis compedibuſque conſtrictos moluiſſe. *Ergaſtula* enim, ut alios eorum uſus taceamus, ad molendum etiam adhibita. Videatur *Lipſius Elector. lib.* II. *cap.* XV. *p. m.* 484. Eundem quoque morem apud Orientales obtinuiſſe, exemplum Simſonis comprobat, *qui moluit* בבית האסירים *in domo vinctorum* h. e. in carcere, in ergaſtulo. Hinc οἰκία μύλωνος nonnunquam pro carcere adhibetur. Sic *Jer.* LII. 11. ubi de Zidekia, a Rege Babyloniæ in captivitatem adducto dicitur, quod Rex ipſum conjecerit בבית הפקדות *in domum cuſtodiarum* h. e. interprete Joſepho *Antiq. Jud. lib.* X. *cap.* XI. εἰς τὴν εἱρκτὴν *in carcerem* (quo ſenſu etiam *Chaldæus*, *Hieronymus*, *Lutheruſque* phraſin iſtam accepere. Et quidem recte ſatis, ſiquidem פקד inter alia etiam notat: *cuſtodivit*. Unde הפקיד *cuſtodiendum tradidit*, *depoſuit*. Vide 2. *Chron.* XII. 10. Jer. XXXVI. 20. inprimis *cap.* XXXVII. 21. quo loco de Jeremiæ in carcerem conjectione occurrit,) οἱ ἑβδομήκοντα, licet durius, habent: εἰς οἰκίαν μύλωνος. *In domum piſtrini*. Videnturque ſervi & captivi, qui interdiu in ergaſtulis molendinis admovebantur, noctu in locum depreſſiorem & ſubterraneum conjecti fuiſſe, qui ob profunditatem Hebræis בור *Fovea* & Latinis *puteus* ſalutatur. Huc trahenda illa *Plauti* in *Pœnulo Act.* IV. *Scen.* III. *verſ.* 33. *ſeqq.*

> *Vos, quos ego jam detrudam ad molas,*
> *Inde porro ad puteum &c.*

Ubi *puteus* nihil aliud eſt, niſi barathrum, locus in carcere depreſſus & ſqualidus, Græcis λάκκος dictus, cujus etiam mentionem injicit Comicus in *Aulularia*, *Act.* II. *Scen.* V. *verſ.* 20. *ſeqq.*

> *Dicant, coci abſtulerunt, comprehendite,*
> *Vincite, verberate, in puteum condite.*

Inſpice eundem eadem Comœdia *Act.* II. *Scen.* VII. *verſ.* 3. Adde *Turnebum Adverſar. lib.* VI. *cap.* XXIV. *pag. m.* 199. Ea, quæ hactenus diximus, lucem affundunt verbis Moſis *Exod.* XII. 29. Cum enim Scriptor Sacer *Exod.* XI. 5. dixiſſet, *mortem imminere omni primogenito in terra Ægypti*, *a primogenito Pharaonis*, *qui ſedet in ſolio ejus*, *uſque ad primogenitum ancillæ*, אשר אחר הרחים *quæ poſt molas*, hæc ſequenti Capite *verſ.* 29. paulo aliter, ſi verba ſpectemus, enunciat, eodem tamen ſenſu: עד בכור השבי אשר בבית הבור: *uſque ad primogenitum captivi*, *qui eſt in domo putei*. Procul dubio, quia Ægyptii non ſecus ac Romani, ancillas ſervoſque, quos interdiu molere cogebant, in ergaſtulis noctu, ne diffugerent, in locum depreſſiorem, qui בור puteus eſt dictus compingebant.

Sed non tantum ultimæ ſortis homines, quales erant captivi & ſervi, ſed & quoſdam honeſtioris conditionis Viros in piſtrinis Veterum deprehendimus. Alios quidem adverſæ fortunæ ſævitia eo redactos, ut molis agitandis vitæ ſuæ proſpicerent; alios vero exercitii cauſa vires corporis in molendinis fatigantes. In priorum numero merito reponendi *Menedemus*, *Aſcelepiades*, & *Cleanthes*, Philoſopha inſigniter nobilitati. De illis *Athenæus* Δειπνοσοφιστῶν lib. IV. p. m. 168. *editionis Caſaubonianæ*. Μενέδημον καὶ Ἀσκληπιάδην, τοὺς φιλοσόφους νέους ὄντας, καὶ πενομένους, μεταπεμψάμενοι ἠρώτησαν, πῶς ὅλας τὰς ἡμέρας τοῖς φιλοσόφοις συσχολάζοντες, κεκτημένοι δὲ μηδὲν, εὐεκτοῦσιν οὕτω τοῖς σώμασι. Καὶ οἱ ἐκέλευσαν μεταπεμφθῆναί τινα τῶν μυλωθρῶν. Ἐλθόντος δὲ ἐκείνου, καὶ εἰπόντος, ὅτι νυκτὸς ἑκάστης κατιόντες εἰς τὸν μύλωνα καὶ ἀλοῦντες, δύο δραχμὰς ἀμφότεροι λαμβάνουσι. θαυμάσαντες οἱ Ἀρεωπαγῖται, διακοσίαις δραχμαῖς ἐτίμησαν αὐτούς. *Menedemum & Aſclepiadem ætate juvenes*, *Philoſophos*; *ſed egenos*, *accitos cum interrogarent*, (Areopagitæ) *quo pacto dies totos a laboribus vacui Philoſophiæ operam darent*, *& omnibus facultatibus deſtituti nihilominus bona corporis habitudine pollerent*, *illi ex molitoribus aliquem accerſi poſtularunt*. *Qui cum veniſſet*, *dixiſſetque*, *eos ſingulis noctibus in piſtrinum deſcendere*, *ac molere*, *ſuique laboris mercedem*, *duas drachmas accipere*, *mirati Areopagitæ ducentas drachmas honoris ergo ipſis dederunt*. His gemina de *Cleanthe* refert *Diogenes Laertius lib.* VII. *Segm.* 168. φασὶ δὲ αὐτὸν καὶ εἰς δικαστήριον ἀχθῆναι, λόγους δώσοντα, πόθεν ἐς τοσοῦτον εὐεκτῆς ὢν διαζῇ. ἔπειτα ἀποφυγεῖν, τόν τε κηπουρὸν μάρτυρα παρασχόντα, παρ' ὃν ἤντλει, καὶ τὴν ἀλφιτόπωλιν, παρ' ᾗ τὰ ἄλφιτα ἔπεττεν. ἀποδεξαμένους δὲ αὐτὸν τοὺς Ἀρεωπαγίτας, ψηφίσασθαι δέκα μνᾶς δοθῆναι. *Ajunt*, *illum & in judicium pertractum eſſe*, *ut rationem redderet*, *unde adeo robuſtus ac tam boni habitus viveret*; *hortulano*, *apud quem aquam hauriebat*, *ac muliere polentæ venditrice*, *apud quam farinas pinſebat*, *teſtibus victus ſui*, *abſolutum eſt*, *Areopagitaſque admiratos*, *decem illi minas dari cenſuiſſe*. Plutarchus quo-

quoque molam versasse *Cleanthem* scribit, in Libro *de vitando ære alieno* p. m. 830. Tom. II. Opp. Κλεάνθην δὲ ὁ βασιλεὺς Ἀντίγονος ἠρώτα. διὰ χρόνου θεασάμενος ἐν ταῖς Ἀθήναις, Ἀλεῖς ἔτι Κλέανθες; Ἀλῶ (φησὶν) ὦ βασιλεῦ, ὃ ποιῶ ἕνεκα τοῦ ζῆν. μόνος δὲ ἀποστῆναι μηδὲ φιλοσοφίας. (pro quibus *Ægidius Menagius Observ.* in *Laertium pag.* 335. legendum judicat: μᾶλλον δὲ, ἐπὶ τῷ μὴ ἀποστῆναι τῆς φιλοσοφίας) ὅσον τὸ φρόνημα τοῦ ἀνδρὸς, ἀπὸ τοῦ μύλου καὶ τῆς μάκτρας πεττούσῃ χειρὶ καὶ ἀλούσῃ γράφειν περὶ Θεῶν καὶ σελήνης καὶ ἄστρων καὶ ἡλίου. *Cleanthem Antigonus Rex cum longo interposito tempore vidisset Athenis, interrogavit: Etiamnum molis, Cleanthe? Ego vero, respondit ille, molo, e Rex, idque vitæ sustentandæ gratia facio: facturus quidvis aliud, dumne avellar a Philosophia. En tibi ingentem Viri animum, qui a pistrino & mactra digressus ea ipsa manu, qua molam versaverat, & farinam pani coquendo subegerat, de Diis, luna, sole, sideribusque scriberet!* Cave vero existimes, laudatos hos Græcorum Philosophos solos molas manuarias victus causa circumegisse. Idem fecisse Romani theatri delicias *Plautum*, *A. Gellius Noctibus Attic. lib.* III. *cap.* III. his enarrat verbis: *Sed enim Saturionem & Addictum & tertiam quandam* (comœdiam) *cujus nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino cum* (Plautum) *scripsisse, Varro & plerique alii memoria tradiderunt, cum pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam redisset; & ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset.* Et hinc derivandum videtur Viris eruditissimis illud *Asinii* cognomen *Plauto* tribui solitum, ac pro eo scribendum: *Asini*. Olim enim, qui in pistrino laborabant, quod idem illis incumberet labor, qui asinis molas versantibus, per convitium *Asini* dicti. Ita statuunt *Johannes Meursius Exercit. Critic. pag.* I. *cap.* IX. *pag.* 25. *Tabmannus Notis ad Plautum pag.* I. & *Dempsterus ad Rosinum lib.* I. *cap.* XIV.

XXXI. Ad posteriorem classem istorum, qui exercitii gratia molis se applicuerunt, quod attinet, in ea principem obtinet locum *Pittacus*, unus e septem Græciæ sapientibus, tandem Mitylenæorum imperium adeptus. Ita enim de eo *Diogenes Laertius* in Vita ejus *lib.* I. *Segm.* 81. τούτῳ γυμνάσιον, σῖτον ἀλεῖν. ὥς φησι Κλέαρχος ὁ φιλόσοφος. *Huic exercitium fuit molendi tritici, ut Clearchus Philosophus testatur.* Idem de eo confirmat *Plutarchus* loco infra reddendo. Non non Clemens *Alexandrinus Pædag. lib.* III. *cap.* X. Ἀλλὰ γὰρ μικροῦ δεῖν, ἔλαθέν με εἰπεῖν ὁ Πιττακὸς ἐκεῖνος, ὅτι ἤληθεν ὁ Μιτυληναίων βασιλεὺς, ἐνεργῷ γυμνασίῳ χρώμενος. *Cæterum oblitus sum propemodum dicere, quod Pittacus ille Rex Mitylenæorum moluit, eo tanquam efficaci utens exercitio.* Quantique hoc exercitii genus æstimaverit, docet *Ælianus Variar. Histor. lib.* VII. *cap.* IV. Πιττακὸς πάνυ σφόδρα ἐπῄνει τὴν μύλην, τὸ ἐγκώμιον αὐτῆς ἐκεῖνο ἐπιλέγων, ὅτι ἐν μικρῷ τόπῳ διαφόροις ἐστὶ γυμνάσασθαι. *Pittacus vehementer prorsus laudabat molam, id ejus encomium addens, quod per eam in exiguo loco variis daretur se exercere.* Ita quidem in plurimis Codicibus hæc *Æliani* leguntur. Verum Codex *Msct. Sluiskenii* ut & Parisiensis Regiæ Bibliothecæ, *Cæsaris Strategi* manu exaratus, *Jacobo Perizonio* Notis eruditissimis ad h. l. *pag.* 442. teste, pro: διαφόροις *variis* habent: διάφορα *varia ratione*. Hocque, nisi augurium animi me fallit, satis convenienter. Quid enim molenti prodest, quod alii plures in eodem loco exercendi corporis facultatem habeant? E contrario multum robori molitoris ac sanitati accedere videtur, quod in pistrino modo hac, modo altera corporis sui parte diverso exercitii genere se exercere possit, cum nunc frumentum molæ sit immittendum, nunc mola versanda, nunc farina excipienda, nunc panis conficiendus. His rationibus probe subductis, Clarissimus *Perizonius* diffiteri non potuit, sibi magnopere arridere lectionem illam Sluiskenianam, quam genuinam esse, nulli dubitamus.

Cum vero molitura laborum molestiarumque sit plenissima, molis manuariis operam dantes, inprimis fœminæ tædium laboris hujus canendo fugare, saltem levare conabantur. Nihil dicere attinet de *Lithuaniæ incolis, agrestem quendam, dum molendinas manibus vertunt, concentum edentibus*, quemadmodum refert *Alexander Guagninus*, vel quisquis est Autor *Sarmatiæ Europææ*, in descriptione *Lithuaniæ fol.* 29. Potius observamus, antiquissimum esse canticorum ad molas cantari solitorum usum. Dictis fidem facit *Aristophanes* in *Nubibus Act.* V. *Sc.* II.

> Ὁ δ᾽ εὐθὺς ὡς ἀρχαῖον εἶν᾽ ἔφασκε τὸ κιθαρίζειν
> Ἄδειν τε πίνονθ᾽ ὡσπερεὶ κάχρυς γυναῖκ᾽ ἀλοῦσαν

> *At hic continuo dixit, vetustum esse pulsare citharam,*
> *Et cantare inter bibendum, velut mulierem, quæ molit hordeum.*

Aristophani adjungimus *Athenæum* Δειπνοσοφ: *lib.* XIV. *p. m.* 618. ſcribentem: Καὶ ᾠδῆς δὲ ὀνομασίας καταλέγει ὁ Τρύφων τάσδε· Ἱμαῖος, ἡ ἐπιμύλιος καλουμένη, ἣν παρὰ τοὺς ἀλέτους ᾖδον, ἴσως ἀπὸ τῆς ἱμαλίδος. Ἱμαλὶς δ᾽ ἐςὶ παρὰ Δωριεῦσιν ὁ νόςος, καὶ τὰ ἐπίμετρα τῶν ἀλέτων. κ. γ. λ. *Cantionum vero, quæ voce pronunciabantur, genera hæc Tryphon recenſet: Himæam, quam & molarem vocant, cantari ſolitam ab iis, qui in piſtrino molunt; ab* ἱμαλὶς *voce fortaſſe dictam, quæ Dorienſibus ſignificat Deum quendam molarem molitoribus præfectum,* (Ita vox νόςος, quæ alias *reverſionem in patriam* notat, atque etiam h. l. a *Jacobo Dalechampio* ſic translata, hic accipienda, autore *Euſtathio*, & conſentiente *Iſaaco Caſaubono Notis* ad h. l. p. 891.) *nec non auctarium corollariumve menſuræ, quod piſtrinariis operis datur &c.* Paucisque interjectis *pag. ſeq.* Ἀριστοφάνης δ᾽ ἐν Ἀττικαῖς φησὶ λέξεσιν, ἱμαῖος ᾠδὴ μυλωθρῶν. Ariſtophanes *in Atticis Dictionibus ſcribit, Himæam cantionem eſſe molitorum.* ᾠδῆς ἐπιμυλίου quoque mentionem injiciunt Lexicographorum vetuſtiſſimi, *Heſychius* voce Ἱμαῖος & *Pollux* lib. IV. cap. VII. Dictumque eſt canticum, quod ad molam canebatur, ἐπιμύλιον ad eandem formam, qua illud, quod Baccho inter premendas uvas cani ſolebat, ᾆσμα ἐπιλήνιον, *Polluce* & *Athenæo* l. l. c. c. teſtibus. Exemplum cantici ἐπιμυλίου ſuppeditat Plutarchus *convivio ſeptem ſapientum* p. m. 157. tom. II. Opp. Ὁ μὲν Θαλῆς ἐπισκόπτων, εὖ φρονεῖν ἔφη τὸν Ἐπιμενίδην, ὅτι μὴ βούλεται πράγματα ἔχειν ἀλῶν τὰ σιτία, καὶ πέττων ἑαυτῷ, καθάπερ Πιττακός. Ἐγὼ γὰρ (εἶπε) τῆς ξένης ἤκουον ᾀδούσης πρὸς τὴν μύλην ἐν Λέσβῳ γενόμενος, ἄλει μύλη, ἄλει. Καὶ γὰρ Πιττακὸς ἀλεῖ μεγάλας Μιτυλήνας βασιλεύων. *Thales jocans, probe facere Epimenidem dixit, qui molendo frumentum coquendoque cibos moleſtias ſibi ipſi facere nollet, quemadmodum Pittacus fecerat. Se enim cum in Lesbum veniſſet, audiviſſe hoſpitam ſic cantare ad piſtrinum: Mole mola, mole: Nam & Pittacus molit, magnæ Mitylenæ Rex.* Et niſi totus fallor, ad hanc ipſam cantilenam, *mole mola* &c. digitum intendit *Ælianus* loco paulo ante a nobis allegato, ubi cum aſſeruiſſet, *Pittacum laudaſſe molam*, adjicit: Ἦν δὲ τι ᾆσμα ἐπιμύλιον οὕτω καλούμενον. *Exſtabat autem cantilena quædam, quæ ad molam cantabatur ſic dicta.* Verbis his Scriptor Græcus videtur indicare canticum aliquod molare appellatum eſſe: Pittacus. Ut enim alia cantica nomina propria perſonarum, de quibus agunt, præ ſe ferre ſolebant, v. g. cantio quædam καλύκα nominata, a virgine quadam Calyca, cujus amores delineabat, item alia Ἁρπαλύκη appellata, quia infauſtum Harpalyces, quo in Jphicum exardebat, amorem deſcribebat, quemadmodum *Athenæus* l. c. autor eſt, ita nihil obſtare arbitror, quo minus dicamus, ᾆσμα illud ἐπιμύλιον, in quo *Pittaci* ejusque facti mentio injiciebatur, teſte *Plutarcho*, etiam nomen Pittaci præſetuliſſe. Conferant *Jac. Periznius Notis ad Ælianum pag.* 442. & *Ægidius Menagius Obſervat. ad Laertium pag.* 48.

XXXIII. Hæc quæ de Canticis ἐπιμυλίοις hactenus in medium protulimus, nonnulla Sacrarum literarum loca illuſtrandi occaſionem nobis ſuppeditant. Ad cantica iſta alludere videtur *Jeremias cap.* XXV. 10. והאכדתי מהם קול ששון וקול שמחה קול חתן וקול כלה קול רחים ואור נר: *Et abrogabo ex iis vocem gaudii & vocem lætitiæ: vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, ſonum molarum, & lucem lucernæ.* Equidem nullam illis ſcribemus dicam, qui per קול רחים tumultum & ſtrepitum molarum intelligunt, attamen conſideratione dignum arbitramur, in toto hoc verſu tot reperiri indices auferendæ ab Hieroſolymitanis lætitiæ, quot apices, cumque lætitia nuptialis apud Judæos omnium effuſiſſima eſſet, & frequentiſſima, hanc inprimis exempli loco hic adduci. Huc enim ſpectat קול חתן וקול כלה *Vox ſponſi & vox ſponſæ.* Hucque referri meretur אור נר *Lumen lucernæ.* In feſtivitatibus enim nuptialibus, quia noctu fiebant, faces & tedæ novis conjugibus præferebantur, quæ etiam frequenti ſtipantium turbæ prælucebant. *Unde virgines ſponſo cum lampadibus obviam euntes* reperimus *Matth.* XXV. 1. *ſeq.* Quare & Scriptores Veteres *tedas* pro ipſis nuptiis nonnunquam uſurpant, v. g. *Virgilius Enid. lib.* IV. *verſ.* 18.

> *Si non pertæſum thalami tedæque fuiſſet.*

Et *Seneca* in *Agamemnone*: *Nec regna ſocium ferre, nec tedæ ſciunt.* Cum igitur *ſponſi ſponſæque voci*, & *luci lucernæ*, *vox molarum* interponatur, non abſonum erit, de puellis, molis manuariis aſſidentibus, placentas in nuptiale convivium adhibendas parantibus, ſvaviterque ex rei tam nuptialis, quam molitoriæ ritu modulantibus cogitare. Ut enim *B. Seb. Schmidius comment.* ad h. l. *pag.* 484. aſſerit, *vocem ſponſi & ſponſæ non eſſe tam vocem ab ipſis, quam ſuper ipſis, & in nuptiis ipſorum a congratulantibus convivis editam*, ita phraſi Hebrææ non repugnat קול רחים *ſonum vel vocem molarum* de læ-

læta, quæ ad molas in piſtrinis audiebatur, voce interpretari. Eundem, niſi augurium animi me fallit, in mente habuit ſenſum *Chaldæus*, pro vocibus Hebr. קול רהים ואור נר קל סיצן רמשבחין substituens בכהור בוצין *vocem cætuum, cantantium ad lumen lucernæ*. Eadem ratione interpretari licet verba Johannis *Apocal.* XVIII. 22. 23. καὶ φωνὴ μύλου οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι, καὶ φῶς λύχνου οὐ μὴ φανῇ ἐν σοὶ ἔτι, καὶ φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι. Joannem enim hæc ſcribentem illum, quem jam expoſuimus, Jeremiæ locum ante oculos habuiſſe, probatione non indiget. Conſentientes habemus *Caſp. Sanctium, Joannem Maldonatum, Grotium* & *B. Hulſemannum Comment. in Jerem.* qui etiam *Hugonem, Lyram, Dionyſium, Lutherum, Tigurinos*, alioſque hujus explicationis laudat Fautores.


XXXIV. Ad cantica molitricum etiam digitum intendere videtur Eccleſiaſtes *cap.* XII. 4. ubi in eo eſt, ut incommoda ſenectutis non ſine elegantiſſimis allegoriarum involucris delineet. Loquelæ difficultatem ſenibus familiarem hoc ænigmate in dicat: יסגרו דלתים בשוק בשפל קול הטחנה: *Et clauſæ ſunt fores ad plateam, propter depreſſum ſonum molitricis. Fores* ſunt labia, per quæ mens hominis in publicum prodit, ſuo ſe ſermone monſtrans, & loquens, ut videatut. Eas non libenter aperiunt ſenio confecti, ad emittendum ſermonem, contra quam fiebat in loquace juventute. Conf. *Herm. Witſius Miſcell. tit.* II. *Exerc.* VI. §. XIX. Idque בשפל קול הטחנה *propter depreſſum ſonum molitricis*, i. e. ob humilem, raucam ac ſubmiſſam vocem, linguæ dentiumque beneficio formari ſolitam. Ut enim dentes טוחנות *molitrices* nominaverat verſu præcedente: בטלו הטחנות *otioſæ ſunt molitrices*, quia dentibus mandendus, comminuendus & quaſi molendus eſt cibus, ita h. l. ad cantica molitricum reſpicit, *depreſſi ſoni molitricis* mentionem faciens, ſiquidem in ſenectute ut in manducandis cibis durioribus, ſic & in formanda voce articulata canorus ſtridor dentium ceſſat. Equidem, ne quid diſſimulem, plurimi ex recentioribus Lexicographis & Interpretibus vocem hanc ἅπαξ λεγόμενον טחנה vertunt: *molitionem*; non: *molitricem*; quibus קול טחנה *ſonus molitionis* per hypallagen eſt *ſonora molitio*, quemadmodum *Junius* in Notis expoſuit. Sed nulla opus erit hypallaga, ſi טחנה reddatur *molitrix*. Eadem utique; hæc vox gaudet forma, qua נערה *puella* & נעמה *amoena, pulchra*. Quæ cum ſint concreta, cur quæſo in abſtractorum claſſem vox noſtra detrudenda? Neque heri demum aut nudius tertius illa, quam noſtram facimus, vocis טחנה expoſitio nata eſt; ſed pro ea militant Interpretes cana antiquitate inſignes, Οἱ ἑβδομήκοντα: ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς τῆς ἀληθούσης *ob infirmatem vocis molitricis*, & *Hieromynus*, vel quiſquis eſt Autor vulgatæ verſionis: *in humilitate vocis molentis*. Quibus calculum album adiicit *Lutherus*; Daß die Stimme der Müllerin leiſe wird.

XXXV. Supereſt, ut tandem conſideremus *Privilegium* molis manuariis a ſupremo Legislatore conceſſum, & in publicas tabulas, relatum *Deut.* XXIV. 6. לא יחבול רחים ורכב כי נפש הוא חיבל *Ne quis pignori accipiat molam aut metam: Ille enim pignori animam* (vitam) *acciperet*. Ut rectius iſtud intelligatur privilegium, ante omnia quæſtio hæc diſcutienda: utrum vox רחים h. l. de mola integra, ex meta & catillo conſtante; an vero de uno tantum ipſius lapide ſumatur? Cum enim רכב ſit pars molæ ſuperior, Græcis ὄνος, latinis *meta* dicta; hæc vero τῷ רחים contradiſtinguatur, plurimi in ea hærent opinione, רחים hic Synecdochice notare alteram molæ partem, inferiorem videlicet, *catillum*. Et hi autorem ſuæ ſententiæ habent *Hieronymum*, hæc verba ita transferentem: *Non pignorabis inferiorem & ſuperiorem molam*. Verum enim vero perſuaſiſſimum mihi eſt, numerum dualem vocis רחים totam molam ex duabus partibus, meta & catillo compoſitam indicare, nec unicum ex S. Codice allegari poſſe locum, quo τῷ רהים per Synecdochen de una tantum molæ parte capiatur. Appoſite *R. Jac. Abendana in Spicilegio ad. R. Salomonis* מכלל יופי ad hoc loc. ויהכן עוד לפרש כי רחים היא על השתים לא על התחתונה לבד כי התחתונה לבד תקרא שכב כמו שנקראת העליונה רכב כמו שאמרו במשנה מרחיקים את הרחים שלשה מן השכב שהם ארבעה מן הרכב ופירוש הפסוק לא יחבול רחים והם השנים ואפילו הרכב לבדו לא יחבול אותו כי לא תהיה המלאכה זולתי שתיהן ביחד וזכר העליונה לבדה ולא זכר התחתונה כי העליונה נקלה לקיחתה מהתחתונה כי התחתונה קבועה. *Congrua eſt explicatio illa, quod vox Rechajim dicatur hic de utraque molæ parte, & non de inferiori tantum: Nam inferior tantum dicitur Schechebb* (quod nomen tamen non in Codice S. ſed tantum in Rabbinornm ſcriptis occurrit), *prouti ſuperior appellatur Rechebb, quemadmodum dicunt in Miſchna: Removent* (a pariete vicini) *molas* (Rechajim), *tres* (palmos) *reſpectu molæ inferioris* (Schechebh), *qui ſunt quatuor reſpectu molæ ſuperioris* (Rechbh). *Ut adeo ſenſus hujus verſus ſit: Ne accipiat*

quis

quis in pignus utramque molam, imo nec superiorem solam, quia non fit opus (*molituræ*) *sine ambabus simul. Expressamque mentionem injicit solius superioris, & non inferioris, quia superior est levior captu: inferior enim est fixa.* Locus Mischnæ, ad quem *Abendana* provocat, reperitur in בבא בתרא i. e. *Cod. tertio de damnis cap.* II. ubi supponunt Doctores Talmudici, molam inferiorem esse latiorem superiori, *R. Obadia de Bartenora* ac *Maimonide* ad illum locum observantibus. Quare cum in eo sint, ut molas a pariete vicini, ne huic strepitu suo vehementi damnum inferant, removendas doceant, præcipiunt, intervallum trium palmorum inter molam inferiorem & parietem vicini relinquendum esse, quod respectu molæ superioris intervallum quatuor palmorum efficit. Quoniam igitur juxta hactenus dicta pars molæ superior non tantum est captu facilior; sed & minor, viliorque inferiori parte, placuit sapientissimo Legislatori peculiari interdicto cavere, ne quis integram molam, imo ne quidem vilissimam ejus partem h. e. superiorem lapidem pignori capiat. Eundem in sensum accipio τὰς ἑβδομήκοντα, locum sic vertentes: οὐκ ἐνεχυράσεις μύλον, οὐδὲ ἐπιμύλιον. Μύλος enim alibi apud LXX. integram molam notat, v. g. *Exod.* XI. 5. & *Es.* XLVII. 2. Licet vero juxta hanc explicationem de inferiori molæ parte nihil sic expresse statuatur, tamen facile ex verbis Divinis concludere poterant Israelitæ, (nisi forte ipsi essent λίθοι μυλίαι, μήτε ἐγκέφαλον ἔχοντες, *Lapides molares auribus & cerebro carentes*, quod de hominibus stupidissimis proverbialiter a *Platone* in *Hippia majore* dicitur), sibi non relictum esse jus proximo eripiendæ molæ inferioris seorsim. Quibus enim juxta expressum legis Divinæ tenorem non licuit, pignori capere molam integram, imo ne quidem vilissimam ejus partem, superiorem videlicet; illis non poterat non pars molæ præstantior, quæ est inferior, vi ejusdem legis interdicta censeri. Hæc si observentur, omnia dubia, a *Gussetio* in *Comment. ligu. Hebr. pag.* 789. contra istam, quam tuemur, dicti Mosaici interpretationem mota, facile corruent. Cæterum hac in parte ὁμόψηφοι nobis sunt *Vatablus*, *Piscater*, *B. Gerhardus* apud *Polum Synops. Critic. pag.* I. *pag.* 779. nec non *Joannes Clericus Comment. in Pentateuchum pag.* 499.

XXXVI. Verum ac genuinum *privilegii*, molis manualibus a *Deo* concessi, *sensum* investigare hactenus allaboravimus. Pauca adhuc adjicienda de *ratione* privilegio huic annexa: כי נפש הוא חובל *nam animam* (h. e. vitam) *ille pignori acciperet*, quasi diceret: Qui molam proximi pignori caperet, ille vitam debitori eriperet, utpote instrumento ad victum, quo vita sustentatur, apprime necessario ipsum privaturus. Id quod hunc in modum *Josephus Antiquit. Jud. lib.* IV. *cap.* VIII. *pag. m.* 127. enuntiat: Μύλην δὲ καὶ τὰ περὶ ταύτην σκεύη, λὴ ἐξεῖναι λαμβάνειν ἐνέχυρον. ὅπως μὴ στέρωνται καὶ τῶν πρὸς τὰ σιτία ὀργάνων, μηδ' ὑπ' ἐνδείας πάθωσί τι τῶν χειρόνων *Molam & ad hanc pertinentia instrumenta non esto jus pignori accipere, ne carentibus his, si desit cibum parandi facultas, ob inopiam gravius aliquid accidat.* Hocque exemplo docere voluit *Deus*, pignori capienda non esse ea, quibus dantes sine gravissimo incommodo carere nequeunt, feramque esse creditoris sævitiam, debitorem necessariis vitæ subsidiis privare, & ita interitum ejus accelerare. Pari ratione a Romanis vetitum, pignoris causa abstrahere boves aratorios vel instrumentum aratorium, quod *Grotius Annotat.* ad h. l. & *Henricus Giesebertus* in *Deuteronomio Harmonico pag.* 1137. observarunt. Tantum, de molis Veterum manualibus, *Deo* clementer annuente, cui devotas & immortales decernimus grates, quod ut reliquorum nostrorum laborum, ita & hujus voluerit esse principium ac finis.



FRIDER. LEBR. GOETZII
DISSERTATIO
DE
MOLIS & PISTRINIS VETERUM
PROLEGOMENA.

QUOD homini *Microcoſmo* evenire videmus, ut puerilis ætatis ignorantiam ſimplicitatemque, creſcentibus paulatim annis, creſcens juvenilis viriliſque ingenii cultura, additaque ingraveſcente ætate experientia tollat: idem *Macrocoſmo* accidere, quivis rem accuratiori rationis penſitans lance facile deprehendet. Recta enim inter orbis primordia, ejuſdemque ſenectam inſtituta collatio, evidenter docet, artes ſcientiaſque [ut Livianam creſcentis Romæ delineationem meam faciam] *ab exiguis profectas initiis*, *eo creviſſe*, *ut jam magnitudine laborent ſua*. Id nempe tum divinæ, qua moderatur omnia, tum humanæ primum concreatæ ſed heu! perditæ ſapientiæ clarum ſatis perhibet documentum. Illa, ne otio inertiaque langueſcerent mortalium animi, non omnes omnibus recludere bonitatis theſauros, ſed hominum ingenio laborique multa relinquere ad inveniendа ſcrutandaque voluit. Hæc vero, cum integro in ſtatu omnia, quæ & ad vitæ commoditatem ſpectant, abſque labore ſponte obtuliſſet, ſui contemtus pœnas, horum bonorum privatione, jure meritoque exigit; & ut amiſſæ felicitatis pœnitenda extet memo-

moria, non nisi anxie sudantibus saxumque volventibus Sisyphi, quosdam pristinæ suæ præsentiæ licet parcius indulget fructus.

Ut a scopo, quem intendimus, diutius haud aberremus, nostræ ætatis felicitatem a seculi prisci simplicitate multis abesse parasangis, e *Molis* præsertim earundemque usu conspicuum est, quem olim nullum, hodie felicissimum esse, non nisi historiæ ignarus, ibit inficias. (*a*) Præbent nobis insignem utilitatem, ignoratæ olim, aquariæ, (*b*) alatæ, pedestres, staticæ sive ponderibus actæ, & artificiosæ, frumentariæ, oleariæ, ferrariæ, fulloniæ, (*c*) aromaticæ, pulverariæ, metallorum contusoriæ, plumbariæ, orichalcariæ, monetariæ, salis contusoriæ, papyraceæ sive chartariæ, aliæque molæ, quarum diversas species singularumque indolem exposuit *Joh. Heringius* in erudito de Molendinis Tractatu passim, & *Joh. Philipp. Treunerus Disp. de Molis cap.* II. quorum equidem docta meditata hic exscribere, aut, quæ alii de variis his generibus commentati sunt, tædiose repetere nolumus, sed saltem inde, collatis simul aliorum lucubrationibus notatu digniora & memorabilia circa molas, præfaminis loco, afferemus, ut, ingenii humani culturam in inveniendis molis apicem fere attigisse, inque antiquioris seculi obscuritate vix umbram hujus felicitatis deprehendi, appareat.

Ut ab *alatis molis* fiat initium, nota est eruditis molendini veliferi, quo intra domesticos parietes, aer se ipsum exagitans, etsi clausus, rotas trahit & circumagit, æterno ordine, inventio, quæ *Rosio* cuidam, motus perpetui circularis quadruplicis autori, debetur, suffragante celeberrimo Polyhistore *Daniel. Georg. Morhosio*, *Polyhist. Liter. lib.* I. *cap.* XIII. 39. *p. m.* 131. indeque referente Tent-

(*a*) Neque illi mihi admodum hallucinari videntur, qui, quod ὡς ἐν παρόδῳ inspergo, ex hac ipsa molarum successiva inventione egregium contra mundi æternitatem eliciunt argumentum. Non enim nisi stolidissimus sibi persuadebit, homines ab æterno in tanta versatos fuisse imperitia, ut res nudius tertius inventas ignoraverint. Aut enim stupidissimos illos fingas oportet, qui tanto temporis intervallo, quod inter æternitatem & molarum inventionem intercedit, tale quidquam adinvenire haud potuerint, aut, ni fallor, prorsus nullos Liceat hanc in rem uti verbis Davidis Martini, quæ in versione Bibliorum Gallica Amstelod. 1722. quarto excusa ad Jud. XVI. 21. in margine adposuit, ubi postquam veteres usum molarum aquariarum & alatarum ignorasse asseruerat, ita pergit: *Toutes ces inventions necessaires, & trouvees depuis si peu de tems, font bien voir, que le monde n'est pas eternel, car il ne seroit pas possibile que les hommes eussent ete, durant toute une eternitè dans une si grossiere ignorance.*

(*b*) *Hydromilæ* dictæ Vitruvio x. 10. *Eadem ratione versantur hydromylæ.* Non, *hydraulæ*, ut perperam quidam legunt. Siquidem de tympanis loquitur aquariis ad molendam farinam. *Vid. Sam.* Pitiscus, *Lexic. Ant.Rom.* T. I. f. 923. a. *Hadr.* Junius *Nomenclat. p.m.* 202.

(*c*) Fullonarium molendinum alio nomine *Fullencium* quoque dicitur, *moulin pour fouller les draps*, ceu explicat du Fresue in glossario, eine Walck-Mühle: Quamvis vero *ars fullonica*, quam teste Plinio, *Hist. natural. lib.* VII. *c.* LVI. *p. m.* 339. *Nicias Megarensis* invenit, Romanis quoque eognita fuerit; quo spectat Plautinum illud, *Asin. Act.* V. *sc.* 2. *vers.* 57.

Si non didicisti fullonicam
Non est mirandum.

Hinc & *Collegii Fullonum* Romæ, in inscriptione apud Fabrettum *cap.* 4. *p.* 333. expressa fit mentio; & licet etiam ipse S. Codex hujus artis vestigia exhibeat sat antiqua, 2. *Reg.* XVIII. 17. attamen molarum fulloniarum hodie usitatarum usum veteres ignorarunt. Harum vero loco ipsis fuit *Pila Fullonica*, (de qua Cato de re *Rust. c.* 10.) qua tundebantur vestes & panni ut polirentur; quod ipsum hodie opera rotarum aquariarum sublatis pilis fieri solet. *Conf. Adr.* Turnebus *Advers. lib.* VII. *cap.* 22. Pitiscus *T. I. f.* 825. *b. T. II. f.* 426. *b.* 217. *a.* Christian Schoettgenius *Disp.* de' חכבסי ad *Ps.* LI. 9. §. X. *p.* 8. *seqq.* Heringius de *Molendin. quæst.* VI. §. 17. *p. m.* 117.

Tentzelio, magni nominis Viro, Monatl. Unterredung. *Januar.* 1689. *p. m.* 65. quorum uterque addit, hujusmodi molendino uti posse omnes, qui terras submersas aquis siccari, aut agros, fertilitatis gratia, aquis rigare, aut frumentum molere velint. Quod etiam suo munit suffragio Misander *Delic. Bibl. V.* T. *An.* 1695. *qu.* 194. *p. m.* 701. ubi & exemplum allegat rustici, qui hoc invento intra privata pomœria haud infeliciter usus est. Ab hoc parum, ni fallor, abludit, quod Johannes Neuhoff in *Itinerar. Sinens. pag.* 133. de molis eandem utilitatem præstantibus observavit, *Ad urbem*, inquiens, *Kajutsiu quamplurimas videre est allatas molas, rara arte exstructas, velis scilicet armatas, queis aquæ agris depelluntur. Quin & exsiccatos calore æstivo agros juvant; dum aquis dant irriguos; tanta utilitate, ut binæ per annum messi locus fiat.* Similis etiam molæ mentionem facit Gryphiander Tract. de sing. cap. 20. num. 96. & cap. 28. num. 17. 20. 24. apud Treunerum c. l. cap. 11. §. 5. pag. 11. narrans: *Hollandos lacum Bimsterianum inter urbes Enchusam Hornamque situm ad duorum intercapedinem milliarium, dum aquam molendinis haustoriis rotaverint in mare, adeo siccum effecisse, ut ubi ante navibus, nunc curribus eatur.* Tante vero utilitatis inventum ostendat nobis antiquitas, quæ ignara horum, quod facili & nulla fere adhibita opera hodie efficitur, multi sumtibus exhaustisque laboribus, tandem & vix quidem obtinuit! Quam in rem multa præclara habet Heringius *qu.* 6. *num.* 25. *seqq. pag.* 120. *seqq.* ubi non solum exempla molarum jam recensitarum adducit, sed & ex antiquitatis reconditæ monumentis fuse solideque demonstrat, veteres loco harum molarum rota haustoria, cochlea & tympano ad incurrentium aquarum vim depellendam usos fuisse; quin horum ὑδραγώγων sive aquæductuum notitia nec Judæos caruisse, ex 2. *Reg.* xx. 20. sufficienter probat.

Mirantur multi, aliquibus etiam in dubium vocantibus, molam, quam dicunt, Philosophicam, auri potabilis præparationi inservientem, cujus descriptionem ex Joele Langelotto epist. ad præcellentissimos naturæ curiosos, de quibusdam in Chymia prætermisis *pag.* 17. *seqq.* Treunerus *pag.* 12. *seqq.* hanc suppeditavit. *Aurum foliatum in minimas particulas conscissum mortario vitreo densissimo vel aureo inditur, inque eo, charta tantum tecto, noctes atque dies continua molæ agitatione tamdiu teritur, usque dum in pulverem fusco subnigrum convertatur, cui tritui ut plurimum* 14. *dies insumendi sunt. Dein pulvis hic retortulæ non nimis profundæ, sed planæ immissus igne arenæ per gradus eoque tandem fortissimo pellitur & sic stillat paucas quidem, sed rubicundissimas guttas, quæ vel per se vel cum spiritu vini tartari sato digestæ verum exhibent aurum potabile, non fucatum vel ulla alia peregrina qualitate infectum.*

Locum hic merentur Molæ illæ Contusoriæ in auri & argenti, aliorumque metallorum fodinis usitatæ, Germanis Stampffmühlen, sive Pochwerck dictæ, quibus materia illa rudis e terræ visceribus eruta prius præferratis pistillis ab aquaria rota versatis contunditur & molitur,

quam

quam in fornacibus coquatur, de quibus vid. Georgius Agricola de re metallica, *lib.* 8. *pag.* 229. *ſeqq.* & *Heringius qu.* 6. *num.* 18. *pag.* 117. Hic quoque ſilentio nollem involvere molam illam monetariam, quam inter duo miranda, quæ Segoviæ in Hiſpania conſpiciuntur, quorum alterum Aquæductus eſt, retulit Berkenmeyerus *Antiquar. P.* 1. *p. m.* 36. cujus hæc verba ſunt: Die Münke in Segovia lieget unten im Thal und wird vom Waſſer getrieben. Man hat ſolche Machinen von Inſpruck hieher gebracht / und ſie ſo artig zuſammen gerichtet / daß man in dieſen Mühlen in einem Tage mehr als ſonſten in andern Münken in einem Monate lieffern kan. Ein jeder Bürger und Privat-Perſon daſelbſt hat des Recht / mit Gold und Silber zu münken / auch ſein Bildniß und Nahmen darauf prägen zu laſſen / wann er nur Gold und Silber darzu hergiebet / und etwas weniges davor bezahlet / welches zu Unterhaltung der Münke angewendet wird.

Artis ſane opus eſt, dignumque admiratione videtur, quod Zeilerus, in Epla DLV. p. m. 655. a. refert, Carolum V. cum ex Belgio redux cœnobium peteret, duodecim miniſtros, & in his Janellum Turrianum, architectum Celebrem, Cremona oriundum, ſequi ſe juſſiſſe, qui in aliis elegantioribus inventis molendinum ferreum excogitaverit, tantæ ſubtilitatis opus, ut monachus illud brachii cooperimento tegere potuerit, quanquam per diem eam farinæ triticeæ vim fuderit, quæ octo hominibus ſufficeret. Idem obſervavit Ægid. Strauchius in Contin. Hiſt. Joh. Sleidani p. 146. qui & ipſum Imperatorem Turriani imitatum artem, tales molas ferreas fabricaſſe, ait, ap. Miſand. Delic. Bibl. V. T. 1695. qu. 194. p. 698. Similes molas deſcribit Heringius qu. 4. n. 49. p. 88. *Hoc non minore*, inquiens, *admiratione dignum exiſtimo, quod noſtris temporibus fabricatæ fuerint molæ ex mero ferro & chalybe, eæque manuariæ ac de loco in locum portatiles; in quibuſquidem (ut ipſemet hiſce oculis vidi) nulli erant lapides molares, molarium tamen vicem ſupplebant orbitæ chalybeæ, in multas rimas ſive fiſſuras limis fabrilibus excavatæ, quibus modico temporis ſpatio non contemnenda copia frumenti comminuebatur. Adeo ingenium humanum laſcivit in inventionibus rerum variaruu & novarum, ut non inepte quis dicere poſſit: Seculum hoc noſtrum diverſo reſpectu eſſe & ferreum & aureum; molaſque veteres cum noſtratibus collatas nihil aliud eſſe, quam Soterichi lectos.* Hæc ſane ex tripode dixit Heringius. Quamvis enim manuariæ molæ priſcis jam ſeculis innotuerint, cum Aquarias hodie receptas antiquitate longe ſuperent: multum tamen diſcriminis intercedit inter veterum manuarias molas, & eas, quarum paulo ante mentio facta eſt. De aquariarum vero molarum origine ut pauca dicam, in diverſas partes ſcinduntur autorum opiniones. An adeo recens inventum ſint, uti quidem exiſtimavit Joh. Matth. Lunenſis de rerum invent. cap. 12. perhibens, *Molam aquariam inventum eſſe recens, ſed molam ventariam recentius*; merito multi dubitarunt, cum & Plinius XVIII. 10. pag. 829. rotarum mentionem faciat, quas ad molendi uſum aqua obiter verſaret; & Laurentius Pignorius de Servis pag. 254. ex illis Palladii Rutilii verbis lib. 1. rei ruſt. cap. 42. *Si aquæ copia eſt, fuſuram Balneorum debent piſtrina ſuſcipere, ut*

ibi

ibi formatis aquariis molis, sine animalium vel hominum labore frumenta fragantur; recte colligat, non ita recentem esse usum aquariarum molarum, ut quidam arbitrantur. Equidem Wenceslaus Hagecius, non optimæ notæ Chronologus, in Chr. Bohem. recenset, quod anno demum Christi 718. primum molendinum aquaticum in Bohemia sit exstructum: cum antea solis molendinis vento agitatis & in montibus exstructis uterentur: ex eo tamen nondum evincitur, quod in aliis terris regionibusque harum molarum usus non antea fuerit cognitus; inprimis cum eas aliqui ante Augustum ad Tiberim extructas fuisse ajant, licet de eo rursus alii dubitent, cum Procopius autor sit, Bellisarium Justiniani Imp. ducem, in urbe Roma a Gothis obsessum, invenisse viam ac rationem, ut molæ aqua agitatæ frumentum frangerent. Saltem prius confirmat Pomponius Sabinus, referens, *usum molarum ad manum in Cappadocia inde inventum usum earum ad ventum & ad equos, imo paulo ante Augustum molas aquarias aquis actas Rommæ in Tiberi primum factas*. Procopius vero *lib.* I. *de bello Gothico*, exque eo Cœlius Rhodiginus *lect. antiq. lib.* IX. *cap.* 16. in fine memorat, molas Romæ paratas in Tiberi ad Janiculum fuisse antiquitus, ad molendi usum, quia in angustum ibi primo aquarum ingens vis cogitur, ac per canalem mox in præceps acta violentius defertur ac ruit. Quo alludit forsam Prudentius *lib.* II. adversus Symmachum:

Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet? aut quæ Janiculo mola nota quiescit?

Eoque nomine, addit Procopius, Romanos veteres collem Janiculi muro circummunisse, hostibus ad molas assultus ne pateret: *Propterea antiquitus Romani & Collem & juxta ipsum fluminis ripam muro comprehendere decreverunt. Ut neque hostibus possibile esset, molas evertere, nec fluvium trajicientibus facile mœnibus urbis insidiari.* Subjungitque paulo post: *Sed postquam, ut diximus, per hostes fuere aquæductus hi interrupti, neque ex his defluens aqua molas de cœtero exerceret &c. Belisarius tamen, ut erat vir prudentiæ singularis, id ex necessitate excogitavit remedium, sub ponte ipso, cujus meminimus, pertinente ad Janiculi muros funes ex utraque fluminis ripa valide distensos ac deligatos transmisit. Hic lembos binos pari magnitudine nectit, constringitque bipedali distantes ab invicem spatio, quo maxime aquarum defluxus per pontis fornicem præceps descendit, vastosque & molares lapides in alterum lembum imponens media ipsa intercapedine, machinam inde suspendit, qua molæ volvuntur &c.* In compendio hæc refert Alexander Donatus de Urbe Roma lib. III. cap. XVIII. *Quo tempore cum iidem Gothi in Urbis obsidione aquas omnes sustulissent, quæ præter reliqua commoda versatiles molas ad conterenda frumenta volvebant; molas frumentarias, quas hodieque in medio Tiberi ædificari videmus, excogitavit Belisarius. Hæ multiplici laxoque ferreo vinculo ripis alligantur, tum ligneis machinis, quæ denti-*

culatis rotis committuntur, expanſas tabulas flumini objicientibus, & undarum vorticoſo impetu circumactis, inſertos ſupra immanis ponderis molares lapides celerrime verſant. Vid. etiam ejuſdem Donati *lib.* I. *cap.* XVII. Hæc vero ſententiarum diverſitas facile conciliatur, ſi cum Pancirollo & Salmuth *lib.* 2. *nov. repert. tit.* 22. aliiſque ita exiſtimes: Molas haſce aquarias equidem a veteribus Romanis cognitas, & jam ante Auguſtum exſtructas in Tiberi, longa tamen temporis intercapedine, fuiſſe neglectas, obſoleto, & ignorato poſt earum uſu, atque adornatione, quod facilior per aquæductus earum circumagendarum ratio eſſet: poſtea vero ſaluberrimo conſilio primum repetitas fuiſſe, atque ita non minorem ex hoc novo invento, atque molarum inſtitutione Beliſario deberi gloriam, quam primo earum inventori. Cæterum & Imperator Zeno talium molarum mentionem injicit *lib.* 10. c. de Aquæductu: *Suburbanum vel prædium, vel balneum, vel aquæ mola,* (alii perperam legunt, *aquariola*) *vel hortus, ad cujus uſum aqua publica fuerit derivata.* Imo Valentinianus & Valens Augg. C. Theodoſ. de Canone frumentario urbis Romæ *lib.* 4. *Improborum petitiones, qui impudentius auſi ſunt poſtulare penſiones, aquæ molarum, quæ urbi venerabilis annonas abundantius præſtitiſſent, quinque librarum auri mulcta infligat.* Vid. Famiani Nardini Roma Vetus *lib.* VIII. *cap.* 2. ap. Grævium Theſaur. Rom. Antiq. *tom.* IV. *pag.* 1439. Thom. Dempſterus ad Roſin. Antiq. Rom. *lib.* I. *cap.* 14. *p. m.* 66. Pitiſcus *tom.* II. *fol.* 216. *b.* Heringius *quæſt.* 2. *num.* 70. *ſeqq. pag.* 53. *ſeq. quæſt.* 15. *num.* 44. *pag.* 268. Certiora de Plumbariarum & Papyracearum molarum origine memorari poſſunt. Harum quippe primam Anno 1477. ſub Johanne, Nobili a Werdenau, Abbate L. Cœnobii Campidonenſis exſtructam fuiſſe, annotavit Bruſchius in Chronol. Monaſt. Illarum vero autor Watſonius, Eques Anglus, perhibetur, ceu teſtis eſt Chamberlainius in notitia Angliæ, *part.* 2. *cap.* 42. *fol.* 1157. *Eques,* inquiens, *Anglus Watſonius inventor molarum Angliæ plumbariarum fuit. Unde de conſenſu & approbatione Curiæ ſocietas nata eſt operariorum plumbum ope molæ tendentium & rarefacientium.* Vid. Treunerus *cap.* III. §. X. *pag.* 22. Ut aquariis molis porro nonnihil tribuamus ſpatii, earum deprædicanda eſt utilitas, cum aquarum ope facillimo negotio frumentum, idque copioſum ſatis frangi conterique poſſit. Qua ratione confici hujuſmodi aquariæ molæ debeant, docet M. Pollio Vitruvius *Architect. lib.* 10. *cap.* 10. *Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiantur ab impetu fluminis cogunt progredientes verſari rotam: & ita modiolis aquam haurientes, & in ſummum referentes, ſine operarum calcatura, ipſius fluminis impulſu verſatæ præſtant, quod opus eſt ad uſum,* conf. Dempſterus ad Roſin. lib. I. cap. 14. pag. 66. Pitiſcus tom. II. fol. 216. Imo talia molarum aquariarum proſtant inventa, quæ non farinæ ſaltim conficiendæ, ſed & aliis uſibus aptæ idoneæque deprehenduntur. Qualis apud arcem Uraniburgicam in Inſula Helleſponti Danici, Tychonis Brahe mola eſſe refertur, in qua rota haud parum vaſta

pau-

paucissimis aquis agitata triplex officium explet, cum & comminuendo frumento, & poliendis durioribus & asperioribus corporibus, & conficiendæ ex detritis pannis chartæ inserviat, vid. Ernesti Bilder-Hauß/ *part.* II. *pag.* 712. *num.* 61. *Hering. quæst.* 6. *num.* 23. *pag.* 118. Spectant huc, quæ de molis Taurinensibus Pedemontii Philander ad *Vitruv. lib.* X. de *Architect. cap.* 10. annotat: *Augusta Taurinorum subalpina urbs est. Ad eam vidi decem & octo molendinorum [liceat mihi cum aliis ita appellare] versari pinnatas rotas Duria flumine passibus plus minus triginta. Opus, mea sententia, ut urbi multo utilissimum ita maxima solertia constructum, erogata scilicet tot rotis angusto in alveo aqua. Illorum frumentaria duodecim, reliqua oryzæ, risum vocant, exglumandæ, conterendis aromatis, tormentario pulveri tundendo, acuendis gladiis armisque lævigandis, cudendo ferro, abluendis densandisque rudibus pannis, comparata erant.* Memorari hic quoque possunt molæ Martisburgenses, quarum meminit Joh. Vulpius in Megalurg. Martisburgic. *cap.* VI. *p. m.* 57. *seqq.* ubi inter cætera mentio fit der Rische-Mühle von 8. Mahl-Gängen/ Oel-Walck-Scheid-Schleiff-Polier/und Würk-Mühle an dem Saalen-Strohme/ darinnen an der Plancke bey der Bürk-Mühle diese Verse gefunden werden:

> Die Mühl' ist milder Art/ sie giebet treulich wieder/
> Was man ihr anvertraut; die nimmer müden Glieder
> Umrundeln sich vielmahl/ doch hilfft diß alles nicht/
> Wenn GOtt nicht zur Arbeit selbst seinen Seegen spricht.

Am Wasser-Gerenne ist zu lesen:

> Ob unser Leben kurk/ ob unser Leben lang/
> So laufft's dem Wasser gleich/ doch stets zum Untergang.

Georg Borman/ pergit, gedencket dieser Rische-Mühle in der Müller Ehren Kranke/ darinnen er pag. 36. 37. schreibet: Ihres gleichen findet man nicht viel/ sie sey nett erbauet/ daß man sie nur mit Lust anschaue/ durch Georg Rosenmüller/ welcher in seinem Beruff unversehens in die Saale gefallen/ und ertruncken. Idem Vulpius pag. 59. molam regiam adducit, die Königs-Mühle an der Saale von 4. Mahl Gängen/ und einer Walck-Mühle; cui hæc inscripta leguntur:

> Mein schneller Fluß dich lehrt/ daß es hier so bewandt/
> Daß nichts beständig sey/ als nur der Unbestandt.

Præterea & artificiosæ inventionis gloria insigniores sunt molæ aquariæ Tolosanæ, quas Paulus Henznerus Itinerar. Galliæ *pag.* 56. his descripsit verbis: *Habentur hic singularis artificii molendina, in quibus, vi fluminis Garumnæ, rotæ nostris multo minores capsulis unicum tantum orificium habentibus inclusæ per transversum circumvolvuntur velocissime. Ubi farina non ex loculis decidit, sed fœminæ pastillorum impulsione contra arcam molatoriam exigunt eam, ac postea cribratione sedula purgant.* Cui apponi meretur Jodoc. Sincer. in itinerar. Galliæ *pag.* 262. observatio, illud addentis, *quod rotæ non super aqua perpendiculariter, sed in eis horizontaliter moveantur, lapides item molares nostris longe majores ex multis partibus constent tanta arte junctis, ut singuli aliquot millibus coronatorum æstimentur,* conf.

conf. Treunerus cap. II. §. V. pag. 10. ſeqq. qui & pag. 12. inter varia inventionum ſpecimina refert molam a Celeberr. Dn. Joh. Andrea Schmidio, νῦν ἐν ἁγίοις, recens adinventam. *Alias nempe*, inquit, *duas rotas una molaris machina poſcit. Ipſe autem, qua antecellit inventricis facultatis promtitudine, ut una rota duæ machinæ circumagantur, ſolertiſſime efficit.* Et *cap.* IV. §. V. *pag.* 26. rarum quoddam memorat accidens, quod An. 1572. in molis Genevenſibus aquariis fuit obſervatum, quæ magnæ civium admirationi tum retroagebantur, veluti id refert, ratione ſimul indicata, Autor der Abentheuer der Natur und künſtlichen Sachen in Sina und Europa, his verbis: *Diffugientibus nivibus quandoque videas anguſti alvei fluvium Arva adeo impraegnari, ut, qua Rhodano miſcetur, impetum hujus ſiſtat, eumque lacum Genevenſem repetere faciat. Contigit hoc multæ omnium admirationi anno* 1572. *quo tempore omnes molæ Genevenſes contrarium ordinario motum per aliquot horas tenuerunt.*

Cæterum harum aquariarum molarum uſus hodie frequentior eſt, cum & commoditate & utilitate veterum molas verſatiles & truſatiles, quarum in locum illæ ſucceſſerunt, & quæ propterea rarius hodie adhibentur, longiſſime ſuperent. Vid. *Honrig. quæſt.* 2. *numer.* 75. *pagin.* 45. *quæſt.* 5. *numer.* 25. *pagin.* 10. *b.* Quænam vero harum *Verſatilium Truſatiliumque molarum*, quas una cum *Pilis* priſca ætate uſurpari oportuit, penes antiquos fuerit ratio conditioque, præſenti demonſtrare Tractatu intendimus, quo de *Veterum Piſtrinis*, qua voce etiam *Verſatiles Truſatileſque* continentur *Molæ*, ita agere animus eſt, ut præmiſſa vocis enucleatione, cui *primum* conſecravimus Caput, *altera* opellæ Sectione piſtrinorum inveſtigemus, originem, *tertia* vero eorum varietatem, formam & partes exponamus, addiditis in *quarta* capite nonnullis, quæ ad Piſtores ſpectant, & eos, quorum in piſtrinis labor fuit neceſſarius, *quinto* expendentes materiam, frumentum nempe, aliaque, quæ in piſtrinis olim fuere molita, & *ſexto* demum capite ea quoque, quæ feſta, cantilenaſque & alia piſtrinarii gaudii ſigna concernunt, debito, quo par eſt, ordine, eaque qua fieri poſſit concinnitate admetiamur. Quamvis vero ab inſtituto hoc nos deterrere potuiſſet prolixus egregiuſque Tractatus ſupra laudati *Heringii*, quem de Molendinis Lugduni in 4° Anno 1663. edidit, nec non *Trenneri* memorata de Molis Diſſertatio non minus concinna ac elegans; His adjiciendus Carolus Ludovicus Hoheiſelius, cujus elegans Diſſertatio de רחים של יד ſive Molis Manualibus veterum, Gedani 1728. habita, nuper demum in manus incidit, ex qua proinde hic nonnulla inſpergere liceat; quorum habita ratione, poſt Homerum Iliada ſcribere videmur: attamen ſonticæ non defuere cauſæ, quæ hoc conamen non leviter adjuvarunt. Siquidem (1) dictos conferenti libros [quorum laudi hoc ipſo nihil detractum volo] apparet, eorum nimis generale argumentum eſſe, cum de molis & molendinis, quorum una ſaltem *Piſtrina* ſpecies ſunt, agant, horumque nonniſi ſparſim & parcius mentionem injiciant; Non ergo in-

consultum fore duxi, si *Pistrinorum* delineandæ conditioni peculiaris insumeretur opera, qua neminem hucdum defunctum esse deprehendi. (2) Speciatim *Heringii* si evolvatur Tractatus, eum maximam partem Juridicum esse, nemo negabit; cum e diverso nobis ea hic proponere animus sit, ex quibus, prævia antiquitate, varia Scripturæ S. & profanorum autorum, Terentii, Plauti, aliorumque dicta lucem lucrari posse videntur. Accedit (3) quod *Heringius* multa equidem, quæ de *Pistrinis* memoratu digna sunt, attigerit; inficias tamen ire nemo queat, quod ordinis quandoque leges & sæpius violaverit, ita ut multo nobis labore fuerit opus, antequam ea, quæ idem variis in locis hinc inde dispersim proposuit, debiti ordinis cancellis constringeremus. Inde nobis vel ex eo capite grates deberi videntur, quod & dudum allata grata expoliverimus ornarimusque methodo, quam boni libri animam quasi ac cardinem constituere, & utramque, ut ajunt, paginam facere, haud temere arbitramur. Inde & nos (4) a furti literarii crimine toto cœlo alienos esse existimamus, cum semper ea, quæ ex *Henringio* desumta sunt, optima indicemus fide, allegatis Autoris locis ac paginis; prætereaque non contenti iis, quæ idem cum *Treunero* annotavit, in subsidium vocatis aliorum meditatis, multa addamus alia, de quibus & in *Heringii* & *Treuneri* libris altum extat silentium; uti quidem res ipsa loquitur, & horum cum mea opella collatio satis evidenter demonstrabit.

Quæ cum ita sint, spe alor optima, fore, ut B. L. meos tenues conatus æqui bonique consulat, iisdemque suo favore mitiorique lima succurrat; & cum nullus liber tam malus sit, Plinio illo Secundo teste, qui non aliquid boni contineat, iis, quæ bona sunt, utatur, cætera vero, quæ reprehendenda videntur, sua æquitate ac benevolentia emendet atque compenset. Eorum vero, qui momos agunt, quorum criticis unguibus atque lituris summorum quoque Scriptorum opera & labores vapulant, prorsus non refotmido judicia, cum compertum sit, *nil esse usque adeo elimatum, quod non talium censorum unguibus & graphiis expungatur severissimis;* quæ Johannis Ravisii Textoris sententia est, *Epist.* III. *p.m.* 10. Scilicet vituperare ignarissimi quique poterunt, cum maledica lingua non artis sit nec ingenii, sed minus ingenui inertisque unimi indicium. Mihi sufficit, si paucos nanciscar Lectores & Mœcenates, quorum suffragium tincta invidiæ venenis spicula facillime propellet. Cæterum propitium Numen devotis invoco precibus, ut quæ hactenus indulsit paternæ suæ bonitatis documenta, ea & nunc extare dignetur! Faxit illud, ut laborum ipsius gloriæ inservientium successus contingat felicissimus! Faventiores largiatur Patronorum animos, quo illi sua autoritate qualescunque conatus ulterius provehant, ut his illi, si non ex parte omni adblandiantur, saltem non improbentur! Tandem concedat benignissime, ut a Paulo olim commendata δύναμις ipsius, quæ ἐν ἀσθενείᾳ τελεῖται, vel ex ipsa hac opella appareat!

CAPUT PRIMUM.

De voce Pistrini, aliisque Cognatis Vocabulis.

ARGUMENTUM.

I. *Pistrinum unde? Pinsere, Pinsare, Pisare quid?* II. *Pistores, Pistoria, Pistoriensis ager. Pistorum Hebræa & Chaldæa appellatio. Vicus pistorum.* III. *Nomina Pistorum, Pisonum, Fabiorum, unde?* IV. *Pistrinum molæ loco. Molæ Etymon an Græciæ, Germaniæ aut Latio debeatur? variorum sententiæ.* V. *Treunerus notatus Mola, vox simplex, a sono molari forte dicta. Conciliantur etymologiæ.* VI. *Inmolitus, molitura, molæ operam dare.* VII. *Hebræorum & Chaldæorum* טחנה, טוחן, קמח, נבל, טחן, VIII. *Molæ significatus varius.* IX. *Moletrina.* X. *Molendinum, non Latina, sed Germanica vox, quid notet? Sæpe cum pistrino idem.* XI. *Farinarium, Defarinatum.* XII. Μύλων, ἐμμύλλων, ἀλετών, XIII. נחתומר, מרשותא, רחים, ריחיא, פרהדיא, ארתוקופיון. XIV. *Pistrina fœminine pro pistrino. Unde Pistrillæ.* XV. *Schola Pistrinum, Politura Cygnea. Pistrinum Wittebergense. An Melanchthon Pistor? Asini Pistrinarii. Academia Furfurariorum, sive della Crusca. Pistrinum Forense.* XVI. *Pistrini strictior & latior acceptio. Quænam h. l. prævaleat?*

I. EX vocum enucleatione res ipsæ lucrantur lucem. Inde nec hanc nos, de *Pistrinis* acturi, temere omittemus, est autem *Pistrinum* a *pinsere*, a quo *pistum* & *pinsitum* apud Columellam, & *pinsum* apud Vitruvium sæpius, ceu testatur Budæus. Notat vero *pinsere* (quod ab antiquo verbo *Pindo* i. e. ferio, nonnulli derivant, alii ἀπὸ τῶ πτίσσειν, eliso t,) proprie, percutere aliquid more avium, dum rostrum alicui rei crebro impingunt, & crebro aliquid percutiunt. Hacken/ Bicken. Sic proverbii loco pro irrisione usurpat Persius *Sat. l.* v. 58.

O Jane! a tergo quem nulla ciconia Pinsit.

hoc est irrisionis ergo tundit & percutit. v. *Eilh.* Lubinus ad h. l. *pag. m.* 645. Ab Ennio *terram pinsere* de eo dicitur, qui in genua cadit, eisque terram petit. Quod Homerus exprimit, ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ, *cepit terram manu*, & Virgilius: *Submissi petimus terram. conf. Job. Ludov.* de la Cerda ad *Virg.* III. *Æn. vers.* 93. *num.* 6. *f. m.* 286. Porro significat *pilo tundere* (hinc *Pistrinum* quasi *pilis tritum*, ceu placet Lucæ de Penna *ap. Job.* Heringium de Molendinis, *qu.* 4. *num.* 5. *pag.* 68.) vel molis frangere; item *panem facere*. Columella *lib.* 2. *cap.* 9. 17. *Panicum pinsitum &c.* Locum *vid.* infra *cap.* V. §. IV. Pomponius: *Quum neque molis molui, neque palmis* (*pilis* legit Ausonius Popma in Notis ad Varronem *lib.* 5. *pag.* 535.) *pinsui*. Cato *cap.* 136. *Si communiter pinsunt, quæ ex parte pollinctori pars est.* Convenit cum hoc *Pinsare*. Varro *lib.* I. de re *rust. cap.* 63. *Promendo diem, ut in pistrino pinsetur, ac torreatur*, h. e. tundatur vel frangatur, licet alii legant: *Promendum hyeme, ut in pristino pisetur, ac torreatur.* Pro *pinsare* enim & *pisare* veteres dicebant. v. *Rob.* Stephani *dict. lat. fol. m.* 1102. *b. Frid. Taubmannus in Plut. Epidic. Act.* I. *Sc.* II. *p. m.* 417. Ex his liquet, cur inde derivetur *Pistrinum*. Siquidem veteres usu molarum hodie recepto destituti, frumenta torrebant, eaque in *pilas* missa, *pistillis* magnis tundebant & conterebant. *conf.* post multos *Job.* Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* I. *cap.* 14. *pag. m.* 61. *Christ. Schottg. lex. Antiq. p. m.* 920.

II. A voce *Pisare* sunt *Pistores*, de quibus suo loco prolixius. A *Pistoribus* nomen accepisse fertur *Pistoria* sive *Pistorium*, urbs in Hetruria prope fluvium Stellam & ad radices Montium Appenninorum sita; & *Pistoriensis ager*, quo nomine tota illa regio circa urbem Pistoriam venit, sic dicta, quod multi olim Pistores ibidem commorati fuerint. Propterea & alio nomine *Ad Pistores* appellabatur. v. Hederichs Schul-Lexic. *pag. m.* 2250. *seq.* Hebræis *Pistor* audit אפה a coctione panis in furno, unde & אפות *Pistrices* I. *Sam.* VIII. v. 13. Apud Chaldæos a Descendendo nomen habet Pistor, נחתום & נחתומא *Gen.* XL. I. 2. 17. *Hos.* VII. 4. 6. Et *Jer.* XXXVII. 21. memoratur *vicus pistorum*, unde captivo Jeremiæ tracta panis, quæ in singulos dies sufficiebat, porrigebatur, מחוץ האפים h. e. Chaldæo interprete משוק נחתומיא *ex platea pistorum*. Putant Judæi, fuisse panem furfureum, qui מחוץ extra palatium venditus fuerit. Hinc male Vulgatus vertit: *Excepto pulmento*. conf. Seb. Schmidius ad h. l. & de voce Chaldaica Buxtorfius *Lex. Talm. f.* 1332.

III. *Pistorum* nomine & olim & hodienum multi eruditione, virtutibus & honoribus conspicui Viri inclaruerunt. Obviant quidam in Gelehrten/ *Lexic. pag. m.* 1714. Animadvertit hoc Sebald. Mullerus Bericht vom Brodbacken pag. 6. Viel edle Becker/ inquies, sind zu grossen Ehren erhaben

haben und hochberühmt worden. Dahero das Geschlecht zu Rom / so Pistores genannt / ihren Nahmen empfangen / und heutiges Tages viel ehrlicher und gelehrter Leuthe und Geschlechte Mollerii & Pistorii, Müller und Bäcker / genennet werden.

Equidem id nullo indiget testimonio, sed addo tamen suffragium Heringi *quest.* 1. *num.* 3. *pag.* 4. scribentis: *Habuit & adhuc habet Germania in familiis magnificos & præstantissimos suos Molitores sive Mylios & Müller: itemque Pistores ac Becker: uti olim Italia vidit suos Fabricios, Fabios, Pisones, Taurinos, Corvinos & Asinios.* Is *num.* 36. *pag.* 16. exemplum Papiniani illius Saxonici, Hartm. Pistoris sistit, cui, quod obiter addo, Pistorum partes commendare satagit, subjungens: *Hic autor, ut ludam voce, merito a pistorum ac molitorum partibus stare debebat.* Ad prisca si redeamus secula, *Pisonum* nomen Calpurniu genti, quæ eo olim insignita fuit, primus ille dedit, qui vel optime *pisa* serere cœpit, vel usum innit fruges igne tostas in pilas missas pinsendi. Plinius XVIII. 3. *pag.* 809. *Cognomina prima inde: Pisones a pisendo.* Quæ denominandi ratio olim non infrequens fuit, veluti a *Fabis* appellati, *Fabii* sunt. Malunt tamen alii a *foveis* dictos. Quo spectat Benjamini Hederici observatio Schul-Lex. pag. 1256. daß sie Anfangs nicht Fabii sondern Fovii geheissen / weil ihr Stamm-Vater von dem Hercule in einer Fovea gezeuget worden / oder auch weil der erste dieses Nahmens gewiesen / wie man die Wölffe und Bären in Foveis oder Gruben fangen solle.

conf. etiam *Joh.* Minellius ad *Sallust. Bell. Jugurth. pag.* 194. *num.* 11. & de Pisonum nomine idem Hederich *l. c. pag.* 2250. *Rich.* Streinnius de Gentibus & *Famil. Rom. ap. Græv. tit.* VII. *pag.* 1138. Addi meretur Augusti Buchneri *Epp. pag.* II. *epist.* CXXVI. *pag. m.* 570. animadversio, qua Czarncovii cujusdam, qui Pisones, Fabios ac Cicerones ex virtutibus nomen accepisse, somniat, salse perstringit ἀλογιστίαν, *Ergone*, inquiens, *aut pinsere hordea, aut fabas serere, virtutis opus est? Atqui ab illo Pisonum nomen vetus Poeta, quem vulgo Lucanum existimant, ab isto Fabiorum Plinius deducit. Cæterum Cicerones prorsus ad hanc classem non pertinent: Si illi a facici vitio sic dicti sunt; quod Plutarchus & Priscianus nos docent. O novum Homerum Philosophorum!*

IV. Fuerunt olim Pistores & molitores iidem, ceu alio capite observo. Et Pistrinum *Molæ* loco erat veteribus. Quæ enim molendi ratio naturalissima simplicissimaque, ea & aptissima videbatur majoribus, majora ob defectum artium non edoctis. *Molæ* Ætymon, ne & hanc vocem sæpius a nobis usurpandam sicco pede transeamus, magno sententiarum divortio obnoxium est, aliis Græcam, aliis Germanicam, aliis Latinam originem quærentibus. Sunt enim qui molam a Græco μύλος sive μύλη ϗ μύλλειν i. e. & *molere* descendisse putant μύλον vero a μειοῦν λίαν, quod *valde minuat*, vel μεῖον ἀλοᾶν, *minutum tundere*, aut ἀπὸ τοῦ μειοῦν οὐλὰς, *minuere hordea*, derivant. v. præter Treunerum de Molis *c. l.* §. 1. *pag.* 4. Heringius *quest.* 37. *num.* 27. *pag.* 451. quod & antea *quest.* 3. *num.* 7. *pag.* 59. jam inculcaverat, ubi addit: *Quæ demum vera hujus vocabuli originatio est: reliquæ omnes ineptias Grammaticorum olent.* Ineptiret sane, qui crederet, illud Græcos a Latinis babere, de quo idem Heringius paucis interjectis *num.* 8. quamvis meo judicio, frustra disputat. Ubi simul paullo hallucinatur *Halecula*, dum statim subjungit: *Apud Euripidem in Alceste vers.* 850. *expresse græca terminatione (mola) dicitur μόλη, non μύλη; quamvis & hoc in usu.* Evolvi locum *Act.* IV. Alcestidis obvium, quem sisto:

> Ἤν δ' οὖν ἁμάρτω, τῆσδ' ἄγρας, ϗ μὴ
> μόλῃ
> Πρὸς αἱματηρὸν πέλανον.
>
> *Sin autem præda frustratus fuero,*
> *nec (mors) venerit*
> *Ad eruentas inferias.*

Anne mirum, Euripidem expresse Græca terminatione dixisse μόλῃ non μύλη? Noluit quippe Heringianam admittere μεταμόρφωσιν, qua verbum μολέω seu μόλω, *venio, vado, curro*, a quo μόλη, naturam Nominis *molam* designantis, mire induit. Sed & bonus quandoque dormitat Homerus. Hinc ista obiter. Confugiunt alii ad Germanicum Mehl, inde *molæ* vocem enatam arbitrati, Apponam Genealogiam ex *Joh. Ludov.* Praschii Disp. de Origine *Germ. Lat.* Linguæ *pag. m.* 15. Mehl / *Farina. Hinc eodem sensu Mola. Sparge molam. Virg. Angl. Maele. Hinc* Mild / *mollis,* Mahlen / *molere,* Mühle / *molendinum,* Malter / *molitum, maltra,* Malk *polenta,* Mulken / *polentam facere.* Adjungi huic potest J. L. Frischius *Orig. quor. vocab. German. pag.* 61. *insert. Miscellan. Berolinens. An.* 1710. *pag.* 1. *num.* VI. *pag.* 60. *seqq.* ubi ita: *Molitor a* Mühl *mola.* Sed Heringius *quest.* 37. *num.* 27. *seqq. pag.* 451. Latinam & Græcam vocem in Germanicum idioma translatam putat, ita ut superiorum regionum incolæ græcam Mülen / sive Mühlen / inferiores latinam dialectum Mölen seu Möhlen imitentur. Bene etiam ibidem observat: *In hanc*

ter-

terminationem multæ urbes Germaniæ desinunt, *ut Molyperga seu Mulperga Mysniæ*, *Mulhausum Thuringiæ*, *quasi molaris domus*, *teste Dressero de urb. Germa. item Sueviæ*, *de quo Munsterus lib.* 3. *Cosmograph. & Mulhemum ad Rhenum*. *Quas a molas aliqua*, *cui homines se adglomeraraut*, *initium cepisse*, *verisimile est*. *Ita enim de Erfurdia*, *Thuringiæ metropoli*, *fertur*, *eam a molitore quodam Erso in molendino noctu lucernam suspensam habente*, *ne viatores vadum transituri aberrarent*, *nomen accepisse*, *ut tradit Petrus Bertius lib.* 3. *comment. rer. Germ.* Aliis denique molas dicitur vel a *malo*, (quatenus pomum notat) scilicet propter rotunditatem utriusque, ceu placet Isidoro *lib.* 20. *Etymol. cap.* 8. vel, quemadmodum Varro perhibet *lib.* 4. de *ling. lat.* a *molendo*, sive, ut Joseph. Scaliger legit, a *molliendo*, quod ejus motu eo conjæcta *molantur*, sive *molliantur*, terantur, aut comminuantur. Quo spectat Eberhardi Bituniensis in Græcista versiculus:

> *Quæ frumenta molit*, *mola sit*; *moles tibi pondus*.

Et illud Persii Satyr. VI.

> *Emole*, *quid metuas ? occa*, *en seges altera in herba est*.

Vel a *movendo*, quod, uti sentit Nicolaus Perottus, species in eam conjectæ *motu* lapidis comminuantur, & quasi molliores fiant. Inde Germanicum zumalmen / quod *Deuter.* IX. 21. in versione Germanica occurrit, originem suam traxisse; & triticum a vermibus *demolitum* sive corrodendo & imminuendo absumtum perditumque dici, notat Heringius *quest.* 3. *num.* 6. *pag.* 59. Vel denique a *Mole saxi*, qua res minutatim frangantur. v. Rob. Stephani *dict. lat. fol.* 915. *b.* Quam ultimam derivationem longius petitam censet Praschius, *c. l. pag.* 16. Saltem id tacite innuere videntur hæ Poetarum phrases: *Fruges frangere saxo*, *frangere robore saxi*, *Ceres saxo perdomita*; quæ penes Virgilium, Lucretium, Statium, aliosque occurrunt. *vid. cap.* III. §. VIII. & Heringius *quest.* 3. *num.* 5. *pag.* 58. Dempsterus ad *Rosin. lib.* 1. *cap.* 14. *pag.* 65. *seqq.* De Molæ Etymo prolixe egi, allatis variorum sententiis, qui vel Græcam, vel Germanicam, vel Latinam originem quærunt. Hoheiselius vero §. II. *pag.* 3. *seqq.* Hebraicam originem addit, ex mente Matthiæ Martinii *Lex. Philol.* ad vocem Mola, utpote qui μύλην & molam a מלל derivat, *friare*, *fricare*, quo sensu מוללין ארת השבלין *fricantes spicas* dicuntur Rabbinis, juxta Buxtorfium *Lex Talmud. col.* 1214. Quamvis vero hanc Ætymologiam suo suffragio muniat Janson. Theod. ab Almeloveen Antiqq. e sacris *profanar. specim. pag.* 36. eidemque lucem accendere videatur verbum μύλλειν, quo Theocritus Idyllio IV. *vers.* 58. utitur:

> Εἴπ' ἄγε μοι Κορύδων τὸ γερόντιον ἦ ῥ' ἔτι μύλλει
> Τήναν τὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποτ' ἐκνίσθη;

> *Dic age mihi Corydon*, *ille vetulus nunquid adhuc molit*
> *Illa nigra supercilia habentem amicam*, *quam olim deperibat?*

ubi quidem vox hæc obscoeno sensu ponitur, at per metaphoram tamen fricandi significatum retinet, cumque per duplex λ scribatur, ex מלל originem suam traxisse videtur: id tamen ego longius petitum censeo. Nam (1) potius crederem, τὸ μύλλειν voci μύλη ac μύλος natales debere, quam hanc illi. (2) Hebraicum מלל non tam *fricare*, quam *loqui* & *verba facere* notat, qui significatus quomodo cum mola conveniat, non video. Quodsi tamen Hebraica quærenda origo est, cur (3) non derivamus λύλην a מול quod *succidere*, *exscindere*, *circumcidere* notat; in mola quippe scinduntur grana. Sic enim nec opus esset, ut alterum ל in מלל propter Euphoniam in voce μύλη ac μύλος excidisse, statuamus. Nolo tamen Cel. Hoheiselio litem movere, cum ipse de adducta Etymologia idem pronuntiet, quod ille apud Comicum de anu: ἐ μαχοῦμαί τινι, præprimis cum hæc nostram sententiam superius *cap.* I. §. V. *pag.* 37. allatam non destruant.

V. Quamvis nollem adstipulari Treunero §. II. *pag.* 4. *seqq.* contendenti, omnes hos operam lusisse, cum etymologiæ nulli usui inserviant; (Usus enim statim a me ostendetur) puto tamen, salvo cæteroquin aliorum judicio, nil prohibere, quin *Molæ* vox, utpote simplex, inter primitivas referatur; neque adeo necesse esse, ut de indaganda origine alia simus soliciti. Si conjecturis indulgendum, sonum, quem farinæ contusio edit, *molæ* vocabulo occasionem suppeditasse, existimarem, uti nempe est apud Ennium: *Quo nunc me ducis? ubi molarum strepitum audibis maximum*. Aut veluti Vespa in Judicio coci & pistoris, Pistorem ita gloriabundum inducit:

> *Jupiter ipse tonat: tono, cum molo, sic ego, pistor.*

v. *Taub.*

v. *Taubm. ad Plaut. Asin. A.* 1. *sc.* 1. *pag.* 80. Saltrem tres voces, Mühle / *mola*, μύλη, quæ sono & ipsæ fere conveniunt, molarem sonum referre videntur. Quicquid autem horum sit, nemo certe negabit, nomen cum re, cujus nomen est, apte convenire, nullamque ex hactenus allegatis derivandi rationibus a re ipsa alienam esse. In Mola enim *minuuntur* hordea, conficitur *farina*, *poma* contundi conterique possunt, *molitur* & *mollitur* frumentum. Imo mola veluti *mole* quadam frumentum, legumina, aliasque res terit, aut, duorum molarium *motu* eo conjecta molit. En usum Etymologiæ in rei ipsius enodatione!

VI. A mola & molere est *inmolitus*, h. e. inædificatus, apud Livium *lib.* XXXIX. *cap.* XLIV. *pag. m.* 1050. *Aquam publicam omnem in privatum ædificium, aut agrum fluentem ademerunt, & quæ in loca publica inædificata Immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt.* Et in L. Peducea, *ap. Hering. quæst.* 14. *num.* 21. *pag.* 243. de limitibus usurpatur hoc modo: *Ne quis eos limites decumanos obsepito, neve quid in eis Inmolitum, neve quid ei positum habeto.* Actus molendi *Molituræ* voce exprimitur, qua usus Plinius est. Et *molæ operam dare* usurpat Cicero ad Atticum *lib.* II. *epist.* 1. *Opp. tit.* III. *pag. m.* 312. *At modeste tamen dixit, ut Rhodi videretur molis potius; quam Moloni* (qui fuit orator celeberrimus, teste ipso Cicerone de claris Orator. *opp. tit.* 1. *pag.* 343. & Strabone *lib.* 14.) *operam dedisse*, *cap. Hering. quæst.* 5. *num.* 6. *pag.* 101. *Rob. Stephan. dict. lat. f.* 916.

VII. Hebræi cum Chaldæis τὸ *molere* exprimunt per טחן, *molam* per טחנה quæ vox nonnisi *Eccles.* XII. 3. legitur; *molitorem* per טוחן *molitionem* actumque molendi per טחונה: verbi טחן varias significationes exhibet Christian. Stockius Clav. Ling. Sacr. pag. 470. penes quem (1) generatim comminuendi notionem obtinet, *Exod.* XXXII. 20. ויטחן & *commoluit* vitulum, usque dum fieret minutissimus. *Eccles.* XII. 3. ובטלו הטחנות *cessantque molitrices* (dentes, uti supplet Er. Schmidius) (2) speciatim (α) proprie molere notat, cum in mola frumentum comminuatur, e. g. וטחנו ברחים *Et moluerunt molis*, *Chald.* וטחנין בריחיא *num.* XI. 8. Item ויהי טוחן Chald. והוה טחין *Et erat molens*, Jud. XVI. 21. (β) Metaphorice durissimam servitutem & captivitatem designat, *Jes.* XLVII. 2. *Thren.* v. 13. Apud Talmudicos in Berachoth. *fol.* 43. 1. משחא טחינא *oleum molitum* dicitur illud, cui costum molitum immixtum est boni odoris causa. Et in Gittin *fol.* 67.

ר' שמעון טוחן הר בה ומוציא קימעא *R. Schimeon molit multum, & producit parum.* Quæ phrasis de subtilibus & laboriosis usurpata, quadrat in eos, qui multum laborant & parum usui sunt aliis. Pro טחן quandoque adhibetur קמח *farinare, tundere in farinam*, vel *pulverem tenuem instar farinæ*. Sic in Tal. Nasir *fol.* 53. 2. אלא דאיקמוחי איקמח *Sed quod pulverisando pulverizatum est*, i. e. in pulverem instar farinæ reductam, c. Buxtorfius Lex. Tal. *fol.* 868. 2053. Scherzerus *Trifol. Orient. p. m.* 65. *Buxtorf. Florileg. Hebr. p. m.* 147. Pinsere vero, quatenus aqua subigere notat, reddunt per גבל ceu patet ex Mischn. Talmud. Masseches Schabbas *cap.* XXIV. *Misch.* III. *apud Seb. Schmid. Collectan. Talmud. l.* 1. *p. m.* 59. מהלקטין לתרנגולין ונותנין מים למורסן אבל לא גובלים: *Ingerunt bolos gallinis, & dant aquam contusis: non autem pinsunt.*

VIII. Μύλη & Mola sunt vocabula ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, multaque penes autores significant, nempe I. Molam proprie sic dictam, qua frumentum teritur. II. Hordeum, far tostum, molamque salsam, apud Virgilium. Huc & pertinere censetur illud Aristophanis in Vespis, πρὸς ταῦτα μύλην ἀγαθὴν ὥρα ζητεῖν σοι καὶ νεόκοπτον, hæcque Taubmanni ex Douza allata observatio ad Plaut. Pœnul. Act. III. Sc. 1. pag. 904. *Molam haud pro moletrina (perinde ut nos hodie) sed pro farre molito ac tosto veteres dictare solitos, quis nescit?* III. Os hominis vel bruti, cui dentes inhærent, h. e. maxillam sive mandibulam. IV. Dentem molarem. V. Os latum & rotundum toti genu superimpositum, quod quia, ut mola pistrinensis, & rotundum est, & ab anteriore parte lateribusque asperum, ob figuræ similitudinem sic dicitur. VI. Molem carneam informem & inutilem in muliebri utero sine viri semine conceptam, quam alio nomine *Pecus*, item *Fratrem lumbardorum* & *Arpiam*, quandoque & *Molucrum* dici testantur Bern. Gordonius, Turnebus, aliique citati ab Heringio *q.* 3. *num.* 12. *pag.* 61. qui & de *Placentæ* nomine, quo insignitur, varia addit. Plura habet etiam Pitiscus *tom.* II. *fol.* 217. *a.* 218. *b.* & *Had. Junius Nomenclat. pag.* 381. Adde inferius allata *cap.* IV. §. XLIV. VII. Lætitiam ac rerum αὐτάρκειαν ac usum, quem significatum *Jer.* XXV. 10. obtinere, idem annotat Hering. *quæst.* 2. *num.* 57. *pag.* 51. VIII. Nobilem ordinum ductorem apud Thuanum *lib.* 13. & 63. *hist. pag.* 621. 279. IX. Urbem quan-

quandam Italiæ. v. Treunerus *cap.* 1. §. III. *pag.* 5. *seq. Henr. Steph. Thes. ling. Græc. tom.* II. *fol.* 987. X. Pictorum arte delineatam molam, qualis Wormatiæ visitur, referente Berckenmeyero Antiquar. *part.* I. *p. m.* 421. cujus verba digna sunt, quæ memorentur: Bey dem Eingange / scribit, der St. Martins-Kirchen ist ein curieus Gemählde über einem Altare von der Transsubstantiation zu sehen / da die heilige Mutter Maria das Kind Jesum bey seinen Füssen hatte / und mit umgekehrten Leibe in den Trichter einer Mühle warff / die zwölff Apostel dreheten das Mühl-Rad mit aller Gewalt herum; der Pabst lag auf den Knien / und empfing die Hostien / welche also gemahlen in einen güldenen Kelch fielen / und übergab dieselben einem Priester / der theilete dem Volcke mit.

IX. Uti vero *Mola* varias res designat, quod ex hactenus enarratis conspicuum: ita eandem rem variis gaudere nominibus, ulterius enucleandum. Mola adpellatur etiam *Moletrina*. Cato in Themum: *Nervo, carcere, moletrina*. Quam vocem Heringius eadem forma dictam putat, qua veteres efferebant *furatrina*, *ferratrina*, *fœtutrina*; quæst. 3. num. 9. pag. 59. sicut Apulejus lib. 10. *Diu quidem*, inquit, *pulcherrimæ mihi furatrinæ procedebat artificium*. Moletrinam & pistrinum tanquam synonyma conjungit Nonius Marcellus Tiburticensis *cap.* 1. *n.* 320. *Moletrina a molendo, pistrinum olim dicebatur, quo tempore tundebantur frumenta, non autem molebantur*. v. Dempster. ad Rosin. lib. 1. cap. 14. pag. 65. Robert. Stephan. dict. lat. fol. 916. Cicero officinam molitorum *moletrina* designat, & Budæus eodem nomine aquariarum molarum loca adpellari posse credit; quod innuit apud eundem Stephan. l. c. scribens: *Aquariarum molarum loca, quibus nunc utimur*, Moletrinas, *ut arbitror, appellare possumus, ut ex Nonio colligo*. Consentiunt Henr. Salmuth ad Pancir. de *nouv. repert. lib.* 2. *cap.* 22. Pitiscus *tom.* II. *fol.* 218. *a.* Hæc si vera sint, a *Molendino* non differt, utpote quod in Diplomatibus Impp. plerumque olim ad molam aquaticam fuisse restrictum, fatetur Heringius *c. l. pag.* 59. Nobis de hac voce plura addenda videntur.

X. Si quæratur, an *molendinum* purioris Latinitatis nota gaudeat; respondet ex Vossio Cyriac. Guntherus Latin. restit. *p. m.* 358. *veteres hanc vocem nescire*. Qui enim vocem scirent ipsius rei ignari? Nostra quippe molendina Romanis incognita, & nomen ac mores acceperunt a Gothis, Longobardis aliisque Germanicæ originis populis; quibus in Italiam irrumpentibus, non solum puritatem linguæ latinæ corruptam, sed etiam Germanicis vocabulis, retenta vel addita duntaxat terminatione Romana, contaminatam fuisse, historiæ loquntur. Hos ergo Parentes agnoscunt vocabula ista, *Molinarius*, *Molendinarius*, pro molitore, *Molinus*, *Molinum*, sive *Molinum*, pro molendino a Longobardis dictum, a mulorum forte in mola labore, & *Mulina* fœminine, veluti *Molendinum* & *Molendina*, imo Saxonicum *Molendyck* a Longobardis in *Molendinum* conversum, tandemque hinc natum Francicum *Moulin*. Hæc & alia passim inculcat Heringius, e. g. *quæst.* 3. *pag.* 60. *quæst.* 4. *num.* 54. *pag.* 90. *quæst.* 37. *num.* 27. *seqq. pag.* 451. *n.* 31. *pag.* 452. & alibi. Denotat vero Molendinum proprie & subtiliter loquendo, ex nonnullorum observatione, integrum ædificium, in quo fabrica ipsius molæ sita est; quamvis vulgato idiomate plerumque pro mola usurpetur, a qua etiam tanquam digniori sui parte nomen sumsit, c. Treunerus *cap.* 1. §. IV. *pag.* 6. Certe molas a molendinis non una vice distinctas, & ad discrimen indicandum, conjunctas passim obviare, testimoniis evincit Heringius *quæst.* 3. *num.* 9. *pag.* 59. Quocum tamen certare nolo, an rectius Mola Molendinaria, item Molandrina aut Molendina dicatur? quod inquirit *n.* II. *pag.* 60. Saltem illud monere haud abs re alienum erit, quod in LL. Salicis tit. 25. *molendinum* ac *pistrinum* indifferenter pro Synonymis accipi, legamus, cum unum alterius vicem præstiterit. Quod & *tit.* 5. §. 1. observare licet, cujus inter alia hæc verba sunt: *Qui alienam annonam in* Molendino *seu* Pistrino *furatus fuerit, molinario seu polintori* 600. *denariis, qui faciunt solid.* 15. *& ei cujus erat, totidem culpabilis indicetur, excepto & delatura*.

XI. In iisdem Legibus Salicis ac alibi pro Molendino adhibetur & *Farinarium*; plane uti ab ἄλφιτον, *farina*, Græci ἀλφιτεῖον, *Pistrinum* vocant, quia in eo farina conficiebatur. An substantive id intelligendum, an vero pro Farinario Molendino ad discrimen cæterarum molarum fuerit positum, veluti Plinius XVIII. II. *pag.* 833. *farinarium cribrum* dixit, nolo determinare. Obviat autem apud Marculphum Monachum in formula libelli repudii, nec non in donationis diplomate Dominæ Williswindæ & filii ejus Cancronis, Comitis de Hagenheim, sub Pipino Rege concessæ, uti me docuit Heringius *quæst.* 3. *num.* II. *pag.* 60. qui & ipsa verba exhibet. Pertinet huc etiam *Defarinatum*, quod pro molito aut comminuto ac in farinam redacto, was ab- und ausgemahlet / usurpavit Tertullianus adv.

Va-

Valentin. *cap.* 31. *pag.* 255. qui eleganti uſus allegoria, *ubi totam*, inquit, *meſſem Achamoth ſeminis ſui preſſerit*, *dein colligere in horreum cœperit*, *vel cum ad molas delatum*, *&* Defarinatum, *in conſperſionis alvearia abſconderit*, *donec totum confermentetur*.

XII. Græci varia habent nomina quibus *Piſtrinum* exprimunt; quæ inter uſitatiſſimum eſt μύλων vel μυλών, locus, in quo eſt mola, ſive in quo verſatur mola, a μύλη *mola*, pro quo & ἐμμύλλων a μύλλω *permolo*, quandoque invenias. Ipſe D. Matthæus *cap.* XXIV. v. 41. Piſtrinum ſic eloquitur, in illo: Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι. Non aliter accipiunt profani autores, Herodotus: Τοῦτο μύλων ἔμνησε τῆς ἀταξίας. Thucydides *lib.* 6. *pag.* 205. καὶ σιτοποιοὺς ἐκ τῶν μυλώνων πρός μέρος ἠναγκασμένοις ἐμμίσθοις. Ariſtoteles *Retb. lib.* 3. Κηφισόδοτος τὰς τελήρεις ἐκάλει μύλωνας ποικίλοις. Eandem vocem adhibet Sanctio Juſtiniani *Imp.* in *Legg. Georgic. tit.* περὶ μυλώνων, 10. *leg.* 6. 7. apud *Hering. qu.* 14. *num.* 28. *pag.* 246. ex quo verba Græco-Latina huc adſcribere nimis prolixum foret. Hujus loco obviat apud Athenæum ἀλετών ab ἀλέω, *molo*, a quo eſt ἀλεστέον, *molendum eſt*. Dioſcorides *lib.* 5. *cap.* 95. ἀλεστέον ἐν χειρομύλωνι, *truſatili mola terendum*. h. e. in piſtrino tundendum. c. Treunerus *cap.* 1. §. IV. *pag.* 6. *Henr. Steph. Theſ. lib. Græc. tit.* 1. *fol.* 320. *tit.* 11. *fol.* 989.

XIII. Chaldæi & Rabbini pro Piſtrino uſurpant tam vocem נחתומר a נחת *deſcendit*, derivatam, quæ pro officina piſtorum occurrit in Tal. Hieroſ. Bava Bathra *fol.* 13. 2. *cap.* 2. quam ארתוקופיון ἀρτοκοπεῖον ab ארת Explicatur ſic בית לחם in *Medr. Schem. Sect.* 19. Molam vero notant per פרהדיא a פרה *fructuoſum eſſe*, quo pertinet, quod Baal Aruch citat ex Berachoth *fol.* 56. 1. וטחני בך קשייתא בפרהדיא דדהבא *Et molent tecum lapides dactylorum in mola aurea*. Iidem & ריחיא habent, quod Hebræis רחים ab odore grato dicitur, quem farina, dum molitur, ſpirat. Radix enim eſt ריח *odorari*; licet alii a רוח *vento* deducant, cum molæ ventum veloci curſu excitent, aut veluti vento rapiantur. Cur in duali ponatur, nempe propter lapides molares, ſuperiorem & inferiorem, infra alio capite moneo. Addo hic ſolum regulam Philologicam *Apud Hebræos dualem habent nomina*, *quæ vel natura bina ſunt*, *ut* עינים *duo oculi*, *vel cogitatione*, *ut* יומים *biduum*, *vel arte*, *ut* רחים *molæ*. Nec prætereundam hic puto peculiarem molarum ſpeciem, quæ Chaldæis מרשותא dicitur a Rad. inuſ. מרש a qua nomen deſcendit, quod tignum, trabem magnam &c. ſignificat. *cap. Talm. Hier.* Bava bathra *cap.* 2. Notat vero מרשותא molam, in qua ſerrantur trabes & aſſeres, Säg-Mühle. *vid.* Buxtorfius *Lex. Talm. fol.* 232. 1265. 1332. 1804. Stockius *Clav. L. S. pag.* 1145. *Hering. queſt.* 2. *num.* 57. *pag.* 51. Notari poteſt ex Hoheiſelio §. III. *pag.* 4. quod Guſſetius *Comment. Lingu. Heb. pag.* 788. τὸ רחים derivet a rotunditate atque albedine, quam cum ירח *Luna* communem habet mola.

XIV. Latina vox *Piſtrini* genere & neutro & fœminino reperitur pro loco, in quo panis pinſitur & fit. *Piſtrinum* occurrit in illo Suetonii *Auguſt. cap.* 4. *Et modo unguentariam tabernam*, *modo Piſtrinum Ariciæ exercuiſſe objicit*. Fœminine *Piſtrina* ἀρχαίως pro piſtrino adhibetur, ut textrina, & ſimilia, ceu Lucilius, *Media*, *e Piſtrina*, dixit. Quæ vox ſic uſurpata obviat quoque apud Plinium XVIII. 9. *pag.* 828. *E ſiligine lautiſſimus panis*, *Piſtrinarumque opera laudatiſſima lib.* XIX. *cap.* 4. 895. *Superque Piſtrinarum operibus & cælaturis vivere*; & *cap.* 8. *pag.* 917. *Gith. naſcitur Piſtrinis*, h. e. tabernis piſtorum. A piſtrina diminutivum eſt *Piſtrilla*, autore Chariſio *lib.* 1. & Sext. Feſto Pompejo in dictione Mamphula, tabernam ſive officinam notans, in qua pinſitur frumentum truſatili mola, quam alioquin & *Piſtricem* vocant. Utitur priori voce Terentius *Adelph. Act.* 4. *ſc.* 2. *verſ.* 45.

Apud ipſum lacum eſt Piſtrilla evol. Hering. queſt. 4. *num.* 5. *pag.* 68. *queſt.* 5. *num.* 13. *pag.* 103. *Rob. Stephan. dict. lat. fol.* 1103.

XV. Moderno ſtilo *piſtrini*, nomen quandoque Scholis aſſignatur. Excurrerem hic in laudes Scholæ noſtræ patriæ, qua & mihi primum literarum nectar inſtillatum, grata mente recordor: ſi meis illa indigeret encomiis, aut vendibili vino hedera opus eſſet. Norunt illi, quibus Lyceo noſtro Cygneo formandos ſe poliendoſque tradere placuit, quam lætam hic litteraturæ virtutumque ſegegerem, in feliciſſimos excreſcentem fructus offendere liceat. Eandem Scholam nomine *Piſtrini* ſive *Pοlituræ* Cygneæ der Zwickauiſchen Schleiff-Mühle aliquando inclaruiſſe, alii quoque ediſſerant. Id enim innuit Abraham Saurius Städte-Buch p. m. 23. von Zwickau: Die Stadt Schul allhie iſt vor Zeiten die Elteſte und vornehmſte in Lande geweſen / daraus die andern entſprungen / und bey welcher man gute diſciplin gehalten / daher ſie die Schleiffmühl genanndt worden. Idem ex Luthero obſervavit Bakius ad *Pſ.* 8. *fol. m.* 139. b. ubi hujus denominationis autorem ſimul determinat. *Perſeve-*

severen pii Scholarum præfecti in suo Pistrino & ergastulo, sicut Plateanus, Rector Cygnæus, ob severiorem disciplinam, Molæ Acutoriæ, der Schleiff-Mühl zu Zwictau *nomen fecit; cogitent, non minus esse vitium, negligere Scholarem, quam vitiare virginem*. Et ne testium desit numerus, sisto verba Laurentii Fabricii, Professoris Wittebergensis, quibus in literis ad B. Wolfrumium, Cygneæ Dioeceseos olim Antistitem, Patriæ laudes admiratur: *Cœpi stupidus cogitare: quid stupendi portendat Politura Cygnea, quæ hactenus ob polienda ferramenta celebris fuit, jam vero in Culturam linguarum omnem intendit nervum, quæ vel Gymnasiis vel Academiis laudem præripere conatur. Cognovi enim ex Oratione tua, Cygneæ præter Latinam & Græcam linguam etiam Hebraicam, Syriacam & Chaldaicam doceri. Et quod admirationem maximam meretur, ad Arabicam quoque progressum: O felicem Polituram Cygneam, quæ ita expoliendis ingeniis operam intendit*. Ea sane felicitas vix contigit olim Scholæ Wittebergensi, cum eam, quod conqueritur Sam. Schelguigus *Synops. Controv. Piet. Art.* XXXI. *num.* IV. *pag. m.* 350. Carolstadius inter rusticos nomen *Vicini Andreæ*, Naber/ i. e. Nachbar Andres/ affectans, *in Pistrinum converteret*. Digna hominis vesania, quæ pistrino castigaretur. Quod & illi merentur, qui per calumniam magnum illum Germaniæ Præceptorem Philippum Melanchthonem, Carolostadio insaniæ socium, & ceu ejusdem farinæ hominem nefande addunt, eundemque neglectis litteris *Pistorem* factum somniant. Cujus mendacii autores Laur. Surium, Nicol. Serarium, Casp. Ulenbergium aliosque Pontificios Scriptores, in peculiari olim Programmate confutavit Jac. Thomasius. conf. Paullini Philosoph. Lust-Stunden/ *Part.* 2. *num.* 26. *pag.* 194. Cumque Ludovicus Cresollius eandem repetere calumniam non erubuerit, merito notatur Morhofio *Polyh. tit.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. §. 21. *pag. m.* 7. *seqq. Manifesta*, inquienti, *hæc hominis phrenesis est de Melanchthone, qui in luce Germaniæ, in florentissima Academia, cum magna nominis sui fama & gloria vivebat, tam horribilia & risu digna mendacia spargentis. Quid Melanchthoni cum Carolostadio, qui nunquam in partes ejus concessit? Quis Melanchthonem unquam Pistrorem somniavit, nisi Cresollius cum hac sua calumnia in Pistrinum relegandus?* Ad *Pistrina* scilicet regredimur, quo nomine absque injuria Scholæ veniunt, quæ obtusa ingenia non obtundunt, sed tundunt, poliunt, formantque, & ex lignis Mercurios fingunt; quam hic asinino sæpe labore opus sit, antequam asinina discentium corrigatur indoles. Religioni mihi ducerem, si exasciata prorsus, & quovis encomio digna Joh. Henrici Ursini verba hic non tangerem, quibus Analect. *S. Vol.* 1. *lib.* v. *cap.* 49. *pag. m.* 325. *seqq.* Scholarum Ecclesiarumque Doctores ita affatur:
„ Date veniam, o Servi Dei, quotquot
„ in Ecclesiastico aut Scholastico *Pistrino*
„ desudascitis. Qui vos contumelia affe-
„ cerit, dignus est, qui ex Apuleji py-
„ xide gustet, ut fiat avis asinus juxta
„ Proverbium: cumque rosas vestras odis-
„ se oporteat, nemo eum superum aut
„ hominum exungulare vel ausit vel pos-
„ sit! Tamen vere dixerim, vos *Asi-*
„ *nissimos* esse *Asinos*. Est enim asinus
„ non modo Patientiæ & Laboris exem-
„ plar; unde cum Heraclides Lycius Pro-
„ lomæo Regi obtulisset τὸν ἐγκώμιον jus-
„ sit ille scribi sublata prima literula,
„ ὄνς: Sed & disciplinæ apud Hebræos
„ Typus apud Aldrovand. notusque vo-
„ bis Asinus ille Ammonii Scholasticus,
„ Magni Origenis condiscipulus, qui cum
„ Scholas Philosophicas & Poeticas fre-
„ quentavit, tam diligens & assiduus, ut
„ & pabuli sæpe oblitum ferant. Quid
„ David ipse! nonne se asinum Dei pro-
„ fessus est? *Psalm.* LXXIII. 22. Quam
„ celebris illa in Vitis Patrum Boni Se-
„ nis vox: *Ego & Asinus Unum Sumus!*
„ Ea lege in ordinem hunc receptos vos
„ putate, qua Jacobonus a Fratribus
„ Francisci: *Si inter nos vis vivere, Asi-*
„ *nus fias oportet, ut Quasi Asinus inter*
„ *Asinos degas?* Sensit ille vim dicti, &
„ quum cum asinina pelle ingenium quo-
„ que asini induisset, manibus pedibus-
„ que reptans, *En*, inquit, *Fratres, Asi-*
„ *nus sum, Asinum inter Asinos admitti-*
„ *te!* refert in *Sirac. Corn. a Lap.* De-
„ nique ne diutius vos morer, conve-
„ niunt quoque cætera, Onus & virga!
„ Intellexit magni nominis Theologus
„ ille, qui concionatori cuidam recens
„ ordinato his gratulatus est: *Gaudeo te*
„ *Factum Christi Asinum. O quantis Pla-*
„ *gis & Verberibus exagitabitur hic Asi-*
„ *nus!* apud D. *Bak.* ex Herbergero *Dom.*
„ 1. *Adv.* " Illi igitur, qui Sacris muneribus avide inhiant, quid quærunt? Nil nisi, ut Asini fiant pistrinario labore cumulandi. Præstat tamen Christi asinum esse, ejusque suave jugum lubenter subire, quam asinina pigritia tempus ætatemque perdere. Non omnes, qui in Pistrino sudant, asini sunt; quid enim de Pistoribus fieret? Nec asinina hic exiguntur in-

ingenia; alioquin summi asini summis muneribus admovendi essent. Sed mittamus ista, & quam bene Pistrini appellatio Academiis conveniat, unico adhuc exemplo exponamus! Innotuit erudito orbi Florentina Academia *Furfurariorum*, sive, *della Crusca*, Pistrinum linguæ Italicæ Cultoribus inprimis proficuum, cujus cum laude meminit Nicolo di Castelli in Dizzionario Italiano-Tedesco, quod la Fontana Della Crusca inscripsit; *vid.* & *præf.* & *pag.* 253. a Nomen a *Crusca* sive *furfure* ideo datum monet Morhofius *Polyh. tit.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. §. 28. *pag. m.* 143. *quod disputationibus suis farinam puriorem*, *animorum cibum*, *a furfuribus*, *erroribus scilicet*, *secernerent*. Apte hoc Pistrinarium Collegium descripsit Monconisius in Itinerario *part.* 1. *pag.* 115. apud eundem Morhofium l. c. „ Elle est, *inquiens*, toute pleine de divises faisant „ allusion au mot & chaque escolier „ prend un nom aussi respondant aut su„ jet. Les sieges sont faits en hottes ou „ l'on porte le pain, le dossier en peles „ dont on remue le bled, les chaises en „ facon de grandes cuves d'oscer ou pail„ le, ou l'on tient le bled, les coussins „ des chaises des Princes, sont de satin „ gris en forme de facs, & l'on met „ les flambeaux dans des estuis, qui sem„ blent des facs de farine. *An vero non*„ *nisi Scholæ aut Ecclesiæ* Pistrinum *no*„ *runt? Quin & vos, qui Astrææ sacris* „ *dedicastis nomen*, *de* Forensi Pistrino „ *verba facitis. Si quis dubitet*, *prodeat* „ *Renat.* Choppin. lib. 2. *de civil.* Pa„ ris. morib. tit. 8. num. 9. pag. 420. „ *citante Heringio* quest. 3. num. 77. „ pag. 56. *ubi de nimia litis prorogatio*„ *ne loquitur*: Budæus in universum que„ ritur, litigantibus Gallis judicia esse, „ Siculi littoris scopulos, patrimoniorum„ que naufragia. Nec abs re sternendum „ muricibus forum censebat Cato, ejus„ que muricatos fori aditus esse præopta„ bat: ne mortales plerique (quorum „ ærumnæ ex annosa & seculari aliquan„ do lite) in litium meandris consene„ scerent. Qui enim controversis nego„ tiis impendia fænerari sese sperant, li„ tes diuturnas ac sumtuosas exagitando, „ nomina se facere non sentiunt; pri„ mum tarda, deinde ancipitia, postre„ mo inania fortasse, aut pœnitenda fu„ tura. Ut dubiæ aleam artis subticeam, „ quæ miseros interim ad tabem perdu„ cit litigatores, cum eorum fastidio, „ qui patronorum observantia colendi „ sunt: in quorum manibus crebro spes „ litigantium sita maxima est. Sed quid „ agas, cum aut manus dandæ sunt im„ probo, & insultanti adversario, aut „ *Forensi* in *Pistrino* Sisyphium saxum „ diu volvendum? Lites ædepol grandi „ sumtu, victoriæ suæ fructum devo„ rant, quæ nec sine sudore, pulvere„ que fori parari solet. Ast compendii „ loco habetur interdum magno, exiguæ „ rei sententiam abstulisse, ad majora „ pertinentem, aut præjudicio futurum „ in posterum. Unde litis novæ materia, „ ex redivivis primæ cineribus exsuscita„ ta, surgit velut hydra secto corpore „ (aut capite) firmior: victique ab ipso „ sumunt opem viresque ferro. Ne igi„ tur Cadmeæ hujusmodi victoriæ liti„ gantibus contingant, omnia, prius„ quam armis civilibus experiri eos decet „ honorario arbitrio, seu ultronea nego„ gotil transactione tentata & exquisita: „ nec sero tandem cum Vate illo expo„ stulent ita: Tantæ molis erat, longæ„ vam extendere Litem!

XVI. Restat, ut genuinum vocis *Pistrini* usum nunc exponamus, ne nostræ tractationis ratio confusionis arguatur. Modo enim vocabulum hoc strictiori, modo latiori significatu autoribus adhibetur. Vi originis eam tantum molendi rationem notat, qua frumenta, nondum inventis molis, in pilis pistillo frangebantur. Cum vero auctis hominum artibus innotescerent molæ manuariæ & jumentariæ, nomen *Pistrini* latiorem significationem induit, illique etiam loco impositum fuit, in quo molis servorum jumentorumque opera circumactis fruges aliæque res comminuebantur; adeo ut licet jam Plauti ætate, quæ incidit in Olympiad. CXLV. manuariæ molæ in usu Romæ essent, nihilominus absque discrimine *pistrinorum* & *molarum* appellationes frequentarentur. Hinc *molere* & *pistrinum* conjunxit Terentius *Phorm. act.* II. *sc.* 1. *Molendum usque in pistrino*. Et quam Apulejus *molam machinariam*, Theodorus Cyrenensis *molam pistrinariam* dixit Idem solennis dominorum formula arguit apud Comicos, qua servis nequam *Pistrinum* h. e. molæ circumductionem minabantur, de qua plura suo loco. Imo *Pistrini* appellatio ἐν πλάτει usurpata non tantum ad *molam* tanquam partem principaliorem restringebatur, sed etiam *panificium* & omnia illa comprehendebat, quæ ad *Pistoris* exercitium pertinebant. v. *Hering. quæst.* 4. *num.* 6. 7. *pag.* 68. *seqq.* Atque hunc latiorem significatum de *Pistrinis* acturi retinemus, adeoque hac opella non tantum de *Pilis* & *Pistillis*, sed & de *molis manuariis*, & *jumentariis*,

tariis, item de *pistoribus* aliisque huc spectantibus, quædam notatu digna afferemus. Moneo tamen, quod latissima significatio hic exulet, qua *Pistrinum* & molas aquarias, alatas, aliasque molendinorum hodie usitatorum species complectitur; cum de his omnibus agere nimis prolixum ac ab instituto nostro, quo solum antiquitatum claustra aperire contendimus, alienum foret.

CAPUT II.

De Origine Pistrinorum.

ARGUMENTUM.

I. *Ordinis ratio* II. *Diis adscripta aratri inventio*. III. *Ceres sive Isis frugum inventrix & moliturae* IV. *Triptolemus, Pilumnus & Picumnus, Myles & Mylantii Dii molæ autores crediti. An & Athenienses?* V. *Dei beneficio recte tribuuntur molæ. Quo sensu id fieri debeat?* VI. *Peirerii somnia de Pistrinis Præadamitarum*. VII. *Primi homines agicolæ*. VIII. *Iidem Panifices. Adamum molarum inventorem Rabbini aliique venditant*. IX. *Ignoravit multa primus homo, forte & molituram*. X. *Adami vita onerosa. Num & hodie in sudore vultus comedatur panis?* XI. *Necessitas artes docuit. Farinæ conficiendæ ratio ab initio simplicissima. Adamus non molæ sed Pistrini autor*. XII. *Oris masticatio molas docuit, hinc molæ manuariæ*. XIII. *& jumentariæ inventæ; quibus successerunt cæteræ: consentientibus Hortensio & Balduino*. XIV. *Usus pistrinorum & molarum manuariarum Abrahami aliorumque Patriarcharum ætate jam receptus; quod patet ex Gen.* XV. 18. XVIII. 6. XIX. 3. XXI. 14. XIV. *Post ea tempora frequens molatum mentio V. T. hinc excutiuntur loca Exod.* XI. 5. XXIX. 2. *Num.* XI. *vers.* 8. *Deut.* XXIV. 6. XVI. *Idem confirmant Job.* XLI. 15. *Jud.* XVI. 21. 2. *Sam.* XI. 21. *Jes.* XLVII. 2. *Zeph. I. n. An.* 70. *Interpp. ætate molæ asinariæ innotuerit?* XVII. *Gentilium commenta fabulosa sunt*. XVIII. *Non Fhryges, nec Ægyptii aut Scythæ molarum inventores. Herodoti de Phyrgicæ linguæ Antiquitate traditio exploditur*. XIX. *Ab Hebræis molæ derivatæ ad Græcos. Usus molarum in Babylonia notus juxta Apoc.* XVIII. 22. *Romani molarum olim ignari. Hispanienses molæ. Helvetiorum molæ*. XX. *Ordo inventarum molarum in compendio sistitur*. XXI.

I. ORiginem *Pistrinorum* verbalem facile indagavimus; indaginis altioris est realis, cum de ea in varias partes scindantur autorum sententiæ, veterumque monumenta nihil certi solidique tradant. Recensebo opiniones tum Mythicas sive fabulosas gentilium, tum incertas Saniorum, tum veras vel potius verosimiles aliorum.

II. Pistrinorum molarumque inventionem, tanquam divinum aliquod opus, Deorum beneficio attribuunt pagani, arbitrati, quibus vitam debent, iisdem & vitæ cnservationem, quæ molarum ope adjuvatur, acceptam referendam esse. Ut ab ovo, quod ajunt, enarrem fabulas, *Saturnus*, *Jupiter*, cognomento *Belus*, *Janus*, *Osyrisque* divino inter eos mactati honore leguntur, quod una cum *Cerere* & *Iside* Ægyptiaca, *Osyridis* usore, item *Triptolemo Cereris* filio, primi monstrarint arare & serere frumenta glande vescentibus; prouti Hesiodus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Ovidius, Arnobius, aliique testantur, quorum nubem allegat Heringius *quest.* 2. *num.* 18. *pag.* 40. *Osyridi* inprimis Regi Ægyptiaco hujus inventionis gloriam a Tibullo *lib.* 1. attribui, versus sequentes monstrant:

> *Primus aratra manu solerti fecit Osyris,*
> *Et tenuem ferro sollicitavit humum.*

Quocum sentire Virgilium *lib.* 2. *Georgic.* ita canentem:

> —— *Uncique puer monstrator aratri*;

autor est Servius ad h. l. Eadem in classe Ægyptii *porcum* habent, quem quod terram rostro aperiendo arare docuisset, adorarunt; quod inter cæteros observavit Philipp. Mornæus de verit. relig. Christ. cap. 26. Nemini etiam antiquitatum perito obscurum est, *Dagona* filium cœli & terræ frumenti aratrique inventorem venditari, quem ideo a דגן *frumento* nomen indeptum, *Jovemque Aratrium* nuncupatum fuisse, pærunte Eusebio de *præpar. Evangel. lib.* 1. *cap.* 7. multi existimant. Egi de hoc Deastro paulo prolixius in Dissertatione de ἐχθυολατρεία §. XII. *pag.* 21.

III. Præcipue frugibus præficiunt Deam *Cererem* (quam cum *Iside* unam eandemque Divam esse ex Herodoto & Diodoro Siculo monet *Hering. quæst.* 2. *num.* 59. *pag.* 51.) Poetæ, quas & invenisse tra-

tradunt. Nempe præter Euripidem Supplic. Prolog. & Virgilium *lib.* 1. *Georgic. verf.* 147. Ovidius *lib.* 5. *Metamorph.*

Prima dedit fruges alimentaque mitia terris,
Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit leges, Cereris funt omnia munus.

Addantur *lib.* 4. *Faftor. verf.* 397. *feqq.* Item Lucretius *lib.* 5. de *nat. rer.*

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inftituiffe.

Petronius Arbiter in Satyrico *pag.* 124.

—— Atque error juffit inanis
Agricolas primos Cereri dare meffis honores.

Hinc *Diodor. Sicul. lib.* 5. *pag.* 336. *Ceres*, inquit *frumentum ac fementem facere homines docuit.* Et non aliter Hyginus *fabul. cap.* 277. *Ceres fruges ferere & boves domare monftravit.* Tandem Arnobius *lib.* 5. *adv.* gentes *pag. m.* 132. fcribit: *Eleufinia illa myfteria, & facrorum reconditi ritus cujus memoriam continent? Nonne illius erroris, quo in filiæ conquifitione Ceres feffa, oras ut venit ad Atticas triticeas attulit fruges?* Cum vero ad victum uon fufficeret fementem facere & metere, nifi qua ex ariftis excuti & ad efum præparari poffet frumentum, conftaret ratio, hinc triturandi, tundendi & pinfendi modum excogitaffe *Cererem* five Ifidem, addunt fabulæ. Sic Callimachus in hym. Cer.

Pulchrius ut calamoi primum facrofque maniplos
Stravit ariftarum, calcare bovefque coegit.

Et Diodor. Siculus lib. 1. cap. 2. Cererem five Ifidem frumenti fationem ac molituram hominibus oftendiffe clare docet. Eadem imbutus fuperftitione confentit Plinius nat. hift. lib. 7. cap. 339. *Ceres frumenta, cum antea glande vifcerentur, invenit: eadem molere & conficere in Atiica, Italia & Sicilia docuit, ob id Dea judicata.* Idem *Ifidi* matri Herculis Lybici adfcribunt Plutarchus lib. de Ifide & Ofyride, Gaffarus in Chronolog. & Hent. Panthaleon in lib. de viris illuftrib. P. 1. p. 38. citati ab Heringio qu. 2. num. 45. pag. 46. & Treunero cap. III. §. IV. pag. 16. ex quibus Gaffarus contendit, Anno Mundi 3345. & ante C. N. 1854. *Ifidem* annofiffimam mulierem vixiffe, & artem molendi pinfendique docuiffe; quem Heringius refutat. pag. 49. num. 53. Prioribus tamen accedit Joh. Marius Belgicus lib. 11. illuftrat. Gallic. & Trojan. fcribens: *Regnante Hercule Alemanno, undecimo Germanorum Rege Ifidem Deam, Reginam Ægypti, in Germaniam veniffe, & rudem populum artem molendi, pinfendi, panefque coquendi docuiffe.* vid. de hactenus dictis Hering. qu. 2. num. 34. pag. 45. Gafp. Stiblinus in Supplic. Eurip. f. m. 303. A. Polyd. Vergilius de invent. rerum lib. 3. cap. 2. p. m. 157. Dempfterus ad Rofin. lib. 1. cap. 14. p. m. 65. Pitifcus tom. 11. f. 216. a. Joh. Nicolai de Calcarium ufu & abufu, cap. III. §. 2. pag. 24. feq.

IV. Cereris filium *Triptolemum*, quem Varro *Arivum Deum*, forte ab arando, adpellat, in claffe inventorum uti aratri ita molæ piftrinique ponunt eædem fabulæ, quas Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. ita recenfet:

Curru ut fævos frænaffe Dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Induit, & flava quercum damnavit arifta.

Traditionem paganam confirmat Ovidius lib. 5. Metamorph.

Atque levem currum Tritonida mifit in urbem
Triptolemo, partimque rudi data femina juffit
Spargere humo, partim poft tempora longa recultæ.

Et Sidonius Apollinaris:

Non cum Triptolemo verendam Eleufin,
Qui primas populis dedere ariftas.

Qui Catalogum autorum idem defendentium legere cupit, adeat Heringium qu. 2. num. 63. pag. 52. in iis allegandis admodum liberalem. Ut fabulis fua conftet integritas, addi merentur *Pilumnus*, *Myles*, & *Mylantii Dii*, idem cum prioribus fatum experti. Et *Pilumnum* quidem, *Picumni* fratrem, Jovis filium, Dauni patrem, Turni proavum, Rutulorum, prifcæ in Italia gentis Deum, tun-

tundendi pistillis sive pinsendi frumenti artem invenisse, fratrem vero *Picumnum* stercorandorum agrorum usum excogitasse, & proinde *Stercuti* sive *Sterquilini* (*a*) nomine, appellatum fingunt. Id ipsum Pistoribus *Pilumni* religiose colendi occasionem suppeditavit. (*b*) Servius in Virg. Æn. IX. 4. *Pilumnus & Picumnus fratres fuerunt, & dii horum*, (Rutulorum.) Picumnus *usum invenit agrorum stercorandorum: unde &* Sterquilinius *dictus est*. Pilumnus *vero* Pilendi, *seu* Pinsendi *frumenti, unde a Pistoribus colitur, & ab ipso* Pilum *dictum est*. Et Æn. X. 76. Pilumnus *idem* Stercutius: *qui propter* Pilum *inventum, quo fruges confici solent, ita appellatus est*. Item Plinius XVII. 9. pag. 762. *Augeas Rex agros lætificare in Græcia excogitasse traditur: divulgasse vero Hercules in Italia: quæ regi suo* Stercutio, *Fauni filio, ob hoc inventum immortalitatem tribuit*. conf. Polyd. Vergilius de Rer. Inventor. lib. 3. cap. 2. p. m. 158. Rosinus lib. II. cap. 20. p. m. 181. Pitiscus tom. II. f. 425. 432. Frid. Hildebrand Antiqq. pag. 353. Hederich Schul-Lexic. pag. 2240. Schottgenius Lex. Antiqq. pag. 919. Addi potest Martianus Capella lib. 2. de nupt. Philol. pag. 39. unde Heringius qu. 4. num 10. pag. 69. hæc adducit: *Comminuendæ frugis farrisque fragmenta* Pilumno *signat Italia*; simul observans, Alex. ab Alexandr. *Pilumnos* dictos putare illos, qui *pilum* conterendo frumento idoneum sunt commenti; veluti & Plinus

XVIII.

(*a*) Quidam Saturno tribuunt, quod ipse primum stercore fœcunditatem agris comparaverit. Unde eidem *Sterculii* nomen adhæsit. vid. Macrobius *lib.* I. *Saturn. cap.* 7. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 20. *p. m.* 182. Eodem *Sterculii* sive *Stercorei* Dei nomine, licet alio sensu, vocatur בעל זבוב Accaronitarum Numen Ahaziæ Regi satis venerabile, 2. *Reg.* I. 2. 3. 6. quod a *Muscis* appellatur, quia forte *Muscas* abigere crederetur vel quod Diabolus *Muscæ* imagine se repræsentans coleretur. Ejusdem idoli in N. T. mentio fit *Matth.* XII. 24. *Marc.* III. 22. *Luc.* XI. *vers.* 15. ubi vocem *Beelzebub* relinent Syrus, Persa, Italus, Anglus, Danus, Lutherus; imo Ebraica, quæ circumfertur versio בעל זבוב habet licet pleraque & optima Græcorum exemplaria Βεελζεβούλ legant; quibuscum consentit vetustissima Arabica tam ex Erpenii quam Abylorum editione, ubi habetur בעל׳ זבול׳ (ipsas enim Arabum hic appingere literas Typographi vetat inopia.) Nec aliter exprimunt versiones Ægyptiaca, Æthiopica, Hispanica & Polonica, in qua *Beelzebuk* est. Eadem vox in Origenis, Athanasii, Cyrilli, Chrysostomi & plerisque veterum Commentariis reperitur. Hinc & Prudentius περὶ στεφάνων hymn. V. Vincectio Martyri:

> *Sed* Belzebulis *callida*
> *Commenta Christus destruit*.

Significatur autem nomine *Beelzebul* Jupiter, Belus, sive *Dominus Stercoreus* aut *Stercoris*. Nec ullum dubium est, quin vocabulum hoc in contumeliam idololatrarum fuerit inventum. Quod præter cæteros observavit David Martin ad *Matth.* XII. 24. in margine addens: *Ce mot veut dire, un dieu de fiente, & il ya apparence que les Juifs avoient fait par derision du nom de Beelzebub, celui de Beelzebul*. Spectat huc, quod eruditi annotarunt, Judæorum Sapientes hujusmodi appellationes in fictorum Numinum ignominiam fieri solenniter præcepisse. Eodem vergit, quod Abraham Ben-Kattun de *Stercoreis* habet, *Exod.* XXIII. 3. ita explicans: *Non sines apud te habitare, qui colunt Deos peregrinos vel* Stercoreos; ubi *Stercorei* opprobrii loco dicuntur. Hoc nec ab ipsius Spiritus S. stylo abhorret, quo ab adjuncta vanitate & turpitudine omnia idola Hebraice אלילים per paronomasiam vocantur גלילים *nihilum, stercora*. Equidem de Græcis constat, quod *Jovem* quasi *Stercoreum* seu fimo delibutum vocarint, uti patet ex illu Orphei carmine:

> Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλυμένε κόπρῳ.

Videtur tamen εἰλυμένος κόπρῳ non magis ad *Jovem Stercoreum* ibi attinere, quam illud Virgilii:

> -- *Totamque infusa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet*;

cum ad illud Orphei intelligendum interpres sit & paraphrastes Virgilius, & ab utroque arcana Naturæ duntaxat doceantur, & Deus velut *Involutus* existimetur. Plura *vid. ap. Jo.* Seldenum de DIs Syris *Synt.* II. *cap.* 6. *pag. m.* 304. *seqq.* & *Andr.* Beyerum Additam. Ad *h. l. p.* 292. *seqq.*

De בעל זבוב ex instituto egit *Brandan. Henr.* Gebhardus *Dissert. Philol.* de Beelzebub, *hab.* 1702. & *recus.* Gryphisvval. 1719.

(*b*) Notari tamen hic meretur, quod *Pilumnum* cum fratre *Picumno* auspiciis conjugalibus, ac puerorum tutelæ præesse, veteres crediderint. Quare & illis lectus in ædibus sternebatur. Hinc Varro de *vit. pop. Rom. lib.* 2. *ap.* Nonium Marcellum XII. 36. *Natus si erat vitalis, sublatus ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse: ac diis conjugalibus*, Pilumno & Picumno, *in ædibus lectus sternebotur*. Et Servius *Æn.* X. 76. *Varro* Pilumnum & Picumnum *infantium deos esse ait: eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur, an vitalis sit, qui natus est. Piso* Pilumnum *dictum, quia pellat mala infantiæ*. Imo addendum huic, quod idem *Pilumnus* puerperæ adversus Sylvanum custos adhibitus fuerit, cum *Intercidona* & *Deverra*. Quod ex eodem Varrone observat Augustinus ee *Civ.* Dei *lib. cap.* 9. *Mulieri fœtæ post partum tres deos custodes commemorat adhiberi, ne Sylvanus Deus per noctem ingrediatur & vexet: eorumque custodum significandorum tres homines nocte circumire limina domus, & primo limen securi ferire, postea* Pilo, *tertio deverrere scopis: ut his datis culturæ signis deus Sylvanus prohibeatur intrare; quia*, addit, *neque arbores cæduntur, atque putantur sine ferro, noque far conficitur sine* Pilo: *neque fruges coacervantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos Deos: Intercidonam a securis intercisione*, Pilumnum *a* Pilo, *Deverram a scopis, quibus Diis custodibus, contra vim Dei Sylvani, fæta conservatur, vid.* Rosinus *l. c. pag.* 181. & *lib.* II. *cap.* 19. *pag.* 173. Pitiscus *Tom.* II. f. 432. Cæterum eruditi annotarunt, *Pilumnum* eundem esse cum *Romulo Quirino*; idque colligunt ex Saliorum carminibus, quibus *Pilumni populi* appellantur *Romani*, non quod *pilis* uti assueti, ceu Festus perhibet; sic enim omnes *Pilani Pilumni* dicendi essent; nec quia præcipue *pellant* hostes, quoniam hoc modo *Pellumni* debebant nuncupari; sed tanquam nepotes Romuli. *Nam* Pilumnoe *ibi secundus casus est, numeri singularis, non primus pluralis. Est idem cum* Romulo Quirino. *Ut enim Sabini suæ lingua a* Quiri Quirinum: *ita Salii obscuritatis studiosissimi, vocumque ignotarum usurpatores, & formatores Latine a* Pilo Pilumnum *indigitabant. Conjugii curam sustinere est creditus, quia civibus suis ad stabiliendum novum regnum, genusque propagandum, Sabinas uxores nobilissima illa rapina dederit*; uti verba habent apud Pitiscum l. c.

xviii. 3. pag. 809. *Pilumnum* vocat, *qui* Pilum *piſtrinis invenerat*. Narrat Alex. Sardenſis lib. 2. de rer. invent. pag. 52. quod *pinſere* frumentum docuerit *Pilumnus*, Jovis filius, Deus piſtorum; *molere* vero ac *molas* ipſas monſtrarint *Miles* in Laconiæ vico Aleſia, vel certe *Mylantii Dii* apud Rhodios. Eandem inventionem *Milanti* cuidam adſignat Stephanus lib. de urb. in voce μιλαντία c. Dempſterus ad Roſin. lib. 1. cap. 14. pag. 65. Pitiſcus tom. ii. f. 216. a. Treunerus cap. iii. §. iv. pag. 16. *Myletam* certe, quem *Lelegis* filium fuiſſe perhibent, in Aleſia vico molam primum reperiſſe, & ejus uſum in molendis frugibus docuiſſe, indeque dictum vicum eum *Aleſiam*, quaſi *piſtrinam*, aut *piſtorium*, memorat Pauſanias in Laconicis cap. 20. his verbis: ϰ̀ ἀπ' αὐτȣ̃ προελθόντι, ὡς ἐπὶ τὸ Ταΰγετον ὀνομάζȣσιν Ἀλεσίας χωρίον, Μύλητα τὸν Λέλεγος πρῶτον ἀνθρώπων μύλην τε εὑρεῖν λέγοντες, ϰ̀ ἐν ταῖς Ἀλεσίαις ταύταις ἀλέσαι. conf. Jacob. Dalechampius ad Plin. lib. 7. cap. 56. n. d. p. m. 342. Miſander Delic. Bibl. V. T. An. 1695. quæſt. 194. p. m. 697. Hoepfnerus Græc. Antiq. lib. 4. cap. 12. pag. 465. Treunerus cit, loc. §. v. pag. 17. qui eadem adducit, addit, Juſtinum lib. 2. cap. 6. molarum inventarum gloriam Athenienſibus vindicare, ſicque a Pauſania diſſentire. Quod ego aſſertum valde miror, cum Juſtinus ſaltem narret, quod *arare & ſerere frumenta glandem veſcentibus monſtrarint* Athenienſes, de molis vero nihil habeat. Fruſtra etiam ad Ciceronem provocatur in Oratione pro Flacco, cum nec hic molarum injiciat mentionem. Sic enim verba Opp. tom. ii. pag. 510. *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ atque in omnes terras diſtributæ putantur*. Qua fide Arnobius ſit adductus, in medio relinquo, cum locum, qui falſo citatur, invenire non potuerim. Quod ſi, ceu ſuſpicor, indigitetur lib. v. adv. gentes, utpote in quo multa de Athenienſibus occurrunt, rurſus autoritate carebit Treunerus, cum nec ibidem de molarum inventione Athenienſibus aſſignanda quidquam deprehenderim.

V. Cum hactenus enarrata nihil, quo veritas certo nitatur, tradant, cumque ea, quæ de Oſyride, Dagone, Cerere, Triptolemo, Pilumn, Mylete & Diis Mylantiis attulimus, Poetarum ingenio ad fingendum nato debeantur, reliqua nero hiſtoricorum fide dignorum autoritate deſtituantur; hinc altius paulo *Piſtrinorum* origo repetenda. Quamvis autem in eo reprehendendi adeo non ſint gentiles, quod molarum beneficium Numinis liberalitati acceptum referant, (niſi quod honorem vero Deo debitum fictis tribuant idolis) cum Chriſtianorum ſacris imbuti generale Euſebii de præp. Evangel. lib. 13. cap. 7. aſſertum approbent, Dei verbum artes hominibus ſuggeſſiſſe & immiſiſſe, nec illos eas inveniſſe, pronunciantis, nullique dubitent cum Julio Firmico de error. profan. relig. pag. 8. exclamare: *Ad ſuſtentationem generis humani hæc omnia divina ſummi Dei Liberalitate donata ſunt;* attamen exiſtimandum non eſt, aut molas peculiari Numinis revelatione hominibus innotuiſſe, qua ratione olim Bezaleelem aliosque artifices Spiritus Dei ſapientia ad ſanctuarium perficiendum neceſſaria inſtruxit. *Exod.* xxxi. 3. 6. aut Deum tanquam artium Magiſtrum harum rudes homines ad diſcendi conſortium evocaſſe, præeuntemque exemplo, viva quadam manuductione aratri piſtillique tractandi modum monſtraſſe; cum illius nullibi in S. Codice appareat veſtigium, hoc vero a veri Numinis eminentia quam longiſſime remotum ſuis Dea diis uſque inepte affingant pagani: ſed ita potius ſentiendum veritatis luce illuſtratis, ſagacitatem, quam Deus homini natura indidit, naturali neceſſitate adjutam indies vias aperuſſe mortalibus, quibus ad victum amictumque neceſſarias artes addiſcerent, vitæque incommoda commodiori ciborum parandorum ratione emollirent.

VI. Id vero ut confidentius aſſeramus, ad ipſa naſcentis mundi primordia retrogredi juvat. Removenda tamen prius e medio ſunt Iſaaci Peirerii ſomnia, qui *Piſtrinorum* originem a *Præadamitis* derivare contendit; idque inter alia ex eo demonſtrare enititur, quod vel Adamo vel Caino impoſſibile fuiſſet eandem in *Piſtrino* ſuſcipere operam, ad quam magnus ſervorum numerus requiſitus fuerit, niſi iidem ſervorum ante ipſos ſuperſtitum adjutrices experti fuerint manus. Verba uti occurrunt *ap. Joh. Conr.* Dannhawerum Præadam. Ut *pag. m.* 120. *ſeqq.* ſic fluunt: *Si Cainus ex farre, quod meſſuerat, panem, ut credibile eſt, confecit, ſibi ſolus ergo cavavit lapidicinas Cainus, unde* Molas *erueret: vel ſi tunc temporis nullus erat* Molendinorum *uſus, eo deductus fuit, ubi flent nequam homines, qui polentam pinſitant, & ſibi* Piſtrinum *conſtruxit, ubi panes torreret: Fuit ergo Cainus ſolus arator, meſſor &* Piſtor. *Eas ergo Cainus artes ſolus exercuit, ad quas innumeri pene & ſervi & artifices requier-*

vehantur: quæ nonnisi longa meditatione & longissimo usu reperiri potuerunt. Parva illa sunt. Nobilissimus omnium hominum, qui referebat Deum avum, & terram aviam, deputatus fuit adferrarias & lapidicinas, vel in Pistrinum *ad tundendas segetes; quo damnati ad metalla, vel servi pœnæ deportabantur.* Nolo in his refutandis operam perdere, cum ea, quæ solide & docte opposuit Dannhawerus, sufficiant; quæ propterea & hic insero: *Ergone tibi*, ait pag. 121. eadem *molitorum & pistorum sors cum hominibus nequam ad metalla damnatis & servis pœnæ? Cave tibi, ne horum tribui aliqua fortuna immixtus, pugnos pro farina referas, pro panibus lapides. Cujus nobilissimi licet manus non dedecet aratrum, qui dedeceat molendinum? cujus conficiendi Quirites ingenuos, etiam Imperatores non puduit. Ecquo jure Cain nobilissimus potuisset in sui servitio ad mancipatum ac* Pistrinum *cogere Præadamitas æque nobiles ortu, qui ex uno sanguine æque Domini, ac Dominatui terræ bestiarumque initiati?*

VII. Nobis, qui Præadamitas nullos agnoscimus, in *Adamo* hominum primo paulo subsistendum, ejusque vita, prouti a Mose, quo Scriptores nullus antiquior, nobis consignata fuit, paulo limatius examinanda videtur. Prævio hoc autore, primorum hominum studia in naturalissimis, ut ita dicam, artibus, agrorum nempe hortorumque cultura fuisse collocata, extra omnem dubitationis aleam positum est. Præfecit enim Deus Adamum adhuc integrum, simulac creatus esset, horto Edenis לעבדה לשמרה *ut coleret eum, & conservaret, Gen.* II. 15. qui labor si prima integritas non fuisset ablata, magis voluptatem quam tædium creasse censendus est. Interveniente autem Protoplastorum peccato, idem labor hominibus pœnæ onerisque loco injunctus fuit, adeo ut cum dolore agrum colere juberetur Adam, *Gen.* III. 17. proptereaque a Deo de paradiso emitteretur לעבר את־האדמה ἐργάζεσθαι τὴν γῆν, *ut terram operaretur*, ejusque cultura vitam protraheret. *Gen.* III. 23. Ejus insistens vestigiis primogenitus Cain eodem usus fuit vitæ genere, dictus propterea, in S. literis עבר אדמה ἐργαζόμενος τὴν γῆν, *agricola*, *Gen.* IV. 2. utpote qui

> —— ἐείβωλον ὑμέσχισε τέλσον ἀρότρῳ
> Καὶ σπορὸν ἐκπροϊέμενος ἠ μήσατο καρπούς.

> —— *fœcunda rudi sulcavit aratro*
> *Jugera, & insperso retulit de semine messes.*

Conf. Casp. Waserus de Antiq. Mensur. lib. 3. cap. 1. §. 1. p. m. 98. Perditis per diluvium orbis incolis, solus cum suis Noah superstes primus artem arandi serendique excoluit, *Genes.* VIII. 21. 22. IX. 20. Succedentique tempore Isaac in terra Philistinorum apud Abimelechum Regem in Gerar sevit, ac uno anno centuplum invenit. *Gen.* XXVI. 12. Quæ exempla una cum cæteris, quæ non attingo, satis aperte monstrant, artem hanc non nudius tertius inventam, nec a Cerere vel Saturno quopiam repetendam, a condito statim orbe, obtinuisse, imo quod ab Hebræis gente antiquissima, arandi rationem mutuo acceperint reliquæ nationes haud absque veritatis suffragio existimari.

VIII. Cum vero parum profuissent segetes primis hominibus, nisi frumenta ex terris bene cultis enata ad famem mitigandam victumque præparassent, indeque quodam artificio licet simplicissimo panem esui aptum confecissent, nullum inde dubium est, quin & panis usus ad mundi exordia sit referendus, inprimis cum expressa ejus statim post Adami lapsum fiat mentio, quando miser homo in sudore vultus sui לחם *panem* comedere jubetur. *Genes.* III. 19. Quemadmodum igitur panis ex farina confectus molitorum ope indiget, sine qua quippe frumentorum vix ullus futurus usus esset, utcunque alias frumentariis, uti Plautus in Pseudolo ait, *cunctis montes maximi acervi frumenti sint domi*: ita multorum ex Rabbinis consentiunt suffragia, inventam molendi artem primo hominum *Adamo* esse vindicandam. Dum enim in Beresch. Rabba *Sect.* XXIV. asseritur: *Omnis generis opificia ad quotidianum humani generis opificia ad quotidianum humani generis usum necessaria primus homo calluit atque docuit, sicut dicitur* Es. XXIV. 11. *omnes opifices ab Adamo;* neutiquam molendi opificium excludi putandum est. Eodem sensu capienda, quæ occurrunt in Schalscheleth Hakkabbala ab initio: *Non est dubium, quin primus homo, utpote divinarum manuum opus, doctissimus fuerit, non tantum in naturalibus, sed etiam divinis scientiis.* Apertius Aben-Esra ad *Gen.* III. scribit: *Necessitas eum coegit, ut araret, seminaret, Moleret, & panes coqueret.* v. Treunerus §. VI. pag. 17. seq. Eidem sententiæ accedit Mirus Frag. von künst. der Ebr. Mech. Art. Tr. II. P. II. cap. 5. pag. 615. haud dubitanter molarum autorem *Adamum* appellans, utpote qui alioquin ex farina panem conficere non potuisset. Spectat & huc, quod Salianus putat ap. Dannh. Pr. Ut. p. 125. „ Ne-

„ que

„ que Adam ſcientiam rerum ſibi a Deo
„ ſingulariter datam peccando amiſerat,
„ non magis quam nos. Factus quippe
„ eſt per peccatum quaſi unus ex no-
„ bis, quibus ſcientiam peccata non tol.
„ lunt. Quis autem dubitet in latiſſimæ
„ illa rerum cognitarum ſylva primo ho-
„ mini, poſterorum ſuorum magiſtro,
„ divinitus patefacta, & agriculturam,
„ & mechanicen, ſaltem pleraſque con-
„ tentas fuiſſe?

IX. Quamvis vero hæc magna probabilitatis ſpecie ſe commendent, nec omnia adeo, quæ afferuntur, veritatis ſuffragio deſtituantur; quamvis etiam hic largiri vellem, (de quo vero non levis dubitandi ratio eſt,) eximiam fuiſſe & poſt lapſum in Phyſicis Adami ſcientiam: nondum tamen evictum probatumque ſatis videtur, ipſum Mechanicas quoque ejuſdemque monetæ alias artes calluiſſe, cum vel ex ipſo appareat S. Codice, ignoraſſe eum multa, quæ ſuccedenti demum excogitata fuere tempore. Muſica certe, quam Jubal Lamechi filius adinvenit, *Geneſ.* IV. 21. æris & ferri uſus, quem Thubal-Kainus primus edocuit, *Geneſ.* IV. 22. aliaque quæ poſteris demum innotuerint, nullo modo autorem agnoſcunt Adamum. Hinc ſicuti Joſephus *lib.* I. *antiq. Jud. cap.* 4. ubi inventionem menſurarum ac ponderum, Muſices, artis ferrariæ ac rerum cœleſtium attingit, nullam inventionis molarum mentionem injicit: ita licet Adamo de agri colendi ratione conſtiterit, molituram tamen cum frumentorum inventione ipſoque cum homine cœpiſſe, nondum inde manifeſtum eſt. Confirmat ſententiam locus Arnobii lib. 2. adv. gentes p. m. 70.
„ Veſtem, *inquientis*, illa (*animantia*)
„ non norunt, ſellas, naves, atque ara-
„ tra compingere; nec denique ſuppel-
„ lectilem cæteram, quam familiaris uſus
„ expoſcit. Non ſunt iſta ſcientiæ mu-
„ nera, ſed pauperrimæ neceſſitatis in-
„ venta. Neque cum animis artes cœli
„ expenetralibus ceciderunt, ſed exquiſi-
„ tæ & natæ ſunt in terris hic omnes,
„ & cum proceſſu temporum paulatim
„ meditatione conflatæ. Quodſi habe-
„ rent ſcientias animæ, quas genus &
„ habere divinum atque immortale con-
„ dignum eſt, ab initio homines cun-
„ cti omnia ſcirent, nec ſeculum eſ-
„ ſet ullum, quod artis eſſet ignarum
„ alicujus, aut rerum experientia non
„ paratum. Nunc vero inops vita,
„ & multarum indigens rerum, for-
„ tuita conſpiciens quadam commodu-
„ le provenire, dum imitatur, expe-
„ ritur, & tentat, dum labitur, re-
„ format, immutat ex aſſidua reprehen-
„ ſione, parvas & concinnavit ſcientiolas
„ artium, & ad unum temporibus plu-
„ rimis coemendata perduxit. *Et p.* 116.
„ Quid eſt in negotiis hominum, quod
„ vel opere corporis & manibus fiat,
„ vel ſolius animi diſciplina & cognitio-
„ ne teneatur, quod non ex aliquo cœpe-
„ rit tempore, & in uſum exierit expe-
„ rientiamque mortalium? Philoſophia,
„ Muſica, cæteræque omnes artes, qui-
„ bus vita eſt exſtructa & expolita com-
„ munis, cum hominibus natæ ſunt? &
„ non potius nuper, quinimo pæne pau-
„ lo ante, agitari, intelligi celebrarique
„ cœperunt?

X. Placet itaque præ cæteris Treuneri conjectura §. VI. pag. 18. „ Quo minus,
„ *inquientis*, Adamum oceanum artium,
„ earum etiam, quæ commoditati vitæ
„ ſerviunt, dicamus, obſtare videtur,
„ quod in Sudore vultus ſui panem co-
„ medere jubetur. Minus enim laborio-
„ ſa & tædioſa ipſi extitiſſet vita, ſi a
„ lapſu omnes artes, eas quoque, quæ
„ jucunditati vitæ proſpiciunt, calluiſ-
„ ſet. Quin ſicut probabile eſt, Ada-
„ mum manu potius ſua, quam bobus
„ rura exercuiſſe; ita veroſimile eſt, re-
„ liquas etiam machinas laborem facili-
„ tantes, inque his *Molas* ipſum igno-
„ raſſe. “ Quamvis enim & aliæ cauſæ ſuppetant, quæ ſudorem elicere, & Adami vitam oneroſam reddere poterant; peræque uti hodienum recte dicuntur homines, quippe ad quos pariter comminatio illa ſpectat, in ſudore vultus ſui panem comedere, licet molarum aliarumque artium, vitæ commoditati inſervientium, uſu non deſtituantur: attamen non improbabile prorſus videtur, pleraſque vitæ Adami moleſtias inprimis ex illa artium carentia eſſe derivandas. Conveniens enim erat divinæ juſtitiæ, eum, qui paulo ante, integer vitæ ſceleriſque purus, omnium rerum affluentia gaudebat, hac vero ſe ſua culpa indignum reddiderat, mutata ſcena, pœnam facinoris, inſecuta rerum inopia, primum luere, ut nempe peccati, in quod prolapſus erat, ſentiret gravitatem, conferenſque priſcæ felicitatis gloriam cum præſentis vitæ infelicitate, majorem pœnitendi anſam impetraret. Nobis vero qui in eodem cum Adamo & peccati & pœnæ conſortio vivimus, quamvis divina bonitas quaſdam vitæ commodioris prærogativas indulſerit, non deſunt tamen ingrata veſtigia, quæ nobis noſtra piacula in Protoplaſtis commiſſa, in memoriam revocant, ſudorique in miſera, quam degimus, vita eliciendo ſufficiunt.

Et quo jure tandem Adamo plus tribuendum quam cæteris hominibus existimaremus, quem per æque ut nos imagine divina privatum fuisse novimus. Saltem nullos hodienum invenies, quos omnium artium exacta pollere scientia jure dixeris, cum humani ingenii vis eo pertingere nequeat. Aut ergo divinum Adamo ingenium, & supra captum mortalium elevatum, sed nullo jure, vindicabis, aut quendam artium defectum in Protoplastorum ætate agnoscere ac profiteri cogeris. Quodsi fingas, Deum docuisse, quæ ignorabat Adamus, reddas quæso asserti rationem. Certe, ni fallor, nullibi sistit Scriptura S. Deum artis molitoriæ Professorem.

XI. Unicum adversari nobis videtur, quod ipsi supra concessimus, in ipsis mundi primordiis panis usum obtinuisse, qui cum ex farina conficiatur, citra molarum opem, qua ex frumentis farina fit, parari vix potuit. At vero hæc ipsa dubitandi ratio conjecturæ viam sternit, qua suspicamur, Adamo non equidem molas, at quendam tamen conficiendæ farinæ modum innotuisse. Scilicet uti ex Xenophontis mente πενία est σοφία αὐτοδίδακτος, rerumque necessitas subinde nova præcepta, novamque peritiam ad vitæ sustentationem adinvenit & subministrat: ita cum Adamo onerosa laboriosaque victum quæritandi ratio pœnæ instar injungeretur, nullum dubium est, quin necessitate coactus totus eo annisus fuerit, ut identidem media excogitaret, quibus gravissimus labor in excolenda terra, panibus coquendis, reliquoque parando victu insumendus, allevaretur. Id vero & in farina conspicuum est, cujus conficiendæ rationem uti initio simplicissimam fuisse, ita succedenti ætate magis exornari, artisque ad formam redigi cœpisse, haud temere existimatur. Modus autem cum simplicissimus is sit, si frumenta in *Pilis* ope *pistillorum* contundantur franganturque, hunc ipsum ab Adamo, machinarum grandiorum majoris commoditatis ergo crescente & hominum numero & experientia ad inventarum ignaro, fuisse adhibitum, & exinde *pistrinorum*, quæ ab hac simplici frumenta *pinsendi* ratione nomen indepta sunt, repetendam originem esse, vix dubito. Id pensitans Alexander ab Alexandro Genial. Dier. *lib.* 3. *cap.* XI. convenienter, *Cum veteribus*, ait, *molarum usus nullus foret*, *fruges igne tostas in* Pilas *conjectas* Pinsere *coacti sunt*; *id enim molarum instar erat*. Cui confirmando pondus addit Treuneri argumentum §. VII. pag. 18. *Certe si molæ statim repertæ fuissent*, Pistrina *vel non innotuissent*, *vel saltem non obtinuissent*, *juxta vulgatum verbum: Desiderium boni minoris cessat obtento bono majori*. Verum enim est Arnobii adv. gentes *lib.* 2. *p.m.* 114. dicterium: *Commune est omnibus*, & *ab ipsis pene incunabulis traditum*, *bona malis anteferre*, *inutilibus utilia praeponere*, & *quod constiterit esse pretiosius*, *lætius id consectari* & *petere*, *in eoque defigere spem salutis*, & *salutarium commodorum*, c. Hering. quæst. 2. num. 16. pag. 39. Observ. Misc. Lips. 1715. part. 29. pag. 356.

XII. Hæc *pilis* facta frumenti contusio, quam primævos adhibuisse, probabiliter asserimus, cum, utpote laboriosissima non tantum magno haud dubie fuerit oneri, sed & multum exegerit temporis in farina victui necessaria conficienda collocandi, prætereaque flori farinæ eliciendo minus apta deprehensa fuerit, ea aliquantum usurpata, commoditati velificantes homines aliam excogitasse commodiorem molendi rationem, qua, licet & manuum ope, faciliori tamen magisque idonea opera, lapidi imposito lapide frumenta horum medio indita tererent, haud inepte, existimatur. Certe vel ipsa oris masticatio hanc frumentorum contusionem & molituram docere potuit, quod haud absurde Seneca exposuit *epist.* 90. quocum tamen rem veluti certam & extra omnem dubitandi aleam positam tradere nollem. *Receptas*, inquit, *in os fruges*, *concurrens inter se duritia dentium frangit*, & *quicquid excidit ad eosdem dentes*, *lingua refertur*: *tunc vero salivæ miscetur*, *ut facilius per fauces lubricas transeat*. *Cum pervenit in ventrem*, *aqualiculi fervore concoquitur*, *tunc demum corpori accedit*. *Hoc aliquis secutus exemplar lapidem asperum aspero imposuit*, *ad similitudinem dentium*, *quorum pars immobilis motum alterius exspectat*; *deinde utriusque attritu grana franguntur*, & *sæpius regeruntur*, *donec ad minutias frequenter trita redigantur*. *Tunc farinam aqua sparsit*, & *assidua tractatione perdomuit*, *finxitque panem*, *quem primo cinis calidus* & *fervens testa percoxit*, *deinde furni paulatim reperti* & *alia genera*, *quorum fervor serviret arbitrio*. Quamvis vero de his adeo solicitus non sim, haud tamen improbabile videtur, ejusmodi molendi rationem veteribus debere natales, utpote ad ejus usum necessitate quadam, aliusque molendi generis ignorantia quasi compulsis.

XIII. Hac vero iterum nimis visa molesta, tandem & jumenta ad molendi usum adhibere cœpisse veteres, sicque inter molas trusatiles & versatiles, jumenta-

tariaſque ſive aſinarias feciſſe diſcrimen, ſuccedentique demum ætate aquarias aliaſque & hodie uſitatas molas adinveniſſe, conjectura facile aſſequimur. Quam ſeriem Lambert. Hortenſius in *explan. Virg. lib.* I. *Æn. verſ.* 184. ita ſuccincte recenſuit: *Servius tradit, apud priſcos nullum molarum uſum fuiſſe; ſed fruges torruiſſe, tantum, ac deinde in* Pila *conjectas* Pinſuiſſe, *id quod molendi genus erat; cum moli dicantur frumenta, quocunque etiam inſtrumento frangantur, ſive id ſaxis fiat, ſive in pilo, ſive dentibus, unde molares dicti. Poſtea inventæ fuere molæ* Aſinariæ, Truſatiles, *quæ ventis, quæque aquarum vi agerentur*. Et prolixius paulo idem exequitur Franciſcus Balduinus, in ſcholiis ad leges Ruſticas Imp. Juſtin. tit. 10. ſcribens: *Quam ſit ad humani convictus rationem neceſſaria molendi ratio, nemo eſt, qui ignoret. Veteres ante molarum uſum fruges torrebant, & deinde in* Pilis *pinſebant. Unde illud Virgilianum: Et torrere parant flammis & frangere ſaxo. Poſtea molæ inventæ ſunt, cujus plures ſpecies feruntur. Erant enim* Aſinariæ, *unde aſina molendinaria apud noſtrum Paulum: item* Truſatiles, Manuariæ *ſive* χειρομύλοι. *Poſtea tandem repertæ ſunt* Aquariæ, *quas proprie Moletrinas appellari poſſe, colligit ex Nonia Budæus. Item aliæ, quæ ventis impellerentur. Omnium autem molarum, quibus quid conteritur, duæ potiſſimum partes commemorantur ab eodem noſtro Paulo; videlicet Catilus, ſuperius ſaxum; & inferius, Meta, quam Græci vocare videntur* ὄνον. *Apud Matthæum dicitur* μύλος ὀνικός. *Moſes dum has duas partes vetat oppignorari, appellat Rachaim & Raceb. Septuaginta verterunt* μύλον καὶ ἐπιμύλιον. *Sed ut ad rem redeam, Juſtinianus hic potiſſimum agit de duabus molis, quæ maxime in uſu ſunt, quæ videlicet aquis aut ventis impelluntur.*

XIV. Uti vero hanc molarum genealogiam, tanquam ex tripode repetitam, nemini obtrudere auſim, nullus tamen firmis ſuffultus argumentis affirmare conabitur, molas v. c. aquarias ante jumentarias, jumentarias ante manuarias, (quas ſpeciatim in Cappadocia inventas primum nonnulli perhibent) innotuiſſe, licet ſingularum inventionis tempus exacte derminare non ſit integrum, v. Hering. quæſt. 5. num. 28. pag. 109. ſeq. Miſander Del. Bibl. V. T. 1695. quæſt. 194. pag. 697. ſeqq. Obſerv. Miſcellan. Lipſ. 1715. pag. 29. pag. 357. Hopfner. Græc. Antiq. lib. 4. cap. 10. pag. 454. Schottgen. Lex. Antiq. pag. 802. Mirus Fr. von Künſt. quæſt. 111. pag. 617. Horum quicquid tandem ſit, molarum manuariarum & *piſtrinorum* Hebræis antiquiſſimis deberi inventionem, eamque ante deductam in Ægyptum gentem jam Melchiſedeci, Abrahami, & Lothi ætate innotuiſſe, dubio videtur carere; ut adeo vix reprehendenda ſit Polyd. Vergilii de rer. Invent. lib. 3. cap. 2. p. m. 160. conjectura, *Cum Hebræi*, inquientis, *primi omnium terram coluerint, citra omnem controverſiam credibile eſt, ab eis tum agrorum culturam, tum fruges ac* Molendi *uſum ad poſteros manaſſe*. Certe Melchiſedecum Moſes refert Gen. XIV. 18. Abrahamo e bello redeunti, ejuſque militibus panem obtuliſſe ac vinum, & Gen. XVIII. 6. ipſum Abrahamum Saræ imperaſſe, ut tres modios farinæ puriſſimæ aqua ſubigeret, placentaſque formaret, Voces קמח סלת quas Hieronymus per *farinam purgatiſſimam* explicat, LXX. Interpp. recte σεμιδάλεα h. e. *Similaginem*, florem farinæ triticeæ appellant. Accedunt loca Gen. XIX. 3. cap. XXI. 14. quorum in illo Lothus pinſuiſſe placentas infermentatas, in hoc vero Abrahamus ancillæ ſuæ ex ædibus ejectæ panes tradidiſſe, fortaſſis ex ſimilagine quoque confectos, commemorantur. Collatis his quatuor dictis apparet, tum temporis & panes & farinam eamque purgatiſſimam obtinuiſſe. Dic-ſodes unde farina iſta emerſerit, ſi Patriarchas molarum ignaros fingere velis. Cum ſolis piſtillis flos farinæ elici, frumentumque in tenuiſſimum pulverem redigi non potuerit, recte ſuppono, præter *piſtrina* proprie ſic dicta, tum temporis jam molas, ſi non alias, ſaltem verſatiles vel truſatiles fuiſſe uſurpatas, v. Hering. q. 2. num. 51. pag. 48. Treun. cap. 3. §. 8. pag. 19.

XV. Poſt tempora iſta frequentior fit in V. T. molarum mentio. Jam ætate exitus Iſraelitarum ex Ægypto Exod. XI. 5. memoratur ancilla אשר אחר הרחים *quæ poſt molam ſedebat*; (Chald. די בתר ריחיא *qui* eſt *poſt molam*, reſpectu ad filium ancillæ habito) ex quo loco patet, manuarias molas jam tum obtinuiſſe, ſiquidem ipſa vox רחים ſatis evincit, non *pilam* aut *piſtrinum* hic denotari, phraſiſque, *eſſe poſt molam*, inſuper monſtrat, molam jumentariam aut alatam deſignari non poſſe. Hac quippe loquendi ratione truſio molæ, quæ manibus fiebat, indigitatur. Dicitur enim ancilla אחר הרחים poſt molas, *nempe ad eas trudendas manibus & corpore toto, labore duriſſimo, ad quem ſervi & captivi adhibebantur*, ceu ex Kimchio Buxtorfius annotavit Lexic. Hebr. p. m. 734. Vel, uti Clericus ad h. l. pag. 54. commentatur: *Quæ eſt* אחר *poſt molas, quia, qui molam trudebant,*

poſt

post vectem , quo circumagebatur , erant , eumque ante se agebant . Notum est veteribus fuisse molas trusatiles , quibus servi nequam damnabantur , quasi durissimo servitutis generi . Hinc Esaias puellarum Babyloniarum , quæ pro deliciis , quibus erant adsuetæ , ærumnas molestissimæ servitutis passuræ erant , labores describens inter alia habet cap. XLVII. 2. *Puella Babylonia sume molas , & commolito farinam , &c.* v. Treun. pag. 19. seq. Confirmat pariter simila triticorum , *Exod.* XXIX. 2. memorata receptum tum temporis molarum usum , utpote sine quo confici illa haud potuisset. Memorabilis præ cæteris locus est *num.* XI. 8. siquidem ibi populus in deserto constitutus diserte & molas & pistrina adhibuisse refertur . Quidam enim Manna טחנו ברחים *moluerunt molis* haud dubie manuariis, quidam vero דכו במרכה *contuderunt in mortario* , h. e. pinsuerunt in pistrino . Ex quo patet, pistrinorum usum tum temporis adhuc viguisse . Ex *Deut.* XXIV. 6. clarissimum quoque depromi potest de antiquo molarum manuariarum usu testimonium . Prohibetur enim ibidem oppignoratio לא רחים ורכב μύλου καὶ τοῦ ἐπιμυλίου *metæ & catilli* , vel, uti Hieronymus vertit, superioris & inferioris molaris ; addita ratione , כי־נפש הוא חבל: quibus verbis, observante Treunero *cap.* 3. §. 8. *pag.* 20. mola dicitur *anima* hominis ideo, quia ad sustentationem vitæ maximopere necessaria erat , neque adeo oppignorabatur , nisi ubi nihil supererat amplius . Veluti eleganter Latini dicunt , *animam deberi* , quando nihil restat , quod nostrum sit , pignorisque loco dari queat . Eodem modo sensum expressit Josephus Antiqq. Judaic. lib. 4. cap. ult. *Mola vero & vasa ei congrua non sunt accipienda pro pignore , ne instrumentis necessariis ad ciborum alimenta priventur* . Verba Josephi sic fluunt : Μύλην δὲ καὶ τὰ περὶ ταύτην σκεύη , μὴ ἐξεῖναι λαμβάνειν ἐνέχυρον . ὅπως μὴ στέρωνται καὶ τῶν πρὸς τὰ σιτία ὀργάνων , μηδ' ὑπ' ἐνδείας πάθωσί τι τῶν χειρόνων , vid. etiam, quæ Hoheiselius Disp. cit. §. XXXVI. pag. 42. seq. hic annotavit . Duo potissimum ex hoc loco concludi possunt probabiliter : I. Tum temporis molendina publica nondum fuisse usitata , sed unumquemque Israelitarum habuisse molam manuariam ad vitæ suæ sustentationem necessariam , quam , si fuisset integrum, pignoris instar elocare potuisset . 2. Molas jumentarias & alatas tunc fuisse adhuc ignoratas , siquidem hæ si adfuissent, vix pignoris loco dari , insuperque molæ manuariæ non adeo necessariæ dici potuissent , ut hominum vitæ ex earum defectu periculum immineret. Alias enim jumentariis uti potuissent, manuariarum oppignoratarum loco . Cæterum licebit hic inserere , citra ullius tamen injuriam , verba Francisci Balduini (quæ mea non faciam) in Scholiis ad ll. rust. Justinian. Imp. tit. 10. excitata ab Heringio q. 2. num. 106. pag. 218. quibus occasione dicti Mosaici nostrorum temporum indolem luget: *Hodie vero* , inquiens , *vide , quo recesserit naturalis rerum libertas , & oppressis legibus naturæ , qua sit oppressa tyrannide infelix rusticorum conditio , cum nec in privato privatam aliquam vel manuariam molam , quæ nulli prorsus noceat , pauper rusticus habere possit . Et cum lex divina* Deut. 24. *tam liberum & communem velit esse molendi usum , ut nolit molas ullo pignoris nexu teneri , quia scil. inde pendeat humanæ vitæ ratio : Nos hodie , nescio quo tandem jure , eum redegimus ad superbum privati nescio cujus Domini nutum & quæstum . Invenit enim superiorum temporum barbaries novam quandam servitutis molendi speciem , qua villæ , pagi , municipia coguntur una mola (quam bannalem vocamus) uti arbitrio domini ejus loci , eique hoc nomine servire , ut si domi modicum farris molat miser rusticus , gravissima etiam mulcta , tantum scilicet scelus expiare debeat . Sed a Deo optandus est prudens aliquis & pius Princeps , qui Rempublicam ab hujusmodi multis servitutibus liberet .*

XVI. Temporis habita ratione merito huc quoque refertur illud Jobi XLI. 15. ubi memoratur פלח תחתית *fragmentum inferioris* , quod plerique interpretum de lapide molari inferiori accipiunt, qui Jobi tempore molas, quarum pars ille fuit, obtinuisse affatim declarat. v. Hering. quæst. 2. num. 56. pagin. 50. seq. qui præviis memoratis dictis haud temere tradit , molas tum temporis apud Hebræos tam frequenter obtinuisse, ut rem quampiam aliam . Quodsi Judicum Israeliticorum tempora perlustres, nec ibidem molarum vestigia deficient . Id enim , ni fallor, Simsonis exemplum , coram Philistæis molere coacti, Judic. XVI. 21. luculente confirmat. An vero inde indubitate probari queat , eo tempore præter manuarias molas nullas cognitas fuisse alias, ceu conjectat Treunerus pag. 21. nollem definire, utpote, locum hunc manuariarum molarum antiquitatem, & receptum tunc adhuc usum equidem probare, sed præter illas non alias fuisse vix docere, arbitratus; inprimis si de Romanorum consuetudine cogites , penes quos & manuarias & jumentarias aliasque molas simul obtinuisse, novimus . Quod ipsum

ſum & Judicum tempori potuit eſſe accommodatum. Quidni enim & illorum ætate loco jumentorum ſervi & captivi, quorum in numero captivus Simſon habebatur, quandoque ludibrii cauſa ad molas damnari potuiſſent? Idem judicandum puto de iis, quæ porro divinat Treunerus pag. 21. *Imo etiam*, inquiens, *ad tempora Jeſaiæ non molas jumentarias aut alatas, ſed ſolas manuarias truſatiles & verſatiles, non publicas ſed ſolas domeſticas certo demonſtrari poſſe addiſces, ſi loca* 2. Sam. XI. & Jeſa. XLVII. 2. *evolveris. Semper enim ibi portatilium molarum fit mentio, quæ vix aliæ quam manuariæ eſſe potuerunt*. Neque enim ex Scripturæ ſilentio ad rei ipſius negationem commode concluditur, locaque illa, nullas alias molarum ſpecies tum temporis fuiſſe uſitatas, neutiquam adſtruunt. Zephaniæ ætatem quod attinet, ex ipſius Prophetæ verbis c. l. 11. ſi Lutheri verſionem ſequi velimus: Heulet / die ihr in der Mühlen wohnet / *Plorate, quotquot in molendino eſtis*, equidem clariſſime patet, ea publicas molas haud ignoratas fuiſſe, cum, monente Treunero c. l. *non appareat, quomodo Deus hominibus in molendinis exiſtentibus fletum imperare potuerit, ſi molendina nondum data, vel privata tantum molendina fuiſſent*. At vero harum molarum primordia tempori iſti attribuenda eſſe, nec ante illud eas fuiſſe cognitas, vix quiſquam inde obtinebit. Nolo tamen in his judicis fungi officio, præſertim cum omnis, quæ ex h. l. deducitur, argumentandi vis fruſtranea videatur, ſi textum inſpiciamus authenticum, in quo ישבי המכתש *habitatores pilæ* commemorantur, de quorum ſignificatione maximopere certant interpretes, ceu infra cap. III. §. XI. pateſcet. Hic mihi ſufficiat in eo conſentiens Scriptura, quod omnium antiquiſſimæ manuariæ fuerint molæ, nempe poſt piſtrina verſatiles truſatileſque, poſtque eas demum ortæ ſint aliæ, quarum inventio cuinam temporis articulo præciſe tribuenda ſit, non conſtat. Saltem non nego, quod idem arguit Treunerus d. l. molas jumentarias & aſinarias ætate LXX. Interpp. jam datas fuiſſe, quamvis id ex voce μύλος ὀνικὸς, quam ad deſignandum molarem lapidem, den Mühlſtein adhibere ſolent, *Deut.* XXIV. 6. præciſe elici poſſe, vix concedendum ſit. Dum enim Treunerus contendit, nullam apparere cauſam, cur lapidem molarem ἀπὸ τȣ̃ ὄνȣ ab aſino dicerent, ſi ipſum tum temporis aſini & jumenta loco mancipiorum non verſarint; certe ipſum a veritatis tramite paululum aberrare, ex infra dicendis cap. III. §. XVI. XVII. ſatis liquet, ubi quæ vera ſit hujus denominationis, non tantum apud LXX. ſed & in N. T. ac in profanis Scriptoribus obviæ ratio, prolixius inveſtigabimus.

XVII. Cum vero, uti ex hactenus dictis patet, in antiquiſſima gente Hebræa tam clara molarum appareant veſtigia, haud difficile erit ad judicandum, quam infirmo nitantur talo, quæ de Cerere, Iſide, Mylantiis Diis aliiſque tanquam molarum inventoribus tradiderunt pagani, quorum commenta jam ſupra paulo prolixius commemoravimus. Nec indigent iſta ulteriori refutatione, cum partim Mythologicas conſtet eſſe fictiones, partim, ſi temporis habeatur ratio, antiquior molarum origo, quam quæ a Moſe recenſetur, allegari nequeat. Quodſi enim & concederemus, Cererem aut Iſidem cum Oſyride frumentorum molituram hominibus oſtendiſſe, inde tamen prima origo derivari non poterit, cum ex temporis computo illos Moſes multis ſeculis præcedat, qui ante illos artem hanc innotuiſſe ſatis teſtatur. Id quod perbene oſtendit Heringius quæſt. 2. n. 60. pag. 51. ſeq. Quocum pag. 52. & ulterius ſi largiamur, Cererem cum Triptolemo filio, in Attica & Sicilia, item Mylantios Deos apud Rhodios frumenta primos docuiſſe molere, (de cujus tamen certitudine multa dubitandi anſa foret, cum id & ipſi Autores non tanquam certum ſed relative ſaltem adducant) nondum tamen exinde colligi poteſt, apud alias gentes multo antiquiores (uti Hebræa eſt) tale quid non antea jam innotuiſſe, præſertim cum contrarium ex ſupra dictis ſatis evictum ſit.

XVIII. Iiſdem præſuppoſitis, Hebræis ab ultima fere ætate molendi artem fuiſſe cognitam, ſtatim apparet, quod neque Phryges, quos primos mortalium fuiſſe, nobis perſuadere conantur Apulejus, Herodotus, Claudianus, aliique, neque Ægyptii, quos Lucianus hominum primos vocat, neque Scythæ, quos illis vetuſtiores Juſtinus lib. 2. tradit, hujus artis primi inventores dici poſſint. Quicquid enim de puero illo vocem Βέκκος, quæ Phrygica lingua *panem* ſignificat, crebro uſurpante memoret Herodotus, inde tamen defendendæ tum linguæ tum gentis hujus antiquitati vel nullum vel leve pondus accedit, cum illum vocis uſum pecudis imitationi, quam naturæ bono, quo inſita fuiſſe lingua perhibetur, deberi, veroſimilius videatur, v. Laurenbergius Acerr. Philol. cent. 1. num. 40. p. m. 65. ſeq. Hering. quæſt. 2. p. 44.

XIX. Poſt Hebræos Græci antiquiſſimis

mis innotuiſſe molas, earundemque uſum jam temporibus Heroicis fuiſſe cognitum, ſatiſque adeo vetuſtum, non eſt, ut multis confirmemus. Certe apud Homerum *lib.* VII. Odyſſ. v. 105. in horto Alcinoi Phæacum Principis mola reponitur:

> Πεντήκοντα δὲ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες.
> Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπόν,
> Αἱ δ' ἱςοὺς ὑφόωσι καὶ ἠλάκατα στρωφῶσιν
> Ἥμεναι.

> *Quinquaginta autem ei ancillæ per domum fœminæ.*
> *Aliæ quidem molunt ſub mola pomacei coloris frumentum,*
> *Aliæ telas texant & penſum verſant Sedentes.*

Conf. Dempſter. ad Roſin. l. 1. c. 14. p. m. 65. Pitiſcus T. II. f. 216. a. Porro in Babylonia tempore primæ monarchiæ uſum molarum fuiſſe notum, colligi poſſe videtur ex Apoc. XVIII. 22. cujus occaſione adjicio, capta Babylonia Xerxem regem Megabyzo præter alia Molam Auream dediſſe, ſex talenta pendentem, quod apud Perſas omnium regiorum munerum eſt pretioſiſſimum, annotante Heringio qu. 5. n. 29. p. 110. Quæ de mola aurea adducuntur, narrat Cteſias Perſicæ hiſtoriæ Excerptis, Herodoto annexis p. 644. Num. 24. οὕτως μὲν ἥλω διὰ τοῦ Μεγαβύζου Βαβυλών· δίδωσι δὲ αὐτῷ Ξέρξης ἄλλα τε πολλὰ, καὶ μύλην χρυσῆν, ἓξ ἕλκουσαν τάλαντα, ὃ τιμιώτατον τῶν βασιλικῶν δώρων παρὰ Πέρσαις ἐςί. Nec argenteas molas veteribus incognitas fuiſſe, autor eſt Strabo Geograph. lib. 4. Cum enim aſſeruiſſet, multis in locis Galliam theſauros habuiſſe, maxime autem paludes, in quas argenti, aut etiam auri pondera dimiferint incolæ, eos tutos præſtitiſſe pergit: οἱ γοῦν Ῥωμαῖοι κρατήσαντες τῶν τόπων, ἀπέδοντο τὰς λίμνας δημοσίᾳ, καὶ τῶν ὠνησαμένων πολλοὶ μύλους εὗρον σφυρηλάτους ἀργυροῦς. *Romani igitur potiti his locis paludes publice vendiderunt: multique eorum; qui emerant, molas ex argento ductas repererunt.* vid. Hoheiſelius c. l. §. XV. p. 15. ſeqq. Apud priſcos Romanos olim nullum molarum uſum fuiſſe, ſed farra ſolummodo in furnis Veſtæ h. e. ignis beneficio torreri & deinde pilis pinſi & contundi conſueviſſe, Servius autor eſt, ad Æn. l. 1. v. 184. Quis primus Romæ molas invenerit, non conſtare putat Hering. qu. 2. n. 29. p. 44. quod Dionyſ. Halicarnaſſeus & Varro, tanquam primi antiquitatum Romanarum ſcriptores, illud non aperiant. Si plinio XXXVI. 18. *pag.* 1548. credas, Romani molarum verſatilium uſum a Volſiniis mutuati ſunt. v. idem Hering. n. *67.* p. 53. qui eoſdem quoque certas molas ex Hiſpaniis Romam attuliſſe, ex eo colligit, quod M. Cato de re ruſtica c. 10. Hiſpanienſium molarum mentionem faciat, prouti Livius 1. 36. gladium Hiſpanienſem, vel Horatius ferrum Noricum adpellet. Occaſione molarum Hiſpanienſium obiter in memoriam revocare licebit arcem Toletanam in Hiſpania ſuperiori ſeculo ſub terris detectam, in qua præter cætera *Molam manuariam* inveniſſe feruntur, teſte Berckenmeyero Antiquar. P. I. *pag. m.* 29. Allhier iſt ein Schloß / welches man Anno 1657. in einem Berge unter des Erden entdecket: Es beſtehet aus einem Hoffe / zwo Treppen / einer Land-Mühle / einem Keller / und einem Brunnen / in welchen man groſſe Gebeine / und ſehr ſtarcke Degen-Klingen gefunden hat. Tandem & apud Helvetios dudum molas fuiſſe notas, ex Julio Cæſare clariſſime probatur lib. 1. de belli Gallic. cap. v. p. m. *6.* ubi *molita* Helvetiorum *cibaria* commemorat. Ut cæteras gentes hic ſicco pede tranſeam. Nota, quod Habeſſinos hodiernos nullas alias, quam manuarias habere molas, Ludolfus Comment. Hiſt. Æthiop. pag. 565. teſtetur. Et de Lithuanis Alexander Guagninus in Sarmatia Europæa, ſpeciatim in deſcriptione Lithuaniæ fol. 29. affirmat, quod piſtrinas manuales trinas quinaſve in pagis & oppidis domi habeant, iiſque ad commolliendas fruges utantur. Quo & ſpectat Henelii obſervatio, Otio Uratiſlav. pag. 377. quod in Svecia eædem molæ manuariæ privatis tam frequentes fuerint, ut, cum experientia comprobatum eſſet, illas vectigal publicis molendinis impoſitum non ſine ſummo Reipublicæ detrimento inminuiſſe, Ordinibus Regni Sveciæ in Comitiis Holmiæ A. O. R. MDCXXVII. habitis, omnes hujuſmodi manuarias molas publico decreto tolli & abrogari placuerit, vid. Hoheiſelius §. IX. pag. 9. ſeq.

XX. Cæterum operæ pretium duco, caput hoc finire verbis Sebaldi Mulieri, quæ ex præfatione libri, Bericht von Brodbacken inſcripti, excerpſit Heringius qu. 5. num. 28. pag. 108. ſeq. cum illa ordinem inventarum molarum haud inconcinne depingant: Anlangende das Mühl-Werck / iſt wohl zu mercken / daß die lieben Alten von undencklichen Jahren / nit mit ſo leichter Mühe und geringſchäkiger Argeit / als wir zu den iekigen

ßen unsern Zeiten / ihr Korn und Früchte / welche sie zum Brod gebraucht / mahlen und zu Mehl machen können : sondern dieweil sie von solchen geschwinden nnd kunstreichen Mahlen nicht gewust / als haben sie im Anfang das Korn mit grosser Mühseeligkeit zum Backen zugericht / solches zerknirscht / zermalmet / zerstossen und zerstampt / welchen Gebrauch die Kinder Jsrael in der Wüsten gehabt / num. XI. Das Volck samlets / und stieß es mit Mühlen / und zerriebs mit Mörsern / nnd behielts in Töpffen / und machten ihnen Ascherkuchen daraus / davon in vielen Historien zu lesen / welche melden / daß darnach ein Instrument oder Handmühle erfunden sey / darauf auch grosse Potentaten und Fürstliche Personen eigener Hand die Früchte gemahlen / davon Herodianus lib. 4. & Plinius lib. 18. cap. 11. welches Pittacus Mytilænus, einer von den 7. weisen Meistern / hoch gerühmet / und als er selber darauf gemahlen / hat er darzu gesungen. So bezeugets auch die Heil. Schrifft von Simson Iud. XVI. Vom Plauto schreibt man / daß er wegen Armuth einem Müller in der Mühlen gearbeitet / und in derselben etliche Comœdien geschrieben / da er denn auch zugleich das Becker-Hand-Werck gelernet / dann zu derselben Zeit war mahlen und backen einerley Handwerck der Handthierung. Es ist aber solch mahlen ein sauer harte Arbeit gewesen / derowegen nachmaln die leibeigene knechte / und die so etwas verwircket gehabt / zur Straffe mahlen müssen. Und Esa. 47. dräuet GOtt der HErr der stolken Babel / daß sie soll gezwungen werden / daß sie in den Pistrinen und Mühleu mahlen müsse. Solche Instrument, darauf das korn klein gemahlen / und diese Handmühlen sind bey den Jüden in der Wüsten Sinai sehr gemein worden / davon Deut. 24. Du solt nicht zu Pfande nehmen den untersten und obersten Mühlstein / die auch noch bey diesen unseren Zeiten an vielen Orten / sonderlich in Littawen sehr gemein sind / und ieko sehr künstlich zugerichtet werden / daß sie mit sonderem Vortheil darauf lang mahlen / und fürnemlich in Bestungen können gebraucht werden. Nach diesen hat man die Esel / Ochsen und Pferde / denen sie die Augen zugebunden / darzu gebraucht / und also das Mühl-Werck mit denselben getrieben / wie auch noch an vielen Orten / und in Bestungen solche gefunden werden. Wie nun solche Thier-mühlen auch beschwerlich / als sind die Windmühlen erfunden; weil aber / wegen Mangelung des Windes / nicht allezeit hat können gemahlen werden / als sind die Schiff-mühlen kurk vor käysers Augusti Zeiten auf kommen / welche auch an vielen Orten ieko gemein sind. Endlichen sind auf kommen die Wassermühlen / daß also ein ieder umb die gebührliche Meke / ohne sondere Mühe / seine Früchte kan mahlen lassen.

CAPUT III.

De Pistrinorum Varietate, Forma & Partibus.

ARGUMENTUM.

I. *Mola in genere describitur* II. *Tres potissimum pistrinorum species*. III. *Frumenta olim in pilis contusa*. *Pilare & pistura quid?* IV. *Pistillum quid? Chaldæor*. שרוך , בוכבא *&* ארדך , *Hebr.* עלות V. *Proverb. Pistillo retusius*, *Pistillo nudior & calvior*. Pistilli *circumvolutio*. VI. Pistillum *nuptiale*. Pistillo*rum usus modernus*. VII. Pilum *quid? Milites pilani*. Pilum *ruidum*. VIII. Pilum *cum saxo, quo fruges franguntur, idem. Quomodo a pila differat?* IX. *Pilæ quid? Fruges a* φρύγειν. *Quid* φρύγετον*? Plinius illustratur*. X. *Pilæ tripedoles. Pilarum diversa materia, variæque species*. XI. *Hebr.* מכתש *Lux affunditur Judic.* XV. 19. *& Zeph. l.* 11. XII. *Altera pistrinorum species, molæ manuariæ. Has ab asinariis distinguunt Judæi. Cur trusatiles & versatiles dictæ? Elegans harum descriptio Virgiliana*. XIII. *Quomodo differant molæ trusatiles & versatiles? Peculiaris molendi ratio quarundam nationum*. XIV. *Lapides molares, Catillus & Meta. Cur* רחים *duali forma dicatur. Illustratur Deut.* XXIV. 6. XV. *Variant autores de metæ & catilli significatu*. XVI. *Lapidem molarem Græci* ὄνον *vocant. An superior an inferior lapis hoc nomine venias? Asinus Latinis quid? Catullo lux accedit?* XVII. *Quid sit* μύλος ὀνικός *apud Matthæum & Lucam?* XVIII. *Supplicium collo alligandi lapidem molarem multis gentibus usitatum?* XIX. *Lapides portare, pœnæ instar. Quid Hebræis, molarem collo suspensum habere?* XX. *Lapis Apocalypticus in mare projectus*. XXI. *Molari occisorum exempla. Molarium magnitudo an olim eadem ac moderna?* XXII. *Molares pro saxis quibusvis usurpari Poetis. Cur Pyrites dicti? Molarium fodinæ. German. proverb.* zweene harte Stein mahlen selten rein. XXIII. *Quisnam ex lapidibus utilissimus & pretiosissimus censeri debeat?* XXIV. *Dentes maxillares cur molares dicti? Molitura dentium. Dentes quando amittantur?*

XXV.

XXV. Quædam, de dentibus, Poetarum loca exponuntur. Quid מלתעות*? Portentosa molaris cujusdam dentis magnitudo.* XXVI. *Duæ olim rationes molendi. Molæ incolarum Ceylandiæ.* XXVII. *Molæ sponte motæ in prodigiis. Molæ an de loco moveri possint? An rebus mobilibus sint accensendæ?* XXVIII. *Molæ jumentariæ, tertia pistrinorum species* XXIX. *Domus pistoria ubi fuerit? An in stabulo?* XXX. *Pistrinum varias continebat molas. Molæ quadrinæ quid?* XXXI. *Pistrina Romæ alia publica, alia privata.* XXXII. *Pistrina publica in singulis urbis Regionibus quotnam fuerint?* XXXIII. *Pistrinorum præfecti quinam? Privata pistrina olim frequentia. Horum usus libertati naturali consentaneus.* XXXIV. *Partes molarum aquariarum. Prov.* kein Müller hat Wassers genug. *Molandinis semper aliquid deest.*

I. QUodsi mola in genere describenda, ejusque proprietates essentiales, forma partesque delineandæ forent, vix commoda satis suppeditari posset definitio, quæ singularum molarum naturam uno veluti obtutu sisteret, cum earum maxima diversitas varias quoque definitiones exigat, ipsarumque αὐτοψία rem evidentius quam calamus delineet. Apponamus tamen qualemcunque, quam Heringius quæst. 3. num. 19. pag. 65. exhibuit, & ex eodem repetiit Pitiscus tit. II. fol. 215. b. 216. a. descriptionem: *Est mola sive molendinum machina vel opus quoddam ex duobus molaribus sibi invicem impositis, & rotis quibusdam dentatis agitabilibus, iisque vel ligneis vel ferreis, præcipue constans; in quo ad humanæ operæ, jumentorum venti & aquæ incitationem sive circinationem, prorsus instabili machinarum vertigine, frumenta arida, item polenta, seminaque desuper injecta vel lente incidentia, per mutuam molarium collisionem sive confricationem in tenuissimam farinam massamve comminuuntur & conteruntur: quædam quoque res peculiari modo & instrumento pro varietate molarum expoliuntur, acuuntur & dissecantur.* Non est autem, ut his diutius immoremur, cum non tam de molarum quam de pistrinorum natura ac varietate simus soliciti, cujus enucleationem hujus Capitis tertii inscriptio requirit.

Nimirum ex investigata hactenus pistrinorum origine simul quodammodo patet eorum varietas, cum illa non semper eadem fuerint, sed mutato tempore, eorum quoque fuerit mutata conditio, inque iis ea, quæ prima ætate rudiora videbantur, accedente hominum ingenio & arte multo magis polita emendataque emerserint. Antiquitatis monumenta si consulantur rediganturque in ordinem, in propatulo est, a veteribus tres potissimum *Pistrinorum* memorari præcipuas species, quarum una *Pistrina* spectat stricte sic dicta, altera, *molas manuarias*, tertia *jumentarias* complectitur, quæ ipsæ & autoribus & nobis *pistrinorum* late sic dictorum nomine veniunt. Horum vero formam partesque præcipuas nunc enumerare, animus est.

III. Primum frumenta penes antiquos igni tosta, ob defectum molarum, *pistillis* tundebantur in *pilis*, quod proprie *pistrinum* erat, & far *pinsere*. Servius ad Virg. Æn. lib. I. vers. 183. *Majores molarum usum non habebant. Frumenta torrebant, & ea in* Pilas *missa* Pinsebant, *& hoc erat genus molendi. Unde & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur.* Hunc tundendi frangendique frumenti actum veteres & voce *pilare* & *pisturæ* significabant. Prius ex membranis priscis & fide dignis patet. Posterius ex Plinio XVIII. 10. pag. 829. ubi pinsendi artificium & rationem notat: *Pistura non omnium facilis, quippe ex Hetruria spicam farris tosti* Pinsente Pilo *præferrato, fistula serrata, & stella intus denticulata, ut nisi intenti* Pinsant, *concidantur grana, ferroque frangantur.* c. Pitiscus *Tom.* II. *f.* 216. a. f. 436. b. 437. a. Barthius *Adv. lib.* 39. *cap.* 15. f. 1785. *Rob.* Stephani *dict. lat.* f. 1103. a. *voc.* pinso. *Observ. Miscell. pag.* 29. *Lips.* 1715. *pag. m.* 356. *seqq.* Scottgenius Lex. *Antiqq. pag. m.* 802. Nobis nunc speciatim tum de *pistillis*, tum de *pilis* quædam ajicienda videntur.

IV. *Pistillum*, Græcis ὕπερος, τελβίδιον ἀλόπετλψ, χερχίς, erat instrumentum in *pila* tundendi, sive clava, qua in *pila* aut mortario frumentum tundebatur & conterebatur. Had. Junius Nomencl. pag. 226. *Pistillum, instrumentum, quo franguntur in mortarium conjecta. Radius etiam Plinio.* Mentionem ejus faciunt Plautus Aulular. Act. I. sc. 2. vers. 17.

> *Cultrum, securim,* Pistillum, *mortarium,*
> *Quæ utenda vasa semper vicini rogant.*

Et Columella: *In mortarium novum aut bene emundatum conjicito, Pistillis conterito.* Huc spectat & ænigma Cœli Symbosii, æn. 86.

> *Contero cuncta simul virtutis robore magno,*

Una

Una mihi cervix, capitum ſed forma duorum,
Pro pedibus caput eſt, nam cætera corpora non ſunt.

v. Pitiſcus *Tom.* II. 436. b. Penes Chaldæos & Rabbinos, quibus idem inſtrumentum innotuit, varie appellatur. A דוך *tundere, contundere*, מדוך *piſtillum* dicunt, cujus vicem quandoque explet vox בוכנא idem denotans. Pertinent huc illa ex Talm. Cholin. fol 36. 2. אנא בוכנא דפרזלא דמתבר אסיתא דנחשא *Ego ſum Piſtillum ferreum, quod confringit mortarium æneum*. Et ibidem fol. 52. 1. בוכנא בלא אסיתא *Piſtillum abſque mortario* אסיתא חסרתא בוכנא *Mortarium abſque Piſtillo*. Proverbialis locutio eſt, qua res præpoſtera ſignificatur. Item Betza fol. 14. 1. רב ששת שמע קל אוכנא *Raf Scheſcheth audivit ſonum Piſtilli*. Præterea ab ארך derivant ארדך quod etiam *piſtillum* notat. ובאורדך *Et cum Piſtillo*, pro quo Hebræi habent בעלי Prov. XXVII. veſ. 22. quamvis, quid ſit, ſe neſcire, Elias ſcribat. verſ. Joh. Buxtorf. Lex. Rabb. fol. 210. 305. 509. Huc referunt quidam 2. Paralip. XXIV. 14. ubi memorantur עלות *Piſtilla*, juxta R. Salom. *Sed poteſt & Infinit. Hiphil eſſe: ſcribitur enim* העלות *offerendi. Si eſſet nomen, articulus* ה *notaretur cum Kametz. Senſus tamen Vas vel inſtrumentum aliquod videtur poſtulare;* quæ obſervatio eſt Buxtorfii. Lex. Hebr. pag. m. 555.

V. *Piſtillorum* durities frumentorum conditioni adaptabatur: eratque ima eorum pars glabra & obtuſa. Inde enim nata eſt proverbiis occaſio: Piſtillo *retuſius*, *Piſtillo nudior & calvior*. v. Pitiſcus tit. II. fol. 436. b. Prius uſurpavit Hieronymus in epiſtolis, pro eo quod eſt minime acutum. Fere uti Timon Miſanthropus Cleantem ob ingenii tarditatem appellat ὅλμον ἄτολμον, id eſt *Pilam*, ſive *mortarium ignavum*. Poſterius autem, nempe, ὑπέρου γυμνότερος, *Piſtillo nudior*, de vehementer tenui dicitur; cui cognatum eſt παττάλου γυμνότερος, *Paxillo nudior*. His enim cortex detrahitur. Tandem ὑπέρου φαλακρότερος, *Piſtillo calvior*, hyperbolice & proverbialiter de magnopere glabris uſurpatur, cum ima *piſtilli* pars calvi cranium referre videatur. Transferri poſſe ad inſigniter egenos aut ſimplices ac diſſimulandi ignaros, annotat Eraſmus *Adag. chil.* 4. *cent.* 3. *f. m.* 907 v. & *chil.* 3. *cent.* 6. *f.* 757. Cum inter pinſendum, frangendi frumenti ergo, *piſtillum* ſæpius vertendum circumvolvendumque eſſet, proverbio locus fuit datus, quo ὑπέρου περιτροπή, *Piſtilli circumvolutio*, in eum dicitur, qui ſemper idem agitat, eademque non ſine tædio iterat, nec quicquam tamen explicat aut proficit, uti Heſychius interpretatur. Occurrit apud Zenodotum:

Εἶτα οὐχ' ὑπέρου μοι περιτροπὴ γενήσεται.

Dehinc mihi vertigo Piſtilli *haud erit.*

Et Plutarchus adverſus Stoicos, denotans illorum rationes, eodem revolvi ait: πολὺς οὖν ὁ διὸς κόρινθος ὑθὶ τὸν λόγον αὐτῶν ἀφιᾶται, τὴν γὰρ ὑπέρου περιτροπὴν ἵνα μὴ σκώπτειν δοκῆς ἔασον. *Multus igitur Jovis Corinthus ad rationem illorum admittitur. Nam* Piſtilli *circumvolutionem, ne ridere videaris, omitte*. Eadem fere habet Plato in Theæteto: ἡ μὲν σκυτάλης, ἢ ὑπέρου ἤ ὅ; τοῦ δὴ λέγεται περιτροπή. *Scytalæ quidem aut* Piſtilli, *aut ſi cujus alterius dicitur circumvolutio*; cum nempe ſermo in idem revolvitur. v. Eraſmus chil. 2. cent. 8. f. 569. ubi &, quid Scytala ſit, exponit.

VI. Præterea obſervatu dignum de *Piſtillo* eſt, quod apud Græcos in nuptiis illud appendere conſueverint thalamo, ceu ſignum induſtriæ & laboris. *Jul. Pollux lib.* 3. *Onomaſt. cap.* 3. *num.* 4. ὕπερον δὲ ἐξέδουν πρὸ τοῦ θαλάμου ὥσπερ καὶ κόσκινον ἡ παῖς ἔφερε, σημεῖα ὡς εἰκὸς αὐτουργίας, *Piſtillum ante thalamum alligabant, ſicut & famula cribrum ferebat, ſigna nimirum induſtriæ ad opera*. v. Pfeifferus Antiq. Græc. lib. 4. cap. 15. p. m. 644. Notus eſt hodie in Officinis monetariis & alibi *piſtillorum* uſus, qui, licet abrogatis *piſtrinis*, non ipſe tamen eſt abrogatus. v. *Pitiſcus Tom.* II. *f.* 437. *a.*

VII. Quæ *piſtilli*, ea & *pili* ſignificatio eſt. Gloſſæ: *Pilum, piſtillum, & telum*. Notat inſtrumentum, quo quid in mortario tunditur. Exulat hic prorſus ille ſignificatus, quo alias *pilum* armorum quoque genus deſignat, Romanis militibus proprium, a quo *milites pilani* appellati ap. Ovid. lib. I. Faſtor. & *pilata cohors* penes Martial. lib. 10. Epigr. 48. Nec aliunde *Antepilani* & *Primipili* derivantur. cap. Dempſterus ad Roſin. lib. 10. cap. 10. pag. m. 716. ſeqq. Barthius ad Stat. lib. 3. Silv. 3. verſ. 99. tit. I. pag. m. 316. & ad 4. Thebaid. verſ. III. tit. II. pag. 930. Pitiſcus tit. I. fol. 115. b. tit. II. fol. 429. & fol. 432. Joh. Minellius ad Salluſt. Bell. Catilin. pag. m. 180. Memorat Plinius *Pilum rudum* lib. 18. cap. 10. quod, interprete Had. Junio Nomencl. pag. 202. *eſt palus in mola olearia*,

ria, qui in ſublime evectus, mox decidens ſubjecta comminuit, a ruendo nomen habens. Hinc explodendam ibidem judicat Hermolai Barbari, ejuſque errore impliciti Cælii expoſitionem, accipientium *ruidum* pro rudi & impolito.

VIII. *Pilum*, pro *piſtillo*, cum *pila*, (*a*) quæ ὅλμος, κάρδοπος, Nicandro, λίγδος, θύεια Galeno, θυείδιον Damocrati dicitur, non eſt confundendum. *Pilum* nempe, quo pinſebant, idem eſſe cum ſaxo, quo fruges frangebantur, notat Hortenſius ad illud Virgilii lib. I. Æn. 184.

—— frugeſque receptas
Et torrere parant flammis & frangere ſaxo.

Quæ phraſis adhibetur etiam lib. I. Georg. verſ. 267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo.

Ejuſmodi fractionis meminit quoque Lucretius Carus lib. I. de nat. rer.

—— fruges quoque ſæpe minutas,
(al minacis)
Robore cum ſaxi franguntur.

Non multum abludit Statius l. I. Theb. verſ. 524.

His labor inſerto torrere exſanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum, his cumulare caniſtris
Perdomitam ſaxo Cererem.

Eandem loquendi conſuetudinem poſterioribus quoque ſeculis manſiſſe, etiamſi ritus mutatus fuerit, obſervat Dempſterus ad Roſin. lib. I. cap. 14. pag. m. 66. idque confirmat his Auſonii in Moſella verſibus:

Nobilibus Gelbis celebratur piſcibus, ille
Præcipiti torquens cerealia ſaxa rotatu,
Stridenteſque trahens per lævia marmora ſerras.

Plura etiam habet Hering. queſt. 3. num. 5. pag. 58. Differentiam vero inter *pilum* & *pilam* docet Scribonius Largus ap. Barthium Adv. lib. 39. cap. 15. fol. 1785. qui allegat *Compoſition. LXXIV. Commis & traga canthum paſſo cretico uno die & una nocte macerari oportet, & poſtero die* Pila *&* Pilo *mundo contundere & cætera trita mortario curioſe admiſcere*. Addit Barthius: Pila *namque videtur dici in quo*, Pi-

(*a*) *Pila* penes autores varia ſignificat. Nam notat (1) effigiem tum laneam hominis, quæ Laribus in ludis compitalibus ſuſpendebatur, de qua *vid.* Feſtus; tum ſtramentitiam, qua objecta tauri irritabantur *ap.* Martialem de *Spectac.* XIX. 2. XXII. 6. (2) ſaxa illa, quæ præſtruuntur muro littorali ad frangendam undarum vim, murumque ab iis defendendum, penes *Virgil. Æn.* IX. 709. (3) incertas & irregulares columnas, quæ vel rotundæ vel quadratæ fuerunt. Qualis rotunda *pila* eſt in ſepulcro Pacuvii, quod hodienum Romæ viſitur. (4) ſtructuram erectam ad aliquid ſuſtinendum, a columna tamen diverſam, quæ *pila* vocatur, quia ligni aut lapidis teretis & oblongi, quo in mortario tunditur, vel cylindri habet figuram. Quales *pilæ* Romæ paſſim erectæ viſebantur, quibus vendibilia mercimonia appendi venumque exponi ſolita. (5) ſignum militare in Imperatorum imaginibus. (6) columnam, ad quam ſpolia veluti tropæum ſuſpendebant. Prout Livius *lib.* I. *cap.* 26. *Pilam Horatiam* memorat: *Spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc* Pila Oratia *appellatur*. (7) Globulum quendam, cui nomina Judicum inſcripta. Erant enim in judiciis frequentes *pilæ*. *Prop.* IV. 12. 19.

At ſi quis poſita judex ſedet Æacus urna,
In mea ſortita judicet oſſa Pila.

Ubi *ſortiri pilam* eſt ſorte educere ex urna nomen judicis in *pila* ſcriptum. Diverſæ illæ erant a *pilis* exiguis e furfure, quas Plutarchus in Lycurgo commemorat, quibus conjectis in vas tanquam ſortitione fabarum admittebatur, vel excludebatur aliquis a convivis Lacedæmoniorum. (8) ſphæram luſoriam hodienum notiſſimam. Denique (9) *Pilam Staffilarem*, quæ in veteri inſtrumento Baſilicæ Vaticanæ legitur. Quæ quid ſit, paucis dicendum. Eſt nempe maſſa quædam, ſive moles ſtructilis ad ripam ulteriorem Tiberis, ſive in regione Tranſtiberina ex cæmentis, & lapidibus, forma quadrata, ſolidi, firmique operis; ita ſupra ripæ ſuperioris crepidinem edita, ut ea catenæ ferreæ, atque rudentes, molæ ſubjecto in amne fluitantis retinacula, religari poſſint; ne illa undarum impetu abripiatur. Rationem denominandi derivat Lucas Holſtenius *Diſſ.* de Pila Staffilari *ap.* Grævium *Tom.* IV. *pag.* 1805. *ſeqq.* a Piſtoribus Germanis, penes quam nationem fere ſolam ſuperioribus ſeculis omne panis conficiendi artificium fuerit. *Piſtoribus autem*, pergit, *præcipuum, & continuum negotium eſt cum molitoribus, quorum opera in farina conficienda quotidie utuntur: itaque miradum non eſt, eandem vocem, & piſtoribus, & molitoribus fuiſſe communem*. Et paucis interjectis: *Quod inferioribus Germanis ſtappe & ſtappel dicitur pro gradu, & ſcala, hoc ſuperioribus eſt ſtaffe & ſtaffel: unde a Germanis una cum re ipſa etiam ſtaffæ nomen Itali, Galli, & iſpani acceperunt, quam Latini poſteriores proprio nomine ſcalam appellarunt. Illud certum eſt, vocem illam, ſcalam, gradus, & exſcendendi locum ſignificare. Cum ergo* Pilis *illis molas fluviales retinentibus ubique de pr ximo adjungi ſoleant ſcalæ ſtructiles cæmentitii, aut lateritii operis, per quas hominibus pariter, & jumentis, deſcenſus ad molam præbetur certum eſt, & indubitatum*, Pilam *illam propterea ſtaffilarem cognominatam, quod ſtaffilam, ſive ſcalam ejuſmodi haberet conjunctam*. De cæteris *pilæ* Significationibus & hactenus commemoratis (quarum nulla hic locum obtinet, cum nos *pilam* pro mortario tantum ſumamus) Pitiſcus. *Tom.* II. *ſog.* 426. *ſeqq.* fuſe ſolideque egit, ſingularumque indolem ac denominandi rationem, additis fide dignis autoribus, prolixe enodavit.

Pilum, *vi cujus res ea contunditur. Eam obſervationem confirmat idem ille ſcriptor*, *ſed* pilam *tales vas eſſe demoſtrans, in quo caleſieri etiam res fuerint conſuetæ. Compoſitione LXXV. Deinde myrrham tritam ſeorſum admiſcere, & rurſus utraque in unum diu terere, atque in* pilam *ita conjicere, & ibi, cum concaluerint ictu pili therebinthinam paullatim miſcere, donec omnium unitas fiat*. Hieronymus *pilam* vel mortarium inſtrumentum eſſe dicit, in quo frumenta tunduntur: vas ſcilicet cavum & medicorum aptum uſui, in quo proprie ptiſanæ ſoleant feriri. cap. Waſerus de Numis Hebr. lib. I. cap. 17. pag. m. 45. a. Nec aliter Junius Nomencl. pag. m. 225. ſeqq. pilam explicat, quam *vas concavum, in quo farra olim nunc aromata, herbæ & ſemina contunduntur*; Dici etiam, ait, mortarium, mortariolum, quaſi *moretarium, in quo moretum comminui miſcerique ſolebat*. Inſuper Palladius lib. I. cap. 41. *pilam* vocat, in qua quid contundatur: *Omnia ſimul miſta in Pila contundes*. Et Cælius Aurelianus lib. 3. cap. 4. eandem vocem pro ipſo mortario accepit. Verba ſunt: *Tunc iiſdem diebus mittimus medicamentum in Pilam & conterentes formamus trochiſcos*. Obiter addit Barthius, qui hæc allegat l. c. & lib. 38. cap. 2. fol. 1716. *Hodie quibus utimur manualibus molis, eo videmur nomine appellare poſſe*. v. etiam Pitiſcus tit. II. fol. 426. ſeqq.

IX. *Pilæ* itaque erant vaſa concava, in quibus antiqui & fruges torrebant, & ſiccatas pinſebant. Hinc Servius ad illa Virgilii jam citata lib. I. Æn. 184. *Et torrere parant* &c. obſervat: *Torrebantur fruges in Pilis & pinſebantur; neque molebantur*. cap. Dempſter. ad Roſ. lib. I. cap. 14. pag. 66. Factum inde, credit Treunerus cap. 3. §. 7. pag. 19. ut Joſephus Scaliger nomen frugum παρὰ τὸ φρύγειν *a torrendo* deduxerit. Aqua voce Græci dicunt φρύγετον, vel φρύγετρον aut φρύγητρον, ſartaginem fictilem, in qua farra torrebant. Heſychius in Lexico Phrygetrum fuiſſe, notat, tabellam, qua ſiccatum hordeum movebant. φρύγετρον ξυλίφιον, ἐν ᾧ κινοῦσι τὰς πεφρυγμένας κριθάς. Tale φρύγετον Athenis, ex Solonis inſtituto, ipſæ ſponſæ ad nuptias euntes, in ſignum laboris & curæ rei familiaris ferre ſolebant, ceu teſtatur Jul. Pollux l. I. Onomaſt. c. 12. n. 15. φρύγετον ᾧ τὰς κάχρυς ἔφρυγον. Σόλων δὲ καὶ νύμφας ἰούσας ἐπὶ τὸν γάμον ἐκέλευσε φρύγετον φέρειν σημεῖον. *Phrygetum, quod inſtrumentum eſt, quo hordeum ſiccant. Solon vero etiam ſponſas ad nuptias euntes Phrygetum ferre juſſit ſignum*. v. Pfeifferus *Antiqq. Græc. lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 646. qui addit, conſuetudinem iſtam ad Romanos etiam tranſiiſſe, qui Phrygetrum hoc appellaſſe videantur *farreum*, teſte Plinio XVIII. 3. *pag.* 809. *Novæ nuptæ Farreum præferebant*. Quamvis alii exponere malint hic *libum farreum*, cum Feſtus matrimonia *farreo libo* adhibito contracta ſcribat; qui mos præferendi libum ante prodeuntes ſponſas etiam num apud ruſticos Lugdunenſes ſervautr. c. Jac. Dalechampius ad plin. l. c. pag. m. 811. & de confarreatione vid. plura in Diſſertatione mea de Mola ſalſa, cap. 2. §. 2.

X. Ex nonnullorum opinione *Pilæ* illæ erant tripedales, quo referunt illud Heſiodi Ἐργ. καὶ Ἡμερ. lib. 2. verſ. 421. pag. m. 50.

> Ὅλμον μὲν τριπόδην τάμνειν, ὕπερον δὲ τρίπηχυν.
>
> *Mortarium quidem tripedale ſeca, piſtillum vero tricubitale.*

Ubi Cornel. Schrevelius, *Per* ὅλμον inquit, τριπόδην *quidam intelligunt mortarium trium pedum, quo veteres uſi ſunt pro mola*. Fuerunt iſtæ vel lapideæ, ferreæ, æneæ, ligneæ, vel ex alia formatæ materia. Sic *ligneam*, in qua tunduntur grana molliora, ut zea, memorat Plinius XVIII. 11. pag. 832. ſeqq. *Tunditur granum ejus in* Pila Lignea, *nam lapidis duritia conteritur*. Diverſæ inſuper earum ſpecies a Scriptoribus rei ruſticæ, inprimis Catone, recenſentur, v. c. *Pila* farraria, ad far pinſendum, fabaria ad fabam freſam, ſeminaria ad terendos ſeminum nucleos, fullonica, in qua tunduntur panni, & veſtes, ut poliantur; veluti & *pilum* fabarium, farrearium, ſeminarium, quo faba, far, ſemina in *pila* ſive mortario feriuntur & tunduntur. v. Pitiſcus T. II. *f.* 427. a. Turnebus *lib.* 7. *adverſ. cap.* 22. Hering. *quæſt.* 4. *num.* 10. *pag.* 69. Frid. Hildebrand *Antiqq. pag. m.* 354. Roſinus *Antiqq.* Rom. *lib.* I. *cap.* 14. *pag.* 61.

XI. Cæterum *pilam* Hebræi per מכתש exprimunt, quæ vox vi originis τρίβαιον, mortarium notat, in quo aliquid contunditur. Siquidem nomen habet a כתש quod eſt τρίβειν, terere, contundere. Utrumque vocabulum hoc ſignificatu Prov. XXVII. 22. occurrit. Quando vero idem nomen Judic. XV. 19. uſurpatur, de ejus ſignificatu valde diſſentiunt interpretes. Quidam enim ibi מכתש per dentem molarem, qui in maxilla collocatus eſt, & quo cibus inſtar mortarii contunditur, cum Luthero, Vulgato, Gallo, & Jonathane exponunt. Alii alveolum

lum dentis ſive cavernam illam, cui dens in maxilia infixus eſt, a ſimilitudine Latinis mortariolum dici ſolitam, malunt intelligi, prouti Bochartus Hieroz. pag. I. lib. 2. cap. 15. fol. 203. ex Julio Polluce obſervat, dentium capſula ſeu alveolos, h. e. loculamenta maxillarum, in quibus conduntur dentes, ὀλμίσκυς ſeu mortariola appellari. Hanc ſententiam confirmant non Hebræi ſolum Doctores, Rabbi Salomo, David Kimchi, aliique, ſed & ex Patribus Ambroſius Epiſt. 70. Chryſoſtomus & plures alii, qui inde exiſtimant, Deum per miraculum aperuiſſe ſciſſuram maxillæ & fontem erupiſſe ex ea. Non deſunt vero alii, qui vocem מכתש rupem *Mactes* appellatam notare ſibi perſuadent, quam opinionem R. Levi fovet apud Bochartum l. c. tradens, h. l. eſſe שם שרע דומה מכתש במקום מכתש שהוא שמו לחי *nomen petræ mortario ſimilis in loco, cujus nomen Lechi*. conf. Seb. Schmidius ad h. l. pag. 1247. & 1255. ſeqq. Fere ut Zeph. I. 11. *ululate habitatores* המכתש quidam ut proprium loci a figura mortarii ejuſque profunditate ſic dicti, fuerit in imo urbis Jeruſalem, interpretantur; veluti Aben Eſra vicum urbis intelligit, a mortario appellatum, ut fere omnes plateæ inſigniores nomen a certa aliqua re habere ſoleant. vid. Adrichomius in Theatr. Terræ S. pag. 163. num. 117. Fluctuant autem Hebræi, an locus hic circa Tiberiadem, ut vult auctor Midras Agudda, an Hieroſolymis fuerit circa torrentem Kedron, ceu Chaldæa Paraphraſis perhibet, quæ vertit: *Qui habitatis in valle Kedron*: quæ ſc. profunda eſt, inſtar mortarii, ut R. Salomo hoc interpretatur. Sunt tamen & alii interpretes, qui cum Junio aliiſque appellative vocem h. l. accipiunt, transferente: *habitatores cavi* h. e. negotiatores omnes, in cavo oppidorum interſtitio habitantes, inde a porta gregis ad portam Ephraimi, ubi erat vicus aurifabrorum, pigmentariorum, aromatariorum &c. Neh. III. 8. 32. Druſius *habitatores pilæ* interpretatur, ab eodem illo Urbis loco, qui pilæ h. e. mortarii inſtar erat cavus. Denique reperiuntur, qui pilam proprie ſic dictam intelligunt, reſpicientes ad veterum molendi rationem, quibus pilæ ſeu mortaria inſtar molarum erant. Adeoque ſic reddunt: *Habitatores pilæ* ſeu *mortarii*, h. e. loci, in quo cum alia ad luxum requiſita, tum inprimis ad uſum vitæ neceſſaria frumenta contuſa & arte parata aut toſta vendebant. Siquidem Prophetam de mercatoribus agere, res ipſa loquitur. Hinc Lutherus: Die ihr in der Mühlen wohnet. v. Sal. Glaſſius Phil. S. lib. 4. Tr. 3. pag. m. 1379. ſeqq. lib. 5. tr. 1. cap. 12. pag. 1867. Caſp. Waſerus de Numis Hebr. lib. 1. cap. 17. pag. m. 44. b. 45. a. Buxtorf. Lex Hebr. pag. 381. & inprimis Joh. Schmidius ac Polycarpus Lyſerus ad h. l. ille pag. 1184. hic pag. 929. ſeqq. Horum vero diverſa interpretamenta ſub incudem examinis h. l. non attinet vocare, cum a ſcopo id noſtro alienum videatur. Saltem illud aſſeverare licebit, quod, ſicuti in Prophetico illo dicto rem acu tetigiſſe videntur, qui מכתש non quidem per nomen proprium loci ſive petræ Mactes, utpote de qua nihil certi quiſquam afferre poteſt, ſed appellative per cavitatem ſive locum inter adjacentes colles depreſſiorem exponunt: ita in priori loco primum de eo conveniendum ſit, utrum in verbis להי 'סד את המכתש אתר בלחי nominis proprii aut appellativi notionem induat, cum ex diverſa ejus acceptione diverſæ quoque vocis הכתש expoſitiones enatæ ſint. Ut breviſſimis rem expediam, decantatam ſatis multorum opinionem, quaſi Deus miraculoſe in mortariolo maxillæ aſini fontem aperuerit, (quam cum cæteris propugnat etiam Franciſcus Worgerus de Maxilla aſini, Lubec. 1699. 8.) recte profligaſſe videtur Joh. Clericus ad h. l. non optimæ alioquin monetæ interpres, in hoc tamen ſua laude non privandus, utpote qui tum contextus conſenſione tum aliis argumentis adjutus, per לחי nomen proprium loci a maxilla aſini propter factum Simſonis & in ejus memoriam ita dicti, ac per מכתש locum cavum inſtar mortarii intelligendum eſſe, non infelici crena monſtravit, a rei quippe veritate quam maxime alienum ratus, tale hic miraculum fingere, quod in creatione novæ aquæ e nihilo, quæ obtinuiſſet, ſi ex maxilla aſini ejuſque mortariolo fluxiſſet. Sufficere nempe ad miraculi oſtendendam magnitudinem, quod Deus in loco, ubi nullus erat fons, *curaverit aut ex latice illac ſubter occulte fluente, erumpere venam, aut ex ſubterraneo rivulo, alio loco delabente ſubito derivaverit*. Huic ſententiæ adſtipulatur Magnificus & Summe Reverendus Dn. D. Deylingius, Præceptor olim noſter ac Promotor pie devenerandus, Obſerv. S. pag. I. obſ. XXI. pag. m. 101. ſeqq. monſtratiſque aſſerti ſolidiſſimis rationibus, genuinum quoque vocis מכתש enodavit ſenſum, quod, cum a כתש a conterendo & contundendo dicatur, *reſpectus habeatur non tam ad piſtillum, quod contritionis inſtrumentum eſt, quam ad mortarium ejuſque cavitate, quæ ad aquas colligendas easdemque ad inſtar fontis elargiendas aptiſſima fuerit*. Tempo-

poris angustia exclusus, urgente typographo libelli editionem, sub examini incudem vocare nequo, quæ Viri clarissimi, Ortlobius Diss. de fonte Samsonis prope maxillam, hab. Lipsiæ 1703. Sidelmannus, de Maxilla Samsonitica a personata sua Metamorphosi vindicata, Hafniæ 1706. & Gebhardus, de Maxilla Simsonæa & Corpore Adami lucido, Gryphiswald. 1707. inprimis contra Observationes Hallenses docte disputarunt. Hinc eos hic saltem nominasse sufficiat; conf. etiam laudati Ortlobii Schediasma bipartitum, quo Serpentem non punitum cum Satana, & defensionem Caini defensi in causa desperationis exhibet, (Lipsiæ 1708.) pag. 48. & 61.

XII. Alteram *Pistrinorum* speciem constituebant molæ *manuariæ*, vel *manuales*, uti appellantur Servio Honorato ad vers. 274. lib. 1. Georg. Græcis χειρομύλοι apud Talmudicos ריחים דירא dictæ, ad differentiam *jumentariarum*, cum hæ jumentorum, illæ manuum ope tractarentur. Hinc Judæi distinguebant inter רחיים של חמור *molam asinariam*, & רחיים של יד *molam manuariam*, in Bava Mezia: *Qui conducit domum a vicino suo* מעמיד בו רחיים של חמור *erigere potest in ea molam asinariam*, אבל לא רחיים של יד *sed non molam manuariam*. v. Buxtorf. Lex. Rabb. 2252. Conr. Mel. Antiquar. S. pag. 2. Sect. 4. cap. 6. §. 4. pag. m. 262. Manuariam molam indigitat Architrenus in illo:

Quam volvente manu mola rustica fregit.

Et Gregorius Turonensis l. de virtut. S. Martini & de gloria confessorum cap. 107. *Accepta*, inquiens, *annona ad molam vadit, impositoque tritico molam manu vertere cœpit.* Alio nomine manuariæ istæ vocantur *trusatiles* & *versatiles*, quia manuum agilitate & robore in gyrum circumagebantur, eo tamen discrimine, quod trusatiles a solis hominibus truderentur, versatiles vero & hominum & asinorum opera circumagerentur, propterea quandoque & *asinariæ* dictæ v. Benj. Hederich Schul-Lex. pag. 2251. Hinc Adr. Turnebus Adversar. lib. 7. cap. 22. fol. 219. *Molæ trusatiles ad discrimen asinariarum dicuntur: ab hominibus enim truduntur.* Eodem sensu observat Dempsterus ad Ros. lib. 1. cap. 14. pag. 66. *ævo Ausonii nullas trusatiles manibus molas fuisse, sed asinarias, quas nempe asini versarent, tectis capitibus velataque facie.* Elegantem harum molarum descriptionem Virgilius in Moreto ap. Heringium quæst. 5. num. 14. pag. 103. his versibus suppeditat:

Inde abit, assistitque molæ, parvaque tabella
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat, geminos tunc veste lacertos
Liberat, & cinctus villoso tegmine capræ.
Pervertit cauda silices gremiumque molarum.
Admovet inde manus operi, partitus utramque.
Læva ministerio, dextra est intenta labori.
Hæc rotat assiduis gyris & comitat orbem.
Trita Ceres silicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori,
Alternatque vices, modo rustica carmina cantat.

XIII. Equidem multi cum Nicolao Perotto versatiles trusatilesque molas unas easdemque fuisse arbitrantur. Sed decipi eos existimat. Heringius quæst. 5. pag. 102. ex Argentræo comment. ad consuet. Britan. tit. 17. in princ. discrimen docens. *Trusatilem* enim molam eam vocat, quæ habet axem statutum, Germanice, ein Spille, qui ei pro strato est. „Axis ille, *pergit*, ad inferius caput habet orbem, quem operarii duo, tabellas ejus pedibus retrotundentes, circumagunt; quanquam non raro unus eum laborem sustinet: Axis autem circumacti tympanum dentatum; quod est ad superius ejus caput, versat id, quod ex fusis constat, & una cum eo molam. *Molam vero versatilem eam esse judicat, quæ non trusa manibus, sed circumacta versatur, quam propterea Virgilius in Moreto*, Opus versatile *adpellet. Dictam quoque fuisse* asinariam, *quia ex ea temo extiterit, quem circumegerit equus aut asinus.* Hujus, *addit*, inferior lapis molaris superius formam habet, ut molam, quæ versatur circa ferreum axiculum, continere possit; Is in media molaris forma inclusus, per molam penetrat: Operarius autem ferreum vectem statutum, qui est ad superiorem lapidem molarem, qui proprie mola dicitur, manu prehendens circumagit, mola media est perforata, in quod foramen frumentum conjectum delabitur in inferiorem lapidem molarem, ibique molitur in farinam, quæ sensim ex ejus foramine decidit." Ab ejus-

ejuſmodi verſatili mola non multum abludere videtur illa molendi ratio, quibuſdam nationibus uſitata, quam deſcripſit Miſander Del. Bibl. V. T. An. 1695. queſt. 194. pag. 701. memorans, daſſ die Wilden und Portugaller gewiſſe Wackeln mahlen, und zu Mahle machen, da ſie ein Rad haben, ſo von 2. Menſchen muſſ herum gedrehet werden, das zerriebene Mehl aber, ſo unter den Mahlen herab ſchiebt, wird in einem untergehaltenen Trog aufgefangen. Ubi inſuper notavit, Braſilianos, utpote pauca contentos ſupellectili, loco rotarum molarium, haud abſque inſigni temporis jactura laboriſque augmento, tantum *Radulam*, ein Reibeiſen, adhibere. Quibuſcum an conciliari poſſint, quæ Monſ. Frezier, Relation du Voyage de la Mer du Sud aux Cotes du Chili, Perou & Breſil pag. 116. ſeqq. memorat, videant alii. Verba ſic fluunt: *Pour moudre le Mays apres qu' il eſt roti, ils ont au lieu de Moulin des Pierres ovales longues d' environ deux pies, ſur lesquelles avec une autre Pierre longue de 8. a 10. pouces, ils l' ecraſent a genoux a force de bras; c' eſt l' Occupation ordinaire des Femmes. C' eſt de cette farine dont ils font proviſion pour aller a la guerre, comme je l'ay dit, & qui fait toute leur munition de bouche.*

XIV. Conſtabant iſtæ molæ veterum ex duabus partibus, quas conſtituebant duo lapides, ſuperior mobilis, inferior immobilis, quorum alter alteri quaſi inequitabat. Elegans deſcriptio extat apud Cælium Symphoſium in ænigm. 51.

> *Ambo ſumus lapides, una ſumus, ambo jacemus,*
> *Quam piger eſt unus, tantum non ſegnis it alter,*
> *Hic manet immotus, non deſinit ille moveri.*

Superior Hebræis dicitur רכב *currus*, quia erat verſatilis & circumvehebatur ſuper inferiorem, Græcis τὸ ἐπιμύλιον, *ſuperior mola*, Latinis vero *Catillus*. Inferior & grandior vocatur שכב *cubans*, quia cubat infra ſuperiorem & immotus jacet & fixus eſt, ut ad eum impoſitus alter curſum dirigat & abſolvat, quare a Latinis *Meta* vocatur. Patet inde ratio, cur vox רחים apud Hebræos & ריחיא apud Chaldæos pro *piſtrino* duali forma adhibeatur, propter duas ſcilicet, quibus conſtabat, partes eſſentiale ſive lapides. Eadem tamen hæc vox רחים Synecdochice pro parte inferiori uſurpatur Deut. XXIV. 6. ubi pignoris loco accipienda prohibentur רחים ורכב Chal. רחיא ורכבא *Molæ* i. e. inferior lapis ſive meta, *catillus*. Interp. LXX. ὐκ ἐνεχυράσεις λύλον, ὐδὲ ἐπιμύλιον, quamvis alii ſic vertant: *Non accipies in pignus utrumque molarem lapidem, imo ne ſuperiorem quidem*. Cæterum inferioris lapidis diſerte meminit Jobus, XLI. 15. ubi memoratur פלח תחתית *fragmen inferioris* ſc. molaris lapidis. v. Buxtorf. Lex. Chald. fol. 2252. Treunerus cap. I. §. 4. pag. 6. cap. 3. §. 8. pag. 20. Buxtorf. Lex. Hebr. pag. 734. & 736. Stockius Clav. L. S. pag. 1145. Mirus c. l. quæſt. 4. *pag.* 617. Annotari meretur, quod lapides molares Græcis vocentur λίθοι μυλῖται. Sic enim Herodianus Hiſtor. lib. 3. cap. 1. de Byzantio: περιτετέχιςότε, γενναίῳ τε καὶ μεγίςῳ ἡ πόλις τείχει πεποιημένῳ μυλίτȣ λίθȣ. *Erat enim munita urbs valido ingentique muro, conſtructo ex lapide molari*. Hebræis inferior molæ lapis שכב dicitur, quæ vox quamvis in ipſo S. Codice non ſit obvia, Rabbinicis tamen Scriptoribus eſt familiaris. Sic in Miſchna, בבא בתרא ſive Codice tertio de damnis cap. II. circa initium, מרחיקין את הרחים שלשה מן השכב שהן ארבע מן הרכב *Removent* (a pariete vicini) *molas tres* (palmos) *reſpectu molæ inferioris* (שכב) *qui ſunt quatuor reſpectu molæ ſuperioris*. Superior lapis appellatur רכב Deut. XXIV. 6. ubi autoritate non deſtituuntur, qui vocem רחים integram hic molam ex meta & catillo conſtantem ſignificare putant, aliter ac nos exiſtimamus, Hieronymi ſecuti autoritatem, qui vertit: *Non pignorabis inferiorem & ſuperiorem molam*. Quemvis ſuo abundare ſenſu facile patior; nec enim ipſe inficias iverim, præter citatum locum nullum allegari poſſe alium, quo רחים duali numero per Synecdochen de una tantum molæ parte capiatur. Dignum notatu eſt, quod R. Jac. Abendana in Spicilegio ad R. Salomonis מכלל יופי ad h. l. ſcribit, ויתכן עוד לפרש כי רחים היא על השתים לא על התחתונה לבד כי התחתונה לבד תקרא שכב כמו שנקראת העליונה רכב כמו שאמרו במשנה מרחיקים את הרחים שלשה מן השכב שהם ארבעה מן הרכב ופירוש הפסוק לא יחבול רחים והם השנים ואפילי הרכב לבדו לא יחבול אותו כי לא תהיה המלאכה זולתי שתיהן ביחד וזכר העליונת לבדה ולא זכר התחתונה כי העליונה נקלה לקיחתה מהתחתונה כי התחתונה קבועה: „Congrua eſt explicatio „illa, quod vox Rechajim dicatur hic de „utraque molæ parte, & non de inferio- „ri tantum: Nam inferior tantum dicitur „Schechebh, prouti ſuperior appellatur „Rechebh, quemadmodum dicunt in Mi- „ſchna: Removent (a pariete vicini) „molas (*Rechajim*) tres (*palmos*) re- „ſpectu

,, ſpectu molæ inferioris (*Schechebh*) qui
,, ſunt quatuor reſpectu molæ ſuperioris
,, (*Rechebh*). Ut adeo ſenſus hujus ver-
,, ſus ſit: Ne accipiat quis in pignus nec
,, utramque molam, imo nec ſuperiorem
,, ſolam, quia non fit opus (*moliture*)
,, ſine ambabus ſimul. Expreſſamque
,, mentionem injicit ſolius ſuperioris, &
,, non inferioris, quia ſuperior eſt levior
,, captu: inferior enim eſt fixa. *Vid. Ho-*
,, *beiſelius c. l.* §. XI. *pag.* 11. §. XIII.
,, *pag.* 13. *& inprimis* §. XXXV. *pag.* 40.
,, *ſeqq. ubi hujus Rabbini ſententiæ acce-*
,, *dit, additque pag.* 41. *quod locus Mi-*
,, *ſchnæ, quem & nos paulo ante citavi-*
,, *mus, & ad quem Abendana provocat,*
,, *reperiatur in Cod. tertio de damnis cap.*
,, 11. ubi ſupponuntur Doctores Talmu-
,, dici, *ceu verba habent*, molam inferio-
,, rem eſſe latiorem ſuperiori, R. Obadia
,, de Bartenora ac Maimonide ad illum
,, locum obſervantibus. Quare cum in
,, eo ſint, ut molas a pariete vicini, ne
,, huic ſtrepitu ſuo vehementi damnum
,, inferant, removendas doceant, præci-
,, piunt, intervallum trium palmorum
,, inter molam inferiorem, & parietem
,, vicini relinquendum eſſe, quod reſpe-
,, ctu molæ ſuperioris intervallum qua-
,, tuor palmorum efficit. Quoniam igitur
,, juxta hactenus dicta pars molæ ſupe-
,, rior non tantum eſt captu facilior;
,, ſed & minor, viliorque inferiori par-
,, te, placuit ſapientiſſimo Legislatori pe-
,, culiari interdicto cavere, ne quis inte-
,, gram molam, imo ne quidem viliſſi-
,, mam ejus partem h. e. ſuperiorem la-
,, pidem pignori capiat. *Nec diſplicent,*
,, *quæ porro adjicit pag.* 42. *pro illuſtran-*
,, *da Septuaginta virali verſione, quod*
,, μύλος *alibi apud* LXX. *integram molam*
,, *notet v. g. Exod.* XI. 5. *& Eſ.* XLVII.
,, 2. Licet vero, *pergit*, juxta hanc ex-
,, plicationem de inferiori molæ parte
,, nihil ſic expreſſe ſtatuatur, tamen fa-
,, cile ex verbis divinis concludere pote-
,, rant Iſraelitæ (niſi forte ipſi eſſent
,, λίθοι μυλίαι, μήτε ὦτα, μήτε ἐγκέφαλον
,, ἔχοντες Lapides molares auribus & ce-
,, rebro carentes, quod de hominibus ſtu-
,, pidiſſimi proverbialiter a Platone in
,, Hippia majorem dicitur) ſibi non re-
,, lictum eſſe jus proximo eripiendæ mo-
,, læ inferioris ſeorſim. Quibus enim jux-
,, ta expreſſum legis divinæ tenorem non
,, licuit, pignori capere molam integram,
,, imo ne quidem viliſſimam ejus par-
,, tem, ſuperiorem videlicet; illis non
,, poterat non pars molæ præſtantior,
,, quæ eſt inferior, vi ejuſdem legis in-
,, terdicta cenſeri. Hæc ſi obſerventur,
,, omnia dubia, a Guſſetio in Comment.
,, lingu. Hebr. pag. 789. contra iſtam,
,, quam tuemur, dicti Moſaici interpre-
,, tationem mota, facile corruent.

XV. Hunc *catilli* & *metæ* ordinem turbat, citante Heringio quæſt. 4. num. 38. pag. 83. Franciſc. Marius Grapaldus de partibus ædium lib. 2. cap. 4. pag. 187. dum *metam* potius ſuperiorem, *catillum* vero inferiorem partem dici debere autumat. Cujus tamen ſententiæ cum nullam addiderit rationem, nec autoritatem, merito eam cum Heringio rejicimus, qui pro ordine ſupra poſito nonnullos allegat autores, additis inſuper Ammiani Marcellini verbis lib. 17. *Hominum*, inquientis, *millibus vultis tanquam molendarias rotantibus* Metas. Sane Paullus de Inſtr. & Inſtrum. legat. leg. 18. ait: *Eſt autem* Meta *inferior pars molæ*, Catillus *ſuperior.* c. Junius Nomencl. pag. 202. Aliis tamen diſcutienda relinquimus, quæ Joſ. Scaliger adverſas tenens partes ad ſecund. Iſagog. Manilii verſ. 24. pag. 238. adducit, *Apud veteres*, inquiens, *ſuperior mola* χωνοειδὴς *fuit, inferior cava inſtar catini, unde illi nomen.* Meta *autem inſtar turbinis inverſi conveniebat in* Catillum, *ut mas in fœminam, qua parte baſis eſt, non qua mucro. Nam mucrone ſuperne pendebat, baſis autem in* Catillo *vertebatur. Sunt & hodie ejuſmodi molæ truſatiles hordeo, olyræ, ſinapi pinſendis.* Meta *igitur, Turbo & Conus* συνώνυμα, *& proinde Turbo eſt ſuperior mola.* Putat vero Scaliger, JCtum ſcripſiſſe: *Eſt autem meta ſuperior pars molæ, catillus inferior*, c. etiam Pitiſcus tom. 1. fol. 382. b.

XVI. Eadem ſententiarum diſcrepantia obſervatur circa Græcorum appellationem, qua lapidem molarem Ὄνον vocant. Hoc enim nomine quidam inferiorem, alii vero ſuperiorem molæ partem inſigniunt. Qui *Metam* (h. e. inferiorem lapidem) ὄνον appellari perhibent, nominis occaſionem a tarditate ceſſationeve, quæ aſino propria eſt, arceſſunt, v. Henring. c. l. num. 39. pag. 84. qui ex Aldrovando monet, quod ſit proprie ſaxum illud, quod in molis ſubſternitur, ut alterum, quod circumagitur, ſuſtineat; inde & Lapidem taliter ſubſtratum, quia aſinine ignavus manet, & plus atteritur, a Xenophonte lib. 1. ἀναβάσεως, Alciato l. 2. parergῶν cap. 47. & Eraſmo in Adagiis chil. 2. cent. 5. ad. 68. ὄνον adpellari. Ex his prior populos quoſdam memorat, qui non alia victitant arte, quam fodiendis τοῖς ὄνοις h. e. lapidibus iis, qui ad ὄνους fabricandos idonei ſunt. Scribit enim: Incolas ὄνους ἀλέτας περὶ τὸν ποταμὸν ὀρύττοντες καὶ ποιοῦντες, *lapides molares circa fluvium fodientes & formantes, eos deinde*

Ba-

Babylonem vectos vendere, & pro hoc pretio frumento comparato, vitam sustentare. Præterea ὄνον de lapide molari inferiore sumi, clare docet Helladius Chrestom. §. 53. pag. 17. ed. Meurs. & apud Photium fol. 871. τὸν γὰρ ἄνω τοῦ μύλου λίθον ἀχεθῶνα ἐπονομάζομεν. Ὄνον δὲ τὴν κάτω μύλην. Et Julius Pollux lib. 6. cap. 4. ubi inter ἐργαλεῖα instrumenta molæ recensentur, ὄνος, ἀλεθὼν inferior æque ac superior molæ lapis. Item lib. 10. c. 25. inter instrumenta ἀρτοποιϊκὰ referuntur ὄνος & ἀλετών, quod iterum non de mola asinaria, sed de utroque molæ lapide intelligendum est. Alii hoc nomen superiori molæ parti attribuunt, quam ὄνον ideo dici arbitrantur, quia asini instar supra inferiorem currat; quæ sententia est Ludolfi apud Tenzelium, ceu verba mox citanda evincunt. Hinc & Pitiscus tom. I. fol. 382. b. mavult, Græcos superiorem molæ partem ὄνον vocare, inferiorem μύλον. Allegatur Moeris Atticista: Μύλος ἡ τράπεζα τοῦ μύλου, ὄνος τὸ ἄνω μύλου. *Catillus igitur*, addit, *molæ, id est*, πίναξ, *id fuerit, quod Græci* τράπεζαν μύλου *appellant*. Conferantur tamen ista cum t. II. fol. 191. b. Ita & Hesychius: Ὄνος ὁ ἀνώτερος λίθος τοῦ μύλου, & alibi, μύλη λέγεται ὁ κάτω τῆς μύλης λίθος, ὁ δὲ ἄνω ὄνος, qui iterum alibi ἀλετῶνες interpretatur τοὺς τοῖς μύλοις ἐπιτιθεμένους λίθους. Horum quicquid sit, nobis sufficiat, Græcos ὄνον appellare lapidem molarem, sive ille sit superior sive inferior. Utrique enim pro diversa considerandi ratione hoc nomen assignari potest. Atque huc spectat etiam quod apud Suidam legitur in paroemia, ὄνος ἄγων μυστήρια, quod eam Demon Philosophus ad lapidem molarem Græcis ὄνον dictum, quem coronare solebant, retulerit. Et quod Muretus Var. l. VIII. c. XV. suspicatur, dictum piscem ὄνον, quod in cerebro lapides habeat, molarium similes. Græcos secuti Latini non solum ideo servos Asinos adpellarunt, sed ipsum quoque hunc lapidem vocarunt *asinum*, præeunte Catullo in Epigr. 98. ad Æmilium.

> *Et non pistrino traditur atque* asino.

Hic enim asinum notare præcipuum molare saxum, dudum confirmarunt Muretus Var. LVIII. cap. XV. & Is. Vossius obs. ad Cat. pag. 326. ubi ex Eustathio monet, tales lapides præcipue provenisse in Antroniis & Acharnensibus, unde paroemia nata, *Antronius, & Acharnensis asinus*, de lapidibus, qui reliquis ad molendum præstare credebantur. Vix ergo rem acu tetigisse videntur, qui *tradi asino* explicant, suffici in locum asini molas versantis. Forte & huc referri possent illa Virgilii lib. I. Georg. vers. 276.

> *Sæpe oleo tardi costas agitator aselli*
> *Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens*
> *Incussum* (al. incusum, h. e. cudendo incisum, ut asper fieret) *aut atræ massam picis urbe reportat.*

v. Pitiscus tom. II. fol. 191. b. Theod. Hasæus de Ὀνολατρείᾳ cap. 4. §. 13. p. 80. seq. Dempster. ad Ros. lib. I. cap. 14. pag. 66. ubi addit: *Lapidem incussum recte dixit (Suidas ὄνον vocat, asinum) nam circumacto lapide frumentum terebatur.*

XVII. His observatis clarissime constat, quid sit μύλος ὀνικὸς apud Matthæum cap. XVIII. 6. & Lucam cap. XVII. 2. Vulgata absurde per *molam asinariam* Esels-Mühle explicat. Et mirum, Syriacam quoque versionem hic applaudere, quæ non tantum gemino loco citato, sed & Marc. IX. 42. רחיא דחמרא *mola asini* habet. Nec aliter multi interpretes Ambrosium atque Hilarium secuti, quam de mola asinaria, ab asinis circumagi solita accipiunt, cum de superiori vel inferiore molæ lapide versatili interpretari debuissent, quasi scriptum fuisset, ὄνος μυλικὸς h. e. λίθος μυλικός. Cum cæteris erravit quoque Henric. Stephanus Thes. ling. Græc. fol. 988. ad Marc. IX. 42. scribens: Μυλικὸς λίθος, *Molaris lapis. Sed intellige non de illo genere lapidis quod ad conficiendas molas est aptum, sed de mola ipsa, apud* Marc. 9. *At vero Matth. & Luc. idem dictum commemorantes, habent* μύλος ὀνικὸς, *quod sonat mola asinaria. Quibus verbis in illo Marci loco vetus interpres est usus.* Ecquis vero crederet, molam asinariam quamvis exiguam collo appendi potuisse? Hinc non ex Matthæo & Luca, Marcus, sed ex Marco isti h. l. sunt explicandi. Hic enim omnium clarissime λίθον μυλικὸν sive μυλωνικὸν, ut quidam codices habent, exposuit. Quod dudum viderunt Tertullianus & Lutherus, proinde non molam, sed *saxum molinum*, Mühlstein reddentes, c. Theod. Hasæus c. l. cap. 4. §. 13. p. 81. Cæterum an vocem ὀνικὸς ideo adhibuerit Christus, ut pœnam aggravaret, cum lapides in molis asinariis grandiores essent quam in manuariis, ceu nobis persuadere conatur Conrad. Mel Antiquar. S. P. 2. Sect. 4. cap. 6. §. 5. pag. 263. nolo disquirere. Saltem heic admetiar, quæ ex Ludolfi Histor. Æthiop. lib. 4. de hac denominandi ratione recenset Tentzelius Monatliche Unterred. Jul. 1691. p. m. 569. seqq. cujus verba Germanico concepta idio-

idiomate ita fluunt: Ludolf zeiget aus dem Hebräischen/ weil die Alten keine Mühlen/ wie wir/ gehabt/ sondern die saure Arbeit des Mahlens in ihren Häusern/ in einer Kemnate/ so sie pistrinum geheissen/ mit den Händen verrichten müssen/ als haben sie mit dem obern Stein/ der wie ein Zucker-Hut ausgesehen/ das Korn auf einem andern etwas vertiefften Stein zerrieben/ und hernach durchgesiebet. Gedachten obern Stein nun haben die Latini von seiner form Metam, (Abit ergo ab eorum partibus, qui inferiorem lapidem hoc nomine designat) die Ebräer aber רכב genannt/ ist so viel als jumentum/ oder ein Saum-thier: Die Griechen haben ihn nach solchem Exempel ὄνος, das ist/ ein Esel/ welcher auf dem untern Stein gleichsam herum läufft/ geheissen aller massen unsere Müller ihren obern Mühl-Stein den Läufer nennen. Ist also eine in den Orientalischen Sprachen nicht ungemeine hypallage oder Versetzung der Wörter/ deren sich der Evangelist gebraucht/ wenn er μύλος ὀνικὸς, an statt ὄνος μυλικὸς asinus molaris, Mühl-Esel setzt/ und dadurch den Läuffer/ der mit zweyen Händen getrieben wird/ verstehet. Jocosa sunt, quæ pag. 570. porro subjungit: Ja wenn man nun auf der Cankel/ wie etliche pflegen/ sagen wolte: Im Grund-Text stehet ein Mühl-Esel/ ihr lieben Zuhörer: würde da nicht jedermann einen vierbeinichten groben Esel/ des Müllers Leibthier/ meynen/ und wenn man so eins dem Aergernißgeber an Halß knüpffen solte/ würde es ein seltsam Gezappel im Meer geben/ und ein Esel mit dem andern wohl gar wieder ans Ufer schwimmen.

XVIII. Cum locis allegatis Christus de scandalizante parvulum dicat, quod dignus sit, ut μύλος ὀνικὸς περίκειται περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, *Molaris lapis alligatus sit collo ejus*, & suffocetur in mari profundissimo, Luc. XVII. 2. non incongruum erit, si pauca de hoc supplicii genere hic immisceamus. Græci vocant καταποντισμὸν, quem penes Judæos quoque obtinuisse, Servator innuere videtur. Et Hieronymus hunc pœnæ modum Palæstinis primum fuisse peculiarem observat. Unde & Joh. Drusius Observ. lib. III. cap. 23. monet, in consuetudine apud veteres Hebræos positum fuisse, ut qui crimen aliquod gravius commiserat, is, si deprehenderetur, in profundum saxo ingenti alligatus demergeretur. Sunt tamen, qui hoc supplicii genus apud Judæos non ordinarium fuisse, & saltem a vicinis gentibus hanc loquendi rationem acceptam contendunt. De quo hic certandi locus non est, vid. Balthas. Stolbergius Pent. thes. Philolog. thes. I. De Græcis res decantata est. Hi enim lapidem molarem in suppliciis capitalibus alligabant collo suffocandorum, teste Suida, ὅτι κατεπόντουν πρὸς λίθους ἀπὸ τῶν τραχήλων ἀπεκρέμαζον. *Quum aliquos in mari submergebant, de collo suspendebant lapides*, v. Conr. Mel Antiquar. Sacr. loc. cit. 263. Nec aliæ gentes eam ignorarunt consuetudinem. Saxo Sialandicus hist. Danic. lib. 2. pag. 14. citante Heringio quæst. 4. num. 41. pag. 85. narrat, Frothonem Regem duos ex cubiculariis palam insidiarum convictos, ingentibus saxis adfixos pelago obruisse, ponderosum animi crimen adnexa corporibus mole mulctando. Pertinet huc quoque Victor Episcopus Uticensis de persecut. Africæ lib. 21. *Imitator*, inquiens, *existens Hunerychus Genserichi patris, qui sui fratris uxorem ligato pondere lapidum in Avisagam* (al. Ampsagam) *fluvium Cirtensem fœtidum jactando demersit*. Ab eodem Heringio d. l. num. 42. citatur Ado Viennensis in Chronicis ętate 6. pag. 165. scribens: *Gondobaldus Chilpericum fratrem suum interfecit, uxoremque ejus ligato saxo ad collum in flumen demersit*. Id quod & iisdem fere verbis refert Gregorius Turonensis lib. 2. hist. Francor. pag. 90. qui & lib. I. pagin. 29. aliud memorat exemplum: *Eo tempore*, inquiens, *Quirinus Sistiensis Ecclesiæ Sacerdos gloriosum pro Christi nomine martyrium tulit, quem ligato ad collum molari saxo in fluminis gurgitem sævitia impulit paganorum*. His Autoribus adjiciendus Lactantius de mortibus persecutorum, qui apud Stephan. Baluzium Miscellaneor. lib. 2. §. 15. p. m. 13. de persecutione Diocletianea agens, scribit: *Comprehensi Presbyteri ac ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus & ætatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circumdato igni ambiebantur domestici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur*. Baluzius Not. ad Lactant. 380. ex Eusebii libro de martyribus Palęstinę cap. 6. notat, quod is, martyrium Agapii narrans, referat, illum appensis ad pedes ejus lapidibus medio mari submersum esse.

XIX. Huic affine videtur illud puniendi genus, quo reus lapides portare cogebatur. Certe Heringius cit. loc. n. 43. pag. 85. scribit: *Hodie in usu pœna est*, daß einem die Schand-Steine werden angehengt/ *quos reus portare cogitur. Sic nonnullæ gentes ferreis catenis, collo adulteri saxa adligabant, ut omnibus ludibriis expositus, solo terrore fragiliorem sexum a corruptela* ar-

arceret. Penes Hebræos *molarem collo suspensum habere* proverbialiter pro re valde onerosa adhibetur. Hinc legas Kiddusch. f. 29. 2. ריחים בצוארו יעסוק בתורה *Etsi quis lapidem molarem suspeasum habeat in collo suo, tamen operam dabit legi*. Cujus dicti sensum sic explicuit Buxtorfius Lex. Rabb. f. 2252. *Si quis in tenui re constitutus uxorem duxerit, neque mediis commodis ad vitam sustentandam instructus fuerit, adeo ut uxor ei non minori sit oneri, quam si molarem lapidem de collo suspensum haberet, tamen operam dabit legi*. Paulo aliter idem interpretatur Conr. Mel. c. I. P. 2. Sect. 4. cap. 6. §. 5. p. 262. seq. qui Judæos per saxeam, seu loquitur, metaphoram, *molam collo appensam habere*, rem semel susceptam non deserendam, designare existimat, ceu illud proverbium in Kiddusch im f. 29. citato explicetur: *Dicit R. Samuel, traditio est, ut ducat quis uxorem, & postea applicet se ad discendam legem*; cum e contrario R. Jochanan dicat: רחיים לא בצארו ויעסוק בתורה: *mola non in collo ejus addicet se ad studium legis*; i. e. antequam impedimenta accipiat.

XX. Occasione lapidis molaris, quem superius una cum iis, qui offendiculum dedere, in mare projici solitum diximus, incidit in mentem *Apocal.* XVIII. 21. ubi magnus molaris ad designandum Babylonis interitum in mare cum impetu ab Angelo conjectus legitur. Quem Plutarchus προαγόμενον λίθον, Aristoteles, λίθον ἀλώμενον, Marcus, λίθον μυλικὸν, Lucas μύλον ὀνικὸν nominat, eum Johannes cit. loc. λίθον ὡς μύλον μέγαν, כאפא איר הא רחיא רבתא appellat, indicans, lapidem hunc visum esse magnitudine adæquare molarem. Hujus emblematis, quod ex *Jer.* LI. 63. 64. repetitum videtur, interpretatio statim additur enim Babylon saxi molaris ad instar ὁρμήματι cum impetu, & subitaneo magnoque jactu projicienda, ut in rerum natura non amplius inveniatur. Petrus Johannes Olivi apud Baluzium Miscell. lib. I. p. 255. non male ad hæc observat: *Nota, quod sicut ante ejus* (Babelis) *casum malitia & potestas ejus supra modum impedivit & angustavit spiritum electorum, & conversionem totius orbis: sic ejus exterminium erit sanctis quasi exitus de carcere ad libertatis latitudinem & volatum, & exitus de tenebrosissimo fumo fornacis ad lucem solarem, & sicut exoneratio a* Lapide Molari, *seu a monte immenso*. v. Campeg. Vitringa ad Apocal. h. l. p. m. 796. seq. qui ad exponendam similitudinis rationem duo monet, (1) esse emblema lapidis magni aptissimum ad figurandum imperium vel regnum qualecunque, ceu patet ex *Zach.* XII. 3. unde petenda sit hujus symboli expositio. *Magna enim*, addit, *& vasta Imperia difficulter loco possunt moveri*. Ezech. XXVII. 21. *Si quis tamen id tentare velit, facile is se ipsum lædit, magnæque & pœnitendæ noxæ periculum subit*, cap. XLVII. 19. Porro, *Lapis*, ait, *Magnus si in mare projiciatur, prorsus disparet, nec amplius videtur, qualis est casus magnorum Imperiorum aut Urbium, si excisæ & solo æquatæ pereant*. 2. In voce βληθήσεται eleganter alludi ad urbem Romam, cum רמא Chaldæis sit *jacere, projicere*, unde forma passiva Ithpeal אתרמי Verba igitur Græca βληθήσεται Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, sic efferenda esse Chaldaice, תתרמי בבל רבתא *Projicietur Babel magna*. Proinde elegantem obviare Paronomasiam רומא תתרמי *Roma projicietur* instar lapidis molaris in mare. Hinc & Syrus: תתרמא בבל מדינתא הי רבתא Alioquin illustrari posset phrasis recenti consuetudine, qua hodie ostiis Albis & Visurgis lapides molares immerguntur, *quibus ferreis catenis adnexæ Tonnæ fluctibus supernatant, ad demonstrandam navibus ex Oceano viam in portum*; quod annotavit Heringius qu. 4. num. 43. pag. 85.

XXI. Molari lapide interfectum Abimelechum refert Scriptura, in obsidione urbis Thebez. Judic. IX. 53. 2. *Sam.* XI. 21. Cum enim is ad turrim, quo multi urbis incolæ confugerant, accederet, eidem admoturus ignem; dejecit mulier פלח רכב *fragmentum molaris* super caput Abimelechi, & confregit cranium ejus. Qualia etiam Autor historiæ de vita Henrici IV. Imper. pag. 185. habet, *Fœmina*, inquiens, *sexu fœmina non animo, quæ in turrim evaserat, molarem in caput regis misit. Et sic ille manu fœminia, ut mors ejus turpior esset, occubuit. Sed ut hoc dedecus dealbarent, fœminæ factum & in virilem personam ex composito transtulerunt*. Colligit inde Justus Lipsius lib. 5. Poliorc. Dialog. 4. in fin. non esse existimandum, initio molares tam grandes tantæve magnitudinis fuisse, atque nunc passim visuntur; alias quippe impossibile fuisse, illos sublevare, & in ascendentes hostes conjicere. *Ipsæ vero molæ projectæ, an lapides? & hi quoque ponderosi, & prægraves, ac suffecerint vel fragmenta, si quis pro nostris moribus saperet & sentiret. Sed molares illi veterum non tam grandes, ut nec ipsæ molæ: quæ manuariæ tantum, & a servis volendæ. Itaque creboæ erant, & fere domesticatim. Atque inde toties in hac tali historia, molares immissos, aut jactos. Illos,* dico

dico modicos: nec ad nostros aptabis; ceu verba habent ap. Pitiscum T. II. f. 217. a. Ne exempla desint, ex profanis Scriptoribus nonnulla afferemus, ceu ea congessit Heringius qu. 4. num. 47. p. 87. Sic Ovidius lib. 3. Metamorph.

> *Aut comes, inquit, ero; dixit, dextraque molarem*
> *Sustulit, & magnum magno conamine misit.*

Statius lib. 3. Thebaid.

> —— *Vastæque sudes, fractique molares.*

Ammianus Marcellinus lib. 20. *Dolia desuper cadebant, molæ & columnarum fragmenta: quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnantes.* Rursusque idem: *Agitantes arietes denso saxorum pondere molarium fomentisque ignium variis ire protinus vetabantur.* Taceo reliqua, quæ apud Heringium magno numero occurrunt, cujus tamen negligendum non est judicium, antea dictis paulo contrarium, dum inquit: *Meo igitur judicio quoniam frusta fuisse jacta dicitur vel Synecdochice effertur: & quia non semper ejusdem magnitudinis, sed modo grandes modo parvi molares fuerunt, atque etiamnum visuntur, uutrumque potest esse verum. Et quidem ingentia fuisse saxa antiquitus, adparet ex tormentorum machinis, quæ illa in bello ejiciebant.* Et quibusdam interjectis: *Sic etiam Ballista fuit minor & major. Minor hastam jacit & parva spicula ac lapides minutos vel eorum fragmenta. Major vero formabatur ea magnitudine ut lapides* CXX. *pondo ejacularetur.* Quare Silius Italicus lib. I.

> —— *adductis stridula nervis*
> *Phocais effundit vastos ballista molares.*

Plura vide apend. eundem Heringium pag. 88.

XXII. Poetis familiare est, pro telis suggerere Heroibus molares lapides, quos insuper haud raro pro saxis quibusvis grandioribus usurpant, non ad molam, sed ad solam magnitudinem respicientes. Hinc Statius Thebaid lib. 5. vers. 385. seqq.

> *Instamus jactu telorum, & ferrea nimbis*
> *Certat hyems: vastæque sudes fractique* Molares,
> *Spiculaque, & multa crinitum missile flamma.*

Et *lib.* 8. *Thebb. vers.* 710.

> —— *circumque sonori*
> *Vertice percusso, volvuntur in arma* Molares.

Item Virgilius *lib.* 8. *Æn. vers.* 250.

> *Desuper Alcides telis premit, omniaque arma*
> *Advocat, & ramis, vastisque* Molaribus *instat.*

Ubi recte Servius: *Asperrimis saxis, non unde molæ fiunt. Et secundum Homerum dixit,* μολόενδϊ πέτρῃ. *Aut certe magnis & molis convenientibus.* v. Casp. Barthius ad Stat. ll. cc. T. III. p. m. 195. & 930. seq. ubi ex Lucano paria adducit. Communissime tamen & proprie lapides, qui molæ inserviunt, *molares* dicuntur, quos & alio nomine *Pyrites* vocabant; an a Græco πῦρ, quod *ignem* notat, qui plurimus illis inerat, an a πυρὸν, quo frumentum designatur, quod lapides illi conterebant, non disquiram. Dictos vero sic fuisse, testatur Plinius XXXVI. 19. p. 1548. *Molarem quidam* Pyriten *vocant, quoniam sit plurimus ignis illi: Sed est alius etiamnum* Pyrites *similitudine æris.* Haud dubie eosdem indigitat Serenus:

> —— *ningit*
> *Copia farris uti frendentibus eruta saxis.*

Attius quoque Troadibus:

> *Saxo fruges frendam.*

Plura autorum loca citat Heringius qu. 4. num. 44. pag. 86. qui & num. 45. non ineleganter de molarium fodinis, quales apud urbem Antroniam fuere olim, (vid. quæ supra diximus §. XVI.) & modo eos conficiendi, differit, notans ex Jos. Scaligero, per *Vimen* percolari liquefacta saxa, exque his, ut obriguerunt, fieri molares lapides. Hæc & alia, quæ ex Strabone aliisque affert, sicco nos pede transire, eoque Lectorem remittere malumus, quam tædiose crambem jam coctam apponere. Prouti & tritum satis sermone proverbium, quod ibidem p. 87. exponitur, zweene harte Stein mahlen selten rein, in eos dictum, qui vehementioris animi & iræ sunt, quorum unus alteri cedere nolit, nisi cum maximo utriusque damno; prolixa hic non indiget enucleatione.

XXIII.

XXIII. Illam ſaltem hic attingere licebit quæſtionem hinc inde agitatam: Quiſnam ex lapidibus utiliſſimus & pretioſiſſimus cenſeri debeat? Cui quæſtioni ſatisfieri exiſtimamus, ſi lapidem molarem cætera ſaxa & pretio & uſu longiſſime ſuperare, reſpondeatur. Quod innuit eques ille Waldeccenſis, Joſias Boſius, qui fragmentum molaris annulo cingendum, curaſſe, eoque ornaſſe digitum fertur; hanc reddens rationem, ſe hunc ipſum lapidem nobiliſſimum eſſe haud immerito arbitrari, acceptum quippe non niſi molis referendum eſſe, quod vitam Nobili dignam agere poſſit, cum alios e diverſo quamvis pretioſiſſimos oſtentantes annulos, fame fere enecari videas. Das wäre ſein edelſter Stein / denn von den Mühlen könne er ſeinen Adelſtand führen / dahingegen andere bey ihren Ringen Hunger und kummer leidem müſten. Idem ſuo firmavit ſuffragio Rudolphus Camarienſis. Hic enim cum ducem Andegavenſem in caſtris viſitaret, eique gemmarum multitudo oſtenderetur, quæſivit, quemnam illæ præſtarent uſum? audiens vero, pompæ ſaltem ac vanæ jactantiæ eas inſervire, ad molas deduxit Ducem, monſtrans eidem, hic adeſſe lapides, unde ſperanda utilitas ſit. conf. Miſander Del. Bibl. V. T. An. 1695. qu. 194. pag. 699. ſeq. ubi roborandæ ſententiæ ergo & hæc ſubjungit: Zu Dankig auf dem Radaun ſoll eine Mühle mit 18. Gängen ſeyn / die ſoll der Rent-Kammer alle Stunden einen Ducaten einbringen. Daher es auch viel reiche Mülleg giebt / zumahl ſie eigene und ſtattliche Mühlen haben / wie denn gemeldet wird / daß einſt Churfürſt Albertus zu Sachſen mit einem Müller zu Nürnberg geſpielet / und dieſem ſeine Mühle mit 11. Gängen biß auf den lekten abgewonnen habe / da denn der Churfürſt geſagt: So muß man dem Bauer den Pflug feulen. Wie aber das Glücke ſich wendete / und der Müller ihme alles wieder / auch noch darzu viel Gelds abgewonnen / ſagte er: So muß man den Fürſten die Sporen und Rincken abgürten.

XXIV. Lapidum molarium ad inſtar in carnea mola, cujus nomine ſæpe maxilla ſive mandibula venit, ſunt dentes maxillares, ideo quoque *molares*, dicti, quod cibum a cæteris dentibus præmorſum poſtea molant, quos in quolibet homine primo ætatis ſeptennio enaſci, teſtantur autores ab Heringio quæſt. 2. num. 26. pag. 42. citati, quo ſpectat diſtichon:

Impubes & adhuc infans quum ſepta molaris
Educit primum, ſeptimus annus erit.

Plura, quæ ibidem occurrunt, non memorabo, inter quæ legi merentur verſus arguti, quorum autor Quint. Stoa a nonnullis dicitur, quibus cujuſque literæ ſonus, ſervato Alphabeti ordine, exprimitur. De molitura dentium non incongrue Lactantius lib. de opific. Dei c. 10. *Habet*, inquit, *præterea & aliud lingua officium, quod contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſua deprimit, & traſmittit ad ventrem.* Eraſmus quoque ingenioſe dixit: *Poetis eſſe linguam, qua invehantur; at Principibus eſſe molares, quibus eos conficiant.* His ex Heringio pag. 43. addam ænigma Germanicum:

Es hat ein Mühl bey dreißig Stein /
Und hat nur ein Belauff allein /
Darvon ſich nehrt ein Burg gebaut /
Künſtlich von Fleiſch / Bein und von Haut.

Quam molam ipſe ex Johann. Heidfeld. ſphing. theol. cap. 38. pag. 896. de ore hominis inſtructo triginta dentibus, quaſi lapidibus molaribus, quibus comminuitur cibus, unde corpus alatur, explicat. Mola hæc in ſenibus ceſſat, dum, ingraveſcente ætate, dentibus tantum non omnibus privantur; quod eleganter deſcripſit Eccleſiaſtes cap. XII. 3. dum הטחנות *τὰς ἀληθούσας* vel *μύλους γομφίους molitrices* ſive dentes molares in ſenibus ceſſare aſſerit, ac attritionem intermittere, ſiquidem illi diminuantur, h. e. vel prorſus perdantur, vel obtuſi aut nigredine obducti, aut eroſi evadant. Memorabile eſt, quod narrat Heringius c. l. p. 43. de fonticulo, qui Suſis eſt, quod qui ex illo biberint, amittant dentes; quam in rem ſequens adducit Epigramma:

Hoſpes aquam cernis metuendam, innoxia membris
Sumere mortales, unde lavacra queant:
Si nimum in ventrem nitidam dejeceris undam,
Admoris tantum labra ſuprema licet,
Protinus in terram latentur ab ore molares,
Et ſedes linquent mandibulæ vacuas.

XXV. Cæterum non dubitandum, quin de molaribus dentibus loquatur Statius Theb. lib. I. v. 622. in illo:

Proterere exanimes artus, asprosque Molares
Deculcare genis, nequit iram explere potestas.

Videatur tamen Bartius ad h. l. T. II. p. m. 202. Eosdem quoque indigitat Juvenalis Satyr. v. lib. 1. vers. 159.

—— *pressoque diu stridere* Molari.

Quod signum iræ est. Irati enim dentibus fremunt, frendent ac strident. conf. ad h. l. Eilh. Lubinus p. m. 217. Idem lib. 5. Sat. 13. vers. 212: de cibo, qui difficulter deglutitur:

Interque Molares
Difficili crescente cibo.

Pertinet huc ex Sacris *Job.* XXIX. 17. אשברה מתלעות עול Συνέτριψα μύλας ἀδίκων, *confregi molares iniqui*, & e dentibus ejus eripui prædam. Et Ps. LVIII. 7. *Deus destrue dentes eorum in ore eorum,* מלתעות *molares leonum juvenum everte Jehova*. Quæ Vulgata versio sic reddit: *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum,* Molas *Leonum confringet Dominus*. Vox מלתעות quæ est a *Rad. inus.* לתע ex *Arab.* לתע *percussit*, restituenda, literis transpositis dicitur etiam מתלעות quod patet ex *l. c. Job.* XXIX. 17. cui addi potest *Prov.* XXX. 14. Imo *Joel.* I. 6. ubi memorantur מתלעות לביא *molares leonis* immanis & annosi quidem non tamen decrepiti, cum dentes molares ipsi attribuantur. v. *Buxtorf. Lex. Heb. pag.* 383. & 401. Gallus habet: *Les dents machelieres d'un vieux lion.* Notandus denique locus Augustini *lib.* 15. de *Civ. Dei cap.* 9. singulare quid ac mirum referens: *Vidi, ait, ipse non solus, sed aliquot mecum in Uticensi litore molarem hominis dentem, tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse.*

XXVI. Ut vero e diverticulo ad lapides revertamur molares, eorum in pistrinis usus Plauti etiam ætate obtinuit, ceu verba indigitant *Asinar. Act.* I. *sc.* I.

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?

Ad quem locum Taubmannus *pag.* 80. ex Turnebi *observ.* ad illos Lucretii versus *lib.* I. 880.

Conveniebat enim fruges quoque sæpe minutas,
Robore cum saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut aliquid nostri quo corpora aluntur
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem;

notat, *duas rationes molendi indicari a Poeta: unam, cum suspensa mola fruges frangimus, ut in faba fresa, & in polenta crassiuscula:* (quam Græci χέλμινον vocant, & ex eo χελμινώδη appellat Aristoph. in Nebul. III. 3. 5. quæ crassa sunt;) *alteram, cum molæ non suspenduntur, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam; cum tenuior farina & minutior elicitur. Atque hinc Comica quadam lascivia & lusu servum circuloqui pistrinum ex genere molituræ &c.* conf. etiam Joh. Ludov. de la Cerda ad Virg. I. Æn. v. 183. num. 10. fol. m. 40. Pitiscus T. I. f. 822. a. T. II. f. 216. a. Hering. qu. 4. num. 68. pag. 97. Conveniunt cum his quodammodo molæ incolarum Ceylandiæ, uti Treunerus cap. 2. §. 5. pag. 8. refert ex Rob. Knox Itiner. Ceylandiæ p. 22. qui ait: *Incolæ Ceylandiæ Coracan suum (quod seminis genus est, sinapi magnitudine æquans) molituri, loco molæ duobus rotundis lapidibus utuntur, quos ope manubrii cujusdam circumagunt.*

XXVII. Quemadmodum autem molæ manuariæ ita fuere adaptatæ, ut si lapidibus frangenda esset farina, hominum ope indigerent, qui lapides circumagebant: ita merito singulare est, quod Plinius refert XXXVI. 18. pag. 1548. *Molas versatiles Volsiniis inventas aliquas & sponte motas invenimus in prodigiis.* v. Rob. Stephan. dict. lat. fol. 916. Ipsas molas quod attinet, an de loco moveri & aliorsum transportari potuerint, non difficilis est indaginis. Cum enim constet, veteribus & grandiores & parvas fuisse molas, has a quovis moveri potuisse, illarum vero motum magnum exegisse robur & vim hominis, patet. Hinc de Paulo quodam Boemo narrant Antonius Bonfinius rer. Ungar. decad. 4. lib. 2. & Simon Majolus in dieb. canicular. colloq. 4. pag. 133. annotante Heringio quæst. 4. num. 48. pag. 88. quod, corporis animique viribus inauditis pollens, statura, robore, lineamentisque membrorum Herculi, a Poetis & Historicis descripto, prorsus similis, in paterno pistrino alitus molam sæpe frumentariam sine quoquam adminiculo solus humo sustulerit. Ceterum an ex legum dictamine molæ trusatiles rebus mobilibus sint accensendæ, edisserant JCti, quorum hic invadere cancellos, a scopo alienum arbitror. Loquatur tamen eorum no-

nomine idem Heringius quæst. 8. num. 5. pag. 130. qui hac de re ita judicat: *Nullus equidem veterum, aut neotericorum Interpretum mihi est visus, qui in specie expressisset, An molæ trusatiles, asinariæ sive jumentariæ rerum mobilium choro sint adgregandæ, ideoque de his quoque non magnopere mihi laborandum esse censeo. Solus, quod ego sciam, Bertrandus Argentræus ad consuet. Britan. tit. 17. verb. les moubles num. 9. expressim nuperrime scriptum reliquit, has ipsas molas rebus mobilibus attribui, quamdiu mobili structura sunt; postquam autem immobili sunt impositæ, inmobiles fieri, & per se censeri desinere, & in partem ædificii transire, cui, si recte inspexi, etiam accedere voluit Petrus Peckius de testam conjugum lib. 5. cap. 30. num. 2.*

XXVIII. Ad tertiam accedimus pistrinorum speciem, quæ sunt γεράνια ὑφ' ἵππων ἀγόμενα, molæ Jumentariæ, nempe vel asinariæ, vel equinæ, quas asini & equi versabant. Quales & hodienum in aliquibus Germaniæ locis, præsertim in arcibus ac propugnaculi, sunt usitatæ, quæ Roſs-Mühlen vocantur. Non hic omittenda sunt Heringii verba quæst. 5. num. 15. pag. 104. *Quod siquis*, inquientis, *respiciat ad nostra tempora, norunt præsertim illi qui præteritis annis in bello Belgico stipendia meruerunt, ac obsidionibus Lingensi ac Lochumiensi interfuerunt, quas molas jumentarias secum trahere solitus fuerit exercitus tam Hispanorum quam confœderatarum Provinciarum; ut vel inde quoque historiis sua constet fides, narrantibus, Henricum VIII. Regem Angliæ centum molas asinarias sive equinas in curriculis, nec non magnum numerum furnorum, ad obsidionem Bononiensem secum duxisse.* De mola asinaria diserte loquitur Cato de re rustica cap. 10. *Molas asinarias unas, & trusatiles unas, & Hispanienses unas.* Et cap. 11. *Molas asinarias tres, trusatiles unas.* Bene has depinxit Apulejus lib. 9. Metamorph. cujus verba infra cap. IV. §. XLI. prolixius citabo. vid. Treunerus cap. 2. §. 5. pag. 9. Hederich Scul-Lex. pag. 2251.

XXIX. Quod locum attinet, ubi tale pistrinum erat, a quibusdam domus pistoria (die Rafs-Mühle) assignatur inferiori domus parti. v. Hopfner. Græc. Antiqu. lib. 4. cap. 10. pag. 454. Alii pistrinum in loco ab ædibus distincto vel etiam in stabulo eum in usum comparato collocant. v. Hering. quæst. 4. num. 53. pag. 90. qui hanc subjungit causam: *Neque enim licebat usu fructuario stabulum, quod esset domi jumentis & carrucis vancans, pistrino locare. Quasi scilicet per ejus sordes stabulum fiat deterius.* Hæc ut clarius innotescant, paulo ante monet citatus Heringius, quod locus ille, in quo asini ac jumenta pistrinensia stabulabantur, fuerit in ipso pistrino, dictus etiam simili forma Catabulum, in quod, teste Cujacio lib. 16. obs. 5. Marcellus Papa a Maxentio damnatus, ut animalibus deserviret. Circa eundem locum habebant quoque Pistores, ceu hodierni molitores, Haras, in quibus porci saginabantur, attestante id Plauto in Captivis act. 4. sc. 2. *Pistores scrophipasci, qui alunt furfure sues, quorum odore præterire nemo pistrinum potest.*

XXX. Porro ex Autorum collatione liquet, Pistrinum varias continuisse molas, quamvis earum numerus exacte determinari nequeat, cum non omnia pistrina totidem semper habuerint molas, sed alia aliis instructiora extiterint. v. Hering. quæst. 4. num. 7. pag. 68. Legas hinc quod Scriptoribus *quadrinæ* memorentur *molæ*, quæ plurimum farinæ in pistrinis faciebant, quas Heringius quæst. 6. num. 2. pag. 112. recte de tali pistrino interpretatur, quod quatuor molas contineat, ut sit nomen numeri, ceu quadriga & quadrimus. Fere, uti apud Catonem de re rust. cap. 18. legimus, Trapeta & torcularia quædam fuisse quadrinis vasis, quæ plus olei vinique premebant. An ex Turnebi lib. 12. advers. cap. 16. fol. 373. seqq. observatione ad illud Pomponii ap. Nonium in pistore: *Nam plus quæsti facerem, quam quadrinas si haberem molas:* quando addit: *Quadrinæ molæ plurimum farinæ in pistrinis faciebant;* colligi possit, discrimen non in mola sed in frumento potius situm fuisse, cum ita farina tritici contrita amplior, hordei minor reddatur, id Heringio l. c. utpote hoc asserenti relinquimus. conf. etiam Pitiscus tit. 11. fol. 217. a.

XXXI. Erant hæc Pistrina Romæ alia publica, alia privata, ceu id ex Autoribus suo loco allegatis, Eutropio, Socrate aliisque, passim apparet. Illa publico inserviebant usui, hæc quilibet privatus sibi familiæque suæ construxit, licet quandoque eorum usum vicinis vel precario vel pro certa mercede indulserit. Huc digitum forte intendit Bertrand. Argentræus, ap. Hering. quæst. 9. num. 66. pag. 170. & quæst. 37. num. 32. pag. 452. dum ait: *De moletrinarum jure nihil esse veteri juris prudentia cautum, quando, feudorum usu nondum comperto, sibi quisque privatim ac familiæ moluit; nunc magnas esse de talibus cautiones &c.* Hinc nec ipse Heringius fundamento desti-

ftituitur, quando quæft. 7. num. 2. pag. 124. fcribit: *Quin ab initio & prifco ævo tam piftrinorum, quam molarum manuariarum, trufatilium, verfatilium, afinariarum, oleariarum & fimilium exftructio ac ufus unicuique privato, plene & abfque reftrictione, etiam in privatis ædibus aut prædiis, & fere domefticatim competierit, extra omnem dubitationem eft pofitum: cujus vetuftæ libertatis beneficio etiamnum in multis locis non folum prædictas molas, fed & terreftria, aquatica, alata five τὰ πνευματικὰ molendina privatorum ufibus adhuc inftar patrimonii defervire, clarum eft.* Idem & porro monet, hanc libertatem in fequentibus temporibus, præfertim apud populos Europæos, valde effe circumcifam, & reftrictam, eo ipfo, quod quæ antea jure gentium fuerant omnibus licita & permiffa, certarum perfonarum pedetentim fieri cœperint, imo jurisdictione quoque facta fint privata & propria. Quæ una cum reliquis ap. eundem Autorem ex hiftoriarum monumentis docte differentem legas.

XXXII. Piftrina publica per fingulas urbis regiones certo numero conftituta erant, tefte Guid. Pancirollo, ap. Grævium tit. III. fol. 328. quia molæ aquaticæ non tantum farinæ, quod univerfo populo fufficeret, pinfere, poterant, hyeme præfertim aqua glacie concreta, imo quia ejufmodi moletrinæ non ubique erant, eafque longius petere nolebant. Quodlibet vero piftrinum plus minus octo & quinquaginta infulis & domibus fufficiebat. v. Hering. quæft. 7. num. 1. pag. 123. Pitifcus tit. II. fol. 437. b. Circa determinandum numero maximopere variant auctores. A calculo enim Sexti Rufi abit numerus piftrinorum obvius in Pub. Victoris libello de Urbis Romæ regionibus & locis. Rurfus aliter computat Onuphrius Panvinius in defcriptione urbis Romæ. Et Pancirollus iterum aliam tradit computandi rationem, ut cæteros, qui urbis Romæ regiones delinearunt, ficco pede tranfeam. Nos quatuor memoratos Auctores conjungemus, fequenti tabula:

PISTRINA ROMÆ NUMERAT

	Ruffus.	Victor.	Panvinius.	Panciroll.
Region. I.	XII.	XX.	XII.	XX.
II.	XXII.	XII.	XXIII.	XII.
III.	XXIII.	XII.	XXIII.	XVI.
IV.	XXIII.	XII.	XXIV.	XII.
V.	XXVII.	XII.	XXII.	XV.
VI.	XXIII.	XII.	XXIII.	XVI.
VII.	XXVII.	XVI.	XVII.	XV.
VIII.	defunt	XX.	XXX.	XX.
IX.	cætera.	XX.	XXXII.	XX.
X.	---	XX.	XII.	XX.
XI.	---	XII.	XII.	XV.
XII.	---	XX.	XXV.	XX.
XIII.	---	XX.	XXX.	XX.
XIV.	---	XXII.	XXXII.	XXII.
Summa	CLVII.	CCXXX.	CCCXVII.	CCXLIII.

Cæterum conferri poffunt hanc in rem Grævius tit. III. Rofinus lib. I. cap. 13. pag. 20. feqq. Pitifcus tit. II. fol. 605. feqq.

XXXIII. His publicis piftrinis præerant curatores; privata vero exercitor piftrini gubernabat, ad quem omnes obventiones & reditus piftrini pertinebant, five is dominus effet, five a domino pro certo pretio conduxiffet. Dicitur is ab Ulpiano in lib. I. §. 9. depof. piftrinarius, ab aliis Piftor. Propria ejufmodi pi-

pistrina Romani cives, aucta ipsorum potentia, non modo in urbe sed etiam in villis lautioribus habebant. Quo non tantum pertinet illud Varronis in satyr. de edul. *Si quantum operæ sumsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem*. Sed & Svetonii locus cap. 48. quod de Julio Cæsare scribit: *Domesticam disciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo severeque rexit, ut pistorem alium, quam sibi panem convivis subjicientem compedibus vinxerit*. Hunc pistrinorum usum libertati naturali maxime fuisse consentaneum, indigitat Heringius qu. 10. n. 2. p. 173. scribens: *Cum frumenta serere, demetere, excutere sit actus meræ facultatis, unicuique hominum citra restrictionem, pro habendo victu quotidiano, etiamnum permissus: ideo quoque nemini viam vel modum, talia frumenta in farinam redigendi, intercludendum, non magis, quam ab initio contusionis ac pistrinorum furnorumque usu mortalibus interdici potuit, ac consequenter æquo animo ferendum esse, ut unusquisque pro arbitrio non solum proprium furnum habeat, sed etiam aut manuariis aut jumentariis vel aliis moletrinis in suo exstructis utatur*. De reliquis, quæ idem de jure Principis in molendina addidit, non possum, nisi extra oleas vagatus, agere.

XXXIV. Uti vero in locum Pilorum, Trusatilium & Asinariarum molarum successerunt Aquariæ aliæque hodie usitatæ: ita quoque nunc aliis, quam prisca ætate instrumentis opus est, quamvis pistrina veterum cum modernis molis magnam cognationem habeant. Harum vero, quæ apud nos vigent, varias partes non attinet hic prolixe enumerare, tum quod id ab instituto nostro paulo alienum est, tum, quod eas Heringius libro sæpius citato passim suis locis descripsit. Quæ enim ille quæst. 4. pag. 98. non tantum de rotis molaribus, sed & de aliis, quorum in molis necessarius est usus, exposuit, commodius hic omittuntur, ne longa cuiquam stomachum moveant enumeratione. Illud saltem brevissimis annotare lubet, quod cum aqua in molendinis aquariis utramque faciat paginam, & ab illa omnis molendi vis dependeat; natum inde proverbium sit: Wie kein Schäffer Wayde genug hat, also hat auch kein Müller Wassers genug: Cui & molitorum avaritiam originem dedisse, siquis velit asserere, ei nullas lites movebo. Cujus habita ratione optime etiam explicari posset illud vulgatum, quo Molendinis & mulieribus semper aliquid deesse asseritur, non aliter ac avaros semper indigere, ipsisque nihil satis esse, compertum est.

Al Molino ed alla Sposa
Sempre manca qualche cosa.

vid. Hering. quæst. 4. num. 4. pag. 67. num. 71. pag. 99. quæst. 17. num. 28. pagin. 307.

CAPUT IV.

De Pistoribus, Servis, Ancillis, Jumentis, aliisque, in Pistrino laborantibus.

ARGUMENTUM.

I. *Methodi ratio redditur. Pistores olim, qui pistrinum exercebant. Pinsores & Pistores iidem.* II. *Postea panifices pistores dicti.* III. *Pistorum officium. Pistores dulciarii. Panchrestarii.* IV. *Coqui & pistores olim iidem.* V. *Pistores conviciari se invicem soliti.* VI. *Pistores Romæ non fuerunt ante A. U. C. 580. Mulierum opus erat panem facere & molere.* VII. *Objectio ex Plutarcho, qui mulieribus panificium ac molituram denegat, diluitur.* VIII. *Adamus Pistor. Post Abrahamum mulieres & viros panes fecisse, confirmatur. Modus panificii* Hos. VII. *descriptus. Clibanus Pistorum.* IX. *Duplex olim pistorum officium.* X. *Collegium & corpus pistorum a Trajano institutum; quo fine? Cur necessarium corpus dictum?* XI. *Pistores sub cura patronorum & præfecti annonæ. Mancipes sive Curatores pistrinorum quinam? Comes horreorum quis?* XII. *Forum Pistorium. In foro frequentes Pistores. Pistorum privilegia.* XIII. *Reliqua Pistorum conditio a Zimmermanno delineata.* XIV. *Pistrinum quinam exercuerint? Ministeria pistrini inter servos distributa. Servus Molitor, Pollinctor; Fornacarius, Focarius, Aquarius, Pistor, Institor, Agaso, Catabolensis, Scoparius, Mediastinus.* XV. *Discrimen inter servos in pistrino servientes & damnatos.* XVI. *Principes, Philosophi & Poetæ in pistrino.* XVII. *Thearion Pistor. Caracalla molens & panem faciens. Pittacus in mola.* XVIII. *Asclepiades, Menedemus, & Cleanthes farinas pinsentes.* XIX. *Poetæ Romæ pistores fieri necessitate coacti.* XX. *Plautus in pistrino.* XXI. *Veteres ad molas locabant servorum operas.* XXII. *Labores in pistrino præstandi vilissimi; hinc mancipiis abjectissimis injuncti.* XXIII. *Ancilla post molam sedens* Exod. XI. 5. & XII. 29. *Carcer molentium.* XXIV. *Sensus dicti* Jobæi cap. XXXI. 10. *enodatur.* XXV. Jes. XLVII. 2. *illustratur.*

XXVI.

XXVI. *Loca* Matth. XXIV. 41. Luc. XVII. 35. *exponuntur*. XXVII. *Testimonia autorum profanorum de mulierum in pistrino labore*. XXVIII. *Servi Hebræorum a laboribus onerosis immunes, non tamen a pistrino. Pistrini gravissimus labor*. XXIX. *In pistrinum detrusi pœnæ instar servi nequam, inprimis fugitivi*. XXX. *Servi hac conditione in pistrinum missi, ut nunquam manumitterentur*. XXXI. *Variorum autorum formulæ de pistrini pœna citantur*. XXXII. *Simson ad molas damnatus*, Judic. XVI. 21. *Refelluntur qui molam Simsonis de venereo actu exponunt*. XXXIII. *Simson cur oculis orbatus?* XXXIV. *Ejusdem vincula illustrantur*. XXXV. *Juvenes ad molendum abducti*, Thren. V. vers. 13. XXXVI. *Jumenta pistrinensia quænam?* XXXVII. *Asini an jumenta? Eorum penes veteres usus & abusus*. XXXVIII. *Asinus molarius, molendinarius, machinarius*. XXXIX. *Asinorum in molis usus testimoniis comprobatur. Cur velata facie circumegerint molas asini?* XL. *Caballi in molis, inprimis annosi, & deterioris conditionis*. XLI. *Pistrinensium jumentorum labores ab Apulejo descripti*. XLII. *Horum loco quandoque servi erant. Incolæ regionis Congi belluarum vicem implent in re vehiculari. Servi cur asini dicti & molæ præsepia?* XLIII. *Servi in pistrino ludibrio habiti*. XLIV. *Iidem polenta nutriebantur. Pausicape quid? Machinæ servorum. Molilia. Helcium sparteum, unde Helciarii. Manubrium molæ & Molucrum quid?* XLV. *Verberibus cæsi servi in pistrino. Mos flagellis cædendi servos ad tibias. An servi apud Romanos tibicines?* XLVI. *Servorum conditio hodie mitior. Quibusdam in locis hodienum prisca Romanorum consuetudo viget. Pistrina publica quando & cur abrogata?* XLVII. *Cur molitorum contemtum & vile genus vitæ habeatur? De molitorum furtis*. XLVIII. *Obsequium pistrini olim inter sordida munera. Augusto contemtus causa objectum, quod ipsius avus pistrinum exercuisset. Alii eandem sortem experti*. XLIX. *Pistores a dignitatibus olim exclusi*. L. *Hodierni molitores veterum pistorum successores. Vestes molitorum*. LI. *Molitura hodie pro sordido opificio non amplius habetur*.

I. UT pistrina frumento frangendo inservirent, hominum & jumentorum adjumento opus erat; cum enim sponte non moverentur, eorum, a quibus circumagerentur, opera requirebatur. De his hoc capite agere constitutum est, quo tum de Pistoribus, Servis & Ancillis in pistrino laborantibus, tum de pistrinensibus jumentis nonnulla afferemus. Pistores a pinsendo (vel, ut placet Isidoro lib. 15. etymolog. cap. 6. a findendis granis, quasi finsores) veteribus proprie illi dicebantur, qui vel pistrinum possidebant: (v. Christ. Schottgenius Lex. Antiq. pag. 920.) vel ipsi frumenta in pilis per pistilla pinsebant & contundebant, nec non sequentibus temporibus molis versatilibus trusatilibusve frangebant. Hinc Taubmannus ad Plaut. Epid. Act. I. Sc. 2. pag. 417. *A piso* Pistores *nominati, qui in pistrino, ante inventum molarum usum, farinam in pila i. e. vase concavo pinserent & contunderent*. Eodem sensu Græcis μυλωθρὸς vocatur, ὁ μύλωνα κεκτημένος καὶ ἐργαζόμενος, *qui pistrinum possidet*, & *in eo opus facit*, v. Henr. Stephani Thes. ling. Gr. tom. II. fol. 989. An ab initio Latinis Pinsores & Pisones, præviis Plinio XVIII. 3. pag. 809. & Alex. ab Alexandro lib. I. cap. 9. in pr. & lib. 3. cap. II. & deinceps demum Pistores & Pistrinarii fuerint appellati, ceu putat Heringius quæst. 4. num. 25. pag. 75. de eo contendere nolo. Sufficit, eodem significatu utramque vocem occurrere. Ita Varro in Taphemenippo: *Nec* Pinsorem *ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam*. Et lib. I. de vita Pop. Romani: *Nec* Pistoris *nomen erat, nisi ei, qui ruri far pinsebat*. Rem illustrat Servius ad lib. I. Æn. vers. 183. cujus verba ex supra dictis cap. III. §. III. hic repetas: *A pinsendo* Pinsores *dicti, qui nunc* Pistores. Locum hic meretur illud Lucani in Panegyr. ad Calpurnium Pisonem pag. 117.

> *Claraque* Pisonis *tulerit cognomina prima*
> *Humida callosa cum pinseret hordea dextra*.

Et Pistorem memorat Cicero Or. XXXVII. in L. Pisonem, Opp. tom. II. p. m. 557. *Idem coquus, idem atriensis*: Pistor *domi nullus, nulla cella: panis & vinum a propola atque de cupa*, v. Hering. c. l. pag. 75. Rob. Stephan. dict. lat. fol. 1102. Pitiscus tom. II. fol. 437. a. Dalechampius ad Plin. VII. 56. n. d. p. m. 342.

II. Nomen hoc *Pistorum* deinde translatum est ad eos, qui subacta farina panem conficiebant, propterea que Græcis οἱ ἀρτοποιοὶ dicebantur, quos ideo recte cum Luciano τέχνην ἔχοντες ἄρτους πέττειν vocares. Taubmannus c. l. *At temporibus ultimis Reipub. & deinceps* Pistores, *ut vulgo notum*, οἱ ἀρτοποιοὶ *vocabantur*. Hinc Glos-

Glossæ veteres: Ἀρτοποιός *pistor*, *panificus*, ἀρτοπώλις, *Panarius*, qui nempe panes coquebat & vendebat. Arnobius l. 2. adv. gentes p. m. 88. *Quid fullones*, *lanarios*, *phrygiones*, *coquos*, Panarios, (al. Panchristarios.) Idem indicat Martialis lib. 8. in Ciperum pistorem, Epigr. 16.

Pistor qui fueras diu, *Cipere*,
Nunc causas agis, *& ducena quæris*,
Sed consumis, *& usque mutuaris*,
A Pistore, *Cipere*, *non recedis*,
Et panem facis, *& facis farinam*.

Quæ verba bene παραφράζει Th. Farnabius: *Opulescere vis & rem facere ex causis. Sed nihil tibi felicius nunc cedit forum, quam modo pistrinum. Namque ut tibi farinam pinsebas, deinde panem conficiebas, e cujus pretio rursus farinam comparasti, atque adeo in circulum laborans, vivebas in diem: ita hic quæris, deinde consumis, rursus mutuaris &c.* Eodem sensu vocem usurpat Svetonius in vita Jul. Cæsaris cap. 48. & Varro in Satir. de eduliis, verbis supra citatis cap. III. §. XXXIII. vid. Rob. Stephani dict. lat. fol. 1102. Pitiscus tom. II. fol. 364. 437. Polyd. Vergilius de invent. rer. lib. 3. cap. 2. Schottgenius Lex. Antiq. p. 921.

III. Horum vero officium in conficiendi pollinis cura ac panis excoctione consistebat. Apud Romanos pistores tostum panem lautioribus coquere solebant, reliquæ multitudini far, ceu refert. *Alex.* ab *Alex. lib.* 3. *cap.* II. Imo nec panem solum, sed & alia esculenta præparabant. Pistorum enim nomine comprehenduntur etiam Pistores Dulciarii, Placentarii, Lactarii, Libarii, Crustularii, qui μελίπηκτα, h. e. mellita cibaria & bellaria conficiebant, quorum figuræ erant infinitæ, ut placentæ, scriblitæ, crustula, locunculi, hami, lacertuli, liba, pluraque alia. Sic enim v. c. Lacertus erat panis dulciarius in lacertorum piscium vel magis terrestrium effigiem formatus. Apul. Met. x. pag. 329. *Hic panis*, *crustula*, *lucunculos*, *hamos*, *lacertulos &c.* Idem loc. cit. *Pistor dulciarius*, *qui panes*, *& mellita concinnabat edulia*. Martialis lib. 14. epigr. 222. p. m. 435. cujus titulus:

Pistor dulciarius.
Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit: huic uni parca laborat apis.

Ac Manilius lib. 5. in genitura pistoris:

Atque unum genus in multas variare figuras.

Talium pistorum plurimos habuisse Heliogabalum, testatur Lampridius & ex eo Budæus de Asse lib. 5. pag. 599. vid. Hering. quæst. 4. num. 25. pag. 75. n. 30. pag. 78. Pitiscus tom. I. fol. 698. b. 699. a. tom. II. fol. 5. 6. a. 367. a. Vocantur isti uno nomine *Panchrestarii* vel *Panchristarii* apud Arnobium lib. 2. adv. gentes p. m. 88. ceu quidam legunt, h. e. confectores liborum, dulciarii; quamvis alii *panarios* substituant. Πάγχρηστα vero ejusmodi scitamenta sunt, quæ dulciarii conficiunt; de quibus extat locus apud Salvianum de Provid. VI. pag. 127. *Infantes quoque omnes fere parvulos contumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdum* πάγχρηστα, *atque blanditiæ ad obedientiam trahunt*. Cum tamen & Panchrestum notet φάρμακον τὸ πρὸς πάντα τῶν ἀῤῥωστημάτων γένη χρηστὸν, quo nomine Plinius utitur XXXVI. 20. p. 1550. *Principatum dat ex iis Æthiopico, oculorum medicamentis utilissimo, & iis, quæ* Panchresta *appellant*: hinc nonnulli *Panchrestarios* vocant quoque medicamentarios & pigmentarios, qui medicamenta, & remedia omnibus valetudinum generibus accommodata conficiunt, & panaceam jactitant; licet infelicissimo plerumque successu, v. Pitiscus tom. II. f. 364. Desid. Heraldus ad Arnob. l. c. p. m. 139.

IV. Pistorum munus eleganter descripsit Vespa, Poeta vetus, carmine, quod inscribitur, Judicium coci & pistoris, quo coram Vulcano Judice Pistor cum coquo contendit. Quod integrum & paulisper emendatum exhibet Heringius pag. 81. seq. ex quo huc, brevitati velificatus, transcribere nolui. Tantum illud observare liceat, coquos & pistores alioquin apud antiquos eosdem fuisse, eademque, quæ de pistoribus dicuntur, in coquis locum habere, qui ad luxuriam & miraculum usque varios confecerunt cibos. Festus lib. 3. *Cocus & Pistor apud antiquos idem fuit. Nævius, Cocus, inquit, edit Neptunum, Venerem, Cererem. Significat per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem olera.* Ab initio enim coci dicebantur, qui faciebant panem, & coquebant primum sub cinere in foco, postea in furno. Cato de pane: *In foco calido sub testa coquito leniter.* Senec. Ep. 90. *Farinam aqua sparsit, & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primo cinis calidus & fervens testa percoxit.* Ulpian. leg. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg. *Mulieres, quæ panem coquant.* Saltem coquos & pistores plerumque conjungit Cicero. Quod uti ex aliis locis alibi citatis patet, ita etiam ex illo: *Nemo nostrum istius generis asotos*

tos jucunde putat vivere, mundos, eleganteis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis &c. lib. 2. de finib. opp. tom. IV. p. m. 81.

V. Dixeram, a Vespa Pistorem cum coquo concertantem introduci. Nec vero novum illud aut mirum cuiquam videri poterat, cum ex veterum scriptis abunde constet, illos ipsos pistores eorumque uxores conviciari se invicem solitos fuisse; idque forte ob lucrum præreptum. Quod satis innuit Pindarus: Ἐλέγχ᾽ ἐλέγχου λοιδορεῖσθαι δ᾽ οὐ πρέπει ἄνδρας φιλοσόφους, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας, *Reprehendæ, & vicissim reprehendi te sine, conviciari vero vivos philosophicos veluti pistores, non decet*. Et Bacchus apud Aristophan. Ran. act. 3. sc. 2. ubi ita litigantes Euripidem & Æschylum inducit:

> Δι. Σὺ δὲ μὴ πρὸς ὀργὴν Αἰσχύλ᾽ ἀλλὰ πρᾳόνως
> Ἔλεγχ᾽ ἐλέγχου. λοιδορεῖσθαι δ᾽ οὐ πρέπει
> Ἄνδρας ποιητὰς ὥσπερ ἀρτοπώλιδας,
> Σὺ δ᾽ εὐθὺς ὥσπερ πρῖνος ἐμπρησθεὶς βοᾷς.
> Ευ. Ἕτοιμός εἰμ᾽ ἔγωγε, κοὐκ ἀναδύομαι
> Δάκνειν (δάκνεσθαι πρότερος εἰ τούτῳ δοκεῖ)
> Τἄπη, τὰ μέλη, τὰ νεῦρα τῆς τραγῳδίας.

Ex versione Nicodemi Frischlini:

> *Tu vero Æschyle, ne iracunde sed leniter*
> *Refelle objecta. Non enim bonos decet*
> *Poetas, ceu pistorum uxores, invicem*
> *Convitiari. Tu velut ilex clamitas,*
> *Quæ igni crepitat.* Eur. *Nulla in me mora, neque ab uno*
> *Mordere (siquidem huic priori morderi lubet)*
> *Numeros, modos & nervos in Tragœdia.* V. Henrig. quæst. 4. num. 31. pag. 78.

VI. Ejusmodi vero Pistores, qui panibus conficiendis navabant operam, Romæ non innotuerunt ante A. U. C. DLXXX. ceu testatur Plinius XVIII. 11. *pag.* 832. *Pistores Romæ non fuerunt ad Persicum usque bellum, annis ab Urbe condita super quingentos octoginta.* Quod ita intelligendum, non, quasi nemo adfuerit, qui panem confecerit, sed quia officium illud nemini peculiariter erat demandatum. Ipsæ enim matres familias & mulieres ob id Pistrices & Panificæ vocatæ hoc labore defungebantur. v. Pitiscus *Tom.* II. *folg.* 366. 437. Schottgenius cit. loc. *pag.* 921. Quod idem Plinius loc. cit. observat, apud priscos Romanos præcipue mulierum opus fuisse, vel fruges molere, vel panem conficere. Pergit enim: *Ipsi Panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium.* Quales fœminas Panicoctarias adpellat S. Petrus Chrysologus serm. 99. utpote quæ panem coquebant. Inde Varro lib. 4. de lingua latina: *Panis, quod primo figuras faciebant mulieres in panificio panis.* Cui jungi meretur Lucilius apud festum:

> *Pistricem validam si nummi suppeditabunt.*
> *Addas empleuron, mamphulas quæ scias omnes.*

Plura vid. ap. Andream Botsackium de servitute faciendi, in der neuen Bibliothec. Part. 38. pag. m. 652. seq. ubi simul memorat Trebatium in lib. 12. §. 5. ff. de fundo instructo & instrumento legato, adhuc mulieribus id assignare officii, quamvis ipsius jam ætate nonnullis in locis Pistores & molitores fuerint. Observavit prius etiam Sebaldus Mollerus idiomate ita fluunt: Ludolf in Bericht von Brodtbacken p. 4. dum scribit: Ferner müste erzehlet werden / wie Brodtbacken hernacher Weiber Arbeit gewest / und wie vieler Königen und Fürsten-Frauen sind gewesen / die das Brodt ihren Herren selbst zugerichtet und gebacken haben / welches aus dem Exempel Perdicæ zu sehen: Wie dann auch noch / daß die Frauen das Brodt auf den Kauff backen / zu ietzigen unsern Zeiten in vornehmen Städten im Gebrauch ist / als zur Wilda / Gradua / Posen / Geisen / Bramburg / fürnemlich aber in Portugal ist den Frauen ein sonderlich Privilegium von der Obrigkeit / daß sie alleine das Brodt auf den Kauff backen mögen / gegeben / und solches vornemlich darum / weil vermerckt / und in Erkundigung gebracht / daß der Armuth und dem gemeinen Nutz darmit gedienet / und in viel Wege zuträglich ist. Nec citra rationem scripsit Waremundus de Erenberg in libello de Regni subsid. ac oner. subditor. cap. 9. num. 20. omni seculo, & in qualibet Monarchia nihil usitatius fuisse, quam ut fœminæ ex subditis in focarias, unguentarias & panificas eligerentur. v. Hering. qu. 4. num. 27. pag. 76. sq.

VII. Equidem hactenus enarratis contrariari videtur Plutarchus Qq. Rom. 84. perhibens, mulieres Romanas neque frumentum moluisse, neque cibum coxisse: Διὰ τί, inquit, τὰς γυναῖκας, οὔτε ἀλεῖν εἴων, οὔτε ὀψοποιεῖν τὸ παλαιόν; ἤ, τὰς

συν-

συνθήκας διαμνημονεύοντες ἃς ἐποιήσαντο πρὸς τὰς Σαβίνας; ἐπεὶ γὰρ ἥρπασαν τὰς θυγατέρας αὐτῶν, εἶτα πολεμήσαντες διηλλάγησαν, ἐν ταῖς ἄλλαις ὁμολογίαις καὶ τοῦτο ἐγράφη, μήτε ἀλεῖν ῥωμαίῳ γυναῖκα, μήτε μαγειρεύειν. *Cur antiquitus mulieres neque molere sinebant, neque coquere? An memoria pactorum cum Sabinis initorum? Post raptum enim Sabinarum, & bellum pace mutatum, id quoque in pactis scriptum fuit, Mulierem viro Romano nuptam neque molere debere, neque coquere.* Qui locus eo induxit quosdam, ut crederent, coquam Latine dici non posse. Quos tamen refutat Johannes Pincierus Medicus *lib.* 3. Otii Marpurgensis *cap.* 12. Sane Plutarcho opponimus merito auctoritatem Plinii, panis confectionem & molituram l. c. inter muliebria opera referentis. Ut taceam, ipsum Plutarchum memorare, quod uxor Catonis pinsendi h. e. panes saltem lautiores coquendi laborem a sua dignitate non putaverit alienum. Hanc sententiarum discrepantiam vix conciliabis, nisi vel Plutarchum in proponendo hoc Problemate errasse, cum Boxhornio existimes, qui eum incidisse forsan censet in scriptorem Romanorum, qui priscorum Sabinorum frugalitatem exponens, eos a luxu & delitiis ciborum alienos, atque arti coquinariæ, sive, ut ille loquitur, medicinæ adulatrici deditos non fuisse tradit; inde enim inductum forte fuisse Plutarchum, ut primas Romanorum uxores coquinariam non exercuisse, crederet; vel cum aliis tempora distinguas & sub urbis forte conditæ auspiciis obtinuisse, ut mulieres cibum non coquerent, nec molerent, postea tamen id factum fuisse largiaris. *Verosimile est*, ait Pincierus l. c. *pactum hoc, cum Sabinis initum, non diu fuisse servatum, quod ex eo quoque colligere licet, quod Plutarchus innuit antiquitus id in more fuisse, non sua ætate; nec interfuit Sabinorum, id ratum haberi, postquam sua in civitatem Romanam commigratione Romani facti essent, Sabini esse desiissent*, Plura dabunt Grævius T. V. f. 1047. & Pitiscus T. II. f. 232. De molitura vero mulierum infra prolixius agemus.

VIII. Alias ad primam panificii originem redire placeat, satis constat, vel ipsum Adamum sine dubio Pistorem fuisse, panificiique autorem. Sine hoc enim panem comedere non potuisset. Quin quod frustra Cain coluisset agrum *Gen.* IV. 2. si panem exinde, quo vesceretur, parare nescivisset. Quamvis enim pistorum nec ante nec post diluvium ante Abrahami ætate fiat mentio in Scripturis: hoc tamen silentium rei ipsius negationem non involvit. Illud clare tradunt S. literæ, quod post Abrahamum & mulieres & viri pistorum partes subierint. Ipsa Abrahami uxor *Gen.* XVIII. *6.* accedentibus ad tentorium tribus Angelis, jubetur *tria sata farinæ similaginis depsere & facere placentas*. Ubi miranda est opulentissimæ & omnibus virtutum numeris absolutæ matronæ industria, quod quantumvis nonagenaria a labore tamen hoc se non subtraxerit, sed tanta celeritate indefessoque studio subigendis non uni, non binis, sed ternis satis farinæ invigilaverit. Id ipsum tamen haud ita intelligendum est, quasi Sara sola tantum farinæ subegerit; *Una etenim muliercula, aut mater familias, & hæc præsertim* προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς, *huic labori fuisset impar. Sed quum numerosam haberet familiam maritus, quis dubitet, ancillarum opera in depsendo & pinsendo usam?* ut ex tripode judicat Casp. Waserus de Mensur. Hebr. lib. 2. cap. 4. §. 7. p. m. *69.* Insuper confirmant assertum divinæ interminationes Levit. XXVI. *26. Fracturus sum vobis baculum panis, ut coquant decem mulieres panem vestrum in furno uno, referentque panem vestrum in pondere; adeoque comedatis, sed non satiemini.* Refertur hoc etiam inter Jura Principis 1. Sam. VIII. 13. *Filias vestras sumet* לרקחות ולטבחות ולאפות *in aromatarias, & in coquas, & in Pistrices*, ex vers. Seb. Schmidt. Alii ita: *Filias vestras faciet sibi unguentarias & focarias & panificas*. Porro Pythonissa Endoræa commemoratur sumsisse farinam, pinsuisse, atque coxisse ex ea Azymo 1. Sam. XXVIII. 24. Thamar quoque sumsit massam & pinsuit ac formavit placentas coram oculis Amnonis, 2. Sam. XIII. 8. De viris etiam extant testimonia v. c. Loth infermentatas placentas coxit, Gen. XIX. 3. Pharaonis pistor in carcerem truditur crucique affigitur, Gen. XL. 1. 2. 3. XLI. 10. ubi memoratur שר האופים chald. רבי נחתומי *Princeps, Magister pistorum*. Captivo Jeremiæ jubetur dari panis מחוץ משוק האפים *e platea pistorum*, Chald. נחתומיא *de vico pistorum*, Jer. XXXVII. 21. Pistor per totam noctem dormire dicitur Hos. VII. *6.* ubi simul, collatis versibus antecedentibus 4. seq. modus coquendi panes per partes describitur. Pistores enim dicuntur depsere & subigere massam usque ad fermentationem ejus, placentas convertere, mane surgere, clibanum incendere, quo in eum massa injiciatur. Clibanus Pistorum hic memoratur, cujus & alibi subinde fit mentio v. c. Exod. VIII. 3. An vero ejusdem eadem fuerit ratio, quæ penes nos, dubitant

tant multi. Illud adhuc obſervandum, quod in cultu Levitico Sacerdotibus peculiaris fuerit clibanus in templo ædificatus quo ibidem placentas ſacras (Speiſs-Opffer) conficerent. v. Buxtorf. Lex. Rabb. f. 1332. Mirus cit. loc. num. 2. quæſt. 1. 2. 3. 4. 5. pag. *621.* ſeq. qu. *6.* 8. *9.* pag. *623.* ſeq. pag. *625.*

IX. Hæc hactenus ideo prolixius enarravimus, quia ſatis conſtat, priſca ætate duplex fuiſſe Piſtorum officium, eoſque non tantum panem feciſſe, ſed etiam farinas moluiſſe & ſubegiſſe, id quod jam ſupra ex parte evicimus. Hæc ut clarius pateſcant, notandum, quod Piſtorum labor verſatus fuerit non tantummodo circa molam, in qua frumentum conterebatur, ſed & circa furnariam, in qua farina ſubigebatur, & furnum, in quo panis coquebatur, tabernam, in qua panis coctus vendebatur, & quæ alia huic opificio cohærebant; quæ omnia Piſtrini nomine (voce latius uſurpata) adpellabantur, veluti Seneca totam artem panificii piſtrinum vocat, epiſt. *90.* Quamvis proprie piſtrinum ad molam tanquam partem principaliorem reſtrictum fuerit. Teſtimonia allegat Hering. quæſt. 4. num. 7. pag. *69.*

X. Horum Piſtorum opificium adeo honeſtum in civitate Romana habitum fuit, ut repertore firmatoreque Imperatore Trajano proprium habuerint collegium certumque corpus & eorum curatores ſe excuſare potuerint. Ita Corporis Piſtorum ſiliginariorum, qui ex ſiligine faciebant panem, mentionem facit Lapis Romæ: ANNONÆ. SANCTÆ. ÆLIUS. VITALIO. MENSOR. PERPETUUS. CORPORI. PISTORUM. SILIGINARIORUM. Hoc Piſtorum Collegium ideo repertum, ut ingenti urbem colentium multitudini panis ſuppeteret, nec deficeret unquam. Hinc Aurel. Vict. de Cæſ. cap. 13. num. 5. *Romæ a Domitiano cœpta fora, atque alia multa magnifice coluit, ornavitque: & annonæ perpetuæ mire conſultum reperto, firmatoque piſtorum collegio.* Imo non populo ſolum Romano univerſo hoc ipſo proſpiciebatur, ſed & peregrinis, quorum plerique pane a propola vitam tolerabant, ceu ex Ciceronis in L. Piſonem verbis ſupra §. 1. citatis colligitur. Eandem in gratiam hodienum Piſtorum Collegium uti Romæ ita in pleriſque Italiæ urbibus viget. vid. Hering. q. 1. num. 30. pag. 13. Pitiſcus Tom. 11. f. *366.* 437. a. Hujus collegii ſæpe mentio occurrit in legibus civilibus. Vocabatur neceſſarium Corpus, quia ſerviebat piſtrino & paneficio, h. e. tum frumento molendo, tum pani coquendo, annonæ civicæ & alimentis popularibus, quæ partim gratuita dabantur, partim veniebant, qui panis oſtienſis & fiſcalis dictus fuit. Teſtimoniis hæc munit Matthias Zimmermannus Floril. Phil. Hiſt. P. 2. p. m. 622. quem omnino vide.

XI. Fuerunt iſti Piſtores ſub cura patronorum, & ſubjecti officio Præfecti annonæ, (*a*) ſub cujus generali & ſpeciali diſpoſitione erant, ut autor eſt Caſſiodorus

(*a*) Jam ante conſtitutum Piſtorum Collegium Præfecti annonæ obtinuerunt Auguſti ætate, lis enim tum temporis frumenti dividendi cura incumbebat. Hinc Svetonius in vita Auguſti *cap.* 37. *num.* 1. inter cætera *officia nova*, quæ *excogitavit* Auguſtus, refert *curam frumenti populo dividundi*. Cum enim *lege Gracchi eſſet obtentum*, verba ſunt Roſini *Antiq.* R. *lib.* 7. *cap.* 34. *pag. m.* 524. *ut frumentum populo divideretur, & quidem ſenis æris trientibus in ſingulos modios veniret, Publii autem Clodii rogatione effectum eſſet, ut gratis frumentum populo daretur: Octavius Auguſtus, ubi Imperium eſt adeptus, ſummopere curavit, ut illud inſtitutum obſervaretur, ut ea liberalitate populus benevolentior ſibi redderetur: ideoque frequenter populo frumentum diſtribuit, cui diſtributioni qui præerat, Præfectus frumenti populo dividendi eſt appellatus*. Sic Dio quoque narrat *lib.* 54. cum vehemens Romæ fames eſſet, ab Auguſto viros Conſulares frumento & Pani Præfectos fuiſſe, qui certam ſingulis ſummam venderent &c. Meminit etiam præfecti frumenti dividendi vetus inſcriptio: POST. MIMESIUS. C. F. SARDUS. TRIS. MIL. Q. ÆD. PL. PR. LEGATUS. TI. CÆSARIS. AUG. PROCOS. PRÆF. FRUMENTI. DANDI. EX. SC. *conſ.* Dempſterus ad *Roſin. lib.* 7. *cap.* 38. *pag. m.* 528. *ſeqq.* ubi ejuſmodi plura occurrunt. De frumenti vero diviſione hæc ſcribit Svetonius in Auguſto *cap.* 40. *num.* 3. *Populi recenſum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum cauſa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum menſium teſſeras dare deſtinavit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit rurſus, ut ſui cujuſque menſis acciperet*. Et *cap.* 41. *num.* 6. *Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio, viritim admenſus eſt, teſſeraſque nummarias duplicavit*. Teſſerarum hic fit mentio frumentariarum. Fuerunt iſtæ ſigna, quæ qui exhiberent, frumentum proportione Romæ a Principe accipiebant. Perhibent nonnulli, fuiſſe fruſtilla lignea quadrata, certa inſignita & notata forma, quæ data ſint iis, quibus jus fuerit petendi frumenti publici; unde ratio patet, cur Græcis τέσσαρα dicantur. Alii vero rotunda fuiſſe malunt, cum a Dione σφαίρια h. e. globuli & pilulæ dicantut. *conſ.* Turnebus *Adverſ. lib.* 19. *cap.* 26. Roſinus c. l. *lib.* 7. *cap.* 34. *pag.* 524. *ſeqq.* Ejuſmodi teſſeræ meminit etiam Juvenalis *lib.* 3. *ſat.* 7. *verſ.* 173.

> *Summula ne pereat, qua vilis* Teſſera *venit*
> *Frumenti, quippe hæc merces lautiſſima.*

Quæ verba ſic illuſtrat Lubinus *p. m.* 335. *Romæ frumentorum curatores diſtribuebant teſſeras. Non enim frumentum ipſum a curatoribus (vile id, & multarum moleſtiarum munus fuiſſet) ſed teſſeras frumentarias, ſive Symbola quædam in ligno vel plumbo capiebant. Quibus acceptis ire iis licebat ad horrea publica petitum frumentum. Frumento ſi opus non eſſet, teſſeras illas vendebant. Perſius:*

> *--- Non hac qua ut quiſque Velina*
> *Publius emeruit, ſcabroſum teſſerula far*
> *Poſſidet.*

Teſ-

dorus lib. *6*. epist. 18. Hujus præfecti annonæ munus erat, ut videret, ne plebs annonæ inopia & caritate laboraret, utque panis copia redundaret, pondereque justo ac mundicia debita panis veniret. Itaque siquid ad annonam pertinens commissum erat, ipse cognoscebat. c. Rosinus lib. 7. cap. 38. pag. 527. Pitiscus tom. II. f. 437. a. Ursinus Anal. S. vol. 1. lib. 1. cap. 47. p. m. *64*. Constituti erant Mancipes seu Curatores pistrinorum, de quibus Cujacius cap. 13. de præscript. agit, qui in Novell. 80. dicuntur *προεςῶτες τῶν ἀρτοποιῶν ἐργαςηρίων*, quibus ideo frumentum consignabatur ex horreis. Principis Pistrini Curator vocabatur Comes horreorum, qui mancipia quædam purgandis horreis coquendoque pani Principis adscripta habebat, quem ex more S. literarum Gen. XL. 2. recte *ἀρχισιτοποιὸν*, שר האופים adpellares. vid. Hering. quæst. 4. num. 8. pag. *69*. qu. 45. num. 18. *19*. pag. 522.

XII. Cum Romæ conficiendo coquendoque pani Pistores non sufficerent, singulo quinquennio ex Africa novi Romam mittebantur, qui hoc officium ibi exercerent. Huic vero pistorum collegio adscripti peculiaria habuere jura & proprium forum Romæ in Aventino, sive XIII. regione, & quidem illa Aventini parte, qua horrea Galbæ fuisse leguntur, quod forum pistorium dicebatur, ubi panem pistores vendebant, testibus Pancirollo ap. Græv. tom. III. fol. 373. Alex. ab Alex. lib. 1. gen. dier. cap. 12. & Justo Lipsio lib. 3. de magnit. Rom. cap. 7. pag. 159. Suspicantur eruditi, forum hoc non diu ante a Domitiano inchoatum, a Trajano perfectum esse, sub quo collegium pistorum primum institutum videtur, ceu patet ex Aurel. Vict. de Cæs. cap. 13. num. 5. verbis paulo ante §. X. citatis. conf. Famiani Nardini Roma Vetus lib. 7. cap. *9*. ap. Grævium tit. IV. pag. 1400. In foro frequentes erant; quod ex Plauto patet, apud quem cum Hegio de suo adventu in forum locutus fuerat Capt. IV. 2. *6*. obvium in illo habuit Ergasilum, qui de pistoribus in foro hærentibus, num. 27.

Tum pistores scrophipasci, qui alunt
furfure sues.

Pistorias quoque causas feriatis geminatisque mensibus audire & distinguere licuit. v. Hering. quæst. 1. num. 31. pag. 14. quæst. 4. num. 32. pag. 80. Pitiscus tit. I. fol. 814. a. tit. II. fol. 437. a. Graves etiam pœnæ ac mulctæ constitutæ iis, qui vel servum molinarium raperent, vel molitoris domum vi frangerent, annonamque inde furarentur. Quam in rem multa statuta ex lege Salica & aliunde adduxit Heringius quæst. 37. num. 17. seqq. pag. 449. seqq. qui omnino hic conferri meretur.

XIII. Quod ad ipsa Pistrina, sive *οἴκους πραμμεγέθεις*, ceu vocantur ap. Socrat. lib. 5. cap. 18. vel officinas Pistorum attinet, earum complures fuisse in urbe Romana, superius consignata tabula cap. III. §. XXXII. affatim testatur. conf. etiam Zimmermannus Floril. Phil. Histor. p. 2. pag. 622. seqq. qui cum & reliquam Pistorum conditionem eleganter delineaverit, ejusdem verba juvat adscribere: *Singulis sua entheca erat, puta animalia, servi, molæ, prædia seu fundi, & possessiones, quæ pistorum corpori solatia certa præbebant, unde & fundi vatales dicuntur. Hi omnes semel Ordini, sive Corpori Pistorio adscripti, neque transire ab una officina ad aliam poterant, neque eam conditionem & necessitatem evitare, ne quidem ipsorum Pistorum consensu, non principi supplicando, & principis rescripto, non privilegio Christianitatis, seu ad Ecclesias videlicet transeundo, non senatoria dignitate, non pretio. Et sententia tamen præfecti annonæ quandoque ejiciebantur, puta decoctores. Familia quoque eorum pistrino obnoxia erat, seu filii, nepotes, a* 20. *ætatis anno, & filiæ, sic ut his conjugio sociati ad pistrini consortium raperentur. Possessione tandem, seu prædia sua (quæ Datis nomine vocabantur) quæ privato jure possidebant, quæ hæreditario pistorio jure, in alios transferre, vendere, donare, relinquere olim poterant, postea non potuerunt, nisi qui acciperent, pistoris officium subirent. Immo in senatorem vel*

Tesseras illas frumentarias prolixius exposuit Pitiscus Tom. II. f. *937*. b. Plura etiam tum de tesseris tum de præfecto annonæ occurrunt in Notitia dignitat. Imperii Occid. ap. Grævium Tom. VII. p. *1799*. seq. Et qui his aliarum quoque gentium ritus jungere velit, adeat Ursinum Analect. S. vol. 1. lib. 1. cap. 47. p. m. *63*. seq. ubi præter Ægyptiorum, Persarumque Procuratores annonæ, etiam Atheniensium *σιτοφύλακες* tanguntur, qui curabant, ut frumentum, farina & panes recte venderentur, utque occurreretur *τῶν σιτοπωλῶν πανουργίαις, καὶ κακονοίαις*. Imo Providadoriorum apud Venetos mentio fit, quibus custodes & divisores frumentorum adjuncti Duumviri, *Farinarii* dicti; ut Turcarum, Judæorum aliorumque mores ibi memoratos silentio involvam. De tesseris vero idem agit lib. *6*. cap. 31. pag. 395.

vel officialem transferre penitus non poterant.

XIV. Illi, qui in Collegio Pistorum erant, pistrinum exercere dicebantur. Hinc Apulejus lib. 9. Metamor. *Quidam*, ait, *pistor de proximo castello me præstinavit: protinusque etiam frumento cœmpto affatim onustum per iter arduum scrupis & hujuscemodi stirpibus infestum ad pistrinum, quod exercebat, perduxit.* Terentius Andria: *In Pistrinum dabo.* Quod Plautus Epidico exposuit: *Pistori dabo.* Quamvis & hic observandum, quod Pistores præsertim ditiores, ad quos pistrini reditus pertinebant, labores in pistrino exantlandos rarius per se ipsos, sed plerumque per servos suos, quorum numerosam familiam alebant, expediverint. v. Laur. Pignorius de servis pag. 35. seqq. Hi enim varia ministeria, quibus defungendum erat, ita inter servos & tenuioris conditionis homines distribuebant, ut singuli certis officiis destinati fuerint. Hos inter erant Servus molitor sive molinarius, qui frumenta molebat, Pollinctor sive Pollintor, qui cribrando farinam & pollinem faciebat, ideo Pollinctor dictus, quia pollinario cribro pollinem a furfure purgabat; quem forte indigigat Columella de re rustica cap. 5. *Operurium, mercenarium, pollintorem diutius eandem ne habeat die.* (Licet proprie Pollinctor is fuerit, qui mortui corpus pollincibat h. e. ungebat, adque familiam libitinarii referebatur. v. Pitiscus tit. II. fol. 455.) Fornacarius, qui fornacem instruebat. Referendi huc exercitores furni, qui furnariam exercebant, cum pistrinum non haberent. Ceu Vitellii genus ideo minus clarum fuit, quod majores ipsius furnariam exercuissent, referente Svetonio in Vitell. cap. 2. Et Juvenalis deplorat, Poetas quandoque conduxisse furnos. Inter Servos erant quoque focarius vel focaria, focum instruens, aquarius, aquam adportans, (prouti etiam Xenophon in expeditione Cyri Minoris lib. 4. ὑδροφορούσας γυναῖκας, *mulieres aquam gerentes* commemorat. Et Julius Pollux lib. 3. cap. 4. scribit: σκαφηφόρους οὕτω δὲ τοὺς μετοίκους ὠνόμαζον, καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν ὑδροφόρους, ἀπὸ τοῦ ἔργου ἑκατέρους. *Inquilinos scaphigerulos & mulieres eorum aquigerulas vocabant, utrosque scilicet ab officio nominantes*) pistor, panem faciens, institor, panem vendens, quod plerumque summo mane fiebat, teste Martiali lib. 14. epigr. 223.

> *Surgite, jam vendit pueris jentacula pistor.*

Mulio, agaso, qui asinos agebat. Qui Persio Sat. 5. v. 76. *non tressis agaso* dicitur, h. e. homo vilissimus, ne trium quidem assium æstimandus. Catabolensis, qui jumentis pistrinensibus frumenta molenda farinasque comportabat. Scoparius, qui ædes purgabat. Quos pro iisdem cum Mediastinis habet Alex. ab Alexand. lib. 3. gen. dier. 25. Hi vero omnium vilissimi purgandis sordibus destinati erant. De quibus Horatius I. epist. 14.

> *Tu mediastinus tacita prece rura petebas.*

Cicer. Catil. II. 3. *Magnopere contemno exercitum collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, & rusticis mediastinis.* Et Plautus in Asin. act. 2. sc. 4. officium eorum describit:

> *Jussin' sceleste ab janua stercus hinc auferri?*

Conf. Pitiscus tit. II. fol. 174. b. Ut reliquas servorum functiones hic non enarremus. v. Hering. quæst. 4. num. 7. pag. 69. n. 27. pag. 77. n. 53. pag. 89. num. 55. pag. 92. n. 66. pag. 96. ubi autores hic necessarios simul adposuit.

XV. Circa hæc servorum ministeria probe observandum tenendumque est discrimen inter servos in pistrino servientes & inter damnatos ad pistrinum, qui pœnæ loco ad molam circumagendam cogebantur. v. Hering. quæst. 4. num. 55. pag. 92. Namque pistrini ea concipienda est ratio, non quasi ad castiganda hominum nequam scelera tantum adinventum efformatumque fuerit, sed ut illud, cum molæ instar esset, parando mortalium victui communique utilitati inserviret. Hinc labores per se non inhonestos in pistrinis sub primam eorum originem vel ab ipsis Patribus familias, Patriarchis & sublimioris conditionis hominibus, si ad mundi primordia redeamus, fuisse susceptos, tanto minus improbabile videtur, quo certius ex ipsa S. pagina apparet, eosdem ipsos agriculturæ quoque invigilasse. Namque cum illi operas non minus difficiles ruri colendo insumendas non detrectaverint: vix dubitandum, quod iidem, utpote aliorum destituti auxilio, nulloque servorum existente numero, frumenta quoque ad victum necessaria in pistrinis fregerint atque contuderint, licet aucto postea humano genere, inferioris monetæ hominibus hic labor fuerit demandatus.

XVI. Priori minimum asserto exinde accedit robur, quod passim & Principes & Philosophus & Poetas in pistrino laboran-

rantes nobis sistat antiquitas, qui sane tantum vix spontes subiissent supplicium, si nonnisi servis castigandis inserviisset molæ circumductio. Ex quo sole meridiano clarius discrimen illud inter servos servientes & inter servos damnatos admittendum esse patescit. Namque ii ex Principibus, Magnatibus, Sapientibus ac Poetis, qui ipsi molis manuariis usi, frumenta comminuerunt, hunc laborem subiisse, leguntur, partim exercendi corporis animique recreandi ergo, partim ut inopiæ, qua premebantur, succurrerent; quamvis & illi, quos dura paupertatis lex coegit, nec servili gravissimoque se labori subduxerint, ita ut & ipsi supplicium pati viderentur.

XVII. Prius observavit jamdudum Sebaldus Mullerus libro supra citato pag. 6. qui autoritate Herodiani & Plinii munitus, scribit: Das Brodthacken (quod olim a molituræ opificio non differebat, asserente id ipso autore in præf. Backen und Mahlen ist ehemahls einerley Handtwerck gewesen) haben viel grosse und treffliche Leuthe getrieben. Vom Platone in Gorgia wird der Thearion ein edler Becker zu Athen genennet: Also sind auch viel andere zu grossen Ehren erhaben und hochberühmet worden: Dahero das Geschlecht zu Rom / so Pistores genannt / ihren Nahmen empfangen / und heutiges Tages viel ehrlicher und gelehrter Leuthe und Geschlechte Mollerii & Pistorii, Müller und Bäcker genennet werden: v. Hering. quæst. 1. num. 59. pag. 24. seqq. ex quo admetior illa Justi Lipsii de Milit. Rom. v. dial. 16. fol. 168. *De Pane*, inquientis, *etiam quem vetuit Metellus vendi coctum: Quid ergo? singuli ipsi Pistores, & e prosapia atque artificio Plauti? Ita vero, & hæc sua ratio nolebant curiose, & ab professo opifice, panem coctum edi, subitarium, & quem sua manu miles parasset. Scio me omnia mira loqui: sed quid faciam, si in tantum mores nostri prisci divertunt? sua manu dico, coquebant illi ingenui, illi cives. Quid? Imo ipse aliquis Imperator, nec ex Curiis aut Fabriciis, sed novitiis Antoninis. Herodianus nobis autor, Antoninum Caracallam cum duritiem & robur præferret, omnia militariter egisse: atque etiam inquit:* IV. 7. 9. *panem addebat subitarium & negligenter factum, triticum enim sua manu molens, quod ipsi satis esset, massamque ex eo conficiens, & in carbonibus coquens, eovescebatur.* Idem de Caracalla annotavit Pitiscus tit. 11. fol. 368. a. ubi ad illustranda Herodiani verba simul addit: *Manuarias molas circumferebant, aut in lapide tundebant: denique sine furni, aut clibani opera, subito sic in carbonibus, aut sub cinere coquebant.* Et paulo ante observat, quod ipsi milites panem suum militarem, qui juxta illud Plinii XVIII. 7. pag. 821. *Lex certa naturæ, ut in quocunque genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat;* gravis, madidus, subitus, & subcineritius, nec bene aut diu excoctus fuerit, sua paraverit manu. Porro nemini antiquitatum perito ignotum est, quod Pittacus, Rex Mytilinæorum ipsemet molere non fuerit dedignatus, teste Diogene Laertio lib. 7. Clemente Alexandrino in Pædagogo lib. 3. cap. 10. Hinc & Ælianus scribit, Pittacum magnis laudibus Molam evexisse: idque ejus Encomium decantasse, quod in exiguo loco multi sese exercere possent. v. Hering. quæst. 1. num. 61. pag. 25. quæst. 44. num. 8. pag. 510. ubi hæc verba addit: *Jocabatur ille quidem, quod pistrinæ veterum ad corrigendos sontes plurimum valere viderentur. Revera tamen mola ipsa vitæ hominum perutilis existit.* Ipsa Æliani verba, Var. hist. lib. 7. cap. 4. sic fluunt: Πιττακὸς πάνυ σφόδρα ἐπῄνει τὴν μύλην, ἐγκώμιον αὐτῆς ἐκεῖνο ἐπιλέγων, ὅτι ἐν μικρῷ τόπῳ διαφόροις ἔστι γυμνάσασθαι. *Pittacus vehementer prorsus laudabat molam, id ejus encomium addens, quod per eam in exiguo loco variis daretur se exercere.* vid. Hoheiselius §. XXXI. pag. 35. cujus observationem Criticam de vera horum verborum lectione simul addendam judicio: *Ita quidem*, ait, *in plurimis Codicibus hæc Æliani leguntur. Verum Codex Msct. Sluiskenii, ut & Parisiensis Regiæ Bibliothecæ, Cæsaris Strategi manu exaratus, Jacobo Perizonio Notis eruditissimis ad h. l. pag. 442. teste, pro:* διαφόροις *variis habent* διάφορα, *varia ratione. Hocque, nisi augurium animi me fallit, satis convenienter. Quid enim molenti prodest, quod alii plures in eodem loco exercendi corporis facultatem habeant? E contrario multum robori molitoris ac sanitati accedere videtur, quod in pistrino modo, hac, modo altera corporis sui parte diverso exercitii genere se exercere possit, cum nunc frumentum molæ sit immittendum, nunc mola versanda, nunc farina excipienda, nunc panis conficiendus. His rationibus probe subductis Cl. Perizonius diffiteri non potuit, sibi magnopere arridere lectionem illam Sluiskenianam, quam genuinam esse, nulli dubitamus.* vid. etiam nostri Tractatus cap. VI. §. XIV. ubi plura de Pittaco occurrunt.

XVIII. Ex Philosophis huc referendi Asclepiades, Menedemus, & Cleanthes Stoicus, Phanii filius. Hos siquidem ob ino-

inopiam sæpe numero farinas pinsuisse, molereque a dignitate non putasse alienum, testantur Athenæus, Diogenes Laertius in vit. Cleanthis pag. 458. Valerius Maximus lib. 8. cap. 7. De Cleanthe illud inprimis memoratu dignum est, quod cum pertractus esset ad judicium, redditurus rationem, quod adeo robustus, ac tam boni habitus viveret; hortulano, apud quem noctu in hortis hauriret aquas, ac muliere, apud quam farinas pinsebat, testibus sit absolutus, & ab Areopagitis admirantibus decem minis datis honoratus. Imo idem Cleanthes ignominiosa asini adpellatione derisus, respondisse fertur confidentissime: Asinus quidem sum, sed qui Zenonis sarcinam portare possum. conf. Ursinus Anal. S. vol. 1. lib. 5. cap. 49. pag. 326. Hering. quæst. 1. num. 62. pag. 25. quæst. 4. num. 60. pag. 39. seqq. Verba Athenæi Δειπνοσοφις. lib. 4. sic habent: Μενέδημον ϗ Ἀσκληπιάδην, τοὺς φιλοσόφους νέους ὄντας, ϗ πενομένους, μεταπεμψάμενοι ἠρώτησαν, πῶς ὅλας τὰς ἡμέρας τοῖς φιλοσόφοις συσχολάζοντες, κεκτημένοι δὲ μηδὲν, εὐεκτοῦσιν οὕτω τοῖς σώμασι. Καὶ οἱ ἐκέλευσαν μεταπεμφθῆναί τινα τῶν μυλωθρῶν. Ἐλ θόντος δὲ ἐκείνου, ϗ εἰπόντος, ὅτι νυκτὸς ἑκάστης κατιόντες εἰς τὸν μύλωνα ϗ ἀλοῦντες, δύο δραχμὰς ἀμφότεροι λαμβάνουσι. θαυμάσαντες οἱ Ἀρεωπαγῖται, διακοσίαις δραχμαῖς ἐτίμησαν αὐτούς. *Menedemum & Asclepiadem ætate juvenes, Philosophos: sed egenos, accitos cum interrogarent*, (Areopagitæ) *quo pacto dies totos a laboribus vacui Philosophiæ operam darent, & omnibus facultatibus destituti nihilominus bona corporis habitudine pollerent, illi ex molitoribus aliquem accersi postularunt. Qui cum venisset, dixissetque, eos singulis noctibus in pistrinum descendere, ac molere, suique laboris mercedem, duas drachmas accipere, mirati Areopagitæ ducentas drachmas honoris ergo ipsis dederunt.* Et de Cleanthe molam versante Plutarchus in Libro de vitando ære alieno pag. 830. tom. 11. Opp. scribit: Κλεάνθην δὲ ὁ βασιλεὺς Ἀντίγονος ἠρώτα, διὰ χρόνου θεασάμενος ἐν ταῖς Ἀθήναις, Ἀλεῖς ἔτι Κλέανθες; Ἀλῶ (φησὶν) ὦ βασιλεῦ, ὃ ποιῶ ἕνεκα τοῦ ζῆν. μόνος δὲ ἀποστῆναι μηδὲ φιλοσοφίας. (vel, ut alii legunt, μᾶλλον δὲ, ἐπὶ τῷ μὴ ἀποστῆναι τῆς φιλοσοφίας) ὅσον τὸ φρόνημα τοῦ ἀνδρὸς, ἀπὸ τοῦ μύλου ϗ τῆς μάκτρας πεττούσῃ χειρὶ ϗ ἀλούσῃ γράφειν περὶ Θεῶν ϗ σελήνης ϗ ἄστρων ϗ ἡλίου. *Cleanthem Antigonus Rex cum longo interposito tempore vidisset Athenis, interrogavit: Etiamnum molis, Cleanthe? Ego vero, respondit ille, molo, o Rex, idque vitæ sustentandæ gratia facio: facturus quidvis aliud, dumne avellar a Philosophia. En tibi ingentem Viri animum, qui a pistrino & mactra digressus ea ipsa manu, qua molam versaverat, & farinam pani coquendo subegerat, de Diis, luna, sole sideribusque scriberet!* vid. Hoheiselius §. xxx. pag. 33. seqq.

XIX. Constat denique ipsos Poetas olim, cum Romæ deficerent præmia, balnearios, pistores ac præcones fieri necessitate fuisse coactos, ut paupertati, qua premebantur, succurrerent. Quam sortem maximopere luget Juvenalis Satyr. 7. 3. ubi furnos conduxisse conqueritur:

> —— *cum jam celebres notique Poetæ*
> *Balneolum Gabiis Romæ conducere furnos*
> *Tentarent: nec fœdum alii, nec turpe putarent*
> *Præcones fieri &c.*

v. Matth. Raderi comment. ad Martial. lib. 1. epig. 29. pag. 269. ap. Hering. quæst. 4. num. 31. pag. 78. seqq. Erat enim omnino accusanda Romanorum indoles, quod ingenuorum hominum indigentiæ suppetias ferre renuerint, eosque Pistori locare operas passi fuerint. Quod ipsum non inique notavit idem Heringius quæst. 47. pag. 537. seqq. *Licet Poetas*, inquiens, *Romæ aliquando furnos conduxisse, pistoriamque rem exercere coactos fuisse dixerim, velut alii paupertate promente molam vertere: attamen male egerunt coegeruntque eos: & non decuit hujusmodi servitia liberalis ingenuique ingenii homines præstare, & illud vili duroque labore obtundere, ne surgat in dias auras, imo hos ad operas compellere grave, & legibus vetitum censetur; neminemque famulantium ad eas cogi hisce temporibus posse, ut gratis vel mercede interveniente molant, aut inviti laborent, præsens eorum libertas præcipit. Idcirco olim quoque Nemonem molitorem Athenienses prudentissimi occidendum esse pronunciarunt, quod Pellenæum puerum (cujus & status, & ætas ipsa a proposito eum deterrere omnino debuerat) ingenuum; sciens dolo malo in pistrino ac vinculis habuisset, referente Petro Ærodio ex Dinarcho lib. 2. decret. titul. 20. ad L. Fab. de plagiar. Similis historia & vindicta huc quadrat, quæ tempore Theodosii Augusti accidit, quamque Eutropius ac Socrates descripserunt.* Id ipsum vero nobis non adversatur, qui ex Poetarum, Philosophorum & Principum exemplo probare contendimus, pistrini labores non semper supplicii loco fuisse injunctos. Siquidem ex ipsis Heringii verbis, & ex iis quæ supra attulimus,

mus, apparet, violentam illam coactionem, quæ quandoque ingenuis hominibus contigit, legibus fuisse contrariam, dignisque adeo pœnis affectam: reliquos vero non vi Dominorum externa, sed sola coactos paupertate hos labores subiisse, non ut punirentur, sed ut alerentur, vitæque necessitati subvenirent.

XX. Probe tamen simul recordamur, supra nos asseruisse, quod dura paupertatis lex eo quosdam adegerit, ut infimam servorum sortem subire & partibus supplicii servilis tantum non omnibus defungi non dubitaverint. Hoc ipsum exemplo Plauti Comicorum facetissimi nunc illustrabimus, qui pœnæ hujus gravitatem satis expertus fuit. Constat enim hunc Comicum, cum erogasset omnem pecuniam in scenicis operis partam, ad molas manuarias sive trusatiles ob paupertatem pistori se locasse, & quando ab illis vacabat, fabulas composuisse, quas postea vendidit. Observavit id Gellius lib. 3. cap. 3. (ap. Rob. Stephan. dict. lat. fol. 916.) de Plauto Comico loquen: *Sed enim Saturionem & Aditum, & tertiam quandam, cujus mihi nunc nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro, & plerique alii memoriæ tradiderunt: quum pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam redisset, & ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset.* Congruit testimonium Eusebii sive Hieronymi in Eusebii Chronico ap. Hering. quæst. 5. num. 6. pag. 101. ita scribentis: *Plautus ex Umbriæ Sarsina Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias se pistoris locaverat.* Eadem Taubmannus in Plaut. Epidic. Act. 1. Sc. 2. pag. m. 417. ad verba: *Tute in pistrinum recta inferas*, annotavit: *Et Plautus fuit Pistor, cum trusatiles molas versando operam locasset.* vid. Dempsterus ad Rosin. lib. 1. cap. 14. pag. 66. Cyriac. Guntherus Latinit. restit. pag. 1. Append. pag. 24. Plures autores idem tradentes citat Gottlieb. Stolle Hist. der Gelahrheit. pag. 1. cap. 5. pag. m. 250. & Hering. quæst. 4. num. 58. 59. pag. 93. qui inde derivat originem proverbii apud Minucium Felicem in Octavio pag. m. 338. jocose usurpati: *Homo Plautinæ prosapiæ.* Verba sic habent: *Et quid ad hæc, ait, audet Octavius, homo Plautinæ prosapiæ, ut pistorum præcipuus, ita postremus Philosophorum?* Nec non apud Hieronymum in ep. 48. *Plautitinæ familiæ columen.* Et ep. 47. *Inventæ sunt Plautinæ familiæ & sciolæ tantum ad detrahendum.*

XXI. Ex hoc Plauti exemplo patet, veteres ad molas circumagendas locare fuisse solitos servorum operas; quas illi pistoricas adpellabant. Delineavit eas Nicarchus in Epigrammate Græco, ap. Hering. quæst. 5. num. 7. pag. 101.

Δυσκώφῳ δύσκωφος ἐκρίνετο καὶ πολὺ μᾶλλον,
Ἦν ὁ κριτὴς τούτων τῶν δύο κωφότερος,
Ὧν ὁ μὲν ἀντέλεγεν, τὸ ἐνοίκιον αὐτὸν ὀφείλειν,
Μηνῶν πένθ᾽, ὃ δ᾽ ἔφη, νυκτὸς ἀληλεκέναι.
Ἐμβλέψας δ᾽ αὐτοῖς ὁ κριτὴς λέγει, ἐστὶ μάχεσθαι,
Μήτηρ ἐσθ᾽ ὑμῶν, ἀμφότεροι τρέφετε.

Lis agitur, surdusque reus surdus fuit actor,
Ipse tamen Judex surdus utroque magis.
Pro ædibus his petit æs quinto jam mense peracto,
Ille refert, tota nocte mihi acta mola est.
Aspicit hoc Judex, & quid contenditis, inquit?
An non utrique est mater; utrique alite.

XXII. His præstructis, quæ necessario præmittenda erant, alios nempe fuisse servos soluta mercede servientes, alios damnatos: nunc porro ex ordinis lege, eorum prolixius exponenda conditio est, quibus pistrini labores supplicii instar injungebantur. Antequam tamen & id aggrediar, prius evincendum præmonendumque est, operas in pistrino præstandas & vilissimas & gravissimas fuisse. Vilitatem arguit, quod olim in molis servi & ancillæ vilioris conditionis plerumque laboraverint. Id quod annotavit Conr. Mel Antiq. S. pag. II. Sect. 4. cap. 6. §. 4. pag. 262. *Molas trusatiles circumagere, vilissimum erat opus mancipiorum.* Et pag. 1. Sect. 2. cap. 5. §. 5. pag. 29. *Abjectissimi inter Servos & ancillas molas manuarias quotidie in angulo domus versare debebant: hinc Simson Philistæis molere debebat in domo vinctorum. Jud.* XVI. 21. Germanice idem exposuit Mirus Fragban Künsten der Ebr. Tr. 2. P. 2. cap. 5. num. 1. quæst. 6. pag. 618. ubi ad quæstionem: Wer hat das Geträyde gemahlen? respondet: Ds wird Müller genennet, Eccles. XII. 3. Jer. XXV. 10. und die Müllerin, Eccl. XII. 4. doch gebraucheten sie gemeiniglich zu diesen Diensten die verachtesten Knechte und Mägde, die man sonsten vor nichts nütze hielt:

XXIII. De mulieribus & ancillis primo agendum. Has vero pistorum molitorumque officio fuisse defunctas, ceu id ipsum quoque annotatum est in observ. Miscell. Lipf. 1715. Part. 29. pag. 36. in notis, (damahls hatte man weder Müller noch Becken, sondern die Weiber und Mägde musten ihre Stelle bekleiden) ex variis Scripturæ locis facile confirmatur. Provoco primum ad Exod. XI. 5. ubi Moses ait: *Et morietur omnis primogenitus in terra Ægypti*, מיבכור פרעה הישב על-כסאו *a primogenito Pharaonis sessuro super throno ejus*, עד בכור השפחה אשר אחר הרחים *usque ad primogenitum ancillæ quæ post molam* sive pistrinum (sc. est molens.) Græca translatio ita habet: καὶ τελευτήσει πᾶν πρωτότοκον ἐν γῆ Αἰγύπτε, ἀπὸ πρωτοτόκε φαραὼ, ὃς κάθηται ἐπὶ θρόνε, καὶ ἕως τε πρωτοτόκε τῆς θεραπαίνης τῆς παρὰ τὸ μύλον. In his verbis Moses rem totius Ægypti præstantissimam, filium Pharaonis summa prosapia oriundum, rei vilissimæ, infimæque sortis homini, nempe primogenito miseræ ancillæ molendinariæ, molæ ad opus pistorium alligatæ, opponit, fere uti Deut. XXIX. 9. 10. Israelitarum ראשים ושבטים ἀρχιφύλες, & eorundem חטבי עצים ושאבי מים ξυλοκόπες ac ὑδροφόρες sibi invicem contradistinguit. vid. Sanctius ad *Es.* XLVII. 2. Mirus cit. loc. quæst. 6. pag. 619. Treunerus cap. 3. §. 8. pag. 19. Hering. quæst. 2. num. 54. pag. 50. Equidem in impletione hujus vaticinii, quæ paulo post nempe Exod. XII. 29. memoratur, רחים quod molam notat, explicatur per בירת הבור *domum foveæ* sive carceris, aut per lacum. Uti & Græca versio, quam modo nominaverat τὴν θεραπαίνην παρὰ τὸ μύλον, *ancillam in mola laborantem*, eam mox αἰχμαλώτιδα ἐν τῷ λάκκῳ *captivam in carcere* adpellat. Hoc vero nobis non adversatur, qui ancillas sortis vilioris in molis laborasse inde probamus Siquidem *respexit Moses ad morem vetustissimum, quo servi & ancillæ, tanquam captivi, non aliter in molam, quam in carcerem & foveam aliquam ad laborandum, ne panem gratis absumerent, conpingebantur, in tantum, ut si quispiam alteri captivitatem aut miseriam vellet imprecari, diceret ei:* ceu ex Sebast. Munsteri Lexico observavit Heringius quæst. 2. num. 54. pag. 49. qui hoc illustrat Plauti verbis in Pœnulo act. 5. sc. 3.

> *— quos ego jam detrudam ad molas,*
> *Inde porro ad puteum, atque ad robustum codicem.*

Eodemque sensu pag. 50. intelligi vult, quod Judic. XVI. 21. de Samsone dicitur: Ἔδησαν αὐτὸν ἐν πέδαις χαλκαῖς, καὶ ἦν ἀλήθων ἐν οἴκῳ τῆς φυλακῆς h. e. *vinxerunt eum duabus æneis catenis, ut moleret in loco vinctorum*. Et ap. Jerem. cap. XXXVII. 16. καὶ ἦλθεν Ἱερεμίας εἰς τὸν οἶκον τε λάκκε, καὶ εἰς τὸν συγκλεισμόν. *Ingressus est Jeremias in domum laci & in ergastulum*. Hinc & a Philone Judæo Bibl. antiq. pag. 328. simpliciter illum locum vocari annotat εἱρκτὴν h. e. carcerem, cujus mentio fit *Genes.* XL. 3. Additque denique hoc, quod & apud Romanos genus vernaculæ pœnæ, præcipue vero in coquos, fuerit, condi in puteum, i. e. in hypogæum sive barathrum subfossum, quod Athenienses λάκκες vocabant. Hinc Plautus in Aulular. act. 2. sc. 5. v. 20.

> *Dicant; coci abstulerunt, comprehendite,*
> *Vincite, verberate, in puteum condite.*

Conf. Turneb. lib. 6. advers. cap. 24. Dieterichius Antiqq. Bibl. P. 2. p. m. 49. Pitiscus Tom. I. f. 479. a. Joach. Hildebrand. Antiqq. S. lib. I. Sect. 2. pag. 62. ubi molendi officium in carcere fuisse exercitum, variis locis probat. Facit huc tandem, quod a nonnullis & ab Heringio loc. cit. annotatum est, captivos fuisse coactos molere in mola interdiu, in domo סהר carceris, noctu autem inclusos in בור foveam, & molas ad ostium הבור foveæ collocatas.

XXIV. Ancillarum porro ac mulierum in pistrinis servitia confirmare videtur dictum Jobæum *cap.* XXXI. 10. ubi piissimus vir ita exclamat, תטחן לאחר אשתי *Molat alteri uxor mea*. Ad quod & multi, qui una nobiscum ancillarum in pistrinis labores asserunt, provocare solent. Parum tamen, si ad veritatis amussim excutiatur, nobis adjumenti præbere videtur; & nisi aliæ suppeterent nostri asserti rationes, fatendum esset, ejus veritatem lubrico & infirmo talo niti. Siquidem notum est circa hæc verba penes interpretes sententiarum divortium, an proprie an metaphorice sint intelligenda. Multi equidem ex Rabbinis & Christianis hæc exponunt juxta morem veterum, quo mulieres captivæ maxime & ancillæ factæ in pistrinis molere cogebantur. Quo & digitum intendit Arabs vertens: *Quin moluit uxor mea alteri & confecit panem alium*. Quem sensum etiam amplexus Syrus est. Hinc Vatablus ad h. l. notat: *Eripiatur mihi & alteri famuletur. Solebant mulieres in familiis, in quibus non erant*

erant servi , molere & panem depsere . Concinit Joach. Hildebrand loc. cit. l. I. sect. 2. pag. 62. dum ait : *In dicto* Job. XXXI. *Molet alteri uxor mea , hic est verus sensus : Eripiatur mihi uxor mea , & alteri famuletur*, vid. etiam Glassius Philol. S. lib. 5. Tr. I. cap. XI. p. m. 1755. Dieterichius Antiq. Bibl. parr. 2. p. m. 49. seq. Alii tamen interpretes sensum Spiritus Sanctus intimius penetrantes malunt , hac phrasi subinnui honestam & occultam cognominationem concubitus venerei. Horum in numero sunt Chaldæus , Vulgatus, Lutherus , aliique . Ille enim transfert , אתתי חורן עם תשמש *Ministret*, vel , *concumbat cum alio uxor mea .* Iste : *Scortum alterius sit uxor mea* , hic vero: So müsse mein Weib von einem andern geschändet werden . A quibus non abludere videntur LXX. ἀρέσαι ἄρα ϗ ἡ γυνὴ μȣ ἑτέρῳ. *Uxor mea placeat viro alteri*; quamvis inficias ire nollem , τὸ ἀρέσαι ex librariorum incuria pro ἀλέσαι *molere*, facile poni potuisse . Imo Gallica versio ita expressit: *Que ma femme soit desbonorèe par un autre*. Nec aliter exponunt Mercerus, Joh. Drusius lib. 5. obsc. cap. 5. Salmuth Not. ad Panciroll. lib. 2. cap. 22. in fin. Aug. Pfeifferus Dubb. Vex. cent. 4. loc. 54. p. m. 767. Mirus c. l. quæst. 6. p. 619. & inprimis Seb. Schmidius, qui hunc constituit sensum : *Per vim cogatur uxor mea ad patiendum alterius coitum, sicut in pistrinis coguntur ad molendum* , v. Stockius Clav. Ling. Sacr. pag. 470. Misanders Del. Bibl. V. T. An. 1695. quæst. 194. pag. 693. seqq. Atque hæc ipsa sententia mihi præ priori magis arridet , nempe Spiritum Sanctum hic rem obscœnam honeste & tecte circumscribere , ita ut simul ad molendi rationem veteribus usitatam allusio fiat , hoc sensu: Uxor mea instar metæ seu lapidis molaris inferioris alteri succumbat . Suadet hanc expositionem præcedentis versiculi & sequentis hemistichii collatio, tam dilucide, ut negari nequeat. Præterea & illud certum exploratumque est , verba μύλλειν , molere & depsere , permolere & perdepsere , esse voces nequitiæ , & ad rem obscœnam significandam non raro usurpari . Quam in rem magnam Autorum nubem apposuit Pfeifferus loc. cit. Certe apud profanos Scriptores hoc non est infrequens. Ita Horatius lib. I. Sat. 2.

> *.... non alienas*
> *Permolere uxores.*

Petronius Arbiter in Satyrico pagin. 18. *Super inguina mea* (sit venia verbo) *diu multumque frustra moluit* . Ausonius Epigrama LXX. 7.

> *Deglubit , fellat , molitur per utramque cavernam.*

Idem epigr. 92.

> *Cum dabit uxori molitor tuus , & tibi adulter.*

Catullus in Gellium :

> *—— patris perdepsuit ipsam*
> *Uxorem , & patruum reddidit Harpocratem .*

Johannes Sapidus, qui Vulcanum ac Episcopum quendam comparans, ait :

> *Ille unam Venerem , multas hic permolit , illi*
> *Crus claudum , lingua & pectore claudus hic est.*

Eo & Seneca fertur allusisse in ludo de morte Claudii , *Quia Romæ* , inquiens , *mures molas lingunt , hic nobis curva corrigit* . Accedit Cicero ad Pætum lib. 9. epist. 22. Opp. tom. 3. pag. 153. *Jam etiam non obscœna verba , pro obscœnis sunt . Batuit , inquit , impudenter : depsit , multo impudentius . Atqui neutrum est obscœnum*. Varr. Myst. apud Non. 2. 234. *Sed tibi fortasse alius molit , & depsit* . Ut alia aliorum loca taceam , quæ prolixe exscripsit Heringius quæst. 3. n. 13. pag. 61. Qualia & in Theocrito , Plauto , Martiali , alibique occurrere , notarunt Taubmannus in illud Plauti Truculent. act. 2. sc. 2. pag. 1408.

> *.... suam non enim ille meretriculis*
> *Molendis rem coegit .*

Heraldus ad Martialem, Pitiscus tom. II. fol. 217. b. Misander Del. Bibl. V. T. ann. 1695. quæst. 194. pag. 695. aliique An vero eodem sensu capienda , quæ de Juvenibus ad molendum abductis Thr. V. 13. asseruntur , alius est indaginis . Nos de hoc loco inferius plura . Saltim reliqua nunc addemus S. literarum testimonia, quæ mulieres & ancillas ad molituram fuisse adhibitas confirmant. Notandus est dissensus Hoheiselii §. XXI. pag. 21. seqq. ubi prolixe refutat eorum sententiam, qui dictum Jobeum de actu venereo exponunt, huncque verborum sensum esse mavult : *Uxor mea fiat ancilla vilissimi ministerii* . Urget I. in S. literarum pandectis nec unicum hactenus indubitatum testimonium pro obscœno verbi *molere* sensu se invenire potuisse , & pa-

parum abesse, quin asserat, illos, qui σεμνότητα sermonis sancti elevare videntur, asserentes, Spiritum Sanctum rem inhonestam honesta tectaque hac phrasi, significare voluisse, verecundiæ Scripturę Sacræ plus detrahere quam addere. *Translata enim*, pergit, *hæc phrasis, ista mente exposita, nescio quid κακεμφατώτερον sonat, quam si aperte cum Mose Jobus dixisset, Vir alius vitiet uxorem meam*, Deut. XXVIII. 30. *Profecto verecundus & a libidine alienus animus occasione verborum simplicium & alia omnia significantium ad troporum obscœnorum cogitationem non facile inducitur*, 2. observat, verbum activum *molere* nuspiam a profanis Scriptoribus de fœminis, sed tantummodo de Viris usurpari. Et quamvis Drusius quæst. Hebr. lib. 2. quæst. 38. moneat, forsan h. l. passive verbum טחן sumendum hoc sensu: *molatur alteri* (ab altero) *uxor mea*; ex inductione tamen locorum, quibus verbum טחן in Codice S. legitur, v. g. Exod. XXXII. 20. Num. XI. 8. Jud. XVI. 21. Es. XLVII. 2. Thren. V. 13. Ecclesi. XII. 3. sudo clarius esse, nunquam passive, sed semper active istud usurpari, 3. provocat ad consensum Arabis, Syri, Vatabli, Grotii, Cocceii, Flacii, & Sixtini Amamæ, additque 4. non obstare huic interpretationi membrum sequens, Siquidem τὸ *incurvare* eodem sensu accipiendum esse, quo τὸ *inclinare* ap. Plautum in Persa Act. IV. Scen. VIII.

Nam jam inclinabo me cum mea liberta.

Exinde enim non concludendum, verbum טחן etiam actum venereum involvere. Conjungi potius, hæc, *molere alteri*, & *stuprum pati*, ut duo distincta, quamvis subordinata, hoc sensu: *Sit alteri serva ad pistrinum addicta, ac in pistrino ad eam usque abjectionem redigatur, ut ancillarum vilissimarum more tractetur, & per contemtum ac ignominiam aliorum libidini exponatur*. Fateor hæc primo intuitu magnam præ se ferre veritatis speciem, liceat tamen pace Cel. Autoris pro vindicanda sententia mea pauca monere. Et 1. quidem nec ipse abnuo, in Scripturis præter hunc nullum extare alium locum, unde obscœna verbi טחן significatio indubitato probari queat. Inde vero non sequitur, hunc significatum nec hic obtinere, cum potius contextus eum suadeat. Ipsa vero phrasis in se nihil obscœni aut a castitate Scripturæ alieni continet. Metaphora enim non tam ab actu molituræ, quam a coactione violenta ad molendum, petita videtur. Sicut enim per vim cogebantur mancipia ad molituram, sic uxori Jobus imprecatur violentum concubitum. Vid. Seb. Schmidius ad h. l. pag. 1181. 2. Vox לאחר innuit virum, qui jus, quod marito in uxorem competit, illegitime sibi arrogat; unde patet, de opere conjugali hic sermonem esse, quod ordinate uxor marito præstat, extraordinarie vero alteri præstare per vim cogitur. Quis vero sibi persuadeat, Jobi uxorem proprie moluisse marito suo, aut Jobum id h. l. in mente habuisse, quod tamen affirmare coguntur, qui verbum טחן sensu proprio hic accipiunt. Integer enim verborum sensus hic est: Uxor mea hactenus mihi moluit tanquam legitimo marito, in posterum vero vi coacta molat alteri. Cæterum locorum inductio, quibus vox טחן non nisi active usurpatur, nondum evincit, quod & h. l. idem usus obtineat. Nec 3. nobis desunt, sententiæ nostræ Patroni, superius c. l. a nobis jam allegati. Et quod 4. contextum concernit, is sane nobis quam maxime favet. Ipse enim Jobus suorum verborum optimus interpres prioris hemistichii sensum ulterius explicat de violento stupro. Unde & vers. 11. facinus hoc זמה & עון פלילים appellat; quod de adulterio, utpote scelere nefando, Judicumque pœnis digno intelligendum esse, vel cœcus videt. Pistrinaria sane servitus nec scelus est, nec pœnis digna iniquitas, utpote quæ potius castigandis mancipiorum sceleribus juste injungebatur.

XXV. Huc igitur porro spectat Jes. XLVII. 2. ubi Propheta Babelis interitum prædicturus, ait, קחי רחים וטחני קמח Filia Babel, *sume molam & mole farinam*. Metonymice h. l. materiatum pro causa materiali ponitur: *Mole farinam*, h. e. frumentum, ex quo commolito farina conficitur. Qualis metonymia sæpius in S. Codice obviat, veluti Job. XXVIII. 5. Ps. LXXIV. 15. Ps. CIV. 14. Cohel. XI. 1. Esa. XXVIII. 28. XXXIII. 12. vid. Glassius Philol. S. lib. 5. Tr. 1. cap. 2. p. m. 1457. Parum hic curamus Hieronymum, qui & hunc locum eadem, qua paulo ante allatum, decempeda metitur, ratus & hic honesta metaphora velari aliquid non honestum, & impudicum opus, quod fœmina patitur a petulante viro. Siquidem non est, cur h. l. a significatu proprio abeundum & *ad ignominiam aliud aut gravius, aut magis indecorum quærendum sit*; ceu recte ad h. l. observavit Sanctius. Molam enim proprie sic dictam hic intelligi, aperte docet tum ipsius molæ, tum objecti molendi clara designatio. Loquitur quippe Propheta de mola, haud dubie manuaria, quæ sumi adeoque

que e loco in locum transportari, & per quam farina confici poterat. Nec contrariatur contextus. Siquidem molli delicatæque Babelis, reginæ regnorumque Dominæ, conditioni opponitur mola, tanquam dura, abjectissima gravissimaque servitus & ingratus e captivitate redundans fructus, extremaque adeo splendoris ipsius futura mutatio. In regionibus enim Orientalibus durissima servitus erat, in molendinum ac pistrinum tradi. Hinc R. David Kimchi aliique ad h. l. recte monent, Molam hic pro infimo ministerio accipi, & ad indicandam servilem conditionem usurpari; prouti & Dieterichius Antiqq. Bibl. part. 2. pag. 49. notat, πανολεθρίας partem constitui turpem & molestam servitutem, eamque metaleptice mentione molæ indicari, ceu Exod. VI. 6. apte ab interprete tota Ægyptiaca servitus una ergastuli indigitata fuerit voce, quæ Ægyptiacis laboribus apprime conveniat; Significari ergo, Babelem abjectissimæ servituti fore obnoxiam & quidem prorsus eidem, qua iis ipsis olim Hebræi inservierant, quomodo Thren. V. 13. conquestus fuerat Propheta, juvenes abductos in molendinum. Addantur Glassius loc. cit. lib. 5. Tr. 1. cap. XI. pag. 1755. Stockius d. l. pag. 470. Hering. quæst. 2. num. 54. 55. pag. 50. qui hoc illustravit effato Artemidori Daldiani l. 2. oneirocrit. cap. 47. quod obviat etiam apud Dempsterum in Rosin. lib. 1. c. 14. pag. 66. & Pitiscum tom. 11. fol. 216. a. μύλος ἀεὶ τῶν σκληρῶν ϗ πονηρῶν πραγμάτων λύσιν, ϗ πιστὸν θεράποντα σημαίνει, *Mola semper durorum & difficilium negotiorum solutionem, & fidelem servum significat*. Bene etiam vaticinium vertit Gallus: *Mets la main aux meules, & fai moudre la farine*. Ubi non inique in margine notavit David Martin: *Cette expression marquoit l' esclavage: parce qu' anciennement on faisoit tourner les moulins a bras par des Servantes, & par des esclaves*. Quamvis vero dum filia Babelis nominatur, non præcise mulieres indigitentur, sed hoc nomine omnes Babelis incolæ veniant; eas tamen hic excludi, nemo est, qui suffragante veritate asserat.

XXVI. Ex N. T. nostræ sententiæ robur additur clarissimo loco Matth. XXIV. 41. Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι· μία παραλαμβάνεται, ϗ μία ἀφίεται, quæ verba Luc. XVII. 35. repetuntur: Δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτό· ἡ μία παραληφθήσεται ϗ ἡ ἑτέρα ἀφεθήσεται. Quin hic ad morem veterum compingendi mancipia in pistrinum respexerit Salvator noster, nemo dubitat. Quare & Bullingerus Comm. ad h. l. l. 10. p. 216. egregie monet, ex legibus & historiis veterum cognitissimum esse, servos & ancillas in pistrinum molamque relegatos, ut & ad metalla & lapidicinas. Horum mancipiorum contubernium in legibus adpellari consortium, veluti Apulejus jumentorium contubernium dixit, inter cætera notavit Heringius quæst. 4. num. 57. pag. 93. quæ ideo adduxi, quia a Luca memorantur δύο ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quæ verba consortium quoddam indicant. Ex his vero etiam mulieres in pistrinum conjectas fuisse, satis perspicuum est, prouti & ejusdem meminit Theophrastus in characteribus, v. Laur. Pignorius de servis pag. mihi 254.

XXVII. Idem quoque testantur profani Scriptores tum Græci, tum Latini, apud quos istæ mulieres μυλωθρίδες & Pistrices a mola & pistrino, cui operam dabant, vocabantur. Sic in Aula Alcinoi quinquaginta ancillæ erant, quarum aliæ frumentum mola contundebant, aliæ texebant, apud Homerum Odyss. VII. vid. supra cap. 11. §. XIX. Et idem lib. XX. Odyss. vers. 105. seqq. mulierem molendinariam memorat:

> Φήμην δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρὶς
> Πλησίον, ἔνθ' ἄρα οἱ μύλαι εἵατο ποιμένι λαῶν.
> Τῇσι δὲ δώδεκα πᾶσαι ἐπερρώοντο γυναῖκες,
> Ἄλφιτα τεύχουσαι ϗ ἀλείατα, μυελὸν ἀνδρῶν.
> Αἱ μὲν ἄρ' ἄλλαι εὗδον. ἐπεὶ κατὰ πυρὸν ἄλεσσαν.
> Ἡ δὲ μί' οὔπω παύετ', ἀφαυροτάτη δ' ἐτέτυκτο.
> Ἥ ῥα μύλην στήσασα, ἔπος φάτο, σῆμα ἄνακτι.

> *Vocem autem e domo mulier præmisit molendinaria*
> *Prope illic utique ei molæ erant pastori populorum.*
> *His autem duodecim omnes versabantur mulieres*
> *Farinas hordeaceas conficientes & triticeas, medullam virorum.*
> *Illæ quidem aliæ dormiebant, postquam triticum moluerant.*
> *Hæc autem una nondum cessarat: debilissimæ autem facta est.*
> *Hæc igitur mola stabilita verbum dixit, signum regi.*

Nec minus clare Plautus de officiis ancillarum ait in Mercatore act. 2. sc. 3.

> *Nil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,*

Li-

Lignum cædat, pensum faciat, ædes
verrat, vapulet,
Quæque habeat quotidianum familiæ
coctum cibum.

Et paulo post:

.... Aut Syram aut Ægyptiam:
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur
flagro.

Consentit Theophrastus Eth. Char. c. 5. *Diligenter interim, ne hoc ancilla panifica rescifcat, cavens. Deinde vero cum illa molere, & quæ sunt ad victum necessaria, tum sibi, tum universæ familiæ parare solet*, vid. etiam, quę supra diximus. §. VI. VII. Huc & aliquo modo referendi versius Lucretii ex lib. 5. de nat. rerum circa fin. quamvis non directe huc spectent:

Et facere ante viros lanam natura
coegit,
Quam muliebre genus, nam longe
præstat in arte,
Et sollertius est multo genus omne
virile:
Agricolæ donec vitio vertere severi,
Ut muliebribus id manibus concedere
vellent;
Atque ipsi potius durum sufferre la-
borem:
Atque opere in duro durarent mem-
bra, manusque. (*a*)

vid. Hering. quęst. 4. num. 27. pag. 76. seq. quęst. 44. num. 9. pag. 510. qui & alibi has mulieres promiscue cum servis in pistrino laborasse, & ad molam circumagendam fuisse damnatas, inculcat, v. quęst. 47. num. 13. pag. 538. inprimis vero quęst. 4. num. 55. pag. 91. ubi. *Nam & illi illæve, ait, h. e. servi & ancillæ, si flagitium aliquod commisissent, non solum censionem bubulam, ulmos, stimulos, laminas, cruces, compedes, nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas, & reliquas serviles pœnas metuebant, ut alibi observavit Frid. Taubmannus: Sed & pœnæ loco in pistrinum ad molas circumagendas compingebantur, ut pro delicti quantitate ab horis condemnati sub servitute vel temporaria aut perpetua pinserent sive molerent.* Apud Grecos fœminas moluisse, testatur etiam Callimachus hymno in Delum vers. 241.

μηδ᾽ ὅθι δειλαὶ
Δυςοκέες μογέουσιν ἀλετρίδες

Neque ubi miseræ & ægre parientes
laborant, molitrices.

Ubi Scholiastes: Ἀλετρίδες θεράπαιναι αἱ ἀλήθουσαι. Ἀλετρίδες *sunt Ancillæ molentes.* Et Aristophanes in Nubibus Act. V. Scen. II. κάχρυς γυναῖκ᾽ ἀλοῦσαν, *Mulierem hordea molentem*, introducit. Similiter Athenæus Deipnosophist. lib. 6. hæc Pherecratis exhibet:

Οὐ γὰρ ἦν τότε οὔτε Μάνης, οὔτε Σά-
κης οὐδενὶ
Δοῦλος, ἀλλ᾽ αὐταὶς ἔδει μοχθεῖν ἅπαντα
τὰν τῇ οἰκίᾳ·
Εἶτα πρὸς τούτοισιν ἦλων ὄρθριαι τὰ
σιτία,
Ὥςε τὴν κώμην ὑπηχεῖν θιγγανουσῶν τὰς
μύλας.

Nec Manes tum, nec Sacis ulli fuit
Servus: illas oportebat domi elabora-
re omnia.
Præter hæc diluculo fruges molebant,
Ut molarum, quas tractabant, strepi-
tu personaret pagus,

Tandem Plutarchus in Commentario, quo docet, ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta, tom. II. Opp. pag. 1101. seqq. ita scribit: Ἐν δὲ πομπαῖς καὶ θυσίαις οὐ μόνον γέρων καὶ γραῦς, οὐδὲ πένης, καὶ ἰδιώτης, ἀλλὰ καὶ παχυσκελὴς ἀλετρὶς πρὸς μύλην κινουμένη, καὶ οἰκότριβες καὶ θῆτες ὑπὸ γήθους καὶ χαρμοσύνης ἀναφέρονται. *At in pompis & sacrificiis non vir modo senex, aut anus, non pauper duntaxat & plebejus; sed & crassa crura habens molitrix ad molam se movens, & vernæ ac mercenarii gaudio lætitiaque efferuntur*, conf. iterum Hoheiselius parag. XXIII. pag. 25. seq.

XXVIII. Hactenus de ancillis & mulieribus. De viris ac servis res decantata est. De horum enim in pistrinis labore tum ex superioribus satis constat, tum ex dicendis clarius patescet. Et servos quidem Hebræorum quod concernit, equidem eos ad operas domesticas præstandas fuisse obligatos, ita tamen, ut labores nimis onerosi gravesque eis non injungerentur, observavit Schottgenius Lex. Antiqq. pag. 693. ex Abichti Diss. de servorum Hebr. acquisitione atque servitiis (Lips. 1704.) Nullum tamen dubium est, quin & iidem,

(*a*) Horum occasione versuum jucundum erit observare, quod nonnulli ridiculum putant, fodere, sarcire, arare & serere mulieres Callaicas. Id quod autoritate Posidonii & Strabonis, qui idem Artabris, Celtis, Thracibus, Scythisque tribuit; imo & Apollonii testimonio, qui eundem morem Tibarinis Asiæ populis usitatum scribit fuisse, confirmat Hering. *qu. 4. num. 28. pag. 77.*

iidem, licet Hebræa oriundi prosapia, molas agitaverint, cum & is labor ad res domesticas spectaverit, quamvis cæteroquin gravissimum hunc fuisse & onerosissimum, constet; uti enim olim in pila h. e. vase concavo pinsuerunt & contuderunt frumenta: ita hæc frumenti fractio mirum in modum frangebat vires, adeo ut veteres locum fatigationis plenum descripturi, pistrinum dixerint. Audiatur hac de re Fr. Taubmannus in Plaut. Epidic. act. I. sc. 2. pag. m. 417. *Quia*, inquiens, *pistura illa & labor grana conterendi omnium gravissimus erat, factum ut Pistrinum locus plenus fatigationis & negotii operosi viresque conficientis diceretur, teste Budæo Pandect.* Hinc & Augustinus *moli jejuniis* pro macerari ac vexari ponit. v. Hering. quæst. 3. num. 18. pag. 64. Imo R. Salomon ad Jud. XVI. 21. actum molendi expresse מלאכה כבדה *opus grave ac durum* vocat. conf. Drusius ad eund. loc. Spectant huc illa Ciceronis 2. de Orat. 79. *Tibi mecum erit, Crasse, in eodem pistrino vivendum*, h. e. utrique nostrum gravissime erit laborandum. Itemque illud Terentii Phorm. 2. I. 19.

> *Molendum usque in pistrino, vapulandum.*

Hujus gravitatem satis expertus est Plautus, utpote qui pistrinum deportationi in insulas & latomias comparat, in Pænulo act. 4. sc. 2. Hinc Treunerus cap. 4. §. 2. pag. 23. seqq. componens veterum pistrina cum modernis molis, exclamat: *Conferas velim antiquioris ævi, pistrina tantum noscentis tædia cum nostrorum temporum commoditatibus; compares versatiles & trusatiles cum nostris aquariis & alatis. Ita enim constabit, rem molarem extolli satis haut posse.*

XXIX. Quo vero gravius fuit pistrinum, eo aptius coercendæ servorum malitiæ inserviebat. Erat enim hoc genus supplicii, quo affecti sunt servi, qui vel officium negligebant, vel criminis alius rei convictique deprehendebantur, vel in bello capiebantur. Hi enim plerumque in molendinum damnati compactique fuerunt, quo ibidem vel jumenta saltem pistrinensia vel ipsas molas circumagerent ipsique molerent. v. Hering. quæst. I. num. 59. pag. 24. Rosinus Antiqq. R. lib. I. cap. 14. pag. 61. Schottgenius Lex. Antiq. pag. 921. Hederich Schul Lex. pag. 2251. Hæc igitur pistrina ergastulorum instar erant, de quibus late tractat Lipsius lib. 2. elect. cap. 15. quo nomine olim communiter mansiones servorum veniebant. Hinc & Justinianus Imperator in ll. rustic. tit. 10. leg. 6. pro pistrino ergastulum molitorium dixit. Vocabantur etiam ἐργαστήελα ἀρτοποιητικὰ officinæ sive stationes panificantium, quas Budæus interpretatur per locum, in quo mancipia deteriora in vinculis opus facere cogebantur. Licet alioquin ergastula latius paterent, atque etiam in agris essent; donec Hadrianus Imperator ea tolleret, teste Spartiano in ipsius vita; quæ tamen nihilominus denuo surrepserunt, & quidem subterranea; tandem vero a Theodosio prorsus eradicata atque exstirpata, ut inferius illud annotabimus. vid. Hering. quæst. 4. num. 55. pag. 91. quæst. 44. num. 29. pag. 515. Pœnæ autem loco olim fuisse, non ssilum ex varus Luciani locis discitur, in quorum uno de vili mancipio locutus, dicit, καὶ τὸν μυλῶνα ὥς πὲρ ἀνάκτορον προσκυνῶν. Sed & clare id docet Jul. Pollux lib. 3. Onomast. cap. 8. num. 2. qui pistrinum locum vocat, in quo torquebantur servi. Ita enim supplicia servorum recensens scribit: Καὶ ἵνα μὲν κολάζονται οἱ δοῦλοι, μύλωνες καὶ ζητρεῖα, καὶ ἀλφιτεῖα καὶ χονδροκοπεῖα, καὶ ζωντεῖα. Οἱ δὲ μαστιζώμενοι στιγματίαι, καὶ στίγωνες ὥσπερ οἱ μαστιγούμενοι, Τὸ δὲ δεῖσθαι μαστιγιᾶν ἔυπολις εἴρηκεν· αἱ μάστιγες ὑστεχίδες, ἱμαντες; ῥυτῆρες κ. τ. λ. *Loci porro, ubi puniuntur servi, molæ, carceres, pistrinæ, granaria & molendina. Qui vero cædunt, verberatores & flagellatores; sicut cæsi mastigiæ dicuntur. Flagello vero indigere, Eupolis μαστιγιᾶν vocavit. Flagella præterea sunt ex setis suillis facta, lora, scuticæ.* Sunt, qui existimant, a Polluce hanc ob causam censeri hoc pistrini nomen οὐκ ἔυφημον, ubi scribit, σιτοποιϊκὸς οἶκος, ἵνα μὴ μυλῶνα ὡς οὐκ ἔυφημον, ὀνομάζωμεν. v. Henric. Stephani Thes. ling. Græc. Tom. II. f. 989. Joh. Phil. Pfeifferi Antiqq. Græc. lib. 2. cap. 51. pag. 343. Suffragatur quoad prius Rob. Stephanus dict. lat. f. 1103. *In pistrinum antiquitus a dominis trudebantur servi ob noxam.* Huic pœnæ fugitivi inprimis servi obnoxii erant. Hos enim per amicos aut per fugitivarios conquisitos stigmatibus notatos, vel trudebant in custodiam publicam ad tempus, vel in pistrinum, vel interficiebant. Quam in rem Cicero lib. I. Epist. 2. ad Q. Fr. Opp. tom. III. p. m. 576. *Postea Plato quidam Sardianus Epicureus, qui Athenis solet esse multum, & qui tum Athenis fuerat, cum Licinius eo venisset, cum eum fugitivum postea esse ex Æsopi litteris cognosceret, hominem comprehendit, & in custodiam Ephesi tradidit; sed in publicam vel in pistrinum, non satis ex literis ejus* in-

intelligere potuimus. v. Laur. Pignorius de Servis p. m. 15. Pitiſcus tom. 1. fol. 824. a.

XXX. Præterea & illud obſervari meretur, in piſtrinum tam teſtamento quam aliqua venditionis expreſſa lege hac conditione ſervos improbos olim dedi conſueviſſe, ut nunquam manumitti poſſent. Colligitur id ex antiquiſſimo Lucii Cuſpiddi teſtamento, ubi piſtrini expreſſa fit mentio. Sic enim in eo ſcriptum eſt: *ET FAMULOS MAESUM QUONIAM ERRO EST. ET GETAM QUONIAM IMPOSTOR, DAVUM QUOQUE ET MAURUM MANCIPES ESSE IN PERPETUUM EDICO QUONIAM MALEDICI ET CONTUMACES SEMPER FUERUNT UT INPISTRINO PŒNAS PROMERITAS LUANT*. Pertinet huc etiam illud Auguſtini de ſpiritu & litera: *Qui enim dicit, verbi gratia, volo ut hi omnes ſervi mei operentur in vinea & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat, videtur quidem quicunque contemſerit, contra voluntatem domini ſui facere, ſed tunc eam vincet ſi & piſtrinum contemnens effugerit*. conf. Jacob. Rævardus Conjectan. lib. 2. cap. 16. pag. m. 60.

XXXI. Ex hactenus dictis lucem fœnerantur & ſolennis illa dominorum formula apud Comicos, qua nequam ſervis piſtrinum minabantur h. e. molæ circumductionem; & phraſes: *Detrudere & compingere aliquem in quoddam piſtrinum*. Cic. 1. de Oratore 25. h. e. einen ins Zucht-Hauß ſchicken / oder auf den Bau thun. *Tradere aliquem in piſtrinum*. Cic. Q. fratri lib. 1. 2. 23. *Piſtrino dignus*, Terent. Heaut. 3. 2. 19. h. e. graviſſimo ſupplicio afficiendus. Imo & illa Autorum loca, v. c. Terentii Andria act. 1. ſc. 2.

Verberibus cæſum te in piſtrinum
Dave dedam uſque ad necem, ea lege atque omine,
Ut ſi te inde exemerim, ego pro te molam.

Et act. 3. Sc. 5. verſ. 21.

Quid cauſæ eſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar via?

Nec non in Phormione act. II. ſc. 1.

Molendum uſque in piſtrino, vapulandum.

Plauti in Epidico Act. 1. ſcen. 2.

Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo.

Ejuſdem in Epidico:

Det nomen ad molariam coloniam;

quod de ſervis molas trahentibus & circumagitantibus exponit Hering. quæſt. 1. num. 60. pag. 25. quæſt. 4. num. 7. pag. 68. Eodem ſenſu intelligit illud Juvenalis vetus Scholiaſtes ad verſ. 67. Sat. 8.

Segnipedes dignique molam verſare Nepotis.

v. Dempſterus ad Roſin. lib. 1. cap. 14 pag. 66.

XXXII. Miſera hæc ſervorum in piſtrino laborantium conditio illuſtrari poteſt exemplo Samſonis, quem captivum ac in ſervitutem redactum Philiſtæi ad hanc pœnam damnarunt, ut oculis orbatus in carcere molam agitaret. Hiſtoria Judic. XVI. 21. his verbis deſcribitur: *Quare comprehenderunt eum Philiſtæi*, וינקרו-את עיניו *effoderuntque oculos ejus: ac deſcendere eum fecerunt Gazam*, ויאסרוהו בנחשתים ϗ ἔδησαν αὐτὸν ἐν πέδαις χαλκαῖς, *ubi vinxerunt eum duabus catenis*, ויהי טוחן בבית האסורים ϗ ἦν ἀλήθων ἐν οἴκῳ τῆς φυλακῆς, *fuitque molens in domo vinctorum*. Tria hic obſervanda & illuſtranda veniunt, (1) Samſonis mola, (2) excæcacio, (3) vincula. Liceat enim hic inverſo paululum ordine procedere. Molam quod concernit, ſunt, qui ſenſu obſcœno, de carnis opere ἐπὶ μίξεος οὐ σεμνῆς interpretantur, exiſtimantes, hoc molendi officio rem veneream exprimi, Simſonemque fuiſſe coactum, ut cum Philiſtæorum mulieribus concumberet. Refert enim S. Hieronymus ad Eſ. XLVII. 2. jam ſuo ævo nonnullos fuiſſe, qui hanc Simſonis molam ita intellexerint, non quod addictus fuerit piſtrino aut operam dederit frumentariæ molæ, ſed quod Philiſtæi pro conſequenda robuſta ac nobili prole Simſonem, tanquam robuſtum nobilemque Parentem ad congreſſum cum ἀλλοφύλοις mulieribus coegerint, ut tanquam admiſſarius equus Philiſtinas fœminas iniret. Unde R. Simeon in Jalkut Part. II. num. LXXI. fol. XI. col. 4. *Unuſquiſque adduxit uxorem ſuam ad eum in carcerem, ut gravida fieret ab eo*. Imo, quod mireris, ipſe Hieronymus l. c. hanc Hebræorum ſententiam ſuo munit ſuffragio, recte proinde notatus a Sanctio ad Eſa. XLVII. 2. His & adſtipulatur Petrus Com-

Commestor in Historia Scholast. cap. 16. non sine αἰσχρολογίᾳ scribens: *Molere fecerunt quasi opere servili eum affligentes. Nam molere est terere, uti triticum vel frumentum teritur. Tradunt enim Hebræi, quod Philistæi, eum cum mulieribus robustis dormire fecerint, ut ex eo robustam sobolem susciperent. Nam molere est etiam subagitare vel coire. Qui enim coit, quasi molere & terere videtur*. Idem Baldus tradit in Catholico. Hinc & nonnulli huc trahunt, quod vers. 25. de ludo Simsonis in publico convivio memoratur, quem pariter de re turpi & venerea in conspectu convivarum exercenda exponunt, quam voluptatem eadem voce παίζειν Exod. XXXII. 6. indicari Villalpandus existimat; veluti etiam Latinis *ludere* & Græcis παίζειν nequitiæ verba esse, multi demonstrarunt. Quasi vero scortatio sola sit ludus, nec honestiora dentur ludorum genera; aut in tantum Heroem, qualis Simson erat, conveniat ἔργον κακόεργον, quod tantum abest, ut potius ingenuus & qualicunque honestatis amore tinctus, nedum heros, centies mortem oppetere & exquisitissimos cruciatus & supplicia perferre malit, quam ut ad rem adeo pudendam, & quidem in densa juvenum & virginum corona perpetrandam cogi se patiatur. Quod ipsum nec moribus quidem Philistæis tribuendum existimarem, quorum mentes a castitate tantis parasangis fuisse alienas, ut juxta Terentianum illud, *Chrysidem habere* Simsonem omnium in conspectu, quorum animis statim insedisset facti turpitudo, permiserint, vix ac ne vix quidem mihi persuadeo. Et quo tandem jure, quæso, ex ipsius congressu cum mulieribus robustam sobolem sperare potuissent Philistæi, cum Simsonem, quæ Kimchii est observatio, jam tum robore illo insigni, quo gaudebat, antea, privatum fuisse, ipse S. codicis contextus clarissime evincat? Ἄτοπον hoc absurdumque commentum pro molitura & ludo coitum sibi fingens recte proinde profligavit magni nominis Theologus Philologusque Sebast. Schmidius Comment. in h. l. pag. 1297. 1316. seqq. & præter eum plurimi alii. vid. Observ. Miscell. Lips. 1715. pag. 29. pag. 537. Dieterichius Antiqq. Bibl. pag. 2. pag. 50. seqq. Misander Del. Bibl. V. T. 1695. quæst. 194. pag. 692. seqq. Cum enim apud Orientales hoc non insolens fuerit, ut captivos catenis vinctos ad molendum, vel lapidem cædendum, vel ad hauriendum aquam, vel ad operas rusticas, & alia servitia constringerent: quid quæso prohibet, quo minus eandem sortem expertus Simson dicatur, cum verborum claritas propriusque significatus, a quo sine causa non secedendum, aperte innuat, quod is in carcerem detrusus molam, quæ ibidem exstitit, circumagere, difficilique adeo sibi labore in carcere victum parare coactus fuerit; a quo labore, ut obiter observem, carcer adhuc ἐργαστήριον h. e. operatorium dicitur, quia nempe olim in carcere captivis fuit laborandum. v. Joach. Hildebrandi Antiqq. S. l. 1. sect. 2. pag. 61. seqq. Hinc recte Dieterichius l. c. pag. 49. *Heroa*, inquit, *Samsonem, visu orbatum, regno exutum, fuisse abjectum ad molam, eam ut circumageret, & pistillo in carcere frumentum contunderet, nullum dubium est*. Et pag. 51. *In carcere fuit mola more regionis, in quo vinctus Simson duabus catenis (nam* נחשתים *duas innuere catenas Jonathan habet) victum parabat, molam trudendo manibus & corpore toto, labore durissimo & difficillimo, quem R. Kimchi b. l. notat morem. Carcer ille hic vocatur Domus vinctorum. Sic. 2. Sam. XX. 3.* בית משמרת *domus custodiæ. Fuit illud genus vilissimæ & abjectissimæ servitutis, in ergastulis vinctum operari, a quo opere dictum* fuit ἐργαστήριον, τόπος ἐν ᾧ δεσμῶται ἐργάζονται. Quo cum optime conspirat Misander Del. Bibl. V. T. l. c. pag. 696. scriben: Die Oerter/ wo solche Ross- oder Hand Mühlen gestanden/ waren finstere/ garstige Oerter/ so dass sie wie Gefängnisse waren/ oder doch die Gefangenen darzu gebrauchet worden. Neque enim præter pistrinum, quo & Simsonis animus & corpus satis excruciabatur, majus supplicii genus excogitare potuerunt Philistæi, jurati hostes, siquidem vilissimo hoc mancipii opere summum heroem principemque ignominia contemtuque extremo afficientes, simulque durissimis laboribus corporis vires exercentes. Rem cæteroquin acu tetigit Gallica versio, dum transfert: *Il tournoit la meule dans la prison*, ad quæ verba bene commentatur David Martin: *Savoir, selon la maniere de ces temps-la de faire tourner les meules par des esclaves, & a force de bras; a cause qu' on n' avoit pas l' usage des moulins a eau, ni des moulins a vent*.

XXXIII. Alterum, quod h. l. præprimis notari meretur, est ejusdem Simsonis excæcatio, eidem molam agitaturo necessaria. Sulpic. Sever. Hist. Eccles. I. 52. de Simsone locutus: *Tum illi effossis oculis compedibus im carcerem conjecerunt*. Philistæi enim ideo ei effodiebant oculos, ut in gyrum rectius ire miser posset, vertigine alias impediendus. v. Treunerus cap. 3. §. 8. pag. 21. Hinc Conr. Mel Antiq. S. sect. 4. cap. 6. pag. 262. ita

ita ſcribit: *Simſon a Philiſtæis ad molam damnabatur, ut hunc judicem Iſraelis viliſſimo mancipii opere ad infimum contemtus gradum dejicerent; & ne vertigine laboraret, excæcabant eum.* Ex more nimirum veterum, qui, ne ſervi in circulum molas vertentes & circumagitantes motu hoc circulari prorſus inepti inidoneique redderentur, nec ob vertiginem deſiſtere cogerentur, eos viſu privabant. v. Pitiſcus tit. II. fol. 437. b. Henr. Kippingius Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 7. §. 12. p. m. 471. ſeqq. Scottgenius Lex. Antiqq. pag. 921. autoreſque ibi citati; nec non Benjam. Hederich Schul-Lex. pag. 2251. qui addit: Doch muſten ſie es auch grob gemacht haben, ehe man mit ihnen ſo umgieng. Idem his accidit, quod ſervis lac verſantibus, & vas in quo lac erat, circumcurſantibus. His enim ademtos oculos narrat Herodotus Melpomene. conf. Grotius ad Jud. XVI. 21. Illuſtrationis ergo huc ſpectat, quod Joannes Boterus Part. 2. univerſal. Coſmographiæ lib. 2. in deſcriptione regni Chinæ recenſet, in civitate Cantonali numerari quatuor millia cœcorum, quibus incumbat, ut panicum, milium & oryzam in molis manuariis conterant ac molant. Quod & teſtatur Chriſtoph. Harandt de Polſchitz in Itinerar. pag. 670. ex quo allegat Miſander Del. Bibl. V. T. 1695. pag. 696. Quamvis hujus narrationis veritas ſuſpecta, autoriſque fides prodigioſa & Thuſchis tabellis fabelliſque, digna videatur Heringio quæſt. 4. num. 61. pag. 94. qui paulo ante ex Gregorio Turonenſi hiſtor. Francor. lib. 9. cap. 38. veriora adduxit, de Septimina filiorum Regis Chilperici nutrice, quæ vehementer cæſa, ac cauteriis accenſis in facie vulnerata in Marilegium villam deducta eſt; ut ſcilicet trahens molam, his quæ in gynæceo erant poſitæ, per dies ſingulos farinas ad victus neceſſaria præpararet. Cui non immerito addimus illa Aimonii Monachi hiſtor. Francor lib. 3. cap. 42. pag. 110. ibidem memorata verba: *De fiſcalinis ortus Leudaſtes ſervis, primum culinæ deputatus eſt regiæ, ſed quia lippus oculis, iude in piſtrinum redigitur, ubi dum inter fermentatas maſſas ſe delectari aſſimulat, fuga ſe ſervitio ſubtraxit.*

XXXIV. Tertium tandem memorabile, quod in hiſtoria Samſonis occurrit, ſunt vincula, quibus conſtrictus tenebatur. *Mos ille multos tenuit & multos tenet populos, ut compedibus ferreis laxioribus captivos vinctosque ad molendum, ſive etiam ad lapidem cædendum, & hauriendum aquam; ad culturam ruſticationis, aliaque ſervilia tenuerint opera*; ceu ex tripode loquitur Dieterichius l. c. Part. 2. pag. 48. Hoc nempe inter pœnas ſervorum molentium erat, ut compedibus vincirentur, ne aufugerent. Hinc Geta Terentianus Phorm. Act. II. Sc. I.

—— herus ſi redierit,
Molendum uſque in piſtrino, vapulandum, habendæ compedes,
Opus ruri faciundum.

Ubi Donatus hæc addit: *Facete enumerat ſervus univerſa ſupplicia ſuæ conditionis, excepta cruce, & furca, quarum pœnam verbis extenuare non potuit.* v. Pignorius de ſervis pag. II. Pitiſcus tit. II. fol. 776. a. Ad hæc vincula ut & ad labores piſtrini perpetuos graveſque reſpexit etiam Plautus in Moſtel. act. I. ſc. I. ubi ſervos genus ferrabile; & in Perſa act. I. ſc. I. negotium ferreum vocat. Ibi enim ſervus inquit: *Pluſculum annum fui præferratus apud molas tribunus vapularis.* Et in Pænulo act. 4. ſc. 2. *in latomiis vel in piſtrino malim ætatem agere, præpeditus latera forti ferro mea.* Unde ex obſervatione Heringii quæſt. 4. num. 56. pag. 93. Ulpianus in lib. 15. §. 44. de injur. ſervum compeditum malæ & extremæ notæ ſervo conjungit: Et in genere alibi domeſticum malum dicitur & ſervus malus. Quamvis & illud moneat, ſervos ſæpe ſe catenis quoquomodo exemiſſe, & compeditos januam limam pertriviſſe, ceu deſcribit Plautus in Menæch. act. I. ſc. I. indeque fugitivos factos.

XXXV. Alter locus, qui commode hic enucleari poteſt, exhibetur *Thren.* v. 13. ubi Jeremias de miſeria Judæorum conqueſtus, inter cætera ſic ingemiſcit: בחורים טחון נשאו *Juvenes ad molendum abduxerunt.* Quidam Vulgata verſione decepti, quæ transfert: *Adoleſcentibus impudice abuſi ſunt*, verba hæc de re Venerea a Juvenibus exercita interpretantur, non aliter ac ſupra *Job.* XXXI. 10. expoſuimus. Cui ſententiæ & Heringium quæſt. 3. num. 13. pag. 62. pollicem premere, miror, quamvis & is non parum fluctuet. vid. etiam Delrio ad h. l. & Tarnovius pag. 267. ſeq. Sane Vulgatæ autoritas tanta non eſt, ut eidem hic aſſurgere & aſſentiri debeamus, cum ex Jobi loco ad hoc dictum prorſus collectio non valeat. Ibi enim Metaphoricum vocis טחן ſignificatum ſuadet contextus aliarumque circumſtantiarum collatio. Hic vero textus connexio plane aliud infert. Sequentia enim verba nihil de venere, ſed de bajulatione ligni, tanquam ſervili opere Juvenibus injuncto, commemorant. Quo ipſo innuitur, molituram antea

tea nominatam pariter servitutis supplicique a captivis Juvenibus tolerati fuisse speciem. Quamvis vero hæc satis manifeste pateant, in eo tamen non omnes consentiunt, quidnam circa molas Juvenibus fuerit agendum, an portare solum lapides molares, an vero molam ipsam agitare coacti fuerint. Prius placet Luthero, dum vertit: Die Jünglinge haben Mühlsteine müssen tragen. Imo ex Rabbinis nonnulli ita textum capiunt, ac si Hebræi Babylonem molarum indigam molas asportare coacti sint. Conf. Raschi, Aben Esra, & Sal. ben Melech ad h. l. Sed hoc interpretamentum vix textus admittit. Nam verbum נשׂאו non ad Juvenes sed ad hostes Judæorum spectat, adeoque τὸ בחורים non nominativo sed accusativo casu ponitur. Ac τὸ טחן non molarem lapidem, nec molam sed molere h. e. actum molendi, trusionem molæ in carcere & labores serviles in mola peragendos notat. Sensus itaque perspicuus est: Juvenes utpote captivos ad molendum sustulerunt, ut nempe more captivorum servorumque molas trusatiles in carcere circumagerent. Hinc & Joach. Hildebrand Antiqq. S. l. 1. sect. 2. p. 62. ad h. l. *Juvenes*, ait, *dicuntur ad Molas vel ad carceres, in quibus erant molæ, abducti*. Hoc probe animadvertit Gallus commodissime transferens: *Ils ont pris les jeunes gens pour moudre*. Hanc cæteris præfero expositionem, præsertim cum ex supra dictis satis illucescat, solenne olim fuisse gentilibus, ut captivos ad molas trusatiles ceu abjectum, tædiosum & miserum laboris genus adhiberent. Vid. Aug. Pfeifferus Dubb. Vex. cent. 4. loc. LIV. p. m. 766. sq. &, quos citat, Autores.

XXXVI. Servi, pœnæ loco in pistrinum detrusi, jumentorum munere defungebantur, eorundemque loco erant. Constat enim & illud, veteribus usitata fuisse jumenta pistrinensia, (Mühl-Esel) asinos & equos, qui ad molas asinarias sive versatiles adhibebantur; de quorum animalium natura, sensu, loco, cibo, potu, partu, adfectu, educatione & cura copiosissime ac elegantissime egit Ulysses Aldrovandus Patricius Bononiensis *vol.* 1. de *quadruped. solidipedib. cap.* 1. & 2. per tot. ceu monet Heringius tam *qu.* 5. *num.* 15. *pag.* 103. quam *qu.* 44. *num.* 10. *pag.* 510. Nos pauca saltem de his delibabimus. Mentio horum jumentorum Pistriniensium fit penes Svetonium in Caligula *cap.* 39. *Quicquid instrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetiit, comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & Pistrinensibus Jumentis*. Hoc autem nomine veniebant asini, equi dorsuales, (uti Varro jumenta dorsuaria eleganter vocat) boves, & Muli, quo nomine, juxta Isidorum, a Græcis oriundo, ideo insigniuntur, quod jugo pistorum subacti tardas molendo ducant in gyrum molas. vid. Hering. qu. 4. num. 53. pag. 89.

XXXVII. Asinos, de quibus primum agam, jumentis accensendos esse, nemo dubitat; licet quidam, forte ipse asinus, eos bestiis noluerit adnumerare. Vulgo enim, referente Matthæo Matthesilano Bononiensi singul. 95. *num.* 1. inter Scholares solet derideri quidam Judex de Grosseto dictus Montonus, qui credidit famoso Advocato, asinum pro bestia non haberi, ad hoc alleganti rubricam, quæ non habetur, *C. de asinis & bestiis non habend. conf. Hering. qu.* 5. *num.* 15. *pag.* 103. Animal hoc prisca ætate varium præstabat usum. (*a*) Ut enim superstitiosum asinorum abusum (*b*) sicco pede transeam, adhibebantur asini tum ad plaustra trahenda; quo spectat Esa. XXI. 7. ubi inter alia memoratur רכב חמור *currus asini*; (*c*) tum ad gestandos dorso te-

(*a*) Fuit, & est hodienum asinus inter animalia, quæ hominibus usui sunt ac emolumento. Cumque asinus honore & officiis etiam illos prosequatur, a quibus vapulat & contemptim habetur, inde Rabbinis elegantissima nata sententia est, מוקיר מבסרוהי דמי לחמרא *honorans contemnentes se, similis est asino*. *vid.* Buxtorfi *Florileg. Hebr. pag. m.* III.

(*b*) Huc pertinet illa gentilium superstitio, qua ex asinis quandoque futurorum præsagia capiebant; asinique occursum habebant boni ominis loco. *vid. Arist.* de avibus & *Artemid. lib.* II. *cap.* 12. Quo referri potest illud Ammiani XXVII. 3. *ap.* Pitiscum *Tom.* I. *fol.* 190. a *Nova portenti species per annonariam apparuit Thusciam: idque quorsum evaderet prodigalium rerum periti penitus ignor runt. In oppido enim Pistoriensi asinus tribunali adscenso audiebatur destinatius rudens &c. postea quod portendebatur evenit. Terentius humili genere in urbe natus & pistor Corrector provinciæ est factus*. Quam auspicatus fuerit asinus C. Mario, narrat *Val. Max.* 1. 5. 5. *Minturnis animadvertit asellum cum ei pabulum objiceretur, neglecto eo ad aquam procurrentem. Quo spectaculo a multitudine impetravit, ut ad mare perduceretur*. Et Plutarchus in *Ant.* refert, Cæsari Augusto apud Actium occurrisse hominem asinum agentem, nomenque sciscitanti respondentem: Ἐμοὶ μὲν Εὔτυχος, ὄνομα τῷ δὲ ὄνῳ Νίκων, quam rem cum lætus audivisset, locum illum rostris navium exornasse, asinique & hominis statuam ex ære posuisse. Suidas etiam in voce Ὄνος commemorat de ægroto quodam, qui cum asinum ex lapsu resurgentem vidisset, alius id inde captaverit augurii, ægrum ex morbo suo restitutum iri. Idem prorsus Aristophanis *Scholiast.* in Avibus refert: συμβολικὸς ἐρωτώμενος περὶ ἀρρώστου εἶδεν ὄνον ἐκ πτώματος ἀναστάντα, ἠκηκοὼς δὲ ἑτέρου λέγοντος, βλέπε πῶς ὄνος ὢν ἀνέστη, ὁ δὲ ἔφη, ὁ νοσῶν ἀναστήσεται. *conf.* Bulengerus de Prodigiis *lib.* 4. *cap.* 44. *ap.* Grævium *Tom.* V. *pag.* 502. *seqq. Theod.* Hasæus de ὀνολατρείᾳ *cap.* 2. §. 10. *pag.* 31. Huic affinis est ille abusus, quo rustici ex Hetrusca disciplina in agris atque hortis Capita asinorum coro-

coronata suspendere solebant, quibus arceri posse incommoda, tetramque fertilem reddi existimabant. Audiatur hac de re Palladius de *R. Rust. lib.* 1. *Omnia semina agri vel horti feruntur ab omnibus malis ac monstris tuta servari, si equæ calvaria intra hortum ponenda est vel potius Asinæ. Creduntur enim sua presentia fœcundare, quæ spectant.* Consentit Columela de C. H.

> *Nunc caput Arcadici nudum cute fertur Aselli*
> *Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.*

Huc digitum intendit Juvenalis *lib.* 4. *Sat.* XI. *vers.* 96. *seqq.*

> *Sed nudo lateri, & parvis frons ærea lectis*
> *Vile coronati caput ostendebat aselli,*
> *Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.*

An hinc originem traxerit mos ille, quem apud Brixienses vigere testatur Bonifacius hist. lud. cap. 3. ubi villici Capita asinorum palo alligata erigant ad mulierum maleficarum fascinationes averruncandas, nolo disquirere. Affirmat illud Celeb. Hasæus loc. cit. cap. 2. §. 15. pag. 36. additque, quod hæc consuetudo etiam ad Turcas transisse videatur, qui in culminibus villarum arborumque & vitium supremitatibus excoriata asinorum capita collocare consueverunt. De prioribus vid. etiam Joh. Baptista Ottius ap. eundem Hasæum loc. cit. §. 17. pag. 99. Tertio loco huc referendus est idololatricus asinorum usus, quo pagani Diis sacrificarunt hoc animal. Sic Marti illud obtulerunt Carmani ideo, quia in bellis loco equorum, quibus carebant, asinis utebantur, ceu testatur Strabo lib. 15. & idem de Sarocoris memoriæ prodidit Ælianus hist. anim. lib. 12. cap. 34. Eidem Deo & alias gentes ob turbulentum & acutum rugitum asinos immolasse, autor est Phurnutus de N. D. cap. 21. qui διὰ τὸ ταραχῶδες καὶ γεγωνός τῆς ὀγκήσεως id factum scribit. conf. Pitiscus tom. 1. f. 190. b. Schottgenius Lex. Antiq. pag. 511. Saubertus de Sacrif. cap. 23. pag. 582. Imo Apollinem delectari illorum sacrificiis docet Callimachus apud Clem. Alexandr. in protr. cap. 8.

> Φοῖβος Ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐκιτίλλεται (al. ἐπιτέρπεται) ἱροῖς.

> *Phœbus hyperboreis asinorum delectatur immolationibus;*

Et alibi: Τέρπουσι λιπαραὶ φοῖβον ὄνος φάγιαι,

> *Delectant Phœbum pingues asinorum mactationes.*

Idem versus extat & apend. Schol. Pindari ad Pyth. od. X. ubi postquam ὄνων ἑκατόμβας commemoravit, porro subjicit,

> Ὧν θαλίαις ἔμπεδον
> Εὐφαμίαις τε μάλις Ἀπόλλων
> Χαίρει, γελᾷ δ᾽ ὁρῶν ὕβριν
> Ὀρθίαν κνωδάλων,

Quorum (asinorum) *festis dapibus jugiter lætisque acclamationibus maxime Apollo gaudet, videtque mactationem bestiarum arduarum.* Porro Typhoni, quem Ægyptii magnum censebant Dæmona oblatum asinum testatur Plutarchus, in lib. de Is. & Os. & Ælian. in hist. an. lib. 10. cap. 28. Et Baccho fuisse sacrum docet Plinius lib. 24. cap. 1. & Justinus Martyr in Apol. II. & in Dial. cum Tryph. Jud. Plura hanc in rem legi possunt ap. Hasæum loc. cit. cap. 2. §. 11. 12. 13. pag. 32. seq. Tandem, quod maximum est in recensendis abusibus, non tacenda illa gentilium cœcitas, qua in Deorum numero asinos habebant, quam idololatriam Hieronymu. annotavit Comm. ad Es. lib. x. ad cap. XXXII. 20. Cœlum sane meruit asellus Sileni, quod Gigantes inclinata jam Deorum acie, Panico metu rudens in fugam conjecerit. Narrat vero & Ælian. de Anim. lib. x. cap. 28. Ægyptios jussu regis Ochi asinum in Deorum concilium cooptasse. Eundem asinorum cultum religiosum objicit paganis Tertullianus ad Nat. lib. 1. cap. 11. *Sane vos totos asinos colitis, & cum sua Epona, & omnia jumenta & petora, & bestias, quæ perinde cum suis præsepibus, consecratis.* Quocum convenit locus Minucii Felicis in Octavio p. m. 363. *Vos & totos asinos in stabulis cum eVsta vel Hippona consecratis, & eosdem asinos cum Iside religiose devoratis.* Mentio hic facienda asini illius, ἐν πέτρᾳ πεποιημένου ex lapide ficti, quem Naupliæ incolas erexisse, in perennem memoriam, quod beneficium putationis vitium ab asino didicissent, autor est Pausanias lib. 2. Corinth. pag. 80. unde & apud Romanos, ceu in numis, tricliniis & alibi videre est, frequens, emblema, *capita asinorum inter pampinos.* Idem lib. 10. in Phoricis pag. 333. narrat, Ambraciotas æneum asinum consecrasse, quod ejus ruditu ab insidiis Molossorum liberati essent. Imo in ipsis Palæstinæ finibus asinina idola adorata fuisse, Judæi tradiderunt. Quam in rem ut & de cæteris multa iterum præclara habet sæpe laudatus Hasæus loc. cit. cap. 2. §. 15. 16. pag. 35. seq. & Ursinus Analect. S. vol. 1. lib. 5. cap. 49. p. m. 326.

(*c*) Hic usus asinorum inprimis mulorum ac mularum in re vehiculari penes alias quoque gentes fuit frequentissimus. Sic apud Homerum Odyss. VI. & VII. muli Nausicaæ Alcinoi filiæ currum ducunt. Medea quoque, filia regia apud Apollon. III. 840. jubet *mulos adjungere vehiculo.* Eadem consuetudo nec postea eviluit. De Nerone enim Svetonius narrat. cap. XXX. num. 7. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Et de Vespasiano idem cap. XXIII. num. 5. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiliisse;* Hinc & videas carpenta cum mulabus in nummis Agrippinæ, matris Caji; Domitillæ, conjugis Vespasiani; Faustinæ conjugis Antonini, & aliarum. Nec Imperatores solum, & ipsorum conjuges, sed & aliæ opulentiores & honestiores feminæ ad vehicula habebant mulas. Quare SCtum Heliogabali apud Lamprid. cap. 4. cum luxu earum usus fieret promiscuus, de matronis: *quæ asino veheretur, quæ carpento mulari.* Imo & viris in dignitate constitutis serviebant in vehiculis. Testimonia & exempla ubertim hac in re produxit Pitiscus Tom. II. f. 231. a. quem vide una cum Notitia Dignitatum Imper. Orientis ap. Grævium tom. VII. f. 1357. ubi etiam de Mulomedicis agitur mulorum morbis medentibus, qui annonas id est cibaria & vestes ex publico accipiebant, nec aliud nomine mercedis petere poterant. Omnium vero prolixissime hoc argumentum enucleavit Joh. Schefferus de Re vehiculari veterum lib. 1. cap. 8. p. m. 89. seq. Præterea & illud observari meretur, quod usque adeo mulos asinosque a veredariis publicis adhibitos legamus. Id quod non solum ex lib. XVI. Cod. Theodos. de cursu publico, ex Justiniani Ed. VIII. cap. 3. ex Libanii or. in Jul. qui mulorum angarialium mentionem facit, & ex Procopii quodam loco, ab Ez. Spanhemio Diss. de præst. Num. pag. 802. citato, liquido constat, sed ipsa etiam Scriptura de usu hoc luculentum testimonium perhibet, Esth. VIII. 10. ubi tabellarii regii equitasse dicuntur הרכש האחשתרנים בני הרמכים *equos & mulos equarum filios*: Lutherus: Reitende Boten auf jungen Mäulern. Galllus: *montez sur des mults, & des jumens.* Vocem האחשתרנים Persicam esse & notare mulos, prolixe probavit Bochartus Hierozoic. lib. 2. cap. 21. conf. Hasæus de ὀνολατρείᾳ cap. 1. §. 7. pag. 10. seq. ubi simul, ne res hæc cuiquam videatur incredibilis, tam tardum ac lentum animal tam celeribus expeditionibus, quales erant cursorum regiorum, fuisse adhibitum, multis autorum monumentis asinorum velocitatem prolixe solideque confirmavit, non tantum ad Xenophontis provocans testimonium, qui lib. 1. de Cyri expeditione de asinis narrat, quod *cursu equos facile superaverint;* sed & allegans ea, quæ spurius scriptor sub Origenis nomine habet lib. 1. in Job. cap. 1. vers. 3. *de asinis, qui olim adimplebant; quæ nunc muli & equi perficiunt, iis præcipue, qui sunt in Arabia & Palæstina: qui tam veloces sunt, quam equi.* Et quod J. C. Scaliger in Exerc. contra Cardanum CCXVII. memorat, *de asinis Ægypti conficientibus una die ci-*

tra

nuiores æque ac illustrioris sortis homines, quod Gen. XXII. 3. *Exod.* IV. 22. *Num.* XXII. 21. *Jos.* XV. 18. *Jud.* I. 14. *vers.* X. 4. XII. 4. 14. 1. *Sam.* XXV. 30. 2. *Sam.* XVII. 23. XIX. 26. 1. *Reg.* XIII. 13. 23. Zach. IX. 10. *Matth.* XXI. 2. aliaque loca evincunt; tum ad portandas sarcinas mercesque, *conf. Gen.* XLII. 26. XLV. 23. 1. *Sam.* XVI. 20. XXV. 18. 2. *Sam.* XVI. 1. *seqq.* 1. *Par.* XIII. 40. *Neh.* XIII. 15. tum ad agriculturam, inprimis ubi arva facili negotio subigi poterant, quod conjicias partim ex *Deut.* XXII. 10. *Esa.* XXX. 24. XXXII. 20. quorum in ultimo loco seminantes dicuntur משלחי רגל-השור והחמור *emittentes pedem bovis & asini*; partim ex Josephi verbis contra *Ap. lib.* II. *cap.* 10. *pag.* 1065. juxta versionem Romanam: *Sunt apud nos, quod apud alios sapientes viros, asini onera sibi imposita sustinentes. Et si ad arcas accedentes comedant, aut proposita non adimpleant, multas valde plagas accipiunt, quippe operibus & ad agriculturam rebus necessariis ministrantes.* Imo & ad molas unde *Matth.* XVIII. 6. μύλος ὀνικὸς occurrit. v. *Theod.* Hasæus de ὀνολατρείᾳ *cap.* 2. §. 6. *pag.* 27. Scottgenius l. c. *pag.* 509. Quare non male scripsit Arnobius *lib.* 2. *adv.* gentes p. m. 77. *Et asellus & bos æque, usu atque ossiduitate cogente, discit arare ac molere.* Quadrat huc etiam, quod Columella habet *lib.* 7. a *princ. Principium tenebit minor Arcadiæ, vilis hic vulgarisque asellus, cujus plerique rusticarum rerum authores, in emendis tuendisque jumentis præcipuam rationem volunt esse; nec injuria: nam absque ullo fere sumptu alitur, & imprudentis custodis negligentiam fortissime sustinet. Hujus animalis tam exiguæ tutulæ plurima & necessaria opera supra portionem respondent, cum & facilem terram, qualis in Boetica totaque Libye sit, levibus aratris proscindat.* Et Varro *lib.* 1. R. R. *cap.* 20. *Ubi terra levis, ut in Campania, ibi non bubus gravibus, sed vaccis aut asinis arant.* Refert quoque Plinius *lib.* 17. *cap.* 5. *pag.* 760. *in Byzacio Africæ illum centena & quinquagena fruge fertilem campum, nullis cum siccus est, arabilem tauris, post imbres vili asello & a parte altera jugi anu vomerem trahente scindi*, se vidisse. Forte etiam huc spectat illud Catonis: *Quot juga boum, mulorum asinorum habebis, totidem plostra esse oportet.* Qui & alibi asinos quoque plostrarios & jugum asinarium nominat. Nolo insuper tacere, quod Ulysses Aldrovandus *lib. cit.* 1. de *quadruped. cap.* 2. *sect.* de cognominat. *pag.* 149. de asino scribit: *Nec ullum sit onus quod detrectet, quod non obsequiose suscipiat, & si sit opus, pro bove terram perscindat, plaustrum trahat; præcipue vero machinæ maxime omnium necessariæ pistrino æternum serviat &c.* Hinc & idem putat, haut recte a Vegetio scriptum esse, mulorum, equorum, asinorum genus subsellis aut sagmis solo tergore præstare officium: *nam ut de equis*, ait, *taceam & mulis, asinorum quoque usum ad molam vertendam, & ad terram vomere proscindendam & nunc esse, & olim fuisse, notum est.* v. Hering. quæst. 4. num. 53. pag. 89. num. 54. pag. 90.

XXXVIII. Hujus usus, quem asini in mola præstabant, habita ratione, facile intelligitur, quid sit Asinus molarius sive molendinarius, nempe, qui molit, & quo utimur ad molam, ap. Catonem de re rustica cap. XI. *Asinum molarium unum.* Et asina molendinaria ap. Paulum Juris Consult. Item Asinus machinarius, qui molam machina quadam (quam machinam frumentariam vocabant) inclusam volvit & torquet apud Alfenum in lib. cum quæreretur 60. §. fin. D. de legat 3. & Ulpianum lib. 12. §. 10. ff. de Instr. vel Instrum. lib. 24. Quamvis etiam uterque & molarius & machinarius asinus de ipso lapide, qui rotatione sua fruges comminuit, & Latinis haud raro asinus dicitur, exponi possit. conf. Hasæus cit. loc. cap. 4. §. 13. pag. 82. Spectat huc porro illud Apuleji Metamorph. lib. 7. pag. 300. *Molæ machinariæ sub jugum me dedit.* Et mox: *Per diem laboriosæ machinæ attrito, sub ipsa vespera furfures adponebat incretos & sordidos, multoque lapide salebrosos.* Prouti & machinalia pondera dicuntur, quæ non alia sunt, quam pistrinalia, de quibus Ausonius. vid. Hering. qu. 4. num. 53. pag. 89. num. 54. pag. 91. qu. 5. num. 15. pag. 103. Audiatur hic Adr. Turnebus, qui Adversarior. lib. 8. cap. 9. f. m. 234. & hæc & alia breviter exposuit: *Asinus machinarius, est molendarius, qui molit, id est, qui molam machina quadam inclusam volvit & torquet, quam & machinam fru-*

tra noxam quadgaginta passuum millia; Tandem quæ Ælianus lib. IV. de An. cap. 52. refert de asinis Indis velocitate & equis & elephantis præstantibus, tamque celeriter incedentibus, ut nemo eos possit adsequi, & lib. XIV. cap. 10. de Maurusis asinis, tanta celeritate iter conficientibus, ut alis instructi evolare, non excurrere videantur.

frumentariam vocat Jurisconsultus. Sic machinalia pondera vocat Ausonius epist. 7. pistrinalia pondera,

> Qui, *inquit*, machinali saxa volvunt
> pondere.

Sic amica de machinis empta a Q. Cicerone libro de petit. consul. fortasse dicitur, id est de pistrino vel moletrina. Est & catasta machina, de qua emi potuit: Sed in singulari numero loquendum videretur. Plura suppeditabit Pitiscus tom. II. fol. 216. b. Scheferus de Re vehic. veter. lib. I. cap. 8. pag. 89. seq.

XXXIX. Nec desunt plura testimonia, quæ nobis asinos in molis sistunt. Sic Achmes Seirim oneir. cap. 195. ap. Hering. quæst. 5. num. 15. pag. 103. & Dempster. ad Rosin. lib. I. cap. 14. pag. 66. memorat μύλωνα ἀλήθοντα ὄνῳ δυναστῷ, Pistrinum, in quo asinus robustus moleret. Colum. VII. I. *Molarum, & conficiendi frumenti pene solennis est hujus pecoris labor.* Ob hanc quoque causam inter cætera, quæ ruri necessaria, *asinum molarium* cemmemorat cap. II. Clare etiam confirmat idem Ovidius lib. 6. Fastorum:

> *Et quæ pumiceas versat asella molas.*

Et lib. 3. de arte:

> *Illa sonat raucum quiddam, atque inamabile ridet,*
> *Ut rudit a scabra turpis asella mola.*

Nec dubitandum, qui eodem sensu explicari possit illud Secundi, veteris Poetæ lib. I. Anthol. cap. 33. epig. 21. licet alii non de jumentariis, sed de aquariis molis velint intelligi, prouti Dempsterus ad Rosin. lib. I. cap. 14. pag. 66. putat, qui assertum Jacob. Cujacii, quo, *Aquariæ*, inquit, *molæ rotis sublevatis inversisque suppeditabatur aqua, eique muneri juncti asini, equi & equæ*; his versibus confirmare annisus est:

> Τίπτε τὸν ὀγκηστὴν βραδύπουν ὄνον ἄμμιγ' ἐν ἵπποις
> Γυρὸν ἀλωεναῖς. ἐξελάσατε δρόμον;
> Οὐχ ἅλις ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης
> Σπειρηδὸν σκοτόεις κυκλοδίωκτος ἔχω,
> Ἀλλ' ἔτι καὶ πώλοισιν ἐρίζομεν--

> *Cur rudentem tardum asinum simul cum equabus*
> *In rotundum in areis triturantibus agitatis cursum?*
> *Nonne satis est, quod molæ circularium onus necessitatis*
> *Convolutim oculis clausis in gyrum actis, habeo?*
> *Quin adhuc cum equis cursu contendamus?*

v. Hering. quæst. 5. num. 25. pag. 107. Porro nostro instituto inservit jocus veteris cujusdam Poetæ, in Euclionem quendam, qui ipse molebat:

> *Cum possis parvo sumptu conducere asellum,*
> *Qui soleat teretes volvere* (al. vertere) *rite molas.*
> *Cur nummi cupidus sic te contemnis amice,*
> *Ut cupias duro subdere colla jugo?*
> *Linque precor guirios, poteris pistore ministro*
> *Candentis quadræ munus habere sedens.*
> *Per te namque terens Cereris patiere labores,*
> *Quos quærens natum pertulit ipsa Ceres.*

vid. Pitiscus tom. II. f. 216. b. Hiring. quæst. 4. num. 53. pag. 90. Barthius Advers. lib. 24. cap. 5. f. 1289. qui huc etiam refert, licet minus accurate, illud Catulli:

> *Et non pistrino traditur atque asino?*

additque: *Ad Catulli locum facit, quod veteres asino molarem circumagente lapidem, farianam facere sueti. Exempla apud Apulejum.* vid. superius dicta cap. III. § XVI. Tandem facile sic inteligitur illud Hebræorum proverbium in Mischar happeninim, ap. Joh. Buxtorfium Florileg. hebr. p. m. 308. seq. מי שמתחכם בלי חכמה הוא כחמור הריחיים סובב סובב ואינו זז ממקומו: *Qui sapientem se facit sine sapientia, similis est asino molario, qui indesinenter circumeundo nunquam tamen a loco suo recedit.* Et quod in Gemara legitur טחני ריחיא בערודי *Molunt in molis cum onagris*, ʿy fol. 16. 2. citante Buxtorfio Lex. Rabb. f. 210. Hi autem asini molas versabant atque in gyrum circumagebant tectis capitibus, velataque ac obducta corio facie, ne vertigine corriperentur. Quod Germanico idiomate observavit Mirus loc. cit. quæst. v. pag. 618. Die Esel-Mühlen/ inquiens, wurden von denen Eseln gezogen/ welche die Israeliten an statt der Pferde gebrauchten. Sie verbangen denen Eseln die Augen/ wenn sie um den

Ring

Ring herum giengen, daß sie nicht verblendet wurden. Diese Mühlen waren weit grösser als die Hand-Mühlen. Idem quoque annotarunt Observationes Miscell. Lips. 1715. P. 29. pag. 357. Mel. Antiq. S. P. 2. sect. 4. cap. 6. §. 4. pag. 262. Hopfner. Græc. Antiq. lib. 4. cap. 10. pag. 454. Ex his facile intelliguntur illa L. Apul. Milesiar. l. 9. *Molæ, quæ proxima videbatur, matutinus adstituor, & illico, velata facie, propellor ad incurva spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco gressu, mea recalcans vestigia, vagarer errore incerto.* v. Dempster. ad Rosin. lib. 1. cap. 14. pag. 66. Pitiscus T. 11. f. 437. b. Misander Del. Bibl. V. T. 1695. quæst. 194. pag. 696. ubi præteta monet, idem hodienum videri posse in molis complanando linteo inservientibus, an den grosen Mandeln, wie man sie in Städten nennet, quibus vertendis quandoque vel coeci prorsus vel faciem obvelati equi adhibentur. Cæterum cum asinis illis scite comparat Scaliger, exercit. 249. & 359. *sect.* 11. eos, qui suorum factorum rectos fines ignorant. Sicut enim illi triticum ad molas ferunt, adque jugum molam quidem versant, sed molam cognitam non habent, velatisque dum oculis pistrino deserviunt, ignorantes officium hoc exequuntur: ita & hi asinini homines multa quidem agunt, sed cui bono nesciunt. Quod jumenta oculis clausis molas versaverint, testatur etiam Hilarius in Matth. XVIII. *Molæ opus labor est cæcitatis: nam clausis jumentorum oculis aguntur.* Idemque confirmat Lucianus, asinum ita loquentem fingens: Ὀθόνην τοῖς ὄμμασιν ἐπιπετάσαντες ὑποζευγνύουσί με τῇ κώπῃ τῆς μύλης. *Oculis linteo velatis alligant me scapo molæ;* apud Hoheiselium §. XXVI. pag. 28.

XL. Quod ad caballos sive equos attinet, eosdem pariter cum asinis in pistrino offendimus. Quod supra allata loca & porro citanda testantur. Ex Isaaco Casaubono & Christiano Becmanno de originib. LL. p. 154. sq. hic observat Hering. quæst. 5. num. 15. pag. 104. quod καβαλλὴς Græcis & Latinis caballus non quivis equus dicatur, sed jumentum dossuarium, παλαεργὸν aut pistrense, & ad hoc opus destinatum. Tales Caballos memorat Ausonius:

> *Cui subjugabo de molarum ambagibus.*
> *Qui machinali saxa volvunt pondere.*
> *Tripedes caballos, terga ruptos verbere.*

Et Horatius:

> —— *Olitoris aget mercede caballum.*

De equis etiam capienda illa Juvenalis lib. 3. Sat. 8. p. m. 353.

> —— *tritoque trahunt epirhedia collo*
> *Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.*

Ita enim Lubinus ad h. l. pag. 354. *Nepotis) Nomen viri avari proprium, qui pistrinum habuit, in quo die & nocte equos vexabat.* Consentit hac in re Apulejus lib. 7. Metamorphos. pag. 301. *Ad eundem modum distractus & ipse variis equorum incursibus, rursus molares illos circuitus requirebam.* Addo hic, quod de molis aquariis Scaliger habet in Ænigmatibus, citante Heringio quæst. 5. num. 25. pag. 106.

> *Quod defessa manus longa obsidione frequentat,*
> *Quique in sese anni more recurrit equus:*
> *Audax angustis veniens solertia rebus,*
> *Efficere invento pendere fecit aquas.*
> *Pars angusta meat, patulo pars libera cursu,*
> *Sic nostra tua fit irrequiete quies.*

Hoc nec hodie insolens esse, ut molæ quædam equorum opera vertantur, exemplo ostenditur in Observ. Miscell. 1715. P. 29. pag. 358. Wir gedencken hier, dass man noch heut bey Tage welche Mühlen hat, die durch Pferde gedrehet werden. So wurde 1710. in Novellen berichtet, dass in der Citadelle zu Pampelone eine Machine angeleget sey, vermittelst welcher, fünff Gedräpte-Mühlen durch ein einiges Pferd herum getrieben werden. Adhibebantur autem olim inprimis equi annosi & deterioris monetæ, degeneres, claudi & ad bellum inidonei, unde flagris ob pigritiam & tarditatem eos instigabant. Quod ex locis jam allegatis patet. Eadem jumenta pistrinensia graphice descripsit Apulejus lib. 9. Metamorphos. *Jam de meo*, inquiens, *jumentorio contubernio, quid vel ad quem modum memorem? Quales illi muli senes vel cantherii debiles? Circa præsepium capita demersi contruncabant moles palearum, cervice cariosa vulnerum putredine, follicantes nares, languidas assiduo pulsu tussedinis, hiulci pectora, copulæ sparteæ tritura continua exulcerati, costas perpetua castigatione ossium tenus renudati, ungulas multi-*

via circuitione in enorme vestigium porrecti, totumque corium veterno, atque scabiosa macie exasperati. v. Hering. quæst. 4. num. 54. pag. 90. vers. 5. num. 16. pag. 105.

XLI. Horum jumentorum pistrinensium in molis labores, earundemque intorsiones idem Apulejus lib. 9. Metamorph. eleganter depinxit. Nam & ipse in asinum transformatus molas pistrinenses per circuitus multivios circumegisse se festiviter scribit, describens, quales essent ministri in pistrinensi contubernio.
,, *Sic vero ait*: Ibi complurium jumento-
,, rum multivii circuitus intorquebant
,, molas ambage varia; nec die tantum,
,, verum perpeti etiam nocte, prorsus
,, instabili machinarum vertigine lucu-
,, brabant pervigilem farinam. Sed mi-
,, hi, ne rudimentum servitii perhorre-
,, scerem, novus dominus loca lautitia
,, prolixe præbuit. Nam & diem pri-
,, mum illud feriatum dedit, & cibariis
,, abundanter instruxit præsepium: nec
,, tamen illa locii saginæque beatitudo
,, duravit ulterius, sed die sequenti mo-
,, læ, (quæ maxima (*al. proxima*) vide-
,, batur) matutinus adstituor: & ilico
,, velata facie propellor ad incurva spa-
,, cia flexuosi canalis, ut in orbe termi-
,, ni circumfluentis reciproco gressu, mea
,, recalcans vestigia, vagarer errore cer-
,, to, nec tamen sagacitatis ac pruden-
,, tiæ meæ prorsus oblitus facilem me
,, tyrocinio disciplinæ præbui. Sed quan-
,, quam frequenter, cum inter homines
,, agerem, machinas similes circumrota-
,, ri vidissem: tamen ut expers & igna-
,, rus operis stupore mentito defixus hæ-
,, rebam, quod enim rebar ut minus
,, aptum, & hujusmodi ministerio satis
,, inutilem, me ad quempiam alium uti-
,, que leviorem laborem legatum iri:
,, vel ociosum certe cibatum iri: sed fru-
,, stra solertiam damnosam exercui. Com-
,, plures enim protinus baculis armati
,, me circumsteterunt: atque ut eram lu-
,, minibus obtectis securus etiam nunc
,, repente signo dato, & clamore con-
,, ferto, plagas ingerentes acervatim,
,, adeo me strepitu turbulentant, ut cun-
,, ctis consiliis abjectis, illico scitissime
,, teniæ sparteæ totus innixus, discursus
,, alacres obirem. *Et lib. 7. Metamorph.*
,, *pag.* 300. Nequissimaque illa mulier
,, molæ machinariæ sub jugum me de-
,, dit: frondosoque baculo subinde casti-
,, gans, panem sibi suisque de meo pa-
,, rebat corio. Nec tantum sui cibi gra-
,, tia me fatigare contenta, vicinorum
,, etiam frumenta mercenariis discursibus
,, meis conterebat. *Ac mox*: Ordeum
,, meum frictum & sub eadem mola
,, meis quassatum ambagibus, colonis pro-
,, ximis venditabat. v. *Rob. Stephani dict.*
,, *latin. f.* 1203. *Pignorius de servis pag.*
,, 15. *Heringius quæst.* 5. *num.* 16. *pag.*
,, 104. *seq.* "

XLII. Horum vero asinorum ac equorum loco servos quandoque fuisse, supra adstruxi; quod nunc porro testatum faciam. Ante tamen inserere placet, quod autores quidam de Congi dicta regione scribunt, terram hanc equis carere, ipsosque incolas cicurande Zebræ Indicæ (mulo per omnia similis) artem ignorare, boumque adjumentis uti nescire, licet magni iis in locis sint: homines itaque beluarum vicem implere, qui per vicorum angulos dispositi, scellas varie subeant, aut lecticas gestent; more qui in Romano libro imaginibus ostenditur. Idcirco quibus celeritas itineris necessaria est, subinde mancipia commutare, & velut veredis adjutos, quam citissime iter conficere. cap. Heng. quæst. 4. num. 61. pag. 95. Sed ad priora redeo, ad quæ digitum intendit Joh. Augustinus Grœbelius de στιγματισμῷ Veterum, in Miscell. Lipsiens. tom. x. obs. 206. §. 8. pag. 92. scribens: *Plutarchus equi signo in fronte* (servos fugitivos) *notatos fuisse, scribit. Quod ideo factum ego arbitror, ut significarent, hominem, ita notatum, ex militia, ad quam tamen juraverat, aufugisse, quia equus ex reliquis animalibus omnibus Martius deprehenditur, Martique tam Romæ, quam in Oriente, passim immolatus fuit. v. Brantium ad hist. B. G.* VIII. *cap.* 48. *vel etiam hoc indicare volebant, servum hunc fugitivum in posterum dignum esse pistrino, in quo, nisi mancipia, ad id damnata, aderant, equi laborare debebant*. Hoc vero jumentorum officium ignominiosum olim servi, non qui nude tantum in iis alebantur, sed qui pro pœna in pistrinum detrusi sive molis adplicati, obiisse videntur. v. Dempsterus loc. cit. pag. 66. Hopfnerus loc. cit. lib. 4. cap. 10. pag. 454. Hi propterea ipsi per convitium Asini vocabantur. v. Schottgenius cit. loc. pag. 921. Observ. Miscell. P. 29. pag. 357. pag. 357. Tradit hoc etiam Heringius quæst. 5. num. 11. pag. 102. quamvis paulo aliam huic appellationi originem assignet, *Quia*, inquiens, *olim illis, qui in pistrino laborabant, idem labor incumberet, ad trusatiles molas, qui asinis adversatiles; ideo per convitium Asini audiebant, & molæ quoque contemtim Præsepia nominabantur*. Patet inde ratio, cur in MS. Codice Plautino primæ Comœdiæ titulus conceptus fuerit: *Plauti asini Amphy-*

phytrio. Qui postea mutatus in illum: *Plauti Asinii Amphytrio*. Quod notavit Joh. Meursius Crit. Exercit. pag. 1. cap. 9. v. Treunerus cap. 2. §. 5. pag. 8. Addit Dempsterus l. c. ex. Meursio: *Nam servi ergastulo hujusmodi inclusi, tanquam laboris omnigenæ patientes, quales sunt asini, molis adpliciti sic vocabantur*. Est quoque non ineruditum genus loquendi ap. Catullum, cum super Æmilio quodam impurissimo dicit: *Et non pistrino traderis atque asino*. Quæ verba Barthius lib. 10. Advers. cap. 5. fol. 467. ita exposuit, quasi diceretur: *Ita in asini locum compingeris, ut plane tute asinus fias*. Quidam legunt: *Atque asinus*, qui nempe & ipse molam pistrinumqe circumagit. v. Hering. quæst. 4. num. 39. pag. 84. conf. tamen, quæ superius observata sunt cap. III. §. XVI. Hinc & asinarii Servi male cœperunt audire apud Romanos, non aliter ac in molis aquaticis aquarii ob servile servitium aquas in ædes portandi, contemtui habiti. Hering. quæst. 5. num. 11. pag. 102. Nec servi solum asinorum sed & molæ præsepiorum nomine veniebant. Spectant huc Plauti versus in Curculione Act. 2. sc. 1.

> *Panes, parasitus quia non rediit Caria,*
> *Afferre argentum credo, nam si non ferat,*
> *Tormento non retineri potuit ferreo*
> *Quin reciperet se huc esum ad præsepim suam.*

Sed priorem lectionem præfert Dempsterus cit. loc. provocans ad ipsum Plautum in prologo Casinæ:

> *Qui sibi uxorem poscat, scit, si id impetret,*
> *Futurum quod amat, intra præsepes suas.*

Et deinde addit: *Videntur mihi non molarii tantum servi, sed quilibet alii stationem in domibus privatis dominorum habuisse, quæ præsepe diceretur, quod quasi par jumentorum & servorum esset conditie*. Testatur id M. Terentius Varro lib. 1. de Republica: *Contra hic laudabatur ab illis, is habebat culinam rusticam, unam præsepiam latam, cellom vinariam*. Referri huc potest locus Claudian. lib. 1. in Eutrop. v. 67.

> *Hæc ne erat hæc Ptolomæo fides, hæc profuit ætas*
> *In gremio consumpta tuo, lectusque jugalis?*
> *Et ducti toties inter præsepia somni?*

XLIII. Huic supplicio adjudicati servi, risui exponebantur, antque ludibrio. *Procul namque dubio*, inquit Seb. Schmidius ad Jud. XVI. 21. p. 1297. *qui farinam e pistrinis reportabant, aut frumentum molendum adferebant, captivos ridebant, & ignominiose tractabant*. Cui non absimile fatum (ut obiter hæc inspergam) experti olim sunt Pontificis cujusdam R. Legati, quos Archiepiscopus Bremensis ignominiose satis in molendinum detrusit, ibidemque asinorum loco saceos portare coegit; prouti ex Hamelmanni Chron. Oldenb. memorat Krigerus Evangel. Morgenst. pag. 399. seq. De veterum vero consuetudine Johannes Henningius Tricholog. cap. 4. p. m. 22. præeuntibus Apulejo lib. 9. de Asino aureo pag. 222. Lipsio lib. 2. Elect. cap. 15. pag. 728. Turnebo lib. 24. adversf. cap. 9. fol. 820. ita scribit: *Viliores servorum apud Romanos altera parte capitis capillati erant, altera nudi, & sic semirasi per ludibrium. Tales erant in pistrino: frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati*. Apulejus certe Metam. lib. 9. pistrini habitatores sic describit: *Dii boni quales illi homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati, quam obtecti; nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati, cutim lurore deformes, & fumosi tenebris vaporosæ caliginis, palpebras adesi, atque adeo male luminati, & in modum pugilum, qui pulvisculo perspersi dimicant, farinulento einere sordide candidati, &c.* v. Pignorius de servis pag. 16. Hering. q. 4. num. 56. pag. 92. seq. Treunerus c. 2. §. 5. pag. 8. Ursinus Anal. 8. volum. 1. lib. 1. cap. 60. p. m. 93.

XLIV. Cibum ipsorum quod attinet, servi molitores non pane sed polenta & quidem parcissime nutriebantur; quo refert Turnebus lib. 4. adversf. 13. illud Plautinum Asinar. act. 1. sc. 1. Ex παυσικάπης descriptione lux accedit illis Nævii, apud A. Gellium Noct. Attic. lib. 2. cap. 19.

> *Argentum amoris causa sumpse* (h. e. sumpsisse, veluti Horatius divisse pro divisisse) *mutuum:*
> *Extemplo illo te ducam, ubi non despuas.*

In pistrino enim non despuere poterant servi molentes capistrati propter παυσικάπην,

την, ceu ex Gronovio ad illum Gellii locum docet Hoheiſelius §. XXVII. p. 29.

Ubi flent nequam homines, qui polentam pranſitant.

Quamvis alii malint legere *pinſitant*. Nec polenta illa pro lubitu ipſis concedebatur, aut abundanter. Id quod ex eo apparet, quoniam teſte Julio Polluce, quando operabantur in piſtrino ſervi, ipſorum collo inſerebatur ſive circumponebatur machinula quædam orbicularis, qua ori manus admovere prohibebantur, ne inter molendum polentam ſive farinam vorarent, aut ſuffurarentur, id quod κάπτειν vocabant, obſervante Euſtathio in Iliad. lib. 22. prouti & ipſa machinula Græcis παυσικάπη, Pauſicape, quaſi Paucicape (uti parſimonia & parcimonia,) ſi ita ludere liceat, adpellatur, quam Plautus in captiv. act. 2. ſc. 2. Collariam, & Plinius lib. 35. cap. 18. p. 1517. Cataſtam vocare videntur c. Taubmannus ad Plaut. Aſinar. act. 1. ſc. 1. p. m. 80. Pfeifferus Antiqq. Græc. lib. 2. c. 51. pag. 344. Hering. quæſt. 4. num. 55. pag. 91. num. 68. pag. 97. Unde robur accedere videtur ſententiæ Seb. Schmidii ad Jud. XVI. 21. pag. 1297. quam Kimchio opponit, exiſtimanti, captivos piſtrinario labore ſeſe ſuſtentaſſe, eo quod aliud, quo ſe ſuſtentarent, opus non haberent. Addit enim: *Potius dixerim, eos, quorum captivi erant, omne ex piſtrinis lucrum ſibi ſumſiſſe, & captivis vix panem & aquam ſubminiſtraſſe: ut duriſſima omnium hæc ſors eſſet, in qua maximus labor, & cibus ſummæ miſeriæ.* Forte tamen penes gentes diverſas diverſa obtinuit conſuetudo. Præter Pauſicapen & aliæ fuerunt machinæ, quibus ſervi, (imo etiam liberi interdum) in ergaſtulo aut alibi continerentur & coercerentur. Plinius lib. 35. cap. 10. pag. 1492. *Paucis diei horis pingebat, id quoque cum gravitate, quod ſemper togatus, quanquam in machinis. Carcer ejus artis domus area fuit*, v. Turnebus Adverſ. lib. 8. cap. 9. fol. m. 234. Equidem Jacob. Dalechampius ad Plin. loc. cit. n. ff. p. m. 1498. h. l. machinam mavult interpretari, quod pictores vocant, *un chevalet*, nempe tigillis conjunctis erectum organum (quod ὀκρίβαν & καλύβαν Pollux appellat) cum prominente aſterculo, in quo pingendam tabulam artifex collocat; ſed vix aſſenſum meretur, cum ſequentia verba talem machinam requirant, quæ cuſtodiendis in carcerem miſſis inſerviebat, ipſeque negare non audeat, n. gg. quod in ea domo, velut in carcere, pictores, ne effugerent aut dilaberentur, concluſos retineri Nero juſſerit. Harum machinarum quaſdam recenſet Hœpfnerus c. l. lib. 2. cap. 10. pagin. 251. ſcribens: Unter den Straffen der Ubelthäter war Δεσμὸς, das Gefängniß oder Bande. Zu den Banden gehörete κύφων, ein Hals-Eiſen / χοῖνιξ ein Fuß-Eiſen / Σανὶς ein Pfal / παυσικάπη ein Holß / welches um den Hals geleget wurde / daß man mit den Händen nicht konte zum Munde kommen. A Pauſicape diverſa erant Molilia, (Græcis dicta μηχανώματα τοῖς βραχίοσι) inſtrumenta, quibus molebatur, quæ molis colliſque boum aut aſinorum, vel humeris ſervorum adalligabantur, ad trudendas molas. Mentionem ejuſmodi inſtrumenti injicit Cato de re ruſtica cap. 10. 4. *Molas aſinarias unas, & truſatiles unas, Hiſpanienſes unas, molilia tria, abacum unum, &c.* Et cap. 11. 2. *Juga ploſtraria duo, jugum aſinarium unum, molile unum.* Had. Junius Nomenclat. p. m. 202. *Molile, manubrium, quo mola impellitur, & ingyrum agitur*, v. Rob. Stephani dict. lat. fol. 916. Pitiſcus tom. II. fol. 218. a. Erat inter hæc molilia Helcium ſparteum, ab ἑλκύω ſive ἕλκω, traho, denominatum, de quo Apulejus Met. 9. pag. 279. *Jamque maxima diei parte tranſacta, defectum alioquin me, helcio ſparteo dimoto, nexu machinæ liberatum applicant præſepio.* Et pag. 290. *Helcio tandem abſolutus, refectuique ſecure redditus.* Qui & alibi teniam ſparteam, item copulam ſparteam adpellat. Fuit vero vinculi genus & nexus, quo jumenta capiſtrata machinas trahebant, & molas circumrotabant. Ab eodem verbo etiam Helciarii dicuntur ſervi, qui loris & capiſtris juncti adverſo amne aut vento contrario naves, vel machinas, molaſque trahebant. Martialis lib. 4. epigr. 64.

Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.

Sidonius Apollinaris:

Curvorum hic chorus helcialiorum.

Eandem machinam Latini Suculam, Græci vero ὄνον aſinum vocant. Imo & ὄνευος dicitur ab ὀνεύω, ſuculam verſo, ut Budæus in Pandectis docet. Unde & ipſi helciarii qui ſuculam verſant, ὄνευοι adpellantur, ut tradit Scholiaſtes Thucydidis: ὄνευος μηχανὴ ἐςὶ περιαγωγῆς, ἣ οἱ χρώμενοι, ὄνευοι λέγονται. Ex quo etiam quid ὄνευος ſit prolixius diſcimus. Ei enim ὄνευος eſt μηχανὴ ἐπ' ἄκρων ἀκατίων πηγνυμένη, ἀφ' ἧς περὶ βάλλοντες βρόχους, τοὺς σαυροὺς ῥαδίως ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀνέσπων. Ἐςὶ δὲ ἡ μηχανὴ ἐπὶ

τοσῦτον βιαιοτάτη, ὥςε τὲ καὶ σαγηνὴν βαρέας ὑπὸ δύο ἀνδρῶν ἀπόνως ἕλκεσθαι, v. Hering. quæſt. 4. num. 50. 51. 52. pag. 88. ſeq. Pitiſcus tom. I. fol. 895. b. Tandem meminit Lucianus in Lucio τῆς κώπης τῆς μύλης, manubrii molæ, ad quod ſe ſubligatum eſſe, conqueritur; quod apud Sext. Feſt. Pompejum Molucrum eſſe, nonnulli arbitrantur, cum dicat, Molucrum eſſe, quo rotæ vertuntur. Quamvis Turnebus lib. 3. cap. 11. malit per molucrum intelligi carnem informem & inanimam in utero mulieris ſine viri ſemine genitam. Quem ſignificatum ſane quandoque obtinet. Hinc Feſtus: *Molucrum dicitur etiam tumor ventris, qui etiam virginibus ſolet evenire, cujus meminit Afranius in Virgine:*

—— ferme virgini
Excreſcit uterus, tanquam gravidæ mulieri.
Molucrum vocatur, tranſit ſine doloribus.

Ubi tamen quando virgini id quoque contingere Afranius cenſet, parum fidei ex plerorumque judicio meretur, cum Hippocrates περὶ γυναικέων I. molam ſeu molucrum eſſe ſcribat a virili ſemine pauco & morboſo. Id quod Medicis diſcutiendum relinquo. Alias Molucrum ſcopam molariam ſignificat. Hinc iterum Feſtus ex emendatione Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 17. a. F. *Molucrum dicitur, quo molæ verruntur, quod Græce μυλήκορον vocant.* Imo eadem molucri vox & lignum notat quoddam quadratum, ubi molatur, & quod ſub mola ſupponatur, v. Pitiſcus tom. II. fol. 218. b. Hering. quæſt. 3. num. 12. pagin. 61. quæſt. 4. n. 43. p. 85. Apponam verba ſæpe laudati Hoeiſelii §. XVI. *pag.* 16. *ſeqq.* obvia: *Scapus ſive manubrium, cujus ope lapis ſuperior agitatur, Græcis vocatur* κώπη τῆς μύλης. *Quæ vox non tantum de ſcapo molarum aſinariarum occurrit apud Lucianum in Lucio ſeu Aſino, ubi aſinus molæ admotus ita loquens fingitur:* ὑποζευγνύουσί με τῇ κώπῃ τῆς μύλης, alligant me ſcapo molæ; *ſed & ad manubrium molarum manualium transfertur a Theocriti Scholiaſte Idyllio IV.* Ἀπὸ τῶν ἀλούντων, καὶ τῇ κώπῃ τὰς μύλας ὠθούντων. A molentibus manubrioque molas trudentibus. *Catoni de re ruſtica* L. X. *Molile ſalutatur, ſi audiamus Adrianum Turnebum Adverſarior. lib.* 7. *cap.* 23. *pag.* 232. Scapus vel manubrium, quo movetur mola, molile, ut ſuſpicor, vocatur, ut a libra, librile: vel potius a moliendo. *Ad molile ſeu ſcapum molæ truſatilis digitum intendere videtur Jeremias Thren. v.* 13. *Aben Eſra* כשל כוח הנערים בהניע עץ הטחנה Defecerunt puerorum vires in movendo ligno molitorio. *Cui pollicem premit Bochartus Hierozoico pag.* I. *lib.* 2. *cap.* 13. §. 5. *per* עץ *ligneum molæ ſcapum intelligens. Profecto hanc interpretationem, explicationem Hieronymi, in obſcœnum ſenſum hæc verba trahentis, longo poſt ſe relinquere intervallo, in Solis diſco poſitum. Et quamvis, ut verum fatear, Munſteri, Vatabli, Grotii aliorumque de faſcibus lignorum, quos geſtare cogebantur captivi Hebræorum pueri, verba poſteriora accipientium ſententia nulla laboret abſurditate, attamen, cum priori hemiſtichio de piſtrinis, in quæ acti ſint a Babyloniis juvenes Iſraelitici, verba faciat Propheta, contextui convenientiſſimum, erit,* τὸ עץ *de ligno molitorio, quod ſcapum ſive manubrium vocant, cum autoribus ſupra laudatis accipere.* De priori hujus dicti hemiſtichio egi *cap.* IV. §. XXXV. *pag.* 216. *ſeqq.*

XLV. Gravitatem pœnæ ſervilis in piſtrino augebant verbera. Fuſtibus enim & flagellis ex loris ac bovinis pellibus confectis ad labores continuo ex ſtimulabantur. Id vero vel ipſos piſtores vel alios molitores ſervos feciſſe, tradit Heringius quæſt. 4. num. 68. pag. 97. qui & hunc morem ad aulas hodie translatum auguratur, Wann einer der etwas verbrochen / in die Küchen geführt / und allda geſtrichen wird. Idem Heringius n. 59. p. 93. trahit huc illud Plauti in Aſinar. act. I. *ubi lapis lapidem terit, apud fuſtidines, ferri crepinas inſulas.* Addit enim: *Poteſt intelligi de loris, quibus cæduntur ſervi. Nam hæc e bubulis tergoribus ſecantur; vel a clypeis, qui bubulo corio ſolent obduci.* Non inconſultum nec injucundum fore exiſtimo, ſi hic pauca de more veterum inprimis Tyrrhenorum inſpergam, quo ſervos criminis reos flagellis cædebant ad tibias, ut earum cantu excitarent tolerantiam. Breviſſimis hujus ritus mentionem injicit Caſp. Bartholinus de Tibiis Veterum lib. I. cap. 10. p. m. 137. prolixius vero lib. 2. cap. I. pag. 153. ſeq. de eo ſermocinatur. Verba lectu digna ſunt: *Non aliam ob cauſam, credo, nonnullæ gentes Tibiarum cantum adhibuerunt, cum ſontes flagris cæderent, quam ut aliquam pœnæ partem ſontibus minuerent, qui ſupplicia, his cantibus deliniti, æquiori animo ferrent, quanquam hoc Tuſcorum propenſioni ad voluptatem tribuat Alcinous, qui illis hunc tibiarum uſum familiarem tradit apud Athenæum* lib. 12. *Viguit ſane apud nonnullos hic mos, quemadmodum ſuo ævo flagellari ſervos ad tibiam ſolere Ariſtoteles tradit, quod apud* Plu-

Plutarchum legimus lib. de cohib. Ira. *Tyrrhenis hunc ritum ex eodem Aristotele tribuit Pollux* lib. 4. cap. 8. Τυῤῥηνοὶ δὲ τῷ Ἀριστοτέλους λόγῳ οὐ πυκτεύουσιν ὑπ' αὐλῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ μαστιγοῦσι καὶ ὀψοποιοῦσι. *Tyrrheni vero, ut Aristoteles tradit, non solum pugnant ad tibiam, sed etiam flagellis cædunt, & coquunt*. Idem Bartholinus, quod obiter addo, lib. 3. cap. 1. pag. 330. seq. docte investigavit, an servi fuerint apud Romanos tibicines? quod ipse affirmat. Sic enim scribit: *An servi fuerint apud Romanos Tibicines non determinat Pignorius Comment. de Serv. saltem non dubitat, quin familiares & vernaculi fuerint, cum præsertim a grege domesticorum, ut ait, Fistulator amanuensis Gracchο orationem habenti eburneolam fistulam inflaret, ad quam ille vocem & gestum componeret. Cæterum quin ille ex servorum ordine fuerit, dubitari non potest, cum expresse servum illum nominet Cicero l. 3. de Orator. &* οἰκέτην, *Plutarchus de cobib. ira. Servos itaque apud Romanos tibicines fuisse, libere pronunciare licet, cum & idem suadeat Tibicen Nauticus, qui* δοῦλος *est Demostheni in Orat. de Corona. Et Cicero in Verrem*, Symphoniacos servos in classe *memorat. Inter mancipia & vilioris conditionis homines hujuscemodi numerat Capitolinus in Vero*: „ *Adduxerat secum* „ *& fidicines & tibicines, histriones,* „ *scurrasque, mimarios & præstigiatores,* „ *& omnia mancipiorum genera, quorum* „ *Syria & Alexandria pascitur voluptate.*

XLVI. Sic ergo misera fuit penes Romanos Servorum sors, quos, si hactenus enarrata cum moderna eorum conditione componas, ferream egisse ætatem recte dixeris. Feliciores quibus aurei seculi dedit otia Deus, quorum auspicium non immerito Theodosii Imperatoris prudentiæ acceptum refertur. Hujus enim ætate, Pistrinis publicis Romæ abrogatis, dura illa servitus veteribus ad tempus cognita, cessavit, ac hodienum, accensa luce Evangelica, tolerabilius ac magis Christianum ministerium refulsit. Quamvis enim illud vituperari nequeat, quod nequitiæ pœnam in Pistrinis luere coacti fuerint olim servi nequam, utpote quos impune abire, vix legum sanctitas pateretur; inde nec Christianismo adversatur, quod moderna etiam ætate Francofurti ad Mœnum prisca adhuc vigeat consuetudo, qua sontes ad castigandam nequitiam in ergastulo molarem rotam circumagere coguntur, ceu id ipsum Berckenmeyerus refert Antiquar. part. 1. p. m. 445. In den Zucht-Hauße / inquiens, zu Franckfurt behalten sie noch die alte Gerechtigkeit der Römer / indem sie diejenigen / so nicht gut thun wollen / auch die bösen Weiber / in die Mühle thun / daß sie das Mühl-Rad drehen müssen; quo spectant etiam molendina Wormatiensia, in quibus Judæi statuto tempore circumagendo rotas vicem jumenti obeunt, ea mente, ut populo Christiano servitutem se servire, & a Dei facie rejectos esse, rectius intelligant; ceu annotavit Treunerus cap. 2. §. 7. pag. 14. illud tamen justam abrogandorum pistrinorum causam præbebat, quod Theodosii ætate illa ergastula in latronum furumque latibula degenerarent, Mancipesque, qui in iis degebant, multos occasionis opportunitate, seu calliditate primum prævenientes, postea vi ad molendum cogerent, v. Laur. Pignorius de Servis p. m. 254. Hering. quæst. 47. num. 7. 8. pag. 538. Historiam ex Eutropio lib. xv. rer. Romanar. Socrates lib. v. histor. Ecclesiast. xviii. citante Heringio quæst. 44. numer. 28. pag. 514. hoc modo describit: *Erant Romæ ædes per amplæ & vastæ antiquitus exstructæ, in quibus panis, qui suppeditabatur civitati, confectus fuit. His præfuerunt, quos Romani patrio sermone mancipes adpellant, qui tempore progrediente, ædes illas furum latibula effecerunt. Nam quia pistrina ad ædes spectantia in profundo sita essent, & ad latera singularum ædium ædificatæ cauponæ, inque illis meretrices* (a) *habitarent, complures illis, vel cibi capiendi, vel libidinis causa intrantes per insidias despoliati fuerunt. Nam machina quadam factum est, ut ex caupona in pistrinum præcipitarentur. His dolis delusi erant, inprimis peregrini Romam venien-*

(a) Meretrices illas Pistrinarias a Plauto Pœn. 1. 2. 54. *Pistorum amicas* vocari nonnulli existimant, monente Pitisco tom. 11. fol. 216. a. qui ibidem dubitat, an ex more hoc hodie non remanserit, quod socii navales, quum a lenonibus exigunt scorta, dicunt, *hebje geen brood*, panis nomine ea designantes, ne inhonesta poscere ulli intelligerentur.

Plauti verba sic habent:

An te ibi vis inter istas versarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias.

Unde patet, fœminas in pistrinis pudicitiam suam subinde prostituisse. Vocantur enim *Prosedæ* h. e. prostitutæ, a prosedendo in meritoriis vel fornicibus; juxta Isidorum Orig. lib. 10. & *pistorum amicæ*; nec non *alicariæ*. Sunt vero Alicariæ, teste Pompejo Festo de verb. signific. pag. 248. meretrices in Campania, ante pistrina alicariorum versari quæstus gratia solitæ. Alica (Græcis χόνδρος) fit ex granis zeæ in pila lignea tusis, ceu Plinio præeunte docuit Salmasius de homonymis hyles jatricæ pag. 71. Inde dictæ sunt alicariæ fœminæ in pistrinis laborantes, sed ad omnem libidinem veniales. Vid. Hoheiselius §. xxi. pag. 23. seq.

nientes, qui cum irretiti tenerentur, coacti fuerunt in pistrinis molere, ac complures non exire permissi, ibi vitam ad summam senectutem traduxerunt, suisque attulerunt opinionem, quod mortem oppetiverant. In hunc laqueum unus ex Imperatoris Theodosii militibus forte incurrit, qui cum in pistrinum conclusus exeundi potestatem non haberet, districto quem habebat pugione, eos, qui eum egredi prohibebant, trucidavit, reliqui rei gestæ metu perterriti militem dimiserunt. Imperator re intellecta, mancipes gravi supplicio affici, ædesque latronum quæ erant perfugia, penitus disturbari jubet. Idem narrat Autor historiæ miscellæ *lib.* 13. obiterque tangit Cedrenus.

XLVII. Ceterum observare hic juvat, quod quæ hactenns de vili servorum sorte ex antiquitate exposuimus, admirationem eorum tollant, qui quærunt, cur molitorum contemtum adeo & vile genus vitæ habeatur, ut ab opificibus etiam dubitatum sit, annon molitoribus infamiæ maculam inuri oporteat. Id enim novum non est, cum ipsa Scriptura S. filium ancillæ, quæ est post molam, primogenito Regis, tanquam hominem imæ sortis homini summo opponat, vetercsque mancipia supplicio digna huic labori destinaverint. Frustra ergo sunt, qui molitorum contemtum ab ipsorum furtis frequentioribus derivant, quorum a multis (licet quandoque injuste) accusantur. Horum inprimis in numero est Reinhardus quidam Lorichius Hadamarius lib. 2. Ænigmat. pag. 46. ubi mirum in modum Molitores tanquam fures exagitat. Sic enim quærit:

Quæro, quos hominum furari impune sinamus?
Nec metuant horum libera furta crucem?

Respondetque:

Horrescunt omnes suspendia tristia fures,
Immunis molitor solus at esse potest.
Illos e medio si tentes tollere, fruges
Qui posset saxo frangere nemo foret.
Inque mola miror cur nulla ciconia nidos
Extruat, an metuit, molitor ne subtrabat ova?
Surripiat que suos, ut fur est undique, fœtus?

Et iterum:

Est aliud prudens bene quod natura paravit,
Nil molitori æque suspicor esse bonum:
Ipsius totum namque hoc defendit honorem,
Ei servat famam, quæ peritura foret;
Quod saccis hominum non est concessa loquela:
Hinc nequeunt dominum prodere voce sua:
Indicio illorum fieret manifesta rapina,
Quam furtim nunc & dissimulanter agunt.

Porro:

Dic casam quando molitor sit intra
Sed conclusus lateat molari
Fur tamen tectum videatur extra?
Dic mihi, si scis.

ubi responsionis loco reponit: *Cum molitor in ædibus stans manus per fenestram extendit: solis autem manibus furtum committit.* Præter hunc & Pomponius in Pistore, Pistorem memorat, qui

—— decipit vicinos,
Quod molendum conduxit, comest.

Et de panifice cecinit Mantuanus Eclog. 6.

Cum lac vociferans ibam venale per urbem,
Mansi apud artocopum, sapiens & ad omnia promtus
Furta erat & crudum ferro subradere panem.

Quæsitus olim nonnemo: Quid causæ subsit, cur tantus molitorum tam re quam nomine talium in orbe deprehendatur numerus? respondit: Quod tam pauci eorum suspendii supplicio afficerentur. Et Ducem quendam Saxoniæ memorant, ad impedienda molitorum furta in singulis molis libras comparandas jussisse, quo & frumenta ad molendum exhibita, & molita farina cum furfuribus ponderari librarique possint. Quamvis nec eo modo finis, qui intendebatur, saluberrimus obtineri posse videatur, cum molitores tanta sæpe polleant versutia, ut frumentis licet & farina examussim ponderatis, fallere tamen incautos possint. Quo spectat lepida historia molitoris, qui de quatuor modiis tritici, quinque abstulisse fertur, der von 4. Meken Waiken fünffe gestohlen. Rem primo intuitu pene incredibilem his explicat Celeb. Tentzelius Monatl. Unterred. Maj. 1691. p. m. 343. seq. Der Müller, inquiens, hatte eine heimliche Thür in der Mühle, dadurch er in die Küche, und von dar in die Schlaf-Kammer

mer kommen kunte. Nun brachte eine Bauerfrau ein vierthel Wäiken / und da sie niemanden in der Mühlen sahe / gieng sie in die Stube durch die ordentliche Thüre: Der Müller stund in der Mühle in einer Ecken / und nachdem die Frau hinein / nahm er ihren Wäiken auf die Schultern / trug ihn durch seine Diebs-Thüre in die Kammer / und gieng aus derselben in die Stuben. Die Bauerfrau wünschte ihm einen guten Tag / und sagte / sie hätte ihm ein vierthel Wäiken zu mahlen gebracht. Wo habt ihr denn euren Wäiken? fragte der Müller / ihr müsset mir ihn erst weisen / die Frau gieng mit ihm hinaus in die Mühle / da war der Wäiken über alle Berge hin / waßhalben sie sich sehr übel gehub / vorgebend / ihr Mann schlüge sie todt / wenn sie mit leeren Händen wieder käme. Der Müller sahe eine weile mit trockenen Augen zu / endlich sprach er: Ich will euch wohl ein Viertelleihen / wenn ihr mirs bezahlen wollet. Die Frau sagte es zu / er aber holete eben den Wäiken / den er vorhingestohlen / schüttete ihn auf / un stahl noch eine Meke Mehl davon / ehe es die arme Frau | bekam /, sich hernachmahls zum öfftern bey lustigen Gesellschafften damit moquirend. Idem Tentzelius paulo ante inter molitorum fraudes & hanc refert, qua stramen triticeum, fornacis ope tostum, & cultello scissum; fractumque molis farinæ immiscent, da sie nemlich Wäißen Stroh auf den Ofen dörren / zu Heeterling schneiden / und so lange in der Mühlen mahlen / bis man es durch ein harin Sieb sichten / und unter das rechte Mehl mengen tan. His similia plura suppeditabunt Misander Del. Bibl. V. T. 1695. pag. 702. seqq. Heringius quæst. 1. num. 67. pag. 27. seqq. huc referens quoque vulgatam quæstionem: Quinam artifices sub se plurimos fures habeant? ubi jocose respondetur: Non sartores, non molitores, ut vulgo traducuntur, sed tonsores. Quidquid enim ubique furum ac nebulonum est, ab his ac sub his tondetur. Unde & sumsit occasionem Germanicum exponendi diverbium: Mühlen ruchtig seyn / quod interpretatur: *notissimum omnibus esse, tanquam in molendinis crebro agitatum; quo se multi conferunt variique, similiter ut in tonstrini; quæ æque occasionem proverbio dederunt*. Qui tamen num. 68. seqq. pag. 28. non immerito multis probavit, vitia & furta quorundam toti molitorum opificio maculam non inurete; quam & abstersit Treunerus cap. 4. §. 3. pag. 25. „Mea opinione, *inquiens*, „ errant, qui a furtis molitorum cau„ sam, cur audiant male, arcessunt. Cur „ enim alii opifices idem fatum non ex„ periuntur, qui tamen non minus arti„ ficiose furari didicerunt? Genuinam hi„ storicam rationem hanc crediderim, „ quod olim in pistrinum & molendinum „ mancipia maxime dabantur, brutis „ æquiparari solita. Plautum profecto asi„ num dictum fuisse constat. Quanquam „ enim nostris moribus alia omnia obti„ neant; semper tamen aliquid hærere & „ pristinæ consuetudinis in successoribus „ relinqui, noto est notius.

XLVIII. Scilicet si veterum pistorum conditionem exquisitius consideremus, negari equidem nequit, obsequium pistrini olim inter sordida munera relatum, pistoresque in ordine vilium & sordidorum artificum fuisse habitos; prouti Leonh. Aretinus lib. 6. epist. pag. 275. inter turbam & infimæ sortis homines numerat Pistores ac Lanistas; & Antonin. Tessaurus, judicem farinarium pro vili agnoscit persona, in quem gravis injuria vix cadat, decis. 229. num. 6. Pertinent huc vulgares versiculi:

—— Si nobilis ille putari
Debet quicunque est dives: sic nobilis esse
Cerdo potest, lanius, tonsor, piscator, equiso
Pastorque & pistor, coriarius atque bubulcus,
Et latro & leno, & quivis de gente lutosa.

v. Hering. quæst. 1. num. 8. pag. 5. num. 15. pag. 9. num. 51. pag. 22. Ipse Cicero, pro Roscio Amerino Opp. tit. 11. pag. m. 45. Pistores cum coquis inter vulgares artes refert: *Mitto hasce arteis vulgareis, coquos, pistores, lecticarios*. Hinc & Octavio Augusto contemtus causa objectum fuit, quod ipsius avus maternus pistrinum exercuisset, & farinam ex crodissimo Ariciæ pistrino sumsisset, eamque postea manibus collybo decoloratis finxisset, ceu Svetonius narrat in Augusto cap. 4. num. 4. 5. ita scribens: *Verum M. Antonius despiciens etiam maternam Augusti originem, proavum ejus Afri generis fuisse, & modo unguentariam tabernam, modo pistrinum Ariciæ exercuisse, objicit. Cassius quidem Parmensis quadam epistola, non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem sic taxat Augustum: Materna tibi farina: siquidem ex crudissimo Ariciæ pistrino hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius*. Id quod verbis Tib. Claudii Donati de Virgilii vita illustrari potest; ex quo saltem, quæ huc pertinent, excer-

cer-

cerpam. Refert iste, Maronem Romæ Augusti amicitiam nactum, equorum curasse morbos, mercedisque loco, jubente Principe, singulis diebus panes accepisse, ut unum ex stabulariis; cumque de equis & canibus incognita varia indicasset ac prædixisset, Augustum jussisse, ipsi panes duplicari. His memoratis ita pergit: „ Dubitavit Augustus Octavii ne filius „ esset, an alterius? idque Maronem „ aperire posse arbitratus est, quia canum „ & equi naturam, parentesque cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris, „ illum in penitiore partem domus vocat, & solum rogat, an sciat, quisnam esset & quam ad felicitandos homines facultatem haberet? Novi, inquit Maro, te Cæsar Auguste, & ferme æquam cum Dis immortalibus potestatem habere, ut quemvis felicem facias. Eo animo sum, respondit Cæsar, ut, si verum pro rogatu dixeris, beatum te felicemque reddam. Utinam, ait Maro, interroganti tibi vera dicere queam! Tunc Augustus: putant alii me natum Octavio: quidam suspicantur, alio me genitum viro. Maro subridens; Facile, inquit, si impune licenterque, quæ sentio, loqui jubes, id dicam. Adfirmat Cæsar jurejurando, nullum ejus dictum ægre laturum, imo non nisi donatum ab eo discessurum. Ad hæc oculos oculis Augusti infigens Maro: Facilius, ait, in cæteris animalibus qualitates parentum mathematicis & philosophia cognosci possunt, in homine nequaquam possibile est: sed de te conjecturam habeo similem veri, ut quid exercuerit pater tuus, scire possim. Attente expectabat Augustus, quidnam diceret? At ille: Quantum ego rem intelligere possum, pistoris filius es, inquit. Obstupuerat Cæsar, & statim quod id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens Virgilius, audi, inquit, quo pacto id conjicio: Cum quædam enunciarim prædixerimque, quæ intelligi scirique nonnisi ab eruditissimis summisque viris potuissent, tu Princeps Orbis, item & item panes in mercedem dari jussisti; quod quidem aut pistoris, aut nati pistore officium erat. Placuit Cæsari facetia. At deinceps, inquit Cæsar, non a pistore, sed a Rege magnanimo dona feres &c. " Cæterum, ut ad priora rursus convertar, eandem cum Augusto sortem expertus alius, cui Rex Guntchramus ap. Gregorium Turonensem histor. Francor. lib. 7. cap. 14. pag. 387. objicit, quod sit advena, & pater ejus molendina gubernaverit. Idem probrum ap. eundem Gregorium lib. 7. cap. 25. audire cogitur primarius Medicus Regis Chilperici Marileifus, quod parens ipsius molendina Ecclesiastica administraverit, fratresque ejus ac consobrini culinis dominicis atque pistrino subjectis fuerint. Tandem & Aimonius Monachus lib. 3. histor. Francor. cap. 63. pag. 124. de alio in hunc modum loquitur: *E medio arferatur hominum tyrannus hic, cujus pater procurator fuit regalium molendinorum.* v. Hering. quæst. 1. num. 11. pag. 5. seqq.

XLIX. Quodsi etiam priscorum temporum res gestas evolvas, pistores ab officiis & dignitatibus arceri solitos fuisse deprehendes. Ut proinde haud immerito portenti loco habeat Ammianus Marcellinus lib. 27. quod Terentius humili in urbe Pistoriensi genere natus, & pistor, annonariam Thusciam correctoris administraverit potestate. v. Hering. quæst. 1. num. 16. pag. 9. Molitorum pariter filios a dignitatibus inprimis Ecclesiastici exclusos fuisse quondam, evincitur illo Sangallensis Monachi, rerum Caroli M. Scriptoris, testimonio, lib. 1. cap. 8. scribentis: „ Ne a scientibus rerum illarum „ arguar mendacii, quod nullum exceperim, fuerunt in ejus schola duo molinariorum filii de familia Sancti Columbani, quos quod non congruit ad Episcopiorum vel Cœnobiorum regimen sublevari, tamen per merita, ut creditur, Magistri sui præfecturam Babiensis Monasterii unus post unum strenuissime gubernarunt. *Ad quod observavit Casp. Barthius adverf. lib. 46. cap. 8. fol.* 2137. Notandum, temporibus hujus monachi, ab honestorum officiorum Ecclesiasticorum honoribus, omnibus alioquin quantumvis pauperibus Regia munificentia patentibus, addiscendis exclusos fuisse Molitorum filios, non aliter atque nunc carnificum solent. " Idem fere fatum molitoribus quod mercatoribus accidit. Legibus quippe Imperialibus ordini mercatorum omnem aditum ad honores & imperia præclusum fuisse, variis testimoniis demonstravit Heringius quæst. 1. num. 73. 74. pag. 29. Quod ideo attuli, quoniam disputare licet, an Pistores mercatoribus sint accensendi? quod ipsum tamen idem Heringius quæst. 4. num. 35. pag. 82. num. 36. pag. 83. multis motus argumentis in dubium vocare, & negare prorsus, non dubitavit.

L. Ex hac veterum Pistorum sordida vilique sorte patet, multas equidem suppetere causas, quibus, modernorum molitorum conditio elevetur & attenuetur, in-

inprimis cum constet, hos veterum pistorum esse genuinos successores, eorumque partes γνησίως adimplere. Supra quippe adstruximus, pistores olim exercuisse pistrinum, quod nunc molitorum est. Hodierni enim pistores soli panifices sunt, quos bene descripsit Melchior de la Cerda Volum. I. campi eloquent pag. 535. hunc in modum: *Pistores sunt, qui subacta farina panem conficiunt, confectum panem infurnum portandum curant, & pala sive infurnibulo immitunt, & ignem rutabulo proruunt, panis coquendi causa. Quem aversum conversumque ubi senserint esse coctum, extrahunt, & manu quatientes, explorant, coctus sit, annon? Quanquam ex crusti aspectu, nullo etiam tactu id conjicere satis poterunt.* v. Hering. quæst. num. 33. 34. pag. 15. num. 35. pag. 16. num. 83. pag. 30. Hujus nostrorum molitorum & veterum pistorum convenientiæ habita ratione nec fore absonum existimat Heringius quæst. 12. num. 17. 19. pag. 232. si nostrates eodem modo, ut prisca receptum fuit consuetudine, ab aliis opificibus, habitu vestibusque distinguerentur; simulque notat, Germanis molitorum vestes, Müllers Kleyder, proverbii pene locum obtinuisse, illoque nomine inferioris Saxoniæ incolas, vestitum sordidum & conspurcatum indigitare: *cum illorum*, pergit, *indumenta semper polline aut alterius frumenti tenuissimo pulvere adspersa sciamus, quæ Apulejus farinulento cinere sordide candida vocavit.* Pertinent huc versiculi Vespæ in Judicio Cocqui & Pistoris:

Ad causam pistor procedit primus agendam
Canitiem capiti toti præbente farina.

LI. Tanta igitur cum sit veterum pistorum nostrorumque molitorum cognatio, quid mirum, quod ab illis ad hos derivatus sit contemtus? Quamvis & in multis horum ab illis agnoscenda sit differentia, satisque ex antiquitatum monumentis pateat, quod Pistores non semper fuerint, sed paulatim desierint esse personæ abjectæ. Quare & hodie molituram non amplius pro tam sordido opificio haberi, ut propterea quis honorum, dignitatum, & officiorum incapax censeri jure debeat aut possit; prolixissime demonstravit, profligatis simul adversariorum artis molitoriæ honestatem labefactantium argumentis, Heringius quæst. I. integra, provocans inprimis num. 39. pag. 17. ad Imperatoris Caroli V. & Statuum Imperii Romano Germanicis pragmaticam sanctionem, in comitiis Augustanis Anno 1548. tit. von Handwercks Söhnen und Gesellen latam, & a Rudolpho II. solenniter repetitam in der gebesserten Policey Ordnung zu Francfurt Anno 1577. tit. 38. qua uti ait, *tanquam superlativo legitimationis ac qualificationis documento cavetur, quod molitores eorumque filii ab honestis officiis arceri non debeant.*

CAPUT V.

De Frumentis, Aliisque Rebus, in Pistrino Molitis, Item de Farina, Panibus, Atque Placentis.

ARGUMENTUM.

I. *Connexio monstratur.* II. *Varia in pistrinis molita. Oleum in molis expressum. Molæ oleariæ a Mosæ memoratæ. Illustratur Job.* XXIV. 11. III. *Mola olearia & olivaria quid? Trapetum quid & unde? an a molis diversum?* IV. *Molitura Mannæ, & vituli aurei. Quid* הרפות *2. Sam.* XVII. 19. & *Prov.* XXVII. 22. *Panicum pinsitum. Nuces castaneæ molitæ. Molitura Salis. Quid Muries?* V. *Glandis pistura. Medorum victus. Veterum simplex vivendi ratio. Cibus Anglorum & Wallensium. Arborum usus ad panem.* VI. *Pisces pistillis fracti. Ichthyophagi. Fera vivendi ratio quarundam nationum. Varia loco panum a variis gentibus usurpata.* VII. *Frumentum primarium molæ objectum; sine molarum ope quandoque fractum. Frugum tostarum longa duratio ap. Septentrionales.* VIII. *Frumenta in arboribus nata; ex nubibus suppeditasa.* IX. *Varia hordæi præparandi ratio. Chaldæorum* ערסן *quid? Hordei antiquitas.* X. *Frumentorum molitura non eadem. Farinæ nomen unde? Quid notet?* XI. *Proverbia enodantur: Fugiens molam, fugit farina.* Wer erst kömmt, mahlt erst. *Farinam molitam rursus molere. Assam farinam concupiscere. Furfures pro farina. Multiplicans aquam, multiplicet farinam.* XII. *Farinæ in sacrificiis usus. Variæ farinæ species. Quid & unde polenta? Molita cibaria ap. Jul. Cæsarem. Ovidius illustratur. Polentæ usus in cerevisia.* XIII. *Polenta cur Maza dicta? Quid Maza? Discrimen inter* ἄρτον καὶ μᾶζαν. XIV. *Similago a polline quomodo differat? Laus siliginis ex cribri tenuitate. Cribrum cum rutabulo ad vasa pistoria pertinet. Cribrum unde dicatur? unde componatur? Cribrorum inventores.* XV. *Tritilla pultis genus. Puls quid? Græca & Hebræa appellatio. Pultis vox unde?* XVI. *Puls panis loco*

loco veteribus. Pultiphagi Romani. XVII. *Hebræorum* לחם *unde? Panis unde dictus? Panum necessitas in vita humana. Humanæ vitæ commercium mola notatum. Panis prægustatio in nuptiis. Ejusdem in siti exstinguenda efficacia.* XVIII. *Panum inventio an Pani aut Cereri tribuenda? Quid Panda?* XIX. *Panis usus ad ipsa mundi primordia referendus. Illustrantur loca Gen.* III. 19. XIV. 18. XVIII. 5. 6. XIX. 3. XXI. 14. *aliaque. Hebræorum* מצות *unde* XX. *Porro enodantur Gen.* XL. I. XLI. 55. *Exod.* XVIII. 12. *Job.* XLII. 11. *Panis amoris symbolum. Judæorum panes non adeo grandes. De horum indole nonnulla afferuntur.* XXI. *Placentæ idololatricæ Jer.* VII. 18. XLIV. 19. *Quid* כונים*? Seldeni sententia memoratur. Panis Selene a Luna dictus. Lunensis caseus. Placentæ Juliæ. Pontificiorum* ἀρτολατρεία. *Panes Marcesii.* XXII. *De festo Jolensi & verre Julio ex Keyslero nonnulla adducuntur. Simulacrum de conspersa farina. Gaudia Jolensia quando celebrata? Gallorum mos circa placentas natalitias.* XXIII. *Aliæ Gallorum consuetudines.* XXIV. *Ceremoniæ Monachorum Græcorum quinque panibus observatæ. Panis Conimbricensis magnus.* XXV. *Jocus in Rabulas forenses. Discrimen inter furnum & clibanum. Non semper observatur.* XXVI. *Furnus quid? Furnorum origo.* XXVII. *Artopta quid? Tria panum genera apud veteres.* XXVIII. *Artologanus quid? Panes bis cocti. Panis nauticus, siccus.* XXIX. *Panis mustaceus. Laureolam in mustaceo quærere.* XXX. *Siligineus panis & similagineus; Autopyrus;* XXXI. *Fideles panibus assimilati.* XXXII. *Panis improbus, cacabaceus, caninus sive furfuraces. Cantabrum quid? Panis sordidus, hordeaceus.* XXXIII. *Panis fiscalis sive civilis quid? Ejus origo. Gradilis panis. Horum panis. Horum panum materia.* XXXIV. *Panarium quid?* XXXV. *Pane facies & manus abstersæ ac levigatæ,* XXXVI.

I. HActenus de iis egimus, qui pistrini labores exantlarunt, molæque vertendæ ac trudendæ officio functi sunt. Cumque simul demonstraverimus, pistrina non puniendis solum servis nequam, sed & hominum victui parando inserviisse: merito nunc de eo soliciti sumus, quomodo posterior ille finis obtineri potuerit. De frumento igitur; quo vita hominum sustentatur, tanquam primario pistrini objecto, & aliis, quæ molarum ope olim frangebantur & comminuebantur, peculiari hoc capite nobis erit differendum; in quo simul, data occasione, & nonnulla memoratu digna de pane, placentis, aliisque rebus ex farina in molis parata confectis, pace Lectorum, in medium afferemus.

II. Varia erant, quæ in pistrinis veteres tundebant molebantque. Præter frumentum enim & legumina, fabas, oleum aliasque res molæ ope terebant. A qua diversa materia molæ frumentariæ, molæ fabariæ, molæ oleariæ dictæ sunt, quarum varii autores meminerunt. v. Rob. Stephan. dict. lat. fol. 915. Hering. quæst. 4. num. 20. pag. 74. Ex his vetustate gaudent Oleariæ sive Olivariæ molæ, quarum Moses mentionem facit, dum Exod. XXVII. 20. & Levit. XXIV. 2. memorat שמן זית זך כתית ἔλαιον ἐξ ἐλαιῶν ἄτρυγον καθαρὸν κεκομμένον, oleum de arboribus olivarum purissimum piloque contusum. Eodem multi referunt quoque illud Jobi XXIV. 11. quod Lutherus vertit: Sie zwingen sie Oel zu machen / auf ihren eigenen Mühlen / und ihre eigene Kelter zu treten; und lassen sie doch Durst leiden. Licet textus ita habeat, בין שורתם יצהירו יקבים דרכו ויצמאו *Inter muros eorum oleum exprimunt: torcularia calcant & sitiunt.* Sensus eo redit: Tyrannos pauperibus gravissimos injungere labores, nec mercedis loco tantillum referre, quo sitim sedare possint. Quod bene notavit David Martin in versione Gallica ad h. l. *C'est-a dire qu'ils ne leur fournissent pas meme de quoi se sustenter dans le fort de leur travail le plus penible.* Hac occasione memorat Heringius quæst. 6. num. 3. pag. 112. ex Latino Tancredo lib. I. de fame & siti cap. I. pag. 3. hunc aquæ sitisque usum: quod potus cum alimento quoquo versum pervadens efficiat, ut facilius eliciatur alendo corpori utilis succus. Hoc, scribit, ingenio & industria uti torcularios artifices. *Hi namque cum volunt oleum ex olivis exacte elicere, illas calidis aquis conspergunt; quo fit, ut & oleum & amurca, cæteræque feces secernantur. Pariter copiosius ex amygdalis extrahitur oleum, si prius tepida aqua perfundantur.*

III. Mola ejusmodi olearia, quæ Græcis μύλος ἐλαιῶν vocatur, ex nucibus aut ex semine aliquo oleum exprimitur; a quo & nomen sortita est. *Etsi enim*, verba sunt Herigi quæst. 6. num. 2. pag. 111. *in torculari per prælum uvæ olivæque eo per qualos, fiscos & corbes delatæ, rectissime exprimi poterant: ad exprimendum tamen ex nucibus, aut ex semine aliquo, oleum, torcular & prælum inutilia erant, nisi prius semina per molares contusa & molita essent, tum demum exprimenda.*

Olivarias molas appellat Paulus J. C. lib. 3. ſententiar. tit. 7. *Cogendorum fructuum cauſa comparata, inſtrumento cedunt, velut corbes, alvei, falces meſſoriæ, & fœnariæ, item molæ olivariæ.* Vocantur hæ molæ etiam Torcular olearium, Trapetum, Trapetes, & Trapedum, non a terendo, ut Varroni lib. 4. de ling. Lat. placet, ſed ἀπὸ τȣ̃ τρέπειν, a vertendo, quod nempe circumacto *verſoque* lapides res molendæ tererentur. Gloſſ. Philox. *Trapetum*, ἐλαιῶν μύλος, ἐλαιȣργεῖον, Gloſſ. Cyrill. Ἐλαιοτρίβιον, *trapetum*. Hac voce uſus eſt Plinius XV. 6. pag. 664. de olivis ſermocinatus: *Poſtea inventum, ut lavarentur utique ferventi aqua: protinus prælo ſubjicerentur ſolidæ (ita enim amurca exprimitur) mox trapetis fractæ premerentur. Iterum premi pluſquam centenos modios, non probant. Factus vocatur. Quod vero poſt molam primum eſt flos.* Martialis lib. 7. epig. 27. pag. m. 202.

> *Nec Tarteſſiacis Pallas tua, Fuſce, trapetis*
> *Cedat, & immodici dent bona muſta lacus.*

Et lib. 13. epig. 36. pag. 396.

> *Hæc quæ Picenis venit ſubducta trapetis,*
> *Incboat atque eadem finit* (al fudit) *oliva dapes.*

Virgilius lib. 2. Georg. verſ. 519.

> *Venit hyems, teriturque Sicynia* (al teritur Sicyonia) *bacca trapetis.*

Statius lib. 2. ſylv. 7.

> *Unctis Boetica provocas trapetis.*

Separat tamen Trapetum a Molis & pro trabe accipit, qua oleum exprimitur, Columella rei ruſticæ lib. 12. cap. 50. *Oleo*, inquiens, *conficiendo molæ utiliores ſunt, quam Trapetum, trapetum quam candis & ſolea; Molæ quam facillimam patiuntur adminiſtrationem, quoniam pro magnitudine baccarum vel ſubmitti vel etiam elevari poſſunt, ne nucleus, qui ſaporem olei vitiat, confringatur. Rurſus Trapetum plus operis, faciliuſque quam ſolea & canalis officit.* Et Cato de Re Ruſt. cap. 22. totam conſtructionem, & fabricam intelligit, in qua orbis eſt ipſa olearia mola, quæ in trapeto vertitur & oleam terit. vid. Dempſterus ad Roſ. lib. 1. cap. 14. pag. 65. Pitiſcus tit. II. fol. 984. b. Junius Nomencl. pag. 203. Non prætermittendum, quod & Aromata molarum inprimis manualium ope comminuta legamus. Hinc Talmud, Codice ביצה ſive de feſtis diebus cap. II. theſ. IX. *molarum piperis*, רחים של פלפלין mentionem injicit. Hinc & Maimonides שביעית h. e. de anno ſeptimo cap. IX. §. I. molas manuarias ad medicamina comminuenda adhibitas fuiſſe, teſtatur. conf. Hoheiſelius §. X. pag. 10.

IV. Præter oleum & alia fuere molæ objecta. Sic Manna collectum leguntur Iſraelitæ moluiſſe piliſque fregiſſe in deſerto Arabico, Num. XI. 8. Pilis etiam in pulverem redegit vitulum aureum Moſes, Deut. IX. 21. ואכת אתו טחין היטב *Et contudi eum molendo probe.* His addi meretur 2. Sam. XVII. 19. ubi mulier ſuper tegumentum puteo impoſitum memoratur diffudiſſe הרפות grana commolita ſive pilis contuſa. Gallus vertit: *Et repandit ſur elle du grain pilè.* Ubi David Martin ad marginem notat: *Ou, du grain ecoſsè, qui etant nouvellement tirè hors de ſa coſſe, comme ſont les poids, les haricots, & autres, ont beſoin d'etre mis au ſoleil & a l'air pour les mieux ſecher.* Vox hæc obviat quoque Prov. XXVII. 22. ubi ſtolidi ſtultitiam non ablatum iri aſſeritur אם·תכתוש את---האויל במכתש בתוך הרופות בעלי *etiamſi ſtultum contuderis in mortario in medio contuſorum in piſtillo*: ceu vertit Seb. Schmidius, qui eandem vocem הרפות in priori loco per *molam fractam* reddit. Lutherus utrobique per Grüße tranſtulit. Apte iterum Gallus: *Quand tu pilerois le fou au mortier parmi du grain qu'on pile avec un pilon, ſa folie ne ſe departira point de lui.* Porro & panicum pinſitum memorat Columella lib. 2. cap. 9. 17. *Panicum pinſitum, & evolutum furfure, ſed & milium quoque pultem, quavis inopia, maxime cum lacte non faſtidiendam præbet.* Et Plinius XV. 23. pag. 683. nuces caſtaneas molitas refert. *Moluntur etiam, & præſtant jejunio fœminarum quandam imaginem panis.* Præterea & Sal in piſtrino tundebatur, ex quo confecta muries eſt, uti Feſtus Pompejus lib. II. ejes meminit: *Muries eſt, quemadmodum Veranius docet, ea quæ fit ex ſale ſordido, in pila pinſato, & in ollam fritilem conjecto, ibique operto gypſatoque & in furno percocto.* Et Paulus Feſtum tranſcribens: *Muries dicebatur, ſal in pila tunſum, & in ollam fritilem conjectum & in furno percoctum*, v. Hering. quæſt. 4. 10. pag. 70.

V. Pertinet huc glandis piſtura, apud montanos homines Luſitaniæ uſitata, utpote qui duabus anni partibus querna veſcebantur glande, quam quum ſiccaſ-

ſent,

ſent, frangebant, panes conficiebant, & ad tempus reponebant. Prouti & Plinius XVI. 5. pag. *696.* teſtatur, ſua adhuc ætate multas gentes glandibus vitam ſuſtentaſſe. Ita enim ille: *Glandes opes eſſe nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium conſtat. Nec non & inopia frugum arefactis molitur farina, ſpiſſaturque in panis uſum. Quin & hodieque per Hiſpanias ſecundis menſis glans inſeritur.* Medi e contrario propter ſterilitatem ſuæ regionis ex malis in uſum hunc exſiccatis ac contuſis, maſſam conficiebant, ex toſtis amygdalis panem, ex herbarum radicibus vinum. v. Hering. quæſt. 2. num. 8. pag. 37. num. 25. pag. 41. ſeqq. Et ſcribit Diodorus Siculus rer. antiquar. lib. 1. cap. 1. veteres ſimpliciſſima victus ratione contentos fuiſſe & pleroſque tantum collectis herbis & campi ſponte natis fructibus pecorumque lacte latrantem ſedaſſe ſtomachum, ac ne quidem tales ſylveſtres fructus in uſum futurum condere & ad egeſtatem ſervare ſciviſſe; referente Treunero cap. 3. §. *6.* pag. 18. & Heringio quæſt. 2. num. 5. pag. 36. Angli etiam mediterranei plerique, Julii Cæſaris adhuc tempore, lacte & carnibus ſine frumenti uſu victitabant. De Wallenſibus etiam cecinit nonnemo:

> *Caſeus & butyrum cum carnibus haud bene coctis*
> *Delitioſa viris reputantur fercula magnis,*
> *Arboris infixæ trunco, quas ſæpe prementes*
> *Sic etiam comedunt expreſſo ſanguine tantum.*
> *Hæc vice ſunt panis, pro vino lacteus humor.*

Peculiare eſt, quod Scaliger obſervavit exerc. 108. §. 1. *In Inſula Vedemao Sagu arbore utuntur ad panem, quæ arbor pani dedit nomen. Ligni fruſtum purgant a quibuſdam quaſi ſpinis, tundunt, & in pollinem redigunt. Hoc pane ad uſum Nautarum parant commeatum.*

VI. Quin quod & piſces olim piſtillis fregerint veteres. Quemadmodum apud Babylonios fuerunt quædam familiæ, nulla re, niſi piſcibus victitantes, ad Solem arefactis, piſtilliſque contuſis, ex iiſque materia aſſervata, undiſque reſperſa, ex qua offas conficiebant, torrebantque in uſum panis ad ignem; ceu annotavit Johannes Boemus Aubanus lib. 2. de morib. & ritib. om. gent. cap. 3. pag. 77. qui & lib. 1. cap. 5. ac *6.* idem de Ægyptiis & Lybicis adſtruit, quod piſcibus partim crudis ad ſolem arefactis, partim ſalſugine conditis ab initio victitarint. v. Hering. quæſt. 2. num. *6.* 7. pag. 37. qui talia de aliis quoque nationibus refert, num. 12. pag. 38. „ Lappi, *inquiens*, Scriefinni, Biarmi, Iſlandi, Groenlandi, cum tellus ſementi faciendæ minime ſit idonea, adhuc agrum nullum colunt; ſed tantum piſcium aere exſiccatorum, ac pellium permutatione panem biscoctum, annonam & farra, quæ ex civitatibus maritimis ad illos devehuntur, acquirunt, aut crudis ferarum, aut ad minimum exſiccatis, ac in modum farinæ contuſis piſcium carnibus veſcuntur, aut herbas crudas in morem beſtiarum devorant ". Sic Ichthyophagi ap. Joan. Jov. Pontan. de aſpirat. lib. 2. 1105. piſces ad ſolem decoquebant, carnem omnem excutiebant, & concavo Saxo injectam pinſebant, admixtoque paliuri ſemine cibum ſibi conficiebant ſuaviſſimum, inde etiam nomen ſuum ſortiti, Neptuno quaſi pro Cerere cibum illis ſubminiſtrante. *Ichthyophagi*, ait Urſinus Anal. S. vol. 2. lib. 1. cap. 3. pag. 4. *de Balænis, quas mare in littora exſpuit & deſtituit, victum ſibi comparant: homines bruta mente, a Cercophithecis parum diſtantes, nulla honeſtorum turpiumve notitia.* Idem de Scythis narratur ad Tanais ortum habitantibus & Moſcoviæ Duci Tributariis, qui adhuc non arant, non ſeminant, neque panes habent, ferarum carnibus & piſcibus veſcuntur, & aquam potant. Ut taceamus alia victus genera, quibus Rhizophagi, Ilophagi, Omophagi, Spermatophagi, Acridophagi, Cynnamimi, Ophiophagi, Lotophagi & Anthropophagi, vitam ſuſtentarunt, de quibus omnibus conf. Hering. qu. 2. num. 5. *9.* pag. 37. num. 11. pah. 38. num. 25. pag. 41. Saltem ex Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 11. conſtat, quod Argæi & Tyrinthii pira, Athenienſes ficus, Mœoticis milium, & lotometram, Æthiopes locuſtas, Indi arundinum fructus, Perſæ cardamum, Carmani palmulas, alii alia loco panum uſurpaverint. Ut adeo recte Dannhavverus Præad. Ut. pag. 124. ſeqq. ad verba Peirerii: *Sibi Solus (Cain) cavavit lapidicinas, ad molas, aut piſtrinum deductus, ubi panes torreret?* reſponderit: *Cur non ad frixorium ubi frigeret panes? quidſi pultivagus ſolis pulmentis acquieviſſet? ſi defricatis ſpicis, contuſis, toſtis? ſi ſolo lacte, butyro, caſeo? ſi pane plantali, radicali, piſcano?* Mentio hic facienda Infundibuli, ſive vaſis illius, per quod frumentum in molam decurrit. Talmudiſtæ in Codice זבים ſive de gonorrhœa cap. IV. theſ. 3. alibi.

bique קלת appellant. Vocem hanc Buxtorfius equidem Lex. Talmud. col. 2053. R. Obadiam de Bartenora secutus, per *arcam pollinariam* exponit; alibi tamen col. 162. *infundibulum* reddit, verba Gemaræ מוכר את הבית מכר את האיסטרובל אבל לא את קלת sic transferens: *Vendens domum, vendit etiam arcam molæ; sed non infundibulum molæ*, hac addita ratione: *Illud vas immobile, hoc mobile. Illud idcirco cum mola venditur, hoc vero non*. Est sane קלת Græcorum κάλαθος Latinorumque *calathus*, quo nomine proprie venit ejusmodi vas, quod ex angusto orbe in ampliorem surgit. Unde Plinius lib. 21. cap. 5. calathi formam liliis assignat, utpote foliis ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantibus. Eodem calathorum nomine & pocula veniunt, quippe quæ eadem forma gaudent. Virgilius Eclog. 5. vers. 71.

Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.

Quæ figura cum non arcæ pollinariæ, sed infundibulo conveniat, merito id קלת salutatur. Arca vero pollinaria, sive orbis ille ligneus circa molam inferiorem ad recipiendum pollinem, ne in terram decidat, Talmudistis, audit איסטרובל vel אצטרובל quod juxta Buxtorfium c. l. est Græcum ςρόβιλος vortex, turbo, trochus, aliquid rotundum, quod in gyrum rapi vel agitari potest. Quam ob caussam ad arcam ligneam rotundam circa molas transfertur. Vocatur etiam alibi אמתא דרחייא cod. ברכות sive de benedictionibus fol. 18. col. 2. & cod. מועד קטן de festo parvo fol. 10. col. 2. Nam אמה Rabbinis vulgo fossam recipiendis aquis destinatam notat, cum vero arca pollinaria ob cavitatem suam aliquam cum fossa habere videatur analogiam, vox hæc ad eam traducta est. conf. Buxtorfius col. 113. & Hoheiselius §. XVII. pag. 17. seqq.

VII. Omnium vero maxime frumentum in pistrinis fractum comminutumque fuisse, multis testimoniis non attinet comprobare. Natum inde dicterium satis notum: Indiget mola quælibet frumento quod conterat. Et sententia illa Alberto March. Brandeb. sæpius usurpata: Cor otiosi seu vacantis esse instar molendini, quod cum non habet ad molendum bonum frumentum, molit & consumit se ipsum. De his lectu haud injucunda habet Misander Del. Bibli. V. T. 1695. pag. 713. Peculiare est, quod olim quandoque frumentum sine molarum ope fregerint; ceu ex his Victoris Episcopi Uticensis de passione septem Christianorum fratrum, verbis colligitur: „ Hunerichus, „ Rex, bis acutum genus frumenti, „ (quod jumentis solum edere concessum „ est) nequaquam industria molarum, „ sed manente furfuris cortice loricatum, pro miseratione dari præcepit. „ *Dignum quoque notatu videtur, quod* „ *de torrendis frugibus, earumque longa* „ *duratione ap. gentes Septentrionales scri-* „ *bit Olaus Magn. Goth. lib.* 13. *epit.* „ *pag.* 303. Diebus calidissimis ferventes „ Sole, pannos instar velorum navalium, „ sive ipsa vesa, late super faciem ter- „ ræ, vel planos ac nudos montes ex- „ tendunt, ac desuper torrendam frugem „ diebus sex, vel plurib. ac paucioribus „ juxta Solis ardorem imponunt. Dein- „ de eam purgatam, in quercinis repo- „ sitoriis collocant, vel in farinam reda- „ ctam simili custodia servant, multos- „ que in annos sic torrefacta, integrita- „ te salva perdurat. Attamen si molita „ farina non fit, sed fruges, expedit ut „ interim soli objiciatur semel in anno „ retorrenda: eoque modo nova fruges „ tosta, poterit illi, ne deficiat, quoties „ opus fuerit, sagaciter commisceri. Fa- „ rina autem in quericinis vasis aut cu- „ pis forti ligneorum malleorum impul- „ su intrusa, locoque sicco reposita, sine „ quacunque vermium corrosione pluri- „ bus annis durare solet, " De Britannis e contrario memorat Diod. Siculus lib. 5. cap. 8. quod frumenta cum aristis sub tecta reponant, inde quod satis sit in diem usui terentes. Cibo simplici vilique vitam ducant, atque a divitum deliciis alieno &c. conf. Hering. quæst. 2. num. 8. pag. 37. num. 25. pag. 42. quæst. 4. num. 4. pag. 67. seqq. num. 13. pag. 70.

VIII. De frumentorum natura, origine, aliisque late hic disserere possem, nisi a scopo paulo alienius esset. Illud saltem observare licebit, quod frumenta etiam in arboribus quandoque nata legamus ap. Plinium XVIII. 18. pag. 845. quin ex eadem radice germinasse oleam & ilicem, testetur Pausanias apud Hering. quæst. 2. num. 37. pag. 45. Extra ordinem quoque accidit, ut aliquando ex nubibus frumentum fuerit suppeditatum. Cujus rei exemplum prostat apud Martin. Zeillerum Epist. 616. fol. m. 735. a. Als Anno 1580. in der Marck Brandenburg grosse Theurung und Hungers-Noth war, dass viel Volcks verschmachtete, in die Felder und Wälde liesse, Grass, Wurtzeln, Kräuter und Baum-Blätter holeten, sie roh und gesotten assen, auch darüber in allerley Kranckheiten fielen, und jämmer-

merlich zu GOtt seuffzeten; Da liesser in der Gegend Havelberg / Kyrik / Neustadt / Perleberg zc. und an allen Enden herum / Korn vom Himmel herab regnen / dass es ziemlich dick auf der Erden lag / von den Leuten häuffig aufgelesen / zum mahlen / Brod hacken / und etliche Aecker damit zu besäen / gebrauchet ward. Es war anzusehen wie gedörret Malk / mit blauen rothen und gelblichten Streiffen: und gab gar ein schön wohlschmeckend Brod für die Menschen. Aber / das ist ein Wunder / dak kein Vogel / Huhn / Taube oder Thier das brauchen wolte. Conf. etiam Christian Scriver Theognof. Domin. Lætar. pag. m. 493. seq. ubi ex hoc aliisque exemplis, quæ memorat, elegans elicit porisma: Diese und dergleichen Exempel lehren / dass GOtt nach seiner Allmacht auch in den Wolcken und auf den Stein-Klippen könne säen / mahlen / knäten / und Brod schaffen. Alia quæ huic illustrando inservirent, consulto prætermittam, vid. Misander Delic. Bibl. V. T. 1690. pag. 1150. seqq.

IX. Quin nec disquiram hic, quid frumenti appellatione proprie insigniendum sit, & an sub ea etiam farina delitescat? cum jam Heringius docte hac de re disputaverit, quæst. 55. num. 19. pag. 585. num. 20. seqq. pag. 586. Saltem nemo est, qui inficias eat, hordeum ad frumenta referendum. Hujus variam præparandi rationem docet Plinius XVIII. 7. pag. 822. *Græci perfusum aqua hordeum siccant nocte una, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius tostum rursus exigua aqua aspergant, siccentque prius, quam molant. Alii vero virentibus spicis decussum hordeum recens purgant, mædidumque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac siccatum sole rursus tundunt, & purgatum molunt. Quocunque autem genere præparato, vicenis hordei libris, ternas seminis lini, & coriandri selibras, salisque acetabulo, torrentes ante omnia miscent in mola. Italia sine perfusione tostum in subtilem formam molit.* Cui jungi meretur, quod ex Pherecrate recitat Eustathius his verbis: τὰς κριθὰς δεῖ πτίσσειν, hordea decet tundere, pinsere, φρύγειν, torrere, ἀποβράττειν, incerniculo cribrare, aut corbe, αἰνεῖν, aqua rursum aspergere, ἀλέσαι, molere: μάξαι manu subigere, παραθεῖναι, edenda apponere, conf. Jacob. Dalechampius ad Plin. loc. cit. n. eee. p. m. 825. Chaldæi far hordeaceum in quinque partes i. e. minutiores contusum vocant ערסן, quod apud Talmudicos sanandis ægrotorum morbis conducere perhibetur. Nedar. fol. 41. 2. ערסן יפה לחולה לרפאותו מאי ערסן אמר רבי יונתן חושלא דשערי עתיקתא: *Far conducit ægroto ad sanandum eum, Quid est* ערסן? *inquit R. Jonathan, Far hordei vetusti.* Glossa, *far hordei vetusti decorticati*. Item in Aruch, *Educavit eos* (liberos) בערסן *farre hordeaceo, quod roborat vires ægrotorum, & quanto magis sanorum?* conf. Buxtorf. Lex. Talm. f. 1669. An frumentum hordeaceum omnium antiquissimum sit, alii discutiant. Certe Græcis hordeum pro fruge antiquissima habitum testatur Dionysius Halicarnass. lib. 5. antiq. Rom. Et diserte quoque Plinius XVIII. 7. pag. 821. *Antiquissimum*, ait, *in cibis hordeum, sicut Atheniensium ritu, Menandro authore apparet*, vid. Hering. quæst. 2. num. 20. 21. p. 40. ubi & hæc addit: *Quapropter etiam Cornu copiæ Amaltheæ Nymphæ corona quadam ex triplici frondium ac fructuum genere concinnata coronare solebant, Lauri scil. quercus & hordei; ex quibus primus hominum cibus, primaque medicina fuit aureo illa Saturni seculo, sicut Poetæ veteres scribunt, memorantes, glandibus & aquæ priscos patres victitasse, ante fruges & vineas inventas.* Hujus in memoriam antiquissimi Græci in Sacris adhibebant hordeum, utpote quod cum sale mixtum hostiis adspergebant, vocabantque ὀλοχύτας, sicut Latini, *Molam Salsam*. Qua de re peculiari nos egimus Dissertatione.

X. Fiebat frumentorum in molis confusio non uno eodemque modo. Siquidem teste Plinio XVIII. 9. pag. 828. quædam molebant sicca, quædam salsa aqua aspersa. Sic enim scribit: *Quæ sicca moluntur, plus farinæ reddunt, quæ salsa aqua sparsa, candidiorem medullam, verum plus retinent in furfure.* In his vero inquirendis nos non morabimur, potius ad farinam ex frumento pistrini ope contuso emergentem, pedem promoturi. Nomen habet farina juxta Plin. XVIII. 9. pag. 828. a farre, quod Varro lib. 4. de ling. latin. a faciendo derivat, quia in pistrino fiat frangendo & contundendo; alii autem a ferendo dictum malunt, quod terra omnes fructus ferat. Quid Farina notet, non attinet explicare, cum omnes norint, frumentum comminutum & in pulverem redactum hoc nomine venire. Quod eleganter expressit Cælius Firmian. Symphosius ænigm. 52.

Inter saxa fui, quæ me contrita premebant,
Vix tamen effugi totis collisa medullis,
Et nunc forma mihi minor est, sed copia major.

Con-

Concinit quoque Scaliger in Ænigmatibus:

> *Innumeri ſum dentis opus: de matris amictu*
> *Excutior, fatum eſt, dente perire novo.*
> *Diſſolvunt partes patrio naſcentis ab orbe,*
> *Hæc ſedet, ut gravis eſt: hæc levis acta volat.*
> *Sum multa ex uno, rurſus coitura ſub unum.*
> *Poſt ero, quod facit, & quod fugit omnia homo.*

XI. Eſt vero farina præcipuum molæ objectum, quo omnes molitorum curæ, ac labores tendunt. Hinc juxta tritum communi ſermone proverbium, ὁ φεύγων μύλον, ἄλφιτα φεύγει.

> *Devitat quinque molam, fugit ille farinam.*

Quorum verborum optimus interpres Apoſtolus eſt 2. Theſſ. III. 10. εἴτις οὐθέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω. Vel uti Diogenianus exprimit: Α῎ν μὴ καθαρῆς καὶ ἀλέσῃς, οὐ μὴ φαγῆς, *Ni & purges & molas, non comedes*. Scilicet inepte molarum ſtridoribus offenduntur, quibus ſine molis non licet vivere, vid. Eraſm. Adag. chil. 3. cent. 3. ad 59. fol. m. 705. Hering. quæſt. 2. n. 24. pag. 41. quæſt. 4. num. 63. pag. 95. quæſt. 44. num. 11. pag. 510. Norunt hoc prudentiores, qui tantum abeſt, ut molam aut farinam reformident, ut potius primi in mola appareant, quo inſigni illa, quam Germanorum proverbium concedit, gaudeant prærogativa, qua ei, qui prius annonam molendino exhibuerit, prius quoque molere licet, Wer allererſt mit ſeinem Korn in eine Mühle kommt / deſſen Getreydigt ſoll man auch zum erſten mahlen; ſive, Wer erſt kommt / mählt erſt. Cujus dicti vim & Galli ſentiunt, quorum vulgatum eſt:

> *Qui premier arrive au moulin,*
> *Le premier doit moudre ſon grain.*

Plura de origine & valore hujus dicterii tradit. Heringius quæſt. 44. num. 19. pag. 513. quem exſcribere nolo, ne crambem ſæpius coctam apponere, aut, uti eſt in proverbio, *farinam molitam rurſus molere* videar. Sic enim uſurpari hoc dicterium innuit Guil. Saldenus de libris lib. 1. cap. 6. p. m. 143. *Multoties dicta identidem reponere, ſive, ut in vulgiverbio eſt, farinam molitam rurſus molere*. Sunt qui domeſticam tenuitatem pertæſi, & apud alios lautiorem vitam quærentes, *concupiſcunt aſſam farinam*, de quo adagio rurſus vid. Hering. quæſt. 4. n. 14. pag. 70. Sed ſpe fruſtrantur ſæpe, & juxta Rabbinorum effatum כסולת תחת הסולת: *Furfures pro farina* h. e. pro Junone nubem, pro theſauris carbones amplectuntur. Nolo tamen in taxandis hominum moribus hic prolixus eſſe, ne dum opus, cui abſolvendo impar ſum, aggredior, merito exagitari queam alia Judæorum loquendi ratione, in Ber. rab. ſect. 70. אוסיפת מיא איסיף קמח: *ſi multiplicaſti aquam, multiplicanda tibi quoque eſt farina*; vel, *Qui multiplicat aquam, multiplicet farinam*; ubi Gloſſa addit, הוספת להקשות תוסיף לתרץ: *Si multas moves objectiones, multæ tibi quoque ſunt ſolvendæ*, v. Buxtorfi Floril. H. pag. 8. & 147.

XII. Farina apud veteres in tanto honore erat, ut ſine ea non ſacrificarent: inde enim nata parœmia: μὴ θύειν ἄτερ ἀλφίτων, *Ne ſacrificato ſine farina*, c. Hering. quæſt. 4. num. 16. pag. 71. Græci hoſtias, ſpeciatim tauros farina explorabant, veluti capros ciceribus, & capras frigida aqua. Quod ſi enim inde guſtare abnuiſſent, ineptæ ad immolandum habebantur, v. Saubertus de ſacrificiis cap. 18. p. m. 418. Præcipuus & communiſſimus farinæ uſus eſt in vita quotidiana, inde enim panes ad victum neceſſarios confici quis neſcit? Variæ vero ſunt farinæ ſpecies, quas enumerare omnes inſtituti non fert ratio. De Polenta tantum, quæ juxta Junium Nomencl. pag. 104. eſt *farina toſti hordei frictive*, geröſt gerſten Mehl / quædam attingere juvat, cum in veterum monumentis ejus paſſim fiat mentio. Dicitur Polenta a polline, juxta nonnullos, cujus variam & multiplicem conficiendæ rationem v. apud Plinium XVIII. 8. pag. 826. Refertur hæc inter molita cibaria a. Jul. Cæſare de Bell. Gallic. lib. 1. cap. 5. p. m. 6. ubi de Helvetiis ſcribit: *Frumentum omne, præter quod ſecum portaturi erant, comburunt, ut, domum reditionis ſpe ſublata, paratiores ad omnia pericula ſubeunda eſſent: trium menſium* Molita Cibaria *ſibi quemque domo efferre jubent*. Cibaria hic ſunt frumenta molita, farina, polenta, ſeu præparata frumenta, ut facile inde cibus conficiatur, veluti ad h. l. obſervavit Criſtoph. Cellarius. Occurrere hanc vocem apud Plautum Aſinar. act. 1. ſc. 1. ſupra vidimus cap. IV. §. XLIV. v. Taubmannus ad h. l. pag. 80. qui & allegat Ovidium 5. Met. fab. 10.

> *Dulce dedit, toſta* (al. teſta) *quod coxerat ante polenta,*

h. e.

h. e. ceu addit Taubmannus, *Anus dedit Cereri dulce i. e. dulcem potum, quod antea coxerat polenta, i. e. hordeo vel hordeacea farina.* Potus ille dulcis in memoriam revocat cerevisiam potatorum delicias, qui optime norunt polentæ usum, exosculantur, ac tantum non cum iis, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, adorant. Historiolam recenset Misander Del. Bibl. V. T. 1695. pag. 703. Jener lustige Kerl hatte den Gebrauch/ wenn er bey einer Mühle vorbey gieng/ so blieb er stille bey derselbigen stehen/ nahm sein Hütlein abe/ und betete ein andächtiges Vater Unser: als man ihn fragte: warum er das thäte? Antwort: Weil das liebe Malz zum edlen Biere darinnen gemahlen würde.

XIII. Polenta, quando liquore aliquo conspergitur, & subigitur, mazæ appellationem sumit, ceu Galenus docet. Hinc & Persius Satyr. 3. v. 55. ἀντὶ τῆς μάζης polentam ponit, de Stoica juventute locutus:

—— Detonsa juventus
Invigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

Hic enim grandis polenta multis est grandis μᾶζα. Maza vero est farina cum aqua & oleo cocta. Juxta Ætium est confectio ex polenta hordeacea, cum melle aut consimili aliquo liquore parata; quamvis Suidas malit, mazam proprie cibum esse ex lacte & frumenti farina, quæ propterea ἀμολγαίη, lactea dicitur Hesiodo. Utebantur illa Lacedæmonii & pauperes loco panis. Veteribus enim pro rudi ac tenui cibo habebatur, quod indicat Aristophanis interpres in Pace, dum mazam vocat ἄρτον στρυφνὸν panem ridigum. Unde est apud Athenæum: πεινῶντι γὰρ ἀνδρὶ μᾶζα τιμιωτέρα χρυσοῦ τε καὶ ἐλέφαντος, *Esurienti maza pretiosior auro & ebore*. Et apud Xenophontem in Pæd. Ἡδὺ μᾶζα καὶ ἄρτος πεινῶντι φαγεῖν, *Maza & panis esurienti suavis esu*. Item apud Plutarchum: Οὐκ ἔστιν ἐν μάζῃ καὶ φακῇ τὸ ἥδιστον, *Non est in maza & lente jucunditas*. Quamvis a quibusdam etiam inter edulia delicatiora numeretur. Inde μαζῶντες dicti Suidæ οἱ τρυφῶντες, & ὑπερμαζᾶν Athenæo & Luciano est τρυφᾶν καθ' ὑπερβολὴν, *Supra modum delitiis indulgere*. Notum quoque est adagium, *Mazam pinsuit, a me pistam*, &, *Albam mazam pinso tibi*, apud Erasmum. Cæterum discrimen inter ἄρτον καὶ μᾶζαν hoc constituit interpres Aristophanis in Pluto, quod ἄρτος jam pridem μεμάλακται, subactus est, μᾶζα autem recenter, quodque vilior fuit μᾶζα, quam ἄρτος, & illa plurimum ex hordeo, hic vero ex tritico confectus. Hinc apud Athenienses Solon μᾶζαν jussit adponere solam in Prytaneo vescentibus: in festivitatibus autem addere panem. Ortum inde apud Zenodotum proverbium, *Bona etiam maza post panem*, c. Pitiscus tom. II. fol. 174. b. Waserus de Antiq. Mensur. lib. 2. cap. 5. §. 2. pag. 80. seq. ubi simul Græcorum μᾶζαν cum Hebræorum מצה comparat.

XIV. Præstantissimæ farinæ species feruntur Pollis ex tritico, quod Homerus medullam hominum vocat, & flos ex siligine. Discrimen vero inter Similaginem sive similam, quam Græci σεμιδαλίτην dicunt, & pollinem, hoc suppeditat Heringius quæst. 4. num. 18. pag. 72. *quod similago cribro tenuissimo a polline cernebatur, ita ut ex polline restante secundariam veluti similam elicerent, & crassiorem rursus pollinem a furfuribus laxiore incerniculo secernerent.* Huc respexisse Plinius videtur XVIII. 8. pag. 826. *Siliginem prope dixerim tritici delicias*, cap. 10. pag. 828. *Similago ex tritico fit laudatissima*, cap. 11. pag. 832. *Summa laus siliginis bonitate & cribri tenuitate constat.* Martialis lib. 13. epigr. 10.

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus
Pistori toties cum sit & apta coco.

Et Athenæus: φιλιστίων δὲ ὁλοκρός τῶν χονδρειτῶν τοὺς σεμιδαλίτας πρὸς ἰσχὺν φησὶ μᾶλλον πεφυκέναι. μεθ' οὓς τοὺς χονδρείτας πίθησιν, εἶτα τοὺς ἀλευρίτας. Cum loca citata cribri mentionem injiciant, de eodem nonnulla hic inspergere lubet, præprimis quod veteres κόσκινα, sive cribra, simul cum Rutabulo (a) ad vasa pistoria instrumentaque ad rem molitoriam necessaria retulerint. Hinc Vespa in Judicio coci & pistoris Pistorem jactabundum introducit:

Tympana habet Cybele: sunt & mihi tympana cribri.

Et memorat quidem cribrum etiam Apulejus de asino aureo lib. 3. *Aspernati latro-*

(a) Erat Rutabulum σκεῦος τοῦ ἀρτοποιοῦ πρὸς τὸ τὰ πυρέκαυστα καταβάλλειν, quo rustici & pistores in proruendo igne panis coquendi gratia utebantur. Festus: *Rutabulum a promendo igne vocatum, quo panes coquuntur.* Quod ipsum & Virgilius in Moreto attingere videtur:

Infert inde foco (Cybele mundaverat aptum
Ante locum) testisque tegens superaggerat ignes.

Vid. Hering. q. 4. num. 67. p. 96. Pitiscus Tom. II. fol. 652. a.

trones clamorem obſonum meum, cædentes hinc inde, miſerum corium nec cribris jam idoneum relinquunt; qui locus ex infra dicendis clarior fiet. Ex Iſidori opinione lib. 20. Etymolog. cap. 8. cribrum a currendo dicitur, quod ibi currat frumentum, quaſi currifrum. Referri huc poſſunt Poeticæ illuſtrationes, quas ex Scaligeri Ænigmatibus, S. Aldhelmi Poeticis, Virgilii Moreto, aliiſque exhibet Heringius quæſt. 4. num. 64. pag. 95. hanc in rem conferendus. Cribra autem fiebant olim ut plurimum ex pellibus aſininis & ſuillis, crebris pertuſis foraminibus; (unde lux accedit paulo ante citato Apuleii loco) vel ex lino, aut ſetis equorum, quibus deinde pollen ſive flos a furfurum recrementis ſecernebatur. Inde ipſa quoque cribra modo ſetacea, modo ſubcernicula, modo incernicula, quin & excuſſoria vocantur, quorum hæc ab Hiſpanis, illa a Gallis inventa eſſe, teſtatur Plinius XVIII. 11. pag. 832. *Cribrorum genera Galli e ſetis equorum invenere, Hiſpani e lino excuſſoria & pollinaria, Ægyptus e papyro atque junco*. Pariter huc ſpectat illud ejuſdem Plinii loc. cit. pag. 833. *Farinario cribro ſubcernunt*. Et quod Lucilius ait lib. 26. *Cribrum, incerniculum, lucernam & laternam*. Illaque Perſii Satyr. 3.

—— Poſitum eſt algente catino
Durum holus, & populi cribro decuſſa farina:
Tentemus fauces, tenero latet hulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeja radere beta.

conf. Pitiſcus tom. 1. fol. 572. a. Junius Nomencl. pag. 224. *Illuſtrari hæc poſſunt verbis Hoheiſelii* §. XVII. pag. 18. ſeq. *huc ſpectantibus*: „ Cribrum pollinarium „ Græcis dicitur κόσκινον *Syracid.* XXVII. „ 4. Hebræis כברה ex כבר multus fuit, „ in Hiph. multiplicavit *Job.* XXXV. 16. „ XXXVI. 31. ob multitudinem foraminum ita vocatum. Sic *Amoſ.* IX. 9. „ Agitabo inter omnes gentes domum „ Iſraelis, quemadmodum agitatur in cribro, & non cadit in terram acervus „ lapidum. Circa quem locum ὡς ἐν παρόδῳ notamus, צרור non eſſe granum, „ quæ eſt multorum ſententia: (Nuſpiam enim iſto ſenſu legitur) ſed acervum lapidum, qua ſignificatione occurrit 2. *Sam.* XVII. 13. Ut adeo ſenſus loci hic ſit: Sicut acervus lapidum, quando agitatur in cribro, non „ cadit humi, ut ibi immotus quieſcat, „ ſed perpetuam in cribro commotionem „ patitur: ita Iſraelitæ in toto terrarum „ orbe inter omnes gentes agitabuntur, „ multiſque tribulationibus vexabuntur, „ neque tamen penitus delebuntur; utpote in perpetua agitatione ad extremum uſque diem relinquendi. Vide „ Guſſetium Comment. linguæ Heb. pag. „ 728. A multis etiam in hunc cenſum „ refertur מכבר *Exod.* XXXVIII. 4. 30. Verum enim vero מכבר non ſignificat cribrum, ſed potius craticulam einen Roſt, „ licet craticula etiam a foraminum multitudine, cribrique ſimilitudine, nomen hoc accepiſſe videatur. Conf. Coccejus Lex. pag. 360. Potiori jure huc „ trahendum Hebræorum נפה ex verbo „ נוף ſenſu agitandi gaudente derivandum, quod interprete Kimchio eſt „ כברה שמרקדין בה הקמח cribrum, in „ quo agitant farinam. Vox iſta reperitur *Eſ.* XXX. 28. ubi gentes dicuntur „ agitandæ בנפת שוא in cribro vanitatis, hoc ſenſu: Deum ita agitaturum „ eſſe gentes, ut ſedibus ſuis ejiciantur, „ tandemque in iſtarum terris nemo ſuperſit, prouti farina ex cribro agitato „ excidit, ut nihil tandem in cribro remaneat. Talmudiſtis נפה eodem ſenſu „ familiare eſt in codice סוכה ſive de „ tabernaculis cap. 1. in fine, iiſdemque „ פורתא דנפיתא eſt farina cribrata, „ gebeutelt Mehl cod. יבמות ſive de Levirorum in fratrias officiis fol. 114. conf. „ Buxtorfius Lex. Talmud. col. 1320.

XV. Ex Farina Pultem conficimus, cujus præprimis in ſacrificio receptæ genus quoddam Tritillam vel fritillam eſſe nonnulli arbitrantur, licet alii ad vaſa ipſa, quibus hæc obferebatur, referant. Pertinet huc illud Plinii XVIII. 8. pag. 826. *Hodie ſacra priſca atque natalium pulte fritilla* (al. fitilla) *conficiuntur: videturque tam puls ignota Græciæ fuiſſe, quam Italiæ polenta*, v. Hering. quæſt. 4. n. 10. pag. 69. ſeq. Dalechampius ad Plin. l. c. n. k. pag. 827. Puls eſt cibus ex farre in farinam comminuto redactus, ſive, ex æquis partibus farinæ frumenti, & fabarum aut hordei factus. Meminit ejuſdem Juvenalis lib. 4. Sat. XI. verſ. 58.

Sed laudem ſiliquas occultus ganeo, pultes,
Coram aliis dictem puero, ſed in aure placentas.

Πολτὸν καὶ πολτάριον Græci vocant, Latinorum more. Rabbini dicunt רחטא cibum ex farina, melle & oleo confectum. Affine huic eſt Hebræorum קליא vel קלי quod R. Salomon interpretatur *far toſtum in fornace*. Dicitur a קלה *torrere, frigere*.

gere. Tale קליא adfert fratribus David 1. Sam. XVII. 17. quod multi per polentam reddunt, quæ, ceu ſupra notatum, fuit farina fricti toſtique hordei, v. Waſerus de Menſur. lib. 2. cap. 5. §. 15. pag. 83. Varro pultem vel a Græco πολτὸς derivat, vel a ſono quem edit, cum aquæ ferventi inſipitur h. e. inſpergitur, ut eſt apud Pomponium in Atellana:

> *Facite ut ignis fervat, ligna inſipite, far concidite.*

Quem ſonum per παφλάζειν exprimit Eupolis apud Athenæum, λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ χαλήματι. Hinc Martialis:

> *Imbue plebejas Cluſinis pultibus ollas,*
> *Ut ſatur in vacuis dulcia vina bibas.*

Et Juvenalis lib. 5. Satyr. 14. verſ. 172.

> —— *Sed magnis fratribus horum*
> *A ſcrobe vel ſulco redeuntibus, altera cœna*
> *Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.*

XVI. Puls cum facilius paretur, quam panis, & minore egeat induſtria, veteribus loco panis uſurpabatur, inprimis clibano coquendique panis uſu nondum reperto. Certe populus Romanus trecentis annis pulte in alimentum fuit uſus, quod obſervavit Lubinus pag. 470. ad illud Juvenalis lib. 4. Satyr. XI. v. 109.

> *Ponebant igitur Thuſco farrata catino*
> *Omnia tunc.*

Clariſſime Plinius XVIII. 8. pag. 826. *Pulte autem, non pane, vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum, quoniam inde & pulmentaria hodieque dicuntur*. Ideo Pultiphagos Romanos Plautus vocat in Moſtell.

> *Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.*

Et in prologo Pœnuli:

> *Carchedonius vocatur hæc Comœdia:*
> *Latine, Plauti pultiphagonidis, Patruus.*

Ubi tamen Scaliger Pultiphagonidem Pœnum interpretatur, cum pultis avidiſſimam eam gentem fuiſſe argumento ſit puls Pœnica, cujus conficiendæ rationem Cato docet cap. 85. conf. Dalechampius loc. cit. num. h. pag. 827. Poſtea pultem & panem conjunxerunt Romani, de quibus ita Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Nec ſane ullas epulas habebant, quas populi oculis ſubjicerent. Erant autem adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quam panis eſſet*. vid. Hering. quæſt. 4. num. 15. pag. 70.

XVII. Ut panis conſiderationi poſt pultem ex ordinis nutu paululum inhæreamus, eum, veluti & placentas ex farina ope ignis conficiebant veteres; quod nec a noſtra ætate alienum deprehenditur. Panem Hebræi לחם dicunt, quæ vox a לחם id eſt incidit dentibus vel ore gladii proſcidit, comedit mandendo & concidendo, derivata, vi originis cibum notat, quem incidunt dentes. Uſurpatur etiam pro quovis epulo & convivio, quia vix ullum ſine pane paratur, qui inter omnia edulia primas obtinet partes. v. Hering. quæſt. 2. num. 25. pag. 42. Latinis Panis a paſcendo dicitur juxta Varronem & Nonium Marcellum. Alii ideo denominatum putant, quod cum omni cibo adponatur, aut quod omne enimal eum appetat. Saltem pane homo paſcitur, & Reſpublica ſuſtentatur; appoſiteque Julianus Cæſar in Miſopogone pag. 38. per interpretem, *Neque vero*, ait, *civitas tantum, ſed etiam plebs ex agris undique confluit ad panem, cujus unius magna eſt & copia & utilitas, coemendum*. Et Veſpa in Judicio coqui & piſtoris:

> *Nempe opus eſt panis cunctis, quem nemo recuſat,*
> *Quo ſine quas poſſunt mortales ponere cœnas?*
> *Qui vires tribuit, qui primus poſcitur, hic eſt.*
> *Quem ſerit agricola, quem maximus educat æther.*

Namque licet exempla non deſint earum nationum, quæ ſine pane vixere diu, veluti de Tartaris refertur, quod adhuc panem non habeant, nec pinſant. Et Scaliger exerc. 292. ſ. 4. *Canibalis*, ait, *nec panis uſus eſt, nec quod ejus ſupplementum ſit*. vid. etiam quæ ſupra a nobis dicta ſunt §. v. & VI. attamen noſtra vivendi conſuetudine panum & uſus & neceſſitas in vita conſervanda ſatis conſpicua eſt. Proinde apud Syracidem in Panæreto cap. XXIX. verſ. 28. & cap. XL. 31. inter res, quibus homo neceſſario & primo ad vitam ſuam indiget, farina, ex qua panis fit, connumeratur. Cumque ſine molitorum opere, quibus farina de-

debetur, panis fieri nequeat: (*a*) recte Hieroglyphici per Molam vitæ humanæ commercium significant; propterea, quod molæ semper duæ, atque alterius ope altera ita indigeat, ut singulæ nullum opus faciant. Facit huc, quod propterea Macedones in nuptiis singulari judicio ac veneratione panem prægustaverint. v. Hering. quæst. I. num. 25. 26. pag. 11. seq. qui & hunc panis usum addit, quod aqua aut vino imbutus, efficacius sitim exstinguat, quam vinum & aqua. *Nam quod siti*, pergit, *adversari debet, in ventriculi ostio aliquantisper inhæreat necesse est, quod panis suo lentore melius præstat: at illi duo liquores seorsum bibiti celerrime diffluunt, ad exiguum tempus irrigant, proindeque potus aviditatem minime perfringunt*, inquit Latinus Tancredus lib. de fame & siti quæst. 11. pag. 128. *Ex hoc etiam discere licet, cur Avicennas scripserit, de destructione appetitus agens, febricitanti quidem redire adpetitum ejus cum receptione panis infusi seu macerati in aqua frigida: quandoquidem hic panis sua mora in ventriculi ore inflammationem ardoremque delet, qui cibi adpetentiam prosternebat, ceu existimat idem Tancredus, & hoc addit* εὐπόριστον, *facile parabile remedium diligenter esse animadvertendum* qu. 12.

XVIII. Nec desunt, qui panem ab inventore accepisse nomen arbitrantur, cum Pan modum conficiendi panis docuisse feratur; cujus tamen inventionis gloriam alii adscribunt Cereri. Cassiodorus lib. 6. Epist. 18. in formula præfecti Annonæ: *Ceres frumenta dicitur invenisse, Pan autem primus conspersas fruges coxisse perhibetur, unde & nomine ejus Panis est appellatus*. conf. Ursinus Anal. S. vol. I. lib. I. cap. 47. pag. 64. Arnobius vero lib. I. adv. gentes p. m. 27. affirmat, Cererem panis usum repperisse; quam proinde Varro lib. I. de vita pop. Romani dictam putat Pandam a pane dando; quod iis, qui ope indigerent, & ad Asylum Cereris confugissent, panis daretur. Quamvis aliis, qui pando non a panem do, verum ex πετάω derivant, Panda a Cerere diversa Dea sit, nimirum εἰρήνης θεός, quia pacis tempore panduntur urbium portæ; uti ipse Varro aperte distinguit in Satyra Menippæa, quam σκιαμαχίαν vocat, apud Gall. XIII. 22.

> *Te Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,*
> *Nerienes, & Minerva, Fortuna, ac Ceres.*

Ludit proin Varro, dum verbis supra citatis Ælii sententiam allatam probare videtur, *Hanc*, inquiens, *deam melius putat esse Cererem, sed quod in asylum qui confugissent, panis daretur, esse nomen fictum, a pane dando pandere, hoc est, aperire*. Horum quicquid sit, Cererem panis inventricem fuisse, innuit etiam Ovidius 4. Fastor. v. 397. seq.

> *Panis erat primis virides mortalibus herbæ,*
> *Quas tellus nullo sollicitante dabat.*
> *Post modo glans nata est: bene erat jam glande reperta,*
> *Duraque magnificas quercus habebat opes.*
> *Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato.*
> *Mutavit glandes utiliore cibo.* (*b*)

XIX.

(*a*) Quamvis enim penes Græcos notum sit ἄμυλον placentæ genus, sine mola factum, ex tritico aliquot dies macerato ac sæpius eloto, & deinde lacte expresso; quod flagrante Sole exsiccatur: in Chio primum repertum, & inde appellatum, quod ἄνευ τῆς μύλης fieret, cujus conficiendi rationem v. apud Catonem de re rustica c. 87. Dioscoridem lib. 2. cap. 1. 2. 3. & Plinium XVIII. 7. pag. 822. hoc tamen non tam ad esum, quam mulieribus ad linteorum ac velorum dealbationem inserviebat. Conf. Hering. q. 3. num. 8. pag. 59.

(*b*) Glandes hic memorat Ovidius: Siquidem has veterum fuisse cibum, nondum invento pene, constans autorum sententia est. Sic enim & Plinius Procem. l. 16. p. 693. *Proximum erat narrare glandiferas arbores quoque, quæ primæ victum mortalium aluerunt*. Et Virgilius in Culice:

> *Quercus ante datæ, Cereris quam semina vitæ.*

Non aliter Lucretius lib. 5. primorum hominum vivendi rationem describit:

> *Glandiferas inter curabant corpora quercus,*
> *Plerumque & quæ nunc hiberno tempore cernis*
> *Arbuta pœniceo fieri matura colore:*
> *Plurima tum tellus, etiam majora ferebat.*

His e fago lectis vesci primus instituisce fertut Pelasgus in terra Arcadica natus. Quæ victus ratio apud posteros quoque illius obtinuit, qui propterea βαλανηφάγοι dicuntur; hinc Pythia, Lacedæmonios a terra Arcadica abstinere jubens, ista profert:

> *Glandivori opponent sese tibi in Arcade terra.*
> Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν
> Οἵ δ' ἀποκωλύσουσι, ἐγώ δέ τοι οὔτι μεγαίρω.

Porro ex isdem Ovidii paulo ante citatis versibus, aliorumque Poetarum fabulis videre est, glandes, simul ac Cereris beneficio terra novis frumenti seminibus locupletata luxuriaret, contemtui fuisse habitas. Quo spectant illa Tibulli II. I. 37.

> *Rura cano, rurisque deos: his vita magistris*
> *Desuevit querna pellere glande famem.*

Revocari huc etiam potest Virgilius lib. I. Georgic. vers. 148.

Pri-

XIX. Hæc vero uti gentilium fabulis debentur: ita non prohibent, quo minus, prævia Scriptura S. panis usum ad ipsa mundi primordia referamus; cum ipse Spiritus S. de primævorum hominum frumento, farina & pane placentisque nos erudiat; uti jam supra cap. II. affatim fuit demonstratum. Unde saltem repetimus clarissima loca Gen. III. 19. XIV. 18. & XVIII. 5. 6. quorum in illo statim post lapsum panis mentio injicitur, in his vero Melchisedecus Abrahamo ejusque militibus refectionis ergo panem obtulisse ac vinum, (ex more tum temporis recepto, quo e bello redeuntibus vinum, panis, aqua, vel quoddam aliud offerebatur, in signum pacis & benevolentiæ. conf. Deut. XXIII. 3. Jud. VIII. 5. 15. 2. Reg. VI. 22. unde & Romanorum consuetudo hospites majoris fortunæ excipiendi vino frumentoque honorario, ab Ursino Anal. S. vol. I. lib. 6. cap. 21. pag. 370. exposita; quo notato, sponte ruunt Pontificiorum argumenta, qui Melchisedecum tum temporis Missam celebrasse dicunt; quod commentum Theologis profligandum relinquo) idemque Abrahamus, cum ei Dominus adparuisset in querceto Mamre, tres modios farinæ purgatissimæ sumsisse, & ex ea placenta (*a*) fieri jussisse, memorantur. His adjunximus etiam Genes. XIX. 3. XXI. 14. ubi Lothum consobrinum Abrahami pinsuisse ἀζύμους sive placentas infermentatas; Abrahamum vero ancillæ Hagar, ex ædibus suis ejectæ, panes imposuisse legimus. Tum temporis enim infermentatæ placentæ præ cæteris arridebant, quæ quandoque & oleo miscebantur, ut patet ex *Exod.* XXIX. 2. *Lev.* VIII. 26. Panem propterea hunc Azymum, qui caret fermento, & a Nicandro Colophonio δάρατος dicitur, Tacitus ἐξαιρέτως Panem Judaicum vocat. Hebræi appellant מצות quæ vox si ex נצה accelerare, maturare, more avium, pernici fuga se recipientium, derivetur, panes notat sive placentas celeriter confectas, & usui hospitum & peregrinorum præcipue accommodatas, utpote quibus apponi poterat, ut mature comederent, reficerentur ac quiescerent. Sin vero ex מצה

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cum jam glandes atque arbuta, sacræ
Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.

Et lib. 2. Georgic.

Liber & alma Ceres si vestro munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Eadem confirmat Claudianus de raptu Proserpinæ lib. I. vers. 36.

Unde datæ populo fruges, & glande relicta
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Eodem alludit Vespa in Judicio coqui & pistoris:

Denique si Cereris non tu pia dona dedisses,
Roderet assidue coquus iste sub ilice glandes.

Hinc Arnobius adv. gentes lib. 2. p. m. 113. *Quid enim*, ait, *si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquissimis seculis, quod inventis frugibus glandes spreverint, & repudiaverint arbuta?* Innuit idem Apulejus lib. II. *Regina cœli, sive tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ, repertu lætata filiæ, vetustæ glandis ferino remoto pabulo, miti commonstrato cibo nunc Eleusinam glebam percolis.* Plura occurrunt ap. Hering. quæst. 2. num. 38. pag. 45. num. 39. 40. pag. 46. Pitiscum Tom. I. f. 875. b. Tom. II. f. 365. Dalechampium ad Plin. VII. 56. num. cap. pag. 342. quos vide.

(*a*) Placentæ illæ, quæ loc. cit. vocantur עגות ab עוג *placentas ad ignem coquere*, vi originis panem notant ad ignem, vel super prunas, aut cineres coctum, qualis nominatur I. Reg. XIX. 16. עגת רצפים *Placenta carbonum*. Ita describit Raschi 'פ ad Hos. VII. 8. עוגה חררה שאופין על הגחלים id est עוגה est *placenta cocta super prunas*; & R. D. Kimchi ad eund. l. העוגה הנאפה על הגחלים id est עוגה *placenta quæ carbonibus superimponitur*. Græcis ἐγκρυφίας audit a κρύπτω, ut sit quasi panis occultativus, seu ut Suidas exponit, ἐν σποδῷ κεκρυμμένος. Hinc Athenæo dicitur ἐγκρυφίας ἄρτος, uti ap. Pollucem ἐγκρυφίας σοφιστὴς Sophista vocatur technas suas occulte struens. Latini subcinericium panem vocant, qui sub cinere coquitur. Isidorus Hispalensis Etymol. lib. 20. cap. 2. *Subcinericeus, cinere coctus & reversatus.* (id est inter coquendum versus) *Ipse est & focatius*. Colum. IX. 5. *Panis, qui non versatur*. Non enim perfecte coquitur, nisi vertatur. Quod observatur ap. Pollucem in Onomast. lin. 4. cap. 6. Ἐγκρυφίας ἄρτος, ὃς κατὰ τὸ ἓν μέρος ὁμιλῶν τῷ πυρὶ κατακαίεται, καὶ ἄριστος γίνεται. δεῖ γὰρ περιστρέφεσθαι, ἵνα καὶ κατὰ τὸ θάτερον μέρος ὀπτηθῇ id est *panis subcinericeus est, qui ab una parte in igne constitutus torretur, & optimus fit. Debet enim verti, ut & ab altera parte coquatur*. Idem monet R. D. Kimchi פ ad Hos. VII. 8. העוגה הנאפה על הגחלים אם אין הופכים אתה הוא נשרפת מתחת ואינה נאפה מלמעלה: *placenta, quæ super imponitur prunis, ni vertatur, crematur ab infra, cum e contra a parte superiori plane non aduratur*. Et in Lib. Rad. fol. 357. העוגה האפויה על הגחלים כשאיננה הפוכה איננה אפויה אלא מצד אחת ואיננה ראויה לאכילה: *placenta cocta super prunis si non vertatur, nec coquitur nisi ab una parte, neque ad comedendum apta est*. Natum inde proverbium עוגה בלי הפוכה *Placenta non versa*, id est semicocta, quæ ab una parte ustulata, ab altera incocta est, ita ut merito dubites, sitne panis an mera pasta, de homine præcocis, & immaturi consilii atque judicii usurpatum, quod Hos. VII. 8. ad Ephraimitas accommodat Propheta, utpote qui immaturo & plane non cocto consilio mutarunt cultum patrium in externum, & speciem quidem pietatis præseferebant, licet ab omni vero Dei timore ac cultu inprimis interno essent alieni. Quamvis id ipsum de homine etiam valde esuriente, & famis impatiente exponi possit, qui non expectat, dum placenta, quæ subjectis prunis coquitur, ex utraque parte cocta sit, sed semicoctam vorat. Eadem quippe aviditate gentes jam pridem regno Ephraimitico inhiantes, illud diripiebant, & diglutiebant. Quo spectat Judæorum parœmia, qui indicaturi, divites sæpius pauperum laboribus & sudore gratis frui, dicunt, עני מהפך בחררה בא אחר ונטלה הימני: *Pauper vertit placentam, venit alius, & auffert eam ab ipso*. conf. Waserus de Mensur. H. lib. 2. cap. 4. §. 7. p. m. 70. seq. Pitiscus Tom. II. fol. 369. a. Imo quem plura hac de re cognoscendi legendique tenet aviditas, adeat Dissertationem non inelegantem M. Joh. Aug. Bonitii de Ἐγκρυφίαις veterum, hab. Lips. 1720. ubi tum naturam tum originem ac usum hujus subcinericii panis prolixius enucleavit.

מצה aut מצץ exsurgere, exprimere, deducas, nominis ratio hæc est, quod farina purissima ex viliore extraheretur, atque educeretur ad talem placentam conficiendam. conf. Waserus de Antiq. Mensur. lib. 2. cap. 5. §. 10. pag. 80. Hering. quæst. 2. num. 50. 51. pag. 47. seq.

XX. Addimus nunc alia, quæ supra non attigimus np. Gen. XL. 1. XLI. 55. quæ loca de farinæ ac panum antiquitate satis testantur, cum expressa ibi τῶν ἀρτῶν & τοῦ ἀρχισιτοποιοῦ præfecti pistorum mentio occurrat. Sic & Exod. XVIII. 12. narratur, Aaronem & omnes Seniores Israel convenisse cum Jethrone Mosis socero, συμφαγεῖν ἄρτον ad comedendum panem cum eo coram Deo. Clarissimum etiam de panis antiquitate testimonium extat Job. XLII. 11. ubi cognati & cognatæ Jobi dicuntur panem cum ipso comedisse, ויאכלו עמו לחם בביתו id quod amicitiæ signum erat. Panem enim apud omnes gentes, tum Judæos, tum Ethnicos maxime amoris & amicitiæ symbolum tesseramque olim fuisse, vel ex unico Pythagoræ dicterio patet, Ἄρτον μὴ κατάγνυε, *Panem ne frangito*, quo indicabat, haud dirimendam amicitiam esse, quæ pane quondam conciliabatur. Conf. Waserus de Nummis Hebr. lib. 2. cap. 15. pag. 91. a. qui huc refert ipsum Domini nostri & Servatoris exemplum, distributo pane in S. cœna perpetuam inter suos amicitiam consecrantis; & illud Davidis Ps. XLI. 10. qui declarandæ summæ & arctæ amicitiæ ergo panem memorat. Voluisse enim illud exprimere: *Is superbe me contemsit, proculcavit & quasi pedibus trivit, qui intimus & familiarissimus mihi erat, in quo tantum confidebam, ut non modo beneficio meo illum alere, sed etiam mensæ regiæ, velut insignem aliquem, maximeque familiarem atque honoratum ad mutuum convictum adbiberem.* Inde & Dominum Joh. XIII. 18. 26. 27. ubi hæc Judæ accommodantur, per intinctam vel sumptam offulam, ad idem simile panis alludere; quod & Syrus innuit, qui eo loco לחמא sive Panis vocem retinuit. Tandem vetustum panis usum evincunt loca 1. Sam. XVII. 17. 2. Sam. XVI. 1. & 1. Reg. XIV. 3. unde simul nonnulli colligunt, Judæorum panes non adeo grandes spissosque fuisse, cum Davides puer decem panes cum aliis rebus attulerit fratribus, imo par asinorum ducentos panes cum aliis oneribus portare potuerit, uxorque Jeroboami decem panes & buccellata & lagenam mellis in manus suas jussa fuerit sumere. vid. Hirus cit. loc. quæst. 7. pag. 624. Ubi nollem transire, quod Waserus de Mensur. lib. 2. cap. 5. §. 15. pag. 84. de horum panum indole ulterius observavit: *Panes illi*, inquiens, *in regione illa εὐσταχίστῃ fertilissima optimi & crassissimi tritici, cujus genicula tuberabant renum instar, ut loquitur Scriptura, delicati valde erant. Habebant autem Orientales non panes elevatos, ut nos, ad quos scindendos gladio vel cultro opus esset, sed latos pinsebant & subtiles, placentarum in formam, unde manibus frangebant: atque hinc frangere panem in Scripturis tritum. Hujusmodi vero panes erant azymi, vel infermentati, ut apud nos sunt panes Alpinorum lati, non spissi; sed εὔθραυστοι qui facile frangi possunt, non perinde scindi,* Sieben-thaler Brod, Gersten-Brod, *&c. quales fere in inclyto Scotiæ regno, quam illic, annos ante aliquot in celebri Sanct. Andreana Academia literarum causa peregrinarer, in frequenti usu esse sum expertus.*

XXI. Ut reliqua loca silentio involvam, (quis enim singula, quæ de pane agunt, enumeraret?) saltem Judæorum superstitionem hic in memoriam revoco, qua למלכת השמים Machinæ Cœli, sive, ex multorum interpretum sententia, ipsi Lunæ placentas idolatricas, quibus impressa Lunæ imago fuit, obtulisse leguntur. Jer. VII. 18. XLIV. 19. Dicuntur illæ placentæ כונים quam vocem nonnulli a כון aptare, disponere, alia כוה exurere, vel comburere derivant, quocum convenit Græcorum καίειν, qui & καυῶνας dicunt, quia ad ignem torrebant. Quidam triangulari credunt fuisse forma ut לבבות lagana sive χαείσια, quæ facta aqua calidissima מים עם המים aqua aquarum, ex Hebræorum loquendi ratione, nomen indepta sunt ex לב non tam quod cor reficerent, quam quod cordis formam imitarentur 2. Sam. XIII. 6. Junio, aliisque videntur rotundi fuisse panes, & certas formas habuisse expressas pro ratione idolorum, quibus erant offerendi. Ex Judæorum Magistris Salomon Jarchi effigiem stellæ cujusdam magnæ, quam nomine Reginæ cœlorum honorarint, retulisse scribit. Aristophanes in Pluto placentas illas ψαιστὰ nominat, item πόπανα, quæ secundum Suidam sunt placentæ tenues & rotundæ. Græcos imitati Ægyptii (a) &

(a) De Ægyptiis & illud constat, quod in placentis sacris Asinum vinctum effingere fuerint soliti, ut carnem rebellem domandam forte indicarent. Certe nec hodienum signatio panum infrequens est, quæ sit Symbolo aliquo impresso, vel Pistoris vel Patris familias, quo & cujus sit ostendatur, & quam præstans sit. Eucharistico pani inscriptum servatoris nomen cum Imagine haud raro apparet. Quandoque & agnum ibi figurant. Nec Rutheni illud ignorant, qui in sacris panem hordeaceum apponunt, in cujus medio hostia est, cui crucifixi forma impressa cernitur conf. Ursin. An.S. vol. 1. l. 6. c. 31. p. 395. sq.

& Romani eadem voce appellarunt Popana, ideo quod τῶν πόπων id eſt Deorum effigie, quibus offerebantur, erant inſignita. Pluribus de his egerunt Waſerus de Menſur. l. 2. c. 5. §. 5. p. 76. Dieterichius antiq. Bibl. P. 2. pag. 125. ſeq. Urſinus Anal. S. vol. 2. lib. 2. cap. 21. pag. 79. ſeq. cap. 22. pag. 81. ſeq. aliique. An Joh. Seldeni de Dis Syris Syntagm. 2. cap. 7. p. m. 310. ſeq. ſententia ſuffragium mercatur, qua כונים illas ex πιτύροις & melle factas opinatur, conferens hæc cum loco illo Hieremiæ in Epiſtola Barucho ſubnexa verſ. 43. ſcorta Babyloniorum inſectantis: Αἱ δὲ γυναῖκες περιθέμεναι σχοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκάθηνται θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. *Mulieres funiculis circumdatæ, in viis ſedent, ut furfures adoleant;* ubi Olympiodorus de πιτύροις adnotat, Ἀφροδίτῃ τύχον ἤτινι προαγωγῷ ἴσως δὲ καὶ εἰς καθαρμὸν τοῦτο ἐποίουν αἱ δυστυχεῖς, *Veneri forſan hoc faciebant aut Lenæ alicui. Forſan etiam ad februationem miſeræ mulierculæ;* cum conſtet, Venerem Babyloniam Reginam quoque cœlorum audire: aliis relinquo ſub incudem examinis vocandum; prouti nec de illo certabo, quod idem cenſet Seldenus, quaſi πίτυρα illa ſint velut Οὐλόχυτα ſeu molæ ſalſæ aut libamina θυλήματα dicta, quorum in ſacris frequens fuit uſus; propterea que quando Simætha venefica apud Theocritum, θύειν τὰ πίτυρα Hecatæ ad amorem conciliandum jubet, id ipſum imitetur Virgilius, exprimendo per *ſpargere molas*. Hoc ſane ipſe non audet inficiari, quod πίτυρα ſint furfures, licet malit hic accipienda ſive pro θυλήμασι priſcorum id eſt libaminibus melle ſeu vino & farina confectis, ſeu pro ſalſis molis. Sed his ego non immoror, potius illud obſervaturus occaſione placentarum memoratarum, quod veteribus innotuerit genus quoddam panis nomine Selene, a forma Lunæ cornicularis ita dicti, referente Heringio quæſt. 4. num. 17. pag. 72. qui ſimul notat, in Hetruria fuiſſe oppidum portu nobile, cujus nomen fuerit Luna; ab eaque urbe Lunenſem caſeum nomen accepiſſe, qui ſola magnitudine fuerit laudatus, librarum quippe mille pondus nonnunquam æquans. Hic inter ſervorum obſonia refertur a Martiali lib. 14.

Caſeus Hetruſiæ ſignatus imagine Lunæ
Præſtabit pueris prandia mille tuis.

Imo nec ingratum fore Lectori exiſtimo, ſi pauca hic de panibus ſive placentis Natalitiis, quas Julias vocat Joh. Bircherodius Antiq. Jul. Diſquiſ. 5. pag. 104. Danorumque Idiomate Juule Kager dici obſervat, obiter admiſceam; quarum placentarum origenem citatus Autor Idololatricis Judæorum ritibus jam memoratis adſcribit. Poſtquam enim expoſuit, per Reginam cœli intelligi Lunam, docet, eodem Reginæ cœli titulo Pontificios, utpote harum placentarum autores, Mariam inſignire ejuſque in honorem ac memoriam placentas iſtas pinſare ac offerre ſolitos. *Fidem*, ait pag. 107. ſeq. *aſſertioni noſtræ facit, Mariæ puerulum Jeſum ulnis geſtantis imago, quam panibus iſtis Piſtores ſæpiuſcule inprimendam curant, non ſecus ac cœleſtis, quam ſomniabant, reginæ ſimulacra in panis execrandi ſuperficie Judæi poſuerunt. Signum quidem crucis ancillas ſuperiori panum vulgarium faciei, maſſam quando depſunt, curioſe inprimere, ne ſcilicet a ſubterraneis, quos dari credunt, incolis, hi forte panes permutentur, certo nobis compertum eſt. At Juliis, quæ forma aliis majore pinſuntur, placentis ſanctiſſimæ figuram matris non alia ſane de cauſa veteres induxiſſe credo, quam ut Deam ſuam hac etiam cultus parte dignarentur, quotieſcunque ſacram noctem, qua cœlicum illa Regem in luminis auras edidit, finitus fere annus reduceret.* Quæ ſuperſtitio eo minus mira videri cuiquam poteſt, quo certius conſtat, ipſum adeo panem Euchariſticum, ceu *Deum triticeum*, a Pontificiis adorari, ſummaque coli religione. Quam ἀρτολατρείαν breviſſimis attingit Joach. Hildebrand de Diebus Feſtis p. m. 95. Qua cum tamen nihil commune habet id panum genus, quod die Marci parari aſſolet, unde & *Panum Marceſiorum* profluxit nomen. Hi enim originem debent frumenti inopię, quę An. 1438. in Thuringia tanta fuit, ut homines famelici paſſim mortui conciderint, nonnullis gramen aut fœnum comedentibus. Cujus in memoriam anguſtię Erfordię ſingulis annis in feſto S. Marci panes minutuli velut rotundi orbiculi pinſuntur. conf. Hildebrand. cit. loc. pag. 86.

XXII. Ad placentas vero Julio nos revocat Joh. Georg. Keyſlerus Antiqq. Septentrion. & Celtic. ſect. 2. cap. 2. §. 15. pag. m. 159. ſeqq. de feſto Jolenſi & verre Julio ex antiquitate diſſerens, quem audire non pœnitebit, ita ſermocinantem: „ Suſpicatur Verelius not. ad „ Hervarar Saga pag. 130. præter verum illum verrem (in honorem Othini ſive Solis mactatum) in feſto Jolenſis alium etiam fictum fuiſſe adhibitum. Ruſticanis enim homines hodieque in Paraſceve Julia (a quo feſto Odinus etiam Julvatter, pater il- „ lius

„ lius veteribus dicebatur) panem figu-
„ ra verris (nomine Julagalt) conficere,
„ eumque per totum Juliorum tempus,
„ quo mensas pane, perna aliisque fer-
„ culis instruunt, majorum more omi-
„ nisque causa usque ad Canuti diem
„ (13. Januar.) in mensa exponere so-
„ lent. Sintne hæc moris antiqui an su-
„ perstitionis reliquiæ non definimus.
„ Neque enim ad omnes pertinet, quod
„ Verelius l. c. subjungit: Plures verrem
„ istum fictum siccant, & ad veris tem-
„ pus, cum semina sulcis sunt creden-
„ da, servant: tum partem ejus com-
„ minutam in vas vel corbem, ex quo
„ semina sunt dispergenda, immittunt,
„ hordeoque permixtam equis aratoribus,
„ alteram servis stivam tenentibus come-
„ dendam relinquunt: spe forte uberio-
ris messis percipiendæ. " *Ex his putat Autor intelligi, quam superstitionem prohibeat Indiculus Superstitionum & Paganiarum Synodo Liptinensi subjunctus* §. 26. de Simulacro de Consparsa Firina, *& quare Februarium mensem a placentis Solmonath dictum autumet Venerabilis Beda*. Antiquissimis enim, *pergit pag.* 260. *seqq.* „ temporibus fastum
„ Jul, maximum inter ea, quæ ma-
„ jores nostri gentiles celebrare sole-
„ bant, in mensem Februarium pertra-
„ hebatur. Celebrabatur autem continuis
„ fere compotationibus, ita ut in Ru-
„ nicis Calendariis dies ejus quam maxi-
„ me festi apposito cornu sive poculo
„ indicentur. A qua vitæ & volupta-
„ tum ratione, cum primi Christiani
„ Principes difficulter revocandum cen-
„ serent populum, gaudia Jolensia in Fe-
„ stum Nativitatis Christi retraxerunt,
„ quod etiam in plurimis Septentrionis
„ tractibus, more a majoribus accepto,
„ partim frivolis superstitionibus, partim
„ tantis commessationibus & compotatio-
„ nibus, prima præsertim nocte Julia,
„ quæ festum Nativitatis præcedit, (&
„ more veterum diem post se ducit)
„ celebratur, ut fatalis inundatio, quæ
„ nostra & recentissima quidem memoria
„ anno 1717. tractum Bremensem &
„ Ferdensem cum vicinis graviter affli-
„ xit, plurimos homine abripuerit, gau-
„ diis Jolensibus inebriatos neque sui sa-
tis compotes. " *Nec possum mihi temperare, quin hoc etiam loco peculiarem Gallorum morum attingam, quem Bircherodius cit. loc. in Addendis pag.* 250. *commemorat*, „ quibusdam in Galliæ lo-
„ cis matres familias placentæ, quæ ve-
„ spera natalitiorum mensæ imponenda
„ est. pisum vel fabam pinsendo inclu-
„ dere, ut ille convictorum, in cujus
„ portione post divisionem placentæ fa-
„ ctam, legumen hoc repertum fuerit,
„ Rex a reliquis salutetur. " *A quo non longe abit consuetudo in solemnioribus conviviis recepta, cujus mentio fit dans les Lettres histor. & Galant. par Mad. de C. Tom.* VI. *lettr.* 97. *pag.* 296.
„ Outre les Fetes publiques, il s' en est
„ donné ici de particulieres, dont l' ori-
„ gine a ete un gateau des Rois, qu'
„ on rompit chez Mr. le Comte Denhof,
„ ou Milord Comte de Strafford fut pro-
„ clame Roi, & Madame la Duchesse
„ de St. Pierre Reine. Milord remplit
„ parfaitement bien ses engagemens, en
„ priant chez lui quelques jours apres
„ les memes personnes qui avoient eté
„ du repas de Mr. le Comte de Denhof.

XXIII. *Condonabit B. L. si argumenti inductus cognatione, his nunc admetiar prolixum licet, lectu tamen non injucundum discursum, qui in iisdem Litteris Gallicis, tit.* II. *lettr.* 21. *de Thoulouse pag.* 8. *seqq. obviat in hunc modum*: „ Le Careme a mis des bornes
„ aux plaisirs des Dames de Thoulouse,
„ & quoiqu' ils aiant recommencé apres
„ Paques, ce n' est pourtant pas avec la
„ meme vivacité que dans le Carnaval,
„ ou, au pied de la lettre, il ne fait
„ pas sur d' aller dans les rues; on bais-
„ se les glaces des Carosses, de peur qu'
„ elles ne soient cassées par la quantité
„ de Confitures, & de Dragées, qu' on
„ se jette a la tete, il ne reste person-
„ ne aux maisons dans ces jours la, les
„ Artisans abandonnent leurs Boutiques
„ &c. d' autres font des Mascarades en
„ Charette, ou l' on represente le tems,
„ les Saisons, les Gouts, les Passion &
„ autres choses de cette nature; on fait
„ imprimer des Vers, qui expliquent
„ l' embleme, & l' on jette ces Vers
„ dans les Carosses des Dames; outre
„ cela, ceux qui ont des Maitresses lui
„ donnent ce jour la le Massepain, ce
„ Massepain est une Boete grande com-
„ me un coffre toute pleine de Confitu-
„ res, couverte d' une etoffe d' or, dont
„ on peut faire une Jupe, & nouée avec
„ des Rubans d' or, on a soin d' en met-
„ tre ce qu' il faut pour une garniture;
„ on promene tous les jours ce Masse-
„ pain, ou sur un cheval, ou dans une
„ chaize de poste, & apres qu' on l' a
„ bien fait admirer, & qu' on a jetté a
„ droit & a gauche quantité de Vers
„ a la louange de celle a qui on le de-
„ stine, on le lui fait donner par des
„ gens masquez, qui choisissent, pour le
„ lui presenter, l' endroit ou il ya le
„ plus de monde. Apres qu' on a couru

„ les

„ les rues pendant le jour, on court „ toute la nuit le Bal, & du train dont „ on y va, il n' auroit personne qui put „ resister a cette fatique, si le Careme „ n' arrivoit a propos pour calmer ces „ fureurs: chaque saison a pourtant ici „ ces plaisirs, mais un peu plus moderez; & chaque Dimanche de Careme „ a un des Fauxbourgs de la Ville ou „ l' on va celebrer la *Fenestra*; dans le „ Fauxbourg du Basacle on mange des „ huitres; dans le autres on mange „ quelqu' autre chose: & enfin, le beau „ *Fenestra* est celui du Fauxbourg de „ Saint Severin, qui est celui ou est le „ Cours; toutes les Dames s' y rendent „ le Lundi de Paques parées de leur „ mieux; les Messieurs y font de belles „ Cavalcades autour des Carosses; & enfin, on voit arriver quantite d' hommes a pied, les uns deguisez en garcons Patissiers, d' autres an Bergers, „ qui portent chacum un *Fenestra* sur „ sa tete; le *Fenestra* & un grand *Gateau*, d' une pate fort excellente, tout „ piqué d' ecorce de Citron, & d' autres „ Confitures, ils sont chacun sur une „ planche couverts de petits Rubans & „ de Colifichets, & c' est tout ce qu' „ un homme peut porter, on les jette „ en dansant dans le Carosses de Dames, „ & l' on fait que les deux bouts du „ *Gateau*, sortent par les portieres. Le „ present ne tire pas a consequence „ comme le Massepain du Carnaval, ainsi „ on en donne aux Femmes tout comme aux Filles. Je demandai d' ou venoit l' origine de cette ceremonie, & „ j' appris qu' elle eroit d' institution devote. I' avois bien remarqué qu' on „ la commencoit toujours pas entendre „ la benediction dans une Eglise du „ Fauxbourg, ou l' on devoit se rejouir, „ & ou l' on expose le Saint Sacrement „ expres ce jour la; mais je ne scavois „ pas que ces Parties de plaisir eussent „ succede a des Repas de charité, que „ les premiers Chretiens faisoient autre „ fois aupres des tombeaux des Martyrs, c' est ce qu' on m' en a dit, & „ ce que le mot de *Fenestra* significe en „ je ne scai quelle Langue: je voulus „ scavior aussi ce que c' etoit que ce „ *Bassalese*, ou l' on va manger des „ Huitres, & je scus que ce Fauxbourg „ tire son nom d' une *Moulin*, qui est „ d' une grandeur prodigieuse, & habité „ par quantite de Messieurs a longues „ oreilles: ce *Moulin* est une des curiositez de Thoulouse, & il me souvient „ d' en avoir lu une espece de Relation „ dans les Amitiez, Amours, Amourettes de Mr. le Pays.

XXIV. *Tandem his addendas existimo ceremonias, quas in Sacris Monachi quidam Græci adhibere assolent; prouti eas Henri Maundrell, Voyage d' Alep a Jerusalem pag. 46. ita delineavit*: „ Vers „ la fin du service on apporta dans le „ corps de l' Eglise une petite Table, „ couverte d' un linge blancl, sur laquelle il y avoit cinq petits gateaux „ ou pains, posez en forme de croix de cette



„ maniere, & au milieu de chaque gateau, il y avoit un petit cierge allumé, placé dans un trou formé dans le „ gateau. A cette ceremonie le Pretre „ lut l' Evangile concernant la multitude, que notre Sauveur rassasia avec „ les cinq pains. Ensuite, de cela le „ pain fut porté dans la Sacristie, ou „ ayant eté rompu en petits morceaux, „ on le presenta a tous les membres de „ l' Assemblee afin qu' ils en mangeassent „ un peu. Apres cette collation le Pretre prononca la benediction, & le service finit." Græci quinque his panibus miraculosas Christi in deserto epulas in mentem revocant; veluti Lusitani tam quotannis pane quodam magno miraculosæ trium puerorum in fornace ignea conservationis recolunt memoriam, testante id Berckenmeyero Antiquar. pag. 1. pag. m. 20. In Coimbra ist ein sehr groser Back-Ofen, darinn jährlich ein groß Brodt gebacken wird, von welchem jedermann etwas weniges mit nach Hause nimmt, und solches als ein Heiligthum verehret; Darnach machen sie ein grosses Feuer in diesem Ofen, und setzen drey aus Erk gegossene Knaben hinein, zum Gedächtniß der drey Babylonischen Männer, und glaubet das gemeine Volck, daß es drey lebendige Kinder seyn.

XXV. Furni facta mentione, non prætermittendus jocus, quo Rabulas forenses & juniores JCtos tanquam ex studii fornace noviter eductos exagitavit Anton. Sola ad constit. novar Sabaudiæ in præf. num. 25. pronuncians, *Crumenimulgas illos eo ipso, quod ipsimet immunes clientulos suos catenis, quibus etiam hæredes hæredum ligantur, implicant, persimiles esse pistoribus, qui panem in furnum mittunt, non autem se*. Sed nec a re alienum erit, si insimul hic indagemus furni

furni clibanique originem, cum fine his farina molita vix in panem redigi queat. Generatim hic Plinius XXXIII. 4. pag. 1409. ait: *Quod effossum est tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apilascudem vocant: argentum, quod exit a fornacis sudore.* Et discrimen quidem, ut hoc prius moneamus, inter furnum & clibanum (a quo milites clibanarii fuerunt dicti, qui ad instar clibani tegumenta corporis habebant aut munimenta) hoc nonnulli constituunt, quod Clibanus mobilis sit, ac quasi parvus furnus, testaque aliquando tegatur, & fere ex Metallo, interdum tamen ex Lapide fiat, non tam pani, quam aliis dapibus coquendis serviens: Furnus vero ex cemento & calce constet, magnusque & immobilis existat, ad usum fere panis coquendi. Intelligi hinc possunt, quæ Petron. Arbit. cap. 35. pag. 27. ait *Circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem.* Ad quem tamen locum & illud observandum venit, quod clibanus argenteus fuerit, etiam inter ornamenta abaci: ex eo enim panes convivis ministrabantur. v. Pitiscus tit. I. fol. 468. b. Alias nullo observato discrimine utramque vocem conjunxit Plinius XIX. I. png. 886. *Cortices quoque decussi lini clibanis & furnis præbent usum.* Et Tertullianus lib. 3. advers. Marcion. cap. 30. pag. 438. *Vanitatem vanitate depellam, fermentatione quoque congruere dicens regno creatoris, quia post illam clibanus vel furnus gehennæ sequatur.* Hinc nec alii Autores in his distinguendi adeo rigidi sunt. Siquidem & pani coquendo aptum clibanum memorat Hieron. in Orat. Hierem. *Clibanus est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ sub urentibus flammis ardet intrinsecus.* v. Pitiscus l. c. apud quem Clibanus, κλίβανος proprie significat, in quo hordeum coquitur, licet ad alia quoque transferatur. *Est fornaculus*, pergit. *aut ferreus, aut testaceus, mobilis, in quo prunis subjectis, ac superne congestis, panis olim, nunc placentæ, farcimina, botuli, pyra condita decoquuntur.* Tandem dicitur & Clibanus Calcifurnium, ubi calx coquitur, clibanus calcis. conf. Hering. quæst. 2. num. 77. pag. 55. num. 78. pag. 56.

XXVI. Furnus a furno h. e. obscuro dictus, est locus, in quo panes a pistoribus immissi coquuntur, cujus os, patens præfurnium appellatur. Plautus Epidico act. I. sc. 2. vers. 16.

> *Malim istiusmodi mihi amicos furno mersos quam foro.*

Seneca quidem in epistola quadam ad Lucilium nobis persuadere conatur, antiquos ex farina, aqua sparsa, & assidua manuum tractatione perdomita panem finxisse, eumque ipsum primum calido cinere & fervente testa percoxisse: deinde paulatim repertos furnos & alia id genus, quorum fervor serviret arbitrio. Hunc secutus Melanchthon Declam. tit. II. pag. 54. *Alia*, inquit, *fuit antiquior consuetudo priusquam furni essent, coquere panes tectos cineribus inter carbones. Hi nominantur* ἐγκρυφίας. Idem arridet Bruyeringio de Escul. lib. 4. cap. 9. pag. 321. ita scribenti: *Torrebant veteres panes suos ferventi loco vel fictilibus patinis, cinere & carbone, nondum clibanis furnisque inventis. Audio quasdam adhuc barbaras gentes hunc morem observare, subcineritiisque panibus maxime vesci.* conf. Bonitius de Ἐγκρυφίαις veterum cap. 2. §. 2. pag. 25. seqq. ubi plura de furnorum usu veteribus ignorato obviant. Speciatim Clibani inventionem Anno cuidam Ægyptio nonnulli adscribunt, (ut auor est Suidas in Ἄννος) quibuscum hic certare nolo. Hoc extra omnem dubitationis aleam positum, furnum rem vetustam esse, cum jam Genes. XV. 17. תנור עשן κλίβανος καπνιζόμενος furnus sive clibanus fumans commemoretur. Meminit ejusdem quoque Moschopulus: κλίβανος, σκεῦός τι σιδηροῦν, ἐφ' ᾧ τοὺς ἄρτους ὀπτοῦσι, πῦρ ὑποκαύσαντες, καὶ πυρακτώσαντες αὐτόν. Priscis etiam Romanis furnorum usum fuisse familiarem, evincitur ex his Horatii versibus lib. I. epist. II. 12.

> *—— Nec qui*
> *Frigus collegit, furnos & balnea laudat,*
> *Ut fortunatam plene præstantia vitam.*

Quibus accedit Juvenalis Satyr. 7. 3.

> *—— cum jam celebres notique Poetæ*
> *Balneolum Gabiis Romæ conducere furnos.*
> *Tentarent.*

conf. Pitiscus tit. I. fol. 833. b. Hering. quæst. 2. num. 76. pag. 55. Et qui ex instituto hæc pertractata legere velit, ei commendo ejusdem Heringii elogantem Dissertationem de Caminis, Mantissæ loco subjunctam Tractatui de Molendinis.

XXVII. Adhibebant etiam veteres ad panem conficiendum & torrendum vas quod-

quoddam ἀρτόπτῃ, Artopta (*a*) dictum, de quo Pollux x. 25. *Nihil intererit, etiam vas, in quo panes coquunt, sic nominare, quod nunc artoptam vocitant.* Had. Juniur Nomenel. pag. 223. *Artopta, utensile assandis torrendisque panibus accommodum.* Eysen / da man Küchlein inne bäckt. Meminit ejus Plautus Aulular. act. 2. sc. 9.

Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto
A Congrione.

Et Plautum allegans Plinius XVIII. 11. pag. 832. *Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam scripsit: magna ob id concertatione eruditorum, an is versus sit Poetæ illius: certumque sit, A. Ateji Capitonis sententia, tostum panem lautioribus coquere solitos: pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos.* Ineptiunt, qui panificam mulierem Artoptam exponunt, vas illud proprie sic dictum, cum vase metaphorico, ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ceu Apostolo audit 1. Petr. III. 7. male confundentes. conf. Dalechampius ad Plin. l. c. n. l. pag. 834. Verosimilius est, quod Taubmannus annotavit ad Plautum l. c. pag. 165. *Artopta vas fuit, in quo panis tostus coquebatur. Quod cum in Quiritium ædibus esset, argumentum est, ipsos sibi panem coxisse. Idque opus mulierum erat, quas Pistrices vocabant. Tria autem panis erant genera, ex coquendi ratione; furnaceus, clibanites, artopticius.* Ex his Taubmanni verbis simul apparet, tria panis genera ap. veteres obtinuisse; nempe Panem Artopticium, qui erat tostus, & assabatur in artopta, lautioribusque ac delicatis coquebatur. Differebat a furnaceo, veluti panis clibanites, qui in clibano coquebatur, ab utroque. Athen. III. pag. 113. B. *Panis artoptitius a clibanite & furnaceo differt, Clibanites, & furnaceus mollius fermentum poscunt.* Et Isidor. XX. 2. *Panis clibanitius in testa coctus.* Plura invenias ap. Pitiscum tit. 11. fol. 366. a. 367. a Præter hæc vero multa alia enumerari possent panum genera, quæ veteribus innotuerunt, si prolixis nobis esse liceret. Nos præcipua saltem hic delibabimus.

XXVIII. Sic penes Plinium XVIII. 11. pag. 832. memoratur Artolaganus, qui panis erat a deliciis appellatus. Quamvis Cicero lautioribus assuetus non adeo delicatum illum reputaverit. Sic enim lib. 9. Fam. Ep. 20. ad Papirium Pætum scribit: *Proinde te para: cum homine edaci tibi res est, & qui jam aliquid intelligat:* ὀψιμαθεῖς *autem homines scis quam insolentes sint; dediscendæ tibi sunt sportellæ, & artolagani tui.* Nomen accepit ab ἄρτος panis, & λάγανον, quod Hesychio & Athenæo est genus placentæ ex similaginea farina in oleo coctæ sive frixæ in patella, cujus vice butyro nos utimur. v. Pitiscus tit. 1. fol. 182. b. Junius Nomencl. pag. 83. 223. Porro & panes bis coctos sive διπύρους ἄρτους, bis ignem expertos, præprimis iu delitiis habebant. Panem hunc, qui Dantisci optime conficitur, Saxones vocant Zwibacf quasi Zweymal gebacken. Non aliter interpretantur quidam buccellatum panem, quam bis coctum, licet alii appellent frumentum ad usus diuturnitatem coctum, Gallisque dictum, *biscuit.* vide de Buccellato plura ap. Pitiscum tit. 1. fol. 299. seq. Addam hic ex Felice Fabro lib. 2. hist. Suev. quæ ad Germanorum laudem mirifice spectant. Sic enim scribit: „ Italia omnium totius orbis regionum celeberrima, frumento repleta, panem delicatum, sanum & delectabilem non habet, nisi a pistore Teutonico coctum; qui arte & industrioso labore ignem domat, calorem temperat, farinam æquat, ut levis, tenuis & delicatus panis fiat: quem si Italicus coquat, ponderosus, compressus, insanus & insipidus creatur. Unde Dominus Apostolicus, & quique magni terrarum Prælati, Reges, Princeps & Domini, panem vel raro manducant, nisi Teutonica arte confectum. Non solum autem nostrum usualem panem bene percoquunt, sed paximacios vel bis coctos pro cibo marino vel bellico adeo artificialiter parant, ut Domini Venetiani in publicis furnariis paximacios non„ nisi

(*a*) Alio significatu Artopta, ἀρτόπτης notat etiam dispensatorem, vel observatorem & custodem panis, ab ὄπτομαι, a quo & dicitur λινόπτης, qui retia observat, (N. k Inspector) οἰνόπτης, vini inspector; ceu contendit Eilhard Lubinus ad illud Juvenalis lib. 1. Satyr. 5. vers. 71. pag. m. 205.

Salva sit Artoptæ reverentia;

ubi eorum rejicit opinionem, qui ab ὀπτάω torreo derivant, quasi ἀρτόπτης idem sit ac τὸν ἄρτον ὀπτῶν, panem coquens, ἀρτοποιός, pistor. Insolens quippe esse & exemplo carere putat, talia ab ὀπτάω deduci; quod ipsum tamen eidem relinquo defendendum. Sane ἀρτόπτη quatenus vas notat, in quo panes coquuntur, non aliam quam ab ὀπτάω admittit derivationem, cum alioquin nulla denominationis tatio reddi possit. Sed hac lite forte carebimus, si in citato Juvenalis loco cum multis non *Artoptæ*, sed *Artocopi* legamus, qua voce quidam elaboratum panem intelligunt, alii rectius pistorem. Ἀρτόκοπος enim pistorem notat. Præfert tamen priorem lectionem Lubinus, cum sensus illnm suadeant. *Monet enim ut panis custodem non contemnat, sed illi reverentiam sartam salvamque teneat, qui alias panem candidiorem domini ipsi e manibus sit excussurus.*

„ nisi Teutonicos habeant, & coctos longe lateque per Illyricum, Macedoniam, Hellespontum, Græciam, Syriam, Ægyptum, Libyam, Mauritaniam, Galliam, & usque ad Orcades Insulas & Britannicas, ac ad Germanicos portus circumferant suis marinariis comedendos, vel alienis vendendos &c." Convenit cum hoc Panis nauticus, qui erat tostus, & juxta Festum parum coctus ideoque recoquendus. Isidor. xx. 2. *Panis rubidus, recoctus, & rubefactus.* Apud Plautum panis ille rubidus iterum in furno conditur, & torretur. Cas. II. 5. 1.

> *Una ædepol opera in furnum calidum condito,*
> *Atque ibi torreto me pro pane rubido bera.*

Plura leg. ap. Pitiscum tit. 11. fol. 368. a. & Heringium quæst. 2. num. 23. pag. 41. num. 79. pag. 57. quæst. 4. num. vo. pag. 73. Cæterum an panis iste nauticus & bis coctus idem fuerit cum sicco pane, quem memorant Vopisc. Tacit. cap. 11. *Panem nisi siccum nunquam comedit, eundemque sale, atque aliis rebus conditum.* Capitol. Anton. Pio cap. 13. *Panem siccum comedit ad sustentandas vires.* Senec. Epist. 83. *Non multum mihi ad balneum superest: panis deinde siccus, & sine mensa prandium.* conf. Pitiscus l. c. fol. 368. b. qui ipse dubius hærens, *Panis*, inquit, *siccus an molli, & recenti opponitur, durus, & non recens coctus, eoque siccior? an pro bis cocto, ut hodie vocamus, sumetur? sic* ξηρὸν ἄρτον *Græci interpretantur buccellatum, qui est panis nauticus, & nobis hodie bis coctus dicitur, ut Græcis* δίπυρος, *an solus, sine ullo alio pulmento?* Tandem vero subjicit: *Mihi est, qui sine potu sumitur;* observatque præterea, quod jentaculis in eum comederint veteres, quibus panem comedere & gustare fuerit jentare. Plerosque, addit, non solum eum comedisse, sed palmulas, uvas passas, nucleos, mel Atticum crudum, aut coctum, aut aliquid melliti, operisve dulciarii: salsi etiam aliquid aliquando cum pane sumsisse; Et nullum unquam jentaculum sine pane utpote jentaculi capite fuisse celebratum.

XXIX. Præterea veteribus innotuit panis mustaceus, qui placenta fuit ex farina & musto facta, cujus conficiendæ rationem monstravit Cato de Re rust. cap. 122. *Mustaceos sic facito. Farinæ siligineæ modium musto conspergito. Anisum, cuminum, adipis pondo duo, casei libram, & de virga lauri deradito, eodem addito. Et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, cum coques.* Mentionem ejus facit Statius lib. 1. Sylv. 6. vers. 19. 20.

> *Et mustaceus & latente palma*
> *Prægnantes caryotides cadebant.*

vid. Barthius ad h. l. tit. 1. pag. 149. Dabatur hic panis affinibus & amicis in nuptiarum celebratione. Quod innuit Juvenalis lib. 2. Satyr. 6. vers. 201. seq.

> *Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis,*
> *Non es amaturus, ducendi nulla videtur*
> *Causa, nec est quare cœnam, & mustacea perdas*
> *Labente officio, crudis donanda.*

„ *Ubi Lubinus pag. 247. addit*: Solebant enim, antequam abirent hospites nuptiales, illis dulcia mustacea erogare loco Apophoretorum. Sunt vero mustacea lenia cibaria ad stomachum reconciliandum, & fercula facillimæ digestionis, quæ dabantur crudis, & qui imbecillioris erant stomachi & ingurgitatione nimia, aut varietate ferculorum in nuptiis. *Ex hactenus dictis intelligitur proverbium*, laureolum in mustaceo quærere, *quod est, ex frivolis negotiis captare famam haud præclaram, neque magnificam; ceu Pitiscus enucleavit, tit. 11. fol. 242. b.* Quum quis enim, *pergit*, jam absumto mustaceo serius advenisset, quod de Pinariis in sacro Herculis traditum est, quo tempore jam nihil erat reliqui præter laurum, quæ mustaceo substernebatur: facete & σκωμματικῶς dicebatur ille in mustaceo laurum quærere, utpote cui præter sedimentum nihil superesset. Hinc cum devictis, profligatisque a Cicerone incolis Amani montis, sempiternis hostibus populi Romani, Bibulus supervenisset, aliquid gloriæ inde aucupans: salse, nec sine stomacho scribit Cicero ad Attic. v. 20. eum in mustaceo laureolam quærere: & acute admodum, ac eleganter laureolæ nomine usus est, quæ non laurum tantum, verum etiam victoriam significat.

XXX. Cæteris præfertur panis siligineus, sive σιλιγνίτης (quod nomen a Romanis Græci, quibus siligo ignota, adeoque nec proprio exprimenda nomine, mutuati sunt, si fides habenda Galeno, qui propterea Romana voce uti coactus fuit. Ita quippe de Alim. Facult. lib. 9. ipse

ipſe ſcribit: Σιλίγνις *neque Græcum nomen eſt, neque ipſum aliter poſſum exprimere*) & ſimilagineus, ſive ſimilaceus Græcis σεμιδαλίτης dictus; quorum hic ex ſimila vel ſimilagine conficitur, quæ farina tenuis quidem eſt, ſed ſiligine impurior, utpote ex qua non omnes, ſed craſſiores tantum furfures excuſſi ſecretique ſunt; ille vero ex flore quaſi farinæ ejuſque puriſſima parte, ac candidiore & præſtantiore tritico paratur, furfuribus & excrementis caret, nomenque indeptus a ſiligine tritici, ſive a tenuiſſima farinæ parte. Hinc enim optimum panem confici innuit Seneca in epiſt. ad Lucilium: *Malum panem exſpecta, bonus fiet; etiam illum tene tibi & ſiliginem fames reddet*. Hinc & Romæ inter laudatos panes erat & lautis tantum apponebatur. vid. Juvenalis lib. 1. Satyr. 5. verſ. 66. ſeq. Medici obſervant, ex ſiligine plurimum alimenti ſuppeditari. Paull. Ægin. 1. 78. *Ex panibus magis alit ſiligineus, deinde ſimilaceus*. Et Celſus lib. 2. cap. 18. *Ex tritico firmiſſima ſiligo, deinde ſimila, deinde cui nihil ademtum eſt, quod* αὐτόπυρον *Græci vocant*. Eſt nempe panis autopyrus, ex quo nihil, neque pollinis, neque furfuris excretum, vel ademtum, quaſi totum in ſe triticum, non imminutum habens. Scribon. comp. 227. *Et ſuper hoc panem autopyron ex aqua maceratum, & tritum*. v. Pitiſcus tit. 11. fol. 366. Addo etiam Heringii ſententiam quæſt. 4. num. 18. pag. 72. qui ait: Αὐτόπυρος *panis quod* αὐτὸς ὁ πύρος, *ut ſcribit Galenus de aliment. facult. Athenæo dicitur* αὐτοπυρίτης, ξηροπυρίτης *&* πύρινος *non ab igne nomen accepiſſe videtur, ſed a tritico, quod Græcis* πυρός. *Idem* συγκομιστὸς *audit apud Deipnoſophiſtam quaſi Confuſaneum* (*a*) *dixeris quod partes omnes tritici recipiat minime caſtratus:* ἀλευρίτης *aliis, quod ex farina fiat, additque idem Athenæus:* οὗ τοι πολυτροφώτεροι εἶναι δοκοῦσι.

XXXI. Subjungo hic elegans reſponſum, ex Victore Epiſcopo Uticenſi de perſecut. Africæ l. 1. quod Comes Sebaſtianus orthodoxus, quem Genſerichus omnibus modis ſtatu dimovere contendebat, Regi Arriano aliquando inſtanti ſuppeditavit. Ejus enim cum menſæ aſſiſteret, panem mundiſſimum atque ſimilagineum, quem afferri rogaverat, manu apprehendens: „Hic panis ut ad tantum ſplendorem decoris veniret, & „menſæ regiæ neceſſarius haberetur, diſcuſſa ſpuria furfuris, ex maſſa ſimilaginis conſperſus per aquam tranſivit & „ignem. Idcirco & aſpectu clarus, & „eſu ſuavis habetur. Ita & ego mola „catholicæ matris commolitus, & cribro „examinationis purgatus, ut ſimila munda, rigatus ſum aqua baptiſmatis, & „igne Sancti Spiritus coctus. Et ut hic „hic panis de furno: ita & ego pro officio Sacramentorum divinorum, artifice Deo, Dei de fonte mundus adſcendi. Sed fac, ſi velis, quod ipſe propono. Iſte panis confringatur in fruſta, madidetur aqua, & iterum conſpergatur, mittaturque in furnum, ſi „melior exierit, faciam quod horteris." Egregia hæc comparandi ratio, qua Panibus ſe fideles aſſimilant, penes veteres non eſt inuſitata; ceu illud S. Ignatii ex Epiſt. ad Rom. teſtatur: σῖτός εἰμι τοῦ θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος θεοῦ εὑρεθῶ. Cujus non ſine laude jam olim meminit S. Irenæus lib. 5. *Quidam de noſtris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad beſtias: Quoniam frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtiarum molor, ut mundus Panis Dei inveniar*. Quæ verba Hieronymus quoque lib. de Script. Eccleſ. cap. 16. allegat. vid. Sartorius Agoniſt. fidel. verb. §. 22. pag. m. 56. ubi his inductum obſervat Paulum Aringhum, ut crederet, oſſium Ignatii particulam Romæ adſervari, quæ adeo ad vivum intuentibus panis formam exhibeant, ut quiſquis oculis rem deprehenderit, hæreat profecto, oſſa ne ſint, an candidi potius fragmenta panis? Trinum perfectum reddit S. Zeno Veronenſis ſerm. 6. ad Neophyt. qui quaſi divinus Piſtor, poſt Baptiſma Neophytos ſuos producens, Panificium ſuum, quaſi venum expoſiturus commendat, & dilaudat, ceu eleganter ait Urſinus Anal. S. vol. 1. lib. 6. cap. 32. pag. 397. apud quem ipſa Veronenſis verba legas velim. Atque hæc occaſione ſimilaginei candidique panis, de quo plura occurrunt ap. Hering. quæſt. 4. num. 20. pag. 73. ſeq. conf. etiam Pitiſcus tit. 11. fol. 368. b.

XXXII. Quemadmodum vero ditioribus hæc candidi panis ſpecies inprimis arridet: ita eorum ad palatum vix accommodatus panis improbus eſt, quem Martialis vocat lib. 10. epigr. 5. non quod in ſe ſit talis, ſed miſer, infelix, quod multis modis & multis precibus a viatoribus ſit extortus; ceu locum enucleat Hering. quæſt. 4. num. 16. pag. 71. Multo minus delectabuntur pane cacabaceo, quem nigrum quidam putant, &

(*a*) Panis ſcilicet Confutaneus & συγκομιστός, quaſi qui omnia ſecum ferat, reipſa conveniunt. Dicitur vero panis confuſaneus, qui ex tritico integro, ſive ex farina, cui nihil vel floris, vel furfuris deceſſit, paratus eſt; qualis ob furfures commixtos minus alit, ſed alvum magis movet. v. Pitiſcus Tom. 11. f. 367.

& cui nihil est ademptum furfuris; alii panem intelligunt, qui saporem malum ex aqua in cacabo calefacta retinet. Zeno Veron. ad Neophytos post baptismum Serm. VI. *Non illos panes aura corrupit, non fumus amarus infecit, non frigus elisit: quod plus est, sine fermento levati sunt: Certe cacabacei non sunt: non vetusti, non usti, non crudi, non mucidi.* Papias: *Similiter autem & cacabaceus panis calidus siccat.* Nec gaudebunt pane canino sive furfuraceo, qui & panis cibarius, a quo furfur excretum non est, sed excussa mollissima purissimaque farina, Ciceroni Tusc. Quæst. vers. 34. *Nec esuriens Ptolemæus ederat: cui cum peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius*: item ἀγελαῖος, quasi gregarius Athenæo III. p. 113. *ater* Terentio Eun. v. 17. ῥυπαρὸς, sordidus Plauto Asin. I. 2. 16. acerosus Festo, vulgaris ἀχυρώδης, πιτυρίας, πιτυρίτης, πιτυρώδης, furfureus, furfurosus, aliterque aliis dicitur, sordidissimus & infirmissimus, quippe qui minimum nutriat, ex materia crassiore, & magnam partem extis tritici, quæ Græci ἀφαιρήματα & πίτυρα, Latini furfures, canicas, & apludas vocant, constans, canibusque, & servis, quos jus civile quadrupedibus æquiparat, aliisque tenuioris fortunæ dari solitus. Veluti Aurelia a Nerva Cæs. donatos servos, quos per sua prædia distribuit, tota die terram fodere jussit, & cantabrum edere ad vesperam. Quod vero Cantabrnm furfur fuerit, confirmat Heringius quæst. 4. num. 17. pag. 71. ex Catholico F. Johannis de Balbis, edito Augustæ An. MDCLXIX. in quo hæc leguntur: *Cantabrum purgamentum est frumenti vel farinæ, vel cibus caninus, quo canes pascuntur.* Atque his addit: *Itaque cantabrum ad vesperam edere, non erit herba Cantabrica vesci, ut opinatus est Surius, sed furfuraceo isthoc pane, & canino more tractare, nedum servili. Vocis igitur originatio duplex adfertur, altera a furfuraceo & contemtibili pane, captivis & servilibus dato Cantabris, ex odio majore gentis, quæ duritie sua tot annos Romanos exercitus fatigarit; altera ab elementaria subtractione, quid videlicet cantabrum dictum sit, quasi canabrum, a caninis pultibus, quæ fere fiunt e furfuribus & frumenti variis purgamentis.* Et quibusdam interjectis, suspicatur, quod pani huic dederit nomen Cantaber, cujus elogium expressit Silius Italicus lib. 3.

> *Cantaber ante omnes hyemisque, æstusque famisque*
> *Invictus, palmamque ex omni ferre labore.*

Siquidem bellicosum & asperum populum non aliam videri decuisse panis rationem, quam expeditam hanc & parvo parabilem. Canini panis meminit etiam Pacuvius, qui canicaceum vocat:

> *Qui apud te quasi servus est canicaceum panem.*

Et Festus:

> *Canicæ furfures de farre a cibo canum vocatæ.*

Pertinent huc illa Juvenalis lib. I. Satyr. 5. vers. 10.

> —— *Quin possis honestius illic*
> *Et tremere, & sordes farris mordere canini.*

Ubi vetus interpres: *Panis sordidus canum est.* Eodem forte digitum intendit Svetonius in Nerone cap. 48. num. 7. *Fame interim & siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum adspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.* Plautus Asin. lib. 2. 16.

> *Sordido vitam oblectabas pane.*

Et Phœdrus lib. 4. fabul.

> *Canes legatos olim misere ad Jovem,*
> *Melioris vitæ tempus oratum suæ,*
> *Uti sese abriperet hominum contumeliis,*
> *Furfuribus sibi conspersum quod panem darent.*

An panis furfuraceus idem sit, qui Westphalis Pompernickel vocatur, alii inquirant, conf. Paullini Philosoph. Lust-Stunden p. 2. num. 68. pag. 472. seq. Canino huic ac sordido pani merito annumerandus & is, qui olim ex polline frumenti tenuissimo ad molæ parietem adhærescente, indeque multis cum sordibus deterso, ut verius pulveris, quam farinæ nomen mereretur, fiebat v. Pitiscus tom. II. fol. 369. a. Varro lib. 2. de re rust. panem ex hordeo confectum canibus esse dandum existimavit. (*a*) Et servo aranti tribuendum

(*a*) Quod ipsum nec a veterum consuetudine abhorret, quippe qui panem ex hordeo damnatum quadrupedibus dedisse, simulque & servis apposuisse leguntur. Plinius XVIII. 7. pag. 822. *Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.* Hinc Martialis de hordeo:

> *Mulio quod non det tacituris accipe mulis,*
> *Hæc ego cauponi, non tibi dona dedi.*

In-

dum esse ἄρτον τετράτρυφον ϗ ὀκτάβλωμον, monet Hesiodus. *Quomodo adhuc in Phrysia atro & secundario pani ex secale sive secla, de qua Plinius lib. 18. cap. 16. addere solent rustici tertiam, aliquando etiam dimidiam farinæ fabarum partem, quem exhibent in pastum robustioribus operariis, polyphagis, propter gravem & adsiduum laborem;* notante Heringio loc. cit. p. 72. vid. quoque Pitiscus tom. II. fol. 366. a. b. 367. a.

XXXIII. Cætera panum genera attingere nolo, cum si enarrare ea aggrederer, in ingentem certe molem, me invito, excresceret opella. Saltem nonnulla adhuc de pane fiscali subjungam, quem veteres dixere illum, qui ex fisco populo dividebatur gratis, non pretio; proin & dispensatorius vocatus. Meminerunt illius veteres Glossæ (a) ad illud Persii Satyr. 3. vers. 112.

Durum olus & populi cribro decussa farina;

Farinam, panem non deliciosius cribro discussum, sed plebejum, de populi annona, id est, fiscalem dicit. Et vetus interpres Horat. Epist. II. I. 123. *Pane secundo, (b) non siligineo, non primo, non postremo,*

Inter vilissima enim genera habebant veteres. Seneca Epist. 18. *Non enim jucunda res aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis.* Hebræi certe inter viles cibos numerabant. Hinc Jud. VII. 13. panis hordeaceus obvertens se in castris Madianitarum & perveniens in tentoria, nota fuit Gedeonis & populi Israelitici, cujus vilis tunc erat & abjecta conditio, eversuri Madianitarum castra. Et Ezech. IV. 9. 12. idem hordeaceus panis, quem coquere jubetur Propheta, symbolum fuit magnæ inopiæ atque famis, quæ illis in futura urbis obsidione fuerit subeunda. Addatur Hos. III. 2. ubi rursus hordei mentio fit, ad vile ciborum genus designandum, quo Israelitæ in captivitate usuri sint, conf. Waserus de Mensur. lib. 2. c. 7. §. 14. pag. 95. seq. Nec Romanis hordeum delicatus cibus erat. Siquidem apud eos equis dabatur. Plautus Asin. III. 3. 116.

Demam tibi de hordeo, ni tolutim badizas.

Vocabatur inde Hordearium, quod equiti pro hordeo ad alendum equum dabatur. Festus: *Hordearium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.* Imo & Græci hordeum ad pabulum equorum habebant: unde κριθῶντα πῶλον vocant. Inde & similiter militibus ignominiæ ac pœnæ loco hordeum aliquando pro tritico dabatur, utpote qui communi militum cibo viderentur indigni, rejectique ad jumentorum cibum. Polyb. VI. 36. *Reliquis hordeum pro tritico admetiens, extra castra, & munitionem castrorum tendere eos jubet. Atque ita cum periculum, & metus sortis ex æquo omnibus impendeat; nemo enim scit, in quem sit casura: exemplum autem vescendi ex hordeo in omnes pariter edatur; hoc instituto quam maxime poterat fieri, consultum est utrique rei: ut & terror injiceretur, & acceptum detrimentum sarciretur.* Plutarch. Marcell. pag. 313. C. *Concione dimissa, cohortibus, quæ terga dederant, jussit pro tritico hordeum dari.* Svet. Aug. cap. 24. num. 5. *Cohortes, si quæ cessisset loco, decimatas hordeo pavit.* Livius lib. 27. c. 15. p. m. 638. *Cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum dari jussit.* Porro & Plinius XVIII. 7. pag. 821. Gladiatores Hordearios dictos annotat, quod antiquitus hordeo victitarent: *Antiquissimum in cibis hordeum, sicut Atheniensium ritu Menandro autore apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur.* Ubi tamen tacere nequeo, quod nonnullis hujus loci anceps videatur sententia, qui sibi persuadere non possunt, gladiatores hordeo fuisse usos, cum sit male alibilis is panis, flatus genitor, malique coloris, & gladiatoriæ saginæ prorsus contrarius, v. Pitiscus tom. I. fol. 872. b. 909. b. 910. a. Waserus de Mensur. l. 2. cap. 5. §. 15. pag. 83. Bonitius de Ἐγκρυφίαις veterum, cap. I. §. 10. pag. 18. Horum quicquid sit, illud tamen certum est, eodem Hordeariorum nomine per contemtum Sophistas quoque fuisse appellatos; prouti Dinarchum κρίθινον Δημοσθένην, Hordeaceum Demosthenem, ob tenuem summi hujus oratoris & imperfectam similitudinem, quam exprimebat, vocare consueverunt. Qua contumelia Lucium Plotium Gallum quoque fuisse affectum, Svetonius refert de clar. Rhetor. cap. 2. p. m. 603. notans, quod *M. Cælius subtracto nomine hordearium eum rhetorem appellaverit, deridens ut inflatum, ac levem & sordidum,* vid. Hering. quæst. 2. num. 23. pag. 41. Cæterum ex hordeo constabat etiam panis rusticus, quem Plinius XIX. 8. pag. 917. nominat: *Hoc* (candidi papaveris semen) *panis rustici crustæ inspergitur, affuso ovo inhærens, ubi inferiorem crustam apium githque cereali sapore condiunt,* conf. Pitiscus tom. II. f. 368. a. qui hunc panem vel triticeum, vel siligineum, vel hordeaceum, sive ex solo hordeo, sive ex hordeo & tritico misto, vel denique ex milio, juxta Colum. II. 9. fuisse, observat.

(a) Studio dixi, veteres Glossas meminisse panis fiscalis. Neque enim inquiram, an Persius illum indigitaverit, quando farinam populi cribro decussam memorat. Novi quippe, a veterum commentariis multos hic abire, qui obscurari magis clarissimam Persii sententiam panis fiscalis mentione, existimant. *Carpebat enim,* ait Heringius quæst. 4. num. 67. p. 96. ex Vincentio Contareno, *Poeta divites, gulæ & luxuriæ mancipia; qui panem atque holera, quibus utitur plebs, adspernabantur, superbum hoc fastidium prætexentes levi aliqua excusatione.* Qui & Persio lucem affundere putat illa Juvenalis Satyr. 5. vers. 66. seqq.

Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ.
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.
Sed tener, & niveus, mollique siligine factus
Servatur domino dextram cohibere memento:
Salva sit artoptæ reverentia. Finge tamen te
Improbulum; superest illic, qui ponere cogat.
Vis tu consuetis audax conviva canistris
Impleri, panisque tui novisse colorem?

Subjungit enim: *Cum igitur plebei plerique conficerent hodieque conficiant panes, non ex farina succreta cribro pollinario, sed laxiore, quod minutos etiam surfures transmittit: hi panes quia neque candore, neque suavitate pares iis erant, qui parabantur divitibus ex similæ aut siligine, ab illis rejiciebantur. Atque hi sunt, quos significat Persius, cum farinam dicit populi cribro decussam.*

(b) Qui Horatio secundus panis dicitur Ep. II. I. 123.

---- vivit siliquis. & pane secundo;

idem Secundarius vocatur Svetonio Aug. cap. 76. n. 2. *Secundarium panem maxime appetebat;* quia nimirum in alendo a siligineo secundum habet locum. Dicitur & panis sequens Lampridio Alex. Sev. cap. 37. quia primum sequitur, adeoque in ordine secundus est, & apud eundem mundo opponitur; ut in formula Marculfi panis nitidus & sequens distinguuntur; *Panis nitidi modios tantos, panis sequentis modios tantos.* Sic & Græcis: δεύτερα ἄλφιτα, τὰ εὐτελῆ, & δευτέρια v. Pitiscus tom. II. fol. 368. b. Dempsterus ad Rosin. lib. 7. cap. 38. pag. 529. a.

mo, *sed dispensatorio*. Idem panis alio nomine civilis appellatur, qui loco frumenti populo Romano olim fuit distributus. Justinianus lib. 31. C. de jure dotium: *Si quis in dotem vel prædia, vel certum reditum, vel ædes, vel panes civiles spoponderit, vel promiserit, si ex tempore matrimonii biennium transactum sit, illico redituum, vel pensionum nec non panis civilis quæstum sancimus eum præstare*. Hujus in determinanda origine variant Autores. Quidam enim ad Trajani imperium referunt, adeoque ad ipsa pistorum collegii initia, alii Aurelianum allegant hujus panis autorem, quod posterius utpote vero similius, ex illis Vopisci, Aurelian. cap. 35. clarissime colligitur, qui refert, *coronas Aurelianum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita ut siligineum suum quotidie toto suo ævo, & unusquisque reciperet, & posteris suis demitteret*. Sicuti enim porcinam ita & panem primus distribuit, quod idem Vopiscus docet, statim addens: *Nam idem Aurelianus porcinam carnem populo Romano distribuit, quæ hodieque dividitur*. Quod & Zosimus lib. 61. 7. confirmat: *Præter hæc & panum honorario munere populum Romanum donavit*. Quamvis enim jam penes Juvenalem Trajano coævum panis populo distribuendi mentio fiat, lib. 4. Sat. 10. vers. 80.

Duas tantum res anxius optat
Panem & Circenses.

Idem tamen & alibi frumenti tesseræ meminit lib. 3. Sat. 7. vers. 173. (quem locum exhibuimus supra c. IV. in notul. 1. ad §. XI. ubi simul, quid frumenti tessera sit, docuimus) Cum vero & frumentum & panes simul populum tum temporis accepisse, nemo facile affirmaverit, (*a*) priore versu Juvenalem poetice panem pro frumento, ex quo panis, usurpare, existimandum est. Alias quippe nemo autorum a Trajano usque ad Aurelianum panis distributi mentionem facit, multi autem tesserarum frumentariarum. Hinc & sub Severo adhuc frumentum fuisse expensum, Spartian. testatur cap. 23. *Moriens septem annorum canonem, ita ut quotidiana septuaginta quinque millia modiorum expendi possent, reliquit*. Porro idem panis & gradilis audit, quia e loco altiori & in gradibus distribuebatur, quos nonnulli ad pistrina, quæ in singulis regionibus erant, alii alibi, plerique non diversos ab Amphitheatri gradibus (in quibus olim populo congiaria dabantur, æra dividebantur, & tesseræ mittebantur) fuisse perhibent. Hinc illæ phrases, de gradibus, in gradibus: & gradibus panem distribuere, derivandæ sunt. Inde & Tituli 17. lib. 14. Codicis Theodosiani epigraphe istiusmodi est, *de annonis civicis, & pane gradili*. Et Prudentius lib. 2. in Symmachum non multum a fine:

Post hinc ad populum converte oculos, quis in urbe est,
Qui Jovis infectam sanie non despuit aram?
Omnis qui celsa scandit cænacula vulgus,
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat.

Erant vero distincti gradus popularium, & militarium, equestrium, & senatorum, quorum translatio aut permutatio severissime prohibetur lib. 2. C. Th. de annon. civ. & pane grad. qua lege vetatur, ne quis militaris in popularium gradibus panem accipiat, aut vice versa. Hinc Valens princeps: *Gradilis panis in alium gradum translatio inhibetur*. Illud tamen prætereundum non est, quod Constantini ævo, quo annonæ civicæ in urbe Constantinopolitana itidem ut Romæ erogabantur, erogatio hæc non in circo, aut amphitheatri gradibus, sed in foro facta fuerit. Ibi enim populus per gradus distinctus, & per turmas divisus, cum in suo quisque loco & gradu adstaret, panes illos civiles, qui de publico dabantur, accipiebat. Cæterum si materiam horum panum ac conditionem quæras, fuerunt illi siliginei, mundi ac primi, quos populus Romanus a prima distributione accipiebat, ceu ex Vopisco supra citato pa-

(*a*) Quamvis fatendum sit, in eo multos dissentire, qui perhibent, plerumque frumentum, interdum vero arctiore in penuria panem quoque fuisse divisum. Quo spectat vetus marmor apud Onufrium Civ. Rom. pag. 65. P. ALIO. P. F. PAPIR. MARCELLO. CENT. FRUM. SUB. PRINCIPE. PEREGRINORUM. HASTATO. ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO. LEG. VILGEM. PIÆ. FELICIS. ADJECTO. AD. MUNERA. PRÆF. LEGG. VII. CLAUD. ET. PRIMÆ. ADJUTRICIS. V. F. FLAMINI. LUCULARI. LAURENT. LAVINAL. PATRONO. ET. DECURIONI. COLONIÆ, APULESIUM. PATRONO. CIVITATIS. FORO. FLAM. FULGINIÆ. ITEMQUE. IGUVINORUM. SPLENDIDISSIMUS. ORDO. FORO. FLAM. CUJUS. DEDICAT. DECURIONIBUS. ET. LIBERIS. EORUM. PANEM. ET. VINUM. SS. XXX. N. ITEM. MUNICIPIBUS. SS. IV. N. DEDIT. Agit de his pluribus Dempster. ad Rosf. lib. 7. cap. 38. pag. 529.

patet. Ne vero mireris, cur interpretes Perſii ſuperius itidem allegati fiſcalem illum ſive diſpenſatorium panem non de prima nota fuiſſe, ſed ſecundaria notent, prouti & Lubinus ad Perſium loc. cit. p. 751. commentatur: *Hac paraphraſi ſignificat panem cibarium & pene furfureum. Nam cribrum populare tranſmittit multos furfures, contra cribrum excuſſorium vel culinarium, tranſmittit duntaxat farinæ primæ ſimilam vel pollinem*; probe tenendum eſt, fuiſſe tempus, in quo non mundos e fiſco percipiebat populus, ſed ſordidos comparabat; mutaſſe vero id Valentinianum, vel potius in antiquum ſtatum redegiſſe, ut populo mundi diſtribuerentur, quos ante eum ſordidos nec gratuitos, ſed pretio comparabat. Quod clare evincit Lex Valentiniani C. Th. de ann. CIV. *Civis Romanus, qui in viginti panibus ſordidis, qui nunc dicuntur Sardinienſes, quinquaginta uncias comparabat, triginta & ſex uncias in buccellis ſex mundis ſine pretio conſequatur.* Quæ lex ſimul oſtendit, civiles panes vocatos fuiſſe buccellas. Buccella vero eſt panis in modum circuli & coronæ factus. Plura de his omnibus ſuppeditabit Pitiſcus tom. II. fol. 366. ſeq. & quos ille citat Autores.

XXXIV. Vas, quo panes confecti referebantur, & reponebantur, Panarium, ἀρτοφόρον dictum fuit, quod ex vimine fiebat. De quo Varro de ling. lat. IV. 22. *Hinc Panarium, ubi id ſervabant: ſicut granarium, ubi granum frumenti condebant.* Hujuſcemodi panarii gemina penes Svetonium mentio occurrit, np. Cal. c. 18. num. 4. *Sparſit & miſſilia variarum rerum, & panaria cum obſonio viritim diviſit.* Ac Domit. cap. 4. num. 14. *Septimontiali ſacro ſenatui, equitique panariis: plebi ſpontellis cum obſonio diſtributis.* Et de Domitiani panariis Statius lib. I. Silv. 6. verſ. 28. ſeqq. pagin. m. 22. ſeq. ita canit:

> *Ecce autem caveas ſubit per omnes,*
> *Inſignis ſpecie, decora cultu,*
> *Plebes altera, non minor ſedente*
> *Hi panaria, candidaſque mappas*
> *Subvectant, epulaſque lautiores.*

Memorat etiam panarium Plinius Secundus lib. I. Epiſt. 6. p. m. 18. *Proinde quum venabere, licebit, autore me, ut panarium & laguncullam, ſic etiam pugillares feras*, v. Pitiſcus tom. II. fol. 364. Barthius Animadv. in Stat. loc. cit. t. I. p. m. 150. autoreſque ibidem citati.

XXXV. Hic finem capiti imponerem, niſi quædam de panis abuſu dicenda reſtarent. Ad quem merito refertur, quod pane, aſinino lacte, madido (*a*) qui ex oryza aut fabis, item ex farina ſiliginea fiebat, veteres levigaverint & liniverint faciem, quam maxime nitentem, teneram ac rugarum expertem cupiebant, teſte Plinio. Quam in rem Svetonius de Othone cap. 12. num. 3. *Quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum: idque inſtituiſſe a prima lanugine, ne barbatus unquam eſſet.* Idem de Othone teſtatur etiam Juvenalis l. I. Satyr. 2. verſ. 107.

> *Et preſſum in faciem digitis extendere panem.*

Qui & alibi eandem conſuetudinem deſcripſit, inſimul mulierum ſcelera, earumque fucum eleganter delineans, l. 2. Satyr. 6. verſ. 462. ſeqq.

> *Interea fœda aſpectu, teterrima vultu,*
> *Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana*
> *Spirat. Et hinc miſeri viſcantur labra mariti.*
> *Ad mœchum veniet lota cute. Quando videri*
> *Vult formoſa domi? Mœchis foliata parantur.*
> *His emitur quidquid graciles huc mittitis Indi,*
> *Tandem aperit vultum, & tectoria (b) prima reponit,*
> *Incipit agnoſci, atque illo lacte fovetur,*
> *Propter quod ſecum comites deduxit aſellas*
> *Exſul Hyperboreum ſi dimittatur ad axem.*
> *Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur*
> *Tot medicaminibus coctæque ſiliginis offas*
> *Accipit, & madidæ, facies dicatur, an hulcus.*

Quin & partibus panum promiſcue diviſis uſos fuiſſe veteres ad manus abſtergendas, eas deinde canibus objicientes, teſtatur Athenæus lib. 4. de Arcadum ſacris epulis: μετὰ δὲ τὸ δεῖπνον, σπονδὰς ἐποιοῦντο οὐκ ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, ἀλλ' ἀποματτόμενοι τοῖς ψωμοῖς καὶ τὴν ἀπομαγδαλίαν ἕκαστος ἐπέφερε, τοῦτο ποιοῦντες ἕνεκα τῶν

ἐν

(*a*) Solebant etiam ſtercore canino faciem illinere, re ſcilicet illis magis competente, quam pane, ex nutu Creatoris eſui deſtinato, vid. Lubinus ad Juven. Sat. 6. p. m. 279.

(*b*) Tectoria vocat, quia pane illo, quaſi tectorio quodam, faciem inducebant.

ἐν ταῖς ἀμφόδοις γινομένων νυκτερινῶν φόβων. *Post cœnam libationibus operabantur, non quidem totis manibus, sed jure seu offa, buccella, frusto panis, & quo se abstersérat quisque, id secum auferebat; id faciebant ob terrores nocturnos, qui in compitis solent accidere*, vid. Hering. qu. 1. num. 59. pag. 24. Pitiscus tom. 22. fol. 368. Lubinus ad ll. cc. Juven. p. m. 116. 279. seq. Sed manum de tabula. Progredimur ergo ad

CAPUT VI.

De Pistrinorum Diis, Coronatione, Festis, & Cantilenis.

ARGUMENTUM.

I. *Non ἀμεθόδως nos procedere, ostenditur.* II. *Diis adscriptæ molæ. Jovis Pistoris ara.* III. *Promylius Deus. Mola in Vestæ simulacro. Vestalium ritus circa spicas torrendas, ac molendas.* IV. *Focorum Domina, & Dea Fornax quid? Quid Fornacalia? A quo inventa? Scriverii allusio ad hoc festum.* V. *Molarum & asinorum coronatio cur & quomodo facta? Asinus Vestæ delicium. Ejus in sacris usus. Sacrificium asini Priapo gratum. Ovidii testimonium.* VI. *Romanorum Quirinalia quid? Cur Feriæ Stultorum dicantur? Pontificium stultorum festum quid? quando abrogatum?* VII. *Festum Pistorum a Pontificiis celebratum.* VIII. *Servis Calendis Januariis libertas concessa.* IX. *Græcorum ἀνθηστήρια. An festis diebus molere liceat & licuerit? Sambation fluvius in Palæstina. In summis festis pistrinum exercere olim vetitum. Necessitatis casu molere licet. Gentilium consensus.* X. *Judæorum severitas taxatur. Regula magna de operibus Sabbathi. Molitura a Judæis inter Patres operum relata. Quid Patres operum?* XI. *Cerealia quid? Cur θαλύσια & συγκομιστήρια dicta? Thesmophoria Cereri sacra.* XII. *Θησεῖα in honorem Thesei celebrata. Sacra Eleusinia unde inventa? Asini mysteriorum bajuli. Certamen Eleusinium.* XIII. *Cantio molaris. Molæ silentium miseriæ nota. Illustrantur Eccles.* XII. 3. 4. *Jerem.* XXV. 10. *Apoc.* XVIII. 22. XIV. *Himæa cantio. Pittacus in mola; ejusdem cantio molaris. πτιστικόν & πτισμός* XV. *Cantio textorum. Epilogus:*

I. HUcusque ordinis legibus morem gerentes pleraque enucleavimus, ex quibus pistrinorum prisca ætate receptorum equidem deprædicanda utilitas, huic tamen simul adhærens tum servis tum jumentis onerosa gravitas & sordida conditio elucescit. Vix igitur reprehensione digni videmur, si nunc ea simul coronidis loco admetiamur, quæ molarum inque iis molentium encomia, dignitatem, honorem, voluptatem ac gaudia concernunt; sicque dolentium quasi querelas solatii lenimine, ægrotorum morbos medicamentorum salubritate, tenuiorum sortem, honorum stimulis temperemus.

II. Molas olim in summa fuisse veneratione ac religione, præter multas alias rationes, quibus confirmari posset, ex hoc præprimis in propatulo est, quod diis ipsis molas adscriptas fuisse legamus. Ut enim sicco pede transeam proverbium: *Sero molunt Deorum molæ*, quod ex Plutarcho refert Erasmus in adagiis chil. 4. cent. 4. adag. 82. de iis usurpatum, qui licet serius, tamen aliquando pœnas malefactorum vindici Deo pendunt; satis id evincit A. Gellii locus lib. 13. cap. 21. ubi in comprecationibus Molarum Martis mentio injicitur. Pistorum itidem nomen ab infamia, qua conspurcari posse videbatur, vindicat ipsa Jovis Pistoris appellatio, cui olim Romæ in Capitolio ara collocata fuit, cujus meminit Ovidius lib. 6. Fastor. pag. 134.

> *Nomine quam pretio celebratior arce Tonantis,*
> *Discant Pistoris quid velit ara Jovis.*

Idem pag. 135.

> *Posse fame vinci spes excidit, hoste repulso*
> *Candida Pistori ponitur ara Jovi.*

Quamvis tanto Deo indignam hanc Pistoris compellationem existimet Lactantius lib. 1. de fals. relig. cap. 20. *Urbe, inquiens, a Gallis occupata obsessi in capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt. Eodem tempore* Jovi *quoque* Pistori *ara posita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent. Eoque facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos. Quæ ista religionum derisio est? Si earum defensor essem, quid tam graviter queri possem, quam Deorum Numen in tantum venisse contemtum, ut turpissimis nominibus ludibrio habeatur?* vid. Lipenius Hist. Strenar. cap. 1. §. 8. pag. 7. seq. Rosinus Antiqq. Rom. lib.

2. cap.

2. cap. 5. pag. m. 105. & lib. 4. cap. 180. Pitiſcus Tom. I. f. a.

III. Accedit, quod Piſtrino ſeu Molæ ſuum fuerit Numen, Deuſque tutelaris. Sic Promylium Deum ante molas collocatum fuiſſe, ob ſuavem alimoniam, refert Suidas in voce προμύλια· θεὸς προμύλιος; ἣν ἀφιδρύοντο ἐν τοῖς μυλῶσιν ὡς εὔνοστον. Hunc enim, ut molarum præſidem, in molis ccnſecratum collocabant, ut ejus favore fruges feliciter molerentur, & bonam atque copioſam farinam ſuis dominis proferrent. Veluti hodienum Pontificii *Arnoldum* ceu Deum Molitorum venerantur, notante Balthaſ. Balduino Diſp. Cygneæ An. 1643. in Synodo Paſtorali hab. Part. 2. theſ. 3. §. 1. qui dum ibidem *Eunoſtum* a paganis tanquam Deum Molitorum cultum refert, non alium videtur intelligere, quam ipſum hunc Promylium, quem Suidas loc. cit. ὡς εὔνοστον in molis collocari dixit. Et meminit ejuſdem Jul. Pollux, lib. 7. onomaſt. cap. 33. tit. 8. μυλωθρὸς, μύλων, μύλη, προμυλαία θεὸς, καὶ εὔνοστος h. e. *Molitor*, *mola*, *piſtrinum*, *Dea molaris & benevola*. Heſychius: προμυλέα, θεὸς ἱδρυμένη ἐν τοῖς μυλῶσι. v. Hering. quæſt. 1. num. 20. pag. 9. ſeq. quæſt. 2. num. 19. pag. 40. quæſt. 37. num. 14. pag. 448. Dempſter. ad Roſ. lib. 1. cap. 14. pag. 66. Pitiſcus Tom. II. f. 216. a. Quo nomine olim appellata fuit Veſta. Proinde in ejus ſimulacro, quod ſub hortis Matthæis repertum primus in lucem protulit Raphael Fabrettus, conſpicitur *Mola*, annotante Ezech. Spanhemio de Veſta & Prytan. Græcor. ap. Grævium Tom. V. f. 684. b. ubi & pag. 640. in figura ænea ipſum hujus Deæ ſimulacrum nitidiſſime depictum videre eſt, in quo exhibetur Veſta ſedens & velata cum turrito capite, quæ dextra pateram tenet, ex qua ſerpenti, juxta ſolitum Hygiæ ſivæ Salutis in veteribus nummis typum, eſcam porrigit. A tergo apparet Mola cum ſpicis, quas certis temporibus torrere deberent ac molere tres Veſtales; ceu hunc ritum obſervat Servius ad illud Maronis Eclog. VIII. verſ. 82. *Sparge molam: Virgines Veſtales tres maximæ, ex Nonis Majis ad pridie Idus Majas, alternis diebus adoreas in corbibus meſſuariis ponunt: eaſque Spicas ipſæ Virgines torrent, pinſunt, molunt; atque ita molitum condunt. Ex eo farre Virgines ter in Anno Molam faciunt, Lupercalibus, Veſtalibus, Idibus Septembribus; adjecto ſale cocto & ſale duro.*

IV. Colebatur Veſta ap. Romanos a Piſtoribus ut Focorum Domina & Dea Fornax, quod olim, cum nullus adhuc molarum uſus eſſet, farra ſolummodo in furnis Veſtæ h. e. ignis beneficio torreri & deinde pilis pinſi & contundi conſueverint. Inde veteribus Fornacalia memorantur, farris torrendi gratia inſtituta, quæ in honorem hujus Deæ Fornacis, quam excogitarunt, quod in fornacibus precarentur farra recte torreri, celebrabantur. Quæ feriæ non ſtatæ, ſed indictitiæ erant, eaſque indixit Curio maximus. Feſtus: *Fornacalia feriæ inſtitutæ ſunt farris torrendi gratia: quod ad fornacem, quæ in piſtrinis erat, ſacrificium fieri ſolebat. Fornacalia ſacra erant, cum far in fornaculis torrebant.* Debent autem originem inſtitutioni Numæ Pompilii, teſte Plinio XVIII. 2. pag. 807. *Numa inſtituit Deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque (ut autor eſt Hemina) far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet. Id uno modo conſecutum ſtatuendo, non eſſe purum ad rem divinam, niſi toſtum. Is & Fornacalia inſtituit farris torrendi ferias, & æque religioſas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maxime noverant.* vid. Hering. quæſt. 2. num. 27. pag. 44. Zimmermannus Floril. Phil. hiſtor. P. I. pag. 359. Pitiſcus Tom. I. f. 807. b. Roſinus Antiqq. Rom. lib. 4. cap. 6. pag. 255. Digitum huc intendit Ovidius Faſtor. lib. 6. p. m. 133. ex quo verſus huc ſpectantes infra plenius recitabo. Nec aliud forte innuit feſtum B. Scriverius Theognoſ. Evangel. Chriſt. Dom. Lætar. p. m. 497. quando eines Mühlen-Feſtes mentionem injicit, provocans ad Kipping. Antiq. lib. 1. cap. 10. p. 230. ubi de Fornacalibus agitur. In vero ſcribit piiſſimus vir: Viel ſind den Guineern gleich/ welcho nicht dafür halten/ daſs ihnen alles von GOtt gegeben werde/ denn die Erde gebe ihnen das Gold/ Korn/ und dergleichen/ welches man denn an ihnen dulten muſs/ allein von denen Chriſten/ welchen das helle Licht des Evangelii ſcheinet/ ſolte man ein beſſers vermuthen. Laſſet uns auch lernen der Gaben GOttes mit Ehrerbietigkeit gebrauchen/ ſie nicht verſchwenden/ mit Füſſon treten/ und gering achten/ ſondern ſie heilig und zurathe halten. Die alten Juden ſagen/ es ſey ein beſonder Engel dazu von GOtt verordnet/ daſs er acht habe auf die/ welche mit dem lieben Brod ungebührlich umgehen/ es auf die Erde fallen laſſen/ daß es mit Füſſen getreten wird/ ſolche/ ſagen ſie/ bringe der Engel in Armuth: wie auch die Nieder-Sachſen ein Sprichwort haben: werkein Brod achtet/ oder damit übel umgehet/ der kömmet nicht zu Brod: vielleicht haben die alten Römer und Griechen auch hier-

auf ein Absehen gehabt / indem sie Tische / daran man Mahlzeit hielte / heilig genannt und geachtet / auch ein jährliches Brod-und Mühlen-Fest gehalten / als gelehrte Leuthe berichten. Exagitavit vero hunc morem Lactantius apud Lipenium hist. stren. cap. 1. §. 8. pag. 8. & Pitiscum T. 1. fol. 808. a. *Quis non rideat*, inquiens, Fornacem Deam, *vel potius doctos viros celebrandis* Fornacalibus *operari*?

V. Ad solennitates dierum Vestalium spectabat molarum & asinorum in honorem Vestæ facta coronatio. Cingebantur enim molæ sive pistrina floribus ac sertis, & quiescebant, asinisque in iis laborantibus, utpote qui primis temporibus Vestæ beneficio a circumagendis molis prorsus immunes essent, feriæ indulgebantur, (*a*) iidemque coronis ad formam panis effictis ornati, (*b*) & e pane veluti monilia quædam gerentes, per plateas urbis ducebantur. Qua de re diserte Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 3. cap. 12. pag. 707. scribit: *Mense Junii molæ frumentariæ & asini sertis & pane coronantur*. Hinc in veteri Kalendario, in antiquis membranis Ovidii Fastis præfixo ad VI. Idus Junias hæc leguntur: *Festum est Vestæ. Asinus coronatur*. Quo spectat Prop. lib. 4. El. 1. vers. 2.

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis.

Et Suidas autor est, Demonem Philosophum proverbium illud, ὄνος ἄγων μυστήρια, ad lapidem molarem, quem Græci ὄνον nominant, referre, quod in sacris non minus molis frumentariis, quam hostiis, coronas imponere consueverint. Pertinet huc illud Juvenalis Satyr. 12.

Quæque coronata lustrari debeat agna.

Harum vero ceremoniarum ratio ac origo derivatur ex eo, quod asinus Vestam dormientem acri ruditu ex somno aliquando excitaverit, cum Priapus ejusdem castitati insidias struxisset, eamque violare intendisset. Quo alludit Lactantius l. 22. *Apud Romanos eundem* (asellum) *Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus coronant*. Quod & annotavit Ursinus Anal. S. vol. 1. lib. 5. cap. 49. pag. 325. *Romæ*, inquiens, *Vacunalibus in honorem Vestæ asini coronabantur panibus, quod asinus rugitu suo Deam excitasset, cum Priapus contra æternam ejus pudicitiam obscœnam spem capiens noctu nefas moliretur*. Atque hæc ipsa asini vigilantia factusque pro conservanda Virginis pudicitia clamor, ad tantos eum evexit honores, ut non solum *Vestæ delicium* fuisse perhibeatur, sed & dignus haberetur, qui in hujus Deæ sacris Romæ panem & res ad ejus cultum necessarias comportaret, imo ipsam bajularet Deam, juxta Apul. VIII. Id quod a gentilium sacris non alienum fuisse, vel ex eo apparet, quod etiam nato Libero sacer chorus Baccharum arcam arcanam, eamque coronatam asini tergo imposuerit. Oppian. de Venat. IV. 253.

Arcam porro arcanam sacer chorus sublatam
Et coronatam tergis imposuerunt asini.

Ne tamen Priapus impune clamorem asini impeditasque libidines ferret, hoc animal sibi ut sacrificii loco offerretur curavit, morte scilicet illatam vindicans injuriam. Quam fabulam prolixe descripsit Ovidius lib. 1. Fastor. vers. 391. seq. quam ita incipit:

Cæditur & rigido custodi ruris asellus.
Caussa pudenda quidem est, sed tamen apta Deo.

Et claudit his versibus:

Morte dedit pœnas autor clamoris, & hæc est
Hellespontiaco victima grata Deo.

Propterea Lactantius div. Inst. lib. 1. cap. 21. asellum *litabilem Priapo victimam* ap-

(*a*) Forte ex κακοζηλίᾳ Judæorum. Legimus enim Deut. v. 14. quod & Deus noster ipse aliquando asinos voluerit feriari.

(*b*) Coronatio hæc alio quoque tempore asinis obtigit. Nam & in Consualibus, Deo Conso sacris, asinus & equus coronabantur, forte, quod per eos virgines Sabinæ Romam sunt deportatæ. Dionys. l. pag. 26. *Romanis instituerunt Consualia; per quod apud Romanos ex more immunes ab opere sunt equi & muli, coronanturque floribus*. Si tamen quæras quid commune sit consiliorum Deo cum equo & asino? scias per asinum prudentem quandam moram in sumendis consiliis, per equum excitatam quandam celeritatem in iis exsequendis denotari. Alias tamen rationes affert Plutarchus Rom. Qq. XLVII. Διὰ τί τῇ τῶν Κωνσαλίων ἑορτῇ καὶ τοὺς ἵππους καὶ τοὺς ὄνους στεφανοῦσιν καὶ σχολάζειν ἐῶσι; πότερον ὅτι Ποσειδῶνι μὲν ἄγουσιν ἱππίῳ τὴν ἑορτὴν, ὁ δὲ ὄνος τῷ ἵππῳ συναπολαύει καὶ συμμετέχει τῆς ἀδείας; ἢ ὅτι ναυτιλίας φανείσης καὶ κομιδῆς κατὰ θάλατταν, ὑπῆξέ τις ἀμωσγέπως ῥαστώνη καὶ ἀνάπαυσις τοῖς ὑποζυγίοις. *Cur Consualibus feriis equos asinosque coronant, & ociari sinunt? an quia feriæ istæ Conso, qui equester Neptunus est, aguntur, asinus tum equo consors est, juxtaque fruitur vacatione laboris? Aut quia tum commoda navigandi maris tempestas exhibita, jumentis qualemcunque quietem præbet*, v. Pitiscus tom. 1. fol. 190. b. fol. 550. b. Saubertus de Sacrif. cap. 23. pag. 581. Ursinus Anal. S. vol. 1. lib. 5. cap. 49. pag. 326. Hasæus de Ὀνολατρείᾳ, cap. 2. §. 13. pag. 34.

appellat. Et Romæ ad Portam Flaminiam ſtemma cernitur hominis mentulati, qui Priapum repræſentat, infra a dextris aſini caput, cui imminet dolabra ſacrificalis, in ſiniſtris item aſini caput cum cultro oblongiori. conf. Pitiſcus tom. I. fol. 190. b. Saubertus de Sacrif. cap. 23. pag. 582. ſeq. qui & alias cauſas, cur Priapo ſacer fuerit aſinus, allegat. Addatur Haſæus de Ὀνολατρείᾳ cap. 2. §. 12. pag. 33. §. 15. pag. 36. ubi quæ idem de dicterio Ezech. XVI. 26. & XXIII. 20. obvio, & de Priapo Moſis ſymbolo ex Huetio doctiſſime monuit, omnino legi merentur. Cæterum rituum ac ceremoniarum hactenus memoratarum cauſas eleganter deſcripſit Ovidius lib. 6. Faſtor. pag. 133. ſeq.

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat: & menſæ credere adeſſe deos.
Nunc quoque cum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtantque ſedentque focos,
Venit in hos annos aliquid de more vetuſto,
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet aſellis,
Et velant ſcabras florida ſerta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et fornacali ſunt ſua (al. ſtata) *ſacra Deæ.*
Suppoſitum cineri panem focus ipſe parabat,
Strataque erat tepido tegula quaſſa ſolo.
Inde focum ſervat Piſtor, dominamque focorum,
Et quæ puniceas verſat aſella molas.
Prætercam? referamne tuum rubicunde Priape
Dedecus? eſt multi fabula plena joci.
Turrigera frontem Cybele redemita corona,
Convocat æternos ad ſua feſta deos.
Convocat & Satyros, & ruſtica numina Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocarat, adeſt.
Nec licet, & longum eſt, epulas narrare deorum:
In multo nox eſt pervigilata mero:
Di temere errabant: in opacæ vallibus Idæ
Pars jacet: & molli gramine membra levat.
Hi ludunt, hos ſomnus habet, pars brachia nectit,
Et viridem celeriter pede pulſat humum.
Veſta jacet, placidamque capit ſecura quietem:
Sicut erat poſitum ceſpite fulta caput.
At ruber hortorum cuſtos, nymphaſque deaſque
Captat: & errantes fertque refertque pedes.
Adſpicit & Veſtam dubium eſt Nymphamne putarit?
An ſcierit Veſtam: ſciſſe ſed ipſe negat.
Spem capit obſcœnam, furtimque accedere tentat:
Et fert ſuſpenſos corde mitante gradus.
Forte ſenex quo vectus erat Silenus aſellum
Liquerat ad ripas lene ſonantis aquæ.
Ibat ut inciperet longi Deus Helleſponti;
Intempeſtivo cum rudit ille ſono.
Territa voce gravi ſurgit Dea: convolat omnis
Turba: per infeſtas effugit ille manus.
Lampſacus hoc animal ſolita eſt mactare Priapo:
Hinc aſini flammis indicis exta damus:
Quem tu diva memor de pane monilibus ornas:
Ceſſat opus: vacuæ conticuere molæ.

vid. Spanhemius de Veſt. & Prytan. Gr. ap. Græv. Tom. V. fol. 689. a. Roſinus Antiqq. R. lib. 4. cap. 10. pag. 279. Pitiſcus Tom. I. fol. 190. a. b. Tom. II. fol. 216. b. Kippingius Antiqq. R. lib. I. cap. 10. §. 5. pag. 230. Haſæus de Ὀνολ. cap. 2. §. 14. pag. 34. ſeq. Hering. quæſt. 2. num. 28. pag. 44. quæſt. 4. num. 39. pag. 84. Treunerus cap. 4. §. 4. p. 25. Obſerv. Miſcell. Lipſ. 1715. P. 29. pag. 356. ſeqq. Schottgenius Lexic. Antiqq. pag. 511.

VI. Hactenus de Fornacalibus & coronatione aſinorum. Erant his cognata Romanorum Quirinalia, quæ in honorem Quirini id eſt Romuli habebantur XVII. Febr. de quibus Varro: *Quirinalia a Quirino, quod ei Deo feriæ, & eorum hominum qui Fornacalibus diebus non fuerunt feriati.* Eadem & feriæ ſtultorum nominabantur, ideo, quod, cum quiſque in ſua Curia Fornacalibus (quæ indictitiæ non ſtatæ feriæ erant) feriaretur, & ſacra faceret, ſtulta populi pars, quæ ſua Curia eſſet, ignorans, rem divinam Fornacalibus omiſſam, Quirinalibus fa-

ciebat; ceu Festus observavit, qui ait ex emendatione Scaligeri: *Feriæ stultorum appellabantur Quirinalia, qui erat dies festus Quirini, quod eo die Quirino sacrificant ii, qui sollenni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt suorum fornacalium sacrorum diem, commissum piaculum expiabant moræ, atque quod suis non fecerant, quibus permittebatur feriis sacrum faciebant.* Nec dissentit Paulus Diaconus: *Stultorum feriæ appellabantur Quirinalia, quod eo die sacrificabant ii, qui solenni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignorarunt.* Præivit in hoc Plutarchus, Qq. R. 88. scribens: Διὰ τί τὰ Κυρινάλια, μωρῶν ἑορτὴν ὀνομάζουσι; ἢ ὅτι τὴν ἡμέραν ταύτην ἀπεδεδώκεσαν (ὡς Ἰόβας φησὶ) τοῖς τὰς αὑτῶν φατρίας ἀγνοοῦσιν, ἢ τοῖς μὴ θύσασιν, ὥσπερ οἱ λοιποὶ, κατὰ φυλὰς ἐν τοῖς φουρνικαλίοις, δι' ἀσχολίαν ἢ ἀποδημίαν ἢ ἄγνοιαν, ἐδόθη τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ τὴν ἑορτὴν ἐκείνην ἀπολαβεῖν. *Cur Quirinalia festum stultorum appellant? An quod dies iste bis erat destinatus, ut Juba scribit, qua suam curiam ignorabant? Aut quod qui Fornacalibus feriis ob occupationes, peregrinationem, vel ignorationem non sacrificassent in sua tribu, iis permissæ fuerint istæ feriæ harum loco obeundæ?* Revocanda huc sunt illa Ovidii 2. Fast. vers. 513. seqq.

Lux quoque cur eadem stultorum festa vocetur,
Accipe: parva quidem causa, sed apta subest.
Non habuit doctos tellus antiqua colonos:
Lassabant agiles aspera bella viros.
Plus erat in gladio, quam curvo laudis aratro:
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres jaciebant: farra metebant:
Primitias Cereri farra resecta dabant.
Usibus admoniti flammis torrenda dederunt:
Multaque peccato damna tulere suo.
Nam modo verrebant nigras pro farre favillas:
Nunc ipsas ignes corripuere casas.
Facta Dea est fornax. Læti fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimus tunc fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.
Inque foro multa circumpendente tabella
Signatur certa Curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia nescit:
Sed facit extrema sacra relicta die.

v. Fam. Nardini Roma Vetus lib. 2. cap. 1. ap. Grævium tit. IV. pag. 949. Pitiscus tit. 1. fol. 775. Rosinus lib. 4. cap. 6. pag. 155. Dalechampius ad Plin. XVIII. 2. n. d. pag. 808. Lipenius c. l. cap. 4. §. 76. 229. qui has Stultorum Quirinales ferias cum Feriis stultorum monasticis comparat, exque illis harum originem derivat. Hoc nempe Pontificium stultorum festum, quod in Kalend. Jannuar. & festum Circumcisionis incidebat, tu a Subdiaconis robustis juvenibus celebrabatur, ideo Stultorum festum vocatum, quod certum tempus non habeat, utpote quod a quibusdam in Circumcisione, ab aliis in Epiphania perficiebatur. Audiatur Durandus *lib. 6. 6. 15. num. 16.* ita rem exponens: „ In quibusdam „ Ecclesiis Subdiaconi fortes & Juvenes „ faciunt hodie festum ad significandum, „ quod in octava resurgentium, quæ significatur per octavum diem, qua circumcisio fiebat, nulla erit debilis ætas, „ senectus, non senium, non impotens „ pueritia, sed omnes concurremus in „ virum perfectum, 1. Cor. XVI. *Judicium, quod annectit Lipenius* §. 74. „ *pab.* 227. *apponi meretor*: Istud autem, „ *inquit*, tripudium potius Monasticum, „ aut Libertas Decembrica quam festum „ fuisset appellandum, utpote quo quatuor Clericorum ordines videbantur de „ tripudiorum & jubilorum prerogativa „ certare. Nam (α) Diaconi in die Natalis Domini vesperis finitis in honorem beati Stephani, qui eximius Diaconus fuit, in tripudio convenientes, „ cantant Antiphonam de S. Stephano „ & Sacerdos collectam. Nocturnos autem & officium in crastinum celebrant, „ & benedictiones super lectiones dant: „ quod tamen facere non debent. Eodem modo (β) faciunt Sacerdotes in „ festo S. Stephani in vesperis in honorem S. Johannis; quia ipse Sacerdos „ fuit, & (γ) pueri in ipso S. Johannis „ festo, in honorem Innocentium. Subdiaconi vero (δ) faciunt festum in quibusdam Ecclesiis in festo circumcisionis aut in Epiphania, aut in octava „ Epiphaniæ." Abrogatum fuit hoc Stultorum festum in Gallia An. 1212. prohibitis comessationibus, earundemque in locum surrogatis jejuniis, ceu videre est ap. Carolum du Fresne Glossar. P. 2. pag. 183. & Nitzschium Ephemerid. erudit.

dit. tit. III. pag. 114. Pluribus de his egit Dn. D. Christian Gotthuiff Blumbergius, parens pie devenerandus, in Abbildung des Kalandes cap. 1. §. 2. pag. 4. §. 3. pag. 6. seqq.

VII. His si addendum aliquid foret, admiscerem quædam de Festo Pistorum, quod nonnulli Pontificii quotannis celebrare solent; de quo in Relat. du Voyage d' Espagne tom. III. lettr. XI. pag. 56. seq. sequentia occurrere deprehendi: „ Nous vimes une grande illumination „ le long de l' allée, & en meme tems „ il parut 60. Cardinaux montez sur „ des mules, avec leurs habits & leur „ chapeaux rouges. Le Pape vint ensui- „ te, on le portoit sur une machine en- „ touree de grands tapis de pied; il „ etoic sous un dais assis dans un fau- „ teuil, la Thiare & les Clefs de S. „ Pierre sur un carreau, avec un beni- „ tier plein d' eau de fleurs d' orange „ qu' il jettoit a tout le monde. La „ cavalcade marchoit gravement; quand „ ils furent arrivez aut bout du Prado, „ Messieurs les Cardinaux commencerent „ a faire mil tours de souplesse pour „ rejouir sa Sainteté: les uns jettoient „ leurs chapeaux par dessus les arbres, „ & chacun se trouvoit assez juste des- „ sous pourque son chapeau lui retom- „ bat sur la teste; les autres se met- „ toient debout sur la selle de leurs mu- „ les, & les faisoient courir tant qu' el- „ les pouvoient. Il y avoit un grand „ concours de peuple qui faisoit le cor- „ tege. Nous apprimes que c' etoit la fe- „ ste des Boulangers, & que tous les „ ans ils avoient accoutumé de faire cet- „ te belle ceremonie.

VIII. Mittimus Asinos una cum Stultorum & Pistorum festo, quod Stultis pistoribusque relinquimus. Ad servos potius progredimur in pistrino laborantes, quibus nec otia denegavit *Deus*. Namque & his statis temporibus feriari licuit. Calendæ inprimis Januariæ servis faventiores libertatem concedebant. *Primus enim Januarii dies totus in publicam Urbis lætitiam resolutus erat. Nam ita conveniebat id solenni Urbicorum Magistratuum initione: imo & in* Ergastulorum *ac servorum emancipatione ita conveniebat*; annotant Lipenio c. l. cap. 2. §. 28. pag. 29. Ammianus certe lib. 22. docet, Mamertino Consule Kal. Jan. ludos edente, manumittendos ex more inductos esse per admissionum proximum. Claudianus quoque in Honorii Consul.

—— desuetaque cingit
Regius auratis fora fascibus Ulpia (quæ Ulpius Trajanus variis modis ornaverit) *lictor*.

Idem de Eutrop. Conf.

—— Libertatemque daturus
Quemadmodum meruit, scandit sublime tribunal.

Tandem & Sidon. de Antonino Aug. Cos.

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.
Perge Pater Patriæ felix atque omine fausto,
Captivos vincture novos, absolve vetustos.

IX. Præterea Græcos penes servis ferias indulgebant Ἀνθεστήρια, quo festo peracto finitoque iterum ad opus servi protrudebantur cum hoc dicto: Θύραζε Κᾶρες, οὐκ' ἔτ' ἐστ' Ἀνθεστήρια, *Facessite Cares, non amplius sunt Anthesteria*, Es ist nicht immer Kirch. Weih. vid. Joh. Jonstonus de Fest. Græc. tit. 1. cap. 3. pag. 59. Joh. Fasoldus Hierolog. dec. 4. fest. 2. §. 19. pag. 153. Joh. Mich. Dilherrus de Us. Lect. Scriptor. Secular. ad. 2. Macc. VI. 7. in med. Lubet hac occasione inquirere, an festis diebus pistrinum exercere molereque & olim licuerit, & liceat hodie? Equidem dierum Deo consecratorum sanctitatem, inque iis servandam ab operibus ordinariis abstinentiam, ne cultus Numini debitus impediatur, & Judæorum & Christianorum, imo & gentilium tradita suadent, quorum in hac doctrinæ parte mirifice conspirare suffragia, nemo ignorat. Et mirum est, ipsam quasi naturam hanc Deo præstandam religionem injungere, cujus documentum exhibet Sambation fluvius in Palæstina, quasi Sabbathion (*a*) dictus, quem singu-

(*a*) Fluvius ספבטיון vel סבטון ex quorundam opinione nomen habet a שבת quievit, mutato ש in ס & ת in ט ex Arabum more, & a שבת Sabbatho, quod scilicet Sabbathi die moveri desinat. Varia de hoc fluvio circumferuntur Judæorum commenta, v. c. dum negant, sceptrum hodie ab ipsis penitus ablatum esse; fingunt quippe, existere Judæos, quos Rufos dicunt, trans fluvium Sambbation, qui merum adhuc habeant imperium. Quæsiti vero, cur & ipsi loca isthæc non adeant, sceptroque Judaico non fruantur, respondent, sibi non licere propter impetum τῶ Sambbation eo venire. Tandem si objiciatur, die Sabbathi quietum esse fluvium, regerunt: die Sabbathi iter facere sibi non esse concessum. Plura obviant apud Hering. quæst. 44. num. 18. pag. 512.

gulis Sabbathis intermittere cursum suum, suoque exemplo laborum omissionem homines docere referunt. Cum enim sex reliquis diebus semper aquis oppletus fluxerit: solo septimo die exinaniri consueverat atque exsiccabatur; quamvis alii hic dissentiant, fluvium illum Sabbathicum narrantes inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni urbes, septimo quoque die fluxisse, interpositis vero sex diebus a fonte ipso deficientem siccum exhibuisse locum, septimo rursus die similem exortum fuisse. Quam litem aliis componendam relinquimus. v. Josephus lib. 7. bell. Judaic. cap. 24. Saltem Mosaicam si evolvamus legem Exod. XVI. 23. XX. 10. XXXIV. 21. XXXV. 2. 3. Levit. XXIII. 31. Deut. V. 14. Jerem. XVII. 22. festis diebus quotidiana vetari negotia satis convincimur, quorum in numero molituram esse nemo ibit inficias. Proinde vix admiratione dignum, quod veteres in summis festis pistrinum exercere haud permiserint, ceu colligitur ex illo Gregorii Turonensis loco de virtutibus S. Martini lib. 3. cap. 3. & de gloria confess. cap. 107. *Quidam*, inquientis, *non metuens, neque honorans diem sanctum Dominicæ Resurrectionis, accepta annona ad molam, vadit, impositoque tritico molam verteres cœpit*. Unde tales irreligiosos justam Dei vindictam subiisse, exempla sat multa testantur, quorum nonnulla exhibet Melissantes Gelehrt. Historic. num. 8. §. 7. pag. m. 81. Einem Bauers-Mann / der an dem Sonntage jederzeit in die Mühle zu gehen / und zu mahlen pflegte / ist seine Frucht einsmahls in der Mühle zu Asche worden. Einem andern / der am Sonntage Kurn in die Mühle trug / ist seine Scheune dieselbe Nacht mit Korn angegangen und abgebrannt. Patet vero ex his omnibus, si dicendorum compendium faciendum, ordinarios molæ labores festis diebus dominicisque cessare debere, nisi necessitas, sola a legibus immunis, legumque Domina aliud imperet; cujus autoritas his Scripturæ locis Exod. XII. 16. Matth. XII. 1. 3. 10. 11. 12. aliisque nititur. Quodsi enim eveniat, ut v. c. diebus profanis, forsitan ob fractas rotas, aut cessantem ventum, vel ingruens sævum frigus, molere non fuerit integrum, etiam diebus festis molere licere, vix ullus dubitabit; cum non profanis saltem, sed & festis diebus ex ipsius Dominicæ orationis ductu pane egeamus, Sabbathumque propter hominem sit, non homo propter Sabbathum; ac feriis, ut est apud Macrobium, agere liceat, quod prætermissum noceret. Quod ipsi agnovere gentiles, quorum consensum ostendunt illa Virgilii lib. 1. Georg.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & jura sinunt: rivos deducere nulla
Relligio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens
Incusum, aut atræ massam picis urbe reportat.

Et juxta Columellam lib. 2. *Negant Pontifices feriis segetem sepiri debere, nec oves lavari lanarum, sed medicinæ, causa, permittebant autem* far Pinsere v. Hering. quæst. 1. num. 27. 28. pag. 12. num. 29. pag. 13. Kippingius Antiqq. R. lib. 1. cap. 10. §. 2. 3. pag. 227. seqq.

X. Valeat igitur Judæorum severitas, qui dum labores in Sabbathis exantlandos nimium detestantur, eorumque omissionem rigorose urgent, in superstitiosum pariter & carnale otium prolabuntur. Quod angue pejus cavendum recte monuit Augustinus in Ps. 42. *Observa diem Sabbathi non carnaliter, non Judaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim utique tota die foderent, quam tota die saltarent*. Horum vero de traditis ut pauca delibemus, juvat hic ex Tractatu Talmudico מסכת שבת cap. VII. Misch. 1. apponere regulam, quam vocant, magnam (כלל גרול) ex qua operum iu Sabbatho peractorum discrimen, reatusque inde emergens intelligitur. Verba ita fluunt, כל השוכח עיקר שבת ועשה מלאכות הרבה בשבתות הרבה אוני חייב אלא חטאת אחת היורע עיקר שבת ועשה מלאכות הרבה בשבתות הרבה חייב על כל שבת ושבת היורע שהוא שבת ועשה מלאכות הרבה בשבתות הרבה חייב על כל אב מלאכה ומלאכה העושה מלאכות הרבה מעין מלאכה אחת אינו חייב אלא חטאת אחת: *Quicunque obliviscitur fundamentum Sabbathi, & facit opera multa in Sabbathis multis: non est reus nisi peccati unius. Quicunque scit fundamentum Sabbathi, & facit opera multa in Sabbathis multis, reus est de uno quoque Sabbatho. Qui scit, quod sit Sabbathum, & facit opera multa in Sabbathis multis, reus est de omni primario opere. Qui facit opera multa unius speciei operis, non est nisi unius peccati reus.* Opus illud prima-

marium (אב מלאכה patrem operis) cujus verba allegata mentionem faciunt, R. Moses ben Maiemon in פירוש ſive Comment. ad h. l. de molitura exponit, quam inter Principalia opera Judæi referunt. *Exempli loco*, ait per interpretem, *dicitur, quod, quando quis molit triticum ex errore, quod vero principale opus eſt, de principalibus operibus; deinde ſecet lignum ſerra, ad accipiendum ſegmentum ejus; molat etiam fruſtum metalli, ad accipiendum molituram ejus; & hæc omnia in una eademque ignorantia; non ſit reus, niſi unius* (peccati,) *quoniam hoc ſegmentum, & hæc molitura ſunt generationes molentis*. Ut vero apertius innoteſcat, quid per Patres operum ſive principalia opera intelligant Judæi, addam ex citato Tractatu d. l. Miſch. 11. locum clariſſimum אבות מלאכות ארבעים חסר אחת הזורע והחורש והקוצר והמעמר הדש והזורה הבורר הטוחן והמרקד והלש והאופה הגוזז את הצמר המלבנו והמנפצו והצובעו והטווה והמיסך והעושה שתי בתי נירין והאורג שני חוטין והפוצע שני חוטין הקושר והמתיר והתופר שתי תפירות הקורע על מנת לתפור שתי תפירות) הצד צבי השוחטו והמפשיטו המולחו והמעבד את עורו והמוחקו והמחתכו הכותב שתי אותיות והמוחק על מנת לכתוב שתי אותיות הבונה והסותר המכבה והמבעיר המכה בפטיש המוציא מרשות לרשות הרי אלו אבות מלאכות ארבעים חסר אחת: *Patres operam* (ſive principalia opera) *ſunt quadraginta uno minus: Serens, arans, metens, manipulans*, (ſive colligens in manipulos) *triturans, ventilans, purificans, molens, cribrans, pinſens, coquens, tondens lanam, dealbans eam, & excutiens eam, & tingens* (eam) *nens, & ſtamen ſubtegens, & inducens duo* (fila) *in ſpatium filorum, & texens fila duo, & rumpens fila duo, ligans, & ſolvens, & ſuens duas ſuturas, diſſecans eo fine, ut conſuat, venans capream, mactans eam, & decorians eam, ſaliens eam, & parans pellem ejus, & radens eam, & diſcindens eam, ſcribens duas literas, & delens, ut ſcribat duas literas, edificans, & deſtruens, extinguens, & accendens, percutiens malleo, educens rem e poteſtate in poteſtatem* (i. e. e loco privato in locum publicum, & contra.) *Hi ſunt patres operum quadraginta uno minus*. conf. Sebaſt. Schmidi Collectan. Talmudic. lib. 1. pag. m. 17. ſeq. 101. ſeq.

XI. His ſuo loco relictis reliqua nunc, quæ reſtant, feſta enarrabimus, ex quibus memoranda Cerealia, Græcis, Θαλύσια dicta, juxta Euſtathium, ἀπὸ τȣ̃ θάλλω, θαλλύω, θαλύσω, hinc enim θαλύσια, quia, ut denuo omnia revireſcerent, frugum primitias poſt earum comportationem Diis conſecrabant. Quidam Rhetores ἀπὸ τȣ̃ συγκομίζειν a comportando etiam Συγκομιστήρια appellabant. Unde & θαλύσιος ἄρτος vocatur, γινόμενος ἐκ τῆς συγκομιδῆς πρῶτον, *qui ex novis frugibus conficitur primum*, qui & Athenæo lib. 3. θάργηλος audit. Feſtum hoc in honorem Cereris, cæterorumque Deorum poſt collectas fruges, quaſi in gratiarum actionem, ob anni ejus fertilitatem celebrabatur. Scholiaſtes Theocriti ad Idyll. 7. θαλύσια, ἑορτὴ, ἣν ἐτέλȣν τῇ Δήμητρι μετὰ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν. v. Joh. Faſoldus c. l. dec. 5. feſt. 4. §. 1. pag. 174. ſeq. autoreſque ibi allegati. Præterea & Cereri ſacra erant Theſmophoria, haud dubie a molitoribus quoque celebrata. De quo feſto ſic ſcribit Jonſtonus c. l. tit. 2. cap. 3. pag. 96. *Immolabant mullum Æxonicum, qui a myſtis colebatur nec guſtabatur. Hordeum in campo Rhaſio natum ad molas & liba adhibebatur: nihil ex iis foris abjicere licitum*. Conf. Chriſt. Amos Burger in gemino Progamm. de Theſmophor. Schneeberg. 1687. & 1688. edit. 4.

XII. Athenienſes in honorem Theſei, Θήσεια, vel ex aliorum opinione, Θυσεῖα a Deo, qui colebatur, ſic dicta, celebrabant; eoque feſto inter egenos diſtribuebant, dona, ipſis deinde convivia adornantes, in quibus in primis polentam, quæ Μισύλη, aut Ἀθάρα appellabatur, edebant. Sic enim Scholiaſtes Ariſtophanis ad Plutum, qui ibidem hac de re fuſe egit, ſcribit: Ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ (τῶν Θησείων) πάντες προῖκα ἤσθιον ἀθάραν, καὶ ἄλλα τινα. Additque ſtatim: ὁ κοῖλος ἄρτος μισύλη καλεῖται, ἤγȣν ἀθάρα. ἐν γὰρ τοῖς Θησείοις, ἀθάραν ἤσθιον. vid. Faſoldus c. l. dec. 7. feſt. 1. §. 4. pag. 202. ſeq. Tandem & ſacra Eleuſi nia huc refero, feſtum honori Cereris filiam Proſerpinam quærentis dicatum, quo nullum majori cum dignitate & pompa celebravit antiquitas. Scribit enim Iſocrates in Panegyrico, Cererem, cum in Atticam veniſſet, honeſteque & benigne ab incolis accepta fuiſſet, ut referret aliquam gratiam illorum pietati, gemino munere regionem beaſſe, frugibus, & ſacri Eleuſiniis: illis ut vitam ſuſtinerent, his ut de vitæ fine ac omni ævo lætas ſpes haberent, tantarum videlicet ceremoniarum participes. Eo alludit Euripides Hippolyt. Prolog. verſ. 25.

Ἐλθόντα γάρ νιν Πιτθέως ποτ' ἐκ
  δόμων,
Σεμνῶν ἐς ὄψιν καὶ τέλη μυστηρίων
Πανδίονος γῆν.

Nam

Nam cum veniſſet aliquando ex Pittheï domo,
Ad viſendum ſacra Veneranda piorum myſteriorum,
In Pandionis terram.

In his ſacris myſteriorum bajuli erant aſini. Quo propriæ ſpectat adagium ſupra jam allegatum, quod apud Suidam in Lexic. & Ariſt. in βατρ. verſ. 158. occurrit, ὄνος ἄγων μυστήρια. Ubi Scholiaſtes: Τοῖς μυστηρίοις ἐξ ἄστεος εἰς Ἐλευσῖνα διὰ τῶν ὄνων φέρουσι τὰ εἰς τὴν χρείαν. Ὅθεν ἡ παροιμία. Septimo Eleuſiniorum die exhibebatur certamen Eleuſinium, quod erat agon gymnicus, quo hordeum præmii loco victori diſtribuebatur, quod id primum Eleuſine inventum fuerit. Phurnutus: *Molæ dicuntur grana hordei. Eleuſis vero locus, ubi primum repertæ ſunt.* Schol. Pindar. Olymp. IX. 150. *Celebratur illic agon Proſerpinæ & Cereri, qui vocatur Eleuſinia; cujus præmium erat menſura hordei.* An huc reſpexerit ſupra laudatus Plinius XVIII. 7. pag. 821. quando gladiatores hordearios memorat, eruditis diſcutiendum relinquo. conf. A. Gell. lib. XV. 20. Jonſtonus d. l. pag. 98. Pitiſcus T. I. fol. 909. b. Haſæus de Ὀνολατρ. cap. 2. §. 14. pag. 34. Gaſp. Stiblinus in Hippolyt. Eurip. f. m. 205. A. B.

XIII. Non niſi gaudia reſtant, in hoc capite exponenda, quibus in piſtrino molentium levabatur labor. His vero inſerviebat Cantio inprimis molaris, quæ a Piſtoribus ad molam canebatur, dicebaturque μυλωθρὸς & ἐπιμύλιος ᾠδὴ, ad eandem formam, qua canticum, quod Baccho inter premendas uvas cani ſolebat, ᾆσμα ἐπιλήνιον dictum eſt, apud Pollucem lib. IV. cap. VII. & Athenæum Δειπνοσοφ. lib. XVI. quo & digitum intendit Ariſtophanes in Nubibus Act. V. Sc. II.

Ὁ δ' εὐθὺς ὡς ἀρχαῖον εἶν' ἔφασκε τὸ κιθαρίζειν
Ἄδειν τε πίνονθ' ὡσπερεὶ κάχρυς γυναῖκ' ἀλοῦσαν.

At hic continuo dixit, vetuſtum eſſe pulſare citharam,
Et cantare inter bibendum, velut mulierem, quæ molit hordeum.

vid. Henr. Stephan. theſaur. ling. Gr. fol. 988. Imo ipſa Scriptura huc alludere videtur locis illis, in quibus molæ ſilentium ceu nota ingentis miſeriæ triſtitiæque proponitur. Uti enim cantilena illa molaris læta voce edita, gaudii ſignum erat: ita ejuſdem abrogatio, vociſque hujus ſilentium triſtitiam deſignat. Spectat huc Eccleſ. XII. 3. 4. ubi ingraveſcentis ætatis ætatis moleſtiæ Allegorice deſcribuntur, ſimilitudine a molis deſumta. Seneſcente enim homine בשלו הטחנות כי מעטו *ceſſant molitrices, quia* (quoad numerum) *diminuuntur*, h. e. dentes molares partim imminuuntur, partim in mandendo hebetes ac tardi fiunt; *Et clauduntur oſtia in platea*, quo labiorum, quæ cordis quaſi oſtia ſunt, contractio & in loquendo tædium deſignatur, בשפל קול הטחנה *quando humiliatur vox molæ*, os enim ſenum, quod inſtar molæ panariæ eſt, ſonum nonniſi debilem reddit, & ad clamores (quales in molari cantione audiuntur) alta voce edendos inidoneum redditur. Quibuſdam vox illa molæ, molarum ſtridor eſt, unde τὸ הטחנה ἅπαξ λεγόμενον non *molam*, ut Schmidius habet, ſed *molitionem* vertunt, quaſi vox vel ſonus molitionis per hypallagen ſit ſonora molitio; vid. Geierus ad h. l. pag. m. 453. quamvis non deſint, qui eandem vocem non *molitionem* ſed *molitricem* transferunt, ut eo clarius eluceſcat, ad cantica molitricum hic alluſionem fieri. Horum quicquid ſit, certe *vocis* appellatio aptius in homines quam molarum ſtridorem quadrat. Non molæ ipſæ ſed homines in molis laborantes proprie vocem edunt. Hinc recte LXX. ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς τῆς ἀληθούσης, *ob infirmitatem vocis molitricis*, Et Vulgata verſio: *In humilitate vocis molentis*. Quibuſcum conſentit Lutherus: Daß die Stimme der Müllerin leiſe wird. Quidam huc referunt illum ſonum, quo repente ſigno dato & conferto clamore tarda animalia ad alacres diſcurſus excitantur, de quo Apulejus in aſino aur. lib. 9. Imo huc ſpectare videntur כל-בנות השיר *omnes filiæ cantici*, quarum paulo poſt mentio fit. His deſignantur aures ad quaslibet cantiones (hinc & molares) audiendas & dijudicandas obtuſæ. conf. Glaſſius Philol. S. lib. 5. tr. I. cap. 20. pag. 1957. Alter locus Jerem. XXV. 10. legitur, repetiturque Apoc. XVIII. 22. ubi Deus interminatur ſe abrogaturum קול רחים diſerteque ait: καὶ φωνὴ μύλου οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι. Vox illa molæ nonnullis equidem eſt tumultus molarum multarum in magna civitate, ut adeo indicetur tanta terræ vaſtitas, rerumque omnium penuria, ut molæ omnes quieſcant, paniſque adeo omnis & farinæ defectus emergat. Es ſoll nicht mehr eine Mühle gehen / und derſelben Klappern gehöret werden. Dadurch die euſerſte Verwuſtung angedeutet wird. Denn wa keine Mühle iſt / da kan weder

gema-

gemahlen noch gebacken werden / und also auch kein Mensch sein Leben und Auffenthalt haben. Wird demnach kein Mensch mehr allda leben und wohnen / es wird da nichts weder zu beissen / nach zu brocken seyn; interprete Joh. Andrea Lucio in Apocal. fol. 1049. At magis arridet Grotii interpretatio, qui per vocem molæ cantica intelligit puellarum molam trusantium. Propheta quippe in eo est, ut auferendam ab Hierosolymitanis lætitiam prædicat; allegans exempli loco gaudia nuptialia, utpote apud Judæos omnium effusissima. Hinc memoratur vox sponsi & vox sponsæ, a congratulantibus convivis super νεογάμοις edita, & lumen lucernæ. Siquidem penes veteres in nuptialibus festivitatibus, quæ noctu fiebant, faces & tedæ novis conjugibus, frequentique stipantium turbæ præferebantur, ceu videre est Matth. XXV. 1. seq. & apud profanos Scriptores passim. His gaudiis nuptialibus vox molarum apprime convenit. Nec enim dubitandum, quin puellæ molis manuariis assidentes, dum placentas in nuptiale convivium adhibendas parabant, ex rei tam nuptialis quam molitoriæ ritu suaviter cantaverint. Hanc sententiam confirmare videtur Targum, dum pro Hebr. קול רחים ואור נר habet, קל סיעץ רמשבחין בנהור בוצין vocem cœtuum, *cantantium ad lumen lucernæ*; quod & Kimchi adprobat. Nec refragatur nobis Sanctius de mola dulciaria exponens, cui puellæ assideant, fingantque placentas in nuptiale convivium adhibendas, in quo consentientes habet Hebræorum Magistros. Sic enim R. Salomo: *Vox molæ significat convivium fœderis circumcisionis, propterea quod molunt & tundunt aromata in Emplast,um*. Et in Tract. Talmud. Sanhedrin hæc habentur: *Vox molæ, qua molunt condimenta in convivium lætitiæ*. Perapte iterum Lutherus:

Und will heraus nehmen allen frölichen Gesang / die Stimme des Brautigams und der Braut / die Stimme der Mühlen / und Licht der Laterne.

Tandem his addi potest Zeph. I. 11. הילילו ישבי המכתש quod nonnulli de pistrino sive mola exponunt, quamvis aliter alii. Vid. superius dicta ad Cap. III. §. XI. Cæterum conf. Schmidius ad Jer. l. c. Hering. quæst. 2. num. 57. pag. 51. Treunerus cap. 4. §. 4. pag. 25. Stockius Clav. L. S. pag. 470.

XIV. Cantilenam hanc vocabant etiam ἱμαῖον, quod derivant nonnulli a voce ἱμαλὸς, quæ Doriensibus fuit mensuræ genus, & ἱμᾷν, quod significat trahere & haurire, apud Athenæum & Aristotelem. Unde quidam Himæan cantionem aquam haurientibus propriam fuisse scribunt. Callimachus: ἀείδει καὶ πέτις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον. Conjecturam auget, quod eadem ἐπιμύλιος ᾠδὴ dicatur etiam ἐπαντλαῖος & ἐπίνοστος, autore Hesychio; sic enim esset eadem nominis ratio ac τοῦ ἱμαῖος, cum ἱμᾷν sit ἀντλεῖν. Alii derivant ab ἱμαλὶς, quæ vox genium significat, qui molendinis præerat, estque inter cognomina Cereris. Eaedem ratione & ἐπακταῖος vocatur, ab ea, quæ dicitur Poetis ἀκτὴ cerealis seu farina, observante Casaub. lib. 14. in Athen. cap. 3. Horum quicquid sit, pistores ad molas ἱμαῖον cantasse, testantur Aristoph. in Atticis & Callimachus in Hecale. Hinc & Athenæus Δειπνοσοφ. lib. XIV. Καὶ ᾠδῆς δὲ ὀνομασίας καταλέγει ὁ Τρύφων τὰς δε. ἱμαῖος, ἡ ἐπιμύλιος καλουμένη, ἣν παρὰ τὰς ἀλέτους ᾖδον, ἴσως ἀπὸ τῆς ἱμαλίδος. Ἱμαλὶς δ' ἐστὶ παρὰ Δωριεῦσιν ὁ νόστος, καὶ τὰ ἐπίμετρα τῶν ἀλέτων. *Cantionum vero, quæ voce pronunciabantur, genera hæc Tryphon recenset: Himæam, quam & molarem vocant, cantari solitam ab iis, qui in pistrino molunt; ab ἱμαλὶς voce fortasse dictam, quæ Doriensibus significat Deum quendam molarem molitoribus præfectum, nec non auctarium corollariumve mensuræ, quod pistrinariis operis datur*. Et paucis interjectis, Ἀριστοφάνης δ' ἐν Ἀττικαῖς φησὶ λέξεσιν, ἱμαῖος ᾠδὴ μυλωθρῶν. *Aristophanes in Atticis Dictionibus scribit, Himæam cantionem esse molitorum*. Eo alludit Erric. Puteanus in Reliqu. Convivii prisci ap. Grævium tit. XII. pag. 261. *Navitæ*, inquiens, *si trans mare currunt*, Νίγλαρον *suum occinunt, & nauseæ obliviscens delectaris: messores inter operas* ἴουλον *suum, & collaudas: pistores ad molam* ἱμαῖον *suum; & auscultas, atque lucello sæpe provocas ad iterandum. Nos, si honesto carmine inter epulas fruimur, reprehendes? Alius hic locus est, inquies, & sacratior: nec in vili ac servili pistrino sumus &c.* Hac insimul occasione Pittaci injicienda mentio est, quem Ælianus Variar. histor. lib. 7. cap. 4. refert, admodum laudasse μύλην, propterea quod parvo in loco diversis esset potestas ad exercitandum; velut & Clemens Alexandrinus Pædag. lib. III. cap. X. Ἀλλὰ γὰρ, inquit, μικροῦ δεῖν, ἔλαθέν με εἰπεῖν ὁ Πιττακὸς ἐκεῖνος, ὅτι ἤληθεν ὁ Μιτυληναίων βασιλεὺς ἐνεργῷ γυμνασίῳ χρώμενος. *Cæterum oblitus sum propemodum dicere, quod Pittacus ille Rex Mitylenæorum moluit, eo tanquam efficaci utens exercitio*. Et Diogenes Laertius in vita ejus lib. 1. Segm. 81. docet, ipsum ad molas sese exercere solitum; τοῦτο γυμνάσιον, σῖτον ἀλεῖν, ὥς φησι Κλέαρχος ὁ φιλόσοφος. *Huic exercitium fuit molendi tritici,*

ut Clearchus Philosophus testatur. Hinc Plutarchus in convivio septem Sapientum molarem de Pittaco cantilenam exhibet: Ὁ μὲν Θάλης ἐπισκόπτων, εὖ φρονεῖν ἔφη τὸν Ἐπιμενίδην, ὅτι μὴ βούλεται πράγματα ἔχειν ἀλῶν τὰ σιτία, καὶ πέττων ἑαυτῷ, καθάπερ Πιττακός. Ἐγὼ γὰρ (εἶπε) τῆς ξένης ἤκουον ᾀδούσης πρὸς τὴν μύλην ἐν Λέσβῳ γενόμενος, ἄλει μύλη, ἄλει. καὶ γὰρ Πιττακὸς ἀλεῖ μεγάλας Μιτυλήνας βασιλεύων. *Thales jocans, probe facere Epimenidem dixit, qui molendo frumentum coquendoque cibos molestias sibi ipsi facere nollet, quemadmodum Pittacus fecerat. Se enim cum in Lesbum venisset, audivisse hospitam sic cantare ad pistrinum: Mole mola, mole: Nam & Pittacus molit, magnæ Mitylenæ Rex*. Observant nonnulli, ad hanc ipsam cantilenam respicere Ælianum loco supra citato. Cum enim asseruisset, Pittacum laudasse molam addit: Ἦν δ' ἐπι ᾆσμα ἐπιμύλιον οὕτω καλούμενον. *Exstabat autem cantilena quædam, quæ ad molam cantabatur, sic dicta*. Unde relinquitur, veteribus innotuisse canticum aliquod molare, quod dictum fuerit: *Pittacus*; sicut cantio quædam καλύκη nominata, a virgine quadam Calyca, cujus amores delineabat, & alia Ἁρπαλύκη, quia infaustum Harpalyces, quo in Iphicum ardebat, amorem describebat, teste Athenæo. vid. Ægid. Menagius Observat. ad Laertium pag. 48. Pitiscus T. II. fol. 437. a. Lamp. Alardus de Musica Veter. cap. 18. pag. m. 120. seq. Mich. Prætorius Syntagm. Music. T. I. P. 2. memb. 1. cap. 22. pag. m. 311. qui etiam Odam commemorat, quam mulieres, cum pinserent, cantillabant, quæque dicebatur τὸ πτισικὸν vel πτισμός, cujus meminit Phrynichus: *Ego nunc nobis cantabo Ptisticum*; & Nicophron in Mechanicis: *Verum nunc accine nobiscum Ptismum aliquem*. Cæterum de Lithuaniæ incolis, quos agrestem quendam, dum molendina manibus vertunt, concentum edere, memorat Alexander Guagninus, vel quisquis Autor est Sarmatiæ Europææ, in descriptione Lithuaniæ fol. 29. nihil attinet dicere.

XV. Huic veterum molari cantioni non absimilis fere cantio textorum erat, de qua Alardis l. c. pag. 121. scribit: *Erat & texentium telas cantilena αἴλινος a lino appellata ἴουλιος euntium ad lanificia communi nomine cum Messorum cantu: nam ἴουλος cum tenuem & frequentem rem significet: tum spicam, tum lanam potuit significare Ἀμάλλας igitur hordeaceos manipulos divulsos, collectos autem ἰούλους nominabant. Itaque Cereris quoque cognomentum fuit in segete viridi Χλοὴ, in matura ἰούλω* Atque cum hac simul telas texentium cantilena, telam, quam exorsi sumus, orationis perteximus, filoque abrupto, Deo pia laudum cantica deberi agnoscimus, quod laboribus huic opellæ insumtis gratiose adspirare viresque largiri haud dedignatus fuerit. Ei proinde soli sit honor & gloria sine fine.

PE-



PETRI ZORNII DISSERTATIO DE HORTIS OPOBALSAMI

In vinearum morem excultis ad illustrationem Cantici Salomonis *Cap.* I. 14.

I. Vocem *balsamum* Hebraicæ originis esse, sibi persuasit *Martinus* in lexico Philol. & *Aug. Calmetus tom.* I. Dictionaire Historique, Critique, Chronologique, Geographique & Literal de la Bible *pag.* 145. ita ut balsamum sit quasi בעל שמן oleum regis, adeoque summi pretii, quod ob excellentiam omnibus odoribus præfertur. Aliam viam ingreditur *Jo. Drusius* in Comment. in Pentat. *pag.* 156. Observat. *lib.* x. *cap.* 24. persuasus balsamum esse quasi בעל סמים Dominus aromatum diceretur; at enim cum Arabia felix sit balsami natale quasi solum, unde omne balsamum in alias regiones defertur, vide *Petrum Bellonium* in libro II. Itinerar. Observationum cap. 39. *Joh. Euseb. Nierembergum* lib. I. Curiosæ Philos. & in alio opere, cui titulus: Historia Naturæ maxime peregrinæ, *Prosperum Alpinum* in libro de plantis Ægypti cap. 14. & in singulari Dialogo de balsamo, cum ramus opobalsami sit in nummis antiquis Arabiæ symbolum (I) hinc *Joh. Veslingio* teste in Epistola quadam ad *Baldum Baldum* hujus propugnationibus Opobalsami Orientalis pag. 218. subjuncta Arabibus, Ægyptiisque *Dohon Balsan* unguen Balsami dictum, hinc *Abdachim* Medicus Hebræus apud *Prosperum Alpinum* in Dialogo de balsamo pag. *66*. observat antiquorum Medicorum apud Arabes *Balessan* Græcis vocabulum βάλσαμον, Latinis balsamum dedisse, cum illud Arabum Balessan, ut fieri assolet in vocibus peregrinis, a Græcis & Latinis esset corruptum. Mittimus illam de *etymo vocis balsamum* controversiam nec disquirimus, verum ne an falsum sit, quod Judæi tradunt *de unctione Regum apud Hebræos*. Distinguunt illi inter שמן המשחה *oleum unctionis* (quod Exodi xxx. 23. describitur, quod præter *Balthas. Scheidium* in integro tractatu, etiam verbosius exposuit *Johannis Benedictus Carpzovius* in animadversionibus & notis ad *Wilhelmi Schikardi* Jus Re-

Regium Hebræorum pag. *64.* seq.) & inter שמן אפרעמון *unguentum balſami* : illo Reges familiæ Davidis, hoc Reges Iſraelis unctos dicunt, uti videre licet apud *Wilhel. Schickardum* de Jure Regio Hebræorum pag. 78. & *Petrum Cunæum* lib. I. de Republ. Hebræor. cap. 14. ſub fin. Præterea tacemus etiam quæ vel de opobalſamo in nummis veterum Hebræorum conſpicuo (2) vel de fide *Joſephi*, *Plinii*, & *Dioſcoridis*, qui balſamum nonniſi in Judæa creſcere teſtantur (3) dici poterant, interim id longe certiſſimum nuſquam in S. literis ipſum vocabulum balſamum occurrere, ſive antiquum ſive novum codicem perluſtrare malis.

II. Quanquam autem de balſamo, ſi ipſum nomen conſideres, in S. literis altum eſt ſilentium, ſunt tamen multi, qui ſub aliis vocabulis opobalſamum in ſacro codice laudari conjiciunt. In ſuffitu ſacro Exodi XXX. 34. נטף vulgo redditur *gutta* ſcilicet *opobalſami*, ſed *Maimonides* apud *Relandum* in Antiquitatibus S. veter. Hebræorum delineatis part. I. cap. 5. §. II. pag. 35. explicat per ξυλοβάλσαμον, quo Syri teſte *Strabone lib.* XVI. ὡς ἀρώματι χρῶνται, *Bocharto* in Canaan lib. II. cap. 3. pag. 792. נטף eſt νέτωπον, aliis μέτωπον & μετώπιον, *Wedelio* Cent. II. Exercitation. Medico-Philol. Dec. III. Exercit. 4. pag. 41. ſtacte, quaſi dicatur *gutta* & quidem κατ' ἐξοχὴν ex *myrrha*, quia ſecundum *Theophraſtum Ereſium* lib. IX. Hiſt. Pl. cap. 4. τῆς σμύρνης ἡ μὲν ϛακτὴ, ἡ δὲ πλαϛὴ *myrrha alia ſtillatitia*, *fictitia*, & *Dioſcoridem* lib. I. c. 74. flos ſubſtantiæ myrrhæ expreſſæ εὐώδης τε λίαν καὶ πολυτελὴς ἐϛι *perquam moderatus & pretioſus eſt*. Confer *Baldum Baldum*, qui in Opobalſami Orient. propugnationibus pag. 146. recte negat *balſami uſum in thymiamate ſacro veterum Hebræorum*. Ez. XXVII. 5. פנג Pannag LXX. caſiam reddunt, *Hieronymus balſamum*. *Joſephus* filius Gorjon, quem ſequitur *Selomo Jarchi* אפר סמון *opobalſamum*, ſuffragatur *Calmetus* loc. cit. & in commentar. in Ezech. ſed *Baldus Baldus* in Opobalſami Orientalis propugnatione III. pag. 134. dubitat & *Bochartus* in Canaan lib. I. c. I. mavult hic ſequi Zoharem vetuſtum librum in quo apparet לחם פנג eſſe aliquid dulciarii operis. Unde eſt, quod Chaldæus pro *pannag* habet קוליא κολία Græcam vocem, quam interpretatur *Heſychius* τὰ ἐκ μέλιτος τραγάλια (legendum τρωγάλια) *bellaria ex melle*. Porro reſinam Gileadis apud Jerem. VIII. 22. XLVI. II. balſamum fuiſſe multi credunt, aut credi volunt. Reſina Hebræis eſt צרי tſeri, Græce ῥητίνη per metatheſin & צ mutato ins ח ut in Τύρος ex צור Tſor, & Τάνις ex צען Tſoan. Vide *Joh. Friſchmuthum* in diſſertatione de Eliæ Prophetæ nomine ejuſque proſapia §. 19. Quod autem novi interpretes poſt *Kimchium* (4) balſamum reddunt, id nec arridet *Caſtello* in lexico Heptaglotto, nec *Joh. Friſchmutho* loc. cit. uterque enim mavult per צרי intelligi *medicamentum præſtantiſſimum atque ad omnes caſus utiliſſimum*, puta *theriaca* ex variis compoſita, qualia apud *Nicandrum*, *Dioſcoridem* & *Averroem* commendantur. Quod ſi cum *Kimchio* aliiſque *balſamum* velis *ſolum* innui, facile erraveris: etenim illud eſt prorſus ἀνιϛόρητον judicio *Bocharti* part. I. Hierozoici lib. II. cap. 51. pagin. 628. ut de *Johannis Clerici* ſententia, quæ ab illa *Bocharti* ſententia non recedit longius, in præſenti nihil dicam. Vide Commentarium meum in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas & Fragmenta pag. *66.* Conſtat utique ex hiſtoriis, balſamum cis Jordanem creviſſe prope Engadi & Hierichuntem non trans Jordanem in terra Galaad. Proinde צרי terræ Galaad non poteſt eſſe balſamum, cum a valle Jerichuntis terra Galaad plurimum diſtet. Quid? quod in terra Galaad jam erat צרי ævo Jacobi Patriarchæ *Geneſ.* XXXVII. 25. XLIII. II. at balſamum in Judæa notum non fuit ante Salomonis tempora, quibus eo tranſlatum eſt ex Arabia felici a regina Sabæorum, ut docet *Joſephus* antiquit. VIII. 2. Atque inde eſt quod Hiskias 2. Regum XX. 13. oſtendit legatis Babyloniis שמן הטוב id eſt *balſamum*. R. *Levi* ad h. l. *oleum illud eſt* שמן אפרסמון apharſemon, *quod alibi non reperiebatur quam in regno ejus*, *idque in uno ſolum loco* (nempe prope Jericho) *atque id ipſum eſt*, *quod vulgo balſamum appellant*. Verum & hic alii aliter ſentiunt apud *Majorem* in den Unvorgreiflichen Bedencken von Kunſt-und Naturalien-Kammern c. 7. §. 3. Vide tamen *Abarbanelem* infra §. 5.

III. Fac autem in locis illis S. Codicis, quos modo adduximus, magnum eſſe interpretum diſſenſum, eruditis tamen placet, & eſt probabile, in verbis hiſce Cantici Salomonis hortos opobalſami in vinearum morem excultos deſignari. *Hieronymus* de locis: *unde* (ex Engaddi) *& opobalſamum venit*, *quas vineas Engaddi Salomo* (Cant. I. 14.) *nuncupat*. Accinit *Aponius* in Cantic. lib. III. *vineæ Engaddi non vinum*, *ſed balſama gignunt*. Et in eundem librum *Robert. Foliot* Londinenſis Epiſcopus ante annos prope quingentos: *Engaddi planities eſt juxta Jericho*, *in qua conſiſtunt arbores in modum vineæ conſitæ*, *ex quibus dum vulnerantur*,

tur, *fluit balſamum*, *Borchardus* Argentoratenſis Ord. Prædicator. qui vixit circa annum 1283. ut ſcribit *Gerh. Joh. Voſſius lib.* II. de Hiſtoricis Latinis, hæc habet in deſcriptione terræ ſanctæ regionumque finitimarum part. I. cap. 7. §. 39. *ſupra mare mortuum in litore ejus occidentali de Segor*, *Leuca una eſt adſcenſus montis Engadi in quo David latuit* (5) *cum inſidiaretur ei Saul*: *in circuitu ipſius montis & in ipſo vinea balſami conſita erat*. Confer plures autores laudatos a *Baldo Baldo* Medico Romano in Orientalis Opobalſami propugnatione II. pag. 102. ſeq. ut nunc taceam *Bochartum* part. II. Hierozoici lib. V. cap. 9. pag. 724. & Tomum noſtrum II. der Erorterung der dunckelſten Schrifftſtellen des Alt. Teſtam. pag. 883. Tanta autem horum hortorum fama fuit, ut etiam ad ſcriptores profanos permanarit. *Strabo* lib. XVI. pag. 522. de planitie Hierichuntis locutus, addit: *ibi & βασίλειον regia eſt* καὶ τοῦ βαλσάμου παράδεισος *& balſami paradiſus*. Plinius itidem ſuffragatur: *omnibus odoribus præfertur balſamum uni terræ Judææ conceſſum quondam duobus tantum in hortis*, *utroque regio*, *altero jugerum viginti non amplius*, *altero pauciorum*. Vide de hiſce profanorum ſcriptorum teſtimoniis Clar. *Salmaſium* in Exercitationib. Plinianis in *Solinum*, *Humfr. Prideaux* tom. IV. dans l'Hiſtoire des Juifs pag. 238. *Evonymum* perſonatum illum ſcriptorem in diſquiſitione de recenti balſamo pro orientali in urbem advecto pag. 29. ſeq. apud *Joh. Georgium Volcamerum* in opobalſami Orientalis in theriaces confectionem Romæ revocati examine, doctiorumque calculis approbati ſinceritate. Hiſce ita præmiſſis paulo curatius hortos opobalſami Engadenſes in vinearum morem excultos conſiderabimus. Cum enim ipſe Eccleſiaſtes II. 5. dicat: *feci hortos & pomaria*, *& in eis omne genus fructuoſas arbores ſevi*: *feci aquæ ſtagna*, *quibus irrigaretur conſitum nemus arboribus*, cum idem I. Regum IV. 33. *de arboribus* diſſeruiſſe legatur, *a cedro Libani uſque ad hyſopum*, *qui naſcitur in parietinis*, cum *Schuppius* Salomonis Phyſicam, quam ſcripſiſſe dicitur, maximopere deſiderarit, cum denique D. *Major* in den Unvorgreiflichen Bedencken von Kunſt- und Naturalien-Kammern cap. 4. & *Valentini* in præfat. ad Muſeum Muſeorum, Salomonis θαυματοφυλάκιον, φυσιοτεχνοταμεῖον ſive ἐξωτικοθαυματεργηματοταμεῖον pro eo ac decet, vel deſcribant, vel admirentur, nemo nobis facile περιεργίαν objiciet. Ab hœdis autem nomen habet *Engedi vicus* in agro Jerichuntino. (6) qui *Plinio* Engadda, *Ptolemæo* & *Stephano* Engada, ſed Hebræis עין-גדי Engedi dicitur id eſt fons capri, ut in libro nominum recte interpretatur *Hieronymus*. Hoc nomen a ſitu adeptus, ut quidem ſuſpicatur *Bochartus* part. I. Hierozoici lib. II. cap. 52. pag. 632. eſt enim in celſis rupibus, quæ in valles ſubjectas caſum minari videntur, & terrorem tranſeuntibus incutiunt. Confer *Adrichomii* hanc in rem verba apud *Joh. Henr. Hottingerum* in diſſertatione de Geographia terræ Canaan §. 21. p. 270. inſerta ejuſdem Obſervationibus in *Thomæ Goodvvini* Moſen & Aaronem. Itaque fons inde promanans ideo *fons hœdi* vel *capreæ* videtur appellatus, quaſi ſolis capris eſſet pervius. Et pagus ibi conditus fontis nomen retinuit: idem ille pagus 2. Paral. XX. 2. vocatur a tuguriis in palmeto ſitis חצצון-תמר *Chaſaſon-Thamar*: ſaltem pars prior nominis alludit ad Arabum *chuſas*, quod caſas ſonat, ſeu tuguria, poſteriore palmam ſignificari, nemo eſt, qui neſciat. *Circa pagum illum ſcilicet palmetum fuit nobiliſſimum*, *& longe palmeto præſtantior hortus opobalſami*. Ad *balſami culturam* veniamus, neceſſe eſt, de qua ita *Johannes Nardius* in Epiſtola quadam ad *Paulum Zacchiam* & *Baldum Baldum* apud *Volcamerum* loc. cit. pag. 220. *vivit adhuc eximia planta ſub feliciſſimo cœlo non rara*, *ſed frequens*, *nullius culturæ ambitioſa*, *etſi culturam minime reſpuat*. Id vero apprime convenit cum verbis *Abdellæ* Medici Ægyptii apud *Alpinum* in Dialogo de balſamo cap. 2. pag. 67. „ Omnes, *inquit*, prædicti nobiles Turcæ uno ore affirmant, „ prope Mecham & Medinam, in montibus, planis, cultis atque incultis locis innumeras balſami plantas ſponte natas ſpectari, plurimaſque etiam in arenoſis, ſterilibuſque locis, quæ tamen vel nihil, vel minimum ſucci producebant. Multa tamen ſemina ferunt, quorum multa copia ad nos quoque vendenda mittitur: quales ſunt in monte arenoſo apud Bedruniam villam poſito. Nihil hæ atque aliæ in arenoſis ſterilibuſque locis viventes opobalſami ferunt, ideo incolæ eas excerpunt, atque pingui in ſolo inferunt, fœcundiſſimaſque reddere ſtudent. Addunt apud omnes Arabas veterum memoriis conſtare, paſſim in pluribus felicis Arabiæ locis innumeras ſponte naſcentes atque creſcentes balſami plantas perpetuo vixiſſe, nunquamque illa loca iis caruiſſe: non multum tamen temporis eſſe, ex quo plurimi eas colere lucri cauſa cœperunt, cum ſcilicet opobalſami facultas ac vires ad

„ quam

„ quam plurimas Orientis regiones con-„ cesserint. “ Esto autem in valle Hierichuntina (7) frequentem balsami plantam nullius culturæ ambitiosam fuisse, majori tamen cultura opus fuit in oppido Engadis, ad Arabiæ Petrææ fines (8) posito & propter opobalsamum longe celeberrimo. Quando enim *Galenus* lib. 1. de Antidot. cap. 4. ait: *opobalsamum Syriacum, quod a loco, in quo plurimum & optimum provenit, alterum quoque nomen accepit* Sagadinum *quæ dicitur, cunctis aliis melius, quæ in Palæstinæ prædiis colliguntur*, hoc ipsum *opobalsamum Sagadinum* de *vinearum Engaddi opobalsamo* intelligit *Baldus* in propugnationibus suis pag. 195. Ipsam vero colendi rationem paulo distinctius ex eo colligere licet, quod Salomo *hortos opobalsami Engadenses* appellat *vineas*. Nolim jam disquirere, *unde* vox כרמים *cheramim*, quæ hoc in loco occurrit, *originem suam habeat*: nam judice *Bocharto* in Canaan lib. 1. cap. 37. pag. 714. Arabibus כרמאה *chermath* idem quod Hebræis כרמים *cheramim*, *vineæ*, & secundum *Frid. Strottmannum* in sing. dissertatione ad 1. Reg. XXI. de Achab vineam Nabothi appetente cap. 2. §. 1. radix כרם quia in sacro codice non legitur, apud Hebræos quidem in usu esse desiit, apud Arabes tamen vestigia habet. Quicquid autem ejus rei erit: *hic quidem multo rectius horti opobalsami Engadenses quam vineæ, quæ isthic nunquam fuerunt, intelliguntur*. Appellatur Palæstina regio vinearum & olearum ab ipso Rabsace 2. Reg. XVIII. 32. & cultoribus vinearum atque olearum sui fuere præfecti a Davide constituti 1. Chronic. XXVII. 27. 28. ut nunc taceam vina Ascalonitica, Gazetica & Sareptana etiam a gentibus longe remotis celebrata: sed de *vineis Engadensibus* nullum vel in sacris vel in profanis literis exstat testimonium. Quemadmodum igitur antiqui Judæi Jeremiæ LII. 16. satis commode vinitorum כרמים nomine eos intelligunt, quibus balsami excolendi cura commissa fuit, vide tractatum de Sabbato cap. 2. fol. 26. a. ita nihil absurdi est in Salomonis dictione. *Justinus* lib. XXXVI. 3. *arbores opobalsami in vinearum morem excoluntur*. Solinus cap. 48. Polyhistoris: *cum Judæa potiti sumus, ita loci illi propagati sunt, ut jam nobis latissimi colles sudent balsama. Similes vitibus stirpes habent, malleolis digeruntur, rastris nitescunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus foliis sempiterno adumbrantur*. Plinius lib. XII. c. 25. *balsami arbuscula est viti similior malleolis seri dicitur, nuper vincta ut vitis: & implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis seipsæ sustinent. Tondetur similiter fruticans, & rastris mitescit*. Ex recentioris ævi scriptoribus subjungere juvat *Evonymum* loc. cit. pag. 31. *& hoc est* inquit, *indubitatum, vel fuerit id Dei voluntate, vel cicuratione & diligentissimo cultu, putatione, fossione, rastris, ablaqueatione, utrumque puto, cum cicuratio & putatio & fossio ad nobilitatem succi & fructus plurimum valeant*: addere etiam licebit *Andr. Cæsalpinum* cujus hæc verba sunt in appendice ad libros ejus de plantis & quæstiones Peripateticas, nempe in Epistola dedicat. *Cum soli Judææ datum esset balsamum, ut scribitur, expugnata a Tito & Vespasiano ea regione non periere ejus horti, imo fertiliores Romanis colentibus evaserunt, ut testatur Plinius*. Quid? quod *Abdella* Medicus Ægyptius apud *Alpinum* in Dialogo cap. 3. p. 70. testis est hujus rei omni exceptione major: *fuisse balsami plantam*, inquit, *ramulis fruticosis ac sarmentosis viti similem, dubium quidem non est, ut neque etiam, quemadmodum vites, annis singulis putari, quod sit admodum fruticosa & sarmentosa. Non tamen quod ad folia attinet, viti ea planta est similis, cum foliis referta sit rutæ aliquatenus proximis, præsertim vero extrema tria foliola, quæ in singulis virgæ balsami alis cernuntur, quando ipsa simillima sunt tribus iis foliolis in extremo virgæ alæ rutæ positis, colore excepto*. Nec omittendus erit *Petrus Bellonius* qui libro II. itinerar. observation. cap. 39. paucis multa complectitur: en ejus verba: *balsami frutices* Matareæ (9) *jam recens putati fuerant, sicut soli stipites superessent, qui ramulorum rudimenta producebant: ejusdem etenim est balsamum cum vite naturæ, quam singulis annis putare necesse est, alioqui degenerant*. Ceterum si teste *Diodoro Siculo* Arabibus Nabatæis ex balsamo, quod in convalli quadam gignitur, luculentum vectigal accessit, si teste *Plinio* ex frutice balsami etiam post excidium Hierosolymorum a Romanis magis magisque culto, iisdem magnæ sunt fisci accessiones factæ, nullus dubito quin & Salomoni, qui cultorum diligentia maciem soli vincere, aut hortos natura perbonos, multo meliores cultura reddere poterat, opes ex vectigalibus opobalsami Engadensis creverint.

IV. Statim enim vel in ipsa Judæa institores delicatarum mercium extiterunt, ex quo tempore Arabia Felix cum opobalsamo isthuc vitia sua transmiserat.

Marcellus Empiricus:

quod præbet Orontes,

Quod-

Quodque ab Idumæis vectum seplasia
vendunt.

Juvenalis Satyra VIII.

Obvius Assyrio Syrophœnix udus amome
Currit, Idumææ Syrophœnix incola
portæ

Alius *Judaicis condita capsis* dixit de aromatibus loquens apud *Claudium Salmasium* in Epistolis de cruce pag. 615. Neque enim Judæi solum fuerunt talium mercium institores, sed & suo ipsius exemplo docuerunt, quam sit turpe diffluere luxuria & delicate ac molliter vivere. Discipuli quidem sapientum apud veteres Hebræos nolebant *unguenta olere*, quo factum, ut Christi discipuli Matth. XXVI. 8. in malam acciperent partem, cum Christus in cœna ungeretur, (vid. J. H. *Otthonem* in lexico Rabbinico Philologico pag. 672.) sed uti unguenti usus in conviviis suo loco & ordine non poterat vitio verti ulli, vide Psalm. XXIII. 5. Cant. I. 12. ita recte Amosus VI. 6. *Judæos notat, qui phialis vinum potant, præcipuis unguentis delibuti.* De *unguentorum in conviviis usu constat*, vide præter alios *Fulv. Ursinum* in appendice ad *Ciacconium* & *Bynæum* de morte Christi l. I. cap. 3. pag. 252. sed hi ראשית שמנים *præstantissima unguenta* adhibebant, quemadmodum ראשי בשמים *capita aromatum*, id est præstantissima aromata Cant. IV. 14. & Exodi XXX. 23. ראש מר *caput myrrhæ*, τὸ ἄνθος σμύρνης, Ezech. XXVII. 22. בראש כל בשם *capite omnis aromatis*, id est, præstantissimo quoque aromate & Ps. CLXI. 5. שמן ראש *oleum capitis*, id est præstantissimum. Vide *Bochartum* in Canaan lib. 1. cap. 9. pag. 415. Jam vero nihil præstantius erat illo veterum Hebræorum opobalsamo: neque enim *opobalsamum adulteratum*, oleoque vitiatum, aut *opobalsamum ex seminibus balsami* expressum intelligit Amosus, sed *sincerum* illud *opobalsamum*, quod a stipite statim excipitur, cujus odor non minus quam sapor in recentissimo validissimus est, in medio tempore *odor* fit suavior cum thus ac therebinthum redolet cum suaviori tamen odoris fragrantia. Libet adscribere verba *Jo. Veslingii* in Epistola quadam ad *Baldum* ejusdem Propugnationibus subjuncta pag. 171. *Odor, si promissam ipsis suavitatem haud aspiret* (loquitur de ætatis nostræ hominibus) *sciant vel in optimo præcipere veteres, ut sit,* εὔτονον τῇ ὀσμῇ, *odore valens,* ἔυοσμον ἢ εὐῶδες, *qua voce non jucunditatem minus odoris, quam vigorem exprimunt. Redolet vero Terebinthinam etiam pretiosissimum balsamum, quemadmodum & cortex plantæ interior & fructus, quamvis in illo gratior halitus percipiatur.* Sin hæc ratio non placeat, dicemus cum *Rondeletio* (vide hujus tract. de Theriaca magna, cap. de myrrha) *veteres non adeo delicatos fuisse atque nos sumus, & quod nobis male olet ut myrrha, illis bene & suaviter oluisse, quod inde probari potest, quod in suis unguentis ad delicias paratis galbanum admiscebant, quod haud dubie fœtidi est odoris.* Ne vero opobalsamum illico exspiraret, habebant vasa, in quibus optime servaretur. צלחית *Zelochith* (cujus etiam mentio fit 2. Regum II. 20.) a *Barthenora* in Mischnam Celim cap. 30. describitur ita, ut fuerit instar *lagenarum vitrearum* nostrarum, quæ collum oblongum habeant. Vel minores ejusmodi lagenæ, quæ una manu, vel majores erant, quæ duabus manibus portarentur, *in quibus balsamum in palatiis regis fuit asservatum.* Lagenas quoque ejusmodi minores oleo repletas portasse in cavis suis cingulis Hebræos, docet *Dassovius* in dissertat. ad titulum Celim §. 27. Forte huc etiam referas נטיפות apud Esaiam III. 19. vascula opobalsami Romanis gutti (horum formam videre licet apud *Boissardum*, *Causæum* & *Begerum* Tom. III. thes. Brandenb. pag. 395. seq.) Græcis scriptoribus ἀλάβαστρα dicta (10) longitudine fastigiata in pleniorem orbem desinentia, ut non solum naribus odorem haurirent, sed & opobalsamo tanquam fuco & pigmento quodam faciem illinerent, eamque a rugis defenderent. An Psalmo CIV. 15. (11) de istiusmodi opobalsami fuco mentio fiat, disquirere nolim, omitto etiam quæ dicuntur a Judæis de לופת הבשמים *arcula aromatum*, quam tenebatur maritus uxori præbere pro portione dotis ad coœmenda aromata, quibus ad se lavandum uteretur. Vide *Lightfootum* in Horis Hebraicis ad Marci XVI. 5. pag. 648. & *Augustin. Calmetum* qui *eburneas domos*, unde voluptatem percipiebant mulieres Hebrææ Psalmo XLV. 9. de istiusmodi arculis exponere videtur. En ejus verba: *on donne aussi le nom de maison d' yvoire* Ps. XLV. 9. *a certains coffres composes de plaques d' yvoire, ou l' on conservoit les habits præcieux & les bijoux.* Confer etiam Tom. I. Bibliothecæ nostræ antiquar. & exeget. pag. 548. Quicquid autem ejus est, *fucum* in virginibus Hebræis notat Deus apud Esaiam III. 24. *loco aromatis tabem, & pro pulcritudine cutem adustam redditurus.* Et quemadmodum *Theod. Dassovius* in dissertat. ad Titulum Celim

§. 32.

§. 32. balnea veterum Hebræorum, ita & in balneis eundem fucum hunc in modum describit *Alpinus* in libro de plantis Ægypti cap. XIV. pag. 24. A. „ ut mulieres faciei cutem dum juvenes sunt, „ perpetuo conservare possint, opobalsami usum in hunc modum sequuntur. „ Balsamanda enim mulier (ut sic loquar) in balneum calidum in primis „ moratur, quousque multum incaluerit, „ quo tempore cutem opobalsamo multoties copiose illinit, a qua linitione „ per horam & amplius in balneo valde „ calido, quousque recte cutis opobalsamo imbibatur & arescat, morata, balneum egreditur, solitaque munia exercet, permanetque sic, facie atque pectore opobalsamo inuncta per tres ad „ minus dies, in quibus nunquam peruncta cutim abluit, vel mundat: „ ac tertia die ad inunctionem rursum „ in balneum eodem jam dicto modo se „ confert, faciemque ac pectus valde calefactum copioso opobalsamo multoties „ perungit: aliquæ sunt, quæ vel decies „ una die cutem inungunt, observantes „ commodum intervallum, quo recte cutis peruncta totum opobalsamum imbibat atque paululum arescat, ut promtius succum intimius haurire queat. „ Quam opobalsami unctionem hoc modo præstitam multoties moliuntur, saltem diebus triginta, in quibus cutem „ nunquam lavant vel mundant, a quibus quindecim & etiam amplius, sic „ cute opobalsamo inuncta quiescunt, „ quousque nihil liquoris ostendat, probeque ab eo siccata fuerit: quo tempore aqua fabarum stillatitia, prius ad „ eas partes præmissa modica olei amigdalarum amararum inunctione se lavant, cutemque multis diebus abstergunt." Cumque de lectis & cubilibus Proverb. VII. 17. (12) de vestibus itidem gratissimos odores redolentibus Cant. IV. 11. (13) & Ps. XLV. 9. fiat mentio, nullus dubitarim, quin lautioris fortunæ homines lectos in tricliniis, vestesque opobalsamo inunxerint, siquidem hac ipsa unctione facta, sincerum opobalsamum a vitiato discernere potuerunt. Nimirum opobalsamum mistum aliquo oleo, aut unguento vitiatum, si in pannum aut linteum instilletur, instar olei inficit, eique perpetuo non modo adhæret, sed quotidie magis in eo recepta macula augetur ac dilatatur: at sincerum opobalsamum, quanquam paululum panno etiam instillatum inhæreat, neque tamen ut oleum inficit, aut maculam relinquit, sed quotidie decrescit, tandemque recedit, non colorem, sed odoris duntaxat suavitatem relinquens. Veniamus ad funera Hebræorum præsertim illorum, qui majoris dignitatis majorumque opum erant; cum vero in curandis funeribus & pollinctura & combustio honoraria locum obtinuerit, in utraque inter alia aromata & unguenta eximius quoque opobalsami & xylobalsami usus exstitit: opobalsami quidem cum exterius cadavera ungerent, idque largiter, si defuncti id posceret conditio, vide vocem ἀλείφειν Marci XVI. 1. (14) xylobalsami autem, cum ex virgis recentibus balsami eximium itidem opobalsami odorem spirantibus nullo non tempore suffitionem facerent, in primis autem in combustione in solennibus funeris facienda. Neque vero ipsa Judæi corpora cremabant, sed aromata super defunctis inque honorem eorum. Vide 2. Chronic. XVI. 14. XXI. 19. Jerem. XXXIV. 5. Amos VI. 10. & quæ paulo copiosius hanc in rem observavimus Tomo. 1. Bibliothecæ nostræ Antiquariæ & Exegeticæ pag. 20. In Herodis Magni exequiis quingentos famulos aromata attulisse, testatur *Josephus* Antiqu. Jud. lib. XVII. cap. 10. & Halos. lib. 1. cap. 21. cui usui, nisi ut cremarentur? Ita exsertis verbis Chronicon Regum sub templo secundo fol. 94. col. 2. apud *Hermannum Witsium* exercit. XVII. in Symb. Apostol. §. 9. pag. 296. *quinquaginta servorum ejus circumdabant lectum, quisquis instructus thuribulo aureo manu sua, & comburebant ligna aromatica magno numero, omnesque qui lectum cingebant in eam myrrham purissimam injiciebant.* Quid? si ad hunc ritum respexerit Ecclesiastes VII. 2. *melius est*, inquiens, *bonum nomen, quam unguenta pretiosa*, quod non nemo censet apud *Jo. Mich. Dilberrum* Tom. 1. disputat. Acad. pag. 119. Adfine est, quod Pagani faciebant, qui vel odores in rogum conjiciebant, uti copiose ostendit *Jo. Kirchmannus* de funerib. Romanor. lib. III. cap. 5. vel cineres mortuorum opobalsamo conspergebant (15) vel sepulcra denique ipsa floribus ornabant. (16) Sed ad opobalsamum revertimur, & mulierum Hebraicarum luxuriam notare pergimus. Quod si enim consideres multarum virginum apud Hebræos maximam dotem (17) si cum *Isaaco Abarbanele* (18) Ecclesiast. VII. 2. & in aliis Scripturæ locis שמן טוב oleum bonum de oleo, quod variis aromatibus conditum est, intelligere velis, facile etiam credes opobalsami certam portionem istiusmodi unguentis additam esse. Mittimus, quæ de Theriacis Hebræorum supra §. 2. ex *Elia Germano*, *Castello* & *Frischmutho* observavimus.

mus. Indicio nunc fit נרד *nerd* Hebræorum Cant. I. 12. IV. 14. five νάρδος Græcorum, & quidem illa πιστική Marci XIV. 3. (19) cujus unguentum Matth. XXVI. 7. βαρύτιμον, Marci l. c. πολυτελὲς, Johannis XII. 3. πολύτιμον dicitur, tum ob alias causas, quas nunc silentio præterimus, tum ob compositionem ipsam. Geminum ejus unguentum in usu erat: unum ex oleo omphacino, junco odorato, calamo, costo atque nardo, alterum, multo præstantius ex oleo balanino (20) aut omphacino, junco odorato, costo, amomo, nardo, myrrha & balsamo. Utrumque describit *Dioscorides* lib. I. cap. 75. posterius ex eodem *Plinius* lib. XIII. H. N. cap. I. amplificato etiam pretio, ob balsami genuini accessionem, uti ex vero judicat *Georg. Wolffg. Wedelius* Cent. I. Exercitationum Medico-Philol. Dec. IV. exercitat. I. quæ est de unguento Nardino.

V. Et quia *humor balsami in usu medentium*, de hoc quoque dicendi foret locus, dummodo de *veterum Hebræorum medicina* (21) major nobis dicendi suppeteret copia. Autor est *Athenæus* libro 15. priscos Græcos adeo fuisse unguentorum studiosos, ut exploratum haberent, ecquod unguentum cuique membro humani corporis esset accommodatum. Confer *Mercurialem* in lib. de Decorat. cap. 29. & *Baldum* Orientalis opobalsami propugnat. 3. pag. 152. Babyl. Gittin. fol. 69. I. præscribuntur paria medicamenta variis morbis, quæ inter βάλανος quoque, hoc est פיסתקא pistaca, vide *Lightfootum* in horis Hebr. ad Marci XIV. 3. sed & Ezechielis XLVII. 12. ad utramque ripam fluvii (five lacus Asphaltitæ) crescere dicuntur arbores, quarum & fructus esui & folia sint medicinæ, quasi Propheta palmis & frutice opobalsami consitam vallem Hierichuntinam, vel hos ipsos hortos opabalsami Engadenses (22) exserto digito designet. Vide *Campegium Vitringam* in meditationib. ad illum Ezechielis locum & Tomum nostrum II. der Erorterung der dunckelsten Schrifftstellen des Alten Testaments pag. 609. seq. Interim audire lubet *Mich. Bernh. Valentini* in Museo Museorum pag. 403 *vvas die Kraft und Wurcbung des vvahren Orientalischen Balsams anlanget, sovverden demselbigen unbeschreibliche und unvergleichliche Tugenden zugeschrieben, und ist billig vor diejenige Salb in Gilead, deren in Heil. Schrifft gedacht vvird zu halten. Er stærket die Natur und Lebens-Geister, ermuntert alle Sinnen, und erhalt den Leib und dessen Gliedmassen vor Faulnis, vvesvvegen er auch bey der Balsamirung dor Koniglichen Corper und zu den Mumien hauptsæchlich gebrauchet, und innerlich zum Theriac genommen vvorden: vvegen seiner Balsamischen Kraft aber dienet er zur Schvvind-und Lungensucht, langvvierigen Keichen und andern Beschvverungen, heilet auch die Wunden, vvorvon* Schræderus, Lobelius, *und andre vveiter geschen vverden konnen.* Sed forte præstabit testem αὐτόπτου audire *Alpinum* de plantis Ægypti cap. 14. pag. 23. „ nullum „ certe ibi est medicamentum, quo magis ac frequentius gens illa medendo „ utatur, quam opobalsamum, quod quidem illi fere ad omnes morbos ac symptomata adhibent, ad eosque maxime, „ qui vel ex simplici temperie frigida „ & humida, vel a frigidis humidisque „ succis, vel a venenis concitantur: summa cum laude eo utuntur ad omnia „ vulnera, quo mirifice curantur: utuntur etiam ipso ad ulcera sordida, quæ „ eo mundantur atque sanantur. In venenatis & demorsis a serpentibus, atque ictis a scorpionibus tum epotum „ tum illitum maxime juvat. In peste, „ ut ab ejus contagio defendantur, nihil majus habent, quo utilius & tutius utantur, singulis diebus ejus semidrachmam deglutientes. Multasque etiam putridas febres eo epoto illi sanant, largiori ab ipso erumpente sudore. In chronicis febribus a crudis „ frigidisque humoribus, obructionibusque viscerum, nihil utilius ac præstantius experiuntur, quam opobalsami binos scrupulos, vel drachmam per os „ quotidie exhibere, liberat enim valenter viscera ab obstructionibus, caloremque naturalem fovendo, crudos humores concoquit, ac digerit. Hincque „ ejus usus ad omnes frigidos morbos ac „ symptomata, apud eos est frequentissimus. Oculis visum deperditum, atque auribus auditum instillatum restituit, auriumque dolores sanat: Prætera ad convulsos ex humiditate ac frigidate, ad vertiginosos, epilepticos, „ resolutos, trementes, ad tussimque ex „ frigido humore, orthopnæam & omnem spirandi difficultatem, pulmonum „ fluxiones, humiditates, & dolores, ad „ stomachique frigidatem, cruditates, atque ad omnes flatuum molestias, ad „ uteri frigidam humidamque intemperiem, ad præfocationes, dolores, sterilitatem, albos fluores, ad intercerptam urinam ex frigidate, flatu, vel „ lapidibus, ad calculosque in renibus „ valenter frangendos ac abstergendos, „ usus opobalsami est apud omnes illos „ populos notissimus, & ad hæc omnia „ ma-

„ mala præstantissimum illi auxilium experiuntur. --- Atque hæc de viribus opobalsami sint dicta: seminum atque virgarum quoque recentium usus apud illos est familiaris, eis siquidem ad omnia fere, ad quæ opobalsamo, utuntur. -- Succus, semina ac lignum iisdem facultatibus donata sunt, ad eademque usum habent; veruntamen opobalsamum efficacius potest, eoque minus carpobalsamum, omniumque minime xylobalsamum.

VI. *De sensu mystico hortorum opobalsami Engadensium* nunc quidem dicendi relinquitur locus: sed cum dissertatio hæc nostra certis quasi cancellis & limitibus sit circumscripta, ne in longum exeat, hic quidem subsistimus pedemque figimus, tradituri, quod ajunt, lampadem, si quis in hoc sacro studio decurrere cursum voluerit. *Joh. Coccejus*, qui verba Salomonis *non de hortis opobalsami*, sed *de vineis earumque vitibus* accepit, inter *Ecclesiam Christi* & *vineas Salomonis Engadenses* comparationem instituit laudatus a *Frid. Strottmanno* in sing. dissertatione ad 1. Reg. XXI. de Achab vineam Nabothi appetente cap. 2. §. 2. at quanto rectius *hortus opobalsami* & *ecclesiam Christi*, sive ejus culturam, sive omnium bonorum in eadem proventum consideres, liceret conferre & comparare, si id nunc ageretur. Quod enim *Cornel.* a *Lapide* (23) quod *Bellarminus* (24) aliique Scriptores Pontificii, dum *sensum mysticum* eruunt & rimantur, *opobalsamum* volunt esse *sacramenti* quod *confirmationis* appellant, *typum imaginemque*, in eo graviter. Præterquam enim quod Pontificii prudentiores (25) in *opobalsamo Christum* quærunt & *fideles*, cum ipso indissolubili amoris nodo colligatos: etiam *Jacobus Sirmondus* emunctæ naris homo, Pontificios meliora docuit, posteaquam tum in libris Antirrheticis, tum in scriptis *Johanni Vergerio*, qui sub *Petri Aurelii* falso latebat nomine, oppositis, demonstraverat, Ecclesiæ Romanæ de Sacramento Confirmationis doctrinam esse veluti confusum, varium, multiplicemque ineptissimam opinionum cinnum. Confer omnino *Christianum Kortholtum* in disquisitione Anti-Baroniana IV. de confirmationis quod Pontificii vocant, sacramento &, quem primo loco nominare debebam, *Salomonem Deylingium* (26) De *sacro Græcæ Ecclesiæ Chrismate* (27) ejusque ritu, sitne idem qui Ecclesiæ Latinæ an diversus (28) olim nunc disquirere, cum ad finem festinet dissertatio.

NOTÆ.

(1) Huc referas verba *Jo. Bapt. Ottii* in Epist. de nummis Samaritanis pag. 55. *ramus opobalsami*, inquit, *Arabiæ symbolum, quod ex* Vespasiani & Titi *nummis notius est, quam ut moneri debeat*: at forte erunt, qui *Ottii* sententiam impugnaverint; nam apud *Laurentium Begerum* in continuatione thesauri Brandenburgici pag. 648. in numismate quodam Trajani *Arabia Adquisita* jactatur muliere stolata sinistra *calamum odoratum*, ut volunt, tenente, dextra autem *ramum thuriferum* præferente cum adstante, qui *Arabiæ symbolum* est, camelo. Nescio an huc quoque referam nummos, in quibus *Aretas* Rex Arabum, & *Bacchius* Judæus Arabiæ & ipse regulus superati exprimuntur, supplicum ritu dextro genu nixi *camelos tenentes*, & *olivæ ramum* paci impetrandæ dextra præ-tendentes. Vide *Fulvium Ursinum* in famil. Rom. p. 200. *Laur. Begerum* in continuat. thes. Brandenb. pag. 531. 572. & *Marq. Freherum* in dissertatione de numismate census. Denique alii forte malint Arabum *Kostaron*, sive certam radicis aromaticæ speciem, hoc est, *costum* intelligi, apud Jobum XLII. 11. קשיטה dictam. Audiamus *Joh. Abrah. Kromayerum* in libellis duobus de linguæ Arabicæ in addiscenda Hebræa & explicanda Scriptura S. pag. 227. *Primo enim*, inquit, *distincta apud Jobum fit auri mentio, quod pecuniæ loco esse potuit, ut non opus sit nummum* (per קשיטה hunc intelligit *Bochartus* Hierozoici P. II. lib. II. cap. 43. pag. 433.) *intelligere. Deinde indubium est, Orientales aromata dono invicem dedisse, vid.* Genes. XLIII. 11. 11. & 1. Reg. X. 10. *ubi de regina Arabiæ dicitur*: dedit Regi aromata multa valde. Non venit sicut aroma hoc amplius quoad multitudinem. *Conf.* Matth. II. 11. *ubi vulgo sic dicti Persarum magi Jesulum auro & aromatibus donarunt. Obtulerunt igitur etiam amici & cognati Jobi aroma & aurum, ut illo emaciatum corpus reficerent, costum enim odoris eximii esse, testis est* Plinius lib. XII. cap. 12. *hoc vero indigentiam ejus & inopiam levarent. Saltem igitur ab hoc loco significationem illam alienam non esse puto, ubi mores Arabum respiciendi.*

(2) In semisiclo quodam æreo *Villalpandus* scripturam unius lateris legit & interpretatur *tempus circumcisionis*, alterius *ejus pinguendo*. Refert porro ejus nummi natales in tempus secundæ circumcisionis, qua de agitur Josuæ cap. 5. idque conjicit ex radice balsami, quam nummus refert. *Balsamum enim non ferro sed lapide incidi ut stillet, unde ejus fruticem pro circumcisionis symbolo videri positam*. At vero balsami planta Salomone demum rege ex Arabia in Palæstinam fuit translata nec radix balsami, sed frutex fert opobalsamum. Confer plura de hoc semisiclo *Herm. Conringium* in Paradoxis de nummis Hebræorum cap. IX. pag. 83. *Joh. Hottingerum* de Cippis & nummis Hebræorum pag. 129. 130. primæ, item pag. 42. & seq. secundæ editionis.

(3) Horum fidem tuetur adversus *Alpinum* & *Bellonium Hadr. Relandus* in Palæstina pag. 383. Cni adde *Aldrichium* in notis ad *Josephi* de B. J. *lib. 1. cap. 6. §. 6.*

(4) In libro radicum: צרי *est* נטף *gutta, cujus meminit scriptura inter suffitus odoramenta*. Pergit: *& sic in sermone Doctorum nostrorum laudatæ memoriæ Rabban Simeon, filius Gamalielis ait, τὸ Zeri nihil aliud est, quam gutta ex arbore resinæ promanans, quam signant, & inde egreditur resina, quæ lingua barbara appellatur balsamum*. Ad quæ verba *R. Elias Germanus* in suis animadversionibus ad librum Radicum scribit: *fieri illud solet ex* LXXII. *ingredientibus, &*

& Josephus scripsit, esse fructum aut pinguedinem, quæ ex arbore egrediatur, quæ ex Jericho veniat.

(5) I. Samuelis XXIV. I. confer *Joh. Lightfootum* in Decade Cqorographica Marco præmissa cap. 2. 2. 2. pag. 527.

(6) Hoc si est, fuit Enggadi inter Hierichuntem & lacum Asphalititen, at tabulæ ad latus Asphaltiæ lacus *Engaddi* oppidum adpositum habent, aliæ superius, ut *Adrichomii*, plures inferius & longe infra Hebronem urbem in australi regione Judææ, eaque extrema: ut non sit, quod palmeta cum opobalsamo ad superiora Judææ in agrum Hierichuntinum necessario devocare debeant, quia & in austro talia fuerunt, quorum confusione is error in geographiam inlatus est. Vide *Christophor. Cellarium* Geographiæ antiquæ lib. III. cap. 13. pag. 569. *Joh. Lightfootum* in Centuria Chorographica Matthæo præmissa cap. 6. p. 17. & in Decade Chorographica Marco præmissa cap. 2. §. 2. pag. 527.

(7) Hierichus sive יריחו etiam עיר התמרים urbs palmarum appellatur Judic. I. 16. III. 13. posterioris nominis ratio evidens, quia plurimis palmetis erat consita, sed prioris incertior multo. *Hillerus* a *lunæ nascentis forma* dictam putat, quid si a gratissimo opobalsami odore? nomenque adeo a futuro Hiphil יריח factum, quod non insolens judicio *Joh. Henr. Hottingeri* in dissertatione de Geographia terræ Canaan §. 32. Confer vuterum Judæorum consensum apud *Lightfootum* in Centuria Chorographica Matthæo præmissa cap. 47. pag. 90. Distabat ab Hierosolyma CL. stadiis ab Jordane LX. ut *Josephus* notavit lib. IV. de Bello cap. 27. qui & totum spatium ab Hierosolymis desertum & saxosum dicit; etiam ab Hierichunte ad Asphaltiten lacum æque incultum ac sterile, nihilominus propiora oppido & supra illud quæ sunt, fertilitate & deliciis abundant adeo, ut *Josepho* ibidem judice non erraverit, qui θεῖον εἶναι τὸ χωρίον *divinum illum campum* dixerit: nam φέρει καὶ ὀποβάλσαμον καὶ μυροβάλανον *fert etiam opobalsamum & myrobalanum*, habetque παραδείσους καλλίστους καὶ πυκνοτάτους *paradisos pulcherrimos & densissimos*. Confer de hac regione *Tacitum* lib. V. Hist. cap. 6. *Strabonem* lib. XVI. pag. 522. *Ludov. Capellum* in Historiæ Judaicæ compendio ex *Josepho* contracto ad illustrationem historiæ Evangelicæ N. Testamenti accomodato, *Augustinum Stephanium* Ragusinum postea Episcopum Stagni in libro de perenni cultu terræ S. & de fructuosa ejus peregrinatione, *Brasavolum* in exam. fruct. *pag.* 202. aliosque a nobis laudatos *Tom.* II. der Erorterung der dunckelsten Schrifftstellen des A. *Testam. pag.* 610. Et quia humor balsami, ut ait *Tacitus* loc. cit. in usu medentium est, crediderim Samaritanum illum apud Lucam X. 34. hominis illius, qui Hierosolyma ad Hierichuntem descenderat, atque in latrones inciderat, vulnera ἐλαίῳ hoc est, opobalsamo, vinoque perfusa obligasse.

(8) *Stephano Byzantio* ἐγγάδα κώμη μεγάλη Ἀραβίας πλησίον Σοδόμων; *Engada magnus vicus est Arabiæ, Sodomis vicinus*. Arabia hæc Petræa est, quæ a meridie Judææ erat objecta & conterminata, ad cujus fines fuerunt Sodoma in extrema maris mortui parte: atque ita etiam *Josephus* lib. IV. de Bello cap. 27. Zoara, quæ proxima Sodomis, Arabiæ tribuit. De Asphaltite etiam lacu ait, μέχρι Ζοάρων *usque ad Zoar Arabiæ* extenditur.

(9) Est autem Matarea in Ægypto non longe a Cayro hortus frutice balsami consitus, de quo vide *Alpinum* in Dialogo cap. II. pag. 67. *A.* & in libro de plantis Ægypti cap. 14. pag. 21. *A. Jocostæum* super I. librum *Messue* de oleis, cap. de oleo balsami, *Aurel. Gislen. Busbequium* epist. 4. de rebus Turcic. *Borchardum* in descriptione terræ sanctæ, *Baronium* Tom. I. ad A. C. I. num. 46. pag. 78. *Gabrielem Sionitam* in append. Geographiæ Nubiensis, *Aldrichium* in notis ad *Josephi* de Bello Jud. lib. I. cap. 6. §. 6. pag. 66. Tom. II. Oper. *Josephi*, *Carolum Clusium* lib. X. exoticor. cap. 9. in annot. ad *Monardem* de balsamo pag. 304. *Michaelem Doringium* in libro de Opobalsamo Syriaco, Peruano & Tolutano, *Villamontium* lib. III. peregrin. suar. cap. 13. *Breevium* Parte I. relation. suar. *Bernard. Cæsium* lib. 14. de Mineral. cap. 12. sect. I. uum. 9. *Paulum Jovium* lib. XVII. historiarum sui temporis, ubi agit de bello Selymi adversus Tomumbejum Sultanum Ægypti, *Borchardum* in descriptione terræ S. P. II. cap. 4. *Marianum Sanutum* lib. III. Secret. fidel. Cruci parte 14. *Denbachium* in Hodœporico Jerosolymitano, *Petrum Martyrem* lib. III. legationis Babylonicæ, *Matthiolum* lib. 5. epist. pag. 551. *Marcum Oddum* lib. de Ther. & Mithr. serm. 2. cap. 2. *Horatium Guarguantum* lib. Respons. Var. ad varias ægritud. *Christoph. Furerum* ab *Haimendorf* in suo itinerario Ægypti, Arabiæ, Palæstinæ, Syriæ, aliarumque regionum Orient. ut nunc taceam alios apud *Joh. Lundium* in den Judischen Heiligthumern lib. I. cap. 26. pag. 126. iterumque alios a *Balthasare Bonanno* laudato apud *Volcamerum* p. 61. & *Malletum*, qui in Cosmograph. P. III. p. 32. *hortum illum Matarea*, ut oculis perlustrari possit, æri incidendum curavit, quemadmodum idem fecit *Mich. Bernh. Valentini* in Museo Museorum sive in der vollstandigen Schau-Buhne aller Materialien und Specereyen pag. 402. Tanto autem copiosius hos indicavimus autores, quanto luculentius inde intelligere licet *culturam opobalsami in Salomonis hortis Engadensibus*.

(10) Vide Marci XIV. 3. Est autem nomen Arabicum non tantum quia אלבצרה proxime ad τὸ ἀλάβαστρον accedit, sed etiam quia *Plinio* teste ex Arabicis montibus cædebatur. Proprie alabastrum sive ἀλαβαστρίτης λίθος lapis est candore ac λειότητι insignis, ex quo vasa excavabant & eodem nomine appellabant, postea vero cum e vitro & alia materia confieri cœpissent ejusmodi vascula, etiam hæc alabastra sunt dicta, prorsus, ut pyxis dicebatur etiam aurea & argentea, teste *Seneca*, quæ tamen κυρίως e buxo fiebat, & nomen e re invenerat. Vide plura hanc in rem apud *Casaubonum* Exercit. XIV. num. 16. p. 301. *Joh. Mich. Dilherrum* Tom. I. disputat. Academ. p. 401. seq. *Cornelium Adami* in Observationib. theologico-philol. pag. 169. *Anton. Bynæum* lib. I. de morte Christi cap. 3. pag. 206. *Jac. Perizonium* ad Æliani XII. 17. *Salmasium* ad Solinum, *VVedelium* exercitationum Medico-Philol. Cent. I. Dec. IV. exerc. I.

(11) Vulgatus habet: *ut exhilaret faciem in oleo*, quod quidem ut multa alia ex Græco transtulit τῷ ἱλαρῦναι πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ, sed cum in Hebræo legamus hunc in modum להצהיל פנים משמן *ut nitidam reddat faciem magis quam oleum est*: non satis commode hæc verba huc pertrahi observavit *Joh. Drusius* lib. III. observationum, suffragante *Joh. Mich. Dilherro* Tom. I. disput. Acad. pag. 405.

(12) Vide Tomum I. Biblioth. nostræ antiquar. & exeget. pag. 547.

(13) Confer *Bajerum* in dissertatione de odore vestium Esavi §. 12.

(14) *Georg. Wolffg. Wedelius* Exercitationum Medico-Philol. Centuria I. Dec. V. exercitatione VII. quæ est de balsamatione corporis Christi, sequentia addit, quæ huc maxime pertinent: *tacemus sine dubio opobalsamum additum, tanquam Judææ proprium, quod* LXX. μύρινος *nomine exprimunt Genes.* XLIII. II. *& miscendi medicum modum, quem curate describit* Hippocrates *& alia. Duo quidem memorantur* Johannis XIX. 39. σμύρνη καὶ ἀλόη *myrrha & aloe, sed duo nominantur tanquam basis, ut loquuntur medicorum filii, seu ingredientia præcipua, eaque affinia & symbolica huic scopo aptissima*. Ceterum præter *Adolfi Sauberti* dissertationem de unctura sepulcrali Christi, exstat etiam *Christ. Faselti* dissertatio ejusdem argumenti.

(15) Ut enim Paganis animæ defunctorum sive umbræ credebantur vivere, ita & multis rebus credebantur delectari non minus quam in vita: atque inde est quod in vasculis sive phialis opobalsamum quoque apponebant. In inscriptione quadam apud *Gruterum* pag. 692. num. 10. filium mater *Lacrimis & Opobalsamo Udum* sepulcro condidisse memoratur. *Ausonius* in Epitaph. carm. 36.

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo.
Hospes, & adde rosis balsama *puniceis*.

(16) Confer. *Jac. Ouzelium* ad *Minucium Felicem* pag. 64. seq. *Kirchmannum* de fun. Rom. IV. 3. *Hieronymum Magium* Miscellaneor. II. 17. *Paschalium* de Coronis IV. 5. *Samuel. Pitiscum* ad *Svetonii* Augustum cap. 18.

(17) En locupletissimam Hierosolymitanam, filiam Nicodemi, in cujus nuptialibus tabulis scriptum erat: millena millia denariorum aureorum e domo patris sui, præter eos, qui e domo soceri sui. Sapientes igitur voluerunt, ut maritus ejus pro proportione tantæ do-

dotis pro arca aromatum קופת הבשמים quadringentos aureos in unum quemque diem daret. Vide Babyl. Chetubh. fol. *66.* 2. apud Joh. *Lightfootum* in Horis Hebraicis ad Marci XIV. 5.

(18) In Commentariis ad cap. 30. Exodi, sectione תשא apud *Simeonem* de *Muis* in Variis Sacris p. 449. Tom. VII. Criticor. Anglor.

(19) Non una fuit ratio *unguentum nardinum adulterandi*, uti ex veterum scriptorum locis satis superque constat. Hinc *νάρδος πιστικὴ παραγωγικῶς* dicta est pro *πιστὴ*, hoc est, *pura* & *sincera*, *minime adulterata*, quæ Græce *δόκιμος*, *ἄδολος* dici possit, uti *πιστικὸν βάλσαμον* legis in literis Emanuelis Imper. ad Fridericum Imperatorem. Vide plura apud *Isaacum Casaubonum* exercit. XIV. adv. *Baronium* num. 13. *Ludovic. Capellum* in Spicilegio ad Marci XIV. 3. Wedelium Cent. I. Exercitationum Medico-Philol. Dec. IV. exercit. I. *Victorinum Strigelium* in hypomnematibus in libros N. T. *Bynæum* de morte Christi l. I. cap. 3. pag. 239. ut nunc taceam *Balthasaris Otthonis* & *Godefr. Eckhardi* singulares de Nardo Pistica dissertationes.

(20) *Lightfooto* loc. cit. *νάρδος πιστικὴ* est *Nardinum balaninum*, ita, ut cum illa vox Hebræorum נרד hæc Syrorum פיסתקא referat, *unguentum balaninum* intelligatur, in cujus confectione primas partes obtinuerit *Nardus* & פיסתקא *balanus* sive *myrobalanum*.

(21) Fiet id tamen suo loco & tempore, uti Deo visum erit, nunc quæ *ad medicinam veterum Hebræorum* in præsenti argumento spectant, paucis dabimus. Marci VI. 13. de Apostolis a Christo emissis hoc legimus: *ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀρρώστους*. Nimirum apud Judæos *unctio* pertinebat ad artem Medicam, (vide J. H. *Othonem* in lexico Rabbinico Philologico pag. 11. & *670.*) quamvis autem hæc ad valetudinem restituendam non semper fuit salutaris, ita quidem ut inde vis divina appareat. Confer *Joh. Andreæ Smidii* dissertationem de curatione morborum per oleum sanctum, & quæ observavimus Tomo I. Opuscular. nostror. sacror. pag. 338.

(22) Etiam *Jacobus Calvertus* in Napthali lib. V. pag. 179. apud *Ezechielem arbores palmiferas & balsamiferas*, ut nunc cum eodem loquar, intelligit, sed ad torrentem Cedronem ponit. Vide *Calverti* verba a nobis relata Tomo I. der Erorterung der dunckelsten Schrifftstellen des A. Test. pag. 243.

(23) In Ecclesiastici cap. XXIV. 20.

(24) In libro singulari de confirmatione edito.

(25) Vide *Baldum Baldum* in Opobalsami Orientalis propugnationibus pag. 133.

(26) In Euchologio Græcorum, in capite, ubi consecratio chrismatis continetur, in enarratione rerum odoratarum, quas Græci in confectione dicti chrismatis usurpant, inter alia & hæc referri videas *ξύλο βαλσάμου λίτρας γ. καρποβαλσάμου λίτρας β. βαλσαμελαίου ὅσον δίδωσιν ἡ εὐπορία* *xylobalsami libras 3. carpobalsami libras 3. balsamelæi quantum haberi potest*.

(27) Is vero in *Cyrillo Hierosolymitano* a corruptelis Pontificiis, quas recentissimus ejus elucidatur *Anton. Augustinus Touttæus* aliique ei affinxerunt, purgato & vindicato pag. 35. hæc observat: causæ Protestantium non obscure favet *Jac. Sirmondus* vir in omni antiquitate Ecclesiastica versatissimus, sodalitatis Ignatianæ sacerdos eruditissimus & Ludovico XIII. Galliæ Regi a confessionibus, in celebri illa controversia cum *Petro Aurelio*, sive quod verum viri nomen fuit, cum *Jog. Vergerio Haurannio* S. Sigirammi Abbate & Doctore Sorbonico, cujus Opera Cleri Gallicani impensis Parisiis *1646.* tribus tomis in folio prodierunt, superiori seculo agitata. Nam *Sirmondus* crimen vitiati Canonis Arausicani qui Tomo I. Concil. *Harduini* f. 1784. exstat ab *Aurelio* objectum, edita de recta emendatione Canonicis Arausicani Epistola, nec non Antirrhetico priori & posteriori, a se non tantum amolitur, sed & passim propugnat, unctionem, quæ nunc in Ecclesia fit in fronte, ad baptismi ceremonias olim pertinuisse, cum Presbyteris, tum etiam Diaconis ipsis ab Episcopis commissam, aliamque fuisse & materiam & formam confirmationis antiquæ, quam hodiernæ. Tantum autem abest, ut a *Sirmondi* sententia ab Ecclesia Romana damnata sit, ut potius hodienum non paucos, in Gallia maxime, ex ipsismet Pontificiis habeat suffragatores, qui *Sirmondo* victoriam ab *Aurelio* reportatam adscripserunt. Quales sunt *Petrus* de *Marca* in notis ad Concilium Claromontanum, quæ habentur in dissertationibus ejus selectis pag. *269.* *Natalis Alexander* in H. E. sect. II. dissert. X. tom. III. f. 434. *Ludov. Ellies du Pin* in N. B. tom. XVII. pag. 204. ubi lite breviter enarrata, suum subjungit judicium his verbis: *les Scavans ont donné l'avantage au P. Sirmond dans cette dispute*. Conferatur Traitè de l'etude des Conciles & de leurs Collections Parisiis Ann. 1724. emissus autore *Salmonio* Doctore ac Bibliothecario Sorbonico part. II. pag. 227.

(28) Confer *Petrum Arcudium* lib. I. cap. 17. de concordia Eccles. Orient. & Occid. in sacramentor. administratione, *Lucam Holstenium* in dissertatione gemina de forma & ministro sacramenti confirmationis apud Græcos.

JOH.

JOH. GEORG. SCHELHORNII

MEMMINGENSIS.

DISSERTATIO DE צלצל דגים *ad Job.* XL. 31.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

I. צלצל דגים *Bocharto est telum piscatorium, nobis cymbalum, cujus sonitu nonnulli pisces delectantur.* II. *De significatu* τȣ̃ צלצל *quædam. Famosior est cymbalum.* צלצל Deut. XXVIII. *locusta, a tinniendo juxta Raschium dicta.* צלצל *Rabbinis turtur, a cymbalo facto nomine.* III. *Cymbala in Phrygia Dindum, in Syria Zinzum forte a* צלצל. *Scriptoribus Talmudicis* צלצל *cymbalum.* IV. *Musica delectantur etiam bruta, ac pisces. Wolfg. Franzii & Macrobii testimonia.* V. *Delphin* φιλομȣσος. VI. *Pisces quomodo ad auguria fuerint allecti?* VII. *Pisces voce hominum allecti. Juxta Martialem, Lucianum, Ciceronem &c.* VIII. *Recentiorum de piscium* φιλομȣσίᾳ *testimonia.* IX. *Deus negat in loco Jobi, Leviathanem hoc vel simili modo allici posse. Bruta quædam tintinnabuli sonum aversantia. Pisces tinnitu instrumentorum Musicorum terrefacti.* X. *Caput implere cymbalo quo sensu dicatur in loco* Job. 9. 10.

I. DEprædicat in hoc capite Deus O. M. divinam suam omnipotentiam ejusque quasi egregia specimina in medium producit Behemoth & Leviathan, quorum ille animal aliquod quadrupes, hic vero grandis stupendusque piscis, quicunque tandem sit. Jobo Deus contra infirmitatem ejus ob oculos sistit, recensendo varia, præprimis autem inquirendo: התמלא בשכות עורו ובצלצל דגים ראשו: quæ verba Sam. Bochartus in Hierozoic. P. II. *lib.* V. *cap.* XVI. *fol.* 773. edit. Francof. sic reddidit: *An implebis pellem ejus missilibus & caput ejus telis piscatoriis?* Summus Vir ibi simul merito castigat Syrum Græcosque Interpretes, neque aliis interpretibus Jobi mentem satis hic fuisse perspectam, innuit. Nescio vero, an is ipse acu rem tetigerit, צלצל per telum piscatorium transferendo; hanc enim ejus vocis notionem exinde saltim probat, quod צלצל pro telo geminatis radicalibus alludat ad Arabicum צאלה quod sagittas explicent Giggeus & Golius. Tutiorem me viam ingressurum arbtror, si famoso, & de quo nemo dubitat, τȣ̃ צלצל significatu retento, Deum præter alia quærere dixerim: num possit Job caput Leviathanis implere cymbalo piscium (id est cujus sonitu nonnulli pisce impense delectari soleant,) ut hoc eum alliciat atque sic irretiat?

II. Non alienum ab hoc loco erit, de notione τȣ̃ צלצל paulo plenius dicere, cum in ista exponenda mirum quantum discrepent interpretes. Comparet equidem plus simplici vice in Fœderis Antiqui Volumine, sed in singulis fere locis alium apud Commentatores varios induit significatus, nunc fiscellæ piscatoriæ, aut teli, alibi cymbali, tandem & umbræ notionem sortita. Equidem ejus πολυσημίαν non prorsus negabo: at prudentis & circumspecti interpretis esse judico, ut semper eum significatum, qui famosior & quasi primarius est, eligat, nisi forte circumstantiæ textus aperte aliud suaserint. Secus enim facienti compluries accidere mihi persuasum est, ut locis Scripturæ alienum inferat sensum, & a mente Spiritus divini aberret. Ego, quod bona cum venia aliorum dixerim, ubique fere cymbali significatum τȣ̃ צלצל convenire puto, quæ licet non unica & constans, ut nonnullis visum fuit, at famosior ejus est notio, Nam Deut. XXVII. 42. quidem alio sensu venit, sed aliis etiam notatur punctis, adeoque non est eadem vox, quamvis R. Sal. Jarchi locustam clamosam ibi innui autumet, quæ a strepera voce sic quasi tinniens dicta sit. Quum vero צלל etiam sit obumbrare, Bocharto verisimilius videtur, hinc locustas sic appellari: quia scilicet solem obumbrant. vid. Hieroz. P. II. lib. IV. cap. I. fol. 446. add. cap. IV. fol. 479. Turturem autem ab Hebræis צלצל nominari, tanquam a cymbalo facto nomine, quia vocem habet tinnulam & obstreperam, idem Vir laudatissimus censet l. c. lib. I. cap. IX. fol. 55.

III. Nostrum, de quo diximus, צלצל in locis 2. Sam. VI. 5. Ps. CL. 5. citra controversiam significatione cymbali guadet, & Chaldaicum צלצלא eodem sensu

ſu venit: quin & loco vexatiſſimo Jeſ. xviii. 1. hæc notio congruere mihi videtur, de quo alio tempore plenius diſſerere in hac Bibliotheca conſtitui. Bochartus in Epiſtola de quæſtione, num Æneas unquam fuerit in Italia? p. 15. auguratur, cymbala in Phrygia eſſe nominata Dindum, ut in Syria Zinzum, quæ voces non adeo multum ab Hebraica צלצל abeunt: ſiquidem notum eſt, נ haud raro cum ל permutari, cujus exempla ſuggerit idem Bochartus in Geogr. S. p. 145. 572. 850. edit. Franc. Sicut & mutationem τῦ צ in ד Syris ac Arabibus uſitatam eſſe pronunciat Joh. Lightfootus in Horis Hebr. & Talm. in iv. Evang. pag. 555. edit. Lipſ. ubi דאלמנותא a צלמון deducendum arbitratur: quanquam de his cum nullo decertare animus ſit. Scriptoribus Talmudicis צלצל eſt æreum inſtumentum & maximi quidem ſoni, de quo locum notabilem ex Gemara Hieroſol. adduxit H. Relandus Diſſert. v. de Nummis Samarit. pag. 215. ſeq. Referunt nempe Judæi inter quotidiana Levitarum inſtrumenta muſica, quæ ſunt נבלים כנורות וצלצל, nablia, cytharæ & cymbalum, maximum ſonum reddidiſſe צלצל, adeoque etiam unum modo fuiſſe. Et præfectus inſtrumentis muſicis Levitarum ab hoc ſolo nomem gerebat ממונה על הצלצל præfectus cymbalo. Alia loca hunc ſignificatum probantia ex priſcis Hebræorum ſcriptis notavit Buxtorfius in Lexico Talmud. conferi quoque poteſt *F. A. Lampe* Vir celeberrimus, de cymbalis veterum in addendis ad pag. 238. Atque ſic nihil videtur cauſæ eſſe, quo minus & hic eam notionem utpote famoſiorem & primariam, retinere liceat, cum hac ratione ſenſus haud incommodus ex loco noſtro elici queat, quod nunc pluribus evincendum nobis erit.

IV. Muſicam ipſa quoque animantia bruta ſonora concentus ſui varietate non raro demulcere, haud noſtro demum tempore naturæ ſcrutatoribus innotuit, ſed & olim eruditum fuit: quod teſtimoniis quibuſdam manifeſtum fiet. De cervis hoc confirmat Clemens Alex. Paedag. lib. ii. cap. iv. fol. 164. τὰς μὲν ἐλάφυς ταῖς συριγξι κηλεῖσθαι παρειλήφαμεν, καὶ ἐπὶ τὰς ποδάγρας, πρὸς τῶν κυνηγῶν θηρευομὲν ἄγεσθαι τῷ μέλει. i. e. *Cervas fiſtulis demulceri accepimus & in laqueos inter venandum cantu duci a vexationibus.* Julii Solini Polyhiſt. cap. xxvi. fol. 156. edit. Vienn. 1520. ubi nonnulla de mira muſicæ vi annotavit Joh. Camers. Plura de his lubens prætereo, cum nunc de piſcibus ſaltim quæſtio ſit: de quibus quædam afferre animus eſt, loci Jobæi illuſtrandi gratia. De Alioſa, quæ Clupea etiam vel Triſſa audit, Ælianum & alios memorare teſtis eſt Wolf. Franzius in Hiſt. S. animal P. iii. cap. iv. quod campanis parvis, cantu & ſtrepitu teſtarum advocetur & capiatur juxta lacum Mareotin. Piſcatores enim in caſulis ſuis ſaltare adhibitis inſtrumentis muſicis: hunc modum ſaltantium ęmulando Alioſam per imprudentiam incidere in expanſa retia. Hinc non abs re Macrobius in Somnium Scipion. lib. ii. cap. iii. *Ecquid mirum, ſi inter homines muſicæ tanta dominatio eſt? cum aves quoque, ut luſciniæ & cygni aliæve id genus, cantum veluti quadam diſciplina artis exerceant, nonnullæ vero vel avos vel terrenæ ſeu aquatiles belluæ, invitante cantu, in retia ſponte decurrant, & aſtoralis fiſtula* (1) *paſtum progreſſis quietem imperet gregibus?*

V. De Delphine produnt hiſtoriæ naturalis ſcriptores, eum valde delectari muſica. Atque hinc citra dubium orta eſt fabula de Arione, inſigni cytharœdo, qui a Delphine per tumidos fluctus maris in regionem Tænarum vectus eſſe traditur, mulcente aures muſica, & navigium ſublevante. *Viſum eſt enim*, ut Petrarchæ verbis utar, *fabulam non admitti, niſi color mendacio quæreretur: gubernaculum, malus, vela, remi deerant, pro his omnibus unius Muſicæ ſuavitas ſubrogata eſt*. Eam ex Herodoto repetiit A. Gellius N. A. lib. xvi. cap. 19. Extat in illam rem elegans epigramma Bianoris lib. 1. Antholog. Græc. cap. xl.

Φῶρες ὅτ' εἰνάλιοι τυρσηνίδος ἀγχόθι δίνης
Φορμικτὰν ἀκάτυ θῆκαν ὑπερβύθιον.
Αὐτίκα μὶν κιθάρῃ λιγυηχεῖ δέξατο δελφὶν
Σύνθρεπτον ἐκ δὲ βυθῦ νήχεθ' ἑλισσόμενος.
Μέχρις ἐπ' Ἰσθμὸν ἔκελσε Κορίνθιον. ἦρα θάλασσα
Ἰχθῦς ἀνθρώπων εἶχε δικαιοτέρυς.

interprete Paulo Stephano:

Non longe audaces Tyrrheno a gurgite nautæ
Per vos in mediis merſus Arion aquis.
Excipit argutam citharamque & Ariona delphin:
Volvitur æquoreis inde natator aquis:
Unde Corinthiacum ſoſpes devenit ad Iſthmum.

Plus

Plus quam homines justo pisce natantur aquæ.

De hoc pisce Plutarchus in de solertia animalium, fol. 984. tom. ii. Opp. *Verisimile quidem est, Deum probare studium musices in delphine: cui etiam Pindarus se comparans incitari se, ait,* delphinis in morem, τὸν μὲ ἀκύμονος ἐκ πόντε πελάγει αὐλῶν ἐκίνησεν ἐρατὸν μέλως, *quem placido e mari suavis excivit tibiæ sonus.* Ne autem existimes, Delphinis φιλομεσίαν solis niti poetarum figmentis, provoco ad nobile par naturæ curiosorum, Plinium & Casp. Schottum. Ille in Hist. nat. lib. ix. cap. viii. asseverat, [*Delphinem non tantum esse hominis amicum animal, verum & musica arte mulceri symphoniæ cantu, & præcipue hydrauli sono.* Ubi tandem nonnullis interjectis: *Quæ faciunt, ait, ut credatur, Arionem quoque cytharœdicæ artis interficere nautis in mari parantibus ad intercipiendos ejus quæstus eblanditum, ut prius caneret cythara, congregatis cantu delphinis cum se jecisset in mare, exceptum ab uno Tænarum in littus pervectum.* (2) Schottus vero in erudito de Magia tractatu propria experientia confirmat, Delphines illas naves, in quibus concentus instituitur musicus, adnatando comitari solere. Quod & sibi in mari Adriatico naviganti, obtigisse commemorat Jac. Locher Philomusus in epistola ad Wolfg. de Tanberg, Fulgentii Mythologiis, August- Vindelic. 1521. in fol. editis, præmissa.

VI. Sed & alii adhuc pisces hujusce fere sunt indolis: Apud Varronem de Re Rust. lib. iii. c. ult. hæc verba invenies. *Sic hi loculatas habent piscinas, ubi dispares disclusos habeant pisces, quos proinde ut sacri sint ac sanctiores, quam illi in Lydia, quos sacrificanti tibi Varre ad tibicinem Græcum gregatim venisse dicebas ad extremum littus atque aram, quod eos capere auderet nemo.* Casp. Peucerus in Commentar. de præcipuis divinationum gener. ubi de ἰχθυομαντέᾳ pag. m. 206. agit, hæc refert: *Non procul a Fossa Dina ad Myras (3) Lyciæ in fonte Apollinis, quem Curium appellant, pisces ter fistula evocati conveniebant, qui si diripiebant objectas escas, lætum erat consultantibus, si caudis abigebant, dirum. Hierapoli Lyciæ in lacu Veneris pisces æditorum parebant vocibus, prodibant, ac veluti sese sistebant vocati, exornabantur auro, scalpebantur adulantium manibus, & in ora biantia admittebant insertas manus:* quod ex Plinii Hist. Nat. lib. xxxii. cap. 11. eum hausisse postmodum vidi.

VII. Nec Musica duntaxat, sed & ipsa hominum voce allectos fuisse pisces quosdam, posterius exemplum, Peucero memoratum, comprobat: cui nunc alia etiam jungere liceat. Mirare mecum, benevole Lector, pisces, qui Domitiano Imperatori in deliciis erant, de quibus Martialis lib. iv. Epigr. 23. ad Piscatorem:

Bajano procul a lacu monemus,
Piscator fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe majus.
Quid quod nomen habent, & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus. (4)

cf. hic Matth. Raderi Comment. ad h. l. fol. 283. qui cum varia in eam rem, præprimis notatu dignissimum piscis cujusdam miraculum ex Petro Martyre de Rebus Oceanicis, attulisset, exclamat: *Ite nunc Plinii, Gellii, Æliani, & de Delphinibus Jasensibus, Bajanis, Tænariis & Corinthiacis porro gloriamini.* Lucianus similiter in de Dea Syra de piscibus: οὗτοι δὲ καὶ ὀνόματα ἔχουσι, καὶ ἔρχονται, δὲ κεκλημένοι, *hi & nomina habent, atque iis vocati adveniunt.* Notandum quoque est, veterum Romanorum luxum eo processisse, ut & pisces summo studio erudiri curaverint, ut adulantium se præberent manibus. Cicero subinde in eos mores invehitur. lib. ii. ad Atticum Epist. 1. scribit: *Nostri autem principes digito se cœlum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.* Idem in Paradoxis: *Reviviscat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit præter ipsos, & videat aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & petractantem, & murenarum copia gloriantem.* Sic L. Crassi murena multorum literis celebrata est, quæ vocem domini audiens, adnatabat, escamque sibi porrectam accipiebat: hinc etiam mortem ejus indignissime tulit Crassus. Audi enim, quæ Macrobius hac de re narrat Saturnal. lib. iii. cap. xv. *Crassus, Vir censorius, cum supra cæteros disertus haberetur, essetque inter clarissimo cives princeps, tamen murænam in piscina domus suæ mortuam, atratus tanquam filiam luxit. Neque id obscurum fuit, quippe collega Domitius in senatu hoc ei quasi deforme crimen objicit: neque id confiteri Crassus erubit, sed ultro etiam (si diis placet) gloriatus est censor, piam affectuosamque, rem fecisse se ja-*

jactans. Nicolaus Leonicus Thomæus de Varia Historia lib III. cap. LXXV. in Eloro Siciliæ fluvio, qui Eloram a se appellatam præterfluit urbem, cicurum genera piscium reperiri scribit, qui Apollodoro teste, & inclamati accedere, & e porrigentis manu placidissime cibum capere consueverunt. Miratus igitur sum, Franciscum Petrarcham, Virum in veterum literis minime hospitem talia fugisse. Is enim Epist. Famil. lib. III. Epist. XXIII. posteaquam de variis belluis avibusque blanditia delinitis suaviter disseruisset, *de piscibus*, ait, *nihil tale (quod meminerim) legi, nisi quod Delphines nescio qua humano generi familiaritate conjunctos ferunt*. Prioribus jam addere libet fabellam, fere dixerim anilem, quæ in libro rarissimo Conformitatum Francisci cum Christo fol. *66*. fac. 2. Col. 2. memoratur. Scilicet ibi pisces concioni, ab Antoniohabitæ, capitibus protensis faciles præbuisse aures, eique nutibus, & quod mireris, clamore applausisse traduntur: ut nimirum scias, non omnes pisces voce destitui. Forte fuerunt ex numero scaphrorum & porcorum fluviatilium, quibus Aristoteles alicubi clamandi facultatem adscribit.

VIII. Sed ut e diverticulo in viam redeamus, addenda nunc erunt & recentiorum quædam de piscium φιλομυσία testimonia. Rondeletius lib. VII. cap. 15. sæpe numero se in Arverniæ oppido Maringuesio ad littus fluvii obambulantem, chelyn pulsando, pisces gregatim ad ripam allectasse perhibet. Idem lib. IV. de piscibus marinis cap. X. scribit: *Non procul ab Ambiano in villa quadam divi Antonii tructa nutritur: quæ vocata ad cibum properat, & de manu capit. Glani & cyprini in vivario ædium nobilissimi Viri a Jarnaco, pulsato pariete ad cibum properant: id quod ipse sum expertus*. Audio in quibusdam vivariis Germaniæ inferioris tintinnabuli sonitu pisces ad cibum vocari (5) In Italia prope Ferraram in Eridano flumine sitam esse insulam Erasmus Francisci in Theatro Curiositat. P. I. pag. 204. narrat, in qua olim vivarium extiterit, cujus pisces sic adsueti, ut nonnisi signo prius per tintinnabula dato, ad cibum capiendum accesserint. Recordor & ipse, me aliquando cum Altorfii literis operam navarem, ex ore Theologi ejus Academiæ celeberrimi accepisse, quod B. Kortholtus Kilonii ei retulerit, in insulæ, quę vulgo Terræ Sanctæ (Heiligenland) nomen obtinet, aliquo sacello asservari campanulam, de qua incolę tradant, haleces, quotiescunque ea pulsata fuerit, capita ex lacu protendisse, atque hac ratione tam celebrem arengarum capturam primo fuisse inventam.

IX. Jam ad locum Jobi citatum revertar. Videtur inibi Deus negare, Leviathanen hoc vel simili modo allici irretirique posse. Sunt enim nonnulla tam terrestria quam aquatilia animantia, quę tintinnabuli aliusve instrumenti sonitum aversantur. De prioribus Strabonis verba notanda sunt lib. XVI. fol. 736. ubi de Troglodytis ex Artemidoro refert: ὁδοι πορῦσι νύκτωρ ἐκ τῶν ἀῤῥένων θρεμμάτων κώδωνας ἐξάψαντες ὡς ἐξίςασθαι τὰ θηρία τῷ ψόφῳ h. e. *Iter noctu peragunt, pecoribus masculis tintinnabula e collo suspendentes, ut feræ sonitu exterreantur*. De posterioribus in promtu est, testimonium Philostrati Senioris, qui in vita Apollonii (*6*) de balænis narrat, Indos navibus grandia appendere in prora ac puppi tintinnabula, ut sonitu terrefactas belluas arceant. Quamvis enim tot mendaciis scateatis auctor, ut difficillimum sit, verum a falso discernere: tamen ea relatio aliquam veri speciem habet, siquidem Arrianus Indic. V. 18. & Strabo lib. XV. perhibent, classicos Alexandri M. belluas quasdam marinas, quæ multum incommodi ipsis excitaverant, tubis exterruisse cf. etiam Curtium lib. X. cap. I. vers. 12. & Freinshemii Observationes in eum locum. Tinnitu quorundam instrumentorum Musicorum terreri etiam Crocodilum, atque sic in fugam verti, sed simul fugiendo in foveam, ejus capturæ destinatam, delabi, memorat testis αὐτόπτης Petrus Martyr cujus verba ex Legationis Babylonicæ Libro III. pag. 448. seq. dabimus. *Est*, inquit, *crocodilorum alia a quadrupedibus in progressu natura: cum enim e Nilo in terra longius proficiscuntur, alia nesciunt regredi via, quam per ea vestigia, quæ in arena venientes reliquerunt: propterea cum descendisse crocodilum incolæ præsentiunt, celeri cursu cum ligonibus & ramorum fascibus accurrunt: in eaque semita fossam profundam effodiunt, ac ramis illam superimpositis arena contegunt, ne rediens crocodilus insidias sentiat: dehinc per vestigia crocodilum quærebant: sic repertum, strepitu & lituorum æneorumque tinnitu in fugam versum insequuntur. Ita in foveam delabentem aut perimunt, aut laqueis irretitum ad urbem portant*. Sufficiant hactenus recensita exempla & testimonia: unum duntaxat adhuc addo, nempe apologum Cyri, Persarum regis, quem coram Jonibus recitavit, notante Herodoto lib. I. Histor. pag. 26. edit. H. Stephani. *Scilicet Cyrus ad eorum postulata per hujus-*

mo-

modi similitudinem atque apologum respondit: Tibicen, inquiens, quidam, ubi pisces in mari conspexisset, canere tibia cœpit, ratus nimirum eos ad cantus suavitatem in terram progressuros: at spe sua frustratus, misso in mare verriculo, ingentem piscium vim complexus est traxitque. Et quum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces; Temperate nunc mihi quæso a saltationibus: quando non libuit vobis me canente saliendo progredi.

X. Sicuti vero in Jobi verbis caput impleri dicitur cymbalo, non eo sensu, ac si quis cymbalo infarciat caput piscis, sed quod sono ejus vel alius instrumenti (Synecdochice enim צלצל hic positum esse mihi persuadeo) aures & caput illius impleat ac delectet: ita Cohel. I. 8. Salomo ait: לא-תמלא אזן משמע ὀ πληρωθήσεται ὖς ἀπὸ ἀκροάσεως. Sed hinc fere enasceretur loci Jobæi sensus, isti, quem supra prosuimus, e diametro contrarius, hic videlicet: Num potes caput Leviathanis implere cymbali sono & satiare? Quæstio autem affirmans negationem illudit: atque sic ingens potius Leviathanis φιλομυστία his verbis indigitaretur. Perinde enim esset, ac si Deus dixisset: לא-תמלא בצלצל דגים ראשי nunquam satiabis eum sono cymbali. Quodsi nobis de amore Leviathanis erga Musicam certo constaret, ego sane huic expositioni haud refragarer. Interim tamen pro ea, quam antea attuli, noto: implere caput idem forte esse, ac delinire, demulcere, delectare aliquem, prout v. g. in nonnullis Scripturæ locis implere cor & animam alicujus aliqua re est, aliquem delectare, alicui voluptatem creare & sic porro. Ego comma nostrum sic redderem Germanice. Kanstu ihn (oder seinen Kopff) einnehmen mit dem Thon eines Musicalischen instruments, wordurch sich unterschiedliche Fische sonsten herben locken lassen? Cæterum lubens fateor, hæc mea ultra conjecturæ sortem non adscendere: & verbis Ciceronis, quibus in fine Oratoris sui utitur, paululum immutatis dissertatiunculam hanc obsigno. Habes meum de loco Jobæo judicium: quod aut sequere, si probaveris: aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum: in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, quod proposui, unquam affirmabo esse verius, quam tuum. Potest enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihi ipsi aliud alias videri.

NOTÆ.

(1) Aristides Orat. XVI. in laudem Smyrnæ, hanc urbem quoque commendat, ex piscium, quibus abundat copia, quos mansuetos factos ad tibiam saltare doceant. T. d. H.

(2) Adde eandem lib. XI. cap. 50. ubi scribit, *Delphinum audire manifestum est, nam & cantu mulcentur, & capiuntur attoniti sono*. Præcipue Delphines esse φιλῳδοὺς καὶ φιλαύλους *delectari cantu & tibiis* ex illa Arionis historia probat Ælianus hist. Anim. lib. XII. cap. 45. ubi & hymnum producit, ab Arione consecratum Neptuno, in quo Δελφῖνες vocantur φιλόμουσοι, i. e. Musicæ amantes. T. d. H.

(3) Hæc hausta sunt ex Æl. Hist. Anim. lib. VIII. cap. 5. & lib. XII. cap. I. T. d. H.

(4) Idem Mart. lib. X. ep. 30.

Piscina Rhombum pascit, & lupas vernas:
Natat ad Magistrum delicata Muræna,
Nomencalator Mugilem citat natum,
Et adesse jussi prodeunt senes Mulli.

Adde memorabilem locum Plinii, ex lib. X. cap. 70. *Pisces quidem auditus nec membra habent, nec foramina, audire tamen eos palam est, ut patet cum plausu congregari feros ad cibum assuetudine in quibusdam vivariis spectetur, & in piscinis Cæsaris genera piscium ad nomen venire, quosdamque singulos*. Ita Ælianus narrat Hist. Anim. lib. XII. cap. I. in Apollinis templo apud Myrenses in Lycia magna cura ali pisces, inter alia de iis scribit. Γνωρίζουσι δὲ καὶ τὴν τοῦ Ἱερέως φωνὴν οἱ ἰχθύες, καὶ ὑπακούσαντες μὲν εὐφραίνουσι τούτους δὲ ὑφ' ὧν κέκληνται. *Pisces cognoscunt Sacerdotis vocem, & cum accesserunt, exhilarant illos, per quos appellati sunt*. Idem lib. XII. cap. 30. varia loca nominat, in quibus pisces mansuefacti, καὶ ὑπακούοντες τῇ κλήσει, alantur; Idem argumentum tractat, integro capite 4. libri octavi. Anonymus autor rerum Asiaticarum memorabilium (Asiatischer denckwürdigkeiten) narrat in regione Indiæ Orientalis *Kachimore* in viridario orbis Achiavel piscinam esse, in qua pisces ingentis magnitudinis annulum aureum in naso gestent cum epigraphe, accersitos autem voce cujusdam, concurrere. T. d. H.

(5) Tale quid de illo, qui in viridario Archiepiscopi Salisburgensis est, ex Ephemeridibus naturæ curiosorum narrat Vir de literis & Ecclesia meritissimus Joh. Cyprianus in Comm. ad Tranc. Hist. anim. pag. 1967. qui & de his rebus conferri meretur p. 1903.

(6) Verba exstant lib. III. cap. 57. Τὸ δὲ φασὶν θυελλώδη τὴν θάλατταν εἶναι πᾶσαν, ἀγκιλάζεσθαι δὲ ἐν αὐτῇ τὰ κήτη, τὰς δὲ ναῦς, ἔρυμα τοῦτο, κωδωνοφόρειν, κατὰ πρύμναν τε καὶ πρῶραν. τὴν δὲ ἠχὼ ἐκπλήττειν τὰ θηρία, καὶ μὴ ἐᾶν ἐμπελάζειν ταῖς ναυσί: Quæ verbis reddo Cornelii *Kiliani* Dufflæi in ejus poematibus.

Navita Erythræum pavidus qui navigat æquor
In proræ & puppis summo resonantia pendet
Tintinabula, eo sonitu prægrandia cete
Balænas, & monstra marina a navibus arcet.
T. d. H

JACOBI HASÆI DISSERTATIO

DE צלצל כנפים ET צלצל דגים

Ad illuſtrationem *Jobi* XL. 31. (vel 26.) & *Jeſaiæ* XVIII. 1.

Qua Phaſelum *ſeu* Navigium *indicari utraque phraſi evincitur*. (1)

CAPUT PRIMUM.

De Græca Alexandrinorum verſione, aliiſque quæ illis adſtipulantur.

ARGUMENTUM.

I. *Græci* צלצל *utroque in loco per* πλοῖον *expoſuerunt. Conſtructio in loco Eſaiæ expoſita.* II. *Alexandrinorum adhærendum eſſe in re dubia.* III. *Iis adſtipulantur* Chaldæus, Arabs. *Quid* ἐχθυόφορα *apud Symmachum? Ellipſis vocum* πλοῖα, νῆες *naves.* IV. *Elegantia Græcæ verſionis.* πλοῖον *de* parvo navigio *&* piſcatorio. *Chaldæi verſio notata.* V. *Symmachi interpretatio expoſita* צלצל *reddens* ἦχος. Jud. VII. 13. Deut. XXVIII. 42. *Græca verſio illuſtrata.* VI. *Recentiores qui* צלצל *de* navi *expoſuerunt.*

I. PRopugnabimus hac diſſertatione ſententiam haud demum heri atque nudius tertius natam verum *antiquiſſimis* temporibus dudum receptiſſimam: Sed qua acerbitate fortunæ neſcio, recentioribus abs interpretibus vili adeo loco habitam, quo, ejus vel commemoratione mentem nauſeabundam avertente, oblivione ſepulta uſque eo eviluerit, ut paſſim ac propalam ſit contemtui. Cenſemus utraque phraſi צלצל דגים & צלצל כנפים cum in Jobi loco XL. 31. tum Eſaiæ XVIII. 1. indicari *navigium* & quidem præcipue *phaſelum*, eandem cum ϭζλζλ vocem, atque hinc ex oriente in Græciam Latiumque vetus propagatam. Et ſane non ſine cauſſa atque rationum ponderibus, quæ legitimi partim vocabuli natales, partim genuinæ Hermeneutices regulæ partim & illuſtriſſimarum verſionum fides, adeo copioſa præbent manu, ut mirum dictu ſit, qui vix extiterit ullus, cui hæc meditari ruſparique placuerit, cum ceteroquin difficillima hæc loca vel ſexcentis vexare interpretationibus volupe fuerit. Veterrimi enim interpretes *Græci*, quos *Alexandrina* quondam alebat civitas, haud aliter de his locis atque noſmetipſi cogitaverunt, utpote quos non altero in loco modo, ſed *utroque* vocem צלצל per πλοῖον *navigium* expoſuiſſe, valde commemorabile eſt. Apud Jobum Hebræa, verba: ובצלצל דגים ראשו eum tranſtulerunt in modum: καὶ ἐν ΠΛΟΙΟΙΣ ἁλιέων τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃ ſcilicet ȣ̉κ ἐνέγκωσι quæ verba ex priore hemiſtichio repetenda ſunt: *Et in Navibus piſcatorum* (haud adferunt) *caput ejus*, ſcilicet *Leviathanis*, de quo ibi ſermo eſt. Jeſaiæ quoque verba הוי ארץ צלצל כנפים אשר מעבר לנהרי כוש: interpretati ſunt. Οὐαὶ γῆς ΠΛΟΙΩΝ πτέρυγες ἐπέκεινα ποταμῶν Αἰθιοπίας. Ita enim in pleriſque Editt. legitur. Complutenſis tamen melius pro πτέρυγες habet πτερύγων. Ut ſenſus ſit, *Væ terræ* Navium *alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ*. Quippe ita cum Hebraica conſtructione melius convenit quam deinceps excutiemus c. v. §. 3. 4. Reddidit Græca minus bene interpres *Væ terræ navium alis*: quaſi πτερύγεσι dandi caſu extaret, cum nominandi tantum adſit vel generandi in editionibus & MSS. Si Complutenſem ſequimur lectionem, ſententiam Græcorum ſimul a *contorta* explicatione liberabimus quam eiſdem adſcribit doctiſſimus in hunc vatem interpretum pag. 514. b. ea de cauſſa quod ȣ̉αὶ non cohæreat cum γῆς, ſed cum πτέρυγες, quia particula ȣ̉αὶ haud *ſecundum* ſed vel *tertium* aut *primum* poſuit caſum, atque ita quidem explicat: Οὐαὶ πτέρυγες (τῶν) πλοίων (τῆς) γῆς *Væ* alis *terræ illius* &c. Quippe pari ex ratione haud cum πτερύγων poſſet conſtitui ȣ̉αὶ. Verum cum principalis ſermo hic non ſit de *alis* ſed de *terra*, cui *væ* illud denuntiatur, hinc οὐαὶ & commode cum γῆς connectitur, atque exemplum hic adeſt & conſtructionis cum caſu *ſecundo* ejuſdem particulæ. Nam apud eoſdem

dem Græcos & rarior eſt ejus conſtructio cum caſu *tertio*, quæ tamen in libris N. T. eſt frequentiſſima v. Luc. VI. 24. & XI. 46. Præterea cum eidem viro ſummo placeat Græcos nomen צלצל *non* expoſuiſſe per πλοῖον, id tamen reapſe ab iis factum eſſe collatio interpretationis cum pari in Jobo reddit manifeſtiſſimum, ubi eadem hujus vocabuli adeſt expoſitio: adeo ut *dubia eſſe* nemini hæc poſſit translatio. Nimirum adeo quidem aliena viro eximio viſa eſt hæc translatio, ut eam ne quidem in mentem venire potuiſſe Græcis crediderit. Et hoc quidem modeſte ſatis, cum alii hanc cachinnis ſibiliſque exceperint interpretationem.

II. Ego vero multoties his ſimilibuſque in rebus miratus ſum, qui fiat, cum *Hebrææ* linguæ, quanta, quanta olim fuerit, fragmenta hodienum *unico* in libro, qui ſacer V. T. codex eſt, ſolummodo reſidua ſint, adeo ut de πολυσημίᾳ vocum, quæ Hebræis vocabulis magno numero adfuit, æque ac in aliis eſſe ſolet linguis, nobis parumper conſtet; tamen perpetuo cuidam notioni, quam alibi videmus dari ejuſmodi vocabulis, firmiter tantopere adhæreamus; atque ſi *Græcos* aliter reddidiſſe videmus, continuo hos, maximos interpretum, erroris inſcitiæque potius accuſatos cupiamus, quam noſtram, admodum pauxillam, & quidem ex *unico* ſuperſtite volumine hauſtam Hebrææ linguæ *veteris* notitiam prætexere, atque in adyta ejus penetrandi ſubſidiorum penuriam, lugere. Quis enim ſibi perſuadeat, illis interpretibus, quibus ante bis mille ſæcula vivendi contigit felicitas, eoque in loco commorandi, ubi *Græcam* literaturam inter *Gentes*, *Hebræam* vero inter *Judæos* illic maximo numero degentes, quotidiano uſu exercitationeque addiſcere potuerunt, & addidiciſſe munus interpretis oſtendit; haud propinquius patuiſſe veteris *Hebrææ* linguæ adyta, ac quidem univerſæ recentiorum eruditorum ſocietati. Eopſe enim tempore *utraque* lingua etiamnum cum *gentibus* tum *Judæis* fuit *vernacula*, & communi exercitatione nativæ vocum ſignificationes nutriebantur. Contra vero, cum toties appareat hos ipſos interpretes, quod negare nemo auſerit, difficillima quæque loca mirifico illuſtraſſe lumine, ſine cujus auxilio fruſtra deſudaſſemus: quid cauſæ eſt, quapropter alio loco eoſdem, quod forte nobis nunc continuo haud rationes eorum expoſitionis pateant foras expellere cupiamus, indicta iis ſæpenumero *negligentiæ*, *ſtultitiæque* in transferendo culpa? Incumbamus potius in id majori ſtudio, ut rationes veteris lectionis variarumque ſignificationum, quibus voces *utriuſque* linguæ ſcatent, nobis apertiores ſint atque memoriæ propinquiores. Quo facto haud dubium erit, quin eadem S. Codicis loca, quæ nunc ob negligentiam græcæ verſionis, Cimmeriæ tenebræ claudunt, aut alieniſſimarum ſub interpretationum gemuntimperio, aliquando in illuſtriſſima luce poſita, contemplari queamus. Tametſi igitur mea in cauſſa nullæ rationes mihi adeſſent, unde conſtaret צלצל in his locis poſſe *navem* indicare: ita tamen erga hos interpretes adfectus ſum, ut illis potius adhibere fidem velim, quam recentioribus ad unum omnibus. Quod eorum, aliunde ſatis in interpretando perſpectæ fidei & eruditioni, haud temerario auſu debeo. Meliori enim nos unquam uti poſſe argumento diffiderem, quam quod ab horum *vetuſtiſſimorum* interpretum *autoritate* petitum eſt. Quanquam plura nobis haud deeſſe præſidia, quibus eorum tueamur explicationem his in locis, ex iis, quæ expoſituri ſumus, dilucidius conſtabit.

III. Commodum igitur hac in re nobis accidit, qui Græcæ verſionis concinnitati defendendæ, ex merito operam inſumimus, ut & aliorum interpretum *veterum adſenſu* nos munire poſſimus, ne ſoli videamur cum illis ſapere velle. Chaldæus Paraphraſtes Eſaiæ locum diſertiſſime de *navibus* explicuit, reddens. *Væ terræ ad quam* בספנין *in* Navibus *advenitur de terra longinqua* &c. Unde haud locum modo & ſententiam prophetæ ſed & æque ut Græcos vocem צלצל per *Naves* ספנין explicuiſſe apparet. De *umbra* enim, quo alii צלצל trahunt, quæ per *naves terræ* incumbunt, nihil in hac expoſitione, utut ab eruditiſſimo viro eidem Græciſque tribuatur, extat vel volæ vel veſtigii. Citat & Græcis ὁμόψηφον interpretem *Arabum* Polus in Criticis. In loco Jobi ignoro interpretem ullum qui Græcorum interpretationi adpoſitus ſit, niſi huc trahas Symmachi expoſitionem, qui bina vocabula צלצל דגים unico reddidit ἰχθυόφορα. Videtut quidem eo vocabulo *retia* intendere, quæ captos *piſces ferunt*, quibuſque piſcatores caput capti Leviathanis haud includere cenſeat; aut *receptaculum* quoddam, quo captos piſces includunt piſcatores. Verum & *naves piſcatoriæ* hac intelligi poſſunt voce, ſeu quæ *piſces adferunt* ex ellipſi ſubſtantivi πλοῖα quemadmodum illud vocabulum in φορτικὰ, φορτηγὰ, ἐφόλκια, *onerariæ*, ὑπηρετικὰ *actuariæ*, λῃστρικὰ *piraticæ*, κατάσκοπα *ſpeculatoriæ*, δίκροτα *biremes* &c. reticetur; uti & vox νῆες in ἐπακτρίδες *piraticæ*, ὁλκάδες *onerariæ*, στρατιώτιδες *militares*,

res, κατάφρακτοι *constratæ*, aliisque similibus. Sic & *navis* subauditur elliptica locutione in *biremis*, *triremis*, *quinqueremis*, *constrata*, *speculatoria*, *lusoria*, *piratica*, *rostrata*, *piscatoria*, *oneraria* aliisque infinitis.

IV. Quandoquidem vero, utrisque in locis צלצל, si quidem *navis* est ut contendimus, *parvulam* seu *cymbam* quandam indicare, argumento est partim, quod hic *navis* ἁλιέων seu scapha piscatoria, illic vero *papyracea* quædam, ut ex *v.* 2. apparet, memoretur, prout postea dilucidius expositur sumus: Commemoranda merito est Græcorum interpretum perspicacia, qui Hebræam vocem haud per νεῶν, qua *majores* indicantur *naves*, sed per πλοίων, qua *minores* vocari solent, transstulerunt. Notionem hanc vocis πλοίου nonnullis Cl. Schefferus de Milit. Nav. lib. II. cap. II. pag. 66. docuit. Sic διφθερινὰ vel δερμάτινα *navigia parva* ex *corio* consuta, *Lusitanis* & *Sabæis* in usu, Straboni sunt πλοῖα lib. III. pag. 155. lib. XVI. pag. 778. & parvulæ, quibus *Ægyptus* abundabat, scaphæ nunquam illi νηὸς sed πλοίου vel πλοιαρίου veniunt nomine lib. XVII. pag. 801. seqq. & alibi. *Cymbulam*, quæ portitoris erat Charontis mox πλοῖον adpellat Aristophanes in Ran. *vers.* 181. & 184. mox πλοιάριον diminutivo *vers.* 139. Suidas ἐπακτροκέλης vocem exponit πλοῖον λῃστρικόν. Erat autem Epactroceles *parvulum navigium* teste Etymologico M. qui per πλοῖα βραχέα interpretatur in ἐπακτροκέλης. Arrianus in Periplo Maris Erythr. p. 15. Ed. Oxon. jungit σχεδίας δερματίνας ἐξ ἀσκῶν *rates pelliceas ex utribus* & πλοῖα *minuta navigia* quibus ex regione Cana thus transferri memorat. Pollux proinde & inter *minora* navigia σκάφας, μονοξύλους κ. τ. λ. ponit πλοῖα lib. I. cap. 9. ne breviora illa πλοῖα referam quæ inventioni Samothracum deberi refert Euseb. lib. I. præp. Evang. cap. 10. Præcipue vero observa ad illustrationem loci apud Jobum, πλοῖον in N. T. multoties sumi de *cymbula piscatoria*. Luc. V. 2. καὶ εἶδε δύο ΠΛΟΙ͂Α ἑστῶτα παρὰ τὴν λίμνην: οἱ δὲ ἉΛΙΕΙ͂Σ ἀποβάντες κ. τ. λ. Confer. vers. 3. 5. 7. Matth. IV. 21. 22. XIII. 2. Marc. I. 19. 20. & passim. Hanc autem Johannes vocat diminutivo πλοιάριον cap. VI. vers. 22. uti tamen & πλοῖον ἀλλὰ πλοῖα vers. 19. 21. 24. Sic & ἰχθυβολῆες πλοίων sunt *piscatores* Callim. H. in Del. vers. 15. Verum uti apud Græcos scriptores, sic & sacros hæc observatio haud perpetui est usus, cum & νῆες nomine *majores* naves complectantur. Act. XXVII. 2. 6. XXVIII. 11. ubi & Alexandrini Esaiæ II. 16. XXIII. 1. LX. 9. 2. Chron. XX. 26. qui tamen voces אני & אניות alias, cum de *magnis* navibus sermo, dilucidius per νῆας extulerunt. 1. Reg. IX. 26. 27. XXII. 49. 50. X. 11. 22. 2. Chron. IX. 21. & cap. XX. 36. editionis Complutensis. Saltem hoc ex Græca versione apparebit, cum צלצל *parvulum* indicet *navigium*, consultius fuisse eam voce interpretari hujusmodi, qua similia Græci appellant, ac quidem Chaldæo qui vocabulo ספינן reddidit, quo majores & *tectæ* copertæque usu veniunt. Vide Buxtorfii Lexicon Talmud. pag. 1527. cum tamen vers. 2. utatur voce דוגין quæ exilioris formæ *navigiis* convenit.

V. Singulare est, cum in loco Esaiæ alii interpretes vel de *cymbalo* vel *umbra* cogitent, Symmachum צלצל per ἦχος *sonitum* exposuisse, quo sane privi quidpiam secutus esse videtur. Attamen haud obscura quidem adeo est interpretationis ratio, nec difficile perceptu unde sonitus ille ad ipsius aures pervenerit. Putavit enim vocem ex notione illa radicis צלל descendere, quatenus *tinnire*, *sonitumque* streperum *edere* innuit, ut Jerem. XIX. 2. Inde *Cymbalum* ob grandem *tinnitum* nomen צלצל accepisse Psalm. CL. 5. & 2. Sam. VI. 5. & מצלתים 1. Chron. XIII. 8. XV. 16. 19. XVI. 42. viri docti observant. Idcirco Symmachus ἦχος *sonitum* seu *sonum* interpretatus est, eodem modo ut Judæi quidam צליל Jud. VII. 13. per קל הברת *sonum tinnitus* exposuerunt, indicante Coccejo, sed auribus nimium tinnientibus. Nihil ea verborum interpretatione ineptius fingi potuit, cum de *pane hordeaceo* לחם שערים sermo sit, qui, si diis placet, egregie tinnit. Recte a Græcis exposita phrasis μαγὶς ἄρτου κριθίνου *coctus* vel *tostus panis hordeaceus*. Μαγὶς est a μαγειρεύω & μάγειρος *coquus*. Radix vocis Hebrææ est צלה *assare*, *torrere*, unde & צלצל, quod Deut. XXVIII. 42. juxta Græcorum interpretationem ἐρυσίβην *rubiginem* innuit, derivandum esse, alibi monuimus.

VI. Ex recentiorum interpretum maximo numero qui Græcis accesserit, neminem novi præter *Malvendam*, Hispanum, quem rectissime loci mentem cepisse auguror, dum reddidit *Væ terræ alatis* Cymbis *refertæ*. Etiam *Ludovicum Legionensem* ab eadem haud alienum esse, saltem notionem צלצל de *navi*, propugnasse in loco Esaiæ ex Celeb. Vitringæ comment. pag. 514. b. didici. Verum, si autoritatum numero pugnandum esset, nos inferiores decessuros satis video. Egregium vero factum quod Græcorum interpretum pondus, omnibus, quibus ceteri pu-

pugnant, armis, sit fortius & excellentius. Nec tamen opus est quo hoc solo depugnemus.

CAPUT II.

Ostenditur צלצל eandem esse vocem cum סלסל.

ARGUMENTUM.

I. *Attendendum esse ad* permutationem *literarum in illustrandis vocibus orientalibus. Unde variæ de* צלצל *explicationes prognatæ.* II. צלצל *convenit cum* סלסל *de permutatione literarum* פ & ס. Tyrus *sæpe inde dicta* Sarra *a* צור. *De reliquiis vocis* מצרים *apud exteros Scriptores in vocibus*, μεσερεμ μέτιρ, μίρση, μίσορα & μεσραίων. *Ægyptus* מצור *dicta unde nomen* מצרים. III. *Jer.* VI. 9. *illustratur.* סלסלות *notat* quasillum vindemiatorium. Κάρταλλος *est qualus.* סל *eadem cum priori vox est, indicans* Canistrum, *& Chald.* סלא & סלתא. IV. *per* צלצל *indicantur* naves papyraceæ, *quæ instar* corbis *erant* breves *& ex* vimine *æque* contextæ. *Hinc dicuntur* כלי σκεύη *Jes.* XVIII. 2. Κεφαλαὶ. *Luciano lux. &* חבה capsula. *Exod.* II. 3. *seq. Græc. versio illustrata*, Θίβη *vox Ægyptia*. V. סלסל *est a* סלל *notatque rem* contextam *qualis* corbis *& naves sunt* papyraceæ. *Illæ inde* textæ, consertæ, *dicuntur, Græcis* πλέγματα. *Et* quales *ex* papyro *texebant*. VI. *In loco Jobi &* צלצל *de navi* papyracea *capitur, quibus* universa *Africa abundabat*. VII. *Jes.* XVIII. *v.* 5. *illustratus.* זלזלים *non convenit sensu cum* סלסלות *Jerem.* VI. 9. *utriusque loci discrepantia.* זלזלים *sunt* omphacia. *Elegantia græcæ versionis & sensus locis.*

I. NIhil magis avertere sensus hominum quo in arcana *Orientis* haud facile penetrent, didici, quam quod *literis* quas scriptas reperiunt perpetuo adhæreant, nec voces *obscuras* per *alias* ejusdem soni organique illustratum eant. Cum tamen doctissimi Bocharti aliorumque opera multiplicem hujus observationis usum inculcent, luculentissimisque usum insignem docuerint exemplis, quotidianaque exercitatio nos multo in his confirmet magis corroboretque. His in locis literæ צ mordicus inhærent eruditi, nec de alia quapiam voce illi affini cum sono tum significatione vel per quietem cogitant. Vix reperias igitur quempiam quin radicem צלל huic adplicet vocabulo & vel de *obumbratione* vel de *Cymbalo* capiat locum Esaiæ. Pari ratione multum sibi dant laboris quoad eandem radicem notionem *fuscinæ*, quam צלצל tribuunt apud Jobum, referant, quod fuscina cum *mergatur* sit aqua *tecta* & *obumbrata*. Fuitque nuper vir doctus, qui notionem *Cymbali* retinendam esse & Jobum de *instrumento musico*, quo *pisces* alliciuntur cogitasse crederes nos jubeat in Bibl. Histor. Phil. Theol. Class. IV. Fasc. III. sect. VI. eo nixus argumento pisces *musica* deliniri & mulceri, quod ut nemo negatum ibit, ita optaremus ut placuisset viro eximio majori robore ipsum τὸ κρινόμενον ostendere, num צלצל hoc in loco *cymbalum* vel *musicum instrumentum* denotet, quod, adversus veterum interpretationem cum pugnet, dilucidius exponi desiderassemus. Bochartus, hic de alia vocis ac vulgo solet, meditandum esse origine vidit Hieroz. part. II. lib. V. cap. XVI. Sed præter, quam necessitas urgeat, ad *Arabiæ* confugit angulos, exterarumque implorat opem gentium. Iis enim צאלת esse *Sagitas*, explicante Giggejo, & Golio. Sed hæc sententia eo nititur præjudicio, quod in parte priori hemistichii שכית de *telis* accipiat, adeoque in hac altera parte vocem ei similem quęsiverit. Verum simul atque priori hemistichio alium longe sensum commodum esse dein cap. VII. §. 3. seq. & cap. VIII. ostendemus, & hæc simul quæsita longius hujus vocis origo, concidet. Nos, ne longiori prologo simus tædio, rem ex alterius vocabuli, quod צלצל literis ejusdem organi ad fine est, expediendam esse cogitamus.

II. In eam itaque cogitationem incidimus vocem סלסלות quam Jerem. VI. 9. reperimus cum nostra צלצל & literis sonoque & cognata expositione conjunctam, tantum modo ab ea orthographia diversaque sententia discrepantem esse. Reperitur quidem illic plurali numero & quidem sequioris generis. Verum nobilius genus est סלסל plurium numero סלסלים quod ex Chaldæo apparet paraphraste qui eodem numero exposuit סלסלין. Quæ vero major inter voces cognatio potest intercedere ac inter has *Zilzal* & סלסל *Salsil*, quæ triplici צלצל fundamento tum (α) *literarum*, tum (β) *rei* ipsius, tum (γ) *radicis* originisque & sensus haud disparis *adfinitate*, nititur. Quid amabo, frequentius (I.) reperies orientalium linguarum usu, ac, cum omnium literarum sibilantium, tum maxime צ & ס permutationem? Farraginem exemplorum dedit Bochartus Phaleg. lib. II. cap. XXX. pag. 146. Ita צור idem

idem eſt ſignificatione, adeoque & eadem vox, cum סרר, uti & צר & סר. Hinc יצדון *Zidon* Græcis & Latinis eſt *Sidon* & Σιδὼν Inde & צור *Zor* eſt Græcis quidem & Latinis *Tyrus*, ſed & his *Sarra*, unde apud Virgilium *Sarranum oſtrum*, & *Tibiæ Sarranæ* apud Terentium. Eadem de cauſa ΒΑΖΩΡ quæ vox Coptis *pellem vulpinam* indicat & בצר *aurum* eſſe a notione vocis בכר qua *rubra* quæque indicantur, notari in diſſ. de *Inquinat. Sard. Veſtim.* §. 10. ubi plura videas exempla coll. §. 11. Pariter cum Aegyptus Hebræis ſit סצרים *Mizraim* per צ ſcriptum, in reliquiis tamen ejus vocis apud ſcriptores exteros ſcribitur plerumque per Σ quod convenit cum ס elementum. Ita vocatur Μέϛρη incolæque Μεϛραῖοι a Joſepho & Μίϛρα a Stephano. Vide Perizonii Orig. Æg. cap. 1. pag. 9. 10. Adde & ipſum nomen μεϛερὲμ quod ex מצרים ſuperſtes eſt apud Suidam. Μεϛερὲμ ait, ἡ Ἄιγυπτος, ἡ νῦν μέϛερ ὀνομάζεται. Vocabulum μέϛερ quo *nunc*, ſuo tempore, ſcribit Ægyptum vocari Suidas eſt a מצור (*Mazor*) *munimentum* quo nomine etiam *Ægyptus* venit. Vide Bochartum in Phaleg. lib. IV. cap. 27. quin ab hoc מצור nomen Ægypto datum eſſe מצרים, non a *Mizraim* filio Chami, ut cenſent, erudite obſervat Celeb. Vitringa Obſ. Sacr. lib. 1. Diſſ. 1. cap. VI. §. 6. Conſule etiam eundem in diſſ. de *notitia Ægypti*, quam commentario in Eſaiam, ante Capitis XIX. explicationem, inſertam habes, §. 3. ubi & de nomine Ægyptiorum Μεϛραίων apud Syncellum agit, in qua voce ſervata, contra ac in reliquis obſervavimus durior pronuntiatio τȣ͂ צ pro TZ, in nomine מצרים. Erit igitur, obſervata hac commutatione elementorum adfinium, צלצל & סלסל vocabulum idem, uti *Tyrus* & *Sarra*, *Mizraim* & μεϛεϛερὲμ vel μέϛρα & μέϛερ cum *Mazor*.

III. Nam, ut literis ita & (II.) *ſignificatione* cognatum eſt צלצל cum סלסל. Voci סלסל cum ſit ἅπαξ λεγομένη tum ex veteri verſione, tum cohærentia orationis, tum & aliis cognatis vocabulis lumen accedendum eſt. Græcis exponitur per κάρταλλον hoc eſt *corbem*, *qualum*, *cophinum*, ut ex collatione aliarum diſcimus vocum quas eodem vocabulo expoſuerunt. Iiſdem enim טני *tene*, ſeu *corbis* in quo fructus conduntur, eſt καρτάλλος Deut. XXVI. 2. 4. quod vocis alias per ἀποθήκην *reconditorium* expoſuerunt Deut. XXVIII. 5. 7. Similiter eodem vocabulo καρτάλλος reddiderunt דורים quo *caniſtra* indicari haud dubium eſt, uti & κόφινον *cophinum* Pſalm. LXXXI. 7. tranſtulerunt. Jeremiam autem loqui de ejuſmodi *quaſillo* apertum eſt quia ad *vindemiam* alludit, jubens colligi reliquias Iſralis ut *vitem*, & ut *vindemiatorem* accedi ad סלסלותו κάρταλλον αὐτȣ͂. Eſt igitur סלסלות heic loci *quaſillus vindemiatorius* (eine Wein Butte) in quem putator *uvas*, vel *racemos* amputatos, conjicit. Convenit vero cum סל & orthographia & ſignificatione. Nam uti in סלסל apparet radicale *geminatum*; ita breviore pronuntiatione סל eadem vox ejuſdem eſt notionis. Indicat quippe *caniſtrum*, *panarium*, quod & Chaldaicum סלחא & סילחא סלא, סלולה, quibus omnibus ejuſmodi qualus indicatur. Rectiſſime igitur Græci סל reddiderunt per κανȣ͂ν *corbem*, memorandumque hanc vocem vix alibi adeſſe in S. Codice ac ubi de *caniſtro* ſeu *panario* (Ein Brodt-Korb) agitur. Occurrit enim tum in relatione Somnii *Piſtoris* regis Pharaonis, qui *corbem* repleptum *panibus* vidit Gen. XL. 16. 17. 18. tum de alio in quo *panes* in ſacrificium offerendi Exod. XXIX. 3. tum denique de panario *panum* ἀζύμων Levit. VIII. 2.

IV. Verum, quid hæc, ais, ad *navigia*? *corbemne vindemiatorium* ſeu quaſillum genus *navis* eſſe perhibes? Imo vero, non quidem *navem* puto, ſed maximam his corbibus, cum צלצל ſeu *navigio vimineo* interceſſiſſe convenientiam. Qualem enim propheta navem indicet per צלצל hoc ex coll. v. 2. apparet, ubi vocat כלי נמא *Vaſa Papyracea*, ſeu *naves* aut *cymbulas* potius *papyraceas* vel *junceas* & *ſcirpeas*, quæ *leves* erant *tenueſque* & ex *papyro*, qua univerſa abundat Africa, confectæ. Hinc eſt quod ob *exiguitatem* earundem & aliis in his locis compellentur vocibus, ac אני & אניות quibus alia *naves* ſolent indicari. Erant enim tantæ brevitatis ut vix binos, ſummum ternos capere homines potuerint. Et quia ex papyro & opere erant *vimineo* inde earundem vides cum *corbe* & *quaſillo* adfinitatem. Novimus enim & corbes ex *vimine* conſeri, æque ut has *naviculas papyraceas* ex *vimine*, *junco*, *calamo* & *papyro*. Et cum adeo *tenuia* erant *brevioraque* inde earundem cum *corbe* præſto ſatis eſt convenientia. Quocirca & eleganter eaſdem naviculas Eſaias vocat כלי *Vaſa papyracea* non *naves* quia potius *vaſa* erant, ut *quaſillus* eſt, quam navigia. Græci ἐπιϛολὰς βίβλινας reddidere, quia cum iis *nuntii* cito itinere per Nilum mittebantur, unde pariter vocant מלאכים קלים *nuntios Celeres*. Hinc optime Symmachus, Aquila, & Theodotion, triga illa nobilis interpretum, כלי per σκεύη *vaſa* reddiderunt. Quod no-

nomen *σκευῶν παπυρίνων* ipſis potius quam *navium* reapſe convenire ex loco Exod. II. 3. 5. 7. conſtat, ubi in ſimili quapiam Moſes expoſitus in Nilo legitur, quam ſane perbrevem fuiſſe oportet. Quapropter & תבה גמא *Capſula*, *arcula* vocatur *papyracea* ſeu *fiſcella* ex *vimine* vel *papyro* contexta. Quæ vox תבה *Tebba* eadem eſt cum *Ægyptia* θίβης, ſeu θίβις aut θήβης (ut variant codd. ob ſoni τῦ H cum I proximitatem (qua Græcis interpretibus Alexandrinis uti placuit, utpote quæ in *Ægypto* ſatis noti uſus erat, quamque & pari ſenſu apud *Athenæum* legere viri docti monent, quod inde eſt, quia & ipſe Athenæus fuit *Ægyptius* Naucratites. Scholiaſtes θίβην exponit recte *θίβην παπύρυ arculam papyraceam*. Joſeph. A. Jud. lib. II. cap. 5. pag. 56. vocat, πλέγμα βίβλινον ἐμφερὲς τῇ κατασκευῇ κοιτίδι, unde apparet *lectulo* ſeu *incunabulis* fuiſſe ſimile in quo puellulum poſuerunt. Nam & dein iterum κοιτίδα appellat, narrans Thermuthida juſſiſſe τὴν κοιτίδα πρὸς αὐτὴν ἐκκομίσαι. Pari ratione & Lucianus cum *navigia* illa *papyracea*, *potius vaſis* aliiſque utenſilibus quam *navibus* fuerint perſimilia, vocat ejuſmodi inſtrumentum *papyraceum* quod Ægypto Byblum ſeptem dierum ſpatio commigrabat, κεφαλὴν βιβλίνην *caput papyraceum* in quod *epiſtola* immiſſa in Dial. de Dea Syria tit. II. pag. 658. Ed. Amſtelod. hoc eſt *vas* aliquod *rotundum* ſimile *capiti* ex *papyro* confectum, quod *quaſillo* rotundo haud abſimile, fuiſſe oportet.

V. Præterea & (III.) *origine* vocis optime סלסלים conveniunt cum צלצל ſeu *papyraceis naviculis*. Notat סלסל *rem paratam*, *contextam*, *præparatam*, quæ notio æquæ *navigio* iſtiuſmodi apta eſt ac *quaſillo*, utriuſque ex *vimine* parari & texi ſolitis. Eſt enim a סלל quod eſt *parare*, *contexere*, *munire* cum *ſtudio*, unde de *viis munitis*, *aggeribus*, χαράγμασι &c. uſurpatur una cum vocabulis inde deſcendentibus. Quippe, uti ejuſmodi aggeres & χάρακες ex *ſtipitibus*, *truncis*, & *viminibus* conſuebantur: ſic & *quaſilli naveſque papyraceæ* ex *vimine*, *ſcirpo*, *junco*, *papyroque*. Inde סלסלה eſſe genus *veſtimenti textorii* Talmudicis ut Buxtorfius obſervat pag. 1484 iiſdemque סלסל eſſe *complanare*, *concinnare* & סלסול *comqlanationem* docet. Eapropter veteres cum de *harum* navium papyracearum *confectione* faciunt mentionem, haud utuntur verbo *compingere* πήγνυσθαι, ut alias ſolent, ſed talibus quæ alias de *textis* rebus & *qualis* atque *caniſtris* uſurpant, *conſerere*, *texere*, *contexere*, ποιεῖν, πλέκειν, κατασκευάζειν. Plinius lib. XIII. cap. II. Papyrus *naſcitur in paluſtribus Ægypti ex ipſa navigia* Texunt *& ex libro vela tegeteſque*. Lucanus lib. III. verſ. 222.

> *Nondum flumineas Memphis* contexere *Byblos*
> *Noverat* .....

Lib. IV. verſ. 130.

> *Primum cana ſalix madefacto vimine parvam*
> Texitur *in puppim* ....

Et dein verſ. 136.

> Conſeritur *bibula Memphitis Cymba papyro*

Theophraſtus lib. IV. Hiſt. Plant. cap. IX. Καὶ γὰρ πλοῖα ΠΟΙΟΥΣΙΝ ἐξ αὐτῦ (ſc. παπύρυ) καὶ ἐκ τῆς βίβλυ ἱςία τε πλεκῦσι καὶ ψίαθυς κ. τ. λ.

Inde & πλέγματα βίβλινα paſſim vocantur hæc navigia, ut notat Schefferus lib. I. de Milit. Nav. cap. 4. pag. 32. ſicuti & παπύρινα πλέγματα. Verum loca non addit. Ita autem Joſephus lib. II. A. Jud. Cap. 5. pag. 56. loquens de *arca papyri* in qua Moſes expoſitus μηχανῶνται πλεγμα βίβλινον. Et paulo poſt de Miriam ὅποι φερόμενον χωρήσει ὀψομένη τὸ πλέγμα. Item de filia Pharaonis. φερόμενον ὑπὸ τῦ ῥεύματος θεασαμένη τὸ πλέγμα. Adde locum alium, quem mox citabimus.

Neque tantummodo *navigia* ex *papyro* in Africa, ſed & *ſtragulæ*, *tegetes*, *veſtes*, *funes &c.* docente Plinio loc. cit. atque *calcei* teſte Herodoto lib. II. pag. 116. Tum & *corbes* atque *cophini* ex eadem materia contexebantur. Quapropter *Alexandrinos* Judæos, qui prope Romam ad portam Camenam frumentum, Alexandrino cataplo defectum, vendebant, *cophino* inſtructos fuiſſe ex Juvenali diſcimus Sat. III. verſ. 14. & VI. verſ. 542. Quippe hæc Satyrici loca de *Alexandrinis Judæis* intelligenda eſſe, optime vidit Iſ. Voſius Var. Obſ. cap. X. pag. 148. Præcipue autem hoc ex hiſtoria apparet quam de Moſe ἄτερ ἱερᾶς γραφῆς refert Joſephus loc. cit. pag. 58. Facturum iter ad Æthiopas ne in via ſerpentibus infeſtaretur, narrat quod πλέγματα ἐμφερῆ κιβωτῆς ἐκ βίβλυ κατασκευάσας καὶ πληρώσας Ἴβεων, ἐκόμιζε *Vaſa plexilia non pauca e* papyro *in* arcæ *formam feciſſe, & complata Ibibus ſecum tuliſſe*, quod Ibes ſerpentibus, ſint infeſtiſſimi. Hæc πλέγματα ſeu κιβωτοὶ, in quibus ibes concluſit,

quis

quis non cognoſcit inſtar *caveæ* & *corbis* fuiſſe plexa.

VI. in loco vero Jobi æque ac Eſaie צלצל perquam commode poteſt de *papyracea navi* explicari. Agit enim de *Leviathane*, cujus *caput* hæc navigia *haud adferre* adſtruitur. *Leviathan* autem eſſe *Crocodilum* Bochartus late docuit P. II. lib. V. Hierozoici Cap. XVI. ſeqq. Illum vero non modo in *Nilo* ſed & per univerſam Africam cum in fluminibus tum *maribus* eam adluentibus, conſpicuum eſſe, abunde ex innumeris veterum recentiorumque conſtat documentis. Sic uti *papyro* tota Africa abundabat & *arundinibus*, ita æque vix erat in hac orbis terrarum parte vel regio flumini marique adjacens, quin incolæ *navigiis* uſi ſint *papyraceis* atque *arundineis*, quorum uſus & totam fere *Indiam* permeavit. Obvia paſſim & proletaria hæc eſt obſervatio adeo ut tantum loca conſuli oporteat ab iis collecta, qui de his navigiis magno numero commentati ſunt, velut præter interpretes ad Jeſ. XVIII. 2. & Exod. II. 3. 5. 6. ut & ad Plinii lib. VI. IV. N. H. cap. 56. videatur Salmaſius in Solin. pag. 785. Bochartus Phaleg. lib. IV. cap. II. pag. 213. Schefferus de Milit. Nav. lib. I. cap. IV. pag. 32. Lydius de re Mil. lib. III. cap. X. pag. 139. & Doughtejus Anal. Sacr. Excurſ. 147. apud quos de uſu harum *navium* apud *Ægyptios*, *Mauros*, *Æthiopas*, atque *Indos* affatim adeſt exemplorum, quo & locus Heliodori pertinet qui de uſu earundem apud *Æthiopas* agit, a Celeb. Vitringa ad Eſaiam pag. 518. annotatus. Præcipue tamen *Ægyptios* ſpectare locum Jobi deinceps cap. VI. §. 4. 5. diſputabimus.

VII. Addimus panca ἐν παρόδῳ de vocabulo זלזלים *ſalſalim* quod eodem hoc Capite Eſaiæ comparet verſ. 5. Atque uti cum סלסלות Jerem. VI. 9. literarum conjuncta eſt affinitate: ita & eandem eſſe vocem conjicit in Lexico Coccejus ad vocem סל. Sed rem probabilem haud reddunt duæ rationes. Primum quia in loco Jeremia agitur de *vindemia* & *meſſe autumnali*, unde *vindemiatori* colligenti *uvas* maturas in *quaſillum vindemiatorium*, apoſita eſt explicatio per χαρταλλος in quem ut *uvas* colligit *vindemiator*, ſic Deus colligi vult reliquias Iſraelis. At in loco Eſaiæ agitur de *putatione* vitium *ante meſſem* autumnalem, ut diſerte extat. Quippe לפני קציר *Ante Meſſem cum perfecta erit gemma, & flos* erit *omphacium* (בסר) lactens (נמל) *reſcindet* הזלזלים *falcibus*, & *ſarmenta amovebit*, *amputabit*. Agit igitur ille locus de *vindemiatore*, hic de *putatore*. Ille *uvas* amputatas colligit in *corbem*, non ille *omphaces* per errorem putatas cum ſarmentis. Neque tempore vindemiæ fit putatio, ſed uvarum maturarum collectio. Deinde viro docto adverſum fuit quod putaverit Græcos זלזלים interpretatos eſſe per κληματίδας. Quod aliter tamen ſe habet, cum voce illa expoſuerint ſequentem נשישות *ſarmenta*, hanc vero per βοτρύδια μικρὰ *parvulas uvas*. Et quidem elegantiſſime, quia ſermo eſt de *putatione* vitium *ante meſſem* eoque tempore, quo poſt פרח *gemmam* vitium & נצה *florem* adeſt בסר גמל ἄνθος ὀμφακίζοντα *flos qui in omphacem degenerat*, quoque tempore ut *omphacia* matureſcant fieri ſolet frondium putatio ne ſolem impediant. Quoniam vero dum putator falce ſarmenta demetit, incautus ſæpe & hæc *omphacia* ſimul amovet. Ita & dicit propheta, *dum putator* (ita hic reddo ו ut ſæpe debet) *ſarmenta amovebit*, *amputabitque*, & *ſimul falce ſua demeſſurum* הזלזלים βοτρύδια μικρὰ *omphacia*. Qua in re grave latet judicium, quia omnis periit vindemia ſimul cum *ſarmentis* amputatis *omphaciis* lactentibus. Atque ita loco elegantiſſimus adeſt ſenſus, neque opus Magiſtrorum Judaicorum explicatione qui זלזלים *teneriores* exponunt *palmites*. Cum in eo lateat gravitas judicii ut non modo *palmites* & *ſarmenta*, ſed & *omphacia* demetantur. Iis enim ſuperſtitibus nihil eſt cauſæ cur de futura optima vindemia colonus animam deſpondeat.

CAPUT III.

Obſervatio de etymo vocis *Phaſelus*, quam ex hac ipſa צלצל profluxiſſe oſtenditur.

ARGUMENTUM.

I. Phaſelus *eſt navis* Ægyptium *nomen*. II. *Eſt* parvula *navis* & celerrima *quo ipſo cum* צלצל *ſeu* papyraceis *convenit*. III. *Ejuſmodi* parvulis *Phaſelis abundaſſe* Ægyptum *oſtenditur*. IV. *Inquiritur in vocis* phaſeli *etymon*. *Et primam ſyllabam* pha *docetur eſſe* articulum *Ægyptium*, *ut in* Pharao, Patumos, Phatures, Pharus, *quorum etyma & origines nominum indicantur*. Pharus *inſula fuit* prærupta. V. *Syllabam* ſeu *in* Phaſelus *eſſe* צלצל *oſtenditur*, *vel potius* צל. *Formale in iiſdem vocibus orientalibus ſæpe* ſimplex *eſt ſæpe* compoſitum & duplicatum *ut exemplis oſtenditur*. VI. *Locus* Eſ. XXXIII. 21. *excuſſus*. *Græca verſio* LXX. *emendata*, *num pro* צי *ibi legi poſſit* צל? *pro* צי Sym-

Symmachi codex habuit צי. *Notat* צל navem. VII. *In locis* Dan. xi. 20. Ef. 23. 13. Pfalm. 105. 41. Num. 24. 24. Ezech. 30. 9. *voces* ציים, צים, & צוא *haud indicare* naves *oftenditur*. VIII. *In* tabula Ifiaca *apparent ejufmodi* phafeli *Ægyptiaci*. *Neque funt* barides *ut Pignorio placet*. *Naves Ægyptiorum* thalemeg. *Erant* phafeli, *quibus oppida circumvehebant*. Seneca, Strabo, Virgilius & Svetonius *illuftrati*.

I. PRoferamus & alia argumenta quæ rectiori via demonftratum ibunt Græcos צלצל per πλοῖον optime expofuiffe. Auguror hoc doceri poffe ex voce *Phafelus* feu φασήολος qua *navigium* indicari conftat. Eandem enim ex hac ipfa צלצל effe prognatam probabimus. Et hoc eo quidem ordine, ut nomen *Phafeli* haud *Græcum Latinumve*, verum *Ægyptium* effe principio oftendamus, dein qui cum *Hebræa* feu *Ægyptia* voce צלצל conveniat, doceamus. *Phafelum* effe genus navis apud *Ægyptios* ufitatum docent fcriptores, qui, *Ægyptiorum* memoriam celebrantes, fimul eorundem *Phafelorum* injiciunt mentionem. Virgilius lib. IV. Georg. verf. 287. feq.

> *Nam qua* Pallæi *gens fortunata* Canopi
> *Accolit effufo ftagnantem flumine* Nilum,
> *Et vehitur pictis circum fua rura* Phafelis,

Canopum Pellæum feu *Macedonicum* denotare *Ægyptiam* urbem feu *Ægyptiacum* Canopum alibi & fimul caufa data appellationis vidimus. Tria autem hæc nomina funt *Ægyptia* vocefque *Ægyptiæ* linguæ, quæ ex affini *Hebraica* poffunt illuftrari. *Canopus* eft a כְּנַף *canaph*. Conf. §. 2. cap. v. *Nilus* a נחל *nachal* vel *naal*, *neil*, unde νεῖλος & *Nilus*. Sic & *Phafelus*, cujus inveftigandæ origini intenti fumus, Ægyptium eft vocabulum. Quippe ut Canopus & *Nilus* pertinent ad *Ægyptios*, fic & *Phafeli* eorum *navigia*. Juvenalis Sat. xv. de *Ægyptiis* loquens verf. 126. ut recte vetus monet Scholiaftes, eodem vocabulo eorum *naves* indicat, his verbis

> *Hac fævit rabie imbelle & inutile vulgus*
> *Parvula fictilibus folitum dare vela* Phafelis
> *Et brevibus pictæ remis incumbere teftæ*.

Difertius nos veterum Scholia erudiunt *phafelis* ut *Ægyptios*. Et Juvenalis quidem Scholiaftes *phafelis* exponit *tefteis navigiis*. Talibus *enim*, Navigiis *in* Nilo *utuntur*. Servius vero: *Phafelis*, ait, *brevibus naviculis quibus utuntur cum ftagnaverit* Nilus.

II. Animadverte vero Phafelum non modo *Ægyptiam* effe *navem*, verum & admodum *parvam*, ut partim ex his Scholiaftis difcimus partim ex ipfo Juvenale, qui *parvula* earundem *vela* memorat *brevefque remos*, prætereaque cum Virgilius memorat his phafelis *Ægyptios circumvectos* effe *rura fua* per foffas quibus terra abundabat frequentiffime; *parvulas* has naves fuiffe conftabit haud abfimiles Belgarum *Schuyten* & Venetorum *gondolis* quibus æque *canaliculos* pernavigant. Quippe indicare צלצל ejufmodi *parvula navigia* ex interpretatione veterum antea fatis adftruximus cap. I. §. 4. & cap. II. §. 4. 6. Atque inde eft quod *phafelus* non modo pro *Ægyptia*, fed, ut fieri folet, pro unoquoque *navigio minutiori* dein accipiatur, quemadmodum inter *navigiola* varia ponit Gellius lib. x. cap. 25. uti & inter alia ejufmodi quibus *Garumna* trajicitur, *acatia*, *rates*, *lintres*, *ftlatas*, & *Phafelo* locum dat Aufonius Epift. XXII. verf. 31. feq. Pariter *Phafeli* nomine intellige *Scapham* feu lembum, grandiorem navem *fubfequentem* in his Statiis lib. III. Sylv.

> *Quæhuc* fecuturum *religent poft terga* phafelon,

Tum quia *brevis* adeo erat Phafelus epitheto fragilis ornatur ab Horatio lib. III. od. II. verf. 29. quibus cetera addes loca a Joh. Scheffero lib. II. de Mil. Nav. cap. I. pag. 71. hanc in rem notata. Pariter vero ut noftri צלצלים commendantur a *celeritate* infigni qua fluvios & mare pererrant, hinc dicti מלאכים קלים *nuntii Leves* feu *Celeres* ἄγγελοι κοῦφοι Ef. XVIII. verf. 2. Sic æque *phafeli* erant celerrimi. Horatii Scholiaftes vetus ad citatum locum monet *Phafelum effe* velocem *navem & longam*. Catullus lib. I. carm. IV. verf. I. egregie huc facit.

> Phafelus *ille quem videtis hofpites*,
> *Ait fuiffe navium* Celerrimus,
> *Neque ullius natantis impetum trabis*
> *Nequiffe præterire* (ob celeritatem) *five palmulis*
> *Opus foret* Volare, *five linteo*.

Volare, metaphora fatis nota, naves dicuntur quæ *celerrimo* feruntur impetu, ut

ut cap. v. §. 4. 6. pluribus ostendemus.

III. Ejusmodi vero *parvulis navigiis* abundasse *Ægyptum* Africæque regiones ceteras haud dubium est. Constabit non modo ex iis quæ antea de *papyraceis arundineisque* navigiis monuimus. Cap. II. §. 4. 6. Sed & ipso *parvulorum* epitheto quod Ægyptiacis datur frequenter. Lucanus de biremi qua usa Cleopatra *Ægyptiorum* regina lib. x. vers. 56.

> —— *Se* Parva *Cleopatra biremi*
> *Corrupto Custode Phari, laxare catenas*
> *Intulit Emathiis ignaro Cæsare tectis,*

Unde & *non longam biremem* similem Ægyptiam navem vocat lib. VIII. vers. 562. Illustris locus apud Strabonem occurrit lib. XVII. pag. 801. de *luxuria canopica* agens. *Sed ante omnia memorabilis est turba* (ὄχλος: nota *multitudinem*) *eorum qui ad festivos conventus per fossam* (διὰ διώρυγος) *Alexandria* (Canopum) *descendunt. Nam singulis diebus ac noctibus* (πᾶσαν γὰρ ἡμέραν καὶ πᾶσαν νύξ) Plena *est ea* Navicularum (πλοιαρίων) *viros ac mulieres vectitantium &c.* Ex quibus insignem horum *phaselorum* multitudinem in *Ægypto* satis colligas, cum quibus confer quæ de similibus lusibus Ægyptiorum in *navigiis* (ἐν πλοιαρίοις) quas per urbes Ægypti quotannis instituunt, præcipue vehentes notavit Herodotus lib. II. pag. 126. Adi & Hirtium de Bello Alexandrino, ubi sæpius mentionem fieri videas *parvulorum navigiorum* in rebus *Ægyptiacis*, ut pag. 656. Ed. Lugd. *Præterea*, ait, *nautici homines & urbis & regionis maritimæ, quotidianoque usu a pueris exercitati, ad naturale & domesticum bonum refugere cupiebant, & quantum* Parvulis Navigiis (agnoscis *Phaselos*) *profecissent, sentiebant*. Idem pag. 656. refert Alexandrinos majoribus & Minores *apertasque* naves *adjecisse*: Dein vero pag. 658. de iisdem: Magnum *præterea* Numerum (en *copiam* harum navium) Minorum Navigiorum & Scapharum *producunt* &c. Quæ cum *breves* erant adeo naves, & summam iis adfuisse *velocitatem* docet, pag. 654. quo ipso pariter *celerrimos phaselos* de quibus §. 2. egimus, agnoscis.

IV. Igitur *Phaselos* esse *Ægypto* proprios vidimus. Quapropter & convenit ut vocem *AEgyptiis* quondam domesticam ex veteri *AEgyptia* lingua eruamus. Ordiamur a prima ejus Syllaba quæ est *Pha*. Hæc ipsa indicio satis esse potest vocem esse *AEgyptiam* ceteris paribus. Est enim *articulus præpositivus* quo *AEgyptii* utuntur, quosque exteros populos cum ipsis jungere vocibus, probavimus in diss. de חוכיים §. II. Atque ut ibi eundem sæpius articulum per PI, ΠΙ, PU, BU, BI, PHI &c. efferri monui, sic idem nunc ostendamus de PHA quorundam vocabulorum Ægyptiacorum exemplo. Articulus in voce *Pharao* quam alias eandem censent cum πίρωμος, ubi articulus πι, qui cum *pha* idem est, & vox ρώμ fortasse ab Hebræo רום *rum*, *excelsum esse*. Ostendet præterea hunc articuli usum nomen *Pharus*, quo insula prope Alexandriam fuit nobilis, quæ & *Pharos* vocatur a Lucano lib. x. Pharf. vers. 509. & Seneca lib. VI. quæst. Nat. cap. 26. Prima syllaba est articulus, & altera *ros* vel *rus* est ab Hebræo ראש *caput*, quo & *promontorium* & *rupes* indigitatur. *Promontoriis* enim & *rupibus* gavisa est quondam *Pharos*, unde ejus δύο ΑΚΡΑΣ *duo* Promontoria celebrat Strabo lib. XVII. pag. 791. atque ejus ἀκρῶν *promontoriorum* alterum *orientale* ait esse ΠΕΤΡΑΝ πολύκλυστον ἔχουσαν ΠΥΡΓΟΝ, Petram *mari circundatam habentem* Turrim seu ראש *prominentiam*. Ita & Superiores *phari* Regiones (quod ipsum est ראש) *ejusque* Moles celebrat Hirtius de Bello Alex. pag. 646. Idem Ægyptius articulus se prodit in nomine urbis *Patumos*, quam Herodotus tribuit Arabiæ prope mare rubrum lib. II. cap. 158. Ea enim urbs Πάτουμος est Hebræorum פתם *Pithom* Exod. I. II. memorata, ut alii dudum observarunt. Quippe Græcis est ἡρώων πόλις *locus Heroum*. Atqui θώμ notat Ægyptiis *Heroem* ut & θὸν vel *Than*, unde Ægyptia nomina *Thanis* & *Thoni*. Eaque propter ἡρώων πόλιν versionem Copticam reddidisse *Pethon* observat Bonjourius in Mon. Copt. cap. 21. Ut igitur *On* est ἡλιόπολις, sic *thom* ἡρώων πόλις. *Pi*, vero vel *pe*, *pa* præposita syllaba nil nisi consuetus Ægyptiorum articulus. Neque dubito quin his animadversis lux dari possit terræ *Patros* in *AEgypto*, quæ in sacris nomine eodem פתרוס occurrit ejusque incolæ vocantur פתרוסים Gen. x. 14. Ezech. XIX. 14. ut פ *pa* sit articulus, nomenque ipsum תרוס *taros* vel *thros*. Æque varie, ut ipse articulus, hæc vox scribitur vel *Phatures*. Vide Celeb. Cellarii Ant. Geogr. lib. IV. cap. I. pag. 59. Atque ita in similibus. Eodem igitur modo, ut olim πι in voce πίθηκος esse hunc peregrinum articulum ostendi cit. diss. §. II. seq. Sic & exinde exemplum capies quam juste idem in voce *phaselus*, quam esse *AEgyptiam* probavimus, urgeam.

V.

V. Expedita primæ Syllabæ ratione, ex residuis, demta terminatione *us*, quam Græci Latinique peregrinis addunt vocibus superest ex *phaselus* media *sel*. Hanc ex hac ipsa צלצל ortum ducere contendo. Quippe syllaba צל *Zil* vel *Sal*, quæ hac voce *duplicata* est, alias *unice* tantum pronuntiata est, ut pro פצלצל *Phazilzal* vel *Phazilzil* dixerint *Phazil* vel *Phasel* quæ est ipsa vox *phaselus*. Nihil frequentius est in orientis literatura, quam ut *formales* literæ vel *solæ* vocem constituant, vel *duplicentur;* adeo ut mirum haud sit צל esse idem quod צלצל. Luculentissime hoc ex voce סלסל quam antea eandem esse cum hac צלצל vidimus cap. II. constabit. Quippe æque scribi סל *sal* ac סלסל *salsal* ibidem §. 3. evicimus. Sic ipsa radix צלל unde deducunt צלצל nobis dat monosyllabum צל quo indicatur *umbra*, uti & Chaldæi pro צלל habent contractiorem unius syllabæ radicem צל. Vide Buxtorfii lexicon Talm. pag. 1916. Hebræis eodem modo est תור *tur* nomen avis. Verum & duplicatur formale sæpius תורתור *tur*, *tur* unde Latina ejus vox *turtur*, quo exemplo nostro צלצל *zilzil* vel *zilzal*, vix erit similius. Quippe & hæc ipsa avis Hebræis צלצל vocatur, & Chaldæis affini nomine צלצלתא Eadem discrepantia apparet ex nominibus urbis tribus Benjamin, quæ גלילא *geliloth* vocatur Jos. XVIII. 17. productione ex radice גלל. At *duplicata* est radix & in גלגל *Gilgal* quo nomine eadem urbs insignitur Jos. XV. 7. Sic & גליל *Galil* est *Galilæa* passim, quæ tamen & duplicata radice æque appellatur גלגל *Gilgal* Jos. XII. 23. Eandem enim cum גלול esse regionem ex Alexandrinorum constat versione, neque in ea emendanda critico opus est, ut multis videtur, acumine. Sic res *rotunda* stocatur גול *Gol* Hebræis & Phænicibus, ut vel ex voce *Gaulus* γαῦλος constat, de qua deinceps cap. IV. §. 3. 4. Nihilotamen secius in aliis vocibus ex eadem radice גלל natis, quæque æque *res rotundas* indicant, eadem *bis* effertur syllaba, ut documento sunt גלגלת (*Gilgoleth*) cranium, גלגל *Gilgal* nomen urbis Jos. V. 9. & regionis ut antea diximus, & גלגל *Galgal* quæ *rotam* innuit & cœli *convexitatem*. Et huc pertinent quæ de formali קר & קרא pluribus disputavit Celeb. frater meus *Theodorus* Hasæus in Bibl. Hist. Theol. Phil. Fasc. III. Cl. III. Sect. VIII. quod quidem retineri millies, sæpius tamen duplicari ut in כרכר *Carcar*, 2. Sam. VI. 14. & קרקר *Karkar* Num. XIV. 17. & Es. XXII. 5. observavit §. 18. 19. Quis igitur non *phaseli* nomen in hoc ipso צלצל agnosceret, amplecteretur que Græcam versionem hoc per πλοῖον exponens vocabulum?

VI. Attamen, cum toties a radice צלל quoties *obumbrare* denotat reperiamus vocem צל *umbram* ipsis radicalibus *unice* expressis: mirum mihi visum fuit nos binis his in locis צלצל radicalibus *duplicatis* cognoscere, neque unquam in sacro Codice repertum iri צל *Zil* de *navi* haud geminatis radicalibus. Hæreo tamen numve vocis צל apud Prophetam nostrum vestigia appareant. Placet illis, qui lexica condidere Hebraica, צי *Zi* esse *navem* in S. Literis plurali צים *Zim* vel ציים *Ziim*. Sed nullo hoc adstruere possunt loco præterquam unico apud Jesaiam cap. XXXIII. 21. *Neque proficiscetur in ea* אני שיט *navis triremis*. *Neque transibit illud* צי אדיר *Navis ingens*. Hic enim duę sunt partes orationis synonymæ, seu duo hemistichia, quæ frequentissime in carminibus vaticiniisque occurrunt Hebræorum, habentia ad se invicem mutuam *relationem*, *cognatamque* utroque in commate vocum *significatione*. Quapropter, ut in priori parte הלך *proficisci*, πορεύεσθαι ut Græci dedere, habet σχίζειν ad עבר *transire* in altera parte commatis: Sic & צי ad אני. Quam vocem ultimam cum nemo dubitet *navem* indicare, simili significatione & צי *Zi* in posteriori gaudere oportet, unde & rectissime Græcos per πλοῖον transtulisse videas. Sed locus corruptissimus in Græco textu hac occasione est emendandus. Legitur ὐ πορεύσῃ ταύτην τὴν ὁδὲ, πορεύσεται πλοῖον ἐλαυνόν Quæ si ita serves, triplici nævo, quam frustra Græcis impinges, laboraret expositio, partim quod adsit inanis tautologia, partim elegantiæ textus Hebræi haud respondens translatio, partim quod haud verbum detur in Hebraicis unde pronomen ταύτης posset exsculpi. Corruptissimam igitur vocem ταύτην ita restituas ναῦς τελήρης. Nam ex ναῦς propter affinitatem literarum librarius, ouod ductum non assequeretur earundem, fecit ταυ, eumque τελήρης haud recte legit, condidit τὴν syllabam, quam priori jungens, ex duabus vocibus unicam fecit ταύτην. Quippe vox τελήρης & similes olim per compendium scribebantur τρης. Sequentia τὴν ὁδὸν respondet Hebræorum בו *in ea* sc. *navi* vel *via*, ellipsi vocis דרך ex eorum interpretatione. Atque ita & in Græcis duæ partes orationis sibi invicem respondebunt. *Non proficiscetur via illa navis triremis*; *Neque transibit navis maxima*. πλοῖν ἐλαυνὸν est navis *longæ extensionis* ab ἐλαύνω. Eleganter & Aquila exposuit ὐ μὴ πορευθῇ ἐν αὐτῇ ναῦς κωπῆς

(navis remorum) *κ̀ τελήρης ὑπερμεφέθης ȣ̓ διαβήσεται αὐτὸ*, qui צי reddidit per *τελήρην* triremem. Verum cum nullibi probare aliunde possint eruditi צי indicare navem (loca enim quæ adferunt cetera minime de his loqui *navibus* dein videbimus) & difficilior sum, quo illis heic loci fidem habeam. Nam hunc Esaiæ locum olim multo aliter scriptum dicas, ipsamque hanc vocem צי aliter lectam ostendit apertissime Symmachi expositio, quæ hæc est: *ȣ̓ μὴ πορευθῆ πλοῖον κωπήλατον: ȣ̓δὲ* ΕΝΤΟΛΗ *κραταιȣ̃ διαπεράσει αὐτό*. Unica hic vox est *ἐντολὴ* *mandatum* quæ regulis explicationis sanæ contraria est. Quam enim relationem habet *mandatum decretum*, *ἐντολὴ* ad præcedens *πλοῖον navem*? Qui ille ex *navi magna* exsculpsit *mandatum magni κραταιȣ̃* hoc est *Dei!* Dicam paucis. Symmachus in libro suo haud nactus eam est lectionem צי quam nostri prætendunt codices. Verum צו posito ו pro י quæ vox *ἐντολὴν præceptum*, & *mandatum* indicat. Vides igitur olim fuisse longiorem literam י in hoc loco. Quod si igitur ex hac litera longa feceris longiorem hoc est ו in ל, levissima mutatione, permutabis, vocem habebis צל *Zil* quæ ipsa illa est quam duplicatis radicalibus in צלצל deprehendis, sed in *Phaseli* vocabulo unica syllaba extare probavimus. Hæc vero צל quin commode *navem* indicaverit, non est cur dubites ex iis quæ in hanc rem confirmandam ptoduximus. Sed conjecturam proposui, quam nemini obtrusam velim.

VII. Illos vero qui urserint vulgatam & lectionem & significationem τȣ̃ צי nescio quibus præsidiis illam adstructum iverint, cum in cognatis orientis literis nihil pro ejus notione *navigii* reperiatur, neque etiam in ipso S. Codice. Produxere quidem viri docti loca in quibus צים, ציים vel ציות notionem esse *navium* putarunt. Sed hæc hariolatio unice huic Esaiæ loco, velut fundamento innititur, cujus tamen lectionem jam Symmachi ætate a vulgari diversam fuisse, ostendi. Præterea in illis locis ubi צים mentionem esse volunt de *navibus*, neumentionem esse volunt de navibus, neutiquam de his agi, verum de rebus longe aliis, miror viros doctos haud ex Græca versione, ad quam in dubiis velut ad lapidem Lydium confugiendum esset, didicisse Loca brevibus stricturis examinemus quæ viros eruditos in hanc rem adduxisse, reperimus. Celeb. Perizonius Orig. Babylon. cap. IV. conjicit ita posse reddi Esaiæ cap. XXIII. 13. *Assur fundavit eam* (terram ציים *Ziim*) *Navibus*, hoc est, ex ea fecisse *Navale*. Verum Celeb. Vitringa egregiis satis argumentis docuit ad genuinam vocis צי, quæ *desertum* notat, respiciendum esse significationem, & reddendum locum. *Assur fundavit eam* Deserticolis, quoniam tum terra illa Babylonica *deserta* erat. Sic & ad *ἐρήμωσι* respexere in versione sua Græci. Alium locum Psalm. 105. 41. in Concordantiis Buxtorfius, sed ut *dubium*, ipse cruce notat. Putavit enim ציות נהר esse *naves fluvii*; verum hic indicantur *ποταμοὶ ἄνυδροι fluvii exsiccati* siccitate, ut eleganter iterum Græci observarunt. Simulatque enim *Deus rupem* percussit, (nota Historia quo alluditur Exod. XVII. 6. Num. XX. 11.) manu Mosis, tum *fluvii* seu *valles* (utrumque enim נהר denotat) *siccitate* aridi aqua repleti sunt, nequaquam vero *naves* fluvii. Idem vir indoctus & alia duo producit loca Num. XXIV. 24. & Ezech. XXX. 9. Prior ita se habet וצים מיד כתים ubi צים perperam jungunt cum כתים intelligentes *naves Chittæorum*. Quid enim hoc & *Naves ex manibus Chittæorum & perdent Assur*? Est vero צים heic loci a ציא *egredi* notatque eos, qui e populis Chittæorum *egredientur* perdituros *Assur* & *Hebr*. Sic & Græci *κ̀ ἐξελεύσεται ἐκ χειρῶν Κιτιαίων, κ. τ. λ.* *ἐκ χειρῶν* e *manibus* hoc est ex *potentia*, *multitudine* Cittiæorum. Eadem ratio est loci apud Dan. XI. 30. quem Coccejus in lexico animadvertit ubi ציים כתים sunt qui ex terra Chittæorum *egrediuntur*, *οἱ ἐκπορευόμενοι Κίτιοι*, ut adposite Alexandrini, quosque vaticinatur *ingressuros* terram *Australem* de qua vers. 29. Nihil est liquidius. Locus Ezechielis difficilior est qua *Deus* vaticinatur: *a facie ipsius illo die egressuros* מלאכים *nuntios* בצים quod reddunt *in navibus, ad perdendos Cuschitas*. Græcæ versionis vulgatæ editiones corruptæ sunt. Complutensis habet textum integrum, pro בצים legens *ἐν Σὲμ*, adeoque sciverunt optimi interpretum privum hic usum esse hujus vocis, quam cives Alexandrini exposuerunt ipsa illa, in Ægypto satis nota voce servata *σὴμ*. Ridiculum enim, cum voces Hebræas sæpius servant Alexandrini, neque Græcis reddunt, viros doctos asserere, eos ita transtulisse ob ignorantiam quid signsficarent. Retinuerunt illi eas voces quas tum temporis in Ægypto tritissimi omnium usus esse sciebant, quæ a nobis nunc magno studio emendæ. Ita hic commodum accidit, quod Scholiastes notaverit seu Theodotion *τὸ Σὲμ τῇ ἑλλάδι φωνῇ ἐν ἰσχύι*. Indicare *Græca lingua in potentia viribus*. Inde vero elegans satis loci sensus apparet, *ex Ægypto egressuros a facie Dei die illa nuntios* (seu *milites*) *in potentia* seu

for-

fortitudine, hoc est ex Hebraismo, *potentes*; nuntios *fortes*, *magnanimos*, ad *devastandam terram Cuschæorum*. Igitur frustra in his locis præsidium notionis צי pro *navigio* quæritur. Num ergo in unico ille Esaiæ integra lectio sit servata, qui jam olim in mendo cubavit, alii judicent, & quid nostræ conjecturæ de צל seu *phaselo* tribuendum sit, quam ipsam esse Ægyptiam vocem & *navem* indicare conspeximus, dispiciant.

VIII. Quicquid sit, in *Tabula mensæ Isiacæ*, quam L. Pignorius post Kircherum exposuit, conspicimus aliquot *lembos* Ægyptiacos quibus *bos* seu *Osiris* vehitur. Hæc navigia Pignorio placet esse *Barides* pag. 71. At cum *Baris* sit Ægyptiis ejusmodi navigii genus, quo *cadavera* hominum ad *sepulchra* devehuntur docente Herodoto lib. II. cap. 96. nihilque horum hic simile conspiciatur, potius has naves *Phaselos* Ægyptios esse censemus, quam *Barides*. *Baridis* enim formam habes apud eundem Pignorium in gemma, quam idem æri insculptam exhibet pag. 52. ubi in navicula conspicias jacentem hominem *mortuum*, quem ego *Ægyptium* hominem esse censeo, haud vero *Orum* Deum, ut Pignorio placet. Neque enim perpetuo in exponendis monumentis Ægyptiacis ad Deos eorum recurrendum est, quasi nihil illi præter Deos & sacra sculpserint. Adde quod & *breves remos*, quibus incumbere Ægyptios *pictæ testæ* Juvenalis commemorat Sat. XV. v. 128. hic in manibus *Isidis* & *Osiridis*, qui navis sunt *portitores*, clarissime adspicias, num. 17. 18. Adde quod hæc navis sit θαλαμηγὸς *Thalamegus* conspicua in hoc mensæ Isiacæ limbo, utpote quæ *bovem* vehit. Quippe *Thalamego* ejusmodi vehebant *Apin* per Nilum *Memphin* usque Sacrorum causa tradente Siculo Diodoro lib. I. pag. 53. seq. Atqui *thalamegos* esse *Phaselos* apparet ex illis Plauti Rud. A. IV. sc. II. vers. 17. ubi Gryphus piscator ait loquens magnifice.

> —— *Navem faciam atque imitabor*
> *Stratonicum*,
> *Oppida circumvectabor* ——

Collatis cum his Virgilii qui de Ægyptiis tradit quod *sua rura circumvehantur phaselis*. Stratonicus autem qui *navi phaselo* est *circumvectus oppida*, fuit sub Alexandro M. & Philippo patre dives quæstor. Græci autem in luxu maxime Ægyptios imitabantur. Nam *Phaseli* illi, ut describit Virgilius, erant iidem, quos Seneca vocat lib. VII. de Beneficiis cap. 20. *Naves Lusorias & cubicularias*, quæ dicit fuisse *ludibria Regum in mari lascivientium*. Nam *lusus* causa iis *oppida* & *rura* vehebant circum, ut de Ægyptiis indicat Poeta, & ex his Strabonis dilucide satis discimus lib. XVIII. pag. 800. referentis Schedias, qui locus ab *Alexandria* distat quatuor schœnis, pagum esse urbi similem habentem *navale* τῶν θαλαμηγῶν πλοίων *Thalamiferorum navigiorum* quibus οἱ ἡγημόνες Principes *viri in superiorem* (Ægypti) *navigant regionem*. Attende quod his *thalamegis* utantur ἡγημόνες *Principes*, quemadmodum Seneca *lusorias*, ut appellat, dicit *esse ludibria* Regum. Quippe & *principes* viri divitesque & *reges* in *Ægypto* iis utebantur excellentioribus. Svetonius Cæs. Cap. 52. *Dilexit & Reginas* (C. J. Cæsar) *Sed maxime Cleopatram* (Ægypti reginam) cum qua *& convivia in primam lucem sæpe protraxit*, *& eadem* Nave Thalamego *pene Æthiopia tenus Ægyptum penetravit*. Unde illa Strabonis illustrantur dum ait *principes* Ægyptiorum *navibus Thalamiferis* εἰς τὴν ἄνω χώραν in *superiorem* navigare *regionem*, hoc est *Ægyptum superiorem*, seu ut Suetonius, *Ægyptum Æthiopiam tenus*. Tanta autem in Ægypto naves thalamegi aderant copia ut reges eorum vel *octingentas* habuisse paratas autor sit Appianus in Procemio Casaubono observante. Unde pariter ac & collatione locorum *Plauti* & *Virgilii* illas Thalamegos fuisse *Phaselos* Ægyptiorum constabit.

CAPUT IV.

Tametsi צלצל retineat notionem *Cymbali*, posse nihilosecius & capi de *Navigio*.

ARGUMENTUM.

I. Viri docti urgent in צלצל notionem adfinem *cymbalo*. Potuit idem *navigio* datum esse quod *rotundum* fuerit uti *cymbalum*. *Papyracea* navigia *rotunda*. II. Docetur nominibus iisdem gavisa esse & *navigia* veterum & varia *instrumenta*. III. *Gaulus* γαῦλος esse nomen *Phœniciæ navis* & dari vel *quatuor* generibus *vasorum* adstruitur. IV. Quæ adepta sunt nomina quia & *naves* & *vasa* hæc fuere *rotunda* a radice גלל, unde & varia alia nomina *rotundarum* rerum ab Hebræis appellata vocibus cognatis. V. Instrumentorum *musicorum* nomina & aliis concessa *vasis*,

ſis, velut נבל, שפרוח, *Cymbala*, aliaque VI. reſpondetur objectioni.

I. **A**Uguramur vero nonnullos, quibus præjudicatis adhærere mos eſt opinionibus, nobis difficulter acceſſuros, niſi ſimul, quam צלצל ſeu *cymbalum* habere cum *navigio* cognationem poſſit, indicaverimus. Sunt enim qui principem τȣ̃ צלצל notionem eſſe *cymbali* contendunt, nec aliam in locis, ubi idem apparet vocabulum, niſi *cognatam* videant ſententiam expoſitam, ſine nota dimittent explicationem. Præcipne id urſit vir doctiſſimns J. G. *Schelhornius* in Bibl. Hiſtor. Phil. Theol. Cl. IV. Sect. VI. Faſc. III. §. 3. cui alia ac *cymbalo affinis* notio in his ipſis locis Eſaiæ & Jobi, valde diſplicet. Concedamus igitur idipſum viro erudito, ſed ſimul ea conditione ut et nobis largiatur *navigio* idem eſſe poſſe nomen ac cymbalo, ob *formæ*, quæ olim *navigiis* interceſſit cum *cymbalo*, cognationem. Nam veterum naves fuere olim *rotundæ*, atque ejuſmodi Schemate & *papyraceas* fuiſſe oſtendit locus Luciani de Dea Syria tit. II. pag. 658. ubi *papyraceum* vas per mare Byblum miſſum ex Ægypto a *rotunda* forma adpellat κεφαλὴν *caput*, uti Hebræis גלגלת eſt *caput cranium* a גלל *rotundum eſſe*. Ita & vocem θίβιν, quam Scholiaſtes ad Exod. II. 3. explicat per κιβωτὸν παπίρȣ *arculam papyraceam*, denotare ὑδρεῖαν *urceum* monet, quam dubio procul ſignificationem nacta eſt ἰδεία a pari cum his navigiis formæ *rotunditate*. Sic & γαῦλον eſſe *navem rotundam* apud Phœnicios §. 3. 4. videbimus.

II. Verum hæc haud uſque adeo urgemus, ſiquidem alia via pateat, qua his occurramus Quippe, ſi צלצל *cymbalum* eſt, nihil aliud denotat niſi *inſtrumentum* quodpiam quo homines *luſus* gratia delectantur. Nullam vero linguam credo, orbi terrarum illuxiſſe, quin ſimul dives fuerit ejuſmodi nominibus, quæ ſimul *vaſis* variis ſeu *inſtrumentis* data ſint, atque *navigiis*. Antequam enim robur illud triplex hominibus circa pectus fuit, quo fragilem truci pelago ratem, ut ait ille, commiſerint, varia *utenſilia* in uſu fuere, quorum ob *formæ* ſimilitudinem nomina tum *navigiis* repertis indita ſunt. Meminerimus *cymbam*, (quæ æque ut *cymbalum* a *civitate*, Græcis κȣ̃φος, dicta, nomen accepit) non tantum genus eſſe *navigii* ſed & *poculi*; Κύμβος eſt *acetabulum* & *ſcutella*. Eſt tamen & *navis* genus κύμβη & κύμβιον quemadmodum & vaſis *potatorii*. Talmudicis ארבא eſt *navis*, *ſcapha*. אריבא vero & ארובא *mactra* ſeu inſtrumentum, in quo farina depſitur. Voces σκάφη, σκάφιον, σκαφίδιον, & σκάφος Græcis denotare *navigia* novimus. At & varia *vaſa* utenſilium iiſdem indicari vocibus Græca veterum Lexica erudient. Confer & Schol. Ariſtoph. ad Aves verſ. 599. Ita σκαφίδες de *Vaſis* apud Homerum Odyſſ. x. verſ. 222. & protali in quo *mel* reconditur apud Theocritum Idyll. v. verſ. 59. ubi Scholiaſtes. Σκαφίδες ἀγγεῖα εἰς ἃ κατετίθεσαν τὰς μελικηρίδας. Inde & ad Latinos *Scaphæ*, *Scaphes* & *Scaphii* utræque notiones deſcenderunt. Latinis *linter* eſt alveolus (ein Trog) ſed pariter & *navigium* ſæpiſſime eodem vocabulo indicatur. Vide Auſonium Ep. XXII. verſ. 32. Nec minus & *alvei* nomine *vas* ligneum concavum innuunt Romani. Verum & ſæpæ pro *nave* occurrit. Conſule Schefferum de Milit. Nav. lib. I. cap. 3. Æque diminutivum *alveolus* (eine Mulde) uſurpatur de *navigio* apud Juvenalem Sat. v. verſ. 89.

III. Negabis vero hanc apud *Eoi* orbis populos fuiſſe loquendi rationem ut nomina *navigiis* ſimul atque variis *inſtrumentis* fuerint communia? Id ne fiat, unico illuſtremus exemplo, ne in re nota ſatis atque obvia paſſim, juſto ſimus verboſiores. *Phœniciam* (2) vocem γαῦλος *Gaulus*, & *navis* nomen eſſe *Phœniciorum*, & variorum *vaſorum*, juvabit obſervaſſe. Idque ob *rotundæ* convenientiam *formæ*. Euſtathius ad Odyſſ. x. verſ. 222. triplicem ejus vocis dat expoſitionem, & quidem ſumi (α) pro σκεύεσι ποιμενικοῖς εἰς τὸ ἀμέλγειν χρησίμοις hoc eſt pro *vaſe paſtoritio in quo mulgent* ſeu pro *mulctrali* ein Milchkübel (β) Dein eſſe εἶδος πλοίȣ *genus* Navis, & (γ) Ἀντλίαν *antliam*. Idem docet Scholiaſtes Ariſtophanis ad Aves verſ. 599. & quidem (I.) eſſe φοινικικὸν σκάφος *ſcapham Phœniciam* citans Callimachum, qui ΣΙΔΩΝΙΟΥ γαύλȣ meminit, quod fragmentum in Spanhemii collectione fragmentorum Callimachi num. 40. & Bentleii num. 207. hinc depromtum reperies. Tum (II.) eſſe ἀγγεῖον *vas* quoddam. Alius Scholiaſtes ibidem loci idem tradit eſſe partim πλοῖον φορτικὸν partim σκεῦος. Heſychius quoque, Γαῦλοι, inquit, τὰ ποιμενικὰ τȣ̃ γάλακτος ἀγγεῖα καὶ τὰ φοινικικὰ πλοῖα. Addo *quartam* (3) vocis γαύλȣ expoſitionem de χύτρα *olla* quam idem obſervat Lexicographus, quemadmodum & compoſitam vocem χυτρόγαυλον de *labro* occurrere apud Joſephum viri docti monuerunt. Indicare igitur hanc orientis vocem vides non modo *navem*,

ſed

ſed vel tria (vel potius *quinque*) genera *vaſculorum*. Inde Pollucem cernas tam inter *vaſa* ruſtica *lactis* & *caſeorum* memorare γαύλυς *lib.* I. §. 251. & lib. X. §. 130. quam, de *nauticis* agentem rebus, γαύλυς inter *navigiorum* ponere nomina lib. I. §. 82. (4) Præcipue vero, cum *vaſis* notionem obtinet, de *mulctrali* veteres uſurpaſſe legimus, unde & σκαφίδεσι junguntur in memoratis apud Pollucem locis, uti & apud Homerum, quem Scholiaſtes Ariſtophanis citat, Odyſſ. X. v. 222.

—— Γαυλοί τε σκαφίδές τε

atque Theocritum Idyll. V. verſ. v. 58.

Στάσω δ' ὀκτὼ μὲν ΓΑΥΛΩΣ τῷ Πανὶ ΓΑΛΑΚΤΟΣ
Ὀκτὼ δὲ ΣΚΑΦΙΔΑΣ μέλιτος πλέα κηρί' ἐχοίσας.

ubi ut σκαφίδες μέλιτος ſunt *vaſa mellis* conditoria, ſic γαῦλοι γάλακτος *mulctralia*. Scholiaſtes Γαυλοὶ ἀγγεῖα χυτροειδῆ (unde nota qui & ipſa χύτρα dicta ſit γαῦλος) γαλακτοδόχα ἐν οἷς πήσσουσι τὸ γάλα .. ἅπνα καὶ ἀμολγέας καλοῦσι h. e. *Gauli ſunt vaſa quæ urcei formam habent, recipientia lac, quod in illis agitant, quæ & ἀμολγέας ſeu* mulctralia *adpellant*.

IV. Atqui hoc quidem nomen *Gaulorum* tum *vaſis* tum *navibus* Phœniciorum propter *rotunditatem* ſingulis adhæſiſſe ſcias. Phœniciam quippe vocem propriis reddidit natalibus feliciſſimus rerum Phœniciarum ruſpator Bochartus, oſtendens eſſe nomen גול *Gol* a גלל *rotundum eſſe* lib. II. Can. cap. XI. Sic *mulctralia* ut nunc ita & olim fuere rotunda, unde Scholiaſten Theocriti ea fuiſſe χυτροειδῆ formam *urcei* ſeu *ollæ* habentes monuiſſe vidimus. Uti & χύτραι ipſæ *rotundæ*, hinc γαύλων nomen habent; velut & *antlia* atque alia vaſa quæ γαύλυς vocari obſervavimus. Præcipue vero *Phœnicum* naves *rotundæ* hoc inſignitæ vocabulo. Feſtus: *Gaulus genus Navigii pene Rotundum*. Sed hac de re alibi pluribus. Æque vero inde, quod *rotunda* eſſet, adeptam eſſe nomen *Gauli* inſulam prope Meliten in mediterraneo mari, docuit idem vir ſummus lib. I. Can. cap. 26. *pag.* 504. Eapropter & *vas olei* vocatur גלה Zachar. IV. 2. 3. quod *orbiculata* fuerit figura, ut tali in nummo veterum Hebræorum apparet apud Relandum in Nummorum Samaritanorum ectypis Tab. IX. n. 10. Item *rotundæ* extremitates in coronis hinc dicuntur גלות 2. Chron. IV. 14. ſimilique modo *caput* & *cranium* hinc Hebræis eſt גלגלת & *rota* גלגל itemque *cœli* convexitas Pſalm. LXXVII. 19. & מגלה *volumen* atque גליל *circulus*, plurimaque alia nomina quibus brevitatis ſtudio recenſendis ſuperſedemus. Conſtabit inde quantum tribuendum ſit nugivendulis Grȩculis qui *Phœniciam* vocem *Græcæ* illuſtratum eunt literaturæ ope. Veluti cum Euſtathius & Theocriti Scholiaſtes locis memoratis, vocem a γάλα *lac* deducunt pleonaſmo τοῦ Υ, quod γαῦλος nonnunquam & mulctrale ſit. Egregium εὕρημα vel centum boum dignum mactatione. Elegantior, ſi dis placet, eſt autor Magni Etymologici, (5) qui a γυαλός deducere videtur, quod γαῦλος ſit, navis Κοίλη *concava*: Novum Zenodoti cor, & Cratetis jecur! Phœniciam vocem Græcis dare originibus. Sed hic mos eſt Grȩculorum, ſatis quidem ridiculus.

V. Eſto igitur צלצל *inſtrumentum muſicum*, & *cymbalum* quidem, quod nominis, quotiens ejuſmodi *inſtrumenti* loco ponitur a צלל vel a צל *tinnire* ob grandem *tinnientis* aeris *ſonitum* accepiſſe videtur, unde צלצלא *turturi* nomen eſt apud Magiſtros Judæorum & צלו *precationi* a צלי *precari*, *orare*. Sit, inquam, & his locis τῷ צלצל adfinis notio *Cymbalo*: Nihiloſecius & ad *navigium* ſeu quodpiam *utenſile* commigrare potuit, quod videamus ſæpiſſime *inſtrumentorum Muſicorum* (antea enim de aliis modo vaſculis diſputavimus) aliis *vaſis* data æque eſſe nomina. Idem voci נבל accidit, quȩ quidem in Oriente notat *nablium* ſeu *Pſalterium*: Attamen & ἀγγεῖον in quod vinum effunditur, & ἀσκὸν *utrem*, *follem*. Vide I. Sam. X. 3. Jerem. XIII. 12. Thren. IV. 2. & Græcam ibi translationem. Quam in rem & hoc notare liceat, cum quondam ex *utribus* varii populi *naves* paraverint, inde & ἀσκοὺς *utres* dici hujuſmodi *navigia*. Adi Cl. Schefferi addenda ad librum de Mil. Nav. pag. 317. Arrianus autem Periplo maris Erythr. pag. 15. appellat σχεδίας δερματίνας ἐξ ἀσκῶν *rates pelliceas ex utribus confectas*. Scimus, ut ad alias voces tranſeamus, שפרות Hebræis eſſe *buccinas* Pſal. XCVIII. 6. Exod. XIX. 16. Jerem. IV. 5. Verum & tredecim *nummorum receptacula* in templo Hieroſolymitano quondam poſita, eodem deſignata eſſe, ob propinquam cum buccinis formam, docuit eruditiſſimus Relandus Diſſert. V. de Num. Samar. pag. 220. ſeqq. & in Libro de *Spoliis templis Hieroſol.* pag. 125. ſeqq. Nec minus idem vocabulo κυμβάλυ *Cymbali* adhæſit, quod pariter datum eſſe *vaſis fictilibus* (κεραμέοις) quæ *cavitate* pollebant inſigni, imo & datum eſſe *galearum apicibus* docuit Celeberrimus *Frid. Ad. Lampe*, nunc Trajecti-

jectinæ Academiæ, olim civitatis nostræ, insigne decus lib. I. de Cymbal. Vet. c. 2. ne ea commemorem, quæ idem in egregiis de κοτύλαις, κρέμασι, *acetabulis* aliisque vocibus observat, quibus & *Cymbala instrumentaque Musica* insigniuntur, non secus ac varia *vasa utensilia* cap. III. seq.

VI. Hæc vero latius deduxisse demonstrasseque exemplis oportuit, quoniam hanc de צלצל seu *instrumenti Musici* cum *navigio* conciliando conjecturam, haud privam nobis esse, ut principio putabamus, sed eandem & *Malvendæ* & *Legionensi Ludovico*, doctis Hispanis, placuisse aliunde didicerimus; Eadem sententia tamen simul ab graviori censura absolvenda fuerit, qua num digna sit ipse vir doctissimus judicet ex quo tot exemplis a nobis adstructa est. Ita ille pag. 514. b. Commentarii in Esaiam. *Hoc esse vere eruditione & otio abuti. Quis enim*, addit, *ad rem attendens homo sibi persuadeat prophetam navem voluisse appellare cymbalum.* Neque enim illi hoc adstructum iverunt, quod vir summus exinde conjicit. Id tantum voluere docti Hispani, notionem צלצל, qua alias *cymbalum* insignitur, potuisse ob quampiam cum cymbalo *formæ* adfinitatem, etiam *navigio*, usu loquendi, concessum esse, adeo ut a notione *vasis* vel instrumenti musici ad *navem*, vel a navi ad instrumentum musicum transductum sit vocabulum. Neque enim tum notionem amplius retinet *cymbali*, sed *navigii*. Cetera prætermittimus.

N O T Æ.

(1) Occasionem huic schediasmati, quod ultimum quidem fuit, cui insudavit Frater meus, ὁ μακαρίτης, at non ultimus politæ illius eruditionis, & summi ingenii, quo florebat, testis, præbuit observatio eximii viri J. G. *Schelhornii*, quæ Cl. IV. fasc. III. sect. 6. legitur. Promisit hic ibidem §. 2. aliam in Esaiæ locum; quam an luce expositurus sit post lectam hanc Fratris mei lucubrationem, videbitur. Hujus autem editionem præ aliis promovere voluimus, quo aliqua ratione viam ita sternamus ad explicationem descriptionis Leviathanis a Jobo exhibitam, quam per omnia ad amussim, convenire certæ alicui ceti speciei, quæ in mari glaciali a piscatoribus eopse hoc anno capta, & cujus nonnullæ partes, quas manibus nostris tractavimus, huc Bremam delatæ fuere, proxime ostendemus.

(2) Vocem hanc e Phœnice petendam docent Hesychius, Suidas, Scholiastes Aristophanis, Callimachus, Epicharmus apud Athenæum. T. d. H.

(3) Imo duas alias hic addo pariter a *cavitate* depromtas; Videlicet *poculi* quoque notionem habet apud Plautum, qui in Rudente v. II. vers. 32. inter potatoria vasa, cyathum & cantharum medio loco collocat Gaulum. *Præterea sinus, epichysis, cantharus*, Gaulus, *cyathusque*, ut & apud Antiphanem in Chryside, cujus verba citat Athenæus lib. XI. p. m. 500. Adde denique & *vasis vinarii*, seu dolii, Id me docent Glossæ veteres, quas Salmasius in notis ad Jul. Capitol. Maximinos p. m. 53. adduxit; *Cupa seu vagna*, βύτας (nota vocem Germanis quoque adhuc usitatam Butte, Wein-Butte, i. e. vas ligneum, quo uvas colligentes in vindemiis utuntur) μεγάλη, ἥν τινες ΓΑΤΛΟΝ καλοῦσι; & rursus. *Vagna seu cupa* (hæc quoque vox Germanica eine Kufe adhuc superest) βύτις μεγάλη, ἥν τινες ΓΑΤΛΟΝ καλοῦσιν. Id quoque confirmat Suidas; Γαῦλος, οἰνηρὸν ἀγγεῖον, ἐκ ξύλων κατεσκευασμένον, ὃν Γ'ταλοι μαγγάναν ὀνομάζουσιν. *Gaulus vas vinarium ex lignis compactum, quod Itali vocant Manganam*, & in voce μαγγάνα; Μαγγάναν οἱ Γ'ταλοι ὀνομάζουσιν, ὅ ἐστι ΓΑΤΛΟΣ. T. d. H.

(4) Illius autem significationis vestigia apud alios quoque populos relicta sunt. Hinc γαλέα, quam ut γαῦλον, inter πλοῖα ληστρικὰ numerat Etymologus, in κελητίζει, Ἐπακτόκελης, (lege Ἐπακτροκέλης) εἶδος πλοίου ληστρικοῦ ὅ ἐστι ΓΑΛΙΑ. Cedrenus vocat γαλέας. Leo in Tacticis γαλέας. Anna Comnena γαλαίας, quas qui a Galeis, navis olim malo impositis derivant, pæne mihi ineptire videntur. Vides autem in his vocibus Germanorum nostrorum Galeere, Belgarum & Anglorum *Galey*, Italorum, Gallorum & Hispanorum *Galere* S. Galera. Huc spectant *Galeasse, Galeott, galeida, Galeones*, Γαλιάτζα, *Galliazza*, γαλιώτης quæ omnia navium nomina sunt, quæ in scriptoribus medii ævi occurrunt sæpe, de quibus *Du Cangium* in Gloss. Latinitatis & Græcitatis mediæ consule. Hinc ΚΕΛΗΣ, navigii genus κωφώπτερον, ut Etymologici autor docet, inde ΚΕΛΗΤΙΟΝ, μίκρον, πλοιάριον, ὑπὸ ἑνὸς ἐρεττόμενον, & inde Latinorum *Celox*, S. quod passim fit, mutato in x. Uti enim κέλης quæ vox *equum* quoque significat, cum ejusdem significatus Germanica voce Gaul convenit, ita & κέλης, parva navis ejusdem notionis verbo γαύλῳ affine est. Et apud Belgas & Saxones meos non aliud est, parvum navigii genus, quod vocant sive *Jolle*, Jelle, id est parva cymbula. T. d. H.

(5) Adscribam ipsa Etymologici verba, quod ad ea, quæ de hoc voce dicta sunt, non parum illustrent, confirmentque Γαῦλος, ποιμενικὸν ἀγγεῖον ἢ κάδος, εἰς ὃ τὸ γάλα δέχονται, παρὰ τὸ γῶ τὸ χωρῶ γίνεται γάλος, καὶ γαῦλος, καὶ οὐ παντῶς δεῖ παρὰ τὸ γάλα λαμβάνειν. λέγεται δὲ καὶ τριήρης γαῦλος, διὰ τὸ πλεῖστα δέχεσθαι, ὡς φησιν Ἡρόδοτος ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν. Ἔστι δὲ εἶδος πλοίου λῃστικοῦ, ἥτις καὶ Λιβύρνος καλεῖται, ἢ γυάλος τις ὤν, τοῦτεστι κοῖλος. Λέγεται δ' ἀντλητήριον τι. Non tamen hæc derivatio tam ridicula, ut visa est Fratri meo. Puto enim primam hujus vocis radicem esse חול, *chol* cavus, quod ut idem est & sono & significatione cum Germanico hol; ita & cum Græcorum κοῖλος, & γυάλος, *vacuus*, cavus, unde γυάλη, *poculum*, hinc etiam גל, quatenus *rotunditatis* notionem habet quia rotunda vasa sunt cava. Inde גלה in loco Zach. IV. 2. 3. est *lecythus, phiala, lenticula*; & convenit sono pariter & notione cum nostro Schale, præfixo tamen S. quod innumeris Germanorum vocibus accidit, quarum origines ex aliis, præcipue Orientalibus linguis petendæ sunt. Nemini autem hæc absona videri possunt, nisi qui ignorat literas ח & g & k, quarum eadem fere pronuntiatio est, permutari frequentissime. Ita in hac voce quoque confirmari vides, quod observatione peculiari mox docebo pluribus, a radice quadam linguæ Hebrææ כה prima, quæ *cavitatem* notat, & utensilium, & navium, & poculorum, quod cava sunt, etymologias innumeras accersendas esse T. d. H.

PE-

CAPUT V.

Vocabulum כנפים apud *Isai.* adjuvare interpretationem navigii.

ARGUMENTUM.

I. *Exponi* כנפים *rectius de* alis *quam oris: Ad sensus Virorum doctorum.* II. *Utraque hæc vocis* כנף *significatio ex vet. ling. Ægyptia illustratur. Etymon urbis* Canopus; *&* χνήφ *Dei.* Chnephis *ut &* Cannabi *German.* Knoff κνέφος *&* Cnephosus. III. Naves alarum *esse* naves alatas. *Similis constructionis exempla.* Symmachi *interpretatio illustrata.* IV. Alæ navis *sunt vela.* Chaldæi, *& aliorum adsensus. De discrepantiæ* נס *&* כנף *cum de velo navis usurpantur.* Isai. XXXIII. 23. *lux.* V. *Græcis* πτερὰ πῆλα *alæ sunt navium vela,* ἱςία. *Locus* Lycophronis *adversus* Tzetzen *explicatus. Naves* λευκόπτεροι, *&* λινόπτεροι, πτερῶσαι νεῶς. VI. *Itidem vela navis vocant* alas. Naves velivolæ, volare *de navibus* ope velorum. VII. *Dualis numerus de* pluribus *&* unico subjecto *sæpe usurpatur.*

I. HUC usque id dedimus operæ, quo generali de צלצל instituta disputatione evinceremus, ejus indolem a notione navigii haud alienam esse. Excutiamus nunc ipsa Jobi atque *Isaiæ* loca, numne in ipsa Sacrorum Virorum oratione sensusque apud utrumque cohærentia, aliquid sit residui, quod veterum versioni explicationique possit esse præsidio. Ordiamur ab *Isaia*. Jungit ille צלצל vocem כנפים *Chanuphajim*. Quæ vox כנף cum & *oram* seu *extremitatem rei* indicet, atque *alam*, desudant Interpretes, quænam huic adposita sit interpretatio, multa sane dissensione. Veruntamen cum partim consuetior & vulgatior vocis sit significatio, ut *alas* indicet, partim & veteres Græci per πτερύγες reddiderunt, optimum interpretem partim & *Bochartum* his de *oris* cogitantem confutaverit *Huetius Dem. Evang. Prop.* IV. *cap.* X. §. 4. merito quidem expositioni de *alis* inhærendum esse arbitramur. Idque multo magis quoniam cernimus doctos homines, qui quondam sententiæ de *Oris* suam addixerunt, re dein melius expensa, alteram de *alis* amplexos esse. Exemplo sit *Glassius* qui Gram. *S. lib.* IV. *tract.* II. *Obs.* 8. *pag.* 129. de *ora* cogitavit, postea in *Rhet. S. lib.* V. *tract.* I. *Cap.* XI. *p.* 176. mutata sententia *alarum* interpretationi calculum addidit. Etiam Cel. *Lampius*, qui quondam *oras* reddendum esse כנפים cum *Junio* & *Tremellio* existimavit *lib.* I. de *Cymb. Vet. cap.* 21. maturiori examine iis accessit, qui *alas* transtulerunt in *diss.* de βδελύγματι τῆς ἐρημώσεως §. 28. *seqq.* quæ extat in *Bibl. cl.* III. *pag.* 1019.

II. Utraque vero, quam voci כנף dedimus, explicatio ex veteri lingua Ægyptia, cui ceteræ Africanæ affines fuere, potest illustrari. Et quidem de *Oris* ex voce *Canopi* vel *Canobi* urbis Ægyptiorum celeberrimæ. Memorant quidem veteres huic civitati a *Canobo* Græco homine, & gubernatore *Menelai* nomen esse. Verum dudum antea quam *Menelaus* cum *Canobo* eo advenerit, id urbi nominis adhæsisse notavit *Pignorius* de Mensa Isiaca *pag.* 75. Auguror proinde dictum *Canopum* כנף *Canaph* vel *Canop*, quia in angulo situm nacta, atque in extrema ora Ægypti occidentali ad ostium, quod hinc *Canopium* dicitur. Vid. *Strabon. lib.* XVII. *pag.* 800. Illud enim *Canopium ostium* Asiam discernit ab Africa: adeo ut hujus sit terminus *Canopus*, *Scylax perip. pag.* 43. *edit. Oxon.* τὸ δὲ Κανώπικον ςόμα ἐίξει Ἀσίαν κ Λιβύην *Canopium ostium terminus est Asiæ, atque Africæ.* Inde & *oram canopi* memorasse videas *Statium Prop. Met. Celer. lib.* III. *Sylv. vers.* III. Addo cum multa sit adfinitas veteris linguæ Germanicæ cum iis quibus Oriens quondam celebris fuit, hinc fortasse popularibus nostris esse Knoff vel Knoop a כנף, quod illi nodi pronunciant. Videtur & nomen *Cannab*, seu *Cannabi* (Græce Κάνναβος) inde deducendum esse. Est enim vox Ægyptia. Quippe ex Ægypto maximo numero in Italiam *Cannabis* deferebatur. In adulta vero *Cannaba* frequentes nodos extremitati adesse caulis deprehendas. Altera significatio vocis כנף apparet ex nomine κνὴφ *Chnephis*, & *Chnuphis* celeberrimi Ægyptiorum numinis, quippe quod alis præditum erat, indeque nomen ab hac ipsa *ala* כנף adeptum est, pluribus hoc eruditis observationibus, quorum nomina citat Cel. *Lampius cit. diss.* §. 27. constat. Quia vero sub alis est umbra & caligo, unde frequenter in sacris mentio צל כנפים *umbræ alarum Psal.* XVII. 8. XCI. 1. hinc ab ipsa כנף deducendum esse Græcorum κνέφας, & κνέφος, voces ipsis *caliginem tenebrasque* indicantes auguror. Græculi enim hoc vocabulum a κένον φάος *vacuum lumine* deducentes, ipsi *vacui* sunt *lumine* etymologico & in his palpitant *tenebris*. Allusio illa est, haud etymologica derivatio. Hinc Latinis *Cnephosus* pro *caliginoso* autore *Festo*. *Cnephosum* (ait) *antiqui dicebant te-*

nebricoſum. *Græci enim* κνέφας *appellant obſcurum*.

III. Redeamus igitur צלצל כנפים cum Græcis Interpretibus πλοίων πτερύγων *væ terræ navium alarum*, h.e. ſecundum Hebraicam loquendi rationem *navium alatarum*. Illi enim & Græca lingua expreſſere Hebraiſmum latentem in hac conſtructione. Horum ſermone ſubſtantivum junctum ſubſtantivo conſtructo cum caſu generandi, debet poſterius ſubſtantivum exprimi per adjectivum. Illuſtris *Huetius* c.l. plurima exempla protulit. *Cymbalum* (ita ille צלצל reddit) *alarum*, *ait ſignificare cymbalum alatum*, *ut avis alæ*, *avem alatam*, *arbor fructus*, *arborem fructiferam*, *corpus mortis*, *h. e. mortale &c.* Ubi plurimis exemplis rectiſſime hanc illuſtrat conſtructionem, de qua & *Glaſſium* conſules *Gram.* S. L. XIV. *tract.* I. *Can.* VIII. II. 2. Et *Vorſtium* de *Heb.* N.T. *cap.* IX. Ex profanis ſcriptoribus his paria attulere, & quidem ex veteri Latio Reverendus *Huetius*, ex Græcis vero *Hor. Vitringa obſerv. in Vorſtium Heb. cap.* III. *pag.* 225. qui ſane tantum exemplorum, quantum ſatis eſt ad eam corroborandam adduxere. Optime hinc quod ad conſtructionem כנפים per adjectivum expoſuit *Symmachus* reddens vocabulum juncto צלצל ἦχος πτερωτὸς *ſonitus alatus*, qua tamen quid intenderit ſublime *volanti* interpretatione haud facile explicamus, niſi eum *ſonitum* intelligere *celerem*, & qui cito ſe repandit, ut celeritatis ſymbolum ſunt alæ dixerit; qui autem צלצל per ἦχος reddiderit, antea *cap.* I. §.*ult.* vidimus. Accedit *Hieronymus*, qui cymbalum explicuit *alatum*, magnumque recentium interpretum ſodalitium.

IV. Exploranti vero quid *navis* ſit *alata*, & *navis alæ*, curate ſatisfiet Chaldæi expoſitione docentis *vela navis* intelligenda eſſe: *Væ terræ* (exponit locum) *ad quam* בכנפין *in navibus advenitur de terra longinqua* קלעיהין פריפן *vela earum expanſa ſunt inſtar aquilæ, quæ volant* בכנפוהי *alis ſuis*. Imo ipſi, qui צלצל de umbra exponunt, oculis menteque, ne verſum proſpexerint, caligine ſatis obumbratis nihilo ſecius כנפים explicant de *velis navium*, quanto rectior ſe haberet expoſitio, ſi compertum habuiſſent צלצל pati interpretationem navigii. *Luth.* Wehe dem Lande das unter den Seegein Schatten fähret. *Glaſſius Rhet. S. Lib.* V. *tract.* I. *cap.* XI. *pag.* 1762. locum bene παραφράζει ſi a notione צלצל de *umbra* diſceſſeris. *Per alas* (ait) *umbratiles intelligantur vela navium*, *quæ extremæ earum ſunt partes*, *& in formam alarum expanduntur*, *& celerrimi motus ſuper aquas maris inſtrumenta ſunt*, *a ventis cum inflantur*. Eædem etiam navigantibus umbram faciunt. Et hæc quidem quoad vela optime. Etenim fatemur כנפים ſenſu vocem eſſe ἅπαξ λεγομένην, at nec eſſe cur id miremur, quod vel de *nauticis rebus*, ne dum *de partibus navis ejuſque inſtrumentis* tam parca occurrat mentio in Sacris Literis. Quieti igitur eſſe poſſumus elegantem hanc eſſe metaphoram, quod *alarum* nomine *navium vela* intelligantur, cum quod *avibus* ſunt *alæ*, id *navigiis* ſint *vela*. Nam rerum indoli ſimilitudinique adeo accommoda eſt hæc locutio, ut multæ barbararum gentium, quæ naves oculis nunquam conſpexere Europeorum, ſimulatque eaſdem contemplatæ ſunt, *aves* grandiores eſſe putaverint, *& vela alba* earumdem *alas*, quod plurima priorum ſeculorum tradunt itineraria, præcipue de incolis Nigritiæ. Occurrit alias in Sacris נס de *velo* navis *Eſai.* XXXIII. 24. Ἐῤῥάγησαν τὰ χοινία σου, ὅτι οὐκ ἀνήχυσαν ὁ ἱςὸς σου ἔκλινεν, οὐ χαλάσαι נס τὰ ἱςία, ubi mentionem vides *funium nauticorum*, χοινίων *mali navis* ἱςοῦ & *velorum* ἱςίων. Videtur tamen quædam eſſe inter נס & כנף differentia, ut hoc ſit brevius velum, quale in parvulo eſt navigio, cui ob brevitatem cum *ala* maxima intercedit ſimilitudo. Illud vero נס ſit velum grandius quale καταπετάσματι, latioris expanſionis. Loquitur enim Propheta *cap.* XXXIII. de grandiori navi, quod ex *verſ.* 21. conſtat, ubi vocat צי אריר *navem magnam*; *cap. vero* XVIII. de צלצל ſeu navigio minutiori, ut multoties indicavimus.

V. Tranſlatæ autem hujus ſignificationis, qua *vela navium alæ* appellantur, multiplicia in Græcorum Latinorumque ſcriptis deprehendimus exempla quæ loco *Iſai.* illuſtrando adprime conducunt. Græcis enim πτερὸν *alam* eſſe, ἱςίον *velum* navis docet *Euſtathius*, notioniſque egregiam reddit rationem *Iliad.* ὠ *verſ.* 480. Ἀρχὴ δὲ γέγονε τοῦ πτερὰ νηὸς καὶ τὰ ἱςία λέγεσθαι. Διαπέτωννονται καὶ ὠκύτητος ἕστιν αἴτια, ὥσπερ πτερὰ τοῖς πτηνοῖς, οὕτω καὶ αὐτὰ ταῖς ναῦσι. *Olim & navis vela dicta ſunt alæ* (quia expanduntur vela inſtar alarum) *& ut celeritatis cauſa alæ eſt volatilibus*, *ſic illa* (vela) *in navibus*. Exemplis hæc comprobemus, quibus πτερὸν de velis navis uſurpatur. *Lycophron Caſſ. verſ.* 3. 4.

Μηδὲ πτερώτας ὁπλίσαντες ὁλκάδας

Neque illi alatas armantes naves.

Ubi

Ubi ὁλκάδες πτερῶται sunt naves velis tanquam *alis* instructæ. Apparet hoc ex *v.* 25. ubi æque *alarum* in navi mentio pro velis, cum Phalacrææ filiæ (ita naves vocat ex sylva Phalacra, memorantur:

Ὑπὲρ Καλυδνῶν λευκὰ φαίνεσθαι πτίλα.
Ultra Kalidnas albas ostendere naves.

πτίλα hic esse πτερὰ seu *alas* recte vidit *Tzezes*, ea tamen in re errans, ut ex ejus judicio *Canterus* doctissimus ceteroquin *Lycophronis* interpres, quod hanc vocem de κώπαις seu remis intellectam velit. Remis quidam æque alas tribui novimus, docentibus id pluribus *Meursio*, & *Pottero* ad eumdem *Lycophronis* locum. Verum hoc in loco ubi epitheton λευκὸν jungitur, λευκὰ πτίλα sunt *alba vela*, quæ ex albo constant lino, unde navis λευκόπτερος *albas habens alas*, & λινόπτερος *lineas habens alas* seu vela. *Æschulo* sunt voces synonymæ in Prometheo. Explicuit & de πτεροῖς hunc ipsum, quem citat locum *Eustathius* ad *Odis.* λ. Maxime vero juvabit *Homerum* contulisse, cui λευκὰ πτίλα *Lycophronis* sunt λευκὰ ἱςία *alba vela*. *Iliad.* ω *vers.* 480. Utitur vero & voce πτερῶν de navium velis *Pindarus Olymp.* IX. A. *vers.* 4. navem vocans ὑποπτέρον *alatam*, quam recte de velis explicat vocem *Er. Schmidius*. Atque ut vela contraham, cui ignotum est πτεροσαὶ νεῶν *alii instruere proprie* est, *velis* ornare? Qua de re lexica consulantur.

VI. Latium quoque vetus consulenti abunde similes obviam venient locutiones. Ipse pater *Ennius* vocavit naves *velivolas*, quod velis tanquam alis mare transvolent. Fragmentum servavit *Servius Æneid.* I. *vers.* 224. *Duas ait res significare (mare velivolum; qua phrasi usus poeta) & quod velis volatur, ut hoc loco, & quod velis volat, ut Ennius, qui naves velivolas, qui & proprie dicit:* Est enim reciproca metaphora navium & avium; Legimus enim *& velorum pandimus alas*, & *contra de avibus nare per æstatem liquidam*, cum natatus navium sit, alæ vero avium. Locus *Virgilii*, quem in hac causa citat *Servius*, extat III. *Æneid. vers.* 520.

—— Nos castra movemus
Tentamusque viam, & velorum pandimus alas.

Eleganter hic castrorum vocabulum usurpat, non modo de re nautica & classe, ut recte. *Servius* animadvertit, cum in eadem hærens metaphora, & alarum in classe facit mentionem. Quippe hanc & illam castrorum partem seu cornu dictam esse *alam* scimus; unde nobis dem rechte fincte flugel. *Cerda* observat poetam castra classem dixisse de terrestri exercitu; eadem de *alis* metaphora adest cum poetæ naves volare dicunt. *Catullus* I. *Carm.* 4. de *Phaselo*:

—— sive palmulis
Opus foret volare sive linteo.

Ubi *linteum* est velum lineum in navi expansum, ventoque oppositum, ut celeritas cursus navis promoveatur (1) *Virgilius* III. *Æneid. vers.* 124.

Liquimus Ostygiæ portus pelagoque volamus.

Nimirum ope velorum, quæ instar *alarum* sunt. *Servius*: *Pelagoque volamnes, quia & alibi mare velivolum.* Pariter Hebræis עוף *volare* dicitur omne quod celerrimum est, velocique fertur cursu. Vide *Glass. Reth. S. lib.* V. *tract.* I. *pag.* 1762. *seqq.* Unde & nostris קלים מלאכים *nuntiis levibus vers.* 2. dantur כנפים *alæ*, quibus celerem cursum perficiant denuntiando iram divinam.

VII. Quæ cum ita se habeant, nollem cum iis vitilitigare, qui in voce כנפים Canaphajim urserint nomine duorum, adeoque antequam dictis fidem sint adhibituri, mihi probationem injunxerint, has naves veterum modo duobus ornatas esse velis. Nam si vel decem velis instructæ fuerint, iis vocem dualis numeri, haud adversam fore crederem, ut ut probabile sit, brevia adeo minutaque navigia haud facile pluribus ac binis velis parvulis locum dedisse. Quicquid sit, Hebræi cum toties numero duali, vel pluribus utantur, & hoc loco de numero alarum nulli controversiam faciendam esse censeo. *Glassius Gr. S.* III. *tract.* I. *can.* 22. de hoc usu dualis numeri egit. Quinimo Cel. *Relandus* in præfat. Palæstinæ abs se erudita opera ex *Vet. Mon.* illustratæ, varia exempla protulit nominum dualis pluralisque numeri, quæ unico subjecto tribuuntur, ut *Mizrajim*, *Muppim*, *Chuppim* &c. (2) Quocirca cum כנפים esse *vela* ex dictis constat, vides sane quam eleganter & צלצל Interpretes Græci, qui ipsi in Ægypto vixere Alexandriæ, hasque quotidie naves usurpare oculis poterant, per πλοῖα naves reddiderint. Q. E. D.

CAPUT VI.

Vocabulum רנים apud Jobum pariter auxilio esse interpretationi צלצל de Navigio.

ARGUMENTUM.

I. *Explicatio de navi piscatoria*, *quod* navis piscium *&* דונה *&* דוניה. II. *Notat* רנים piscatores *heic loci non pisces*. *Vetus lectio loci adstructa*. *Alias* piscatores *dici* רנים *&* דינים *frequens omissio τȣ̃ in S. Codice*. III. *Piscatores apud* Jobum *sunt Ægyptii*. *Ægyptiorum commercia cum Phœniciis*. *Apud* Jobum verſ. 30. *emendatus & illustratus*. IV. בני ἔϑνη בן *&* בת filius & filia *pro incolis*. Chanaan *pro mercatore*.

I. ATtingamus & alterum *Jobi* locum ubi צלצל רנים reperimus. Agitur de Leviathane pisce grandiore, ejusque difficili captura, qui sane cum in maximis fluminibus pelagisque conspicuus est, capi haud potest sine navium & piscatorum opera. Quid miri igitur *Jobum* hic mentionem facere navium, quarum ope Leviathanem capiunt piscatores? Indeque bene concludi, rectam se habere Græcorum interpretationem. Dices רנים non notare piscatores ἁλιεῖς sed ἰχϑύας pisces, adeoque nævi veterem versionem argues, videlicet uti צלצל כנפים *navis alarum* apud *Esai. navis alata* sic צלצל רנים *navis piscium*, sive quæ pisces adfert, erit navis piscatoria, ναῦς ἰχϑυόφορος. Istiusmodi navem Talmudici vocant דונית *piscatoriam* ellipsi vocis navis, quod רנים *piscatorum* propria sit notante *Buxtorfio Lex. Talm. pag.* 507. Uti & דונה *Amos* IV. 2. per *naviculam piscatoriam* explicare solent.

II. Verum cum רנים, ut heic loci scriptum est, non ἁλιεῖς piscatores indicent, qua tamen voce Græci eam reddidere, prætereaque multo concinnior sit navis piscatorum pro piscatoria quam *navis piscium*: quid si dixerimus veterem lectionem, quæ apparuit in *Codice Vet. Test.*, quibus ante tot secula usi sunt Alexandrini, haud fuisse רנים sed דונים *Dawagjim* vel רינים *Dajigim*? Utroque enim modo vox illa scribitur, & ἁλιεὰ *piscatorem* indicat, ut & Græci interpretantur *Jes.* XIX. 8. ϗ̀ ϛενάξȣσι (דיגים) οἱ ἁλιεῖς, *& mærebant piscatores*. *Ezech.* XLVII. 10. ϗ̀ ϛήσονται ἐκεῖ (דוגים) ἁλιεῖς, *& stabunt illic piscatores*. Uti & *Jerem.* XVI. 16. ἰδȣ̀ ἐγὼ ἀποϛέλλω τȣ̀ς (דוגים) ἁλιεῖς κ.τ.λ. *Ecce ego mitto piscatores*. Quo tamen id tantum volumus indicio, ut qui alieni sunt ab emendationibus locorum S. S. tantummodo aliam interpretationem vocabulo רונים accommodent, neque de piscibus, sed de רונים ἁλιεῦσι cum Græcos interpretantur. Accidit enim vel sexcenties in V. T. codice Hebræo, ut vocibus exciderit, quod vel ex iis manifestum locis, in quibus eadem remanente significatione passim exaratur, passim omittitur. Ita hic scriptum reperimus לא lo illic לוא mox תכיים Tukjin mox תוכיים, hic קופים Kuphim, illic קפים. Alibi תר Tor, alibi vero תור cum *turturem* indicat. Confer *Cant.* II. 12. & *Levit.* V. 7. Itemque quum seriem innuit seu ordinem, confer *Esth.* II. 12. I. & I. *Chron.* XVII. 17. Tyrus passim scribitur צור. *Psal.* XLV. 13. In inscriptione *Psalmi* XXII. habes אילת ἀντίληψιν *opitulationem*, sed verſ. 20. אילת de quo loco, ut hac ipsa literæ omissione alibi disputavimus (3) Verum apud Alexandrinos eadem vocis explicatio & eandem deposcit lectionem.

III. De Ægyptiis autem apud *Jobum* sermonem esse de piscatoribus, non solum exinde colligas, quod Ægyptus abundaret piscatoribus, quæ nimirum tot fluminibus fossisque perluta, egregie piscationi, & quidem quod parvis fit navigius, esset accommoda, sed & id insuper ex *verſ.* 30. discimus. Quippe illis, qui capturæ Leviathanis operam darent, tribuit commercium cum Chananæis seu Phœnicibus, quod Ægyptiis frequentissimum esset, non item Ichtyophagis, his ad idem Mediterraneum Mare habitantibus, illis vero integris terrestribus divisis abhinc regionum spatiis. Ait enim *Jobus*. *Epulabuntur de eo gentes & distribuent eum* בין כנענים *inter Chananæos*: Locus ut ut videatur perspicuus, tamen uberiori indiget lumine. Apparent enim in eodem, quod de alio observavimus, iterum duo orationis membra, seu hemistichia, quorum vocabula ad semet invicem mutua χίασι debent referri. Uti vero hinc verba יכרו *Epulabantur*, & יחצוהו *divident*, ad se spectant: siquidem grandiores pisces antequam epulis sint commodi, dividere atque partiri in frusta oportet. Ita & חברים respondere debet voci בין. At cum prima vox notet socios, gentes, altera vero particula sit denotans *inter*, nihil esse commune videas his significationibus. Græcam vero versionem in auxilium vocans inter utramque vocem plurimum fuisse adfinitatis pernoscas. *Ita illi*:

Ἐνσιτȣ̃νται δὲ ἐν αὐτῷ ἔϑνη
Μεριτεύονται δὲ αὐτὸν φοινίκων ἔϑνη.

Epu-

Epulabantur de eo gentes
Et divident eum Phœnicum nationes

Inſpicis igitur Græcos utramque vocem cum חברים tum בין expoſuiſſe per ἔθνη *gentes* ſenſu optimo & eleganti.

IV. Sed quibus fidiculis ex בין extorquebis notionem ἐθνῶν; Credas (4) idcirco velim in Alexandrinorum Codice literas hujus vocis tranſpoſitas fuiſse eo ſenſu, & ratio Hebræi poſtulat ſermonis, & pro בין ſeriptum בני *bene* quod in conſtructione cum כנענים poſitum pro plurali בנים (*banim*) *filiis* hoc eſt ἔθνεσι, incolis, populis Phœniciorum; ita בן *filius* & בת *filia* ſæpiſſime pro incolis regionum & urbium ponuntur, בני קדם *bene Kedem* filii orientis ſunt populi, gentes orientales *Geneſ.* XXIX. 1. & בני ציון *bene Zion*, *filii Sion*, ejus incolæ. *Pſalm.* CXLIX. 2. Pariter *Pſalm.* XLV. 13. בת צר *Bath Zor filia Tyri*, ſunt Tyrii, uti בת תרשיש *filia Tharſis*. *Eſai.* XXIII. 10. Tarteſſii; & *ibid. verſ.* 13. בת צידון *filia Sidon* pro Sidoniis. Sic בת בבל *filia Babel* ſunt Babylonii. *Pſal.* CXXXVII. 8. Atque ita elegantia dictioni *Jobi* reddita eſt. Alii autem כנענים reddunt μεταβόλους *mercatores*. Et hoc haud male. Quoniam Phœnices mercaturæ erant addictiſſimi, unde in ſacris כנען Chanaan vel Phœnicium ſæpiſſime pro mercatore poni Phœnicio protrita obumbratio eſt, ut & Græca verſio pro כנען. *Eſai.* XXIII. 8. habet ἔμπορος *mercator*. Præcipue *Hoſ.* XII. 7. celebratur כנען *inſtitor* (mercator) *in cujus manu eſt lanx doloſa*; ubi Chanaan in Græca verſione ad marginem explicator μετάβολος.

C A P U T VII.

Significatio vocis צלצל pro navigio alio argumento adſtruitur.

S U M M A R I U M.

I. *Mentio navium papyracearum in* Eſai. *v.* 2. *illuſtrat notionem* צלצל *in v.* 1. II. *Quænam terra indigitetur a propheta his navibus abundans? Videtur oratione prophetæ deſcribi populus late ultimam occupans Africam ab Aſtabora & Aſtapi uſque cum Nilo confluentiis. Notæ Characteriſticæ v.* 2. 3. *&* 7. *illuſtrati.* III. *Apud* Jobum *prius hemiſtichium illuſtrat poſterius. In utroque mentio eſt navis ex Græca verſione. Vis argumenti.* IV. *Recapitulatio omnium argumentorum.*

I. QUi Hermeneuticæ ſacræ operam addixerunt, conſpectum habebunt nihil frequentius eſse in ſacris literis, ac bina vel terna commata ſemet proxime excipientia poni, quorum poſterius ut cum priore ſenſu convenit, ita illud explicare concinne, & in genuinam ejus interpretationem nos adducere. Alibi de hoc negotio latius diſputavimus, cum in Diſs. de Gloſsem. Nov. Teſtam. §. II. 13. tum in Anal. Bibl. §. 34. 36. In vexato pariter hoc *Eſai.* loco verſum ſecundum exponere primum facile videmus, dum ait Propheta *verſ.* 1. *væ terræ* צלצל כנפים, & *verſ.* 2. *quæ mittit* צירים *legatos* (obſides ὅμηρα Græci) כלי גמא *vaſa papyracea ſuper faciem aquarum*. Porro *Ite* מלאכים קלים *nuntii leves ad gentes &c.* Quippe cum vaſa papyracea & leves nuntios in *verſ.* 2. eſse navigia conſtet Africanorum papyracea & arundinea, quæ celerrima erant (*vid. cap.* III. §. 4. 5. 6. nihil bonæ interpretationi magis convenit ac ut & צלצל כנפים in *v.* 1. de his ipſis navibus intelligamus; terra enim illa deſcribitur (1) quæ ejuſmodi navibus repleta eſt *verſ.* 1. (2) quæ illas mittit ad alias gentes ſuper faciem aquarum *verſ.* 2. Adeo ire hinc leves nuntii jubentur ad *gentem peregrinam & ſuperiora loca inhabitantem*, ſeu μετέωρον. Exemplum capiamus ex l. *Eſai.* XIX. *verſ.* 8. Quemadmodum illic triplici nomine occurrit gens piſcatorum, & quidam vocatur דיגים *piſcatores* (2.) *qui hamum conjiciunt in rivum* (3.) *qui expandunt rete in ſuperficiem aquarum*. Atqui ut poſteriora commata duo explicant, prius nomen דיגים, cumque eo ſenſu coincidunt, eodem modo & heic loci, quæ dein *verſ.* 2. memorantur (1.) *nuntii leves* (2.) *vaſa papyracea*, æquum eſt ut cenſeamus eadem eſſe (3.) cum צלצל *verſ.* 1. Adeoque ut illic navigia intelligis, ſic & huic voci eandem ſignificationem dare neceſse ſit. Aliud exemplum habes in *verſ.* 1. *Pſal.* 1. Vide quæ ad illum locum olim commentati ſumus in *Anal. Bibl.* §. 27.

II. Exiſtimabunt igitur plurimi maximopere notionem hanc צלצל illuſtratum iri, ſiquidem excuſſerimus, quæ illa terra ſit his navigiis, vaſiſque papyraceis, & nuntiis levibus abundans, quæque dicitur eſſe מעבר לנהרי כוש *trans flumina Chuſchææ verſ.* 1. Prophetam vel de gente Africana, vel quæ ultra Arabiam eſt, loqui patet. Nam quod tam omnes populi Africæ, quam qui ultra Arabiam, quam *Bochartus* כוש eſſe vult, habitant ad Oceanum hujuſmodi navibus utuntur arundinis, papyraceis, ut *cap.* II. §. 6. indicavimus nihil inquiſitionem operoſiorem de hac populo ſignificationi צלצל de navigio ejuſmodi papyraceo prodeſſe facile animadvertimus, quod tam Ægy-

ptiis,

ptii, quam Æthyopes (de his enim duobus populis contendunt interpretes) iisdem utantur. Eadem vero de terra Chuschæa tam de fluviis Chuschææ, quos indicat propheta, & denique de terra, quæ est trans hæc Chuschææ flumina (capiendum est enim עבר notione *trans*, quæ ipsi est vulgatissima, rectissimeque Græci ἐπέκεινα *trans* exposuerunt) cum longioris sit anhelitus disquisitio, eadem & heic loci & facili supersedemus. Paucis tamen ut sententiam exponamus, quanquam orationi prophetæ nonnulla adsint, quæ interpretationi de Ægyptiis favent, plurima tamen videri adesse, quæ de alio terrestri tractu nos cogitare jubeant. Rationes idcirco nobis haud deesse forsitan, cur eo nomine intelligamus vastissimum illum terrarum Africanarum tractum, qui ab Astaboræ Astapique cum Nilo confluentia flumina; etenim hæc videntur omnino esse נהרי כוש *flumina Chuschææ* ad ultimum Africæ promontorium, quod nunc sub capitis novæ spei nomine, olim vero phrasi *promontorii* cognitum fuit, porrigitur. Hæc quippe est (1.) gens ממשך μετέωρος *sublimis*, seu quæ superiora loca, & montana inhabitat. Gentes enim μετέωροι Germanice sunt Hochinder contra quas distincte Niederlander, hoc est superiores & inferiores. Uti & Germani Scothi dividuntur in Hochinder, & Niederlander. Dein (2.) est גוי מורט Ξένος λαὸς *gens peregrina*, incognita, utpote longinque dissita, ideoque incognita natio, uti & tempore non modo *Strabonis* erant hæc ἔθνη Lybiæ τὰ πλεῖστα ἄγνωστα *pleræque incognitæ*, *quod multi non eo ducti exercitus*, *aut peregrini inde advenerint* *lib.* II. *p.* 90. Sed nostro etiamnum haud cognitæ satis sunt istæ barbaræ nationes. Porro gens est (3.) *ultra quam non est alia*. Inde Græci: τῆς αὐτῆ ἐπέκεινα, *quæ gens est trans illam*. Et *Symmachus* μεθ' ὃν ὐκ ἔστιν. *Post quem nullus est populus ultra*, seu *trans*. Quippe hi Æthyopes Lybiæ ut vocantur, sunt *procul dissiti*, atque hinc ἔσχατοι τῶν ἀνδρῶν *ultimi hominum Homero* Odyss. α. *vers.* 22. 23. apud quos Jovem memorant celebrare convivia ad Oceanum Iliad. α. *vers.* 423. Præterea est (4.) *gens conculcata* λαὸς καταπεπατημένος מבוסה h. e. *servilis*, vilissimoque habita loco, qua etiam conditione sunt ad hodierna usque tempora. Tum est (5.) *populus magnus* seu *terribilis*, *a quo fuit*, & *huc usque* vers. 7. seu nunquam eo tempore quo hæc scribebat *Esaias*, *debellatus*. Nam *primum* quidem eos bello superasse Ptolemæum I. Ægypti regem evergetem dictum, testatur monumentum vetus Adulitanum in Adules urbe ad sinum Arabicum in testimonium hujus victoriæ a Ptolemæo ipso erectum, & a *Cosma Indopleuste* servatum lib. II. Cosmogr. Christianæ, & post Cl. *Montefalconium* a celeber. *Fabritio* editum in Bibl. G. L. III. cap. XXV. p. 605. sqq. quod & hos populos ὄρεα μέγιστα *maximo montes habitare* prodit. Denique est & gens (6.) קו קו *præcepti & præcepti*, h. e. multorum præceptorum, quæ ritus & religionem spectant, seu superstitiosissima, unde & Græci ἔθνος ἀνέλπιστον, *gens quæ sine fide est*, & vera religione (relatione habita ad verum Judæorum cultum) reddiderunt. Quæ quidem ut opinor notæ Characteristicæ Ægypto haud commodæ sunt. Quapropter & ab Interpretibus de Ægypto has voces exponentibus ad alios longe sensus abducentur, ac in veterum versionibus iis datos esse peridemus. Verum de his ulterius heic loci disserere nec vacat, nec instituti exigunt rationes. Ipsum illum virum longe celeberrimum, qui tantopere pro Ægypto depugnat, adeo ut hypotheses secus principio censuerit esse ἀναμεισβήτως, in ἀνακεῖσει c. XVIII. §. 3. *p.* 513. dein tamen, cum *cap.* XIX. interpretatus est, confitentem habemus in nota subjecta *p.* 583. esse in veterum monumentis, quæ interpretationi de Æthiopia vel Abissinia possint magno esse usui.

III. His eapropter missis, dispiciamus numne & apud *Jobum* quidpiam hæreat, quod interpretationi Græcorum צלצל pro navigio illustrandæ commodum sit; & erit sane si præcedentem partem hujus commatis cum hac ipsa, de qua disputamus, contulerimus. Apparent enim hic duo commata, quæ mutuo se respiciunt, rursus præcedensque subsequenti lucem affundit. Illam loquendi rationem & obtinere apud *Jobum* haud est cur dubites ex parte ulla, quod non solum passim iisdem pateat *Jobus*, sed hoc capite a *vers.* 11. ad hunc ipsum usque *vers.* 31. vix aliud occurrat genus loquendi. Prior ejus hæc est pars ex Græca versione.

> Πᾶν δὲ πλωτὸν συνελθὸν ὐ μὴ ἐνέγκη μίαν βύρσαν ὐρᾶς αὐτῆ
> *Omnis navis conveniens una non adfert unicum corium caudæ ejus.*

Altera vero huic respondens

> Καὶ ἐν πλοίοις ἁλιέων (sc. ὐκ ἐνέγκωσι) κεφαλὴν αὐτῆ
> *Et in navigiis piscatorum* (non adferunt) *caput ejus.*

Sensus horum verborum est; nulla navis aliquid adfert de Leviathane binis hujusmodi

modi propositionibus expositis, antecedentibus a *verf.* 11. similibus, principalis igitur sermo est de navibus, adeoque necesse est, ut vox ejusdem significationis ingrediatur utramque propositionem. Proinde ut in prima πλωτῶν *navem* vel classem, sic in altera צלצל rectissime Græcos per πλοῖον traduxisse compertum est. Nil hoc argumento, si recte capiatur, est liquidius, quodque magis elegantiam expositionis Græce arguat. Eaque observata interpretandi methodo innumeris S. S. literarum locis lumen accendi posse persuasissimum unusquisque habeat. Ea enim loquendi ratio per universum S. *Codicem* Hebræamque linguam dominatur. Et hanc quoque in illis verbis, quæ præcedunt in hoc loco החמלא בשכות עירו, quæ LXX. ita ut diximus, transtulerunt, quærendam esse nulli dubitamus, quamquam quomodo inde elici queat, nondum ob difficultatem Jobæi sermonis, quæ passim occurrit, nobis constet, vel ulterius nunc quidem inquirere allubescat.

IV. Quandoquidem itaque sententiam nostram firmant, roborentque (I.) vetustissimorum elegantissimorumque Interpretum Græcorum expositiones, a quibus haud tuto nec sine periculo erroris recedimus, iisque alii, ut Chaldæus Arabsque &c. adstipulentur; Cap. I. nec minus II. perquam commode hæc illustrari possit interpretatio ipsa notione Cymbali in צלצל haud repudiata, quod aliquando *vasis* nomine cum navigiis fuerint communia ipsaque instrumentorum musicorum aliis concessa rebus perquammultis ob formæ similitudinem Cap. IV. Præterea (III.) vox צלצל cum alia סלסל ita conveniat, ut exinde notio papyracei navigii (de quibus loca interpretamur, per quam concinne erui & explicari possit; Cap. II. Dein (IV.) vocabulum כנפים *vela navis* indicet, adeoque τῷ צלצל illi junctum expositionem navigii deposcat Cap. V. Uti & (V.) interpretatio rectior vocis דגים apud *Jobum* eandem de navi piscatoria mirifice adjuvet, & illustratum eat Cap. VI. Porro (V.) sequentia apud Prophetam nomina harum navium כלי גמא *vasorum papyraceorum*, & מלאכים קלים *levium nuntiorum* simile in prima thesi vocabulum significationeque par, quod צלצל haud aliud est, postulent c. II. §. 4. *6.* cap. VII. §. 1. Æque vero (VII.) rationem hemistichiorum apud *Jobum* ex versione Septuaginta arguat, ut cum in prima propositione de navi agitur, ita & in subsequente de eodem subjecto sermo fit; Cap. VII. §. 3. Denique cum (VII.) ipsissimum nomen צלצל significatione navigii & ad alios populos transierit, velut *Phaseli* nomen cum illo idem est, abunde docet; Cap. III. examini eruditi Lectoris relictum cupimus, cum alii explicationi, ac quidem navigii his in locis sartis tectis bonæ interpretationis regulis locus concedi possit.

NOTÆ.

(1) Adde *Virg.* lib. v. verſ. 219.

——— ſecat ultima priſtis
Æquora, ſic illam fert impetus ipſe volantem

Et *Ennium* apud *Macrob.* vi. *cap.* 1.

Labitur uncta carina, volat ſuper impetus undas.

Et *Furium Antiatem.*

Sicut fulva levis volitat ſuper æquora claſſis.

Ut & *Catul.* Carm. LXV. verſ. 8.

Ipſa levi fecit volitantem flumine curſum.

(2) Immo ipſum כנפים in numero Duali *Eſai.* 1. *6.* de ſex Seraphinorum, & *Ezech.* 1. *6.* de quatuor animalibus uſurpatur. T. D. H.

(3) Puto hic ſatis reſponſionis ad allatam difficultatem contineri. Neque ulla vel in hoc loco vel alibi opus eſſe textus Hebræi correctione. T. D. H.



THEO-

THEODORI HASÆI

AD

PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM

De ארץ צלצל כנפים ad *Esai.* XVIII. I. supplementum, in quo Ægyptum ea phrasi denotari ostenditur, & de Ægyptiorum navali non pauca notabilia adducuntur.

ARGUMENTUM.

I. *Introductio.*
II. *Dicendorum summa & ordo.*
III. *Cur* I. *Ægyptus potuit vocari* terra navium. *Ob gloriam* (A) *rei navalis, quam nacti sunt Ægyptii; iis inventio navium tributa.*
IV. *Classes eorum navales temporibus vetustissimis.*
V. *Recentioribus.*
VI. *Navium Ægyptiacarum splendor, & magnificentia, præcipue Alexandrinarum.* Act. XXVII. 37. 38.
VII. *Nautæ illorum suæ artis peritissimi.*
VIII. *Causa cur tanta rei navalis gloria floruerint Ægyptii; bina est, prima piscatus, qui illis valde frequens erat ob piscium abundantiam.*
IX. *Altera commerciorum commoditas, qua omnibus aliis populis antestabant.*
X. *Hinc navium apud eos copia.*
XI. *Quia tota quanta erat, mare olim credebatur fuisse, si vera traditio.*
XII. *Quod in annuis inundationibus toto quasi mari cooperta potuit navigari.*
XIII. *Quia* (C) *tota fossis alveisque innumeris distincta navibus ubique viam aperiret. Cur equi in Ægypto desierint esse?*
XIV. *Quia* (D) *in sacris illorum frequentissima navigiorum mentio.*
XV. *Navigium Isidis, Tabula Isiaca. Navis Osiridis.*
XVI. *Isis navigiorum præses. Apud Romanos quoque inter tutelas navium.* Pelagia *dicta. Naves dictæ ab Iside.*
XVII. *Cur* II. *Ægyptus dicta terra* צלצל *sive Phaselorum? Cur parvulis navigiis & lembis utebantur? Illustratur* vers. 2. צירים *pro* סרים.
XVIII. *Cur* III. *dicta* terra navium alarum, *sive alatarum, i. e. velivolarum? Alæ notant vela apud Græcos.*
XIX. *Latinos mare velivolam, avium pennæ dictæ vela.*
XX. *Ex hac observatione multæ fabulæ illustrari possunt,* v. g. *Dedali & Icari, & Pegasi, & Pelopis. Draco alatus.*
XXI. *Adscribuntur autem Ægypto* כנפים i. e. *vela, quia* (a) *iis velorum inventio tribuitur. Isis velificatione primum usa est.*
XXII. *Quia* (3.) *Phaseli Ægyptiorum erant velis suis instructi.*
XXIII. *Erant illa ex Biblo facta instar alarum. Anne* Esaiæ VII. 18. *Ægypti vocentur muscæ?*
XXIV. *Adducuntur alii, qui locum hunc illustrarunt.*
XXV. *Nostra interpretatio suboluit aliis.*
XXVI. *Cl.* Vitringæ *contra illam argumenta examinantur & diluuntur.*

I. Superior Dissertatio exhibuit tibi veram divini Codicis locorum, de quorum genuino sensu diu multumque disputatum est, interpretationem, iis, siquidem judico, munitam argumentis, quæ uniuscujusque non nimis morosi Lectoris adsensum facile impetrabunt. Neque ego dissimulo, me his lectis ponderatisque, derelicta, quam alias fovebam sententia, in eam pedibus ire fuisse coactum. Atque ita

ita videri posset, & frater meus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις in hac quoque causa egregie partibus suis esse defunctus, nobisque ne aliquid adderemus fecisse ferias. Attamen unicum est, quod ab eo, ad illum *Esaiæ* locum (nam de altero *Jobi* in mea de Leviathane *Jobi* disquisitione, quædam adhuc monendi suppeditata fuit occasio) omnino non prætermittendum fuisse mihi quidem videtur. Neque enim satis est ostendisse צלצל כנפים posse illam interpretationem de *navibus alatis* seu velivolis pati, sed si illam exceptionem cavillis non velis expositam, id quoque demonstrandum, regioni illi, de qua toto hoc capite sermo est, quamque Dominus alloquitur appellationem ארץ צלצל כנפים i. e. *terræ navium alatarum*, sensu privo & pleno convenire. Id autem a fratre meo fieri non poterat, quod in ea esset opinione, sermonem Divinitatis, non ad Ægyptum, sed ad longum illum terrarum Africæ tractum, qui ab Astaboræ Astabique cum Nilo confluentiis, ad extremum Africæ promontorium extenditur, pertinere. In eo autem cogor ab eo sententiæ facere divortium, qui hoc vaticinium non ad aliam regionem quam Ægyptum spectare persuasissimus sum. Ea enim, quæ pro sua sententia adduxit cap. VII. §. 2. facillimum mihi foret diluere, & id probare liquido, ea omnia in Ægyptum (1) quadrare probe, quæ illi aptari posse dubitat, si id nunc agendum esset, & nisi optimus maximusque *Esaiæ* interpres, qui nunc adscriptus est Cœlitibus solide id omnino & erudite in suo ad hunc locum commentario præstitisset.

II. Non quidem nunc severa lege examinabo, num & illa phrasis sensu quodam dilutiori Æthyopiæ conveniat; cum & illa navibus suis abundarit. Id enim hi ajunt, alii negant: Neque id ad rem definiendam satis est. Etenim non inde colligas illam κατ' ἐξοχὴν & διακριτικῶς vocatam fuisse *terram alatarum navium*, si vel & ejus incolæ navigiolis suis usi essent frequenter. Cum nulla sit omnino provincia vel fluminibus distincta, vel cujus oras mare alluit, in qua non ab antiquissimis temporibus navium frequens usus fuerit. Si itaque digito quasi monstratur, & audacter dicere velis, hæc illa est quæ *Esaiæ* commemoratur *terra navium alatarum*, talis dubio procul investiganda, quæ circa navium usum singulare aliquid ac maxime commemorabile habet, quod in ulla regione alia haud inveneris. Quod si itaque talis indagari potest, cui nauticæ rei gloria præ aliis omnium consensu tribuenda, quæ tota quanta quanta est nullo angulo excepto, navibus impleri, ac perreptari potest, quæ denique inter sacra sua navigium, & tale quidem navigii genus, quale heic describitur, habet, vix dubito, quin heic indicari credendum sit. Talis autem fuit Ægyptus, & præter Ægyptum nulla terrarum orbis provincia alia. Id autem ut in aprica luce collocem, ostendam Ægypto plane aptam esse denominationem, primo *terræ navium*. II. Tam terræ צלצל sive talium navium, quales hæc vox denotat, i. e. parvulorum navigiorum. III. צלצל כנפים, i. e. navicularum velis suis instructarum. Quod ubi evicero, non solum illorum opinionem, qui de hoc regno locutum esse *Jesaiam* arbitrantur, haud parum corroboravero, sed & id, ut spero, persuasero aliis, explicationem phraseos illius quæ dabitur huic loco, perquam apte convenire, immo divinum vatem de Ægypto locuturum, non politiori vel pulchriori potuisse uti dicendi ratione, quam Ægyptum ארץ צלצל כנפים *terram velivolarum navicularum*, sive Phaselorum appellando.

III. Quod enim I. primum adtinet, quantam (A) gloriam ex re navali fuerint Ægyptii præ aliis etiam cultissimis orbis nationibus nacti fuerint, ex non unis constat rerum documentis. Quidam Ægiptiis navium inventionem tribuere. Id tamen ego prorsus incertum ac dubium existimo. Neque enim nescio longe plures esse, qui aliis, Phœniciæ præcipue incolis eam laudem adsignant. *Neque tamen primum in Græciam ex Ægypto Danauum* (qui tempora Judicum adtinet) *advenisse, cum antea ratibus navigabatur:* Autor est *Plinius* lib. VII. cap. 56. Eum omnium primum navem dictam πεντηκόντερον fabricasse testatur *Apollodorus* in Bibl. lib. II. cap. 5. Sesostrem primum πλοιοῖσι μακροῖς usum, iisque Arabicum sinum prætervectum *Herodot*. lib. II. cap. 102. & *Diodorus* lib. I. pag. 50. commemorat; *Isidem primum rate velificasse, & Minervam primam Danao navem biproram ædificasse, in qua Ægyptum fratrem profugerit* scribit *Hyginus* fab. 277.

IV. Hoc certius est classibus eos usos ab antiquissimis temporibus instructissimis. De Sethosi, & Amenophi vetustissimis Ægypti regibus, quos coævos Mosi faciunt, id testatur *Manethon* apud *Josephum* lib. I. contra *Apionem*. Sesostrim classe navium CCCC. in extremos fines Indiæ penetrasse cit. l. refert *Diodorus*. In classe Xerxis ex Ægypto petitas esse naves CC. idem habet lib. XI. p. 2. Cambysen ad Polycratem misisse rogatum in auxilium στρατὸν ναυτικὸν, atque hunc illi XL. triremes

mes misisse narrat *Herodotus* lib. III. c. 44. Idem Aprien cum Tyriis rei nauticæ laude in primis florentibus dimicasse lib. II. cap. 161. refert. Et quam magnæ ornatæque vetustissimis illis seculis fuere aliquando naves, vel illud te docere potest navigium *cedrinum* CCLXXX. *cubitos longum, quod extrinsecus auro, intrinsecus argento obductum compaginasse Sesostrim* refert *Diodorus* lib. I. p. m. 52.

V. Et quod propiora adtinet, quantum valuerint Ægyptii navibus, id ignorare nequeunt, qui historiam bellorum, quæ reges eorum cum populo Romano gesserunt, non ignorant. Imprimis autem ad quantum fastigium rem nauticam eduxerint reges Ægyptiorum, qui post Alexandrum M. Ægypti potiti sunt, Ptolemæi, Antigonus, Seleucus, ex illorum temporum historia satis constat. Audiamus vel unicum *Appianum* in præfatione. *In regibus suis* (erat autem Alexandrinus) *actuariarum & id genus minorum navium M. M. longarum vero ab hemioliis usque quinquerennes MD. instrumentum longarum duplum, thalmegorumque auratis puppibus rostrisque, quæ ad ostentationem in bello ipsi reges conscendebunt, DCCC.* En numerum navium regum Ægypti quater mille & trecentarum, cui similem dubito an ullus unquam regum, vel possederit olim vel nunc possideat. De Ptolemæo Philadelpho testatur *Athenæus* l. I. p. m. 203. *eum navium multitudine superasse reges omnes &c. Amplissimas apud eum fuisse ordinum triginta, duas ordinum viginti, triginta septem, sex ordinum quinque, unam, quatuordecim duas undecim ordinum quatuordecim, novem ordinum triginta, septem ordinum triginta septem, sex ordinum quinque, septemdecim quinqueremes quadriremes, triremes, & hemiolas duplo plures; navigia vero quæ ad insulas dimittebantur suæque ditionis urbes plura quam quatuor millia.* Antonius cum teneret Ægyptum cum Cæsare conflicturus maritimo prælio illi opposuit νῆες μαχίμες ὀκ ἐλάττους πεντηκοσίων, ἐν αἷς ὀκτήρεις πολλαὶ καὶ δεκήρεις κεκοσμημέναι σοβαρῶς καὶ πανηγυρικῶς teste in ejus vita *Plutarcho* p. 944. Audiamus de his *Florum* lib. IV. cap. II. *Nobis quadringentæ amplius naves, ducentæ non minus hostium. Sed numerum magnitudo pensabat. Quippe senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur.*

VI. Siquis autem avet cognoscere, quanta arte quantaque magnificentia Ægyptiorum reges naves suas fabricaverint, subinde is omnem fere fidem superantia de nave Philopatores τεσσαρακοντήρη *longa* CCLXXX. *cubitos, lataque* ἀπὸ παρόδου ἐπὶ πάροδον h. e. *ab uno latere in alterum* XXXVIII. *in qua nautarum* CCCC. *remigum* MMMM. *militum circiter* MMM. *multitudo fuit* ἐκπληττομένων ἁπάντων ὀ τὰ πλήθη μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἔργων. Obstupescentibus cunctis non ob numerum modo hominum, verum & molem operis consignata literis leget apud *Plutarchum* in Demetrio Tom. I. Opp. p. 910. & multo exactius & curiosius apud *Athenæum* c. l. Conferet pariter, quæ idem *Athenæus* habet de ejusdem Thalamego, quo in Nilo navigabat, cujus longitudo fuerit dimidii stadii, latitudo major quam cubitorum triginta altitudo parum a quadraginta cubitis aberat. Conf. de illa *Palmerii* exerc. ad Scriptores Græcos p. 170. sqq. Miri quoque artificii navis fuit, qua in mari rubro mercaturam facientes usi sunt Ægyptii, quam describit *Philostratus* in vita *Apoll.* lib. III. cap. 33. Ecquis porro in veterum scriptis tam hospes est, ut de insigni Alexandrinarum navium multitudine & magnitudine nihil inaudiverit? Nobilis est descriptio navis quam exhibet *Lucianus* (6.) in dialogo πλοῖον ἢ εὐχαί opp. p. 493. quamque vocat ὑπερμεγέθη ναῦν καὶ περὰ τοῦ μέτρου *supra modum ac mensuram ingentem*, quæ Isidis nomen tulit, cujus longitudo erat cubitorum CXX. latitudo circiter XXX. altitudo XXIX. in qua tanta nautarum multitudo, quæ cum exercitu comparari poterat, quæque tantum frumenti poterat vehere, quantum in annuum victum omnibus Atticæ incolis sufficeret, & in qua omnia θαυμάσια esse videbantur. Ipse tamen *ibidem p.* 497. vel illa navi vel καλλίω . . . vel μείζω πλοῖα commemorat. *Plinius* describens navem, quæ de Ægypto obeliscum Romam traduxerat lib. XVI. cap. 40. & illam *omnibus, quæ unquam in mari visæ sunt mirabiliorem* appellat lib. XXXII. c. 9. & vel ex ipsis sacris Literis illorum magnitudo navigiorum colligitur. Illa enim Alexandrina navis, quæ Apostolum in Italiam detulit, præter magnam frumenti copiam, quam continuit, ducentos & sex supra septuaginta homines vehebat, uti ex *Act.* XXVII. 37. 38. colligere est. Quanta autem multitudo navium, quæ ex Ægypto solvebant quotannis, fuerit, vel ex ingenti atque incredibili annonæ, variarumque aliarum mercium copia, quæ ex Alexandrino portu in Italiam atque alias Europæ atque Asiæ provincias devehebantur, proclive est conjicere; Inter hæc autem quamvis complura sint, quæ tem-

tempora spectent, quæ *Esaiæ* ætatem sequuta sunt, sunt tamen etiam complura, quæ illam vel anteeunt, vel comitantur; & hæc ipsa ejus sunt generis, ut satis demonstrent Ægypto excolendam rem navalem vix regionem fuisse aptiorem.

VII. Id quod ex eo quoque confirmatur, quod nautæ Ægyptiorum navigandi peritiæ laude præ aliis nationibus maxime efflorescebant. Ita ille, qui illam, cujus modo ex *Luciano* meminimus, navem gubernabat, vocatur ϑαυμάσιος τὴν τέχνην, καὶ τὰ ϑαλάττια σοφὸς *in arte sua mirabilis, & rerum maritimarum Proteo peritior*. Apud *Philostratum* l. c. navis Ægyptiacæ directores dicuntur ἄριστοι καὶ δὲ ἄξιοι ναῦται. Insigne in hanc rem est testimonium *Hirtii* in bello Alexandrino p. m. 361. qui *Alexandriæ urbis, & regionis maritimæ* vicinæ incolas vocat *homines nauticos*, *quotidianoque usu a pueris exercitatos*, eosque narrat *omni studio ad parandam classem incubuisse, & ita ad naturale ac domesticum bonum refugisse*. Nota quoque vox est illius militis, Antonio, teste *Plutarcho* Tom. I. p. 945. acclamantis ὦ αὐτοκράτορ Αἰγύπτιοι καὶ Φοίνικες ἐν ϑαλάσσῃ μαχέσϑωσαν ἡμῖν δὲ γῆν δός. *Imperator, Ægyptii & Phœnices in mari prælientur, nobis permitte terram*. Atque hinc factum est, ut extranei in classibus suis instruendis uterentur Ægyptiorum nautarum opera. De Xerse & Chambyse id jam visum est: Semiramidem cum Indiæ rege maritimo prælio decertaturam, quod ut putant, omnium antiquissimum fuit, *navium habuisse longarum, rostratarumque tria millia, numerum autem nautarum tanto navium numero parem, collegisse ex Syria, Phœnice, Ægypto, Cypro, ac Cilicia* testis est *Suidas*. Unde & ars navigandi vocatur παιδεία Αἰγύπτου apud *Euripidem* Troad. *Act.* I. vers. 127.

VIII. Neque est, quod hæc quisquam miretur. Ut enim nunc non dicam nullam fuisse regionem tam commodam navigationi, quam Ægyptus, quæ tota fluviis fossisque erat distincta, de qua re mox pluribus agetur, id notata dignum est inprimis, illas ipsas artes, quæ potissimum frequentem usum desiderant, in Ægypto viguisse insignem in modum piscationem, & mercaturam. Abundabat enim piscibus, quod vel discimus ex *Exod.* VII. 18. 21. Ita Israelitæ in deserto palantes cum dolore recordabantur *piscium quos gratis in Ægypto comederant*. *Num.* XI. 5. Illiusque incolas *ex piscibus vivere vel ad solem arefactis, vel salsugine conditis* autor est *Herodotus* lib. II. p. 133. *Diodorus* lib. I. p. 31. *Secundum post herbas radicesque victum Ægyptios habere piscium usum* πολλὴν δαψίλειαν παρερχομένου τοῦ ποταμοῦ *magnam eorum copiam præbente fluvio præsertim cum post incrementum exsiccatur* scribit *Strabo* lib. XVII. p. 823. ἰχϑύες, ait ἐν τῷ Νείλῳ πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι χαρακτῆρα ἴδιον ἔχοντες καὶ ἐπιχώριον. *Pisces in Nilo sunt permulti, & varii, qui propriam quandam & regioni convenientem formam habent*. Eorumque ibi bene longum catalogum exhibet, id quod pariter fit ab *Athenæo* lib. VII. Deipn. *Herodotus* lib. II. c. 45. atque *Diodorus* lib. I. p. 48. narrant *fisco regio quotidie esse adjectum talentum ex piscatura, quæ in stagno Mœridis exercebatur, cum efflueret aqua, cum autem in lacum influeret, viginti minas*. Atque hoc in piscibus, quorum species XXII. aluisse perhibetur, affluisse ut προσκαρτεροῦντες ταῖς ταριχείαις ὄντες παμπληϑεῖς, *qui perpetuæ illius salituræ operam dabant, quorum ingens erat numerus, vix operi sufficerent*. Id quoque commemorabile est, quod *Plutarchus* in lib. de Iside & Osiride p. 353. narrat id obtinuisse moris inter Ægyptios, *ut eorum unusquisque primi mensis die nono ante fores ædium suarum asso pisce vesceretur, solis sacerdotibus abstinentibus*. *Piscatores* quoque *Ægyptios* insigni loco celebrat *Esaias* cap. XIX. qui de Ægypto vaticinium complectitur, ubi vers. 8. *Mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes, qui hamum conjiciunt in rivum, & qui extendunt rete in superficiem aquarum*. Tribus his piscatorum nominibus Alexandrini addunt quartum ἀμφιβολεῖς. Navibus itaque opus fuit Ægyptiis piscatum feliciter exercituris. Et ita se rem habere etiamnum in Ægypto τῶν ὁδοιπορικῶν scriptores confirmant.

IX. Præterea ingenti ac fere innumerabili navium copia uti necesse erat Ægyptios ob commercia quæ longe lateque exercebant. Nulla enim erat regio, quæ tam commodo situ ad mercaturam faciendam gaudebat. Ab omni fere latere cincta erat mari; unde multis veterum insula credita. Unde *Strabo* l. p. 32. quærit τί δ' ἄλλο Αἴγυπτός ἐστι πλὴν ποτάμια νῆσος, ἣν ἐπικλύζει τὸ ὕδωρ; *Quid aliud est Ægyptus, quam fluvialis insula, quam aqua inundat?* Erat insuper Ægyptus quasi orbis tum cogniti umbilicus, ac centrum; tres ejus partes æquali veluti intervallo attingens. A septentrionali plaga alluebatur mari mediterraneo, & inde in Europam, & omnem septentrionis tractum iis facilis erat accessus; sinistrum latus sinus claudebat Arabicus, in Arabiam, Indiam, ad Seres usque & Chinenses, atque is vicinorum marium insulas dabatur excursio, unde

unde omnes orientalium regionum divitiæ in reliquas orbis partes Ægyptiorum ope diffundebantur. Ab austro contigua erat vastis Æthiopiæ terris, mediaque secabatur Nilo fluviorum principe; cujus & alveorum suorum adminiculo merces omnis generes facili negotio undequaque adportatæ per orbem dividebantur. Jam ab antiquissimis temporibus Osiridis adeo & Sesostris negotiationum laude floruisse, atque in Indiam, atque ad ipsos Chinenses, quorum si non tota natio magna tamen pars Ægyptiis videtur originem suam debere, illæ extensæ sunt. At earum studium ad summum evectum est culmen extructa Alexandria, quam suo adhuc tempore *Strabo* vocabat μέγιστον ἐμπόριον τῆς οἰκουμένης. Neque paucæ ejus urbes aliæ. *Thebæ* ἑκατομπύλη, *Thomis*, (quam *Diodorus* appellat τὸ παλαιὸν τῆς Αἰγύπτου ἐμπόριον.) *Memphis*, *Canopum*, *Naucratis* μυὸς ὅρμος, i. e. *murium portus*, *Coptos*, *Diospolis*, *Ptolomais*, *Pelusium*, *Berenice*, inter emporia celeberrima numerabantur. Et quis nescit, quot classes frumentariæ, quot commeatus, quot ἐμβολαὶ σιτοπόμπια singulis annis in Græciam, præcipue Romam ac Byzantium fuerit ablegata? Nimirum hæc nos extra limites, quos posuimus nobis, essent abductura, si ea extendere vellemus latius. Qui de Ægyptiorum commerciis plura scire desiderat, is feret operæ pretium, si legerit illustris *Huetii* libellum *de veterum mercatura* ante annos aliquot Gallice, & ipso hoc anno Belgice editum cum passim, tum præcipue cap. XLVIII.

X. Unusquisque autem ex his abunde perspiciet, quanto Ægyptiis opus esse debuerit navium numero. Unde *Herodotus* lib. II. p. m. 124. ubi illas descripserat addit. Ἔστι δέ σφι τὰ πλοῖα πλήθει πολλὰ καὶ ἄγει ἔνια πολλὰς χιλιάδας ταλάντων. *Horum navigiorum ingens est apud illos copia, quorum quædam ferunt multa millia vehere talentorum pondo*. Unde nollem excidisse doctissimo viro N. *Fullero*. Miscel. lib. IV. cap. 10. Ægyptios nunquam maritimarum expeditionum, & lustrationum nomine celebratos, aut ulla earum scientia claros fuisse habitos; ex adverso ex his optime rationem puto peti posse, ob quam Ægyptum dato fuit nomen ארץ צלצל, *terra navis*, quæ explicanda nobis erat.

XI. Sed illi succenturiabo (B) aliam, quæ sane non minoris est momenti, videlicet: Nullus est terræ angulus, qui ita totus, quantus quantus est, operiri poterit navibus, sicuti Ægyptus: Antiquis enim traditionibus, si habenda est fides, quæ nunc Ægyptus est, prisco ævo:

> *Grande mare, & tellus nullum discrimen habebant,*
> *Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto.*

Ex aggestione enim Nili κατὰ τὰς ἀναβάσεις τὴν ἐκ τῆς Αἰθιοπίας ἰλὺν καταφέροντος. *Per excessus suos limum ex Æthiopia afferentis* excrevisse illam regionem, & cum antea totum mare esset, factum fuisse continentem scripserint: Unde quidam illam ποταμόχωστον, alii γῆν ἐπίκτητον, nonnulli τοῦ ποταμοῦ δῶρον, vel ἔργον nominaverunt. Vid. *Diod.* lib. I. pag. 17. & lib. III. p. 144. *Strab.* lib. I. p. 30. & 32. & lib. XII. pag. 536. *Plutarch.* Opp. T. II. p. 367. *Herod.* lib. II. cap. 5. & 10. *Aristot.* Meteor. lib. I. cap. 14. *Senecam* nat. quæst. lib. VI. cap. 25. & ex recentioribus *Brodæum* Misc. lib. III. cap. 5. & τὸν πάνυ *Bochartum* in Phaleg. lib. IV. cap. 24. Quæ si vera essent, facile vides, quomodo illa regio, cum ubique locorum in ea navibus locus esse posset *terra navium* potuisset nominari. Sed cum incerta valde & dubia ea narratio sit, ut nonnulli ex veteribus & citato loco *Bochartus* ostendere, ad recentiora tempora descendendum est.

XII. Videlicet notum est iis quoque, qui nondum ære lavantur, Nilum singulis annis excrescere, & ripas superatis totam regionem undis suis obruere, fuisse solidam, ut ea ultra sex menses integros mari similior videretur, quam terræ, totaque quanta erat, navibus navigari potuerit. Sic *Herodotus* scribit lib. II. c. 55. *Quam regionem supergressus est Nilus, solas urbes apparere, eatenus extantes, ut insulis maris fere similes videntur. Cætera enim Ægypti pelagus fieri ipsasque urbes solas extare*. Nec jam hoc contingere per alveum fluminis, sed διὰ μέσου τοῦ πεδίου *per mediam planitiem*. *Heliod.* in Æthiop. p. 112. Ὀργέεται ὁ Νεῖλος, καὶ ποταμὸς εἶναι οὐκ ἀνέχεται, ἀλλὰ κατεξανίσταται ζῆς ὄχθος καὶ θάλασσας τὴν Αἴγυπτον, τῇ παρόδῳ γεωργεῖ τὰς ἀρούρας. *Superbit Nilus, nec se fluvium esse patitur, sed effunditur extra ripas, & eluvione tanquam mari quodam Ægyptum operiens adventu suo fœcundat agros*. *Cic.* lib. II. de nat. Deorum. *Ægyptum* (inquit) *Nilus irrigat, & cum tota æstate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit*. *Ulpianus* quoque l. I. §. ripa ff. de fluminibus. *Nilum incremento suo operire Ægyptum*. *Plinius* lib. V. c. 10. *Certis diebus auctu magno per totam spatiatur Ægyptum, fœcundus innatat terræ*. Hinc Nilus vocatur Ma-

Mare; & *Gregor. Nazianz.* Orat. 24. de Nilo eum appellat ποταμὸν πελαγίζοντα, ut *Seneca* Nat. quæſt. lib. v. cap. 2. *in faciem lati ac turbidi Maris ſtagnare* eum ſcribit. Nimis elegantia ejuſdem *Senecæ* verba ſunt, quæ paulo poſt addit, quam ut hic omitti debeant. *Illa facies pulcherrima eſt, cum jam ſe in agros Nilus ingeſſit. Latent campi, opertæque ſunt valles; Oppida inſularum modo extant. Nullum in mediterraneis niſi per navigia commercium eſt: Major eſt lætitia gentibus, quominus terrarum ſuarum vident. Sic quoque cum ſe ripis continet. Nilus per ſuprema oſtia in mare emittitur quodcumque elegeris ex his mare eſt.* Addam adhuc notabilem, atque huc apprime facientem *Achillis Tatii* locum, eumque Latine ut chartæ parcam. Ita ille lib. IV. p. 246. *Nilus navigatur, bibitur, aratur. Eſt enim iis Nilus omnia, nempe fluvius, terra, mare, palus; admirationeque omnino dignum eſt eodem in loco navem & ligonem, remum & aratrum, temonem, & tropæum* (rectius lege cum *Salmaſio* χρώπιον quæ falcem notat lignariam) *nautarum & agricolarum caſas, piſcium & boum cubilia ſpectare. Nam qua navem egiſti, illic ſementem facis; rurſus ubi ſermentem feciſti, illic navem agis*: & quæ ſequuntur. Tum enim navigiolis vagabantur ubique; quo alludit *Virgilius* lib. IV. Georgic. verſ. 287.

Neare qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit affuſo ſtagnantem flumine Nilum
Et circumpictis vehitur ſua rura phaſelis.

Et *Lucan.* lib. IV. verſ. 135.

—— *cum tenet omnia Nilus*
Conſeritur bibula Memplutis cymba papyro.

Aut hinc edocebere, qui ſit *terra navium*, aut nulla re alia.

XIII. Accedit tamen & hoc (C) quod illa regio fluminibus ſuis (unde *Strabo lib.* XVII. *verſ.* 789. vocat ποταμίαν) tot Nili oſtiis innumeriſque alveis foſſis & paludibus eſſet diſtincta, in qua re nulla alia cum ea comparari poſſit, quam fortaſſis ille orbis ocellus, Belgica. Erant autem illæ vel a Nilo excavatæ, vel hominum arte vel labore factæ. Audiamus rurſus *Tatium Ægyptium*. Ita ille adducto il loco pergit. *Nilo creſcente aquæ & terræ contentionem videre licet, dum illa tantum terræ inundare, hæc tantum aquæ abſorbere nititur, pari utrinque victoria, neque enim, quæ ſucumbat, diſcernitur. Nam terræ magnitudini aqua par ſit, in ea enim regione, quam paſtores incolunt, multa ſemper reſidet. Nam cum eam omnem Nilus inundaverit, paludes efficit, quæ deinceps illo etiam abeunte remanent, minus quidem aquæ continentes, per quos cum pedibus feruntur, tum etiam naviculis.* Foſſas autem manu jubente Seſoſtri factas deſcribit *Herodotus lib.* II. *cap.* 108. *Illum* (ſcilicet ait) *gentes ſub poteſtate redactas adhibuiſſe*, ut διώρυχας τὰς νῦν ἐούσας ἐν Αἰγύπτῳ: *ut foſſas, quæ tum Ægypto erant effoderent. Ab eo tempore* (pergit) *Ægyptus quæ omnis plana eſt, tamen inequitabilis, & plauſtris inhabilis extitit.* Αἴτιαι δὲ τούτων διωρυχὲς γεγόνασι ἐοῦσαι πολλαὶ καὶ παντοίους τρόπους ἔχουσι. *Cauſa illius rei fuerunt foſſæ, quæ ibi erant multæ, & omnia loca occupabant.* Confirmat ea *Diodorus lib.* I. *p. m.* 52. *Per omnem terram Seſoſtris a Menphi ad mare crebras ex amne foſſas duxit, ut fruges per compendia, & facile conveherent, mutuiſque homines commerciis, & ubique locorum quiete, & prolixa omnium commodorum abundantia fruerentur.* Ante id tempus potiſſima fuere Ægypti pars æquorum & curruum agitationi patebat (2). At poſtea δια πλῆθος τῶν ἐκ τοῦ ποταμοῦ διωρύχων *ex multitudine foſſatum ex fluvio diductarum difficili acceſſu facta eſt.* Inde *Trogi* Epitomator l. II. c. I. Ægyptum vocat *tantis inſtructam molibus* (i. e. aggeribus) *tot foſſis conciſam, ut cum his recipiantur, illis arceantur aquæ.* Atque hæ illæ foſſæ ſunt *in quas Nilus ex æſtuat, quas oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſiſſe Auguſtum, ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet* teſtatur *Svet. in Auguſto cap.* 18. Sic in illa inſula, quam Nili oſtia faciunt multos eſſe alveos & inſulas, ὥθ᾽ ὅλην γένεσθαι πλωτὴν διωρυχῶν ἐπιδιώρυξι τμηθεισῶν, *ut tota fiat navigabilis, foſſis aliis ſuper foſſas factis, quæ tanta facilitate navigantur, ut nonnullii teſtaceis utantur ſcaphis*, ſcribit *Strabo lib.* XVII. *pag.* 788. Atque hæc ratio eſt, ob quam apud ipſum prophetam noſtrum *cap.* XXXIII. 21. vocatur מקום נהרים יארים *locus fluviorum & foſſam*. נהרים enim notat Nilum, יארים notat foſſas, ſtagna, paludes, quibus irrigabatur Ægyptus, uti recte verterunt LXX. ποταμοὶ καὶ διωρυχὲς. Atque hoc quoque, cum liberum per omnem regionem tranſitum aperirent inummerabili naviculalarum agmini, inde quoque dices, quomodo illa nomen commode *terræ navium* potuerit ferre.

XIV.

XIV. Denique (D) illius denominationis ratio inde quoque arcessenda esse videtur, quod in templis suis sacrisque ceremoniis, festivitatibusque navigia occurrerent frequenter. Sesostrim navigium illud ingens, cujus jam supra §. 4. meminimus, Deo, quem Thebæ colebant religiosissime, dedicasse autor est *Diodorus*. Proficiscebantur quotannis Ægyptii, maresque & fœminæ religionis causa Bubastim, ubi Dianæ fanum, magna cum pompa saltantes, & crotulis ludentes, idque *in navigiis*, quorum sane oportet magnam fuisse copiam, cum iis veherentur præter pueros ultra septingenta hominum millia teste *Herodoto lib.* II. *p. m.* 112. Similis huic fere est *ante omnia memorabilis turba eorum, qui ad festivos conventus per fossam Alexandria descendebant Canopum*. Ubi πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ πᾶσα νὺξ πλήθει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων, καὶ κατερχουμένων ἀναίδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν *illa impleta erat tota die & tota nocte navigiolis viros ac mulieres vectitantibus, qui extrema cum lascivia cantabant, ac tripudiabant* referente *Strabone lib.* XVII. *pag.* 801. Quid memorem illam navem, quam per alveum Nili singulis annis deducebant, in qua erat statua Agathodæmonis? Quid dicam *de navi, quæ Argo Græcis dicitur, navis Osiridis imagine, in honorem ejus in sydera relata*, cujus meminit *Plutarchus*? Aut simulacrum hominis conscendentis navigium crocodilo impositum, quo solem repræsentabant, cujus explicationem *Eusebius* exhibet? Aut Isidem ἐν βωείδη *in lembo papyraceo paludes Ægyptias pernavigantem*, eodem *Plutarcho* teste?

XV. Quid vero memorem famosam illam Isidis *Barin* qua illa vecta per paludes Osiridis a Typhone lacerati disjecta XXVI. frusta quæsivit, & recollegit, vel qua arcam, ita qua repertum erat Osiridis cadaver ab urbe Byblo per mare trastulit in Ægyptum, cujus meminit *Plutarchus lib.* de Iside & Osiride *p.* 257. 258.? Quid illud omnium sermonibus circulatum Isidis navigium, quod ei singulis annis *tanquam primitias commeatus*, ut loquitur *Apulejus*, *libabant*, dedicabantque sacerdotes, quod *certo die* (quem Kalendas esse Martias in veteri Kalendario notatum est) *celebrabatur* teste *Lactantio*, quod ad ipsos Germanos nostros, & nominatim Svevos scriptore *Tacito*, qui ejus *signum in modum Liburnæ figuratum* scribit transvectum est? Quis ignorat Apim, aut taurum Apis simbolum, curate quæsitum & inventum, & per 40. dies in urbe Nili saginatum, magna cum solemnitate navi thalamego impositum, Menphin in Vulcani lucum devectum esse, ut ibi pasceretur, quem ritum commemorat *Diodorus*? Eccui non visa est illustris illa tabula Isiaca, quam docto commentario illustravit *Laurentius Pignorius*, in qua bini lembi Ægyptiaci cernuntur, in quibus bos Apis cum Osiride atque Iside? Quid denique adducam navem illam, in qua solem vehentem pingebant Ægyptii, cujus cursus si sisteretur tota naturæ salus impediretur, *cui nautæ septem Germani tamen, suique consimiles præsidebant, ut prora forma felis descripta, Leonis in arbore, crocodili in extimo videbatur*, referente *Eusebio & Martiano Capella*?

XVI. Neque id negligendum est, Isidem præcipuum Ægyptiorum numen navigiorum fuisse habitum præsidem; Ab ea inventas esse τὸν Νεῖλον ἀνιάειν καὶ τοὺς ἀνέμους ἐπιπέμπειν καὶ σώζειν τοὺς πλέοντας *Nilum attollere, ventos immittere, & servare navigantes* legitur apud *Lucianum Opp. T.* I. *pag.* 188. Unde ejus effigies tamquam tutela atque insigne navium sæpe conspiciebatur. Ita navis Adimanti, quam *Lucianum* descripsisse jam vidimus habebat τὸν ἐπώνυμον τῆς νεὼς Θεὸν τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν, *utrinque Deam Isidem collocatam*, a qua nomen quoque acceperat, vocabatur enim πλοῖον ἡ ἶσις. Sicut & navis Romanorum id habuit nominis ut patet ex inscriptione in portu Misenatium, quam exhibet *Pigbras* in Hero. prod. pag. 367. & *Jul. Cæs. Lupacius* in antiquitatibus Putelonis (Italice editis Romæ 1650. *p. m.* 210.) Illi solebant tabulas in templo suspendere qui evaserant naufragium. Docet id Scholiastes *Juvenalis*.

> *Et quam votiva testantur fana tabella*
> *Plurima pictores quis nescit ab Iside pasci?*

Ad hæc verba illa. *Tabella* (inquit) *quam naufragio liberati ponunt. Antiquitus enim solebant, qui naufragio liberati essent, pro voto pingere tabellas, & in templo Isidis ponere*. Inde dicta est *Pelagia* in inscriptione Romana apud *Gruterum pag.* 312. *num.* 5. Unde nummum Commodi apud *Tristanum Tom.* I. *pag.* 726. Ex quibus non a sua solum natione, sed ab extraneis rei nauticæ fuisse præfectam colliges.

XVII. Cum itaque radiis solis clarius appareat quam emphatico sensu Ægyptus vocata sit *terra navium* ita (II.) & id quoque attendendum est, vocem heic

heic adhiberi, rei de qua agitur, adprime convenientem. Neque enim mentio fit τῷ אניות vel צים vel ציים ארירים ut *Esai.* XXXIII. 21. quæ voces notant naves, sed τῦ צלצל, quam vocem parvum indicare navigiolum instar corbis alicujus, aut lintris erudite demonstratum vidimus a fratre meo τῷ μακαρείῳ in diss. suæ de hac argumento *cap.* II. & III. Tales enim erant pleraque navigia, quibus utebantur Ægyptii: Quis enim eorum *phaselos barides* & ἴβας, *Thalamegos*: πλόγματα βεβλίνα, vel παπυρίνα, vel διαπλόκινα, ὀςρακένα, *naves junceas*, *papyraceas*, *scirpeas ex spinis*, & arundinibus contextas ignorat, quæ omnia erant valde exigua, & vix aliquot cubitorum? Describit ea acurate *Herodotus* dicitque esse πλήθει πολλά ut jam visum. Vide de parvulis illis navigiis fratris differt. *cap.* III. §. 2. 3. Et adde illis *Achillem Alexandrinum lib.* IV. *pag.* 249. ubi de paludibus Ægypti loquens ἐπὶ ταύταις αὐτοὶ καὶ βαδίζουσαι καὶ πλεῦσιν: οὐδε ναῦς ἑτέρῳ δύναται πλεῖν ἀλλ' ὅσον ἄνθρωπον ἐπιβῆναι· ἀλλα πάντα τοῦτο πὸ ὁπηλος ἐμπίπτων κρατεῖ τοῖς δὲ πίκραμεν καὶ κοῦφα πλοῖα, καὶ ὀλιγον ὕδωρ αὐτοῖς ἄρκει εἰ δὲ καὶ πλεον ἄνυδρον ἀρθμένοι τοῖς νώτοις οἱ πλωτῆρες τὸ πλοῖον φέρουσιν ἀρχὶς ἂν ἐπιτύχωσιν ὕδατος. *Et illis & pedibus eunt, & navigant, sed non aliis navibus, quarum quæ singulos homines capiunt. Si enim fuerint aliæ, facile limo impeditæ retinentur. Quare iis parvula, & levia navigia, & exiguæ aquæ sufficiunt, quod si autem aqua illis deficiat, sublatam humeris naviculam portant, donec aquam inveniant*, & tales hæic intelligendas phrases, quæ *vers.* 2. 3. annectuntur, ac priorem hanc illustrant, satis indicant צירים (3) השלח בים. Ibi enim per כלי גמא *Vasa papyri*, & מלאכים קלים *nuncios leves* nihil aliud, quam scirpea papyraceaque illa Ægyptiorum πλοιάρια intelligenda sunt. Quemadmodum id quoque ex iis quæ §. 14. 15. attuli, animadvertere licet, illas naves, quæ in sacris Ægyptiorum ritibus memorantur, fuisse perixiguæ magnitudinis scaphas.

XVIII. Vides itaque quam ob causam Ægyptus vocata sit *terra navium*, & quidem *minutarum*; sed & nunc (III.) dispiciendum est cur appelletur *terra navium alarum*; i. e. velis instructarum. Quod antequam fiat, iis, quæ a fratre §. 5. & 6. *cap.* V. adducta sint, quibus probaret *alas* indicare navium vela, nonnulla adjungam, quibus ea magis illustrentur, ac confirmentur. Insignis in hanc rem *Hesiodi* locus est *Opp.* & D. *Lib.* II. *vers.* 246:

> Εὐκόσμως ςολίσας νηὸς πτερὰ ποντοπό-
> ροιο
>
> *Recte contrahens navis alas ponti-
> grade.*

Ibi Moschopulus τὰ πτερὰ τῆς νηὸς τουτέςι, τὰ ἵςεα ὅτι διὰ τούτων κίνειται ἡ ναῦς ἀνηπλωμένων ὡς διὰ τῶν πτερῶν οἱ ὄρνιθες. *Alæ navis sunt vela, quia per ea quando expansa sunt, ita movetur navis, ut alis suis aves.* Et *Proclus*. Νηὸς πτερὰ, ἵςεα, τοὺς χοίνους καὶ τὰ λοῖπα. *Æschylus* in Prometheo *p. m.* 3. *edit.* Stephani:

> Θαλασσοπλαγῆτα δ' οὔτις ἄσχος ἀντ' ἐμοῦ
> Λινοπτερ' εὖρε ναυτίλων ὀχήματα

Quibus verbis gloriatur Prometheus se vehicula nautica primum invenisse eaque λινόπτερα, i. e. *lineis alis* h. e. velis ex lino contextis instructa appellat; Ibi Scholiastes; λινόπτερα, τὰ ἔχοντα τὰ ἄρμενα, ὡς πτερά. Simili translatione *Hypatus* Macedonius in epigrammate navem πολυπλανήων ἀνεμῶν πτερὸν appellare monet *Hieron. Columna* comm. ad *Ennii* fragm. *pag.* 105. Unde recte *Procopius Gazæus* ad h. l. recte πτερύγας πλοῖων τὰ ἵςτεα καλεῖ, πτηνοῦ γὰρ δίκην ἐπιπτόντων αὐτοῖς τῶν πνευμάτων αἱ νῆες δέρχονται.

XIX. E Latinorum charo adde *Propertium* lib. IV. Eleg. 6. pag. 46.

> *Nec te quod classis centenis remiget
> alis.*

Nisi forte hæ intelligere velis de remis, qui quoque alæ dicuntur, uti *Virgilius* dicit *Remigio alarum*, de qua phrasi vide imprimis *Meursium*, & *Potterum* ad *Lycophr. Cass. vers.* 35. Cassandra apud veterem Poetam, quem citat *Cic. lib.* I. de *divinat. cap.* 31.

> *Jamque mari magno classis cita
> Texitur, exitium examen rapit.
> Advenit, & fera velivolantibus
> Navibu' complerit manu littora.*

Ut & *Ovid.* lib. IV. de ponto El. 4. vers. 42.

> *Et freta velivolas non habitura rates*

Atque *Virg.* lib. I. Æneid. vers. 224.

> *Despiciens mare velivolum, terrasque
> jacentes.*

In-

Inque in eo ſecutus eſt poetas veteres, *Accium*, *Ennium*, *Livium*; quorum teſtimonia exhibet *Macr.* lib. VI. *Satur.* cap. 5. Ut & *Lucretium*, qui lib. V. verſ. 1441. ita canit:

> *Tum mare velivolum florebat navibu' pandis.*

Et lib. 14. verſ. 340.

> *Quos agimus præter navim, veliſque volamus.*

Et jam olim *Ennius* apud *Varr.* lib. VI. de L. lat.

> *Cum procul adſpiciunt hoſtes accedere venteis*
> *Navibu' velivoleis.*

Et apud *Macr.* lib. VI. cap. 5.

> *Rapit ex alto naves velivolas*

Inſignem in hanc rem locum mox producemus §. 21. ex *Caſſiodoro*. Atque e contrario alæ navium dictæ quoque vela *Lucretio* lib. VI. verſ. 743.

> *Remigio oblitæ pinnarum vela remittunt.*

Pinnarum vela ſunt vela alata. Pinnæ enim dicuntur alæ *Virgilio*, *Juvenali*, atque aliis. Hinc ipſum mare vocarunt *undas aligeras*. *Arator Diaconus*, qui temporibus Juſtiniani floruit ad *Actor. Apoſt.* *cap.* 28.

> *Suſpicienſque ratem velis cedentibus Auſter,*
> *Præbuit aligeras placidis in fluctibus undas.*

XX. Atque ex hac obſervatione non paucarum fabularum origo peti poteſt. Inde jam de Dedalo & Icaro explicat *Palæfatus* de *incred. Hiſt. cap.* 3. eorumque alas de navi explicat, qua Minoa profugerunt, & quaſi volantes in mare circumlati fuere. Sane ſi *Pauſaniæ* fides habenda eſt in Bœoticis, Dædalus ſibi filioque ſuo πλοῖα ὐ μεγάλα fecit, eiſque vela impoſuit. (Ο᾽ μήπω τοῖς τότε ἐξεύρητο) Quæ tum adhuc erant incognita. Sane navibus eos fuiſſe uſos, *Cidemus* apud *Plutar.* in Theſeo obſervavit, & *Varro* mare Icarium appellatum eſſe cenſet, quod in illo naufragium paſſus Icarus extinctus fuerit. Ex eodem fonte eundem fere in modum idem *Palæphatus cap.* 29. Pegaſi alati, & *cap.* 30. Pelopis alatorum equorum commentum derivarunt. Videlicet utebantur navi velis inſtructa, quæ alas vocabant, cum autem ἱστίημον, & nomen navis eſſet equus, inde equos alatos fabricaverunt; Immo & hinc explicanda eſſe videtur fabula de Cereris curru a Draconibus alatis tracto, quo tot Maria peragraſſe legitur. Vel quod navis illa qua veheretur, inſigne haberet, vel effigiem Draconis, & quidem ob vela, quibus prædita erat, *alati* uti *Philochorus* in *Euſebii* Chronico explicat, quod ſcribit *Triptolemum longa navi delatum urbibus frumentum diſtribuiſſe*, ὑπονοεῖσθαι δὲ πτερωτὸν εἶναι τὴν ναῦν, ἔχειν δὲ κὴ τοῦ σχήματος, *per alatum autem ſerpentem ſignificari navem, cum figura ei ſit quodammodo ſimilis.*

XXI. Cum itaque כנפים alæ ſint vela navium, cur Ægyptiis ſigilatim illa adſcribuntur? Ejus rei puto me poſſe duplicem promere rationem. Nam Ægyptiis illorumque reginæ Iſidi inventionem atque uſum tribuebant. Docet hoc *Hyginus* in fine operis ſui, & cap. 279. *Velificia primum invenit Iſis, nam dum quærit Harpocratem filium ſuum, rate velificavit*. Inſignis in hanc rem locus eſt *Caſſiodori* lib. V. Var. Epiſt. 17. *Nunc armamenta procuſa, vela præcipue alas navium, facientia linum volatile, quidam ſpiritus currentium carinarum, prænuntia mercium, auxilia quieta nautarum, quorum beneficium conficiunt otioſi, quod, acerrimis avibus vix probatur impleri. Hoc Iſis rati prima ſuſpendit, cum per maria Aprochram filium ſuum audaci pietate fœmina perquireret*. Vides vela dici alas navium, eorumque originem ex Ægypto repetendam; atque ideo non mirum eſt navem velo, quod alæ habet figuram, ut ſupra viſum, in tabula Iſiaca conſpici.

XXII. Sed & alia (β) ratio eſt, ob quam veliferarum navium terra dici potuit Ægyptus; Parvulæ enim illæ naves, quarum proventus in Ægypto erat longe uberrimus, ſatis ſuperbiebant velis tanquam alis. Id nos edocet notus *Juvenalis Satir.* V. *verſ.* 26.

> *Hac ſævit rabie imbelli & inutile vulgus*
> *Parvula fictilibus ſolitum dare vela Phaſelis.*

Qui hunc locum *Eſai.* egregium in modum illuſtrat. Phaſelum enim eſſe צלצל abunde atque acute probavit frater meus *cap.* III. *Tom.* V. *pag.* 589. Huic itaque phaſelo cum dicit ſolitos eſſe Ægyptios

ptios dare parvula vela, an dubitas heic cernere horum צלצל i. e. phaselorum כנפים alas aut breviora vela? Atque heic quoque locum habent, quæ in *præced. diss. cap.* VI. §. 4. observata sunt de discrepantia τȢ כנף & נס quorum illud est brevius velum, hoc autem notat grandius. Adde quod & *vers. seq.* brevium remorum mentionem faciat, quales etiam in phaselis Ægyptiacis tabulæ Isiacæ occurrunt, uti & in eadem quoque vela, sed quæ expressam alarum, sive pinnarum imaginem referunt, cernuntur apud *Pignorum pag.* 71. *num.* 13.

XXIII. Erant autem illa phaselorum, sive baridum Ægyptiacorum vela ex byblo. *Herod. lib.* II. *cap.* 96. ubi illa data opera describit ἱστῷ δὲ ἀκανθίνῳ χρέωνται, ἱστίοισι δὲ βυβλίνοισι. *Malo utuntur ex spina, velis autem Byblinis. Plinius lib.* XIII. *cap.* II. *Ex ipso quidem papyro navigia texunt, & e libro vela, tegetesque:* Descripsisse hæc ille videtur ex iis quæ *Theophrastus* habet *lib.* IV. *hist. plant. cap.* 9. Αὐτὸς δὲ ὁ πάπυρος πρὸς πλεῖστα χρήσιμος καὶ γὰρ πλοῖα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῆς βίβλου ἱστία δὲ πλέκουσι καὶ ψιάθους. Singulari velorum genere ornatæ erant naves Alexandrinæ, quod *Seneca* describit in *Epist. ad Lucil. lib.* I. *Epist.* 77. Porro anne ex hac ingenti navicularum velis suis, tanquam alis ornatarum multitudine petenda inter alia quoque ratio phraseos quæ apud nostrum quoque occurrit Vatem *cap.* XIII. *vers.* 18. quare Ægyptii vocarentur *Muscæ, quæ sunt in extremo fluviorum Ægypti?* id vero aliorum dijudicandum arbitrio relinquo. Quemadmodum itaque quisquis attentius legerit fratris mei dissertationem facile concessurus est phrasim ארץ צלצל כנפים ferre posse interpretationem *terræ navium alatarum*, sc. velatarum, ita quisquis meam hanc qualemcunque συμβολὴν diligentius dignabitur perpendere, non dubito quin quod cum aliqua confidentia asserere ausim, illi persuasero Ægyptum vix elegantiori, nervosiorique phrasi potuisse designari, quam si vocaretur ארץ צלצל כנפים *terra phaselorum, sive navicularum velivolarum*, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

XXIV. Quo autem unicuique hanc sententiam eo licet cum vela navium alis comparata q. d. *O regio maritima, quæ accedat navibus, quæ reguntur velis, quæ recipit umbram velorum multarum navium, sive quæ tegitur umbra velorum &c.* Ubi tamen vides notionem umbræ in צלצל retinuisse. Et sic complures sunt, qui saltem כנפים de velis explicuere, etsi τῷ צלצל aliam significationem dederunt, v. g. *Hieronymus, Aquila, Cyrillus, Procopius Gazæus, Æcumenius, Theophylactus, R. David Kimchi, R. S. Isacides, Lutherus, Abr. Scultetus* (qui ita explicat, *Tot navibus, & velis illa invehitur, ut umbram faciat*) *Thaddæus Perusinus* (4) *Brentius, Œcolampadius, Mascullus Wicelius, Schindlerus, Fererius, Ursinus, Glassius*, aliique. Sed cum talia non tam adsentientium numero, quam argumentorum pondere agenda sunt, digito hæc tantum adtingimus.

XXV. Ne tamen vel tantillum restet dubii, aut aliquid data opera dissimulasse videar, eorum, qui huic sententiæ adversari compertum habuissem, tribus solum verbis monebo, duo contra illam extulisse, qui interpretum *Esaiæ* ordines ducit *Cl. Vitringa. Primum* quod adducit *hoc est*: *Non dubium est ait, quin Ægyptum hic describat propheta a charactere suo quodam diacritico.* Recte belle σοφῶς. Tantunque abest, ut hoc argumentum meam infringat sententiam, ut potius hoc ipsum illud sit, quod toti huic disceptationi præbuit ansam, ut in quo totius argumentationis meæ nervus situs est. *Atqui* pergit *Ægyptum habere fluvium tritum navibus, quæ in eo vela faciant, & expandant sua*: Nihil singulare est, id enim commune habet cum omnibus terris, quæ a majoribus fluviis perluuntur. Et hæc quoque vera sunt; neque diffiteor, si nihil aliud esset ostensum quam Ægyptum habere fluvium tritum navibus, quæ in eo vela faciant, eo hanc rem non fore decisam. Verum enim vero illam phrasim de qua agitur, tam διακριτικῶς atque ea ratione aptari posse Ægypto, qua nulli unquam regionum alii, id vero nisi valde fallor animo, tam liquido puto a me ostensum esse, ut sperem non defore, qui huic explicationi sint pressuri pollicem. *Alterum* quod affertur, hoc est: *Naves* quæ in Nilo navigant magna quidem copia, non nisi allegorice dici queunt obumbrare terram, cum fuerint minores, adeoque *minus commode* dici possint umbram facere terræ. Sed nuspiam legitur naves illas obumbrare terram: Et vocem צלצל non umbræ in hoc loco notionem, sed naviculæ, vel phaseli habere; id quoque satis superque monstratum est. Neque nunc plura addo. Fortassis enim diu nimis his navigiolis vastum Ægyptiacarum Antiquitatum mare perreravimus. Respicio portum, contrahamus vela. Et

Heic teneat nostras anchora firma rates.

Quo

Quo cum aliorum opinionibus conferri facilius, atque ex omnium comparatione eo rectius possit ferri judicium, utra aliorumve, an nostra veritati sit propior, adscribam eos, qui præter sacrorum voluminum commentatores, hunc locum vel obiter, vel data opera sibi excutiendum, atque luce perfundendum sumserunt, prout illa se mihi in meis offerunt adversariis. Vide sis itaque *Johann. Drusium* Observ. lib. x. cap. 20. *S. Bochartum* Phal. lib. IV. cap. II. pag. 213. *Steph. le Moyne* Var. S. pag. 180. seqq. *P. D. Huetium* Dem. Evan. prop. IV. cap. 10. d. 4. *Mart. de Roa* Singul. Sac. Script. loc. Tom. II. lib. v. pag. 581. *Thomæ Malvendæ* de Antichristo lib. IV. cap. 19. 21. *J. C. Dieterici* Ant. Bibl. pag. 579. seqq. *Mart. Delrii* Adag. S. ad 722. *J. H. Ursini* Anal. Vol. II. lib. 2. cap. 16. *Fr. Ad. Lampium* de Cymb. Vet. lib. I. cap. 21. & in hac Bibl. Clas. III. fasc. VI. sect. II. §. 28. seq. *Joh. Henr. Majum* Obs. S. lib. I. cap. 21. *Albertum Vogitium* (5) in Miscel. Bibl. Hept. IV. cap. 2. §. 3. ut & *Matt. Hillerum* Professorem Tubigensem (6) diss. de calamitate Ethyopiæ ad cap. XVIII. *Esai.* separatim edita Tub. 1714. 4. Atque *Herm. von der Hardt* in libello *Esaiæ* cap. XVIII. interpretibus obscuro Helm. 1713. 4. Sed cum hæc dissertatio nunc meis se subduxerit oculis, quænam ejus sit explicatio, non habeo dicere.

XXVI. Ex harum collatione cognosces in quam varias diversasque cogitationes eruditorum hominum animi distracti fuere, simulque miraberis nullum fere inter eos fuisse, si a sola discesseris eruditorum Hispanorum biga *J. Malvenda* (7) & *Martino de Roa*, illo Prædicatorum ordinis, hoc sodalitii Ignatiani membro, cui non planæ tamque commodæ, quam dedimus interpretationis venerit in mentem. Neque tamen omni illa destituta est autoritatis præsidio. Præter enim Chaldæum Paraphrasten, Arabemque, & Alexandrinos Interpretes, & *Ludovicum Legionensem*, in coment. ad Prophetam *Abdiam* jam fratri meo citatos, e recentioribus ita transtulit *Leo Juda væ terræ nassæ alatæ*: Tigurini. Weḣedem Lande der fliegenden Schrifften. *Immanuel Sa Cymbalo* scribit i. e. cymbalis, i. e. cymbis, seu navibus alatis utitur. *Vatablus* in notis (siquidem illarum autor est, de quo tamen passim dubitatur) quæ occurrunt in longe rarissima argenteisque literis impressa *Roberti Stephani* Bibliorum editione, quæ prodiit ann. 1554.

NO-

NOTÆ.

(*a*) Inter illa haud poſtremum eſt, quod verſ. ſequenti legitur, ubi Ægyptii vocantur גוי קי קי *gens* Καν Καν. Illam autem phraſin, quod præfiſcine dixerit, a nullo eſſe intellectam, Ægyptiis, & quidem ita convenere, ut nulli gentium alii, oſtendam, ubi Deus annuerit proxime.

(1) Egregie hunc *Luciani* locum illuſtravit emendavitque Frater meus ὁ ἐν ἁγίοις in diſs. *de navibus Alexandrinis Apoſtolum Paulum in Italiam deferentibus* ventilata publice ann. 1746. *cap.* 1. §. 6. *ſeqq.* ubi & plura de illis navibus Alexandrinis memorabilia invenies.

(2) Ex his quoque *Herodoti* & *Diodori* teſtimoniis, patet quomodo fieri potuerit, ut cum antea equorum præſtantiſſimorum, teſte S. Codice ferax eſſet Ægyptus, illi deinde in ea vix fuerint reperti. De qua re conſ. *Bochar.* Hieroz. *pag.* 1. *lib.* 11. *cap.* 9. & *Vitringum* Eſai. XXXI. 1.

(3) Difficilior hæc vox eſt; vulgo vertitur *legatos*; *Bochartus* vertit *imagines*; Sed quid ſi dicamus ita ſcriptum pro סרים, vel סירים ם in literam צ cognatam, quod valde fit frequenter mutata. Et ſic verteremus. *Quæ mittit principes ſuos in mare*: id eſt Nilum. Ita ut intelligantur Iſis, Oſiris, Adonis Ægyptiorum reges, principes, Deaſtri, quorum imagines magna ſolemnitate per Nili fluenta, quotannis deferebant, vel principes ſive Dynaſtæ Ægyptiorum quos per alveos Nili Thalmegis ſuis vectabant, difertis verbis id teſtante *Strabone*.

(4) Fuit is eremita Auguſtinianus S. Theolog. Profeſſor in Ill. Peruſio Theologorum collegio, cujus coment. in *Eſaiam* editum Perus. 1598. inter libros meos rariores numero. Is cum aliorum de hoc loco ſententias recenſet, ait ſecundum quoſdam *Ægyptum* vocari *cymbalum alarum* propter multitudinem navium, quibus utebantur, quæ propter vela impetu ventorum commota, quendam ſonum, velut cymbalum cauſare videbantur.

(5) Is explicat *terram umbræ alarum* ſive *orarum*, quia incolis Æthyopiæ, quam intelligit, perinde ut univerſis, teſte *Strabone*, qui habitant inter tropicum & Æquinoctialem circulum, umbræ in utramque partem cadunt, æque tam verſus ſeptentrionem quam meridiem.

(*6*) Is quoque doctiſſimus vir explicuit de Æthyopia, eamque ita dictam putat, quaſi terram locuſtarum alarum, ſive alatarum, quod in illa plures locuſtæ generentur, quam in ulla terrarum alia, unde & ejus incolæ dicti ἀκριδόφαγοι.

(7) Ita ille in L. de Aut. l. c. Nec aliud videtur interpres innuere per cymbalum, quam cymbas, ſeu naves vel a ſonitu ſeu ſtridore, quem diximus naves plenis velis volitantes reddere, vel quod vela navium ventis inflata cymbali ſeu campanæ ſpeciem præſeferunt.



PE-

PETRI ZORNII DISSERTATIO DE VETERUM HEBRÆORUM HIBERNIS

Et æstivis domibus & diætis ad illustrationem *Judicum* III. 20. *Jerem.* XXII. 14. XXXVI. 22. *Amosi* III. 15. &c.

I. BEne *Hippocrates* in libro de flatibus observat, *aerem eorum, qui corporibus nostris accidunt, autorem & dominum esse*: etiam *Antyllus* apud *Stobæum Serm.* 143. περὶ τῆς καθ' ἡμέραν διαφορᾶς τῶν ἀέρων ita differit, ut nobis facem quasi prætulisse videatur. Et profecto si *alteratione* (verbis autem utor *Bernardini Ramazzini* in Commentatione de Principum valetudine tuenda cap. III. pag. 414. Operum) quas *in humanis corporibus aer valet efficere*, conferamus cum iis, quas alimenta & aliæ res non naturales possunt inferre, longe plures & fortiores sunt eæ, quæ ab *aere* nobis proveniunt, quam quæ a ceteris rebus: aer enim intus & in cute continuo nos afficit.

> *Cum modo frigoribus premimur, modo solvimur æstu,*
> *Aere non certo, corpora languor habet.*

Præterea est *mira* & pene *divina vis ventorum in aere alterando*: talem enim affectionem *aer* possidet, qualem *ventus* qui perflat, ac talis est *sanguinis dispositio* qualis est aer, quem haurimus. Memoratu dignum est, quod de *ventorum potestate in humana corpora* refert *Vitruvius* lib. I. cap. 6. *in insula Lesbo*, inquit, *oppidum Mitylene magnificenter est ædificatum & eleganter, sed positum non prudenter: in qua civitate auster cum flat, homines ægrotant, quando Corus, tussiunt, cum Septemtrio, restituuntur in salubritatem; sed in angiportis & plateis non possunt consistere propter vehementiam frigoris*. Conferatur omnino *Libertus Fromondus* Meteorologicorum lib. IV. cap. 8. art. I. pag. 223. Quæ cum ita sint, *Cornel. Celsus* ad salubritatem monet habitandum esse in ædificio lucido, *per flatum æstivum, hibernum solem habente*. Et hoc est, quod *Aristoteles* ait in Œconomicis, oportere domum πρὸς ὑγίειαν εἶναι εὔπνοον μὲν τοῦ θέρους, εὐήλιον δὲ τοῦ χειμῶνος. Si quis forte adhuc dubitat, audiat verba *Varronis* e libro I. de re rustica: *permagni interest, ubi sint positæ villæ, quantæ sint, quo spectent porticibus, ostiis ac fenestris*. Annon ille *Hippocrates* in magna pestilentia non unum agrum, sed multa oppida scientia servavit? Sed quid ego illum voco ad testimonium? non hic *Varro*, quem modo adduximus testem, cum Corcyræ esset exercitus ac classis, & omnes domus repletæ essent ægrotis ac funeribus, *immisso fenestris novis aquilone & obstructis pestilentibus, januaque permutata*, ceteraque ejus generis diligentia, suos comites ac familiam incolumes reduxit. Vide *Libertum Fromondium* loc. cit. *M. Anton. Muretum* Var. Lect. lib. XIV. cap. 14. *Ramazzinum* in Constitutionib. Epidem. pag. 92. *Jacobum Nicolaum Loensem* lib. IV. Miscellaneorum Epiphyllidum cap. 24. Ac ne forte nobis deesse videantur exempla ex antiquitate repetita, eos nunc in præsenti dabimus testes, qui *hieme* quidem *loca tepida* præoptarint, *æstate alsiosa*. *Horatius* villam suam commendans, *est*, inquit, *ubi plus tepeant hiemes?* Pompejus, ut est apud *Plutarcum* pag. 518. cum viseret Lucullum, reprehendit eundem, quod *villam* optime *ad æstatem* comparasset, verum *habitationi brumali* fecisset incommodam. Ille vero arridens, videorne tibi inquit, minus quam grues & ciconiæ sapere, ὥστε ταῖς ὥραις μὴ συμμεταβάλλειν τὰς διαίτας *ut cum tempore diætas non commutem*. (1) Quid multa? *æstivare* alibi, alibi *hiemare valetudinis causa* solebant principes. Vide *Sam. Piscum* ad *Suetonii* Vespasianum *cap.* 24. ut nunc taceam Reges Persarum olim Babylone hiemare, Ecbatanis æstivare, Susis areum, ubi ver aperire se cœperat, commorari solitos. Vide *Xenophontem* Cyropæd. lib. VIII. & de expedit. Cyri Jun. lib. III. *Plutarchum* de exilio, *Ælianum* lib. III. de ani-

animal. cap. 13. *Athenæum* lib. XIII. & confer *Bochartum* in Phaleg. lib. III. cap. 14. pag. 223.

II. Hæc præmittenda erant non aliam ob caufam, quam quod expeditiores nunc habebimus rationes, ad multos in facris literis locos explanandos. Deus apud Amofum III. 15. minatur *hibernas pariter & æftivas domos everfum iri*. Vertunt autem LXX. interpretes בית החרף *οἶκον περίπτερον* hoc eft S. *Hieronymo* interprete *domum pinnatam* eo quod *oftiola* habeat per *feneftras* & quafi pinnas ad magnitudinem frigoris repellendam. Ego vero malim intelligi *domos*, quæ *per fiftulas maximis tubis quam fimillimas refrigerationem æftatis tempore accipiunt falubri temperamento huc illuc digeftam*. Audiamus *Profperum Alpinum* de Medicina Ægyptiorum lib. I. cap. 6. pag. 9. *cum hæc regio* (Ægyptus) *prope tropicum fit, mirum non eft, fi fole multum calefiat, præfertimque æftate, quo tempore fol radiis ibi terram rectius ferit, copiamque radiorum vel luminis, majorem ejus terræ accolis demittit. Quem calorem ibi multum effe, ac vehementem eos populos quandoque perpeti, oftendunt multa ab ipfis* refrigerationis caufa *inventa atque ufitata. Eos enim inprimis terrena habitare ædium loca apud omnes ob calorem noxium manifeftum eft, non minufque in quaque domo* frigidarum aquarum *in medio ædium pofiti* fontes, *eos frigiditate oblectari, fignificant. His enim* aquarum fontibus per totam æftatem ipfum domorum aerem refrigerant, *prope etiam illos omnes fere dormiunt*. (2) Vaftiffimis *etiam* fiftulis, *quæ* maximis tubis *funt fimiles intra omnes domos pofitis* ad frigidum excipiendum aerem *utuntur*. (3) *Hæ ex mediis domibus meatu decem cubitorum latitudinis fere exfurgunt, per mediumque rectiffime furfum feruntur in aerem, perviæque multo latiori ore inftar campanæ expanfo, ad fumma veftigia defimunt atque pertingunt, quo ore feptentrionem verfus operto,* frigidam auram fpirantem excipiunt, *inferni*fque *ipfum ædium terrenis locis demittunt: & hoc pacto cujufque ædis inferna, terrenaque loca refrigerantur*. Ad iftiufmodi *refrigerationis fiftulas* LXX. refpexiffe nullus dubito, an vero iidem interpretes in exprimenda dictione Hebraica fenferint id quod res eft, me indicente, quilibet facili dijudicare poterit negotio. Cum enim divinus vates figillatim *æftivas domos* commemoret, recte colligimus בית החרף *domos hibernas* denotare, illis *æftivis* opponenda. Confer omnino Jeremiæ XXXVI. 22. Antequam autem paulo diftinctius *hibernas domos* defcribamus, operæ pretium fuerit *fex tempeftates anni ex veterum Hebræorum mente* exponere. Nimirum dividitur annus in fex tempeftates a Judæis in Gem. Bava mezia 106. 2. (4) quarum fingulæ duos menfes integros complectuntur.

Tempestas	Menses
זרע fementis	Dimidium Tifri. Marchefvan. Dimidium Cisleu.
חורף Hiems (5)	Dimidium Cisleu. Tebeth. Dimidium Schebat.
קור frigis	Dimidium Schebat. Adar. Dimidium Nifan.
קציר meffis	Dimidium Nifan. Ijar. Dimidium Sivan.
קייץ æftas	Dimidium Sivan. Tammuz. Dimidium Ab.
חום calor	Dimidium Ab. Elul. Dimidium Tifri.

præterquam autem, quod inde colligere licet, *quo tempore Judæi diætas hibernaasque æftivas commutarint*, etiam illuftrantur multa tum in facro codice, tum fcriptis Judaicis. Johannis X. 22. *hiems fuiffe* dicitur in fefto Encæniorum fcilicet XXV. Cisleu, tunc erat חורף. Dies quinquagefimus poft חג id eft feftum tabernaculorum incidit in חורף. Vide Schir Hafschirim Rabba 36. 1. Menfe nono Rex fedebat ad ignem Jer XXXVI. 22. (6) Ut vero ad ipfas *diætas hibernas* properemus, ante omnia curabant, ut domus, triclinia, & cubicula *hieme plurimum, æftate minimum folis* admitterent. *Xenophon* in libro de dictis & factis Socratis ita fcribit: οὐκοῦν ἡδὺ μὲν θέρους ψυχεινὴν ἔχειν οἰκίαν, ἡδὺ δὲ χειμῶνος ἀλεινὴν *fuave igitur eft æftate frigidam, hieme vero habere calidam*. Vide de hoc *Xenophontis* loco *Jacobum Nicolaum Lœnfem* fupra laudatum, & de altero ejufdem fcriptoris *Eduardum Liveleum* ad Amofi cap. III. 15. Quid? quod fatis nota hanc in rem funt teftimonia *Palladii*, *Columellæ*, *Varronis* & *Vitruvii* apud Abbatem *Couture* pag. 11. de la vie privée des Romains pag. 322. Tom. 1. de l' hiftoire de l' Academie Royale des infcriptions & belles lettres. Inprimis autem inter varia veterum *triclinia* & *cubicula ad hiemandum accommodatiora* huc referas *diætas* five *Zetas veterum*, de quibus *Alexander* ab *Alexandro* dier. gen. lib. V. cap. 6. in hunc modum differtit: *Zeta erat locus unius cubiculi capax, folem hibernum* pro-

prospectans, *ita constructa ut per heliocaminum vaporem acciperet*. *Erat enim cubiculum hibernum frigori accommodatum*, *quod nunc sole*, *nunc igne æstuaret*. De *Zetæ heliocamino Ulpianus* Digest. VIII. 2. 17. quam vocem *Budæus* in priorib. Annot. in Pand. pag. 302. interpretatur *solare vaporarium* in aprico loco situm ad calorem solis excipiendum, ut *Zeta calefiat*, de qua *Plinius* lib. II. Epist. 17. ita scribit: *in hac heliocaminus alia quidem xystum*, *alia mare*, *utraque solem prospicit*. Confer de *solariis* sive ἡλιοκαμίνοις teporem solis infundentibus, & repercussu augentibus *Steph.* le *Moine* in Prolegom. ad Varia Sacra, de *Zeta* autem præter autores jam supra laudatos *Joh. Mariam Cataneum* in Commentario ad II. librum Epistolar. *Plinii*. *Huic vero sententiæ* inquit *Marcellus Donatus* in dilucidationib. in *Ælium Lampridium pag.* 958. *favet nominis etymologia*, *Zeta enim dicta* ἀπὸ τοῦ ζέειν *quod est* fervere *vel* ἀπὸ τοῦ ζῆν *quod in ea commodissime vivatur*, *ob idque Cæcilius eam amores suos vocavit*. An vero inde accipiant lucem verba illa domini apud Matthæum XXV. 21. servum fidelem hunc in modum alloquentis: εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου, nunc quidem dispiciendum erit. Elegans est conjectura *Dilherri Tom.* I. disput. *Academ pag.* 709. *erant*, inquit, *veteribus in una domo conclavia diversa*, *adposito*, *in gentium natione*, *alicujus Numinis*, *alias alterius cujusdam rei nomine* (7) *in quibus cœnabant & convivia agitabant*. *Conclavia illa vocabantur diætæ*, *in quibus cœnabatur ad umbram*, *hieme ad solem*. *Non igitur vero nobis videtur absimile*, *dominum ad ejusmodi cœnaculum sive diætam respexisse*, *cui nomen* χαρᾶς *id est gaudii impositum*: *quæ sane sive inscriptio sive appellatio non dedecebat locum istum*, *in quo gaudium & hilaritas* (*ut ita loqui nobis liceat*) *debaccharentur*. Firmandæ huic conjecturæ ex *Pignorii* commentario de servis (8) adfert varia argumenta: nimirum diætas sive Zetas dictas fuisse vel cœnationes, vel cubicula, vel tricliniorum appendices: ad hanc conjecturam verbum εἴσελθε id est, *intra*, *subi*, manu quasi ducere: nihil servo fideli jucundius posse obtingere, quam si *cœnæ* & *convictus sui Domini* fieret *particeps*: *tenebras exteriores* vers. 30. opponi copioso tædarum, lampadum, lychnorum lumini, quo cœnaculum illustrabatur. Hæc speciem quandam habere non negamus cum *Cornelio Adami* in Observationib. theologico-Philologicis pag. 163. Esto autem in verbis Matthæi ad *convivia veterum* respici. Lucas enim satis id innuit & confirmat cap. XII. 37. ἀνακλινεῖ αὐτοὺς καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς, præterea LXX. interpretes Esther. IX. 19. משתה *convivium* verterunt χαρὰν, nondum tamen probatum est *cœnaculum* sive *diætam* fuisse, cui nomen χαρᾶς impositum fuerit; si S. Evangelista dixisset εἴσελθε εἰς τὴν δίαιταν confecta res foret, cum vero dixit, εἰς τὴν χαρὰν etiam nullo idoneo teste adhuc probatum sit, conclave aliquod distinctum, χαρᾶς nomen accepisse, de hac explicatione merito dubitandum videtur. Sed mittimus nunc *Zetarum* sive *diætarum heliocaminos*, de ipsis *caminis* nunc differendi locus erit, cum veterum a nostris, quibus hodie utimur, differant. Nimirum triclinia veteres, quoniam in iis *nostro more camini non erant*, calefaciebant favilla vivente & calente, qualis una cum carbonibus inferri solet. Confer *Torrentium* & *Casaubonum* ad *Suetonii* Tiberium Neronem cap. 74. Paucis multa complectitur *Aug. Calmetus* dans la dissertation sur les demeures des anciens Hebreux: *on s' y chaufoit peu & lorsqu' on ètoit obligè de le faire*, *on apportoit du feu dans un brasier dans le chambre*, *& on y mettoit des noyaux d' olives*, *ou choses pareilles pour l' entretenir*. Et in notis ad Jerem. XXXVI. 22. *on n' en fait pas dans des cheminèes comme parmi nous*, *mais dans des chaufrettes*, *ou brasiers* (9) *remplis de charbons ardens sur lesquels on brule des noyaux d' olives & quelque fois du menu bois*, *ou du fagot*. *Dans les appartements d' hyver*, *& dans les cuisines*, *il y avoit des foyers*, *où l' on faisoit fort bon feu*, *quand on en avoit besoin*: *mais on n' avoit point l' usage de cheminèes a notre maniere*. *La fumèe passoit par la porte ou par la fenetre* (10) *ou par des ouvertures*, *qui ètoient au haut de la chambre* (11) *C' est ce qui est quelque fois appellè cheminèe par les anciens*. Vitruve (12) *ne parle en aucun endroit expressèment de cheminèes dans tout son Ouvrage de l' Architecture*. *Ce qui montre assez qu' alors elles n' ètoient point en usage*.

III. Transimus nunc ad *domos æstivas*, sed ita ut quædam de *æstu terræ Canaanis* præmittamus. Etenim in regione illa, uti observavit vir doctissimus *Nicol. Nonnen* in disquisitione de *baptismo ignis* ad Matth. III. 11. (in qua de effectibus Euri in Palæstina tempore trituræ differitus) 12. pag. 479. P. III. Vol. I. Musei hujus, *æstus jam ante Sirium messis tempore valde gravis erat* Proverb. XXV. 13. Ps. CXXIX. 6. Esaiæ XVIII. 4. *desertum pene totum arenosum*, *ut antiqui & recentiores uno ore testantur*, quo

eſtus tanto magis intendebatur, quanto longiori tractu verſus auſtrum & Eurum erat protractum. Tum quodammodo tranſitus auſtro & temperantia æſtum Boreæ ſpiramina per juga altiſſima Libani & partium Anti-Libani, Canaani ad ſeptemtrionem ſita erant præcluſa. His addimus ſulphureos & incendio aptos ex montium in deſerto cavernis erumpentes procul dubio halitus, a quibus auram Palæſtinæ neutiquam fuiſſe immunem, ſi nihil aliud vel excidium Sodomæ & vicinatum urbium docet Geneſ. XIX. 24. Quæ cum ita ſint, *viri principes apud veteres Hebræos* adibant ut cum antiquo Poeta loquar, *gelidas arces* & domos vel villas ad *captanda frigora* mire exædificatas & ad boream, quantum fieri poterat, obverſas. Ante omnia præter *regionis formam pulcherrimam*, cujus *varietate*, & *deſcriptione*, quocunque inciderent oculi, reficerentur etiam quærebant *ſalubritatem regionis*, purius cœlum, aerem liquidiorem, atque ut uno verbo dicam, *miram æſtatis clementiam*, *cum ſemper aer ſpiritu aliquo movetur*, *frequentius tamen auras quam ventos habet*. Quo vero facilius credas veteres Hebręos vel ipſas locorum difficultates arte ſuperaſſe, videamus, quæ præter Judicum III. 20. multo diſtinctins Jerem. XXII. 13. de Jojakimo dicunt: is enim ſibi exſtruxerat בית מרוח *ædes vel laxitate, vel fabrili ſubtilitate, vel magnificentia & diſpoſitione conſpicuas*. (13) De Romanis *Seneca* Epiſt. XC. obſervat, habuiſſe *domos inſtar urbium*, fidemque facit *Juſtus Lipſius* in Admirandis Romæ: jam vero iſtiuſmodi prætorium fuit illud Jojakimi, eo conſilio, exſtructum, ut *totius anni* eſſet, hoc eſt *hiberna atque æſtiva triclinia haberet*. Idem enim Jojakimus dicicitur exſtruxiſſe עליות מרוחים *cœnacula alta, perflabilia, ventis expoſita*, quo æſtate lenis & jucundę aurę quaſi ῥιπισμῷ ſeu *ventilatione* refrigerarentur. Vide *Nicol. Fullerum* Miſcellaneor. Sacr. lib. III. *cap.* 5. & *Jac. Guſſetium* in commentariis Linguę Hebr. pag. 780. Huc faciebant inprimis *periſtylia* loca columnis cincta, quales ſolent eſſe ambitus atriorum in magnatum ędibus, (14) *hypodromi* ſive longiores porticus & ambulationes undequaque clauſæ a *peridromis* ſive hypæthris in xyſto ambulationibus diſtinctæ, porro *crypto-porticus* ſubterraneis ſimiles, quæ æſtate incluſo frigore rigent, contentæque aere ſuo nec deſiderant auras nec admittunt, *fores* denique, quæ *ad perflatum æſtivum aperiebantur*. Et quamvis hæc omnia *refrigerationis loca* (15) in ampliſſimo Jojakimi prætorio *æſtivas* auxerint *delicias*; Jeremias tamen ſola *cœnacula perflabilia* commemorat, quia iiſdem nihil frequentius erat in Oriente. Audiamus hanc in rem *Aug. Calmetum* dans la diſſertation ſur les demeures des anciens Hebreux: *les ſalles Egyptiennes, dont parle* Vitruve, *qui n' ètoient ouvertes que fort haut au-deſſus durez de chauſſèe, ètoient fort propres a conſerver la fraicheur*. Xenophon Cyropæd. lib. 8. *remarque que les Perſes ne ſe contentoient pas d' ombrage des arbres & du frais des rochers, qui etoient des moyens tout naturels de ſe refraicher, ils ſe faiſoient des lieux frais & ombragez dans leurs maiſons*. Ammien Marcellin lib. 12. *parle des chambres refraichies par le ſouffle des vents, qu' il vit a Canope en Egypte. C' ètoit des lieux ouverts, ou l' on ſentoit le Zephyr d' un air agitè, au milieu des plus exceſſives chaleur. Les chambres d' ètè qu' on voit aujourd' hui dans l' Orient*, (16) *ſont quarrèes, voutèes & un peu èlevèes en forte qu' on y monte par quelques degrez & qui prennent l' air par le haut qui eſt ouvert; l' air entre par cette ouverture & ſort par une porte percèe par le bas. On voit dans* Varron *dans* Columelle & *dans* Palladius *que les apartemens d' ètè n' ètoient percez que du cotè du Septentrion*. Pergit Jeremias de Jojakimi Prætorio diſſerere: וקרע לו חלוני & *excidit illi feneſtras*. Quemadmodum autem apud Latinos *feneſtra* de quocunque foramine in muro aut pariete accipitur, obſervante *Jo. Scheffero* in notis ad *Phædri* lib. I. fab. 14. ita & apud Hebræos per חלוני non ſemper *feneſtræ proprie dictæ* intelliguntur, uti monet *Adrianus Relandus* in antiquitatib. S. veter. Hebræor. delineatis P. I. cap. 7. §. 10. pag. 68. Confer. omnino *Nicol. Fullerum* Miſcellaneorum Sacror. lib. VI. cap. 13. de *varia feneſtrarum ratione* præſertim *apud veteres Judæos* ſatis luculenter diſſerentem. Neque vero feneſtræ antiquis erant e vitro ut nunc fit, ſed *lapide diaphano*, qui *ſpecularis* vocabatur, inque tenues findebatur cruſtas. Vide *Voſſium* lib. VI. de orig. & progreſſu idololat. cap. 31. pag. 283. Aſſolebant autem *contra ventos objicere ſpecularia & illos excludere*, lucem admittere. *Martialis*.

> *Hibernis objecta Notis ſpecularia puros*
> *Admittunt ſoles & ſine fæce diem*.

Tandem Jeremias ornamenta prætorii commemorat: *cedroque tegit*, inquit, & *ſinopide illinit*. Quemadmodum enim Amoſus III. 15. hibernis & æſtivis domibus ſubjungit ſtatim *eburneas* hoc eſt *ebo-*

re

re ornatas & *obductas*, confer. I. Reg. XXII. 39. Pſ. XLV. 9. *Eduardum Liveleum* ad Amoſi III. 15. & *Bochartum* P. I. Hieroz. lib. II. cap. 24. pag. 252. ita & hujus *prætorii parietes cedro* obducuntur & *teguntur*. Ceterum de *minio Sinopico* ſive ששר vide *Bochartum* in Canaan lib. I. cap. 24. pag. 523. *Jac Guſſetium* in Comment. Linguæ Hebr. pag. 892. *Aug. Calmetum* in notis ad Jerem. XXII. 14. & *Jo. Chriſtoph. Harenbergium* in obſervatione de בירת לבוש שנים *domo inducta minio Sinopico* ad Proverb. XXXI. 21. §. 3. pag. 165. Perte. I. Volum. I. hujus Muſei.

IV. Tanto autem gravius Deus *veterum Hebræorum hac in re luxuriam* inſectatur & damnat, quanto certius conſtat ſapientum etiam Paganorum ſuffragio, *eſſe in loci* vel *cultu* vel adſperitate *aliquid inſitum* quod *formandis moribus* faciat. Audiamus *Senecam* Epiſt. LI. de *deliciis æſtivis veterum Romanorum* ſive *ſeceſſibus maritimis*, utpote magis amœnis differentem: *nos utcunque poſſumus, contenti ſumus* Bajis (17) *quas poſtero die quam attigeram reliqui, locum ob hoc devitandum, cum habeat quaſdam naturales dotes, quibus ſibi illum celebrandum luxuria deſumſit. Quid ergo? ulli loco indicendum eſt odium? minime: ſed quemadmodum aliqua veſtis ſapienti ac probo viro magis convenit, quam alia; nec ullum colorem ille odit, ſed aliquem putat parum aptum eſſe frugalitatem profeſſo: ſic regio quoque eſt, quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens, declinet, tanquam alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans nunquam* Canopum (18) *eliget, quamvis neminem* Canopus *eſſe frugi vetet, ne* Bajas *quidem: diverſorium vitiorum eſſe cœperunt. Illic ſibi plurimum luxuria permittit, illic tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſolvitur. Non tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic nec inter popinas quidem.* (19) *Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longiſſime profugiamus. Indurandus eſt animus & a blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. Effæminat animos amœnitas nimia, nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio. Severior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit.*

NOTÆ.

(1) *Diæta*, cœnatio ſive locus, ubi cœnabant. *Sidonius* Epiſt. II. 2. *ex hoc triclinio fit in diætam ſive in cœnatiunculam tranſitus*. Vide plura apud *Marcellum Donatum* in dilucidationibus in *Ælium Lampridium* pag. 957. *Velſerum* in ſing. Epiſt. de Zeta & Zetario, *Joh. Mich. Dilherrum* Tom. I. diſput. Academic. pag. 709. *Laurentium Pignorium* in Comment. de ſervis eorumque miniſteriis pag. 242. *Iſ. Caſaubonum* ad *Suetonii* Claudium cap. 10. *Joh. Al. B. Fabricium* Tom. I. Cod. Apocr. N. T. pag. 569. *Corn. Adami* in Obſervationibus theologico philol. p. 163.

(2) *Aquam tubis incluſam* ad æſtivum calorem minuendum per ſingulos cubiculorum ſuorum parietes deducebant veteres. *Seneca* Epiſt. 100. *deſit ſane varietas marmorum & conciſura aquarum cubiculis interfluentium*. Idem de tranq. cap. I. *quid perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipſa convivia*. Statius Syl. lib. 3. 36.

An picturata lucentia marmora vena
Mirer? an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?

Ubi vide *Gevartium* & *Bernartium*. Auguſtus, ut in ejuſdem vita cap. 82. tradit *Suetonius*, *æſtate* apertis cubiculi foribus ac ſæpe in periſtylio *ſaliente aqua cubabat*.

(3) *Calmetus* nobiſcum rejecta illa LXX. interpretatione, quam attulit *Hieronymus*, addit hæc ſubnixus autoritate *Chardini* voyage de Perſe Tom. III. pag. 70. & 159. *je croîrois plutot qu' il veut marquer des maiſons avec des tuyaux à vent élevez au-deſſus des maiſons & ouverts en differens endroits a fin de recevoir l' air, comme il s' on voit communement dans la Perſe*.

(4) Inſignem hunc locum excerpunt itidem *Adrianus Relandus* in Antiquitatibus Sacris vet. Hebræor. delineatis pag. IV. cap. I. §. 9. pag. 372. *Joh. Alb. Fabricius* in Menologio pag. 19. & *Joh. Lightfootus* in Horis Hebr. ad Johannis IV. 35. pag. 1003.

(5) Diſtinguunt Judæorum magiſtri menſes hiemales in חורף & קור *hiemem* & *brumam*, *frigus remiſſius*, ut videtur, innuentes & *intenſius*. Hæc *Lightfootus* in Horis Hebr. ad Johannis X. 22. pag. 1065. Ceterum audire juvat *Auguſtinum Calmetum* in notis ad Jeremiæ XXXVI. 22. *le froid n' eſt jamais bien grand dans la Judèe: mais cependant après le mois de Septembre, lorſque les pluyes commencent à tomber, l' on a beſoin de feu*.

(6) *Le neuvième mois* inquit Calmetus loc. cit. *de l' annèe ſainte, la quelle commencoit aut mois de Niſan, rèpondoit à notre mois de Novembre*.

(7) Exemplo ſit in Palatio *Hermeum* Tiberii Claudii Druſi Cæſaris, ibidemque *cœnatio* nomine *Jovis*, cujus meminit in Pertinace *Capitolinus*. *Mica* vero Domitiani, & *Timonion* Antonii indice non egent, cum per ſe nota ſint ſatis.

(8) Hic primus pronunciavit, locum *Matthei* vix aliter Grammatice quam de *diæta* ſive *cœnaculo*, quod Dominus χαρὰν vel appellaſſet, vel inſcripſiſſet, intelligi poſſe: id quod jam ante *Dilherrum* monuit *Abr. Scultetus* Exercit. Evang. lib. II. cap. 96.

(9) Vocem Hebraicam אח docti inter Hebræos exponunt *foculum portatilem*, alii *arulam*, *batillum*, in quo fovetur ignis. Ἐσχάρα focus Græcis hic, quemadmodum apud *Plutarchum* in Alexandro.

(10) Ita Hoſeæ XIII. 3. ארבה intellige *fumarium*. Confer *Guſſetium* in Comment. Linguæ Hebr. p. 92. *Bochartium* part. II. Hieroz. lib. II. cap. 4. p. 480.

(11) De *caminis* Manutius ad *Ciceronis* Epiſt. ad famil. VII. 10. & *Sirmondus* pag. 258. ad *Sidonium* præter *Alexandrum* ab *Alexandro* III. 14. *Voſſium* in Etymolog. in voce Caminus. *Baccium* lib. VII. de thermis cap. 16. *Philandrum* in notis ad *Vitruvium* lib. VII. c. 3. *Carol.* du *Freſne* in Gloſſario in voce

Stu-

Stuba. De *fumariis*, seu *fumi emissariis*, eorumque usu apud veteres vide *Octavium Ferrarium* lib. I. elect. cap. 9. illis caruisse vulgares ædes contendit *Burmannus* pag. 646. ad *Petronium*. Hactenus *Johan. Alb. Fabricius* in Bibliograph. Antiquit. pag. 683.

(12) Conferatur *Claudius Peraultus* in notis ad *Vitruvii* lib. VI. cap. 8. pag. 209.

(13) Quo rectius hæc intelligantur, consule *Vitruvium* VI. II.

(14) Ita Ptolomæus regem in quoddam *perystilium* quasi refrigerandi causa seductum immutavit vide 2. Maccab. IV. 46. ita Augustus æstate sæpe in *peristylio* cubabat teste *Svetonio* in ejusdem vita c. 82. Referas huc forte verba illa *Juvenalis* Sat. VII. 183.

> *Parte alia longis Numidarum fulta columnis*
> *Surgat, & algentem rapiat cœnatio solem.*

Audiamus etiam *August. Calmetum* dans la dissertation sur les demeures des anciens Hebreux: *les galeries couvertes & les portiques au devant & a coté des batimens etoient pour deux fins: la premiere pour garantir l'interieur de la maison des trop grandes chaleurs, le soleil ne donnant pas à plomb sur les murailles des logemens; la seconde pour communiquer d'un appartement à l'autre sans incommodité, soit qu'il fasse pluie ou soleil.*

(15) Non alienum fuerit ab instituto nostro hic recitare verba *Franc. Baconis* de *Verulamio* in Historia ventorum pag. 71. *in ædibus refrigeratoria per ventos fiunt, aut occurrunt; ubi aer est perflatilis, & ex una parte introit aer, ex adverso exit; sed multo magis, si aer intrat ex diversis partibus, & facit concursum auræ ad angulos, & habet exitum illi angulo communem: etiam concameratio cœnaculorum & rotunditas plurimum facit ad auras, quia repercutitur aer commotus ad omnes lineas: etiam sinuatio porticuum magis juvat, quam si exporrigantur in recto; flatus enim in recto, licet non concludatur, sed liberum habeat exitum, tamen non reddit aerem tam inæqualem & voluminosum & undantem, quam confluxus ad angulos & anfractus & glomerationes in rotundo & hujusmodi.*

(16) Confer *Leonem Africanum* in descript. Africæ lib. VIII. cap. 4. *Tavernier* voyage de Perse lib. II. cap. 4. pag. 155.

(17) De *Bajarum amœnitate* pluribus agit Abbas *Couture* dans la nouvelle explication d'un passage d'*Horace* pag. 335. seq. Tom. II. des Memoires de literature tirez des registres de l'Academie Royale des inscriptions & belles letres.

(18) *Ammianus Marcellinus* lib. XXII. cap. 41. de Canopo: *hactenus impendio locus sanis & diversoriis latis exstructus, auris & salutari temperamento perstabilis.*

(19) Quod de Campaniæ deliciis litoralibus ibidem copiose demonstrat.

JOH. CHRIST. HARENBEGII
OBSERVATIO
DE
DOMO INDUCTA
Minio Sinopico ad *Proverb.* XXXI. 21.

SUMMARIA.

I. *Variantes duæ sententiæ recensentur ac tertia recens additur.* II. שני *est* σινώπις, μίλτος σινωπικη, *rubrica Sinopica, minium Sinopicum, Sinopis.* III. *Domus Palæstinæ minio ac rubicundo colore fuerunt inductæ, immo fenestræ.* IV. לבש *est etiam inducere, nec vestitus solum de vestibus usurpatur.* V. *Reginæ, Salomonis futuræ conjugis, ex mente Bathsebæ effigies heic delineatur.* VI. *Adplicatio moralis.* Locus Es. I. 18. Tænia coccinea hirco emissario alligata.

I. INterpretes, quotquot hucusque vidit ætas, gemina ratione vertunt illud hemistichium: כול ביתה לבוש שנים Plerique cum Vulgata habent, quæ hunc fundunt sensum: *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus* sc. vestibus. Quidam recentiores de *domesticis coccino vestitis* exponunt. (Matthæus Polus in *Synopsi Criticorum ad h. l.* T. II. *pag.* 1676. seq.) Prior sententia quibusdam ideo adridet, quia 1. coccinum integræ familiæ nec subpetebat nec competebat, quod utique verum esse censeo; 2. Coccinum non defendit a frigore. Sed hæc altera ratio nimis est frigida, quia id ex scopo dicentis heic nequaquam extorqueri potest. Posterior sententia sese commendat ex eo capite, 1. quod שני colorem coccineum vel rubrum, immo vestem ipsam rubicundam denotare potest; 2. quod nec significatus, nec forma pluralis, nec exemplum e sacris literis depromi potest, ubi שנים *duplices vestes* notet; 3. quod Interpretes nesciant, an hiemalis altera, altera æstiva; an vero suffulta, interpolata, & sic duplo crassior sit intelligenda, adeo ut foveant ideas nec claras nec distinctas. Incidi igitur in novam expositionem, de ædibus sinopide inductis, quam comprobare ulterius sustineo, quia 1. a scopo non abhorret; 2. proprium vocis significatum eruit ac sequitur; 3. clarissimum evol-

evolvit sensum distinctamque satis notionem; 4. nititur significatus exemplo, formaque; 5. fulta est consuetudine antiquissima, ædes minio expoliendi; 6. cui vox לבוש non est inimica; 7. ubi בית pro ædibus, ut in priori hemistichio, ponitur, quod probabilissime secus fieri nequit.

II. Si שני per σινώπιδα, μίλτον σινωπικὴν, *minium sinopicum* exponatur, qui colorem efficit rubrum, omnis videtur esse difficultas sublata. Strabo: (lib. II. tit. II. pag. m. 178.) *In Cappadocia nascitur ea, quæ Sinopica rubrica* (σινωπικὴ μίλτος) *dicitur, omnium optima, quæ cum Iberica decertat, ac idcirco Sinopica adpellatur, quod eam mercatores eo deferebant, priusquam Ephesiorum emporium tam celebre erat*. Eadem Dioscorides: (lib. V. cap. 11.) Συλλέγεται δὲ ἐν τῇ καππαδοκίᾳ ἐν σπηλαίοις τισι. διυλίζεται καὶ φέρεται εἰς Σινώπην καὶ πιπράσκεται, ὅθεν καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἔσχηκε; *Colligitur vero in Cappadocia in quibusdam cavernis: percolatur & devehitur Sinopen, ac venditur, unde etiam cognomen traxit*. Plinius: (H. N. lib. XXXIII. cap. 7.) *Maxima ejus copia effoditur in Hispania, sed hoc durum est & arenosum: Optimum nascitur supra Ephesum in Cilbianis agris. Arena est colore cocci, quæ teri consuevit, & deinde lavari, abjectisque purgamentis, quæ in aqua supernatant, minium in fundo invenitur*. Ex quo Plinii loco simul patescit, Sisaponensibus in Hispania Bætica celeberrimum fuisse metallum miniarium. Sisapo vero erat urbs ultra Cordubam ad boream Baetis posita, qua navigari is amplius non potest (Strabo lib. III. pag. m. 255. tom. I.): Scribonius Largus *rubricam Sinopida* vocat. Σίνωπις vocatur Paulo Æginetæ (lib. 3. cap. 22. pag. 76. edit. Froben. 1538. fol.): *Minium Sinopicum* A. Cornelio Celso. (lib. V. cap. 6. & 9.): A minii copia adpellatio hæsit Minio, fluvio Lusitanico (Justin. lib. XLIV. cap. 3.): *Eplastrum* rubrum, cui minium Sinopicum erat adjectum, vocabatur etiam *Emphesinum* (Celsus lib. V. cap. 19. pag. 163. edit. Salingiac.): De minio plura tradunt Charisius, (lib. I.): Isidorus (In Origg. lib. XIX. cap. 17. 23.): Johannes Brodæus, (Miscell. lib. III. cap. I.): Isaacus Vossius, (Ad Melam): Strabo (lib. III. pag. m. 259.): aliique. Sinopicum igitur minium non dicitur a fodina, nam antiquissimum eruebatur in cavis Cappadociæ, sed ab emporio, more antiquissimo, (tom I.): unde ad ceteras gentes, Tyrios præcipue divendebatur. Sinope erat Ponti metropolis, olim libera civitas, postea a Pharnace ex improviso capta. Autolycus putabatur eam in formam justæ urbis redegisse, qui locum occuparat, cum Jasonis esset in Colchidem socius. (Blasius Cariophylus Part. I. Diss. Miscell. pag. 24. & inde in Actis Erud. Lat. 1722. pag. 245. 46.): Unde ea urbs Mosis ætate jam videtur exstitisse. Nec obstat commerciorum tum tenuior conditio, quia jam Ismælitæ, Josephi adolescentuli tempore, e Syria merces devexere in Ægyptum. Qui שני a שנה *iteravit* deducunt, & *dibaphum* vertunt, sunt in ea hæresi, quod Hebræa lingua omnibus Hebræorum rebus indiderit nomina e primitivis quibusdam decerpta. Ut vero taceam nomina Ægyptia, Arabica, Persica ac Græca Hebræis adoptata, *sambuca* סבכא certe barbarum est nomen, nec tamen Hebraicum, licet in V. T. occurrat. Non enim probabile est, unicam gentem rebus universis, quibus ex parte caruerunt, easque ignorarunt, impertiisse nomina. Aromata, colores, alibi inventa, plerumque peregrina retinent nomina. Hebræi erant viri agro pecorique dediti, non mercatores, non fabri, non medici, non pannorum subtiliorum ac rariorum fabricatores, nisi sero. Quod si ad Adamum provoces, tum utique certum est, eum ædificia, postmodum exstrui solita, ignorasse, multos terræ thesauros, multas terræ suboles non vidisse, plurimis opificiis caruisse, ideoque recentioribus vocabulis, quæ subsequens necessitas extudit. Præcipue nomina colorum ac quidem exoticorum primas solent retinere adpellationes e. g. Menni, Mennig/ minium; κόκκος, coccus cochenille; זנופור, κιννάβαρις, cinnabaris, Zinnober/ cinnabre &c. Rubicundus color erat majestatis ac honoris plenus, unde etiam purpura ac coccino induebantur reges, miniique colore inungebantur imagines Deorum gentilium (Vitruv. lib. VII.): Murias Tyrii sanguinem jactabant Phœnices, Græci ac Romani, ut ignaris fucum facerent; Tyrii vermes, vermiculantibus scilicet, venditabant, ne ceteræ gentes cocci naturam indagarent, eoque uti discerent. Pausanias fol. 490. & Itineraria recentiora aptissime baccarum cocci ortum ac natura persequuntur. תולע κόκκος rubebat perinde ac שנים σινώπικα Es. I. 18. Id quod de verme conscientiæ Es. LXVI. 24. exponunt, תולעתם, לא תמות id significantius adhuc est, & denotat, quod *rubicundus igneusque color eorum non intermoriturus sit*, qui supplicia illaturi essent Chasidæis, qui auctam religionem forent deserturi ac cum Syris porcina aliisque prohibitis cibis essent pro ali-

alimento usuri. Ut brevibus me expediam, cruciatus infernalis igneus eis prædicitur. Virg. Eclog. x. vers. 26. 27. Cic. Ep. XVI. lib. IX. Ed. Genev. T. III. pag. 149. Horat. lib. I. Serm. VIII. vers. 5. Plin. H. N. XXXIII. 7. Plautus in Asin.

III. Nequis vero putet, a Palæstina exsulasse morem, parietes minio ac Sinopico colore superinducendi, ac pingendi, ideo confugio ad Jerem. XXII. 14. qui ædes summatum magnificas delineat, ordiens a *mensuris*, *contignationibusque superioribus spatiosissimis*, *adjiciens foramina specularium ac tabulata cedrina* finiensque in משוח ששר *inunctione miniacea*. ששר est nomen coloris, (α) quia inunctio ac pictura ei tribuitur ac adjungitur; (β) & Jonathan Targumista מציר *picturam* exprimit. Adde quod (γ) Raschi idem testetur, scribens. צבע הוא ממין הציורים *color est e genere pigmentorum*. Junius cum Tremellio *Indicum* vertit, nec ullus facile interpretum colorem subesse negat 4. Kimchi album adjicit calculum, scribens: מצייר במיני צבעונים *pictura e speciebus colorum*. Quod autem præcise minium Sinopicum innuatur, id liquet ex eo, (a) quod *miniaria expolitio parietum* I. sit satis antiqua ac sumptuosa. Deorum sane facies & insignia triumphantium, in rarum ac pretiosum decus, illitæ erant: (b) Kimchius id aperte testatur, vocum interpres fidelissimus. והוא ששר נקרא בערבי זנגפור בלעז מיני *Et ipsum Schaschar vocatur Arabice snagor* (cinnabaris) *& in vernacula barbara minium*. (c) Raschius consentit: משוח בששר אלייגאנט אנשינופלא בלעז *Inunctio per schaschar, l' onguent en cinnabre, lingua Gallica*. ל pro ר in *en cinophla* puto fuisse positum, ob ignorantiam vocum peregrinarum. Cinnabaria vero alia est genuina ac nativa, ipsum effossum minium, *Berg-Zinnober*; alia est facta, ex sulphure & argento vivo simul ustis, *Zinnober*. Quod vero cinnabaris nativa sit verum minium, de eo nobis periti rerum metallicarum fidem faciunt (Consentit Jo. Mabillon de re diplomatica lib. I. cap. 10.): Accedit, quod Arabes cinnabarem id vocent, quod *minii* voce Latini ac Itali signant. Notum est miniarium metallum in Carinthia, ubi minium seu cinnabaris effoditur, aut pura, aut duobus trientibus argenti vivi mixta. Argentum vivum præterea ibi abunde eruitur, quod a Batavis Anglisque emi solet, ut, addito sulphure, cinnabarim inde forment, vulgo ita dictam, nativum miniumque; gravitate superantem. Minium Chymicum seu factitium e plumbo liquefacto ignibusque excocto conflatur, ac a minio fossili magnopere differt. Vid. Stephani Blancardi *Theatrum Chymicum* cap. 5. §. 3. Neues Licht vor die Apothecker pag. 516. seq. Lips. 1700. 8. *Plumbum combustum* Celsi lib. V. cap. I. & forte minium factum, ante cujus perfectionem ac elaborationem retrimentum sive scoria despumatur. Nam *retrimentum plumbi* Celsus cap. 15. l. c. memorat. Nec ignota est priscis rubrica Lemnia, cinnabaris Libyca, Indica. At sacræ literæ norunt tantum שני & השׁשר, *σινωπίκον* & *Α᾽σσάρακον minium Sinopicum* & *Assaracum*. Minii usus antiquissimus fuit in pingendis etiam navibus positus. Everhardus Feithius in Antiquitatum Homericarum lib. IV. 12. *Solebant naves pingi ac illustrari variis coloribus: unde eas subinde Homerus vocat πιλτόπαρηυς, φοινικόπαρηυς, miniatis ac punicatis veluti genis. Ita Virgilius quoque Æneid.* VIII. (V. 93.) *pictas carinas celebrat*: ubi *Servius*: *Homerus meminit, quod naves pingebantur rubrica. Morem hunc pervetustum Herodotus Thalia* (Seu lib. III. p. m. 94. *Veteri instituto naves omnes erant rubrica delibutæ*) *tradit*: τὸ δὲ παλαιὸν ἅπασαι αἱ νηὲς ἦσαν μιλτηλεφέες. *Posterioribus quoque sæculis naves passim pictæ. Seneca Epist.* LXXVI. Navis bona dicitur, non quæ speciosis coloribus picta est nec cui argentum rostrum est, nec cujus tutela ebore cælata est. *Consueverant autem certas imagines in iis depingere, a quibus ipsæ naves habebant nomen*. Homeri locus unus id clare facit testatum quod Feithius indicaverat. (*Iliad.* B. vers. 638.)

> Τῷ δ᾽ ἅμα νῆες ἕποντο δυώδεκα μιλτοπάρηοι.
>
> *Hunc vero simul 12. sequebantur naves miniatæ.*

Præterea etiam indices & tituli librorum rubrica minioque erant scripti. Martialis ad librum suum Epigr. 2. lib. III.

> *Et cocco rubeat superbus index.*

Juvenalis Sat. XIV. vers. 191. 92.

> *Scribe puer, vigila, caussas age, perlege rubras*
> *Majorum leges,* ——

Persius Sat. V. vers. 90.

> *Excepto siquid Masuri rubrica vetavit.* (Conf. Joh. Mabillon de *re diplomatica* lib. I. cap. I.)

Ru-

Ruber, miniaceus, ac coccineus, color fuit igitur honore ac autoritate quadam eximius. *Non nisi deliciis convenit iste color*. (Martial. *Epigr.* 48. lib. VIII.) Quod vero שני *σινώπις* & sono, & reapse, id ita conligo. (α) תולע *coccus* & *coccineum* est, ut omnes fatentur, a quo tamen differt שני *Es.* I. 18. (β) שנים fuit colore maxime rubicundo loc. cit. (γ) Sinopes antiquitas, miniique tinctura celebratissima, in navibus, ædibus, parietibus, vestibusque effulgens, in dubium vocari nequeunt. (δ) Non occurrit alia *expolitio domuum rubicunda* penes Veteres præter istam minianam & Sinopicam. Quantum non erat pretium coccini? Tantum abest, ut eo infecerint parietes. (ε) Vox ipsa sono suo patriam ac notissimam pristino sæculo rubricam indicat. Alibi dicitur שני; alibi ששר*;* alibi כרמיל seu כרמל 2. Par. II. 7. Cant. VII. 5. quasi *effossum miniarium* dicas, a כור seu כרה effodit, & מיל *μίλτος minium*. Plutarchus ejusmodi colorem *χρῶμα μίλτινον* vocat. Restat, ut ostendam, quod *domus expolita minio seu miniaceis coloribus* per ביתה לבוש שנים possit, immo debeat intelligi. Namque (α) שני est nomen coloris, qui a domibus est alienus; (β) שנים eodem coloris punicei sensu legitur Es. I. 18. At de duplicibus vestibus nuspiam occurrit; (γ) De domo sermo proprie sermo est, non de domesticis. לא תירא לביתה משלג כי כל ביתה לבוש שנים: *Non metuit domui suæ de nive, nam tota domus ejus inducta est miniaceis*. Concluditur ab ornamento totarum ædium, ac diligentia extraordinaria in expolienda domo, ad necessaria ac ordinaria eo magis solicite adhibita. (δ) Vestitus subjicitur vers. 22. (ε) Magnificæ ædes, regina dignæ, minio expoliebantur, ut tum ex Jeremia, tum ex Vitruvio docui: (ς) Solebant etiam Hebræi rubras virorum facies ac delineationes miniatas heroum & exercituum parietibus inducere; ubi ששר iterum est minium Ez. XXIII. 14. (ζ) Nec licet citra rationes gravissimas in eodem inciso בית bifariam adhibere, semel pro ædificio & iterum pro domesticis. Domesticis, si pro eis bis בית adhibitum putes, non erat nix metuenda, quippe quam, vino temperatam, bibebant Veteres, Prov. XXV. 13. uti docte persecutus est Thomas Bartholinas de *Nivis usu medico* cap. 14. 15. pag. 88. seq. ed. Hafn. 1661. 8. Targumista hoc loc. igitur præter rem & caussam bis domesticos intellexit, atque vestitos coccino perperam addidit, לבישין זהוריתא. Nam purpura cocco tingebatur, quæ versu sequenti reginæ ipsi tribuitur, non communicanda cum omnibus domesticis. Aben Esra non notuit, quid esset שני, dum explicat per שם ממין פשתים *nomen e genere xylinorum*, & ארגמן per *nomen colorum*, amorginum scilicet, dictum ab Amorgo, cyclade insula ægei maris. השׁשר est color Assaracus, non ab Assyria, sed urbe quadam cognomini in Syria adpellitatus, quam posthac investigandi dabitur occasio.

IV. *Lamuel* erat Salomo, *Deo dicatus*, ideoque Nathane ידיד·יה *dilectus Deo*, dictus, in recordationem paterni nominis ac pietatis, cui mater Bath-seba, forte post patris mortem, quod suspicatur Aben-Esra, præscripta hæc saluberrima instillat vers. I. 2. eumque de uxoribus regum pejoribus admonet vers. 3. uti fugeret earum consortia & matrimonia. Hæc sententia est Aben-Esræ, Raschii, Ralbagii aliorumque Judaicorum Interpretum. Insistunt eandem viam Abr. Calovius, Mercerus, Mart. Gejerus, & ut Pineda tradit, omnium Hebræorum & Græcorum & Latinorum. (Vid. *Poli Synopsis Criticorum ad h. l.* Vol. 21. pag. 1670.) Quum igitur deinde exemplar veræ integræque conjugis filio proponit, aulæa, byssum purissimam ac pro indumento purpuram vers. 22. pro ornamento uxoris magnifico requirit. Alia uxor heic locum non invenit, quia maritus est judex & consiliariorum præfectus vers. 23. Quare divinatu nil est fecilius, nisi reginam virtutis ac laboris non indecori studiosissimam pro ratione illius temporis, Salomoni eligendam divinitus commendari. Veteres enim reginæ lino lanæque admovebant manus, domesticas vestes conficiebant panemque, interdum ipsæ aquam petebant. (Feithius lib. IV. *Antiq. Homeric.* cap. 3. pag. 262. seq.) Simplicitas prisci ævi ignorabat magnificentiam nostrorum temporum. Quare non est putandum, quod ministeria in capite ultimo Proverbiorum recensita debuerint a reginæ persona abesse. Notiones ad genium sæculi nostri conformatæ non sunt transferendæ in historiam antiquam. Cuique ætati sui steterunt mores. Purpura reginæ vestis erat, indeque ejus excellentia ejus elucet. Reges enim ac regum amici erant olim tantum purpurati. (Esth. VIII. 15. Dan. V. 16. Cant. VII. 5.)

V. Ut autem ædificia magnifica minio fuerunt inducta, picta & vestita, atque quasi externo ornamento ac vestitu circumdata; ita indubie vox לבש (*vestivit*) aptissima orationis translatione ad expolitionem ædium miniaceam adhibetur. Hebræi quidem e penu suo mihi non-

nondum ſubgeſſerunt exempla, at neutiquam, quæſo, deſperandum eſt diligenti lectori, cui inopinanti ſæpius enodatio talium minutiarum evenit. Libet tamen unum alterumque exemplum e Cicerone addere, ne quid ſuperſit ſcrupuli. In communibus enim rebus & quarum imago eamdem gignere poteſt ideam, communes ſolent in diverſis linguis occurrere metaphoræ. Cicero Or. IV. in Verrem §. 122. Ed. Genev. pag. 251. *Pugna erat equeſtris Agathoclis regis in tabulis picta præclare: his autem tabulis interiores templi parietes veſtiebantur, —— parietes, quorum ornatus tot ſæcula manſerat, tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit* (Verres). Nam *veſtire* ſæpius idem eſt ac ornare. Unde *veſtitum orationis* Cicero de Claris Oratoribus pro ornamento poſuit, *monteſque veſtitos* de Nat. Deorum lib. II. §. 132. pag. 322. pro iis, quos tegunt ornantque arbores, montanis.

VI. Hæſimus hactenus in ſcena externa. Tranſeundum eſt ad uſum hinc propullulanrem ad contemplandos nos ipſos, animique ornatum. Salomo adumbrare poteſt Chriſtum in iis, quæ ei in laudibus ducuntur. Conjux Salomonis, Salomitha, eſt figura ac imago ſereniſſima eccleſiæ veræ Judaicæ, quam adhuc amplectimur, ſed reformatam, ac ad nucleum magis advolutam. Typus uterque eſt innatus, tam ob 2. *Sam.* VII. quam Canticum ipſum. Quemadmodum autem domus ſponſalis ſecura erat a nive: ita corpus integre credentium ac amantium caveat a frigore, amoris refrigerio ac doctrinarum capitalium neglectu & diſſolutione. At non ſolum abſit defectus, ſed potius etiam eluceat eccleſiæ ornamentum largiſſimum. Ædes animorum inductæ ſunt *miniaceis*, ſenſu ancipiti. Gravant mentem peccata כשנים *inſtar minci rubentia.* Eſ. I. 18. Eamdem exhilarat *ſanguis adfuſus*, *effuſus*, חוט שני *funiculus miniaceus*, amor Dei, qui interventu rubicundi Jeſu ſanguinis nos trahit ac liberat. Exhilarat veſtis, ſanguine agni quaſi minio tinctus ac ad puritatem exactus. At undenam, quæſo, peccatum cum *miniaceis* confertur ac contenditur? Reſpiciunt multi ad vinculum laneum (De quo *Joma* VI. 8. *Schabbat.* IX. 3.), miniaceo vel coccineo colore tinctum, quod hirci emiſſarii fronti imponebatur, peccatis omnium Iſraelitarum utraque manu ingeſtis, onerati. (Autor Notarum ad Ep. Clementis Romani Oxon. 1669. 8.) Tæniam illam coccineam Miſchna vocat לשון של זהורית *linguam purpurei coloris* (in *Joma cap.* V. §. 2.) Maimonides (in *Jom. Haccipor. cap.* V. §. 4.) לשון של צמר צבוע אדום *linguam laneam*, *tinctam rubro colore*, Barnabas (*Epiſt. pag.* 17. *Ed. Mader.*) τὸ ἔρεινον κόκκινον. Quo minus igitur cum Judæis (*Raſchi aliique illud Eſai.* I. 18.) Tertulliano (*adv. Judæos lib.* III. *cap.* 3.) aliiſque Eſaiæ illud כשנים ex conſuetudine ejus tæniæ partim hirco emiſſario adligatæ, partim in porta pronai adfixæ, quam recentiores colorem tandem album induiſſe, referunt, interpretemur, illud potiſſimum obſtat, quod ante Barnabam ac Miſchnam hujus linguæ nulla injiciatur mentio. Eſaias enim reſpexit ad lanam coccineam ac miniatam, quæ non minus in aliis ritibus ſacris adhibita fuit. (*Hebr.* IX. 19. *Levit.* XIV. 49.) Quum igitur Judæi ex Babylonia domum reducerentur, quibuſdam prioris templi ritibus fuerunt orbati, ex adverſo tamen, ut res ipſa ac Diodorus Siculus apud Photium teſtantur, ritus quoſdam haud improbos, θεοπνευςίας dono in Eſra aliiſque ſequioribus nondum exſtincto, cultui divino adjunxerunt. Siquid ipſemet video, ex Eſaiæ aculeato vaticinio, quod miniaceorum peccatorum meminit, Judæi ritum adligandæ lingulæ adſciverunt, pro publica confeſſione magnitudinis ſuorum peccatorum ac exſpectatione promiſſionis adjectæ. Quod vero Gemara, Sepher Juchaſin ac Tertullianus tradunt expiatione rite peracta tæniam rubram in templo adfixam induiſſe alborem eumque reconciliatæ gentis innocentiam ſpopondiſſe, id quidem nec infra Dei bonitatem nec ſupra ejuſdem potentiam poſitum eſſe videtur. At ex alio capite adſenſum huic rei liceat denegare. Nam (α) Barnabas in *Epiſtola pag.* 18. *Edit. Mader.* ſcribit: Ὃς ἐὰν θέλῃ τὸ ἔρεινον ἆραι τὸ κόκκινον, δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν, διὰ τὸ εἶναι φοβέραν τὴν ἄκανθαν. Unde conligo, tæniam coccineam, qua adhuc talem, inter ſpinas ſolitudinis rupiumque hirco emiſſario fuiſſe detractam. (β) Tertullianum ad acta rituſque aliquando nimis inconſulte provocare, eumque latinum ac Africanum cauſſarum patronum expertem literaturæ Orientalis, Judaicorum rituum non ſatis fuiſſe peritum, in propatulo eſſe cenſeo. (γ) Gemara & Sepher Juchaſin ad recentiora pertinent tempora, fide, citra teſtes locupletes ac aptos, indigni codices, quippe delibuti vitio inconſideratæ translationis recentiorum idearum in tempora antiquiſſima. (δ) R. Jehudah Gemariſtis prior, ac Judæi Jehuda vetuſtiores ex indicis hominum certo interſtitio diſpoſitorum innotuiſſe tradunt, quod הגיע שעיר למדבר per-

pervenerit hircus in desertum Joma cap. VI. §. 8. Esaiæ sensus sibi satis constat, hoc modo: *Si peccatum vestrum esset instar miniaceorum*, quæ difficulter elui delerique possunt, *erit tamen in modum lanæ*, ratione alboris, coloris purissimi, integritatem indicantis. Deus potest solide pœnitentium peccata altissime infixa, infusa, inducta, quæ per sese cedere nesciunt, e continenti dissipare, eluere. Ut vero albus color heic est signum integritatis, ita ex adverso oppositus rubicundus color fuit imago peccati gravioris. Arbitror itaque, peccata gravissima ob sanguinis effusionem, seu cædem, inhumanissimum & antiquitus vulgatissimum crimen comparari cum rubicundo ac miniaceo colore, & ob victimarum sanguinem, quæ peccati faciem tristissimam indicabat ejusque expiationem summopere necessariam ac typicam. At id ipsum, quod immolationes Leviticæ præstare non poterant reapse & suo merito, id perfecit Christus, qui sanguine lavit rubicundo ruborem culpæ indicem, peccatisque sanguineis opposuit sanguineos cruciatus, adeo ut miniacea peccati pigmenta deleverit in piis ratione adplicationis meriti sui. Hicce novus nostris successit cordibus hospes. Peccata proæretica apud Judæos non poterant typice expiari per חטא vel אשם, sed excisioni כריתה subjacebant. Namque sacrificia pro peccato offerebantur, si quis contra XXXVI. præcepta prohibitiva egisset & quidem per ignorantiam. (Misch. de *excisionibus* cap. I. Maimonid. de *Pœnitentia cap.* VIII.) Tuus igitur, Christe, sanguis, solus me poterat ab exitio temporali ac perpetuo incolumem præstare, animumque meum robore Tuæ victimæ præstantissimæ, velut domicilium Tuum, perfundere, in præsidium memoriæ ac adflictionum firmissimum. Hic est *figura formata ob oculos nostros*. Cetera sunt herbę Sardoę, risusque Sardonius. Christus solus est redemtio & salus, typus vinculi coccinei altari majori circumvoluti, infra quem sanguis ad mundi plagas 4. adspergebatur.

CHRISTIANI SCHOETTGENII
ANTIQUITATES
FULLONIÆ.

I. DErivatur Fullonis vox diversimode, si originationem ejus respicias. Huguitio, Autor Vocabularii Breviloqui, qui vulgo Guarinus Veronensis habetur, & alii hujus farinæ glossatores a *fulgendo* deducunt, quia præcipuum fullonis officium est, vestes reddere fulgentes & splendidas. Sed, ut verum fateamur, allusio hæc est, ex vocis similitudine desumta, nec credibile est, dari in latina lingua aliquam vocem, ex qua deduci commode possit fullonis vocabulum. Attamen si aliqua ejus derivatio admittenda, haud male ex Græca lingua deduci poterit. Græcum enim vocabulum est βύω, quod significat *mergo*, *lavo*, & ab hac derivatur diminutivum βύλλειν, unde βύλλων, quod *fullonem* denotat, originem traxit. Huc tendit Hesychius, qui ἔβυλλον explicat ἔβυον ἢ ἐπλήθυον; unde etiam ortum est βύλλαρος, quod significat *scarabæum*, qui pedibus fimum subigit & in pilas cogit, quas & pedibus volutat. Hæc ex Salmasio ad Solinum cap. 32. pag. 311. & Vossii Etymologico. Quod autem ad artem fullonum istorum pertinet, scimus, a Latinis nomen accepisse *fullonicam* sive *artem fulloniam*: utrumque enim testimonio autorum probatorum nititur. Posterius quidem analogia linguæ Romanæ postulat: ut enim ab *histrio* est *histrionia*, a *caupo*, *cauponia*, a *phrygio*, *phrygionia*, sic a *fullo*, *fullonia*; autorum vero de hac re loca addere supersedemus. *Fullonicam* vero dixit Plautus Asin. 5. 2. 57. & Vitruvius Proœm. lib. 6. circa finem, quæ lectio utrinque a probatis codicibus commendatur. *Fullonica* vero etiam est prædium fullonicum, lib. 13. §. ult. ff. de usufr. & alibi. Alio latino vocabulo fullones dicuntur *nactæ* seu *naccæ*. Festus: *Naccæ appellantur vulgo fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non sint, id quod est, nullius pretii. Idem sentit & Cincius. Quidam ajunt, quod omnia fere opera ex lana naccæ dicantur a Græcis*. Verum nauci non sunt hæ originationes. Docet enim Salmasius ad Solinum cap. 11. pag. 129. Græcam esse hujus vocis deductionem. De-

Derivatur enim a νάξαι, quod *implere*, *farcire*, & *ſtipare* denotat, unde νάκτης, latine *nacta*, hoc eſt, fullo, a *premendo*, ſeu *denſando*, putatque Salmaſius, illos quammaxime errare, qui ſcribunt *nacea*. Occurrit autem hæc ipſa vox apud Apulejum Metam. 9. pag. 227. edit. Elmenh. *Nam & opportune maritus foris apud naccam proximum cœnitabat*. Locus Perſii Sat. 3. 31. ſuſpectus eſt merito viris eruditis. Nam ibi *Natta* nomen proprium eſt viri, cujus etiam meminit Horatius. Porro *nactina* apud Apulejum pag. 229. non eſt fullonis uxor, ut quidem vult Salmaſius, ſed nomen adjectivum. Nam *nactina truculentia* eſt, qua quis alium eodem modo tractat atque excruciat, quo fullones pannos ſuos. Cæterum apud Apulejum & Feſtum mallem ſcribere *nacta*, e Græco νάκτης, facilis enim in codicibus inter C. & T. literas eſt confuſio.

II. Græcis fullo eſt γναφεὺς, ſeu, ut Attici ſcribunt, κναφεύς, & derivatur a κνάφος, quod eſt *carduus* quo pannos poliebant fullones. Heſychius: κνάφοι, ἄκανθαι, αἷς κνάπτεται τὰ ἱμάτια. κνάφου δίκην, ὅταν ἐν κύκλῳ οἱ κναφεῖς περιέλκωσι τὰ ἱμάτια περὶ τὸν λεγόμενον κνάφον. ἔστι δὲ τοῦτο φυτὸν ἀκανθῶδες Pollux. 7. 37. κνάφος δὲ ἡ πρόσφορος αὐτοῖς ἀκάνθα. Vertit Gualtherus. *Cardo autem dicitur herba illis* (fullonibus) *proferens*. Tu verte melius: *herba, quæ uſibus eorum eſt accommodata. Id enim eſt* πρόσφορος. Sed de his plura in ſequentibus. Inde eſt κναφεὺς & κναφεύειν cum derivatis, & ἄγναφον, quod occurrit Matth. IX. 26. *quod manus fullonis nondum eſt expertum*, hoc eſt ut exponunt Syrus interpres & Lucas IV. 36. *novum*. Attici, teſte Thoma Magiſtro, dicunt ἄκναπτον, non ἄγναφον. Εὔγναπτος, eſt *manu fullonis bene præparatus*. Heſychius: Εὐγνάπτοις, καλῶς κατεσκευασμένοις. Ex voce κναφεὺς vel γναφεὺς Chaldaicum & Syriacum חנף deducere conatur Georgius Leopoldus Ponatus de vetuſta Judæorum orantium Battologia cap. 3. §. 3. 4. Nimirum quia γναφεὺς rem ſordidatam verſat, ergo inde חנף derivatur, quod notat *contaminari* & *contaminare*, *profanari* & *profanare*. Sed hic duo ſunt obſervanda: I. Ex literarum affinitate raro admodum derivandæ ſunt orientalium voces a Græcis: ſæpius autem hæ ab illis. II. Nexus argumentationis eſt falſus. Γναφεὺς enim rem quidem ſordidatam verſat, ſed eo fine, ut eam mundam atque puram reddat; ita מחנף ſive ܡܣܢܦ eſt, qui cum hominibus quidem impuris atque ſordidatis negotium habet, eoſque mundos atque puros facit. Sic philoſophandum erat ejuſmodi etymologiarum captatoribus, ut aſſertionis ſuæ falſitatem paullo accuratius noſſent. Sed fortaſſe hæc infelici conatu magiſtrum ſuum æmulans excogitavit Ponatus, quod adeo ipſi & aliis condonamus. Cæterum, ut hoc obiter moneamus, ex vocabulo κνάπτειν quidam deducere voluerunt noſtrum Tuch-Knappe, inducti ſimilitudine literarum in utraque voce occurrentium. Aliis placet origo belgica, quibus *knap* eſt agilis & manu promtus, einer der ſich knap hält. Mihi arridet derivatio germanica, ubi Knabe eſt homo junior, & litera unius organi mutata Knappe. Unde omne artificum & opificum ſocii quondam eo nomine veniebant, unde reſidua hodie ſunt ſaltem iſta, Tuch-Knappe, Mühl-Knappe, Berg-Knappe. Equitum quoque & Nobilium filiis nomen erat *knaphionum*, de quo Ant. Matthæi de Nobilitate I. 4. & IV. 18. Schurzfleiſchius Diſſ. de rebus Danicis, quæ 14. eſt inter hiſtoricas pag. 14. not. f. Mejerus Antiquitatibus Pleſſens, pag. 251. ſequioribus temporibus γναφεὺς Græcis dicebatur πλύνειν, ut obſervat Thomas Magiſter. Ita enim vocem πλύνειν, quæ proprie *lavare* notat, uſurpat Artemidorus 2. 3. & 4. Dicitur etiam πλύντης, cujus fœmininum πλυντρία, utrumque eſt apud Pollucem 7. 37. Theophilus πλύτην dicit, pro quo forte rectius legeretur πλύντης. Locus eſt §. 15. Inſt. de obl. quæ ex delict. naſc. δέδωκα κναφεῖ κναπτέαν, ἢ πλύτῃ πλυτέαν ἐσθῆτα. Latina verba ſunt. *Item ſi fullo polienda curandave veſtimenta acceperit*. Eidem vocatur λευκαντεὺς, *dealbator*, §. 13. Inſt. de mandato: διὸ καὶ κναφεῖ κναπτέαν, ἢ λευκαντεῖ λευκαντέαν ἐσθῆτα παράσχῃς. *Et ideo ſi fulloni polienda curandave quis dederit veſtimenta*. Φαιδρυντοῦ nomen annotavit Pollux loc. cit. quaſi dicat, *qui veſtes facit ſplendidas*.

III. Hebræis fullo eſt כובס & מכבס, utrumque a radice כבס, quæ binas habet ſignificationes, quamvis ambas Lexica hactenus vulgata non indigitarint. Prior eſt *lavare*, hoc eſt quocunque modo maculas e veſtibus eluere, etiam, ex more Judæorum pollutorum, ſimplici tantum aqua veſtem abluere, cujus notionis exempla innumera in Numeris & Levitico occurrunt, quæ addere ſupervacaneum putamus. Poſterior eſt *fulloniam exercere*, quæ lotio non eſt ſimplex, verum, ut hac diſſertatione apparebit, admodum operoſa. Occurrit hoc ſenſu apud Jeremiam cap. II. 22. כי אם תכבסי בנתר ותרבי לך בורית: *Nam ſi laves te nitro, & multum adhibeas borith, tamen apparebit peccatum tuum ante faciem meam*. Occurrit hic

hic borith & nitrum, quod utrumque fullonibus vel maxime in uſu fuiſſe ex infra dicendis apparebit. Inde eſt participium כובס *fullo*, quod ter occurrit in ſacris 2. Reg. XVIII. 17. Jeſa. VII. 3. & XXXVI. 2. Eundem ſenſum adtribuimus alteri participio מכבס, quod exſtat Malach. III. 2. qui dicit, Meſſiam venturum futurum *ut ignem flatoris*, וכבורית מכבסים: *& ſicut borith fullonum*. Apud Talmudiſtas occurrit vox אשפור, quam quidam fullonem denotare putant. Avoda Sara fol. 20. 2. מנא לאשפורי היכי יהבין הא קא מסתכל: Vertit Vir Celeberrimus Georgius Eliezer Edzardi: *quomodo ergo poterimus fullonibus iſtas* (veſtes) *dare? utique enim iſti contemplantur eas*. Non negamus, aliquos etiam interpretari *ſartores*, inter quos eſt Buxtorfius Lex. Talm. col. 234. Sed hoc loco conſiderandum, quid ipſorum, & antiquiorum quidem, Judæorum conſenſus velit, ex originatione enim & locis parallelis nihil hic nobis eſt ſubſidii. Gloſſa R. Sal. Jarchii ad eum locum explicat: כובס המתקן בגדים חדשים: *Fullo, qui facit ſive reſarcit veſtes novas*, quod explicare poſſis, *qui præparet veſtes ita, ut appareant deinde novæ*. Nam quia vox כובס adjecta eſt, nemo ipſi commode poterit ſignificationem ſartoris affingere. Et ſic autor libri Aruch, qui explicat אומנין שמתקני הבגדים: *opifices, qui reſarciunt veſtes*. Hi omnes aperte fullones deſcribunt, adeo ut eorum, qui *ſartores* faciunt, ſententiam merito explodamus. Chaldæi fullonem vocant קצר & קצרא Arabes قصار q. d. *decurtatorem pannorum*, quia opificium ejus ita verſatur circa veſtes, ut non tantam, quantam antea, menſuram retineant. Gloſſa tractatus Talmudici Bava Kama fol. 119. 2. הכובס נקרא קצרא בלשון ארמי וקצרא שהוא כקצר מן הבגד: h. e. *Fullo dicitur* קצרא *in lingua Chaldaica, idque ideo, quia de veſtimentis aliquid decurtat*. Forte & fullones olim, perinde ac hodie quidam opifices, infames erant, quod partem pannorum furto auferrent. Veſtigia quædam ejus rei proponunt nobis Talmudiſtæ in Schabbath fol. 19. 1. אמר אביי האי מאן דיהיב מנא לקצרא במשחא ניתי' ליה ובמישחה נשקול מיניה דאי טאי טפי אפסרי' רמתחיה ואי בציר אפסרי דכווציה: *Dixit Abai: Quicunque veſtem fulloni dat, is appenſum ipſi tradat, & ſic quoque ab eo recipiat*, (ut appareat) *an multum aucta ſit extenſio ejus, an vero minus aucta ſit contractio ejus*. Syris quoque ܩܨܪ eſt *fulloniam exercuit*, & Arabibus *tundendo lavando*que *dealbavit veſtem more fullonum*, teſte Caſtello col. 3426.

IV. His ita præmiſſis, ad ipſam rem propius accedimus, ante omnia de fullonum deſcriptione ſolliciti. *Fullo* nimirum *eſt opifex, qui veſtes ſordidas purgat, polit & candidas facit*. Id quod tamen de ſolis albis veſtibus non intelligendum, ſed & de coloratis. Schabbath loco citato: תניא אמר רבי צדוק כך היה מנהגו של בית רבן גמליאל שהיו נותנין כלי לבן לכובס שלשה ימים קודם לשבת וצבועים אפי' בערב שבת ומדבריהם למדנו שהלבנים קשים לכבסן יותר מן הצבועין אביי הוה יהיב ליה ההוא מנא רצביע לקצרא אמר ליה כמה בעית עילויה אל כרחיורא אל כבר קדמוך רבנן: *Traditio eſt, dixiſſe R. Zadokum, in ſchola R. Gamlielis hunc morem fuiſſe, ut veſtes candidas fulloni traderent tribus diebus ante Sabbathum, coloratas vero ipſa veſpera Sabbathi. Ex quibus illorum verbis hoc diſcimus, quod veſtes albæ difficilius poliantur, quam quidem coloratæ. Abai dederat veſtem coloratam fulloni, dicens: Quantum poſtulas pro ea? Reſpondit fullo: Quantum pro alba. Regeſſit Abai: At jam te prævenerunt Rabbini noſtri*. Scilicet, quia veſtis alba tribus diebus opus habet, colorata vero uno die lavari poteſt, pretium hujus longe minus eſt.

V. Ut autem hæc eo melius intelligantur, ſciendum, veteres tam Judæos, quam gentiles ſemper albis veſtibus fuiſſe uſos. Id ipſum vero de lautioribus & ditioribus ſaltem intelligendum eſt, nam plebeii plerumque veſtes habuerunt ſordidatas, unde explicandus eſt locus Statii Silvarum I. 2. 237.

Omnis plebejo teritur prætexta tumultu.

Deſcribitur ibi lætitia quædam publica, ad quam recte oculis uſurpandam undique confluxerat confuſa ex ditioribus & plebeiis multitudo. Ergo facile fiebat, ut lautiorum in tanto tumultu prætextæ attererentur & commacularentur. Præcipue vero albis veſtibus uſi leguntur temporibus lætitiæ, feſtorum, ludorum & ſpectaculorum, quod teſtatur Ovidius Faſt. I. 79. ubi agit de proceſſione, quæ Calendis Januariis in Capitolium habebatur:

Veſtibus intactis Tarpejas itur in arces,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.

Et Claudianus de laudibus Stiliconis III. 289. *intactos cives* vocat albis togis indutos: In cultu deorum præcipue colorem iſtum locum habuiſſe teſtantur Deogtæus Anal.

Anal. S. N. T. Excursu 107. & Matthæus Brouerius de Niedeck de veterum & recent. adorationibus cap. 14. De reliquis non est quod prolixiores simus, quum omnia præoccupaverint Lipsius Elect. 1. 13. Mart. de Roa singular. script. 2. 2. 2. Ferrarius de re vest. 1. 1. 22. Everh. Otto de ædilibus coloniarum & municipiorum cap. 10. pag. 274. & alii. Idem apud Judæos in usu erat; nam quum cæteri opifices vespera, quæ Paschatos festum præcedebat, a labore cessarent, fullonibus tamen licitum erat laborare, quia, quæ ipsi agebant, ad condecorationem festi præcipue spectabant. Hinc Talmudistæ in Pesachim fol. 55. 1. שלש אומניות עושין מלאכה בערבי פסחים עד חצות ואלו הן החייטין והספרים והכובסין: *Tria opificia exercent opus suum usque ad dimidiam vesperam Paschatos, quæ sunt, sartores, tonsores & fullones*. Salomon vero Eccles. IX. 8. quando homines admonet, ut vitam læte transigant, inter alias ejus descriptiones etiam hac utitur בכל עת יהיו בגדיך לבנים: *Omni tempore vestes tuæ sint albæ*. Notabilis ibidem est annotatio Raschii, quam integram apponemus בכל עת יהיו בגדיך לבנים התקן עצמך בכל שעה במעשה טוב שאם תמות היום תכנס בשלום ומשל שלמה החכם את הדבר הזה לאדם שהזמינו המלך ליום סעודה ולא קבע לו זמן אם חכם הוא או פקח מיד מכבס כסותו ורוחץ וסך וכן עת מחר עד עת יקרא על הסעודה יהיו כל שעה בגדיו לבנים והוא רחוץ וסך כך דרשוהו רבותינו במסכת שבת: i. e. *Omni tempore vestes tuæ sint albæ. Exerce te omni tempore in opere bono, nam si hoc die moriatis, tunc beate morieris. Similitudinem autem hoc loco Salomon desumit ab homine, quem Rex ad convivium invitat, nec justum ei tempus constituit. Si ille sapiens est & sagax, statim lavat vestem suam, seque ipsum, & se induit, & ita die sequente, usque quo tempore ad prandium invitatur, vestes ejus semper sunt albæ, illeque lotus est & indutus. Ita commentati sunt Rabbini nostri in tractatu Schabbath* fol. 143. 1. Quæ verba licet proprie ad rem nostram non faciant, propter elegantiam tamen mittere non potuimus. Inde quoque angeli tempore resurrectionis & ascensionis servatoris nostri lætitiam suam testantes albis vestibus induti apparuerunt. Matth. XXVIII. 7. Marc. XVI. 5. Actor. I. 10. Et idem servator promittit, eos, qui in castris suis militantes victuri sint, amiciendos esse vestibus albis, Apocal. III. 5. ipsique beati simili vestitu induti referuntur. Apoc. VII. 13. Qui ergo albas vestes gestabat, necesse erat, ut eas sæpissime sordidarent, ad quas vero reparandas atque dealbandas fullonum ministerio usi deprehenduntur. Quam rem ut probemus, adducimus historiam Epaminondæ apud Ælianum V. H. 5. 5. Ἐπαμινώνδας ἕνα εἶχε τρίβωνα, καὶ αὐτὸν ῥυπῶντα· εἴποτε δὲ αὐτὸν ἔδωκεν εἰς γναφεῖον, αὐτὸς ὑπέμενεν οἴκοι δι' ἀπορίαν ἑτέρου. *Epaminondas unam solum habebat vestem, eamque sordidam: si quando vero eam misisset ad fullonem, ipse se domi continere ob indigentiam alterius cogebatur*. Et inde apud Marcum cap. IX. 3. vestes Servatoris nostri in monte transfigurati tantę dicuntur fuisse albedinis, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι, *quales ne fullo quidem super terra potest dealbare*. Confer Dilherrum Dispp. tom. I. pag. 205. 206.

VI. Illi ergo fullones vel liberi erant vel servi; neque dubium est, eos fullones, quorum in scriptura sacra mentio fit, omnes fuisse liberos. Horum ergo officina latine dicta est *fullonium*, græce γραφεῖον, quæ utraque vox occurrit in glossis Hadr. Junii pag. 597. Expressa mentio fit *Collegii Fullonum* Romæ in inscriptione apud Fabrettum cap. 4. pag. 333. ex quo patet, illos aliquando Romæ fuisse liberos. Nam ipsis vestimenta lavanda conducta fuerunt, & ubi damnum aliquod iisdem contingeret, actione ex locato teneri potuerunt, lib. 13. §. 6. & lib. 60. §. 2. ff. loc. cond. l. ff. 2. de condict. sine caussa, quum alias servorum esset plagas pro delictis pati. Ut plurimum tamen, & apud Romanos præcipue, fullones servi erant, ad familiam rusticam pertinentes, quod ex plurimis locis Jureconsultorum Romanorum ostendunt Cujacius observ. 23. 2. & Titur Popma de operis servorum pag. 90. 91. Nimirum inter reliqua prædiorum genera, quæ commodi caussa habebant Romani, & *meritoria* dicebantur, erant etiam *fullonica*, quorum meminit Varro R. R. 1. 16. 4. quibus præponebatur villicus, reliqui omnes erant servi, plerique vincti. In agris vero ut plurimum erant Romanorum fulloniæ propter odorem teterrimum, quem delicatiores Romani ferre non poterant. Hinc Martialis epigr. VI. 93.

Tam male Thais olet, quam non
fullonis avari
Testa vetus, media sed modo fracta via.

Titinnius Fullonibus apud Nonium 4. 2.

Interea fœtida anima nasum oppugnat.

Cum

Cum autem iſti fullones continuo perſiſterent in lotio & ſtercore, fiebat ut guttur ſæpiſſime proluerent, unde Plautus Aſin. 5. 2. 57.

> ART. *non queo durare*. PA. *ſi non didiciſti fullonicam*
> *Non eſt mirandum*.

Idem Menæchm. 5. 1. 42.

> *Quæſo hercle, mulier, ſi ſcis, monſtra quod bibam.*
> *Tuam qui poſſim perpeti petulantiam*

Claudianus in Eutrop. 1. 270.

> —— *vix laſſa reſedit*,
> *Et jam vina petit*.

Quam obſervationem ex Grutero exhibent Taubmannus ad Plautum Rudente 3. 6. 46. & Pareus in Electis Plautinis pag. 187. Tale ergo prædium fuit Hieroſolymis, illudque in locis ſupra §. 3. adductis dicitur שדה כובס, *ager fullonis*. Nec eſt, quod quenquam offendat vocabulum שדה, nam ea vox, perinde ac latinæ *rus* & *ager*, ſignificationem habet *prædii ruſtici*, quod vel ex Geneſ. XXIII. adparet, ubi Abrahamus ab Ephrone dicitur emiſſe agrum cum ſpelunca duplici & omnibus arboribus, hoc eſt villam ruſticam. Uſias quoque Rex Judæorum ſepultus eſt: בשדה הקבורים אשר למלכים *in agro ſepulchrorum regio*, qui certe non erat ager proprie dictus, ſed hortus muris circumſeptus, arboribus conſitus, & familiæ regiæ tumulandæ deſtinatus. 2. Chron. XXVI. 23. Hoc vero prædium fullonicum Hieroſolymis etiam fuit extra urbem, inter orientem & meridiem, & quidem ea parte, ubi initium erat vallis Hinnom, in quam omnes ſordes conjiciebantur. Obtendit illud ipſum Lightfootus in centuria chorographica Matthæo præmiſſa cap. 40. quem tamen rationes, ob quas locus *ager fullonis* dictus erat, fugerunt. Verba ejus ſunt: *Illic loci, muro vicinus erat Ager fullonis, qui an a lignis compactis, ubi pannos exſiccarent fullones, dictus foret, an ἀπὸ κναφέως μνήματος, de quo Joſephus de bell. lib. 5. cap. 23. non diſputamus*. Noſſe enim poterat Vir doctiſſimus, non aliam ob cauſſam extra urbes ejectos eſſe fullones, quam ob tetrum odorem, & opificii eorum impuritatem. Haurire id poterat ex Jalkut ad Jeſa VII. 3. & Aruch. fol. 75. 4. Poſterioris verba ſunt hæc בשעה שהנביא בא לקנתרו והיה בורח למקום הטומאה כלומר שאין שכינה שורה במקום הטומאה h. e. *Eo tempore, quo Propheta* (Jeſaias) *venit ad increpandum eum*, (Achaſum Regem Iſrael) *tunc fugiebat ad locum immundum, quaſi diceret, Schechinam* (ſive majeſtatem divinam *non habitare in loco immundo*. Apparet ergo exinde, propter immunditiem & tetrum odorem fullones extra urbem habitaſſe. In talibus prædiis fullonibus maxime neceſſe erat aqua, quapropter prædia Romanorum ad fluvios & fontes erant, lib. 3. ff. de aqua pluv. ex qua lege conſtat etiam, aquas ab ipſis valde fuiſſe conſpurcatas, ex ſordibus nimirum veſtium, de quibus antea diximus. In Hieroſolymitano vero prædio fuit primo fons quidam, de quo infra §. 8. & piſcina e fonte collecta, cujus mentio fit in hiſtoria Sancherib. 2. Reg. XVIII. 17. & Jeſa. XXXVI. Legati enim ejus Hieroſolymis advenientes ſteterunt בתעלה הברכה העליונה אשר במסלת שדה כובס: *juxta canalem piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in aggere prædii fullonici*. Raſche ibi: בתעלת פיסקינה (Male in Bibliis Buxtorfiianis legitur בריכה כל פיסקירה) שעושין לביברי דגים: hoc eſt תעלה *eſt piſcina in ſignificatione voci* בריכה, *quales faciunt ad vivarium piſcium*. *Ralbag ibidem* בריכה הוא חריץ בנוי עוברים בו מים והיה אצל המים תעלה ר״ל חפירה רחבה יתפשטו בו: hoc eſt בריכה *eſt foſſa constructa, in qua currunt aquæ, inde erat* תעלה h. e. *foſſa lata, in qua ſe aquæ extendunt*. Hæc ad verbum fere ad hunc ipſum locum exſcripſit Abarbanel. Kimchius: הבריכה היא חריץ בנוי באבנים ובסיד ומתכנשין שם גשמים או מישכין שם מים מן המעין ובבריכה הואת היו מכונסין המים ויש בבריכה הזאת נקב ויסתמו אותו עד זמן שירצו להוציא מים מן הבריכה לתעלה בזמן שירצו השקית או לכבס בגדים: *Piſcina iſta lapidibus erat conſtructa, & colligebant in ea aquam pluviam, aut e fonte ad illam transferebant, in piſcina vero iſta aqua colligebatur. In eadem piſcina erat foramen, quod obſtruxerunt, donec aliquando vellent aquas ex piſcina in canalem deducere, vel* (animalia) *potaturi, vel veſtes ſuas loturi*. Hæc paullo prolixius ex Rabbinis iſtis adferre placuit, ut adpareat, quam dubia ſit eorum fides in adſtruendis antiquitatibus, quas ipſi nec intellexerunt, nec ex debitis fontibus haurire potuerunt. Turpiter enim Raſchi & Ralbag voces תעלה & בריכה confundunt, illique ſignificationem *piſcinæ*, huic *canalis* tribuunt, quod longe aliter eſt, teſte vel Kimchio. Deinde finem hujus piſcinæ non adtenderunt, unde neceſſe eſt, ut in ejus deſcriptione falſi ſint, quædam addendo, quædam demendo. Ne vero in iis refellendis nimis pro-

prolixi simus, mentem de hac piscina nostram paucis aperimus. Nimirum illa colligebatur ex aquis עין רוגל, *fontis fullonum*, ex quo per canalem quendam aqua ad piscina hanc dirigebatur, ex illa vero defluebat per canalem piscinæ inferiorem in vallem Ben Hinnom. Ista cuivis loca hæc inspicienti clara sunt & aperta, nec quidquam, quod sacræ literæ non testentur, continent. Quid quod sequioribus temporibus eadem hujus loci occurrit descriptio apud Auctorem libi יחוס אבות ab Hottingero sub Cipporum Hebraicorum nomine editum pag. 49. ושם המעין מי השילוח ושם נמשח שלמה המלך ע"ה כדכתיב וירכיבו את שלמה על פרדה המלך דוד ויורידו אותו על גיחון ולמטה בעמק גם כן קורין לו מי השילוח כי משם יוצאים מים ורוחצין שם הבגדים: h. e. *Ibi est fons aquarum Siloab, & ibidem unctus est Schelomo Rex. p. m. sicut scriptum est*. 1. Reg. 1. 33. Et vexerunt Schelomonem super mula Regis Davidis, & deduxerunt eum Gichonem. *Inferior pars in valle etiam nomen habet aquarum Schiloa, quia aquæ inde prodeunt, ibidemque lavant vestes*. De aqua vero aliquando contentio Romæ fuit, inter corpus fullonum & Magistros fontanos, de usu scilicet illius, & pensione de eadem solvenda, de qua re inscriptio, sed mutila, exstat apud Fabrettum cap. 4. pag. 278. quem itidem conferre potes pag. 332. 333. Nimirum aquæ Romam magnis sumtibus deducebantur per aquæductu, fullones vero multum aquæ usurpabant, Magistris autem fontanis non tantam, quantam illi requirebant, pensionem dare volebant. Sequioribus temporibus *Fullencium* appellarunt molendinum fullonarium, *moulin pour fouller les draps*, ut explicat du Fresne in Glossario, eine Walck-Mühle. Occurrit hæc vox in charta a. 1208. data & ab eodem adducta, cujus verba sunt: *Et in manu nostra teneremus cum tali banno & justitia, quale Comitissæ & bæredes Campaniæ ea tenebant, tam molendina quam fullencia usque dum haberemus sumtus facturæ & necessarias molendinorum expensas* Memoratur etiam *molendinum cum fullone* in charta alia a. 973. scripta, & ab Unghello Italiæ S. tom. 2. pag. 14. adducta. Qui vero in urbibus se continuere fullones, in vico quodam & platea a reliquis hominibus separata habitarunt, unde *vicus fullonum* est apud Henricum Abbatem in descriptione proventuum monasterii S. Richardi, in Actis Sanctorum tom. 3. Febr. pag. 105.

VII. Devenimus ergo ad ipsum fullonum opificium, eorumque singulas actiones, quas in reparandis & dealbandis pannis adhibuerunt, perlustrabimus. Varii eas varie describunt, ita ut in singulis quædam desideres. Lex Metella fullonibus dicta, quam C. Flaminius, L. Æmilius Censores dedere ad populum ferendam, apud Plinium H. N. 35. 17. ipsis hunc ordinem descripsit. *Primum abluitur vestis Sarda, dein sulphure suffitur: mox desquamatur. Cimolia, quæ est coloris veri*. Facile vero adparet, in hac descriptione multa esse omissa, quædam etiam, domandi luxus causa, prohibita. Nos vero, prout ex antiquitate vestigia supersunt, singula cum cura perlustrabimus.

VIII. Primum ergo fullonum officium, ut ordine procedamus, erat lavare vestes, hoc est in aquam projicere, id quod etiam innuit vox πλυνέως & πλυνοῦ. Faciebant hoc ideo, ut sordes vestium emollirentur, ac deinde eo melius aufferrentur. Hac ipsa de caussa vestes & pannos in aquas conjectos pedibus calcarunt, quod innuit Horapollo Hieroglyph. 1. 65. qui observat, Ægyptios figuris hieroglyphicis utentes, quotiescunque fullonem voluerunt indicare, duos pedes humanos in aqua finxisse. Verba ejus sunt: γναφέα δὲ δηλοῦντες δύο πόδας ἀνθρώπου ἐν ὕδατι ζωγραφοῦσι. Τοῦτο δὲ ἀπὸ τῆς τοῦ ἔργου ὁμοιότητος δηλοῦσι. Retinuimus emendationem Hœschelii, quam p. 194. ex Pierio adduxit, qui pro ἑρμοῦ legit ἔργου, nam Mercurio nihil cum re fullonia rei est. Pollux lib. 7. sect. 37. τοῦ δὲ κνάπτειν ἡγεῖται τὸ συμπατῆσαι, ὡς Κρατῖνος ὑποδηλοῖ παίζων, τῇ μάστιγι γνάπτειν εὖ μάλα, ἢ συμπατῆσαι. Κνάπτειν *porro etiam conculcare significaverit*, (verte melius: *In re fullonia primum est conculcare*) *ut Cratinus indicat jocans: Flagello demulcere quam sedulo, aut conculcare*. Synesius epist. 44. ἀλλ' εἴ τις ἱματίοις αἴσθησις ἦν, τί ἂν οἴῃ πάσχειν αὐτὰ λακτιζόμενα; Vertit Petavius: *Quod si quis vestibus sensus inesset, quid eas demum facturas arbitraris, cum calcibus subiguntur?* Hanc pedum calcationem Latini dixerunt *consilium* a *consiliendo*. Varro de L. L. lib. 5. p. 32. *A cogitatione* (descendit) *concilium, unde consilium, quod, ut vestimentum apud fullonem cum cogitur, consiliari dicitur. Sic reminisci ea quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur, & cogitando repetuntur*. Ad quem locum non possumus non proferre interpretationem Jani Gulielmii Verisimil. 2. 8. *Cogitare*, inquit, *est crebro cogere, unde consilium, qua cogitur; & hinc consilium in re fullonia, quod vestimentum cogat: in animo humano, quod cogitet, id est multum diuque cogat ea, quæ memoria te-*

tenuit. Legunt hinc quidam, & inprimis Pareus bis apud Plautum *conſiliata tapetia*, hoc eſt, quæ a fullonum pedibus bene erant ſubacta, ſed nos illud in dubio relinquimus, bene recordantes, quid ad Pſeudolum 1. 2. 14. ſcripſerit Taubmannus, ſive potius Gruterus. Aliunde hanc vocem derivat Scaliger in conjectaneis ad laudatum Varronis locum pag. 82. Vecba ejus ſunt ſequentia: *Imo conciliare a ciliis, & Græce κιλίκια dicuntur. Ex iis coacta veſtimenta vulgo Feltra vocamus: Nempe τὰ ἐκ τειχῶν συντιθέμενα. Unde conciliare fullonium verbum, τὸ συμπιλεῖν, πιέζειν, ἰπεῖν καὶ συμπατῆσαι, a quo & Galli* fouler *dicunt*. Sed hæc, ingenioſe ſatis dicta, ſunt contra perpetuam linguæ Latinæ obſervationem. Meminit enim *ſaltus fullonii* etiam Seneca epiſt. 15. *Curſus & cum aliquo pondere manus motæ, & ſaltus, vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille (ut dicam) ſaliaris, aut (ut contumelioſius dicam) fullonius*. Monet etiam Caſaubonus ad Perſium Sat. 3. pag. 296. *Stipare* eſſe verbum fullonium, quod hanc pedum motitationem denotat. Verum licet forte alicubi vox iſta de fullonibus adhibita deprehendatur, tamen proprie loquendo generalem contundendi ſignificationem obtinet. In ſacris literis iſte calcandi ritus etiam memoratur, nam Spiritus Sanctus fullonibus hanc ob cauſam attribuit nomen *Rogel*. Mentio enim fit quatuor in locis Joſ. xv. 7. xviii. 16. 2. Sam. xvii. 17. 1. Reg. 1. 9. עין רוגל, hoc eſt, *fontis calcatoris* ſeu *fullonius*. Male hic LXX. ſenes & reliqui interpretes fere omnes, qui *Rogel* crediderunt eſſe nomen proprium. Quemadmodum enim ſupra in שדה כובס nullum fuit nomen proprium, nec a quoquam ita verſum, ſic nec hoc loco. Melius ergo Chaldæus & hunc ſecuti, qui קצרא vertit, quod, ut ſupra obſervavimus, Chaldaicum eſt fullonum nomen. Eſt enim participium Kal. radicis in hac ſignificatione inuſitatæ רגל *calcare*, unde ſupereſt vox uſitatiſſima רגל *Pes*. Adpoſite ad rem Raſche ad Joſuæ locum priorem: סעיין כובסים ת׳ עין קצרא וקורא את הכובס רוגל על שם שבועט את בגדי הצמר ברגליו פולון בלע״ז: *Fontem fullonum interpretatus eſt Jonathan vertendo* עין קצרא, *& fullonem vocat* רוגל, *propterea quod pedibus ſuis conculcat veſtes laneas, latnis fullo*. Et Kimchi: ונקרא הכובס רוגל לפי שמשפשף הבגדים ברגליו בעת שמכבסם: *Et fullo vocatur* רוגל, *propterea quod veſtes, quo tempore illas reparat, pedibus contundit*. Repetit eadem Raſche 2. Sam. xvii. 17. idem cum Kimchio ad 1. Reg. 1. 9. Situs vero erat ille עין רוגל eodem loco, ubi ager fullonis, de quo antea, adeo ut credibile ſit, piſcinam iſtam, quæ apud Jeſaiam bis occurrit, ex hoc ipſo fonte habuiſſe originem, id quod etiam video placuiſſe Hieronymo de locis Hebraicis pag. 76. edit. Clerici. Verba ejus ſunt: *Sic dictus, quantum exiſtimo, quod ejus aquæ ad agrum fullonis decurrerent, fullonibuſque ibi uſui eſſent*. Situs enim erat, ut ex locis Joſuæ apparet, verſus orientem urbis Hieroſolymitanæ, ubi incipiebat vallis Ben Hinnom. Fallitur Adrichomius in deſcriptione urbis Hieroſolymæ num. 189. qui ſtatuit, fontem iſtum ſitum eſſe in horto Regis, dicendum enim potius, quod non adeo procul ab horto fuerit ſitus. Fallitur quoque Epiphanius de vitis Prophetarum, qui Jeſaiam Prophetam a Manaſſe occiſum juxta quercum Rogel ſepultum tradit. Verba ejus ſic habent tom. 2. Opp. pag. 238. ed. Colon. Καὶ ἐτέθη ὑποκάτω δρυὸς Ῥωγὴλ, πλησίον τῆς διαβάσεως τῶν ὑδάτων, ὧν ἀπώλεσεν Ἐζεκίας ὁ βασιλεὺς, χώσας αὐτά. *Et ſepultus eſt ſub quercu Rogel juxta tranſitum aquarum, quas pulvere congeſto Ezechias Rex obſtruxerat*.

IX. Nec vero in ſola aqua pedibus calcarunt pannos & veſtes, ſed eidem negotio etiam adhibuerunt urinam, ut illas maculas, quæ ſola aqua non poterant elui, fortiore quadam materia ex veſtibus exterminarent. Ad hunc ergo uſum facere putabant urinam vel hominum, vel etiam brutorum. De urina humana teſtatur Athenæus lib. 11. Τὸ δὲ ἀφ' ἡμῶν διηθούμενον οὖρόν ἐστι δριμύ. Τὰ γοῦν ἱμάτια τούτῳ χρώμενοι ῥύμματι πλύνουσιν οἱ γναφεῖς. *Urina vero, quæ a nobis excernitur, acris eſt, fullones ergo veſtes reſarcientes ejuſmodi fluido utuntur*. Addatur Goeſius ad illa verba Petronii 67. pag. 337. *Calidum mejere, & frigidum potare. Similitudo*, ait, *a fullonibus ſumta, qui calidum ut mejunt, ita frigidum potant. Calidum autem lotium illis pluris eſt, utpote qua veſtes ſordidas mundant, quam aqua frigida, quam petant, & minori opera, quam lotium comparatur*. Hinc etiam apud Talmudiſtas inter alia, quæ fullonibus uſui ſunt, numerantur מי רגלים, hoc eſt ad verbum, *aquæ pedum* id eſt *urina* ſive *lotium*, in Schabbath fol. 89. 2. Nidda fol. 62. 2. Romæ vero hac ipſa de cauſa fullones hinc inde in locis publicis, præcipue in angiportis, diſponebant amphoras, in quas urinam redderent homines. Hinc Cajus Titius in oratione qua legem Fanniam ſuaſit, apud Macrobium Saturn. 11. 12. & Johannem Saresberienſem Polior. viii. 7. pag. 479. ubi

ubi judicum Romanorum vitia perstringit: *Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. Dum eunt, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habent. Veniunt in comitium tristes, jubent dicere: quorum negotium est, dicunt. Judex testes poscit, ipsus it minctum, ubi redit, ait se omnia audivisse, tabulas poscit, literas inspicit, vix præ vino sustinet palpebras.* Aperte quoque Martialis XII. 48.

> *Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,*
> *Vel quicunque canis, junctaque testa viæ.*

Alius ejusdem locus huc faciens jam supra §. 6. est adductus. Hinc postea Vespasianus vectigal excogitavit urinarium, de quo Svetonius in Vespasiano cap. XXIII. hæc narrat: *Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans, num odore offenderetur, & illo negante, atqui inquit, e lotio est.* Ad quam historiam etiam respexisse mihi videtur Juvenalis Sat. XIV. 205.

> *—— lucri bonus est odor ex re*
> *Qualibet.*

Urina vero ista, quam toto die tractabant fullones, a podagræ doloribus immunes illos conservabat. Testatur hoc Plinius H. N. VIII. 6. *Virilis* (urina) *podagris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant.* Inter bruta, camelorum urina fullonibus fuit usui, quod confirmat idem Plinius H. N. XXVIII. 8. *Urinam* (camelorum) *fullonibus utilissimam esse tradunt.* Dubitari hoc loco posset, an Judæorum fullonibus in usu fuerit urinam vestibus adhibere, quia res immunda fuit, adeoque Judæos potuit contaminare. In sacris nulla de hac fit mentio, loca vero Talmudis forte ita possunt accipi, ut non de Judæis, sed aliis gentibus loquantur, quod etiam intendunt verba ex Schabbat Hierosf. fol. 2. in Aruch citata. Sed nos hanc rem suspenso relinquimus. Hebræi vestem eo modo intinctam vocant חמוץ, a radice חמץ, quod proprie *fermentari* notat, & nomen inde deductum idem est, quod *acetum*. In re fullonia vero notat vestem in aqua & urina intinctam, & cum creta vel alia quadam specie pedibus subactam. Mentio ejus rei fit in libro Aruch rad. בקע, quem locum debemus Magnifico nostro Abichtio, quippe qui eum in dissert. de victore Idumæorum §. 3. adduxit. Loquitur ibi R. Nathan de בקיע sive *fossa* vel *pila fullonia*, adfertque locum ex Moed katon fol. 8. 2. ubi quædam de hac ipsa pila traduntur. Nos ex illis ea saltem, quæ in rem nostram sunt, adducimus: בקיע ששורין הבגרים לתוכה ומחמיצין אותם במים וכמיני נתר כרי לכבסם: *Fossa, in qua vesties insiliunt, easque fermentant, & intingunt aquæ & speciebus nitri, ut fullonis more recte præparentur.* Eadem fere repetuntur sub rad. חמץ. Alia ratione explicat hoc ipsum verbum Bochartus Hieroz. I. 2. 7. Docet enim ibi חמוץ idem esse ac אמוץ, quod colorem equi notat apud Zachariam VI. 4. ita ut saltem literræ unius organi commutentur. Nos de hoc parum sumus solliciti, & hoc saltem adsumimus, quod ad rem nostram facit. Nimirum Vir πολυμαθέστατος vult cibi concedi, utrumque חמוץ & אמוץ idem esse, quod ὀξύς, quod quidem quivis facile concedet, qui perpendit, radicem חמץ varias obtinere significationes, quæ a Viro Celeberrimo diligenter sunt adnotatæ. חומץ enim est ὄξος, *acetum*; quod in Etymologico definitur ὁ εἰς ὀξὺ καταβεβληκὸς οἶνος. Et verbum hoc in significatione metaphorica, qua notat *irritari, exacerbari*, optime in græco vertitur παροξύνεσθαι. Sic Psalm. LXXIII. 21. יתחמץ לבבי commode vertitur παρωξύνετο ἡ καρδία μου, nam & vox ista de Paulo ita usurpatur a Luca Act. XVII. 16. παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ. Si ergo חמוץ notat ὀξὺ, nos etiam hanc significationem ipsi in re fullonia adtribuimus, ut notet vestem acerbe in aqua intinctam, das scharff durchgebeizt wird. Quæ postea Bochartus de altera significatione vocis ὀξὺς adfert, quod nimirum colorem notet, hæc apud ipsum poterunt videri. Faciunt autem hæc, ut intelligamus locum Jesaiæ LXIII. I. מי זה בא מאדום חמוץ בגדים מבצרה: vox nostra eo loco dupliciter accipi potest, vel, ut colorem rubrum denotet, ut probat Bochartus: vel, ut notet saltem vestem eatenus intinctam more fullonum, & ad veram albedinem nondum perductam. Priorem notationem confirmat vox אדום, quæ vers. 2. additur: posteriorem vero stabilire possemus exinde, quia vestes albæ in aquis, creta & nitro maceratæ forte subrubeum quendam colorem possent præ se ferre. Sed hæc nos saltem ὡς ἐν παρόδῳ adjecimus; nam propriissime locus iste Jesaianus forte ed rem fulloniam reduci non potest; & significatio vocis חמוץ saltem fecit, ut nos hujus loci paucis verbis mentionem faceremus.

X. Postquam ergo vestes eo, quo diximus, modo, bene pedibus erant subactæ,

ctæ, adeo, ut totus pannus, in eoque ſordes eſſent emollitæ, ſequebatur, ut fuſtibus bene ferirentur panni, ut ſi quid ſordium paulo altius inhæreret, iiſdem exprimeretur & expelleretur. Sellæ impoſitas & ſic percuſſas eſſe legitur in Schabbath fol. 88. 2. & Kelim fol. 35. 1. כסא של כובס שכורמים עליו את כלים: *Sella fullonis, in qua veſtes fuſtibus percutiunt.* Tali fuſte interfectus eſt Jacobus minor Apoſtolus; qui in ſcripturis frater Domini vocatur. Poſtquam enim ex more Judæorum ad lapidationem e loco paulo altiore (plurimi ſcribunt e pinna templi) erat dejectus, acceſſit fullo quidam, eumque fuſte, quo veſtes extorquere ſolent, in cerebro percuſſit. Teſtantur id ipſum Abdias Babylonius hiſt. Apoſt. *6. 6.* Antiochus homilia 72. & 113. Freculphus Lexovienſis Chronicorum Tom. 2. lib. 2. cap. 18. Poſtquam vero veſtes aquis immerſæ & fuſtibus erant detritæ, appendebantur ad locum quendam, ut pars aquarum deſtillaret. Hinc Papinianus lib. 1. §. 4. ff. de via publica, & ſi quid ubi prohibet nihil in plateis publicis ab ædilibus tolerari debere, fullones excipit, veſtes ſuas ſiccantes: *Studeant autem* (ædiles) *ut ante officinas nihil præjectum ſit, vel propoſitum, præterquam ſi fullo veſtimenta ſiccet, aut faber currus exterius ponat.* In prædio fullonis, quod diximuus Hieroſolymis extra urbem fuiſſe, hoc ipſum fiebat ad clivum quendam, qui 1. Reg. 1. *9.* dicitur אבן הזחלת quod plerique habent pro nomine proprio, nos autem vertimus *lapidem deſtillationis.* Confirmat noſtram ſententiam *partim* vocis ſignificatio, nam radix iſta proprie quidem eſt *ſerpere*, deinde tamen de aquis uſurpatur, & notat *ſenſim atque leniter defluere.* Bochartus Hierozoici 1. 1. *9.* adducit ex Talmude exempla, in quibus מים זוחלים ſunt *uquæ ſenſim fluentes* & מזחילה, *ſtillicidium* ſive *ſuggrunda.* Confer Buxtorfium in Lex. Talmud. col. *660. 661.* *partim* forma, quæ eſt e conjugatione gravi ad formam כסמת, *ſpelta* ita tamen ut loco kybbuts, quia media radicalis non poteſt ferre dageſch, ponatur cholem. Significatio vero notat activum, quemadmodum in his exemplis דלקת, *aduſtio*, גבחת, *recalvatio* סכחת, *abſceſſus.* Vide Buxtorfii Theſaurum Gramm. 1. *56.* pag. *306.* vel etiam forma hujus vocis eſt ex conjugatione Kal, unde קהלה & alia, quæ recenſet Hillerus in inſtitutionibus linguæ Hebraicæ pag. *395.* *partim* teſtimonium autorum probatorum. Sic R. Salomon ben Melech ad hunc locum אבן זוחלת נקראת כן לפי שהמים היו זוחלים ונגרים לצרה

כמו שאמר אשר אצל עין רוגל מלשון ר'ז'ל שאמרו על המשקים הנגרים זוחלים: hoc eſt. *Lapis deſtillationis ita dicitur propterea, quod aquæ deſtillabant & defluebant ad latus ejus, quemadmodum dicitur in textu,* qui eſt juxta fontem calcatoris, *idque ex mente Rabbinorum noſtrorum b. m. qui de liquoribus uſurparunt verba* זוחלים & הנגרים, *quod defluant & deſtillent.* Alia omnia cogitavit Chaldæus, qui vertit אבן סכותא, *lapidem ſpeculationis*, ſed hic eum confudit cum alio vicino, qui dicitur locus צופים, de quo Euſebius de locis hebr. ibique Bonfrerius Lightfoot Centur. Chorogr. Matthæo præfixa *cap. 42.* & Cellarius Geogr. antiq. 3. 13. *pag. 549.* Quæ itidem addiderunt Raſche & Ralbag, non vacat adducere, quippe quæ de illorum fingendi impudentia & antiquitatum imperitia ſatis ſuperque teſtantur. Neſcio vero, quid in mentem venerit celeberrimo Hillero, viro hebraice doctiſſimo, qui in Onomaſtico ſacro *pag. 960.* אבן הזוחלת, *lapidem reptantis ſcilicet* חולעה, *vermis*, interpretatur, cauſamque plane nullam, cur hoc ſubintelligat, addit. Aliis certe ne per ſomnium quidem hæc poterant incidere. Aliquanto veto ſimilius Sanctius ad 3. Reg. 1. *9.* qui clivum noſtrum ita dictum exiſtimat, *quia prope illum ſerperent aquæ fontis Rogel.* Nec tamen illud tanti eſt, ut nobis noſtram interpretationem pœnitendam ſuadeat, quam tamdiu, donec certiora quis nos doceat, retinebimus. Ex ignorantia vero antiquitatum adparet, quanta bibliis in hac re adſuerint humana ingenia. Nec tamen, quod probe notandum, plane ſiccaverunt ad hunc clivum pannos ſuos, ſed partem tantum aquarum ſiverunt deſtillare, ita ut panni aliqua ex perte manerent humidi, cretamque, & quæ alia ipſius ad eluendas maculas ingerebantur, eo melius poſſent retinere. Kimchi in Sepher Schoraſchim rad. כבס-ופירוש שרה כובס שרה שהיו שוטחין הכובסים בגדיהם לשמש וכן ת' חקל משטח קצרייא: *Agrum fullonis interpretor, agrum in quo fullones expandebant veſtes ſuas ſoli. Et ſic interpretatus eſt Jonathan: agrum expanſionis fullonum.* Recte Jonathan, & ad mentem noſtram & antiquitatis adcommodate, male vero Kimchi, qui Jonathanem non intellexit, dum vocem *ſolis* addidit. Non enim ad ſolem expandebantur veſtes, ut ſiccarentur, ſed tantum ut deſtillarent aquæ nimiæ, quod etiam ſole non præſente fieri poterat.

XI. Porro veſtibus pauliſper ut §. ſuperiore oſtenſum fuit, exſiccatis, ſtatim adhibebatur creta. *Erat autem*, ut loquitur

tur Casaubonus ad Theophrasti characteres *cap.* 10. *duplex olim cretæ usus in officina fullonum, alia sordes eluebantur, alia candorem nitoremque vesti parabant*. De priore agimus hoc loco, de posteriore paulo inferius. Hunc ergo usum præstabat ipsis singulare cretæ genus, quæ dicebatur *Sarda*, ab insula Sardinia, & est genus cretæ vilioris, teste Plinio H. N. 35. 17. quæ ex lege Metella fullonibus dicta, & ab eodem memorata, primo loco adhibenda decernitur. Hæc autem creta etiam pedibus subigebatur una cum panno sive vestimentis, id quod apparet ex loco Titinnii apud Nonium 4. 34.

> —— *terra hæc non aqua,*
> *Ubi tu solitus pedibus argutarier:*
> *Dum compescis cretam, & vestimenta ejus.*

Ita hunc Titinnii locum lego, quia hæc lectio mihi videtur maxime probabilis. Quod si vero adesset contextus, tunc certe de tota re melius liceret judicare. Interim quam male ex antiquitatis inscitia hunc locum tractaverit Jo. Lydius, judicare poterit lector ex Glossis ipsius Latino barbaris; quæ Nicolai de Clemangiis operibus præfixæ sunt, pag. 40.

XII. Porro ut maculæ ex integra veste eliminarentur, adhibitum fuit a fullonibus nitrum, quod acrimonia sua illas plane aboleret. Pollux 7. 39. ἐν ᾧ δὲ ἐξέπλυνον, οὐ μόνον λίτρον, καὶ Χαλαστραῖον λίτρον, ἀλλὰ καὶ ῥύπος, ὡς Κρατῖνος ὠνόμαζεν, hoc est, *Quo autem eluebant, non nitrum modo & nitrum Chalastræum: sed & Rypus juxta Cratinum nominatur*. Occurrit hic etiam mentio *nitri Chalastræi*, quod dicitur a Chalastra urbe Macedoniæ, ut ostendunt ibidem Kuhnius & Jungermannus. Lacum vocat Timæus in Lexico Platonico apud Montfauconium biblioth. Coislin. part. 2. pag. 481. Χαλαστραῖον νίτρον, ἀπὸ Χαλάστρας τῆς ἐν Μακεδονίᾳ λίμνης. Sed lacus ab urbe, vel hæc ab illo nomen habere potuit. Apud Alciphronem 3. 61. conqueritur Parasitus. Ἡράκλεις, ὅσα ὑπέστην πράγματα, ῥύμματι καὶ νίτρῳ Χαλαστραίῳ, χθιζινοῦ ζωμοῦ τοῦ μοὶ περιχυθέντος τὴν γλισχρότητα ἀποκαθαίρων. *O Hercules, quantas sustinui molestias, sapone & nitro Chalastrico, hesterni juris mihi circumfusi viscositatem expurgans*. Sic apud Synesium epist. 44. memorantur vestimenta νιτρούμενα, hoc est, *nitro perfricata*. Apud Hebræos nitrum quoque restituendis vestibus adhibitum fuisse ostendit locus Jerem. II. 22. כי אם תכבסי בנתר ותרבי לך בורית נכתם עונך לפני נאם אדוני יהוה: *Quoniam si perfrices te nitro, & multum adhibeas borith, tamen adparebit peccatum tuum ante faciem meam, dicit Dominus*. Quæ verba bene vertit Chaldæus: ארי אם תרמין לאתנקאה מחובין כמא דמנקן בנתרא ומחורין בבוריתא: *Quoniam si putatis mundari a peccatis vestris, sicut mundant nitro, & dealbant sapone, &c.* Ibi R. David Kimchi נתר מין ארמה שחפין ושפין בה את בבגדים: *Nitrum est species terræ, qua vestes obducunt & fricant*. Et sic glossa in Schabbath fol. 89. 2. R. Obadias de Bartenora ad h. l. נתר *est species terræ, quæ splendet, vocatur* אלום *alumen barbare*. Dicitur illud alumen hebræis etiam צריפא unde סרבל רצריפא, *saraballum* sive *vestimentum aluminatum*, hoc est alumine lotum. Sic אדרת שנער, *vestimentum Sinear sive Babylonicum* Josuæ VII. 21. explicavit quidam R. Samuel in Sanhedrin fol. 44. 1. Bereschit rabba sect. 75. Kimchius ad l. c. Josuæ. Cæterum Talmudistæ in Schabbath. fol. 90. 1. & Niddah fol. 62. 1. præ Antipatriensi nitro commendant Alexandrinum. Confer & Drusium Observ. 13. 8.

XIII. Adhibito autem nitro fullones quoque sulphure vestimenta suffire soliti erant. Hæc testatur Julius Pollux 7. 41. dicens: καὶ θεῖον δὲ τὸ ὑπουργοῦν τῷ κναφεῖ, *sed & sulphur fulloni confert*. Unde Lysippus: ὁ δ' ἀναγνάψας καὶ θειώσας τὰς ἀλλοτρίας ἐπινοίας: *Emundans & sulphure aliorum expurgans sententias*. Illud vero sulphuris singularis erat species, de qua hæc Plinius H. N. 35. 15. *Alterum* (sulphuris) *genus appellant glebam, fullonum tantum officinis familiare*. Sed tantum fullones isti adhibuerunt fumum sulphureum, ne corrumperent pannos flamma sulphuris. Apulejus Met. lib. 9. pag. 228. de uxore fullonis loquens, que amatorem secum habebat, hæc ait: *Nostra repente turbata præsentia lacinias suffuso candido fumo sulphuris inalbabat*. Idem pag. 229. *Nec ad exemplum naccinæ truculentiæ sulphuris te lethali fumo necabo*. Pannus enim sulphuris fumo præparatur & inficitur, ut colorem deinde cretæ eo melius adsumat, non secus ac si tibialiis nondum tinctis sulphur additur, ut colores illis adhibendi eo melius inhæreant.

XIV. Porro ipsis ad manus erat carduus, quo vestimentorum & pannorum lanam carminarunt. Hac de causa enim a græco γνάφος deducitur nomen γναφεύς, ut supra adfuit §. 2. quibus adde Harpocrationem & Suidam in γναφεύς, & Etymologicum magnum in κνάμψω. Hinc Q. Serenus Sammonicus in lib. de re medica cap. 45. carduum immaturum his verbis memorat:

Car-

Carduus & nondum doctis fullonibus aptus.

Derivant etiam quidam vocem *cardui*, a *carrendo*, ut & *carmen* instrumentum ad carrendam lanam. Keuchenius ad Serenum pag. 260. Est autem hæc spina vulgaris, cujus meminit Plinius H. N. 24. 13. *Vulgaris quoque hæc spina, ex qua cortinæ fulloniæ implentur*. Græcis dicitur *Hippophæs* & *Hippophæston*, de quo perquam multa Salmasius ad Solinum c. 30. pag. 279. seqq. cujus omnia adferre non est opus, quæ petere possunt ex ipso curiosi harum rerum, & in ea, si opus esse putant, prolixius inquirere. Omnia enim adducere hic non est locus, nam botanices antiquæ arcana scrutari nostrum non est, qui in hac re nullam ponere solemus operam. Sufficit nobis, si sciamus, fullones adhibuisse genus aliquod cardui, plura a nobis nemo desiderabit. Hos autem carduos in aliquam conjiciebant cortinam, cujus mentio fit loco supra adducto; *pilam fullonicam* vocat Cato de RR. cap. 10. 5. & 14. 2. בקיע, *fossam* & נברכת הכובסים, *piscinam fullonum*, Talmudistæ in Moed Katon f. 8. 2. Conjectis autem in cortinam carduis, pannum quoque conjiciebant in ejusmodi pilam, & tunc evertebant pannum cum carduis & subigebant. Testatur hoc Hesychius, Ἐπικνάφων, ἕλκων, διαφθείρων. Τὸ γὰρ πρότερον οἱ γναφεῖς ἀκανθῶν σωρὸν συστρέψαντες τὰ ἱμάτια ἐπὶ τοὺς σωροὺς ἔκναπτον. ὁ δὲ σωρὸς ἐλέγετο γνάφος. ὁ οὖν Κροῖσος τὸν ἐχθρὸν περιέξανε ταῖς ἀκάνθαις καὶ οὕτως ἔφθειρεν, hoc est, Ἐπικνάφειν *idem est ac trahere, corrumpere. Fullones enim olim carduorum acervum conferebant, & super istos acervos vestes convolvebant, ille acervus vero dicebatur* γνάφος. *Sic etiam Crœsus spinis circumdedit inimicum, atque perdidit*. Quisque facile cognoscere potest, quam male ab istorum temporum fullonibus habitus fuerit pannus, & quam exigua vestibus fuerit utilitas, si hoc modo tractarentur. Sed ita ferebant ea tempora artibus nondum plene excultis, in qua tamen re alii paullo melius erant informati. Puto enim illos, qui artem melius excoluere, carduis vestes & pannos rasisse potius vel polivisse, quod nos docet Etymologicum M. Κναφεὺς παρὰ τῷ κνάπτω, ὅπερ ἐστὶν ἀπὸ τοῦ κνῶ τὸ ξύω. ξύουσι γὰρ τὴν τῶν ἀκνάπτων ἱματίων κροκίδα. *Radunt enim* (fullones) *vestium nondum politarum subtegmen.* Et apud Raschium ad Bava Kama fol. 119. 1. סורק seu carminator, quem ille tamen a כובס distinguit, lanam panni excitat (grämpelt sie auf): ע׳ הקוצים שקורין קרדונש *spinis, quas vocant carduos*. Eadem ratione cute herinacei in fullonia usos esse veteres, probare conatur Salmasius loc. cit. pag. 277. illudque ex Plinio H. N. 8. 37. ubi de herinaceis agit. Verba ejus sunt: *Hac cute expoliuntur vestes*: item ex glossis veteribus, in quibus legitur: κτεὶς κναφικός *remaceus*, quod ipse emendat *herinaceus*. Et probabile utique est, hoc ita fuisse. Queritur enim Plinius, multum fraudis atque incommodi monopolia ejus cutis Romæ attulisse. Verba ejus sunt sequentia: *Magnum fraus & ibi lucrum monopolio invenit, de nulla crebrioribus senatus consultis, nulloque Principe adito querimoniis provincialibus*. Fraudes hæc aliquanto accuratius explicat Dalechampius in notis: *Quod pannum fullones spinis, non echinorum aculeis, polirent, quod herinaceorum corio, vel putri, vel non sat diligenter id fieret. Quod ditiores mercatores ea sibi coria coemerent, & foro intercepto apud se haberent, nec tenuiores in usum commodumque suum mercari paterentur*. Flocci autem isti, quos carduis fullones depexunt, dicuntur γνάφαλα & κροκίδες. Hesychius: γνάφαλον, τύλη. λέγεται δὲ καὶ διὰ κνάφαλον. Et iterum: Κροκίδες, γνάφαλα, Occurrit autem apud Theophrastum in charactere adulatoris cap. 2. ἀπὸ τοῦ ἱματίου ἀφελεῖν κροκίδα, *a vestimento floccum eximere*. Et hæc quidem hactenus.

BORI.TH·FULLONUM.



XV. Jamque dispicienda vox Hebraica בורית, quæ bis occurrit in sacris literis, Je-

Jerem. II. 22. & Malach. III. 3. & varias interpretum sustinuit explicationes. Integram de ea dissertationem, quum adhuc in Academia Altdorfina esset, conscripsit Vir celeberrimus, Joh. Mich. Langius, quæ excusa est anno 1705. In hac varias collegit variorum Philologorum & Medicorum interpretationes, quæ huic voci possint accommodari, adeo ut nos eo labore commode supersedere queamus. De forma vocis ab eodem actum est §. 7. Ipse fere totus in eo est, ut herbam quandam intelligat saponariam, cujus ille ex pluribus autoribus plures quoque species allegavit. Postquam vero ad §. 32. pervenit, in eoque hanc quæstionem movet: *Quænam inter tot plantarum species videatur præ reliquis intellecta a prophetis, qui nobis Borith nominarunt?* tunc aqua ipsi hærere videtur, nec ex sequentibus apparet, quid ille per vocem Borith velit intelligi. Neque hoc nos dicimus, quod certiora quædam in medium proferre valeamus, quum res magnis ubique tenebris sit involuta. Interim tamen conjecturam probabilem in medium proferemus, eruditorum de ista sententias exploraturi. Vox Borith descendit a radice ברר, quod notat *mundum facere*, *emundare*, vi cujus Borith est *omne*, *quod mundum atque purum facit*, quodcunque etiam sit. Nos ex addita voce מכבסים certo concludimus, Borith esse unam ex illis speciebus, quas in opificio suo adhibuerunt fullones, nam & apud Jeremiam additur vox נתר, *nitrum*, cujus usus in re fullonia est indubitatus. LXX. senes vertunt πόαν, & vulgatus Latinus *herbam*, quam significationem huic voci attribuere nullo modo possumus. Nam quamvis multi varias herbarum species recenseant, nuspiam tamen a quodam antiquorum aliquam ex iis memoratam videmus, apud quos tamen non contemnenda fullonum supersunt vestigia. Hieronymus quidem ad citatum Jeremiæ locum de herba quedam intelligit, quam Palæstinos vestibus lavandis adhibere tradit, non tamen nomen adfert, quod certe fecisset, si quicquam de hac re ipsi constitisset. Chrysostomus in Catena ad Jeremiam, quam commentario suo inseruit Ghislerius, πόαν δὲ λέγει, ὃ κατὰ τὴν Σύρων φωνὴν Ἀλάαν καλοῦσι, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων φωνὴν Δορύκνιον ὀνομάζουσι. *Herbam vero dicit, quod Syriace quidem Alaa, Græce vero Dorycnion adpellatur*. Syra sive Chaldaica vox, quam indigitat Chrysostomus, est אהלא, quod vertunt *saponem*, semel *herbam saponariam*, vide Buxtorfium col. 38. Sed hoc est incertum per æque incertum demonstrare, quum loca Talmudica in Aruch & Buxtorfio citata saponis quidem speciem notent, quæ in communi lotione adhibebatur, non vero herbam, qua fullones usi sunt. Δορύκνιον vero herba est venenata, de qua Plinius H. N. XXI. 31. & Humelbergius ad Apulejum de herbis cap. 22. Chaldæus utroque loco retinet verbum בוריתא, addit tamen vocem מחוורין, quod ea dealbaverint, adeoque forte cretam indigitat. Citatur tamen aliud Targum in quo בורית versum est per צפירתא, *alumen*, in loco Jeremiæ: ותסני לך ותרבי לך בורית: ubi vertitur צפירתא: Exstat autem in Bereschit Rabba Sect. 75. Jalkut ad Jos. VII. 21. fol. 5. 2. m. & Aruch v. ארך, sed id hodie in Targum non amplius legitur. Syrus vertit ܟܒܪܝܬܐ *sulphur*, quod quidem a fullonibus adhibitum esse supra docuimus, confirmatur vero ejus sententia in Schabbath fol. 80. 1. ubi Borith interpretantur כבריתא, *sulphur*. Reliquos interpretes, utpote multo recentiores, & antiquitatis nullum testimonium producentes, sicco pede præterimus. Nostra sententia hæc est: Indigitari hoc verbo a Propheta talem speciem a fullonibus adhibitam, quæ erat acerrima, quæque vestem maxime adfligebat. Adparet id ex contextu Malachiæ, qui ostendit, Messiam, qui venturus erat, homines acerbe admodum esse tractaturum, adeo ut pauci diem adparitionis ejus perferre possint. Modus acerbæ hujus tractationis describitur per duo similia, quorum prius desumtum est a Χωνευτηρίῳ seu conflatorio fabri, in quo metalla vi ignis acriter admodum tractantur, ita ut liquefiant. Posterius vero a fullone, qui materia, quantam habet, acerrima pannos suos reparat, eosque purgat. Indigitat his verbis Propheta, Messiam venturum, homines eorumque corda per veram contritionem maximopere esse adflicturum. Ergo apud Prophetas herba Borith est id, quod pannum apud fullones maxime vexat, idque, ut ex collatione antecedentium patet, nil tantopere facit, ac carduus. Illam vero cardui speciem dipsacum vocant, qui recentioribus temporibus herbas descripserunt; & quidem *sativum* Rembertus Dodonæus hist. stirp. 5. 16. *purpureum* vero Leonhartus Fuchsius de hist. stirp. cap. 82. Nos ex Fuchsio sequentem ejus imaginem adponimus. Hæc est nostra, de hujus vocis significatione, conjectura, quam quidem nemini obtrudimus, hoc tamen persuasi sumus, eam argumentis tum ex ipso contextu, tum ex antiquitate petitis satis esse probabilem. Quæ vero contra hanc sententiam profer-

ferre conatur Antonius Nebrissensis Quinquag. cap. 22. ea isti seculo condonanda sunt, quo studia nondum florebant, sed tantum florere incipiebant. Septennium est, quod hæc scripsimus, jam vero demum observamus, Alphonsum Tostatum Abulensem eandem de Borith fovisse sententiam. Ejus rei nobis indicium fecit Mart. de Roa sing. script. 2. 2. 2. p. 151. Quum vero autor ipse ad manus non sit, malui tamen hæc indicare, quam silentio plane præterire. Forte is alias rationes habet, quibus rem melius confirmabit.

XVI. Ultimum, quod fullonibus ad perficiendum opus usui fuit, est creta, non illa, quæ ad sordes eluendas adhibebatur, de qua supra, sed alia, qua vestis desquamatur, Plinius 35. 17. verusque eidem splendor atque albedo conciliata fuit. Hinc apud Plautum Aulularia 4. 9. 6.

Qui vestitu & creta occultant sese,
Atque sedent, quasi sint frugi.

Et apud Theophrastum charact. cap. 10. sordidi character inter alia sic describitur: *κ̀ πρὸς τὲς γναφεῖς διατεινομένοις, ὅπως τὸ ἱμάτιον αὐτοῖς ἔξῃ πολλὴν γῆν, ἵνα μὴ ῥυπαίνηται ταχὺ*. Vertit Casaubonos: *Et cum fullonibus obnixe agere, ut ad poliendam suam vestem cretæ multum adhibeant, ne sordes facile contrahat*. Illud vero cretæ genus, quod hunc ipsis usum præstabat, erat optimum & dicebatur *Cimolia* ab insula Cimole, quæ una erat ex Cycladibus. Scholiastes Aristophanis ad Ranas vers. 725. Ovid. Metam. VII. 464. Falsus ergo est Isidorus Orig. XVI. 1. qui *Cimoliam cretam a Cimæa* Italiæ insula dictam putat. Præstantiam ejus ita describit Plinius H. N. 35. 17. *Veros autem & pretiosos colores emollit Cimolia, & quodam colore exhilarat contristatos sulphure*. Hujus quoque Cimoliæ cretæ meminerunt Talmudistæ, quorum loca, ad quę jam aliquoties provocavimus, jam integre sunt adferenda. Sic autem illi in Schabbath fol. 89. 2. מי רגלים נתר ובורית קמוליא ואשלג כדי לכבס בגד קטן פי סבכה: Verte cum adjecto contextu. *Qui Sabbatho effert urinam, nitrum, borith, cimoliam & aschleg ad eluendam vestem minimam oris galeæ, ille reus esto*: Nidda fol. 61. 2. שבעת סמנין מעבירין על הכתם רוק תפל ומי גריסין ומי רגלים נתר ובורית קמוניא ואשלג: hoc est, *Septem species applicantur maculæ, sputum insipidum, aqua fabacea, urina, nitrum, sapo, cimonia, Aschleg*. Error in posteriore loco librariorum occurrit, qui pro קמוליא scripsere קמוניא. Gemaristæ ad priorem locum Cimoliam interpretantur שלוף דוץ, quod in Aruch fol. 19. 2. explicatur: ועשב הוא שמיבשין אותו וטוחנין אותו ורוחצין את ידיהם והוא מוציא הזוהמה: *Est herba, quam siccant, & terunt, eaque manus lavant, & hæc abigit sordes*. Eodem tendit interpretatio R. Obadiæ de Bartenora: *Est herba, cujus pulvere mundas faciunt manus, ut abstergant sordes. In idiomate gemarico vocatur* שלוף דוץ, *in Arabica vero lingua vocant eam* אלקלי, Alcali. Verum adparet ex ante adductis, falli Rabbinos, qui non intellexerunt, quid Rabbanitæ voce קמוליא indigitare voluerint. Acceperunt enim eam vocem a suorum temporum hominibus, & significationem ejus recte norunt, posteriores vero non ita, inde finxerunt esse nomen herbæ. Felicior reliquis est R. Cohen de Lara, qui in עיר דוד, pag. 82. קמוליא explicat קרקע לבן, hoc est, *terram Cimoliam, albam cretam, qua fullones utuntur*. Eandem significationem tribuo voci אשלג, quæ locis supra adductis occurrunt. In Gemara Schabbath fol. 90. 1. dicit Rab. Samuel: שאלתינהו לכל נחותי ימא ואמרו לי שונאנא שמיה ומשכח בנוקבא דמרגניתא ומפקי ליה כרמצא דפרזלא: Vertit Buxtorfius in Lex. col. 236. *Interrogavi omnes descendentes in mare, quid sit, Aschleg? Responderunt mihi? Sonaga est nomen ejus, & invenitur in foraminibus sive fissuris margaritarum, & educitur inde stylo ferreo*. Ipsi vero nosse non videntur, sic ut nec Rasche, Obadias de Bartenora, Maimon, & reliqui. Langius in dissertatione de herba Borith, §. 35. אשלג statuit esse *aquam nivatam*, qua, uti ex Jobi IX. 30. constat, olim manus abluerunt. Sed ego אשלג equidem a שלג, *nive* derivo, ejusque, ut & aquæ nivatæ usum quidem in abluendis manibus & faciebus nostris concedo, minime tamen in eluendis maculis, quæ pannis aut vestibus inhæreat. Quum autem reliquis ejusmodi speciebus in Talmude addatur, conjicio, album esse quiddam, adeoque speciem quandam cretæ fuisse אשלג, quæ dealbandis vestibus usui fuit. Hac ergo creta sive Cimolia sive alia quacunque, dealbabant vestes, unde intelligenda fabula 12. Æsopi, quæ sic se habet: Ἀνθρακεὺς ἐπί τινος οἰκῶν οἰκίας, ἠξίυ κ̀ κναφέα παραγενόμενον αὐτῷ συνοικῆσαι. ὁ δὲ κναφεὺς ὑπολαβὼν ἔφη. ἀλλ' ὐκ ἂν τῦτο δυναίμην ἔγωγε πρᾶξαι. δέδια γὰρ, μή πως ἅπερ ἐγὼ λευκαίνω, αὐτὸς ἀσβόλης πληροῖς. *Carbonarius in quadam habitans domo, rogabat, ut & fullo accederet, & secum cohabitaret: sed fullo respondendo ait, sed non hoc possum ego face-*

cere: timeo enim, ne quæ ego dealbo, tu fuligine repleas. Ex hac fabula tollere possumus insignem quandam pseudermeniam, quæ huc usque inrepsit in Aristophanem Vespis v. 1121. Verba ejus sunt:

> Μὰ τὸν Δί, ἐ γὰρ ἐδαμῶς μοι ξύμφορον.
> Καὶ γὰρ πρότερον ἐπ' ἀνθρακίδων πεπλησμένος.
> Α'πέδωκ' ὀφείλων τῷ γναφεῖ τελώβολον.

Scholiastes ibi hæc adfert: Ο'υδαμῶς μοι ξύμφορον.) Ο'υλυσιτελεῖ μοι, φησὶ, πολυτελῆ ἀμφιέννυσθαι. καὶ γὰρ πρώην ἰχθύδια ἐσθίων ὀπτὰ καταςάξαντος ζωμἒ ἐπὶ τὸ ἱμάτιον; τελώβολον ἔδωκα τῷ κναφεῖ μισθὸν, τἑτέςι, τῷ πλύνοντι τὰ ἱμάτια, hoc est, *Non conducit mihi, ait, ut splendidam vestem induam. Nuper enim, quum assos pisciculos edissem, & jus in vestem destillasset, triobolum dedi fulloni, hoc est, qui vestes expurgat.* Nescio quid ille somniaverit, quod ἀνθρακίδα reddiderit *piscem, qui super carbonibus torretur*, quod tamen ex ipso hauserunt, Suidas, & Q. Septimius Florens Christianus, & in versione & in notis. Certe nihil refert, quominus ἀνθρακίδας simplicissimo sensu reddamus *carbones*, totumque locum ita interpretemur:

> *Certe, hoc mihi non conducit,*
> *Nam & antea, quum carbonibus essem repletus,*
> *Fulloni pro mercede dedi triobolum.*

Confer præterea Ferrarium de re vestiaria I. I. 21. Quum vero magna cretæ quantitas, tum Romæ, tum alibi, requireretur, aderant *Negotiatores artis cretariæ*, qui eam procurarent. Mentio eorum fit in duobus inscriptionibus apud Gruterum pag. CXII. 12. & DCXLI. 3. eos autem ad rem fulloniam pertinere judicavit Vir Summus, Josephus Scaliger in epistolis.

XVII. Peractis autem hisce omnibus necesse erat, ut vestibus bona forma conciliaretur, ne nimis pendulæ omnibus vetustatem suam & reparationem proderent. Fecerunt hoc ipsum adhibita gladiola, ut refert Strabus Gallus in hortulo II. II. de hac ipsa herba agens:

> *Pignore fullo tuo lini candentia textu.*
> *Efficit ut rigeant, dulcesque imitentur odores.*

Porro quoque prçlo subjectę sunt, quale Hebrçis est מכבש, in Schab. f. 141. 1. quod Maimonides & Bartenorius describunt, quod sint duæ tabulæ, inter quas vestes lotas conduplicatas posuerunt: his enim compressis vestes fiunt eligantiores. Et vestis quidem eo modo tractata, pulchra fiebat, & candida, quippe cujus splendorem David exprimit, quod nive sit candidior Psalm. LI. 9. *Fulloniam*, inquit, *in me exerce, & plusquam nivis dealbabor.* Eodem modo vestimenta transfigurari Salvatoris nostri, adeo candida, ut ea ne fullo quidem in terra hoc modo polire potuerit, dicuntur λευκὰ λίαν ὡσεὶ χιών, Marc. IX. 3. Ad hunc quoque modum Romanos candidatos, *niveos Quirites* vocat Juvenalis Sat. X. 45. albam vero togam *niveam* Martialis epigr. IV. 34. & *conspicuos veste nivea senatores* memorat Latinus Pacatus Panegyrico Theodosii cap. 37. Corda vero humana per veram pœnitentiam in ordinem redacta, nive candidiora pronunciantur. Esaiæ I. 18. Et hæc quidem hactenus.

XVIII. Hodie fullonum opificium inter deperdita est numerandum, neque ullum apud nos est, quod ipsi exacte conveniret, quia nos vestes albas non habemus, adeoque nec eædem hoc modo sunt renovandæ. In insula Ceylon fullonum quoddam genus superest, quod nobis hoc modo describit Robertus Knox in ejus insulę delineatione 3. 2. pag. 142. 143. *Figulos honoris ordine sequuntur fullones, quos ipsorum lingua* Ruddaughs *vocat, & magno numero insula isthæc alit. Hi omnis generis hominibus ad figulos usque, vestimenta lavant, nemini tamen, qui minore, quam hi, loco constitutus est. Habitus eorum quotidianus est, ut tam viri, quam fœminæ pannum super humeros gestent. In lotione adhibent lixiviam: ubi vas igni imponunt, quod viginti vel triginta heminas aquæ capit, vestes vero sordidatas superimponunt, ita ut vapores ex aquis calidis eas permeant. Postea illas ad fluvium portant, ibidemque intinctas non manibus exterunt, sed saxis impingunt, quo facto munda quam commodissime redduntur. Nam vestimenta eo modo tractata non scinduntur, quum ipsi rem suam aptissime adgrediantur.*

XIX. Ut ad quandam eorum, quę hactenus dicta sunt, applicationem pergamus, ad manus jam sumenda essent loca sacrarum literarum, in quibus fulloniæ supersunt vestigia. Sed ea jam suo loco adfuerunt, ibique ita quidem pertractata sunt, ut nihil supersit, quam debita eorundem ad Ecclesię usus applicatio, quam quivis horum non plane rudis facile poterit superaddere. Unus ergo saltem locus superest, de quo pauca, ad finem quippe properantes, monemus. Davides postquam criminum suorum, adulterii puta & homicidii perpetrati, dolores sat acerbos sensit, eosque graphice

ce Pſalmo, qui primus eſt & quinquageſimus, delineavit, inter alia quoque hęc verba addidit: verſ. *9.* חחטאני באזוב ואטהר תכבסני ומשלג אלבין: *Emunda me hyſſopo, & mundus ero: lava me, & plus quam nix albus ero.* Prius colon procul omni dubio de lotione Levitica intelligendum, quod ergo, tanquam indubium, ſuo loco relinquimus. Poſterius an eodem modo ſe habeat, jam diſpiciendum. Nos de fullonia lotione accipimus, his inducti rationibus. Radix כבס non ſimplicem ſaltem, ſed & fulloniam lotionem denotat, quod ſupra III. oſtendimus. Porro, quod hic albedinis mentio fit, ea ad Levitarum lotionem plane non quadrat, nam ea non ideo ſuſcepta deprehenditur, ut veſtis eſſet candidior, ſed potius, ut ſymbolum eſſet abolitę immunditiei. Ergo non alia hic accipienda eſt lotio, quam fullonia. Id quod etiam eruditorum quorundam conſenſu fulcimus, nam verbum תכבסני per *fulloniam in me exerce* reddunt Leigh in Critica S. pag. 179. Crauſerus in Phoſphoro N. T. pag. 154. & Daſſovius diſſert. ad titulum Celim. §. 33. Eadem ſignificatione occurrit Jerem. IV. 14. כבסי מרעה לבך ירושלים *Emunda a malo cor tuum, o Jeruſalem.* Qui theologia, quam vocamus, myſtica, delectantur, illis hic quidem optima ſuppeditatur occaſio ingenium pariter & meditationem exercendi. Fullonia enim, quam & nos ipſi, & Deus in nobis exercere debet, effigiem nobis verę ac ſalutaris pœnitentiæ, quæ tum ſeria peccatorum agitione, tum fiduciaria beneficiorum Chriſti apprehenſione abſolvitur, exhibet. Age ergo paucis eandem delineabimus. Nos omnes, quotquot vivimus, pannus ſumus, qui quotidianis criminibus adeo commaculatus eſt, ut tanquam gravis odor Deum vel maxime offendamus. Confer Pſalm. LI. 7. Jeſa. LXIV. 6. Rom. VII. 18. Neceſſe ergo eſt, ut Deus aquis inmerſos nitro (§. 12.) nos ſuffundat, hoc eſt, verbo ſuo pœnitentiam nobis annunciante quotidie nos ad eandem ſerio exercendam provocet, Matth. III. 1. IV. 17. Marc. I. 3. 15. Luc. III. 3. 8. Porro cor noſtrum bene contundendum eſt (§. 8. 10.) ſeria contritione, id quod ipſum fit, quando Deus peccata noſtra nobis ob oculos ponit, eorumque gravitatem ſentire nos patitur. Pſalm. VI. 3. 4. XXV. 17. 18. XXXI. 10. 11. XXXII. 3. XXXVIII. 3---11. XXXIX. 12. 13. &c. vel etiam varias calamitates nobis immittit, & alia, quæ nos peccatorum noſtrorum commonefaciant. Sulphur (§. 13.) nobis conducit, quod tetrum peccatorum odorem nobis proponendo nos ad ſequentem vitam bene agendam eo melius præparet Pſalm. XVII. 3. XIX. 12. 13. XXV. 7. 8. XXVI. 2. XXXII. 8. *9.* XXXIV. 13. 14. ſeq. XXXIX. 2. ſeq. &c. Hæc omnia quando in nobis facta ſunt, tum demum ad Chriſtum mediatorem confugimus, cujus merito nos ab omnibus peccatorum doloribus immunes eſſe poſſumus. Exemplar vero ipſius ſanctiſſimum imitantes, tum demum placebimus Deo, in quotidiana Servatoris noſtri ſanctitate & innocentia ambulantes. Pſalm. XLV. 10. ſeq. LI. 12. Plura in applicatione adferre nolumus, quippe quibus Theologorum ſcrinia compilare jam non eſt animus. *Fecit idem* breviter Joh. Henricus Urſinus, *Philologus & Theologus celeberrimus*, in Quinquagena feſtali, capite 38. quod inſcribitur *Fullonia cœleſtis*.

M. HENRICI SCHARBAU DISSERTATIO DE LUXU HEBRÆORUM

Et Pœna Luxuriantium *ad Jesaiæ* III. 14.

Difficile est & arduum de re antiquorum vestiaria disserere, & non voces tantum, sed & res nominibus designatas justo penicillo describere. Quamvis enim nullum antiqui vestitus ornamentique corporis genus sit, quod non illustratum sit eruditissimorum virorum industria atque ornatum; dissensus tamen inter illos, qui non rixis solum sed & calumniis ansam dedit, satis probat: non posse hic singula sine justa oppositi formidine exponi. Hinc Illæ lites *Claudium* inter *Salmasium* & *Octavium Ferrarium*; *Ferrarium* inter & *Albertum Rubenium*, *Salmasium* atque *Dionysium Petavium*, occasione commentarii Tertulliani *de Pallio*, sub fictis nominibus *Francisci Franci & Antonii Kerkoetii* Aremorici. Quandoquidem igitur in sacro codice subinde peculiaris cujusdam ornatus mentio occurrit, non inutilem operam consumsisse videntur, qui in isto expoliendo desudarunt. Neque tamen illustrior forte locus datur, Jesajano illo, qui vanitatem sexus sequioris muliebremque luxum uberius describat. cap. III. 17. seq. *B. Sebast. Schmidius* incertam prorsus hac de materia disputationem nuncupat. *Disputationi*, inquit, *de nominibus ornamentorum non immiscemur*, *inprimis adeo incertæ*. Idem alii de his ornamentis opinati sunt. Nos faciemus periculum, ita, ut missis reliquis, disseramus, tum *de luxu* tum *de Luxuriantium pœna*, versiculo vigesimo quarto hisce verbis delineata si unica.

והוה תחת בשם מק יהיה ותחת חגורה
נקפה ותחת מעשה מקשה קרחה ותחת
פתיגיל מחגרת שק כי תחת יופי.

II. Luxuriabantur vero jam olim tum in ungendo corpore, tum ornatu aut pretio vestium, tum in comendis capillis, tum in pingenda aut fucanda facie, quæ etiam tabes Israelitas traxit, ut ex adducto loco apparet, in quo crimen suis coloribus depingitur, & unicuique transgressioni conveniens & digna pœna statuitur. Quicquid enim in habitu corporis aut decorum aut verecundiam negligit, aut mollitiem, prodigentiam, sive asotiam spirat, stultum & intolerabile est. Unde istæ in Sacra Scriptura sæpe & hoc quoque loco repetitæ minæ luxuriantibus positæ, quæ nulli dubium movere possunt. Vis tamen & elegantia verborum dignæ sunt accuratiori trutina.

III. Primo igitur loco opponuntur sibi בשם & מק tanquam luxus & pœna. בשם quod nostrum Bisem & latinorum *balsamum* sono suo fere adæquat, omne sine dubio aromatum genus includit & excessum simul carpit. Cæteroquin enim frequens & licita fuit corporum unctio inter orientales, quæ propter graveolentiam ex continuo sudore, calore istius regionis excocto, non poterant non fieri. Temporibus enim iis, ubi frugalitas & prima simplicitas obtinebant, Patriarcharum scilicet, tamen Isaacus odorabatur odorem vestimentorum primogeniti. *Genes.* XXVII. 29. Et Salvator ipse, omnium istud virtutum exemplar perfectissimum non indigne tulit, cum isti pedes ungerentur; *Matth.* XXVI. *Marc.* XIV. *Luc.* VII. *Joh.* XII. manifesto indicio, unctionem similem natura sua non esse luxuriei speciem. Quamobrem etiam *Is. Casaubonus in Exercit.* XIV. *ad annales Ecclesiasticos Baronii* N. XII. pag. 242. merito castigavit patrem purpuratum, quod credidit: intolerabilem & Hebræis & Romanis, quibus omne tamen deliciarum genus affluebat, inusitatumque morem fuisse pedes delibandi & pretioso unguento deliniendi; cum ex *Athenæo* constet, quem pro sua sententia adduxerat *Baronius*; etiam Athenienses vere λιτὸς & vitæ castigatæ, pedes ungere consuevisse. Vid. quoque *Bynæus* de Christo Crucifixo cap. III. §. III. pag. 136. seq. Nolo hic singula persequi, quæ de unguentorum vario genere & usu occurrunt apud antiquos, cum in hoc negotio ele-

elegantiſſimus labor *D. Fr. Fortunati Schachi* in myrotheciis elæochryſmaton eruditorum manibus teratur.

IV. Sed quemadmodum de corruptis moribus Græcorum conqueritur *Alexander* ab *Alexandro*, quod paulatim defluxerint, atque luxuriam & molliorem cultum, quem deteſtati ante fuerant, ſecuti fuerint; ita de Hebræorum pariter moribus a prima frugalitate recedentibus, omnemque luxum probantibus, idem eſto judicium. Ita autem ille *genialium dierum lib.* III. *cap.* XII. ex editione & cum notis *Andreæ Tiraquelli*, *pag.* 249. Poſtea paulatim frugales mores defluxere, paupertaſque probro haberi cœpit, luxuriæque peregrinæ, invictum malum, ad effœminandos animos ab exercitu Aſiatico in urbem primum invectæ, mores infecerunt. Sicut aurum Perſicum, fugato Mardonio, Athenienſium animos labefactavit & dira tabe infecit. Inde illecebræ libidinum & rerum ſecundarum luxus in omnem licentiam graſſuri, primique Jones unguenti coronarumque & ſecundæ menſæ conſuetudinem invenere. Profuſus autem ille luxus, qui præter Romanum imperium Perſis (*a*), Chaldæis, Spartanis & Hannibali exitio fuit, Hebræorum quoque mores inquinaverat. Nolo hic provocare ad exemplum Eſtheris, quæ totis duodecim menſibus occupata erat, ut regio & muliebri ornatu ſuperbiret; id tamen notabile eſt: dici iſtum morem דת הנשים decretum mulierum atque ימי מרוקים dies cultui muliebri conſtitutos. *Eſther.* II. 12. Neque opus eſt recenſere vel exempla ſingula iſtius luxus, vel quibus gradibus ad iſtud luxuriei genus itum ſit, cum hic otia nobis fecerit curioſus labor *D. Fr. Fortunati Schachi* l. c. Myrothec. I. cap. XVI. pag. 77. ſeq. ita ut temporibus Prophetæ noſtri impletum fuerit iſtud Dei per Samuelem de jure regio effatum. I. *Sam.* VIII. 13. Filias veſtras faciet unguentarias. Veneri exercitandæ adhibebatur a reliquis gentibus unguentum. Idem in uſu erat apud Hebræos, quod non tantum ex Cantico V. I. licet colligere, ſed aperte etiam liquet ex *Proverb.* VII. 17. Quin etiam cum ſingulis corporis partibus ſingulisque membris, quod ex *Athenæo* conſtat, deſtinaſſent peculiaria aromata, idem etiam Hebræis receptum fuit. *Athenæi* locum jam protulit *Schachus* loc. cit. pag. 94. qui inter alia ſequentia profert ex *Antiphane*:

> Λοῦται δ' ἀληθῶς ἀλλά τι
> Ἐκ χρυσοκολλήτου δὲ δάλπιδος μύρῳ,
> Αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας, καὶ τὰ σκέλη,
> Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους, καὶ τιτθία,
> Σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα,
> Ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς, καὶ τὴν κόμην
> Ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ, καὶ τὸν αὐχένα.

> *Lavatur autem recte aliquis*
> *In aureo quodam ſolio unguento,*
> *Ægyptio pedes linit, & crura:*
> *Phœnicino buccas, & ubera:*
> *Siſymbrino vero utrumque brachium:*
> *Amaracino ſupercilium, & comam,*
> *Serpyllino cervicem, atque genua.*

De Hebræis vero conſtat pariter, quod manus, faciem, genas, mammas & pectus caput, cor & pedes peculiaribus unguentis deliniverint, modo quis ea, quæ in cantico paſſim occurrunt conferre voluerit.

V. Loco igitur unguenti, quod faciebat ad compingendam atque conſolidandam carnem minatur *Deus* populo luxurianti putidum ſive fœtorem, qualis ſolet oriri ex diſſolutione alicujus corporis: vi vocis מק, quæ eſt a מקק, putuit, mucuit. Hinc LXX. tranſtulerunt Κονιορτός. Scilicet notat iſtud מקק non ſolum tabeſcere, ſed etiam per metalepſin fœtere, mucere & marcere, quia quæ corrumpuntur atquæ tabeſcunt fœtorem & mucorem ſæpe contrahunt. Uuſurpatur igitur de regione, quæ priſtinum florem commutat cum ſqualore ant interitu. Inde legimus Jeſ. XXXIV. 4. ונמקו כל צבא השמים Contabeſcet omnis cœli exercitus, confeſſi earum (gentium) projicientur, cadaverumque earum aſcendet fœtor .. etiam contabeſcet totus exercitus cœlorum. Ubi adeo attenditur tam ad cauſam quam ad effectum, tabem ſcilicet atque fœtorem, qui ex ea manat. Occurrit vero etiam de hominibus, tabe non minus, quam fœtore infectis. Ita Zachar. XIV. 12. de lingua & oculis marceſcentibus adhibetur, reſpectu ad ipſam tabem habito. Levit. XXVI. autem reſpicitur ad ſqualorem mucoremque ex egeſtate, captivitate & defectu victus & amictus neceſſarii ortum. Hæ enim ſunt propoſitæ populo rebelli & refractario minæ: verſ. 39. tabeſcent propter iniquitatem ſuam in regionibus inimicorum, etiam propter iniquitates patrum ſuo-

(*a*) De Perſis inprimis memorabile, quod fugato Dario, & capta Damaſco Alexander ingentem aromatum apparatum viderit. *Plutarchus* nominat ὁλκεῖα, κρωσσοὺς, φιάλας καὶ ἀλαβάστρους, omnia auro fabrefacta & aromatibus atque unguentis repleta. *In Vita Alexandri*. Et *Athenæus lib.* XIII. cap. IX. μυροποιοὺς τεσσαράκοντα nuncupat. Unde erroris arguit *Plinium*, laudatus *Schacus*, qui dixerat, unicum unguentorum ſcrinium in caſtris Dari fuiſſe repertum.

ſuorum cum ipſis tabeſcent. Hæc igitur eſt illius ſuperbi aut meretricii ornatus filiabus Iſraelis maxime communis & digna cataſtrophe: Loco priſtini odoris ſuavis erit graveolentia, egeſtatem, carcerem & peregrinum cœlum redolens; quin terra ipſa, antea habitata, fertilis, florida, odoremque ſpirans gratiſſimum, tabida, vaſtata, incoliſque orbata conſpicietur.

VI. Singula hæc eventum ſunt nacta, primum quidem temporibus captivitatis Babylonicæ, ſed longe eminentiori modo in ſuprema iſta urbis & totius terræ devaſtatione. De terra ipſam macie & tabe confecta, quæ laſcivientium incolarum juſta pœna fuit, vel hodiernum, quod hactenus ſentit, anathema teſtatur. Non enim ignotum eſt, ipſam terram quandoque pœnam, incolis improbis debitam perſentiſcere, quod palam faciunt deſtructæ Sodomæ & Gomorrhæ urbes. Crediderunt etiam gentiles a benignis Diis eſſe divitem meſſem, quod *Virgilius*, ita canens, probat Georg. lib. 1. 327.

> *Convenere Patres & ſi bene floreat annus.*
> *Numinibus noſtris annua feſta vovent.*

Putarunt contra iram Deorum excitari vitiis & improbitate hominum. Ovidius Faſt. v. 300.

> *Sæpe Jovem vidi, cum jam ſua mittere vellet,*
> *Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.*
> *At ſi negligimus magnis injuria pœnis.*
> *Solvitur & juſtum præterit ira modum.*

Idem etiam de confecta tabe Palæſtina ſenſerunt Judæi, adeo, ut non modo juſtum Dei judicium, peccatis majorum debitum agnoſcant, ſed iſtum terræ ſuæ olim fertiliſſimum, jam miſerrimum ſtatum ægroto tabe conſumto comparent. *Pirke Elieſer* cap. xxxiv. fol. 18. b. cap. 1. רבי יהודה אומר מיום שחרב בית המקדש ארץ אומלולה מרעות יושביה כארם שהוא חולה ואין כח לעמד כך הארץ אומללה ואין בה כח ליתן את פירותיה שנ׳ והארץ הנפת תחת יושביה וגו׳: i. e. A die, quo vaſtata eſt domus Sanctuarii, terra (Iſraelis,) languida reddita eſt propter malitiam incolarum. Quemadmodum homini ægroto non eſt facultas ut pedibus queat inſiſtere; ita terra debilitata non habet vires, ut fructus ſuos proferat, uti dicitur (Jeſ. xxiv. 5.) Etiam hæc terra contaminata eſt ſub habitatoribus ſuis. Illud vero uſque adeo mirum: minas has eventum ita eſſe fortitas, ut Judæi moraliter non tantum ſed & phyſice male olere dicantur. Nam ſicut maleſani gentiles, ad invidiam genti conflandam, Judæos agmen hominum nuncupare ſolebant, impetigine, vitiligine ac lepra affectorum, quod *Joſephus*, *contra Apionem* lib. ii. pag. m. 1079. maſcule refutat; Ita juſto Dei judicio factum eſt, quod infames poſtea haberentur Judæi. Quid de Judæis ſenſerint poſt victam Hieroſolymam & elocatam plebem exteri, ediſſerit *Cicero pro Flacco*, ita perorans: ſua cuique civitati religio, Læli, eſt, noſtra, nobis, ſtantibus Hieraſolymis, pacatiſque Judæis tamen iſtorum religio ſacrorum a ſplendore hujus Imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de Imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis; quam cara Diis immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elocata. Præterea naturalem quendam maxime poſt Chriſti mortem fœtorem populo huic ineſſe ad noſtrum locum probat *Gaſpar Sanctius*. pag. m. 51. provocatque ad ea, quæ Zachar. xiv. dixerat prolixius, idemque ex *Ammiano Marcellino*, *Martiali*, proverbiali locutione *νηστείας ὄζει* & ſimilibus illuſtrat. Conf. C *Wormii* lib. 2. *de corruptis antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem veſtigiis*. cap. 14.

VII. Hæc eſt luxus atquæ pœnæ deſcriptio prima, quam excipit altera תחת חגורה נקפה: loco cinguli diſſolutio. Complectitur vero חגורה omne id, quod ad conſtringendas veſtes cingendumque corpus facit. Videtur idem ſonare, quod germanorum Gurt ſive Gürtel. Adeo quidem zona, ſive cingulum ſive balteus ſimpliciſſimum veſtimentorum genus eſt, neque uſu ſuo deſtitutum, quin certa ratione neceſſarium. Hinc etiam primi Parentes, ſimulac de tegendo corpore ſolliciti erant, conſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi חגרות cinctoria. Cumque Deus cinctoriis illis ſubſtituerit כתונת עור, tunicas pelliceas; crediderunt aliqui etiam כתונות ſuccinctoria fuiſſe. Quaſi Deus pellicea ſuccinctoria ſubſtituerit prioribus quæ confecta erant ex foliis. Vid. *J. Braunius de veſtitu ſacerdotum Hebræorum* lib. 1. cap. iv. §. 2. pag. 79. *Origenes* cum indignum Deo eſſe crederet alutarii munus, ad conſuetum ſibi morem allegorias fabricandi confugit, tunicaſque pelliceas de mortalibus & caducis hominum corporibus interpretatur. Conf. *Huetius in Origenianis* lib. ii. *Quæſt.* xii.

Sed

Sed quemadmodum hoc longius petitum, ita contra extra dubitationis aleam positum est, tunicas pelliceas non fuisse zonas vel cingula aut succinctoria; sed potius vestes integro corpori tegendo aptas; Unde etiam non est ויחגרם, sed וילבשם. Illæ etiam gentes barbaræ, quæ reliquum vestimentorum usum spernunt, solent tamen succinctoriis sese cingere; firmissimo indicio, ejusmodi habitum aut amictum non pugnare cum prima simplicitate.

VIII. Solet vero idem, quod nostro loco חגורת dicitur, alio quoque nomine insigniri. Nam in ornatu, inprimis sacerdotali vocatur אבנט, quod LXX. transferunt ζώνην. Nam & hoc coincidit cum Germanorum Band & בנר Arabum; sicut etiam *Braunius* l. c. balteum Latinorum inde deducit, literis N & L ejusdem organi inter se permutatis lib. II. cap. III. §. I. pag. 476. Cum vero antiqui laxas & ventosas, imo & longiores vestes in usu haberent, cinctoriis quoque opus erat. Solebant enim tunicam cinctu suo contrahere atque remittere; id quod etiam necesse erat, ni impedimentum sibi vellent ponere vestibus. Simulac enim operi serio manus admovebant, laxas constringebant vestes, quod proprie erat *operi sese accingere*. Adeo singula vestimentorum genera cingebantur, exceptis laticlaviis, quibus majoris reverentiæ & autoritatis causa fluxis utebantur, equites, senatores & senatorum filii. Quemadmodum autem accincti strenuos atque fortes notant, ita discincti contra imbelles sunt atque effœminati. Pluribus istud probat *Oct. Ferrarius de re vestiaria* lib. III. cap. VII. pag. 194. seq. idem docet: magno probro habitum discinctum incessisse. Hinc infandis Neronis enarratis additur a *Dione* ὥστε καὶ ἀζώστους χιτῶνας, quod etiam tunicas discinctas publice induerit. Unde etiam Julius Cæsar, qui laxioribus vestibus utebatur, abjectam de se Syllæ mentem longe superavit. Enarrabo hæc verbis *Dionis* per *Johannem Xiphilinum* excerpti, perque *Guilielmum Blaneum Albiensem* translati ex officina Stephani. pag. m. 21. (*a*) Idem (Cæsar) mollioribus vestibus utebatur, & interdum caligis paulo altioribus ac rubri coloris. Quam mollitiem corporis Sylla adeo suspectam habuit, ut eum occidere voluerit. Deprecantibus autem nonnullis; Ego inquit, hoc vobis gratificabor, vos vero hunc male præcinctum cavete. Quam rem etsi Cicero non intellexerit, tamen imprudens ait: Nunquam putavi Pompejum ab homine male præcincto superatum iri. Evolvatur etiam civis nostri *Johannis Henrici Meibomii Mæcenas*, cap. XIX. pag. 119. Fuit vero inprimis cingulum militibus usui; unde etiam εὔζωνος dicebatur, non qui bonam zonam habebat, sed qui rem strenue agebat. Neque saltem hic mos Græcis & Latinis fuit receptus, probante l. c. *Ferrario*, sed & Hebræis. Unde cum Moabitæ militiæ & prælio se accigerent dicuntur ויצעקו הכל חגר חגרה ומעלה & 1. Sam. II. 4. dicitur חגר כלי מלחמה Non tamen honoratiores solum, sed & cujuscunque ordinis homines balteis seu zonis utebantur; quod docent cingula Eliæ & Jeremiæ: 2. Reg. I. 8. Jerem. XIII. I.n Johannis Baptistæ: Matth. III. 4. Christi: Joh. XIII. 4. collato Joh. XXI. 18. Apoc. I. 13. XV. 6. de quibus omnibus hic non est differendi locus, quibus jam incumbit ostendere, cingula ejusmodi & zonas a fœminis præcipue fuisse usurpatas; idque sæpius cum maximo facultatum dispendio & superbiæ intolerabilis documento. Conf. interim *Zimmermanni florilegium*. pag. 818. seq. *Guil. Stucbii antiquit. convivales*. lib. II. cap. XXIX. it. *Emundi Figrellii* lib. *de statuis illustrium Romanorum*, cap. XX. pag. 120. seq.

IX. Fuit vero in mundo muliebri quoque non ignota zona. De Græcis & Romanis res in vulgus nota. Notum enim est ζώνην λύειν zonam solvere & pudicitiam deponere synonyma esse. Scilicet cum toga antiquissimis temporibus communis virorum fœminarumque habitus esset; toga deinceps penes viros mansit, mulieribus autem in deliciis esse cœpit stola seu tunica, vestis fluida & constringenda, de qua videndus *Ferrarius* l. c. lib. III. cap. XVII. pag. 222. seq. Hebræorum pariter fœminæ cingebantur. Joel. I. 8. Ita de fœmina rebus & negotiis intenta, quæ succinctis incedebat vestibus, ne remoram facerent laboranti, dicitur חגרה בעוז מתנים accingit fortitudine lumbos. Prov. XXXI. 17. Sicut igitnr balteus communi suo usu roboris & sobrietatis indicium est; juxta 1. Petr. I. 13. ita contra certum est, apparuisse inter alias in cingulo mulierum luxum, adeoque divinitus puniendum fuisse. Fuisse enim zonas & ornatu & pretio eximias inter Judæos manifeste docet interdictum Romanorum, Judæis latum: de non gestanda purpura atque zonis aureis, quibus uti solum permittebatur Simeoni. I. Maccab. XIV. 44. Commu-

(*a*) Quid in hac versione desiderandum vide apud *Ferrarium* l. c. *pag.* 41.

munem igitur cum exteris habuerunt morem Judæi, elegantissimis pretiosissimisque vestibus superbiendi, cujus fastus exempla producit *Braunius* l. c. pag. 499. Ex Platonis enim Alcibiade refert: integros pulchertimarum urbium & provinciarum reditus in ornamentum zonæ destinatos fuisse. Etiam in Persia provinciam fuisse, quæ inde *ζώνη τῆς βασιλέως γυναικός* dicta fuerit, & inprimis ex *Athenæo* de Antilla urbe docet: Reges Ægyptiorum & Persarum eam dedisse *ταῖς γαμεταῖς εἰς ζώνας*.

X. Huic igitur luxui divina & æqua statuitur pœna, scilicet נקפה, h. e. discissio sive laceratio. Pro cinctura erit scissura. Observavit jam ante nos *C. Vitringa* in eruditissimo suo ad nostrum locum Commentario, pag. m. 103. *Kimchium* cum aliis ex Hebræis interpretibus intelligere hic per נקפה plagas atque inflicta vulnera, quæ obstant, quo minus cingulum seu zona corpori circumponatur; id quod etiam Chaldæo interpreti placuit, qui per רושמין רחמא stigmata percussionis interpretatus est. *Kimchi* ad usum vocabuli hujus Talmudicum provocat, qui in *tractatu Joma* occurrit. Sed vix opus est inquirere in usum vocis Talmudicum. Occurrit enim ipsa Talmudistarum hujus dicti interpretatio, quam insinuat autor utilissimus בית אהרון, nimirum ex Schabbath. cap. VI. fol. 62. cap. 2. מקום שהיו חגרות בצלצול נעשה נקפים נקפים In loco, quo erant cingula pulcherrima, erunt plagæ, plagæ, id est, plurimæ plagæ & vulnera. Sed cum ejusmodi voces Hebrææ, peo variis quibus adhibentur circumstantiis, varias nanciscantur significationes, huic significationi primæ analogas, non est dubium, debere hic explicari de laceratione; nam vulnera atque plagæ nihil aliud sunt, quam laceratio corporis integri. Atque adeo cincto & apte cohærenti vestimento, in quo ornando modum excedebant fœminæ Israeliticæ, opponitur scissa & lacera vestis.

XI. Lætabundo igitur & lauto sequioris sexus inter Hebræos genio, opponit oraculum propheticum minas curtæ suppellectilis animique tristis & desperabundi. Jam excedunt, (dicturus,) modum in ornando & cingendo, & stringendo & conprimendo corpore & vestitu. Sed erit dies, quo tristitia affectæ & paupertate pressæ, aut non habebunt, quo, non dicam vestes adeo cinctas, non dicam pretiosissima cingula, sed ne quidem integras atque corpori tegendo aptas acquirent, aut mœrore obrutæ vestes integras scindent. Quæ hac occasione de scissione vestium in testimonium luctus & mœstitiæ ex antiqnorum monumentis dici possent, nolo repetere, si cui volupe plura legere, evolvat ex Hebræis integrum tractatum *Maimonidis* eleganti stilo conscriptum, titulo אבל, seu de luctu, qui extat P. IV. יד חזקה lib. IV. tr. IV. seu penultimo, capite inprimis IX. Magnam hujus capitis partem versione donavit *B. M. Gejerus de luctu Hebræorum, lugentium ritibus*. cap. XXII. §. XVII. pag. 435. & quos ibi magna copia citatos deprehendes. Conferri etiam poterit *Kirchmannus* noster lib. II. *de funeribus Roman.* cap. XVII. qui hunc aliis quoque gentibus morem fuisse docet. Item *J. Dilherrus Disp. Volum.* pag. m. 132. & *J. Nicolai tractatus, de Græcorum luctu lugentiumque ritibus variis*. cap. XI. §. 2 pag. 133. De veste lacera squaloris & immunditiei, paupertatisque indicio nihil addo præter istud Judæorum proverbium מטהדורי מילי מסטרטוטי קלמי. Vid. *Buxtorffii* Lexicon con Talmudicum voce מהדורין. pag. 600.

XII. Conspirant cum hac indicta populo pœna quæ deinceps sequuntur verba: ותחת פתיגיל מחגרת שק. In diversas circa isthæc sententias abeunt interpretes. In primis circa vocem פתיגול, de quibus videatur ad h. l. *Vitringa*. Rarius occurrunt ejusmodi nomina composita apud Hebræos, si nomina propria excipias. Est tamen inter composita hæc nostra referenda. In eo conveniunt omnes, sed unde compositum sit vocabulum, non conveniunt inter sese. *Avenarius* merito rejicit *Jarchium*, qui ex פות & גלה, significatione quæ nullo modo huc quadrat, compositum esse putat. Sed plerique cum laudato *Avenario* (cui utinam justum a cultoribus Hebrææ linguæ pretium statueretur!) ex פתיל & גיל derivant. Permittit enim non solum anagia linguæ, ut (ל) alterum excidat sed & requirit oppositum שק, ut hic intelligatur vestis superba, colorum varietate, quæ lætitiam prodat, & subtilitate filamentorum, quæ mollitiei nota est, conspicua, qua velut de capsula vestiebantur. Solebant autem Hebræi multum dare indumentis pretiosissimis atque nitidissimis coloribus tinctis, vestitui quoque molli & delicatulo. Vestitus Sacerdotum sacer non varietate minus colorum quam pretio eminebat. Prostant hæc prolixius descripta a Sancto Mose, quem prolixioribus commentariis illustratum dederunt Interpretes, & antiquitatum scriptores, quæ compilare hoc loco nefas esset. *Josephus* quinque colorum mentionem faciendo omnia exhibet compendio. *χρυσῷ τε καὶ πορφύρας, καὶ κόκκου, βύσσου καὶ ὑακίνθου,*

An-

Antiquit. lib. VI. cap. XV. p. m. *919*. ab initio. Hæc omnia mysteriorum plena Deo autore conficiebantur, ut non opus sit salsa *Spenseri* verba curare, *de Leg. Rit. lib.* III. *cap.* I. *Sect.* IV. *p. m.* 1094. Anne cultum limatum & elegantem Deo gratiorem, aut illius oculos, eodem, quo vulgi solent, splendorem & apparatu aureo perstrictos existimemus? opinionem tam vanam & summo numini injuriam satyra dignam duxit vel ethnicus poeta, cum dixit:

Dicite Pontifices, in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine pupæ.

Sordidæ hæ sunt & piis mentibus nequaquam dignæ meditationes, eo collimantes, ut eam quam semel amplexus fuerat hypothesin ornaret atque exasciaret, atque ad conclusionem mox insecuturam dilaberetur. Fuisse scilicet hunc morem ægyptiacum, quem Deus populo suo animis ad hæc externa tam prono, permiserit. Vid. contra *H. Witsii Ægyptiaca* lib. III. cap. XI. pag. 253. & pag. 261. ubi clarissim. *Prideaux* verba memorabilia *ex oratione de vest. Aaronis* affert.

XIII. Id vero tam certum est, quam quod certissimum, imitatos hæc fuisse gentiles, sed ut pueri virorum res imitantur, (quæ sunt verba H. *Grotii*, ante motum hoc a *Spencero* certamen, l. I. *de veritate religionis Christianæ* §. XVII. *in notis*.) Neque minus certum est, alios quoque in populo elegantiam colorum & mollitiem sacrarum vestium imitatos fuisse, qui aut honorum fastigio aut divitiis superabant reliquos, inprimis autem sequiorem sexum. Antecedentia hujus Prophetæ nostri verba non id solum docent & probant, sed idem quoque comprobat exemplum illud divitis helluonis, de quo Salvator noster enuntiat: ἐνεδεδό δύσκετο πορφύραν, καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς. Luc. XVI. 19. Hic enim de luxu & splendore & vario colore vestium sermonem esse res ipsa docet, id quod non modo purpura & byssus sed & εὐφραίνεσθαι & λαμπρῶς confirmat. Utrumque enim de gaudio & splendore vestium usurpatur. Prius siquidem est ἀπὸ τοῦ εὖ & φρήν, quod omnes vitæ voluptates complectatur, quibus animus delectatur. Inprimis tamen, qui elegante veste utuntur, dicuntur εὐφραίνεσθαι, nam etiam inter εὐφροσύνας Israelis occurrunt vestimenta. Oseæ II. 9. & II. Ut adeo hæc ultima verba, tanquam exegetica priorum ita concipiamus: Induebatur purpura & bysso, ut in illo lætaretur splendidus. Λαμπρῶς enim, si loca Apoc. XXII. I. & 16. excipias, unice in N. T. usurpatur de vestimentis. Sic Herodes Christum induit ἐσθῆτα λαμπρὰν vestimento splendido. Luc. XXIII. II. vid. Act. X. 30. Jac. II. 2. 3. Apoc. XV. 6. XVIII. 12. 14. Sine dubio igitur Salvator noster in hac parabola istum helluonis & Israelitarum plurium, immodicum luxum & splendorem vestimentorum taxat; neque, quod putarunt *Johan. Lomejerus Ecclesiæ Zuthphaniensis Pastor, in Observationibus Analytico-Didacticis* in cap. XVI. *Lucæ*, *Ultrajecti ann.* 1683. 12. & Henr. Teelmannus *in commentario critico & theologico* in cap. XVI. *Lucæ*, *Amstelodami* 1695. in 4. edito cultum Judaicum figurato colore depingit. V. Guil. Saldenus in otiis Theologicis lib. II. Exerc. III. pag. 254. Sicut igitur Salvator noster helluonis hujus luxum carpit, & indicium adeo manifestum prodit, non fuisse inter Judæos prorsus ignotum morem, splendidissimis vestibus superbiendi; ita scriptura sacra quandoque speciatim de mundo muliebri ita differit, ut palam sit, vestes colore & mollitie splendidas genti isti in deliciis & pretio fuisse. Nam de muliere agni dicitur Apoc. XIX. 8. ἐδόθη αὐτῇ, ἵνα περιβάλεται βύσσινον καθαρὸν καὶ λαμπρόν. Uti igitur permissum erat, splendida veste incedere, si quis tenebat modum, nec ultra quam sors permittebat evagaretur; ita fœminas delectatas fuisse istoc ornatu inde quoque claret. Dum vero in eo sum, ut probatum faciam, vestes hujuscemodi lætitiæ esse notas laborem nobis exantlandum jam confecit citatus modo H. Teelmannus pag. 323. גיל vero in פתיגיל idem est quod εὐφραίνεσθαι, quomodo LXX. vocem transtulerunt Jerem. XLVIII. 33. Sed solent plerumque delicatulæ ejuscemodi mollitiem quoque vestium ambire & superbire μαλακοῖς ὑματίοις Matth. XI. 8.

XIV. Hisce igitur Propheta eleganti oppositione edicit pœnam תחת פתיגיל מחגרת שק: Saccus scilicet indumento molliori & splendido opponitur, quo effœminata corpora cingi debebant. Saccus enim, quo luctum præcipue animi, tanquam externo indicio testabantur, vestis erat vilior, crassior, sordidiorque. Solent autem monachorum patroni saccum ita pingere, ut lectori fucum & vitæ vestique monasticæ colorem faciant; quod prolixius docet B. *Gejerus*, loc. cit. cap. XXII. §. VI. pag. 414. seq. Putant nempe: Saccum & cilicium aut idem, aut affinia inter sese & ejusdem materiæ fuisse,

ſe, quod ex *Menochio*, *Soprane* aliiſque probat. Sed recte judicat vir doctus de ſacco Judæorum §. 7. pag. 418. Fortaſſe inſtar caſtulæ fuiſſe, aut ſordidi cujuſdam ventralis, ſupra togam illam Iſraelitarum talarem atque laxam ſeu ſtriatam, lumbis adſtringendam; quomodo nonnunquam peregrinantes veſtibus ſuis honoratioribus, ne pulvere vel aſperginibus fœdentur, ſuperinduere ſolent alias linteas, aliave ex materia confectas. Nolo hic inquirere an forte in his noſtris verbis intendatur caſtigatio libidinis Iſraeliticarum mulierum, quæ nimis curioſa eſt obſervatio *Serarii* ad Judith. IV. 8. Nam cum in fœminis ſit libido in lumbis, apud viros uti loquitur in umbilico; ſaccum proinde illic etiam eſſe applicandum. Illud extra dubium eſt, quod quamvis ſacci non præciſe fuerint cilicini, tamen craſſiorem atque viliorem habuerint materiam, unde merito mollitiei veſtium opponitur. Neque minus ſplendido veſtitui opponi poterit ſaccus, cum ſi non ſemper pullus atque niger, ſordidior tamen fuerit. Fuerunt enim qui ſaccos ſemper nigros fuiſſe crediderunt neque ſuffeciſſe ſolas in ſacco ſordes. Etiam hanc litem compoſuit laudatus modo *Gejerus* l. c. Nam quamvis de ſole nubibus involuto dicatur involutum eum eſſe ſacco, Apoc. VI. 12. non tamen inde ſequitur colorem ſacci debere eſſe nigrum. En igitur cataſtrophen ſingularem! Jam fœminæ delicatulæ veſtibus incedunt mollioribus ſplendidiſque, quibus animi lætitiam produnt; ſed venient tempora, ubi ſacco & veſtitu non ſolum craſſiori ſed & ſordidiori veluti lugentes & triſtes amicientur.

XV. Effrenis autem mortalium luxus varios quoque comendo capillo exquiſivit modos; quod alii præſtiterunt capillos promittendo, alii in nodum colligendo, alii in cornua torquendo, criſpando, tingendo, ornamentis adſcititiis redimiendo. Hinc unguenta, lixivia, faſciæ, vittæ, teniæ & ejuſmodi plura alia. Neque Hebræis ille luxus incognitus fuit. Nam Propheta noſtro in loco ita ait: ותחת מעשה מקשה קרחה: loco operis pexi, calvitium, ex verſione *Junii*. Duas diverſas hoc de luxu ſententias adducit laudatus ſupra *Vitringa*; altera, quam *Jarchio* tribuit מקשה interpretatur de ſcobe ſive ramentis aut pulvere ſolidi auri, aut juxta *Lampridii* loquendi modum, auroſa arena, quo caput bene comtum aſpergebatur ad radios ſolis eleganter fulſurum; altera, quam *Kimchio* tribuit, qui Belgas habeat conſentientes, interpretatur de capillitio æquali ſive pexo aut implexo, ut capillitium alias fuſum & res inæqualis minimeque ſolida, ſolidum quid præferat. Nam quæ *Hieronymus* de crine criſpante habet, remotiora putat. Convenit tamen *Sanctio* cum *Hieronymo* hac in ſententia: opus aſperum (ita enim מעשה מקשה: reddit,) capitis cincinni ſunt, i. e. capilli inæqualiter in annulos aut floſculos intorti, aut certe mitræ aut aliæ capillorum pinnatæ turres &c. Priorem ſententiam calculo ſuo dignam judicat, p. m. 103. & 104. Opinor tamen ad alium quendam morem & magis notum atque uſitatum hic reſpici a Vate noſtro. Scilicet, nulla ſubeſt ratio, cur a communi vocis מקשה ſignificatu ſit recedendum, quo ſolidum aurum ſignificat. At in comparanda duritie capillorum cum ſoliditate auri vix ſimilitudinis umbra dabitur. Melius igitur fecerunt, qui cum laudato autore ad ſcobem ſive pulverem auri reſpici putarunt, cum præſertim appoſita a *Vitringa* in notis loca ſatis manifeſto doceant: veteres, capillos cinere rutilaſſe. Sed num ille etiam Hebræis mos receptus fuerit nullo ſatis idoneo argumento demonſtrabitur; Neque magis certum: an eam ætatem ferat, quæ Jeſaiæ tempora attingat. Sed nihil obſtare video, quo minus hæc de aureis comis intelligi poſſint. Nimirum ille aurum referens capillamentorum color pleriſque gentibus & remotiſſimæ etiam antiquitati optimus atque elegantiſſimus fuit habitus, mox rutilam illam flavedinem, mox igneum fulgorem, mox micantem inſtar ſolis comam laudibus extulerunt. Hinc etiam græcis ξανθὴ κόμη, πύῤῥη ἠλιῶσα. Malo hæc eruditiſſimis verbis *Hadriani Junii* enarrare. Habet ea *in ſuo de coma elegantiſſimo commentario*, ſubnexo ejuſdem *animadverſis* cap. IX. p. m. 568. Antiqui enim, ait, in capillis rutilam illam flavedinem commendarunt; unde delectabilis illa vocum varietas, ut ξανθὴ κόμη, & πύῤῥη & αἴθη ab igneo quodam fulgore & ἠλιώδης ſive ἠλιῶσα, quaſi ſolis inſtar micans pro eodem poſitæ legantur ut ex *Euſtathio* obſervare licet. Sic *Philoſtratus* ξανθὴν κόμην οἶδε γραφικὴ καὶ πυῤῥὴν, καὶ ἠλιῶσαν, id eſt, flavam comam agnoſcit pictura & rutilam & ſolarem &c. Si præterea obſervaveris, fuiſſe iſtum capillamentorum ornatum meretricibus uſui, juſtum Dei judicium tanro magis mirabere, quod tranſgreſſoribus & fœminis luxuriantibus ſtatuit. Solitas autem fuiſſe meretrices comas flavas aut reddere aut alere, idem laudatus modo *Junius* ſequentibus verbis enarrat: Illud vero tacendum hic non eſt, quod flava coma meritoria fuerit olim habita; unde augu-

gusta illa meretrix Messalina apud *Juvenalem Satyra 6.* fornicem adit:

> *Nigrum flavo crinem abscondente galero.*

Et *Virgilius* subindicans parum pudicam Didonem:

> *Nondum*, inquit, *illi flavum Proserpina crinem abstulerat*, &c.

Quemadmodum autem מקשה de aureis comis, atque adeo de capillamentorum colore interpretor, ita מעשה non in statu constructo, quod plerique omnes interpretes faciunt, accipimus; sed in absoluto: ita ut operosum apte componendi & contorquendi capillos laborem prodat; Ita ut demum sensus horum verborum sit: Loco operose compositæ & aureæ comæ calvities erit. Neminem observo qui attenderit, vocabula hæc non cohærere statu constructo præter *Salomonem* ben *Melech* in מכלל יופי ad h. l. Nam ad verba, מעשה מקשה ita differit: ענינו תקון כי מעשה עינו סמוך למקשה כי הוא כסגול רוצה לומר מעשה ומקשה כמו שמש ירח וגו׳: . Sensus vocis מעשה est ordinatus scilicet appositio, quia vox מעשה non est constructum cum מקשה, habet enim sægol, (indicium status absoluti) quasi diceret מעשה ומקשה. Similis autem appositio occurrit. Habac. III. II. in שמש ירח.

XVI. Hebræi vero pariter illum capillamentorum luxum aucupabuntur. Inter reliquas enim Absalonis dotes corporis scriptura quoque prædicat capillos II. Sam. XIV. 26. De quibus vide Dissertationem Hect. G. *Masii*, Hafniæ 1693. editam. In historia quoque Judithæ narratur, quod Holoferni illusura comam complicuerit, cap. X. 3. Inprimis vero notabile est illud scortum pœnitentia actum, cum unxisset pedes sospitatoris nostri, crinibus suis eos abstersisse. Luc. VII. 38. de quo vide summe reverendi nostri D. G. H. *Goetzii*, (Patroni Parentis loco venerandi, cui Deus vitam & incolumitatem quam diutissime servet) dissertationem elegantissimam de unctura Christi Bethaniæ facta. *Lamius* adeo putat nomen hujus Mariæ Magdalenæ ab ipso capillitio ejusdem non ab urbe Magdala originem duxisse. Verba ejus in dissertatione de unica Magdalena §. 2. hæc sunt. Probabilius etymon nominis Magdalenæ assignavimus in commentario, simul & conjecturam proposuimus non absonam, cur hocce cognomento Maria appellata esset. Scilicet in libris Hebræorum Magdala מגדלא significat mulierem plicatricem muliebrium capillorum, a verbo גדל, quod est intorquere, implicare; unde גדילא, id est funis intortus. Quia ergo nimia cura composuisset crines suos Maria, cognominata fuit Magdalena, quod & inter Christianos servaverat cognomen, quia, ex quo illi innotuerat Dominus, in alium usum crines suos convertisset. Neque igitur dubium, Judæos reliquarum gentium imitatores fuisse, non in ornando & plectendo solum, sed & in fucando colorandoque, inprimis etiam in æstimando colore aureo, quod præsens locus docet, capillorum decore. Observavit quædam nostro loco inservientia J. B. *Thiers* dans l' histoire des perruques Paris. 1690. 12. edita, cap. I. Ubi ex verbis Jesaiæ III. 17. juxta gallicam Theologorum Lovaniensium versionem, quædam suo scopo inservientia affert. Conferri merentur *Clemens Alexandrinus* lib. III. Pædag. c. II. f. m. 220. & *Tertullianus* de veland. virg. cap. VII. & not. J. *Lud.* de la *Cerda* ad h. l. tom. I. fol. 589.

XVII. Huic novi generis luxui Deus per Vatem annunciat alius generis pœnam, nimirum קרחה calvitium, quod cum Græcorum καρα fere idem sonat. Statuta vero sunt etiam a gentilibus intolerabili capillamentorum fastui supplicia. Integrum caput IV. laudati *Junii* evolvi poterit pag. 490. ad 522. a curioso harum rerum æstimatore, qui totum hoc negotium ita confecit, ut vix quicquam alienæ industriæ relictum sit. Quædam tamen ejus verba, quæ apprime faciunt ad nostrum institutum adscribam. Ita ille pag. 506. Quid dicam de fastus argumento, quo comæ nutritionem insimulant non temere? Sed quam assequitur mox luctuosa ærumna, velut comes, quemadmodum sponsioni præsto solet esse noxa. Nisus Megarensium rex, aurea, vel ut Pausanias, purpurea cæsarie spectabilis memoratur: & Pterelaus rutila auri instar coma superbus. Sed quid? ille truncato a Scylla filia (quæ amore Minois deperibat,) fatali crine: hic insidiis Comæthus filiæ similiter præsecta coma, uterque regno exuitur. Idem documentum præbuerunt Zethus & Calais Boreadæ, quos præ fastu nimio volasse etiam crinium remigio fabulatores non tacuere: iidem postea oculis orbati superbiæ pœnas dederunt. Absalona quoque illum omnibus seculis notissimum ad hoc intolerabilis superbiæ exemplum, comæ nitor impulit, ut non dubitarit, impia in Patrem arma sumere: itaque dignum eo fastu exitum nactus est, ut de re-

refugo capillo sublimem implicaret arbor, qui ad sublime solium scelerate aspiraverat. Insuper & aureos Mednsæ crines superbia mutavis in anguium flagella ut ad nostri institutionem loquuntur fabulæ. Fuisse autem calvitium, quod pœnæ locum debebat obtinere probrosum, pariter ex illo Ovidiano constat.

> *Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus*
> *Et sine fronde frutex, & sine crine caput.*

Plura vero calvitiei exempla, in quibus aliquos advertes glabrum impatienter ferentes, aliquos, glabriones ludibrio habentes, plerosque in eo consentientes: calvitium opprobrii loco fuisse habitum, more suo conquisivit laudatus autor integro capite XI. Calvitii tamen patrocinium in se susceperunt calvus & ipse *Synesius* & *Hugbaldus*, qui referente *Junio* non illaboriosam eclogam in laudem Caroli cognomento calvi conscripsit, cunctis vocibus initialem literam C. præferentibus, cujus tale est initium:

> *Carmina calvitii cirratus carpere calvos,*
> *Conatus cecinit, celebrentur carmine calvi.*

Sed uti illi, qui multo ingenio encomium moriæ, pulicis, asini, & alia hujus generis plura composuerunt, vix potuerunt efficere, ut quis serio contra in arenam descenderet; ita hos calvorum Patronos parum curantes, communem omnis ætatis sensum & plerarumque gentium opinionem secuti, hoc luxuriantibus comis indictum calvitium, pœnam justam æstimamus. Nam quod Hebræos attinet, ægre illi denudatum pilis caput ferebant, quibus lege cautum erat, ne a recepto capillos & barbam tondendi more recederent. Deut. XIV. 1. Neque hoc solum loco, sed & alibi passim calvitium pœnæ locum obtinet. v. *Jes.* 17. *Jerem.* XLVII. 5. XLIIX. 37. *Ezech.* VII. 18. *Amos.* IIX. 10. Quin etiam calvi inter Hebræos ludibrium fuerunt puerorum; quod suo exemplo expertus est Elisæus calvaster, cui pueri occinebant: עלה קרח עלה קרח; II. *Reg.* II. 22. totique genti & regiæ suæ dignitati injurium judicavit Davides, cum legati ipsius dimidia resecta barba redirent. 2. *Sam.* X. 4. confer. Nehem. XIII. 20. In memoriam vero etiam istud divini Vatis edictum revocare poterat luxuranti sexui, antea pariter subindicatum, loco abundantis luxus, luctum, & loco immodicæ lætitiæ, tristitiam. Hebræi enim inter lugendum capillos non solum dissolutos, & circa colla fluitantes gestabant; (vid. *Abarbanel* ad *Jes.* XLVII. 2. & B. *Geierus* l. c. c. IIX. §. 2. p. 197.) sed habebant etiam crines tonsos, rasos atque evulsos. Ezech. XXVII. 31. Jes. XV. 7. Adeoque & luxus & luxuriei. pœna continetur his verbis: תחת מעשה מקשה קרחה.

XVIII. Nihil jam restat, quam ut tribus verbis enarrem sensum verborum reliquorum: כי תחת יפי. In quibus explicandis eo breviores ducemus lineas, quo plures fuerunt, qui in istis rite interpretandis desudarunt. Vid. *Cl. Vitringa* ad hunc locum, & *B. Sal. Glassius Philol. Sac.* p. m. 1122. & quos utrinque citatos reperire licet. Sunt enim, qui sententiam volunt inperfectam & supplendam; sunt, qui cum sequenti versiculo conjungunt; sunt denique, qui כי non causalem sed nominalem dicunt, quorum sententiæ etiam nos subscribimus. Nam cum in antecedentibus תחת quater occurrat duo inter nomina positum, quidni in his verbis istum ejus situm admittemus? Neque obstat forma Nominis, occurrit enim alibi quoque: uti *Jes.* XXXIII. 13. Est quoque רי Jobi XXXVII. 11. a רוה, quemadmodum כי a כוה Nam uti in antecedentibus elegantem semper oppositionem observavimus; ita etiam formæ sexus fœminini exquisitæ eleganter opponitur adustio. Cum enim antem venustatis gratia faciem colerent & a cœli solisque injuriis studiose defenderent, protractæ in medium virgines mulieresque ac soli expositæ, adustiorem contrahere debebant colorem.

XIX. Velut autem olim lugentes externo corporis habitu solebant prodere animum tristitiæ immersum; ita eundem quoque licebat colligere ex vultu atque externa facie. Hinc istæ genarum lacerationes pluribus usitatæ gentibus, velationesque capitum, de quibus vide *Kirchmannum* de Funer. lib. II. cap. XI. & *B. Geierum* l. c. cap. X. & ibidem citatos. Quibus accensemus merito adustionem a solaribus radiis contractam, quam tristitiæ non solum sed & contemtus indicium ponit *Henr. Grœnevvegen* ad Cant. 1. 6. pag. 40. & 46. in suo ad canticum Salomonis commentario.

XX. Finem faciemus nostri observatis meditatione *Cl. Vitringæ*, quæ manifestum faciet: justum esse Dominum & justa ejus judicia. At inquis, ita ille: tanti est apud Deum, modum aliquem excedere in ornatu? sane quidem honestus corporis cultus decet homines: decet fœmi-

minas; nec displicet *Deo*: sed superbia, supercilium, pompa, luxuria carnalium hominum, qui veris & solidis bonis, sapientia & virtute cassi, adulterina sibi adsciscunt ornamenta sæpe ex pauperum & viduarum spoliis comparata, quibus tum animi sui vanitatem ostentant, tum aliorum libidinem excitant, deposita verecundia, gravitate, decore, honestate, cum contemtu pauperum merito in gravissimis censentur peccatis, quæ Dei iram & indignationem justissime provocant. Est tamen ita id accipiendum, quod hoc loco dicitur, ut sub specie hujus peccati describatur universalis corruptio morum, quæ prævaluerat in illo populo, qui se populum Dei appellabat, quippe qui vero suo cultu & ornatu neglecto, quo se a paganis & carnalibus distingueret, nihil mundo ejusque fastui & concupiscentiæ relinquebat, quod suum esse nollet; pariter ut in pœna, qua *Deus* se hoc peccatum prosecuturum esse minatur, oportet spectare totius Republicæ desolationem.

POLYCARPI LYSERI

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE עכסים

Ad *Esaiæ cap.* III. 16. 18. Illustrandum.

PRÆFAMEN.

Apposite Arabes dicere solent: العلم هو نور ثان وله عيون مضيات hoc est Scientia est lumen alterum, habetque oculos lucidos. Id ipsum testantur nobilissima linguarum & antiquitatum studia, quorum scientia ad solidam eorum cognitionem haud difficulter pervenitur. *Sed profunde dolendum est, jacere inter Germanos fere hæc studia, & non nisi paucissimos eo majori laude ornandos, nostro ævo induere pœnulam Crammaticalem*: ut loquitur Excell. nobisque amicissimus Dn. D. Lichtenhanius, Medicus Schneebergensis, in literis nuper ad me scriptis. Vidimus enim & videmus adhuc cœcos & tenebris inerrantes sæpissime Interpretes Scripturæ quam levissime transiliant ac fere fugiant obscurorum ac difficiliorum Vocabulorum explicationem, ubi vel ritus exponendi vel eorundem origo inquirenda est. Testatur id Locus *Esaiæ cap.* III. *vers.* 18. *seqq.* ubi Propheta Ornatum muliebrem depingit, quem vero emissitiis saltem oculis plurimi aspiciunt; Qua propter cum eundem tenebris eripere expositumque ire animo sedeat, sistimus tib. B. L. hac vice עכסים, Deumque simul ut auxilio suo nostris adi sit laboribus, ardenter imploramus.

ASSERTIO PRIMA.

עכס percommode derivari potest ex arabico عكس.

I. QUantum linguarum Orientalium notitia, pluriumque inter se collatio ad verum Scripturæ sensum indagandum feliciterque eruendum conferat, manifestum adeo est, ut nec rationibus nec autoritatibus clarissimorum virorum confirmari egeat. Ut alia nunc brevitatis ergo prætermittam, exempli loco nobis esse poterit Vocabulum עכס, circa cujus non tantum interpretationem sed etiam etymologiam mirum in modum se torquent Interpretes. Quidam enim per literarum transpositionem a כעס irritavit, deducunt, & pro תעכסנה *vers.* 16. substituunt תכעסנה ad iram provocant ap. Varenium Comment. in Esajam hoc loco quomodo etiam legisse videtur Chaldæus, dum מרגזן ad iram movent, reddit, forsan quia exemplar non satis emendatum habuit: Eadem est sententia Forsteri *Dict. Hebr. pag.* 389. aliorumque a Mercero ad *Thes. Pagn. pag.* 1958. ob id in examen citatorum. Hos vos longissime abire, vel quivis cognoscere potest. Propiores veritati illi videntur esse, qui vocem עכס vel derivant ab עכס Piel ut Hottingerus *Lex. hept. pag.* 342. aliique, vel עכס contra ab עכס, ut Schindlerus *Lex. pent. pag.* 1314. *Ed. Leigh. Crit. sacr. pag.* 106. Ant. Bynæus de Calceis *Hedr. pag.* 198. aliique. Verum cum etiam sic investigato etymo de significatu maneant æque incerti, nondum subscribere illis possumus.

II. Propterea nos in subsidium vocamus Arabicam linguam, & vocem עכס ex Arabica radice عكس deduci posse intrepide asserimus. Ea autem duplicem significationem inter alias multas, eamque affinem & nobis convenientem obtinet. Significat enim. I. Fune constrinxit, ligavit, unde & descendit عكاس funis, qui a collo cameli religatur ad anteriorem pedem, ut dometur apud Golium *Lex. Arab. pag.* 1016. Bochartum in Hierozoico *Part.* 1. *cap.* 56. *Castell. Lex. hept. pag.* 2756. Quod vero עכסים etiam hujusmodi vincula fuerint, infra probatum dabimus. II. Viperæ more ac gressu incessit. Compedes enim pedibus alligatæ gressus reddebant molles ac delicatos, propter quos Propheta filias Sion valde increpabat, quod humi quis serperent, vixque pedes attollerent. Sed plura hac de re suppeditare poterit Bochartus l. c. quem omnino vide.

ASSERTIO II.

עכסים erant ornamenta cruralia ad instar compedum formata, quibus deinde catenulam interponebant.

I. DE horum Ornamentorum materia cum non satis constet & exploratum sit, quæ illa & quotuplex fuerit, nec nostrum erit certam hic determinare. Hoc vero notandum, Talmudicos maxime pro auro contendere, quibus etiam suffragari videtur Cyprianus de habitu virginum, ubi inter alia sic loquitur: *Sint a compedibus aureis pedes liberi;* Interim non absurde licet conjicere, eundem, imo longe majorem in vinculis illis adhibitum fuisse luxum, qui adhibebatur in calceis. Quod si vero, teste Tertulliano de *hab. mul. cap.* 7. in peronibus uniones emergere de luto cupiebant h. e. ut Lampridius in Heliogab. loquitur de fœminarum ambitione, aurum vel gemmas in calceamentis habebant, probabile est, periscelides multo magis margaritis & gemmis fuisse distinctas, præsertim cum ibidem addat, gemmatum habere quod gemmatum esse non debet, si non comparet: aut ideo comparere, ut neglectum quoque ostendatur.

II. Antequam ad formam progrediamur, videamus primo, quam varie vocem עכס reddant Interpretes tam Judæi, quam Christiani, Venenum serpentis vertit R. Salomo Jarchi in locum Esaiæ sic scribens: כשהיו עוכרות בשוק אצל בחורי ישראל דורסתו ברגלו ורומזתו צל חיבת נואפות כדי להבעיר בו יצר הרע כעכס זה של נחש עכס הוא ארס של נחש: h. e. Quando in foro obambulant juxta juvenes Israeliticos calceatio pedum ipsarum & nutus earum similis est meretricibus, ut excitent ope ipsarum pravam concupiscentiam, quæ est sicut venenum serpentis. עכס enim est venenum serpentis. Similia idem notat ad *Prov.* 7. 22. עכס הוא ארס של נחש והטעם כנחש הממהר לרוז בשליחורת הקרוש ברוך הוא ליסר האויל המחייב לו כן זה רז אחריה עד שנכשל כרה ויסלח חיצה את כנרו: hoc est עכס est venenum serpentis. Sensus est: Sicut serpens festinat currendo in legatione Dei ad castigandum stultum, qui contra eum deliquit: Ita ipse currit post meretricem, donec per eam corruat, & sagitta diffecet jecur ejus. Hinc etiam in libris Hebræo-Germanicis ut לקח טוב aliisque reddunt: Die vergifften Schuch: idque forte ideo, quia fœminæ ille superbia

bia calceamenta ſua veneno quaſi infecerint; videturque hoc Raſchi & alii cum eo ſentientes more ſolito ex Judæorum Deraſchim tranſcripſiſſe, & myſticum ſenſum declarare voluiſſe, cum de literali ob rei antiquitatem non ſatis liquido conſtaret, quemadmodum forte Benedictus Baldus calceum antiquum & myſticum ſimul deſcripſit. Alii viperæ ſpeciem eſſe putant, ut Autor mechiltæ ap. Bochartum loc. cit. & ex eo Aquinas; quo & illi referendi, qui vocem עכשוב ſerpentem vel aſpidem componi ex עכס & שוב contendunt, ut Scheræus Itin. Pſalt. pag. 683. qua de re prolixius paulo Bochartus loc. cit. Part. 2. cap. 4. Nonnulli per ipſa Calceamenta eponunt, quos inter iterum Raſchi inquiens: עכסים סנעלים אשר ברגליהם אשר בהם תעכסנה: h. e. עכסים ſunt calcei, quos in pedibus geſtant, quibus ſonitum edunt. Huic videtur adſtipulari R. Jacob Abendana in Prov. 7. 22. ad Ben Melech. ita annotans: ופירושו וכעכס שקשה לאדם להביא רגלו בו כן הוא קשה להביא האויל אל מוסר: h. e. Sicut moleſtum eſt calceamento indere pedem: Ita difficulter ſtolidus ad diſciplinam redigitur.

III. Rectius tradunt Talmudici exponente עכסים in Maſſech. Schabb. miſchn. 4. ita: ברית שהורה ויוצאין בה כשבת כבלים טמאין ואין ויוצאין בהן בשבת: h. e. Periſcelis munda eſt, & egrediuntur cum ea in Sabbato; Id quod ulterius annot. in miſchnajoth explicat Rambam: כבלים עכסים בצורת האצדה והיו מטילין ביניהם שלשלאות והיו מתקשקשין באלו הכבלים הבתולות כדי שלא יפסיעו פסיעה גסה ויגיע היזק בבתוליהן: h. e. כבלים idem ſunt quod עכסים æd formam armillarum; Geſtabant a. inter eas catenulas, & ornabant ſe iſtis compedibus virgines, ne graderentur paſſus majores, & accederet ipſis detrimentum in virginitate ſua. Idem in Jad tr. de Sabbato Part. 1. ספ׳ הזמנ׳ ſic ſcribit: ולא בכבלים שיוצאין בהן הבנות ברגליהן כדי שלא יפסיעו פסעה שלא יפסידו בתוליהן: h. e. Nec cum compedibus (exeunt) ne faciant greſſus magnos, & noceant virginitati ſuæ. Similia habet R. Ob. Bartenora, quem reddidit Rev. Dn. Schmidius ad Maſſech. Schabb. miſchn. 4. quem vide. Sed quid multis evagamur? Graphice formam dipingit Salomo Prov. VII. 22. cum inquit: וכעכס אל מוסר אויל h. e. Et ſicut compes, quæ eſt ad caſtigationem ſtulti, ubi de eo loquitur, qui meretricem ſequitur, eumque comparat cum ſtulto, qui in vincula ſive compedes ſe implicat. Ad quem locum obſervat Aben Eſra: העכסים דומים לכבל h. e. עכסים ſimiles ſunt compedi. Sic R. Salomo Ben Melech ex R. Dav. Kimchi lib. rad. in eundem locum ita ſcribit: הכבל נקרא כן לפי שהוא מתקשקש כעכס: h. e. Eſt ligumentum ita dictum, quia tinnitum edit inſtar compedis. Nec minus audiendus R. Levi Ben Gerſon, qui inter alia ad eundem locum notat: ר״ל לקשור אותם באופן שלא יוכל להם ללכת כי לא יוכלו להרחיב צעדיהם: h. e. vult dicere, ad ligandum eos, ita, ut non poſſint ire, quia non poterunt dilatare greſſus ſuos. Uberius hæc declarata qui expetit, adeat Ant. Bynæum de calc. Hebr. pag: 191. B. Gejerum Comment. h. l. Bochartum in Hierozoico part. 1. cap. 56. pag. 694. ſeqq. ubi & Interpretes Chaldæum, Syrum & Arabicum caſtigatos inveniet.

ASSERTIO III.

Adhibebant עכסים *mulieres pariter & puellæ, ne greſſus nimis latos facerent.*

I. ID dilucide explanant Talmudici aſſert. II. §. 3. citati, quos ſequuntur ex Chriſtianis plurimi, ut Fr. Junius Comment. in Eſa. h. l. Buxtorfius Lex. Hebr. min. Coccejus Lex. Hebr. Ludov. de Dieu Comm. in Eſ. h. l. Caſp. Sanctius h. l. ad verſ. 16. quorum omnium ſententiam acriter defendit Ant. Bynæus loc. cit. Cum quibus omnibus optime conveniunt Belgæ, dum תעכסנה ברגליהם reddunt: Ende ga ende als of hare voeten gebonden waren. Sic iidem vocem טפף v. 15. ſatis accurate exponunt, minuſculos nempe feciſſe greſſus inſtar parvulorum, ut vero illud redderent effectum, adhibuiſſe in pedibus ſuis certa vincula & compedes, quæ prohiberent, ne paſſus ex incuria forſan extenderent. Et hunc ritum etiamnum in Oriente obtinere, teſtatur αὐτόπτης Cl. Golius ap. Lud. de Dieu Comment. h. l. cujus verba adjiciemus: *His aſſentimur, inquit, poſtquam a Doctiſſimo Viro D. Golio, qui per Orientem peregrinatus eſt, accepimus, uſitatum etiamnum eſſe in Oriente in opulentioribus familiis, ut infantum pedes circa talos laminis aureis unius aut duorum digitorum interdum & quatuor, ubi adultiores ſunt, latitudine, tanquam compedibus concludantur, non ad tinnitum faciendum, neque ad greſſus modulandos, ſed ſolius ornamenti & opulentiæ teſtandæ gratia, ut & Propheta hic vocat* תפארת עכסים *ornamentum compedum. Neque ſunt compedes, quibus pes pedi alligatur, ut cum equi aut muli tollutim incedere docentur, ut volebat D. Junius, ſed ſingula compes ſingulo pedi aptatur ſeorſum, eamque ambit.* Ne v.

hæc

hæc Golii relatio noſtræ aſſertioni videatur contraria, dum inquit: neque ad greſſus modulandos, & quæ contra Junium ſequuntur, paucis Conciliationem inſtituamus. Nimirum fœminæ ac puellæ tunc temporis haſce periſcelides, quas vocarunt ביריתים juxta & עכסים, primo in cruribus geſtabant, non aliter ac armillas in brachiis; Crura enim periſcelides, ut brachia armillæ ambibant tum. I. Neceſſitatis cauſa, ne ſcil. tibialia tunc temporis uſitata deciderent, quam ob cauſam etiam licitæ erant. Teſtantur id Talmudici in Maſſech. Schabbas cap. 6. בירית תחת אצעדה עומדת פי׳ בקונט׳ בשוק להחזיק בתי שוקיה שלא יפלו ויראה שיקיה: h. e. בירית eſt loco armillæ juxta explicationem Raſchi, in crure, ut contineat tibialia ne decidant, & videantur crura ejus. Et paulo poſt ita: תחת אצעדה שבזרוע עומד׳ בשוק להחזיק בתי שוקית שלא יפלו ויראו שוקיה הילכך טהורה: בירית h. e. loco armillæ in brachio, eſt in crure, ut contineat tibialia ne decidant & videantur crura ejus, quam ob cauſam munda eſt. Sic Rambam Annot. ad miſchn. בירית אצעדה בשוק כבלים עכסים כצורת האצעדה והיו מטילן ביניהם שלשלאות והיו מתקשטים באלו הכבלים הבתולות כדי שלא יפסיעו פסיעה גסה ויגיע להן היזק בבתוליהן: h. e. כבלים ſunt עכסים inſtar armillæ, & interpoſuerunt inter illas catenulas, & ornarunt ſe iſtis compedibus virgines, ne magnos paſſus facerent, accederetque damnum virginitatibus ſuis. Ubi quidem כבלים cum עכסים videtur confundere, ſed quivis facile cognoſcet, ipſum totum h. l. ſumere pro parte; nam manifeſte in ſequentibus ea a ſe invicem diſtinguit, dum dicit, quod עכסים ſint mundæ, contra v. כבלים immundæ. Verba ſic habent: והוריענו דין אחר והוא כי העכסין אינן מקבלין טומא׳ לפי שאינ׳ מכלי מתכו׳ שיש לו שם בפני עצמו והכבלים מקבלין טומא׳ לפי שהם מכלל הכלי׳ שיש להם שם מיוחד: h. e. Docuit itaque nos jus aliud, nimirum quod עכסים non recipiant immunditiem, ideoque, quod non ſint ex vaſis metallorum, quibus ſint nomina pro ſe ipſis: כבלים Compedes autem recipiant immunditiem, propterea quod ſint e genere vaſorum quibus ſunt nomina propria; tum. II. Ornamenti gratia, quod ipſe Propheta teſtatur, dum dicit: תפארת עכסים ornamentum compedum, & R. Abarbenel ad Eſa. cap. 3. h. l. ſcribit עכסים עכסיה הם תכשיטי הרגלים h. e. ſunt ornamenta pedum, haſque periſcelides aliis populus pro ornamentis uſurpatas eſſe, poſt declaratum dabimus. Porro autem inter has periſcelides interponebant catenulas, ne paſſus nimis latos facerent, & tunc hæc ornamenta vocabant כבלים, quæ prohibita erant in Sabbatho. Apponamus verba, quæ extant in annot. ad maſſech. Schabb. cap. 6. דס״ד משנ׳ דאין חילוק בין בירית לכבלים אלא שזה באחת וזה בשת׳ לכ״ל דאיפשר ליטלן בלא גילוי שוקים ומ״ה כבלים אין יוצאין דילמא שלפא ומחוי דתפשיט לנוי הם אבל בירית שהוא באחד לא שלפא ומחוי דאין זה תכשיט דכיון שאין לה אלא באחת גנאי היא לה ומ״ה ניתא דבירית טהורה דליאו תכשיט לנוי הוא וכלי תשמיש נמי לא הוי אלא כלי התשמש כלי דומי׳ דטבעו׳ הכלי׳ דאמ׳ לעיל׳ דטהו׳ וכן פי׳ הקונטרים וטעמ׳ כבלי׳ טמאים משו׳ דתפשיט הם לנוי לנוי נדפי׳: hc eſt (cur non exeunt cum compedibus, ideo) ne forte hic objiciatur, quod non ſit diſcrimen inter בירית & כבלים, quia בירית in uno pede, כבלים vero in utroque; Propterea mihi videtur poſſibile, poſſe demi citra detectionem crurum, & ideo cum כבלים in Sabbatho non licet egredi, fortaſſe quippe exueret vel demeret כבלים & monſtraret, ſunt enim ſolius ornamenti gratia. Sed בירית quæ eſt in uno pede, non demitur ac oſtenditur, quia non eſt ornamentum; At vero quia בירית non niſi in uno pede gerit, ignominia eſt ipſi, adeoque juſtum eſt, eſſe licitum & mundum, quia non eſt ornamentum ad honorem &c. Ubi videmus, quando dicit, בירית fuiſſe in uno, כבלים vero in utroque pedum, ipſum innuere ſimul, בירית unum ambiviſſe crus, כבלים v. ambos pedes conſtrinxiſſe, quando ſc. interpoſitæ erant catenulæ, quæ etiam catenulæ ipſæ poterant ſolvi ac demi citra crurum detectionem, non autem ſic בירית ſive Periſcelis pedem ambiens totum Unum adhuc locum adducemus ex Gemara maſſech. Schabb. cap. 6. fol. 63. col. 2. qui ſic habet בירית באחת כבלי׳ בשתים א״ל רב הונא אלו ואלו בשתים ומטילין שלשלאות ביניהן ונעשו כבלים ושלשלאות שבו משויא ליה: h. e. בירית eſt in uno, כבלי vero in utroque pedum; Dicit R. Hunah: Utumque eſt in utroque pedum, & interjunxerunt inter ea catenulas, & ſic facta ſunt כבלים, & catenulæ quæ in eo ornamento æquales ipſis erant dependerunt. Et ſic eluceſcit clariſſime, quam concinne Golii ornamenta cum noſtris per omnia conveniant. Quippe hodiernorum Orientalium ornamenta cruralia nihil aliud ſunt, quam עכסים periſcelides ſine catenulis, quas veteres periſcelidibus iſtis interponebant.

II. Unde vero ornamentorum iſtorum uſus pervenerit ad Judæos merito quis quærat? Ant. Bynæus de calc. Hebr. pag.

192. ætate Abrahami uſum eorum invaluiſſe aſſerit. Notatu etiam digna ſunt, quamvis fabulæ ſimillima, quæ extant in Gemara maſſech. Schabbas cap. 6. fol. col. 2. אמר רבי יוחנן משפח' אחת היתה בירוש' שהיו פסיעותיה' גסו' והיו בתולותיה נושרו' עשו לה' כבלים והטילו שלשלת ביניהן שלא יהיו פסיעותיה' גסות ולא היו בתולותיה' נושרות: Dicit R. Jochanan: Fuit quædam familia Hieroſolymis, quæ latis greſſibus incedebat, virginitates ipſius deformabant, fecerunt autem ſibi compedes, & interpoſuerunt inter ipſas catenulam, ne paſſus grandiores facerent, neve virginitates earum deformarentur. Eadem verba habet R. Obad. de Bartenora annot. Ad Maſſ. Schabb. cap. 6. miſchn. 4. Apud Æthiopes, Perſas & barbaros alios compedibus aureis vinciri ſolitos, teſtantur Clem. Alexandrinus 2. Pædag. cap. 12. Tertull. de hab. mul. cap. 7. Dio Chryſoſtomus Orat. 79. περὶ πρώτȣ Heliodorus lib. 9. Ætiop. Euſthatius in Dionyſium; Auſonius in ludo 7. Sapientum, Herodotus lib. 3. Ammianus lib. 27. & alii. Græcis & Romanis horum ornamentorum uſum etiam fuiſſe frequentem, ex Polluce lib. 2. cap. 16. edocemur. Hic enim περισφύρια, περιπεζῖδες, περιπέζια & περισκελίδες in mundo muliebri ponit. Sunt autem, ut oſtendimus, Periſcelides nihil aliud, quam otnamenta l. circuli aurei crurum muliebrium. De Romanis id teſtatur Oct. Ferrarius de re veſt. Part. 1. lib. 3. cap. 17. qui etiam in analectis ſuis Rubenium de re veſt. lib. 1. cap. 16. caſtigat ob locum Plinii lib. 33. cap. 3. male expoſitum. Errant proinde illi, qui Periſcelides per Femoralia exponunt, qua de re conſulendi Jul. Nigronius de caliga pag. 12. Scholiaſtes Horatii ad. lib. 1. ep. 17. Salmaſius ad Lampridii Alex. & ad Senecæ hyp. act. 1. verſ. 321. Hunc v. Senecæ locum quomodo male accipiant pro faſciis Caſaubonus ad Svetonii Auguſt. cap. 32. Thomas Dompſterus ad Roſin. pag. 433. Bened. Balduinus de Calc. antiq. cap. 16. Ant. de Eſcobar & Mendoza comment. in Eſ. cap. 3. verſ. 16. monſtrat. Ant. Bynæus. l. c. pag. 195. Non abſonum fuerit, etiam ad illuſtrationem aliqualem huc referre inſigne equeſtris ordinis ap. Anglos, qd. periſcelis audit & exquites illius ordinis *equites periſcelidis*, quam geſtare ſolent in pedibus, qua de re plura ſuppeditabunt Sopranes dign. Dav. l. pag. 423. & rerum Anglicarum Scriptores; nec non qui de ordinibus equeſtribus egerunt, utpote Ant. Miræus, Fr. Menenius, Hieron. Megiſerus, Fr. Sanſovinus, Becmannus not. dign. ill. Diſſ. 16. Thomas Smithus de republ. adminiſtr. Angl. lib. 1. cap. 18.

ASSERTIO IV.

Geſtuſſe olim muleres crepitacula tinnientia, ut audirentur incedentes veroſimile quidem, ſed nondum ſolide probatum eſt.

I. TAnta hic deprehendimus ſententiarum divortia, quanta vel filum Ariadneum diſcernere vix poſſit. Videmus enim, ſi non omnes certe pleroſque vocabulum iſtud verſ. 16. העכסנה de tinnitu intelligere. Prodeat ex Judæis R. Dav. Kimchi Comment. h. l. explicatus a B. D. Geiero de luct. Hebr. cap. 15. §. 1. pag. m. 300. Aben Melech in Michlol Jophi ad תעכסנה ita ſcribit: תקשקשנה עהעסי' שברגליהן h. e. Tinnitum excitant ornamentis illis, quæ in pedibus earum. Paria notat ad vocem עכס הוא חלי שמקשקש שישאוה הנשים ברגליהם עכסים h. e. Eſt ornamentum tinniens, quod fœminæ geſtant in pedibus ſuis. R. Iſaacus Abarbenel ad תעכסנה ſequentia profert שהיו מביאות ברגליהן עכסים כדי שבתנועתן יהיו משמעות h. e. quod pedibus ſuis induxerint עכסים ut motu iliorum audirentur; Nec pauciores ex Chriſtianis, ut Cl. Buxtorfius Lex. Hebr. min. voce עכס B. Geierus ad Prov. 7. 22. Caſp. Sanctius Comment. h. l. Zach. Urſinus Comment, h. l. Arias Montanus ad eundem locum, aliique multi: Qui omnes in id conſpirant, ut tinnitum iſtum adſcribant τοῖς עכסים quæ ſc. inſtructa fuerint laminis vel crotalis ſonantibus. Hic calculum adjicit ſuum magni inter Romano-Catholicos Commentatores nominis Caſp. Sanctius, qui ad voc. תעכסנה ita annotat: *Quæ* (compedes) *inquit, quia laminis ſive crotalis inſtrui ſolent, tinnitum edunt &c.* Et paulo poſt ſententiam ſuam roborare videtur, quando in hæc erumpit verba: *Quæ vocari poſſunt crotalia, qualia habuiſſe Gabinium dixit Cicero in Piſonem, qui nimis molliter in lecticularum mulierum morem ſe ornabat, cui etiam cymbala addidit. En quo ſuſpicor, illud fuiſſe ap. Romanos lautiorum fœminarum & effœminatorum ornamentum.* Quæ Sanctii verba, præſertim ſi alios cum ipſo audiamus, tinnitum non obſcure probare τοῖς עכסים videntur, adeo ut adſcribendum judicem tantorum virorum conjecturis. Sed dubii ſumus adhuc, quia aliorum diverſę ſententiæ nos nec immerito retrahunt.

II. Non pauci tinnitum iſtum ad Calceamenta referunt, quibus nempe affixerint crepitacula ſonitum l. ſtrepitum exci-

citantia Ita ex Judęis ſentit R. Abarbenel qui ad vocem עכסים ita commentatur: h. e. עכסים הם תכשיטי הרגלים אם פעמונים שמקשקשים בהם אם דבר אחר דומה אליו עכסים: ſunt ornamenta pedum aut tintinnabula, quibus ſonitum edunt, aut aliud quid ſimile illis. Ex Chriſtianis Zach. Urſinus eodem inclinat Comment. ad h. l. & quidem ad תעכסנה ita loquens: *Cient ſonitum tintinnabulis, quæ geſtant in pedibus l. pedum ornamentis*; Et paulo poſt ad עכסים: *Gloriam ornamentorum pedum inſtar ſquamarum*: Rectius, *ornatum tintinnabulorum ſeu crepitaculorum*, i. e. *ornamentorum pedum, quibus tintinnabula erant alligata*: Hæc vocat עכסים, unde verbum עכס. *His tintinnabulis in ambulando ſtrepitum ſeu tinnitum edere, quo uſus eſt* verſ. 16. *Ornamenta ſquamata ſeu ſimilia ſquamis* h. e. *habentia ſquamas aureas vel argenteas, videtur Santes intellexiſſe propter confuſionem vocabulorum* קשקש *vel* קשקשה *ſquama &* קשקש *tinnivit, unde* קשקוש *tintinnabulum*. Clarius adhuc loquitur in verbis præcedentibus: *Videntur adhibuiſſe pedibus tintinnabula, ut audiretur numerus & compoſitio greſſuum*. Conf. Mercerus ad Theſ. Pagn. v. עכס. Nec pigrabimur adducere Ar. Montanum in Comment. ad Eſ. 1. c. ad. עכסים ſic annotantem: עכס *eſt Ornamentum calceamentorum*; *Hebraica verba elegantiam ſtrepitulorum ſignificant, ſive illa orbiculi ſeu tintinnabula exigua, aut ſimile quid fuerint ad indicandum inceſſus numerum & ad artem excogitata*. Huc pertinet quoque, quaſdam fœminas ocreatas tunc temporis virorum inſtar inceſſiſſe, adeoque ut fieri ſolet, calcaribus aut alio ſimili ornatu ſonitum excitaſſe. Confirmat hoc alios inter ex Judæis R. Ab. Eſra Comment. h. l. quem explicatum vide apud Varenium h. l. Cui videtur adſtipulari B. Hopnerus im Spiegel der Kleider-Hoffarth ad Eſ. 3. qui ita: Es werden nicht allein die Schuhe verſtanden/ ſondern auch die Stieffel und Pantoffel/ und aller Ornat, der darauff gewendet wird. Im Ebräiſchen ſtehet ein ſolch Wörtlein תעכסנה das heiſt ſo viel als ſonitum ciere crepitaculis, einen Klang mit Schellen oder Cymbeln machen/ wie die Stu*k*er i*tz*o pflegen mit Sporen zu klingen: Alſo haben auch die Weibs-Bilder an ihren Schuhen Stieffeln und Pantoffeln ein Klingwerck getragen/ dabey man ſie hat hören können/ wenn ſie auf der Gaſſen gangen ſind/ wie die Weiber in Spanien ſolche Glöcklein oder Schellen an ihren Stieffeln und Schuhen tragen ſollen. Hieronymus meldet/ daß zu ſeiner zeit die Weiber von Künſtlern/Fechtern/Springern/Tän*tz*ern gelernet zierlich und prächtig einhergeben. Et pag. 23. Da*ß* die Frauen und Jungfrauen im Jüdiſchen Lande mit allerley köſtlichen Schuben gepranget/ iſt bekandt aus Ezec. 16. Cant. 7. Iudith. 16. Et paulo poſt: Wenn im Gehen die Schienbeine ſind entblöſt worden/ hat man ſolche Pracht ſehen können. Cum quibus & conveniunt Chaldæus & Syrus, dum עכסים ille תושבחת דמסניא hic vero ܫܘܒܚܐ ܕܡܣܐܢܝܗܘܢ Ornamentum Calceorum reddunt, licet Arabs nimis late receſſerit, dum עכסים vertit شرف لباسهن luxum indumentorum, & cum eo LXX. reddentes τὴν δόξαν τοῦ ἱματισμοῦ, luxum vel ſplendorem veſtitus; Cauſam reddit Caſp. Sanctius Comment. h. l. *Quia*, ait, *commune eſt omnium partium, imo apud Latinos aliis etiam rebus accommodatur*. Rectius ergo B. Lutherus noſter: Den Schmuck an köſtlichen Schuhen tranſtulit. Et in horum omnium ſententiam malumus deſcendere, aſſerentium, tinnitum iſtum fuiſſe in calceamentis: neutiquam tamen perſuaderi poſſumus, illum tribuendum eſſe τοῖς עכסים, cum eorum deſcriptio & uſus in præcedentibus declaratus adverſentur. Tinnitus vero iſte ex hiſtoria profana & aliquo modo ſtabiliri poteſt; Conſtat quippe apud exteros populos ritum geſtandi crepitacula vel tintinnabula etiamnum obtinere; Confirmat hoc Hulſius in der Schiffarth pag. 35. Ein gemeines unzüchtiges Weib/ Etigafou genennet/ trägt an den Beinen offtmahls küpfferne Ringe mit Schellen/ damit ſie klinget/ daß man ſie höre/ wenn ſie über die Gaſſen geher; quo ipſo in loco etiam ſchema ſubjungit. Notandum inſuper & illud eſt, quod Corn. a Lapide Comm. in Eſ. 3. verſ. 18. obſervat, voluiſſe videlicet ſuperbas illas mulieres imitari veſtitum Sacerdotum ſacrorum, non quidem ratione loci: Sacerdotes enim in veſtis extremitatibus; Illæ vero in Calceamentis vel pedibus tintinnabula geſtabant; ſed ut audirentur ab omnibus, quos præteribant. Nam Tintinnabula propterea geſtabantur a Sacerdote ſummo, ut ingrediens Sanctuarium vel egrediens audiretur, *Exod.* XXVIII. 35.

III. Alii tinnitum iſtum adſcribunt veſtibus ſericis, quem tamen rectius ſtrepitum diceres, quarum colliſione aut concuſſu, qualis eſſe ſolet ab eo textu ſerico, quem Tafetanum vulgo dicimus, ſtrepitum ediderint, ut Sanctius meminit ad Eſ. h. l. aliique. Quidam gemmis vel margaritis in calceamentis hoc de-

deberi pronunciant, memorante eodem Sanctio sequentibus verbis: *Nam id fieri solitum, docet Plinius* lib. 9. cap. 35. *Ubi cum ageret de margaritis quas binas ternasque gerunt fœminæ, ita ut se collidant, & sono ex collisione facto significent, se non esse e plebe mulierum, sed ex nobilium & heroidum numero. Tunc, inquit Plinius, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant & collisu ipso margaritarum. Affectantque jam & pauperes, lictorem fœminæ, in publico unionem esse dictitantes*; quod ipsum Sanctius ita explicans inquit: *Dicuntur a. sonantes illæ margaritæ esse fœminis pro lictoribus, quia quemadmodum hi præcedentes Consulem, aut alium magistratum summovent turbam voce aut alio strepitu, significantes, adesse Consulem: Sic ille margaritarum sonus magni nominis fœminam adventare nuntiat, ut ipsi ab omnibus de via decedatur*. Huc usque ille. Certe hoc Plinii testimonium tinnitum per calceamentorum ornamenta excitari solitum, satis superque declarat de Romanis: Quid vero obstat idem de Hebræorum fœminis adstruere? Quin imo fortassis absque absurditate adjicietur & hoc, Romanos sicut multa alia, ita & hunc ornatum, verius luxum a Judæis accepisse. Omni vero dubitatione caret, Judæos saltem non omnes tinnitum fœminarum ornatarum affirmare, in causa tamen determinanda non conveniunt. Alii excogitatum eum esse propterea, ut gradientes ab omnibus audirentur: alii ut Sacerdotibus non viderentur ignobiliores: alii ut juvenes ad spectandam formam suam & concubitus illicitos permoverent, unde aliqui provenisse credunt immunditiem, & prohibitum cum illis כבלים egressum, quod satis recte se haberet, si quæ Buxtorffius tribuit tintinnabula illis ornamentis, sufficienter probarentur. Sed adhuc alii aliter ita sentiunt, quorum tamen accumulare sententias instituti præsentis ratio non permittit. Quemadmodum v. incertum est, quo in loco crepitacula tinnientia gestaverint, an in Catenulis, an in calecis, an in periscelidibus an alibi: Ita etiam non satis constat, qualia fuerint, an tintinnabula, an cymbala, an crotala, aut simile quid, cum alii aliud testentur; Imo ipsum tinnitum non satis hic probari asserit verissime Varenius d. l. Antequam manum de tabula tollamus, audiamus R. Abarbenelem ad תעכסנה ubi de calceamentis sic loquitur: אמר ר' יצחק מלמד שהיו מטילות מור ואפרסמון במנעליהן ובועטות בקרקע: h. e. Dicit R. Isaac Melammed, quod calceamentis suis indiderint myrrham & balsamum, & conculcarint in pavimento (nobilia illa odoramenta) forte cum illinc deciderent aut destillarent, ut loquitur B. Gejerus de luctu Hebr. cap. 15. §. 1. pag. 301. De Luxu Calceamentorum plura qui cupit, consulat Tertullianum de habitu muliebri, Athenæum lib. 1. cap. 30. Herodotum lib. 2. Plinium loc. cit. Clement. Alexandrin. 2. pœd. cap. 11. Casp. Sanctium ad Cant. 7. B. Gejerum de luctu Hebr. pag. 300. Bened. Balduinum de Calceo antiq. Ant. Bynæum de Calc. Hebr. pag. 187.

ASSERTIO V.

Fœminas olim inter saltandum tintinnabula in pedibus gestasse, sublestæ admodum fidei est.

I. Adstruunt id omni conatu ex Judæis Rab. Dav. Kimchi, quem exponit Varenius Comment. h. l. his verbis: *Kimchi, ait, propius de ornamentis pedum interpretatur talibus, quæ fuerint ad tinnitum faciendum, ita ut incesserint cum sonitu, qua ratione ad choreas nulla indiguerint musica, præter eam, quam in pedibus habuerint*. Sic Rab. Abarbanel ad voc. תעכסנה ita annotat: בתנועתן יגיעו רגל ברגל וישמיע קול נגינות הכשיטין ההן: h. e. moventes se, allisere pedem pedi, utque audiretur sonus musicus ex illis ornamentis. Ex Christianis Hugo Grotius h. l. qui ita: עכס *ut docent nos Hebræi erant crepitacula in pedibus mulierum, quibus inter saltandum utebantur:* quam suam sententiam hauserat forte ex Vatablo, qui in hunc locum ita scribit: *Alii volunt ornamentum pedum fuisse, non absimile illi, quo utuntur mulieres Hispanæ, quæ crepidas gestant cum tintinnabulis*, dum saltant. Sic Zach. Ursinus ad h. l. observat, inquiens: *Ut etiamnum in Gallia tintinnabula alligant pedibus saltatores, ut audiatur rythmus saltantium: Sic illæ videntur adhibuisse pedibus tintinnabula, ut audiretur numerus & compositio gressuum*. Præcipuus hujus sententiæ Patronus est Joh. Busæus Jesuita, qui in Panario, voce Choreæ, locum Prophetæ tantum de saltatione exponit, teste Alvaresio Comment. h. l. conjiciens fortassis habuisse olim fœminas, non aliter ac apud nos hodie, inter saltandum instrumenta similia illis, quæ vocantur Gallis Castagnetes, & numerose in choreis inter digitos pulsantur, quorum inventio Hispanis vulgo tribuitur. Horum vero omnium sententiæ vel sponte corruunt, præsertim cum nec Scriptura, nec Hebræorum magistri quidquam tradant, imo potius per omnia verba Prophetæ pror-

prorsus eunt in contrarium: Sic enim gressui molli ac parvulorum operam dedere, quomodo saltasse dicerentur? Verum quidem est, hujusmodi ritus & saltationes cum tintinnabulis etiamnum ap. barbaros esse frequentes; Quis vero exinde evincet, easdem in populo Judaico fuisse usitatas? De Bejanis & Rasbutis testatur Dapper in Asia pag. 118. Die Bejanen und Rasbuten haben Jährlich ein Fest / Huli genennet / an welchen sie sich seltsam kleiden / als Fasnachts-Narren / etliche als schwangere Weiber / andere haben Schellen umb die Beine / sie kommen mit Posaunen / Kesselpaucken und Pfeiffen zusammen / springen und tantzen / &c. De Jncolis insulæ Hispaniolæ, id. in America pag. 160. In der Insul Hispaniola gehen die Einwohner tantzend zum Gottesdienst / und einen Gürtel voll Schellen umb den Leib / und muss ein Trommelschläger darzu auffspielen. Verum, quia paria de Hebræis edocti huc usque non sumus, tantum abest, ut statim credamus, illas saltationes, ut potius figmenta recentiorum esse audacter pronunciemus.

Hæc fere sunt, quæ & brevitatis rationem habentes, & rariorum quorundam de hoc argumento commentantium Scriptorum usu destituti proponere duximus necessarium. Plura vero, eaque fortassis meliora expectabuntur imposterum, si forte omnem ab Esaia delineatum ornatum muliebrem diligentius excusserimus. Nec certiora edocti verebimur mutare mentem, gratissimum potius agnituri, si quis dubio omni carentia in hac materia admodum incerta suppeditaverit.



JOH.



GEORGII ALTMANNI

Ad *Loc. Act.* XVI. 14.

DE

LYDIA THIATIRENSI

OBSERVATIONES.

ARGUMENTUM.

§. I. *Scripti occasio*. §. II. *Lydiæ nomen fuit proprium Lydiæ; plures & Lydi quidem dicti*. §. III. *Thyatyris, tinctura purpuræ erat frequens*. Βαφεῖς *dicebantur* κατ' ἐξοχὴν *purpuræ tinctores*. *Illustratur inscriptio apud Sponium*. §. IV. *Purpurarii dicti non solum purpuræ tinctores, sed & venditores*. §. V. *Lydia cur dicitur* σεβομένη τὸν Θεόν. *In oppositione ad superstitiones Thyathyrensium*. *Deus Tyrimnus*, *Deus Falacris*, *& Peninus*. §. VI. *Alia Thyatirensium* σεβάσματα.

§. I.

CUM eruditam viri Cl. *Christiani Bielii* de Lydia purpuræ venditrice (1) dissertationem haud ita pridem legissem, quædam mihi incidebant, quibus non tam eruditi Viri ad *Lucæ* locum afferta convellere, quam ejus dissertationi mantissam aliquam subjungere subiit cogitatio, quod vero a me nunquam esset tentatum, nisi eruditissimos Viros in re præeuntes haberem, qui aliorum dissertationibus non infrequentes suas cogitationes adjungere convenerant: hinc & ego hocce meum spicilegium eruditis Lectoribus expono, in quo si doctus non sum, brevis sum.

§. II.

Mulier de qua in *Actis* ſermo eſt, Lydia dicitur, hoc eſt ſecundum *Camerarium* & *Grotium*, & poſt hos ad mentem *Bielii* ex Lidia oriunda, ſed huic ſententiæ magnorum virorum pace ſubſcribere non poſſum, variis in adverſam partem adductus argumentis. Primo quidem non video, quare Scriptor ſacer, ſi Lydiæ nomen appellativum, non proprium eſſe voluiſſet, Thyatiram patriam ejus nominaſſet, dum enim ex Thyatira oriunda dicitur (*Act.* 22.) jam Lydia, h. e. ex Lydia oriunda dicitur, ſed aliquem adhuc locum habere poſſet eorum ſententia, qui nomen Lydiæ gentilitium faciunt, ſi Thyatira abjectum, aut ignobile Lydiæ oppidum fuiſſet, ſed plane contrarium ex antiquis Geographis colligimus; Fuit enim teſte *Ptolomæo lib.* X. *cap.* 2. Metropolis Lydiæ. (2) Sic & magnifica quædam de ea habet *Stephanus Byzantinus*, & *Cellarius* in *Geographia antiq. Tom.* 2. *pag.* 129. ad quos Lectorem remittimus. Alterum vero argumentum, quo nomen Lydiæ proprium eſſe credam, mihi ex antiquis accedit Græcorum Latinorumque cognomentis, ſic etiam antiqua inſcriptio apud *Gruterum pag.* DCCCCXVII. 12.

LYDIÆ SECUNDISSIMÆ
QUÆ VIXIT ANN. XVI.
SIT TIBI TERRA LEVIS.

Lydiæ nomen etiam occurrit apud *Horatium* & *Svetonium* de illuſtr. Grammaticis *cap.* XII. *Scripſit* (inquit) *Valerius Cato præter libellos Grammaticos, etiam poemata, ex quibus præcipua probantur, Lydiæ Ticidius meminit.* Sic opinor ſatis demonſtratum Lydiæ nomen inuſitatum non fuiſſe, illudque non magis gentilitium eſſe ubique quam nomen Lydi, quod proprium non appellativum eſt *Plinio lib.* V. 55. *Sardiniani decretum Etruriæ excitavere, ut conſanguinei; Nam Tyrrhenum, Lydumque Atyo Rege genitos ob multitudinem diviſiſſe gentem, Lydum patriis in terris reſediſſe, Tyrrhenum novas ut conderet ſedes.* Ad quæ verba *Lipſius* meas partes facit, quem vero exſcribere nolo.

§. III.

Cum vero Clariſs. *Bielius* ſuppoſuiſſet Lydiæ nomen eſſe gentis, ut nunc contrarium probatum eſt, ei exinde alius error, quod pace viri docti dixerim, natus eſt purpuræ ſc. fingendæ ars, Lydis in genere adſcripta, cum melius & commodius ne dicam ad *Lucæ* locum explicandum aptius Thyatiræ urbis incolis in hoc loco tantum tribui potuiſſet, ut me id antiqua inſcriptio apud *Sponium* in *Miſcell. Erudit. Antiquit. ſect.* 93. docet, quæ in ipſa urbe Tyatira quæ hodie *Ac-Kiſſar* dicitur, eruta ut a *Sponio* deſcripta eſt, ex qua cum prolixior ſit, ea tantum, quæ ad rem noſtram facere videantur dabimus ΑΓΑΘΟΤΥΧΗ &c. ΙΕΡΕΥΣ (3) ΤΟΥ ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ ΘΕΟΥ ΤΡΙΜΝΟΥ ΟΙ ΒΑΦΕΙΣ. In hanc inſcriptione ego cum *Sponio* Βαφεῖς nihil aliud, quam purpurarios intelligo; ſoli enim purpuræ tinctores, & inclyti erant, & in ea præſertim regione, & urbe magna exercebatur purpuræ mercatura, ob frequentes, quæ circa Mare Kolicum extabant officinas purpurarias, nec memini in ulla regione gregarios tinctores aliquod ſui monumentum reliquiſſe, ſed hi ob purpuræ raritatem & caritatem inter homines

nes insignes, & divites memorabantur; prisco enim tempore idem argento & purpuræ pretium aut. *Athenæo Deipnos.* XII. *pag.* 526. Θεόπομπος δ' ἐν πέντε καὶ δεκάτῳ ἱστοριῶν, χιλίους φησὶν ἄνδρας αὐτῶν ἁλουργεῖς φέροντας στόλας ἀστυπολεῖν ὅθεν καὶ βασιλεῦσιν σπάνιον, τότ' ἦν περισπούδαστοι ἰσοστάτος γὰρ ἦν ἡ πορφύρα πρὸς ἀργύριον ἐξεταζομένη: *Theopompus lib. decimo quinto historiarum scribit ejus oppidi* (de Colophone loquitur) *mille cives intra mœnia obambulasse indutos purpurea stola, quod vestimentum eo tempore rarum fuit etiam apud reges, & æstimationis maximæ, ac tanquam inclytum summopere affectatum: par namque purpuræ argenti pondus rependebatur.* Videmus ergo ex his, quam hocce tinctorum collegium nomine communi bonæ fortunæ hoc insigne monumentum posuerit; fortunam enim Deam non minus in arte, quam mercatura collegii sui habebant præsidem; notum est etiam variis vitæ generibus fortunam apud veteres præfuisse. Communis enim mos erat publica monumenta totius collegii more dedicandi, ut exempla plurima *Reinesius*, *Gruterus*, *Sponius*, aliique passim exhibent.

§. IV.

Conjicio etiam ex his Lydiam mulierem fuisse divitem, quæ vero spreto mundi commodo, Christianorum sese aggregavit coetui, atque relicta miserrima conterraneorum superstitione ad viventis Dei sese recepit Ecclesiam. Sed porro observandum contra quosdam commentatores diversos fuisse purpurarios a purpuræ mercatoribus, & βαφεῦς Latinis recepta voce dicitur *purpurarius Grut. pag.* DCXLIX.

VIVONT
A. SEMPRONIO
GALLÆCI L. LÆTO
PURPURARIO
ET SEMPRONIÆ MODESTÆ.
UXORI

Apertum vero est Latinorum purpurarios nomen suum ex Græcis πορφυρεῦσι tum accepisse; hinc hæ voces eandem etiam retinent significationem; est vero purpurarius is, qui officium tingendæ purpuræ habet, ut videmus ex *Luciano* πρᾳδῆς ἑαυτὸν τοῖς πορφυρεῦσι συγκαταπεδεύτη. *Locans operam suam purpurariis, cum iis urinabatur.* Artem autem tingendæ purpuræ Lydia non exercebat (4) sed negotiabatur ad mercaturam jam parata purpura. Videmus ergo, quod non opus sit de purpuræ apud Lydos usu & officinis extra Thyatiram excurrere, imo hæc omnia a modernis Philologis jam sunt occupata; amplius enim illa de re, & ut solet eruditus Clar. *Sulmasius* est in exercit. *Plin.* ipse 193. 806. 817. &c. Imo *Plinius* ipse lib. IX. cap. 36.

§. V.

Sed sicco pede prætereunda mihi non videntur verba *Lucæ* σεβομένη τὸν Θεόν, quæ verba contradistincte ad Lydiæ conterraneos omnium Asiæ incolarum superstitiosissimos mihi intelligenda videntur. Thyatirenses tales fuisse satis evincunt veterum testimonia; & id maxime probat hæc, quam attulimus, inscriptio, quæ bonæ fortunæ & Dei Tyrimni præ se nomen fert. Quæ Dea fortuna fuerit, nolo describere; nota est ea, sæpiusque apud

apud Antiquarios, & Mythologos passim occurrit; sed quid Deus Tyrimnus, a nemine, quod sciam, hactenus enodatum. Is originem non Latinis, non Græcis, sed Judæum debere videtur. Tyrimnus vero nihil aliud est quam מיר עם sive עם מיר *cum arce ipsa* h. e. Deus sive præses arcis, vel propugnator arcis, & nulla latet difficultas ad vocem ex Hebraismo ad Græcismum transferendam; oportet enim sola accedat ex Græcis usitata paragoge adjectione syllabæ finalis os, sicque integer prostabit τύρημνος. Tales Deos tutelares arcium in finibus præsertim regnorum multos habebant; Tale numen fuit Deus *Peninus* ex Hebræo פן dictus, nec non Deus *Falacris*, de quo *Turnebus* Advers. lib. VI. cap. 5. Fuitque nil aliud, quam Deus tutelaris promontorii satis famosi Siciliani, quod in *Turnebo* observandum. Tale Numen tutelare arcis apud Thyatirenses fuit Deus Tyrimnus ab ingressu portarum ad arcem; hinc puto eum eundem esse, qui fuit Ἑρμῆς στροφεὺς, vel προπυλαῖος. Quam vero sententiam ut satis incertam eximinare nolo.

§. VI.

De reliquis vero Thyatirorum σεβάσμασι, (5) erudite differit *Holstenius* in notis ad *Stephanum Byzantinum* pag. 139. De Thyatirorum urbe multa reperi in nummis, & primo quidem apud *Golzium* in *Neronis* nummo ΘΥΑΤΕΙΡΩΝ. *Tristanus* quoque Commodi affert nummum Tom. I. pag. 741. in quo sub Vulcano arma fabricante adstante Pallade ΘΥΑΤΕΙRΗΝΩΝ. Deinde in Gazophylacio Serenissimi Magni Ducis, in quo circum figuram recubantem, quæ arborem dextra tenet, & ante pedes habet bovem ΕΠΙ ΣΤΥ ΜΑΡΚΟΥ ΑΥΡΗ ΒΑΡΒΡ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. In aversa parte ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. Apud *Franciscum Gothifredum* vidi nummum, in cujus una parte circa Romam sedentem cum victoriola, in altera caput muliebre ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ in alio apud eundem *Gothifredum* circum caput Jovis Capitolini ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ in ejusdem averso latere circum caput serpentis spiris involutum ΕΠΙ ΜΟΣΧΙΑΝου ΘΥΑΤ. Ex his jure manifestum fiet nomen Lydiæ proprium fuisse, cum facilius in nomine proprio, quam gentilitio apud Philippenses innotescere potuerit. Sicque etiam explanatum erit, quæ Lydia fuerit, quare epitheton de mercatura purpuræ adjectum sit, & cur tandem mulier hæc præ aliis contradistincte σεβομένη τὸν Θεὸν apud Scriptorem sacrum laudata fuerit. Hæc vero dicta ad hunc locum sufficiant, cum reliqua omnia a Viris Clarissimis occupata sint.

N O T Æ.

(1) Vide hujus Bibliothecæ Cl. II. fasc. III. p. 409. seqq. Sed cum his conferri omnino merentur, quæ a fratre meo Jacobo τῷ μακαρίτῃ ad eandem hanc illustrandam materiam notata sunt Cl. III. fasc. III. sect. 4. 5. seqq. quæ doctissimi autoris sententiam confirmant egregie T. D. H.

(2) Quanquam de hoc ipso dubitari potest; neque enim evictum prorsus est Lydiæ urbem fuisse Thyatiram. Tametsi a nonnullis *Ptolomæo*, *Stephano*, *& in notitia Episcopatuum* in Lydia collocatur; quod fortassis factum inde, quia Pergamenorum, qui a *Xenophonte*, *& Aristotele* Lydis aggregantur, jurisdictioni fuere subjecti; *Plinius* tamen *lib.* V. *cap.* 30. eam inter Joniæ urbes numerat, & *Strabo lib.* XIII. *pag.* 625. hanc urbem appellat Μυσῶν ἐσχάτην.

(3) G. *Whelerus* in itinerario suo loco τοῦ προπατόρος legendum vult τοῦ προπόλεως τοῦ τυρίμνου id est Tyrimni, qui in ingressu portæ colebatur, ut & aliam adducit ἐπιγραφὴν, in qua diserte ita legitur. T. D. H.

(4) At vide quæ in hanc rem c. l. adduxit *Jacobus Hasæus* frater meus.

(5) Inter alia Dianæ, uti per omnem Asiam, ita & apud Thyatirenos frequens cultus. Patet hoc ex inscriptionibus, quas in hoc loco se reperisse testatur *Thomas Smithius* in septem Eccles. Asiæ notitia pag. 126. ΑΡΤΕΜΙΔΙ . . . ΟΡΕΙΤ. ut & alia quæ in G. Wheleri itinerario legitur p. 218. in qua memorant τὴν Οὐλπίαν Μαρκέλλαν τὴν ἱερὰν τῆς Ἀρτέμιδος, ἐπιτελέσασαν τὰ τῆς Θεοῦ μυστήρια καὶ τὰς θυσίας λαμπρῶς καὶ πολυδαπάνως. Id pariter ex eorum nummis constat, in quorum uno apud *Patinum* in Imp. Rom. æn. Num. p. 334. cernitur Diana venatrix, & in alio apud *Harduinum* in Num. ant. urb. p. 70. Et *Holstenium* Thes. Mediceo Dianæ caput cum epigraphe ΔΟΡΕΙΣΗΝΗ, vel ΒΟΡΕΙΣΗΝΗ. Apud eundem *Harduinum* Apollinem, Minervam, Vulcanum in horum numismatibus passim offendes: Æsculapii quondam templo famosam fuisse Thyatiram, testatur D. *Hieronymus* T. D. H.

JOH.



JOH. CHRISTIANI BIEL

ANIMADVERSIONES

AD

JOH. GEORGII ALTMANNI

DE

LYDIA THYATIRENSI.

INTRODUCTIO.

I. *Primum argumentum* Altmanni, *quo evincere studet, nomen Lydiæ esse proprium, examinatur.*

II. *An Thyatira Lydiæ urbs? Lydia Joniam aliquando com-*

complexa. Plinius *notatur*. *Lydi ſcortatione infames*. *Locus* Apoc. II. 20. 21. *illuſtratur*.

III. *Secundum argumentum*. *Nomina quædam gentilia ſervorum & ancillarum quondam fuerunt propria*.

IV. V. *An ſit error, quod purpuræ tingendæ ars Lydis in genere adſcribatur, & locus Lucæ de purpuraria Thyatirena inde illuſtretur*.

VI. *An* Salmaſius *&* Plinius *de purpura Lydia jam egerint?*

VII. *An Thyatireni omnium Aſiæ Incolarum ſuperſtitioſiſſimi? Pergamus ſuperſtitioni & idololatriæ valde dedita*.

VIII. *Quinam* σεϐόμενοι τὸν Θεόν. *Dicti illi alias* σεϐόμενοι *elliptice, &* φοϐούμενοι τὸν Θεὸν *ex Hebraiſmo*. *Loca* Act. X. XIII. 15. *explicantur*. *Cur ſpeciatim Lydia* σεϐομένη τὸν Θεὸν *dicatur?*

I. Admodum probabilis mihi aliquando videbatur Virorum eruditiſſimorum *Camerarii* & *Grotii* ſententia, quod nomen Lydia, quo purpuraria Thyatirena apud Philippenſes innotuit, teſte *Luca Act.* XVI. 14. non proprium ſed gentile ejus fuerit, & ipſa a ſolo natali ſit appellata. Vid. *Bibl. Hiſt. Phil. Theol. Cl.* II. *p.* 411. Sed cum locum poſtea paulo penitius interſpiciens obſervarem, quod ſacer Hiſtoricus non ſcripſerit, Καί τις γυνὴ ὀνόματι ἡ Λυδία, (quod procul dubio ſcripſiſſet, ſi nomen Lydia gentilitium purpurariæ fuiſſe, indicare voluiſſet.) Sed ſine articulo, Καί τις γυνὴ ὀνόματι Λυδία, ingenue fateor, me de ſententia Virorum doctiſſimorum dubitare, & illis aſſentiri cœpiſſe, qui nomen Lydia proprium purpurariæ fuiſſe, exiſtimant. Minime enim eorum caſtra ſequor, qui errorem, cui ſemel calculum adjecerunt, defendere, quam veritatem profiteri malunt. Atque hinc etiam, licet unum vel alterum monere potuiſſem circa argumenta, quibus clariſſimum ſeculi noſtri lumen, præmatura non ita pridem morte cum ſummo literati orbis dolore extinctum, *Jacobus Haſæus* in eruditiſſima Diſſertatione de Inquinatis Sardienſium veſtimentis probare annititur, quod nomen Lydia non gentilitium, ſed proprium purpurariæ extiterit, (*vid. Bibl. laudat. Cl.* III. *p.* 277.) tamen, cum in re ipſa cum illo conſpiraverim, in illis acquievi. Et nonniſi ſilentio quoque exciperem illa, quæ nuperrime Vir doctus, *Joh. Georgius Altmannus* in Obſervationibus de Lydia Thyatirenſi, ejuſdem Biblioth. *Cl.* V. *p.* 670. *ſeqq.* inſertis, eam in rem mihi oppoſuit. Sed cum ille non ſolum perperam me ſuppoſuiſſe putet, Lydiæ nomen eſſe gentis, ſed præterea etiam errorem nuncupet, quod purpuræ tingendæ artem Lydis in genere adſcripſerim, imo & alia adſerat, quæ veritati minus congrua mihi viſa ſunt, illam, apud imperitos maxime, detrimenti aliquid accepturam eſſe, arbitratus ſum, ſi tacite illa omnia præterirem. Itaque veniam mihi dabit Cl. *Altmannus*, quod in obſervationes ipſius Animadverſiones quaſdam ſcribam.

II. Antequam vero ad illa progrediar, quæ præcipue me moverunt, ut Cl. *Altmanno*

manno respónderem, quædam notanda video in duobus argumentis ejus, quibus evincere conatur, quod nomen Lydia, quo purpuraria apud Philippenses nuncupata est, sit proprium. Primum p. 671. his verbis continetur: Non video, quare Scriptor sacer, si Lydiæ nomen appellativum, non proprium esse voluisset, Thyatiram patriam ejus nominasset, dum enim ex Thyatira oriunda dicitur, jam Lydia, h. e. ex Lydia oriunda dicitur: Hic autem primo quidem urgere nolo, quæ Cl. *Theodorus Hasæus* ad hoc argumentum notavit; scilicet dubitari adhuc de eo posse, quod dum purpuraria ex Thyatira dicatur oriunda, jam Lydia, h. e. ex Lydia oriunda dicatur, cum nondum evictum prorsus sit, Lydiæ urbem fuisse Thyatiram. Licet enim *Plinius* lib. V. cap. 29. Thyatiram inter Joniæ urbes numeret, notum tamen, quod Lydia latiore sensu ipsam quoque Joniam aliquando complexa sit. Vid. *Cel. Vitringæ* Comment. in Apoc. I. 3. *p.* 12. ad *Leucop. in not.* Deinde *Plinius*, Thyatiram in Jonia ad Lycum fluvium collocans, falli videtur. Nam *Strabo* lib. XII. *p.* 430. situm ejus curatius describens, illam inter Apolloniam Mysiæ, & Sardes, Lydiæ urbem, sese obtulisse refert. Audiamus verba ejus: Προϊόντι δ' ἀπὸ τοῦ πεδίου καὶ τῆς πόλεως ἐπὶ μὲν τὰ πρὸς ἕω μέρη, πόλις ἐστὶν Ἀπολλωνία, μετεώροις ἐπικειμένη τόποις· ἐπὶ δὲ τὸν νότον ὀρεινὴ ῥάχις ἐστὶν, ἣν ὑπερβᾶσι, καὶ βαδίζουσιν ἐπὶ Σιδαρέων, πόλις ἐστὶν ἐν ἀριστερᾷ Θυάτειρα, κατοικία Μακεδόνων, ἣν Μυσῶν ἐσχάτην τινὲς φασὶν. *A Pergamo & planitie progressus versus orientem solem Apolloniam invenies, sublimibus insitam locis. Versus Austrum montosum est dorsum, quo superato, in itinere versus Sardes urbs est Thyatira, Macedonum colonia, quam ultimam Mysorum esse sunt qui dicunt.* Hic ergo urbis situs, prout a *Strabone* describitur, cum *Plinio*, longe inferius illam in Jonia ad Lycum collocante, nulla ratione conciliari potest. Et certe *Strabonem* hic majorem fidem mereri, quam *Plinium*, ex quo probabile, quod nonnulli illam Mysorum ultimam esse dixerunt. Ita autem procul dubio dixerunt, quod in finibus Mysiæ fuerit sita. At Mysia Lydiæ, stricte sic dictæ, non autem Joniæ fuit contermina. Ut adeo ex eo, quod *Strabo* referat, Thyatiram nonnullis Mysorum ultimam dixisse pateat, quod potius ad Lydiam, quam ad Joniam referenda sit. Accedit, quod *Plinio* etiam contradicant *Ptolemæus*, *Stephanus*, & Autor veteris notitiæ Episcopatuum, quippe qui omnes Thyatiram Lydiæ adscribunt, & cum aliis Lydiæ urbibus conjungunt. Huc forte etiam referas, quod ob scortationem, qua generatim Lydi infames erant, Thyatireni etiam præcipue male audiisse videantur. Eo enim, ni fallor, alluditur *Apoc.* II. 21. ubi ad *Angelum* Ecclesiæ Thyatirenæ hæc verba leguntur: *Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetissam, docere & seducere servos meos, ut* Scortentur, *& edant ex iis, quæ simulacris immolantur. Et dedi illi tempus, ut resipisceret a* Scortatione *sua, nec resipuit.* Quod vero Lydi, ut omni luxu, ita etiam scortatione infames fuerint, autores testantur. *Athenæus* l. XII. p. 515. Κλέαρχος δ' ἐν τετάρτῃ περὶ βίων. Λυδοὶ, φησὶ, διὰ τρυφὴν παραδείσους κατασκευασάμενοι, καὶ κηπαίους αὐτοὺς ποιήσαντες ἐσκιατροφοῦντο, τρυφερώτερον ἡγησάμενοι τὸ μὴ αὐτοῖς ὅλως ἐπιπίπτειν τὰς τοῦ ἡλίου αὐγάς καὶ τέλος πόῤῥω προαγαγόντες ὕβρεως τὰς τῶν ἄλλων γυναῖκας καὶ παρθένους εἰς τὸν τόπον, τὸν διὰ τὴν πρᾶξιν Ἁγνεῶνα κληθέντα, συνάγοντες ὕβριζον. Καὶ τέλος τὰς ψυχὰς ἀποθηλυνθέντες ἠλλάξαντο τὸν τῶν γυναικῶν βίον. *Clearchus libro quarto Vitarum: Lydi, ait, vitæ mollitia soluti extruebant pomaria, & in hortos secedentes umbras sectabantur, delicatius existimantes, si omnino radiis solis non ferirentur. Tandemque sic voluptati succumbebant, ut aliorum uxores & virgines, in locum certum conductas, quem ob id* Αγνεῶνα *vocabant stuprarent, & ad extremum animis prorsus effœminatis, muliebrem vitam amplexarentur.* Herodotus *l.* I. *cap.* 93. Τοῦ γὰρ δὴ Λυδῶν δήμου αἱ θυγατέρες πορνεύονται πᾶσαι, συλλέγουσαι σφίσι φερνὰς, ἐς ὃ ἂν συνοικήσουσι, τοῦτο ποιέουσαι. *Filiæ enim populi Lydorum meretricantur omnes, colligentes hoc quæstu tantisper dotem, donec nupserint. Eustathius ad Dionys. Verieg. vers.* 846. Αἱ δὲ Λυδαὶ πορνεύεσθαι, πᾶσαι λέγονται, καὶ δῶρα πλείω διδόναι, ἢ λαμβάνειν. *Lydorum autem fœminæ omnes scortari dicuntur, & plura dona dare, quam accipere.* Conf. & *Suid.* in Λυδὸς ἐν μεσημβρίᾳ παίζει, & *Casaub.* Animadvers. in Athen. *lib.* XII. *cap.* 3. & *lib.* XV. *cap.* 12. Illumque luxum & impudicitiam Lydorum mandato cuidam Cyri præcipue originem suam debere, intelligimus ex *Herodoto* lib. I. cap. 155. 157. Et sane *Apocalyps.* l. c. ad scortationem Thyatirenorum alludi, eo magis verisimile videbitur illis, qui meminerint, quod alias etiam in Epistolis Apocalypticis ad mores ritusque civitatum, ad quas missæ sunt, alludi Eruditis observatum sit. Vid. *Alex. Mori* not. ad *Apocalyps.* II. 7. *pag.* 215. seq. & *Jacob. Hasæi* Dissertat. laudat. *pag.* 272. Itaque *Altmanno*

no facile concessero, quod Thyatira urbs Lydorum fuerit. Hoc vero non possum non observare, quod ex argumento ejus nihil amplius colligi possit, quam quod Lucas, dum purpurariam Thyatirenam nomen Lydiæ habuisse memorat, eo ipso illam ex Lydia oriundam fuisse, indigitare noluerit: atque adeo argumentum illud sententiam, quam adoptaveram, minime feriat. Non enim scripsit, quod Lucas narrans, purpurariam apud Philippenses fuisse, ὀνόματι Λυδία, *nomine Lydia*, eo ipso illam a solo natali describere, & ex Lydia oriundam fuisse, innuere voluerit; sed hoc saltem adservi, quod nomen, quod Lucas illam habuisse scribit, non proprium sed gentile ejus nomen fuerit, & ipsa apud Philippenses a solo natali eo sit appellata. Si vero ex eo, quod scriptor sacer purpurariam Thyatira oriundam referat, atque eo ipso jam Lydiam, h. e. ex Lydia oriundam innuat, *Altmannus* aliquid amplius colligere, & probare velit, quod nomen Lydiæ, quod idem sacer Historicus illi tribuit, non gentilitium sed proprium esse possit, viderit, an non argumentatio ipsius eodem modo sese habeat, ac si aliquis de Bugenhagio, qui a gente *Pomeranus* subinde dictus est, scriptum reperiret: *Et erat Brunsvigæ Theologus insignis, nomine Pomeranus, Wollino oriundus*; & ex eo, quod Wollino dicatur oriundus, colligere vellet, quod ibi nomen Pomeranus non gentilitium, sed proprium esse possit.

III. Alterum argumentum *Altmannus pag. 672.* desumit ex eo, quod alias passim nomen Lydiæ tanquam proprium occurrat. Sed si aliud non adesset indicium, quod Lydiæ nomen proprium magis, quam gentile purpurariæ fuerit, illud certe solum haud facile me moveret, ut *Grotii* & *Camerarii* partes desererem. Non enim sequitur: nomen Lydiæ proprium fuit nonnullarum mulierum, ergo etiam apud Lucam, ubi purpurariæ Thyatirenæ tribuitur, pro tali habendum est. Sic Θρᾷττα olim fuit proprium ancillarum nomen, & *Thrax*, *Saces*, *Geta*, *Syrus*, *Lacon*, *Carion* &c. Servi subinde veteribus appellati sunt, ut præter eruditissimum *Relandum* Diss. Misc. P. II. pag. 194. observant Autores liberali manu citati celeberrimo J. C. *Wolfio* not. ad Pseudo-Orig. Philosoph. pag. 19. sic hodie etiam nonnulli dicuntur *Bremer*, *Hamburger*, nemo tamen inde inferet, quod cum alias nomina illa occurrunt, semper pro propriis accipienda sint.

IV. Sed hæc missa faciamus, & videamus, an *Altmannus pag. 673.* felicius errorem appellaverit, quod purpuræ fingendæ artem Lydis in genere adscripserim. Qui vero hoc errorem potest appellare, quod luculentis veterum testimoniis evictum est? Nonne enim ostendi, quod non solum tinctura Lydorum Sardianica fuerit celebris, sed etiam fœminæ Lydorum in genere ebur purpureo colore eleganter tinxisse memorentur? Nonne etiam ex *Scholiaste Homeri* probavit Eruditissimus *Jac. Hasæus Diss. cit. pag.* 280. quod in regionibus Lydiæ & Cariæ optimæ olim fuerint tingendi officinæ? Nonne idem multa alia adduxit, quæ sententiam meam, judice Celeberrimo Fratres ejus, *Theod. Hasæo*, in nota, Altmanni Observ. pag. *671.* subjuncta, egregie confirmant? Imo nonne ipse Altmannus pag. *676. purpuræ apud Lydos usum & officinas extra Thyatiram passim extantes* aperte profitetur?

V. Sed postea errorem meum, quem sibi finxit Vir doctus, eo restringere videtur, quod ad locum Lucæ explicandum de purpuræ fingendæ arte apud Lydos in genere disseruerim. En ipsa ejus verba: *Cum vero Cl. Bielius supposuisset, Lydiæ nomen esse gentis, ut nunc contrarium probatum est, ei exinde alius error, quod pace Viri docti dixerim, natus est purpuræ scil. tingendæ* (sic enim scripsisse videtur pro fingendæ) *ars Lydi in genere adscripta; cum melius & commodius, ne dicam ad Lucæ locum explicandum aptius Thyatiræ urbis incolis in hoc loco tantum tribui potuisset*. Cum *Sponium* (a) secutus ex inscriptione quadam collegisset, apud Thyatirenos purpuræ tingendæ artem floruisse, pag. *676.* hæc addit: *Videmus ergo, quod non opus sit, de purpuræ apud Lydos usu & officinis extra Thyatiram passim exstantibus excurrere*. Sed primo, si hæc ejus mens fuit, in verbis prioribus paulo clarius illam exprimere, & quod artem tingendæ purpuræ Lydis in genere adscripserim, minime errorem appellare debuisset. Deinde, nec in hoc me errasse puto, quod ad locum Lucæ illustrandum de purpura Lydia in genere disseruerim. Nam omnes æquos rerum judices appello, annon verbis sacri Historici, Lydiam *purpurariam*

(*a*) Huic enim observationem suam debet. Nam *Sponius* in Miscellan. Erud. Antiqu. ad vocem Βαφεῖς in monumento Thyatireno pag. 113. ita notat: Tinctores, *qui Thyatiram inhabitabant, hoc sculpi marmor curaverant. In ea forte urbe purpuræ tingebantur quarum commercium tractabat* Lydia *illa Thyatirena Philippis a Divo Paulo ad Christi fidem conversa Act. Apost. cap.* 16.

riam e Thyatiris *Lydiæ* urbe, oriundam memorantis, lucis inde aliquid accesserit. Et ex ipso quærere liceat Altmanno, annon inde in sententia sua, qua in inscriptione Thyatirena, unde locum Lucæ illustrat, per βαφεῖς (perperam proculdubio typographus excudit βαφεῖς) cum *Sponio purpurarios* intelligit, multum sit confirmatus. Et quis unquam multis aliis Interpretibus vitio vertit, si specialiora generalioribus declararunt, præsertim, si illa aliter satis declarari non potuerint?

VI. At pergit Altmannus notare Dissertatiunculam meam & lectoribus persuadere cupit, supervacaneam plane operam meam in ea fuisse, cum alii jam illa, quæ de purpura Lydia in medium ibi attuli, pertractaverint. Nam verbis modo adductis: *Videmus ergo* &c. statim subjungit: *Imo hæc omnia a modernis Philosophis jam sunt occupata, amplus enim illa de re, & ut solet, eruditus Cl. Salmasius est in Exercit. Plin. pag. m.* 193. 806. 817. *&c. imo Plinius ipse lib.* IX. *cap.* 36. Sed aliter de qualicunque opera judicavit aliquoties laudatus *Jac. Hasæus* Diss. cit. pag. 275. ad cujus verba Altmannus se ablegari patiatur. Et certe *Salmasius* passim quidem multa profert de purpura sedes purpura Lydia, frustra apud illum quæritur. *Plinius* etiam de purpura & murice in genere quidem disserit, sed ne γρῦ quidem de Lydorum purpura habet.

VII. Cum ita, ni fallor, satisfecerim monitis Viri docti in Dissertationem meam, liceat mihi quoque mentem meam de explicatione ejus, quam de verbis Lucæ, quibus purpuraria σεβομένη τὸν θεὸν appellatur pag. 676. addidit, exponere. Scilicet existimat, verba illa *contradistincta ad Lydiæ conterraneos, omnium Asiæ incolarum superstitiosissimos, intelligenda esse*. Sed hic primo quidem non video, cur conterraneos Lydiæ *omnium Asiæ incolarum superstitiosissimos* appellat. Certe multi alii Asiæ urbium incolæ & totidem Deos Deasque, & eadam superstitione coluerunt, quot Thyatirenis culti sunt. Imo *Andreas Cæsariensis* & *Arethas*, *Grotio* & *Hammondo* ad Apoc. II. 13. citati, affirmant, Pergamum fuisse κατείδωλον ὑπὲρ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν, *idolorum cultui superstitiose deditam* (ut quidem *Grotius* & *Hammondus* vocem κατείδωλον exponunt, vel ut reddere malim cum *Is. Casaubono* & *Gotifr. Oleario* Diss. de Gest. Pauli in urbe Ath. pag. 6. *idolis quasi consitam & refertam*) *supra omnes Asiæ urbes*. Et præter Æsculapium Pergamenos Minervæ etiam, Romæ, Jovi, Telesphoro, Coronidi, Hygiæ, Veneri, Cabiris, imo postea quoque Imperatoribus Romanis, Augusto, Trajano, Tiberio cultum exhibuisse, præclare ostendit Er *Theod. Hasæus* Diss. *de Throno Satanæ apud Pergam* quæ Bibliothecæ hujus Class. III. exornat, pag. 105. seq. Inscriptio vero Thyatirenorum, (*a*) quæ *Bonæ Fortunæ*, & *Dei Tyrimni* præ se nomen fert, quamque adsertum suum de Thyatirenis, omnium Asiæ incolarum superstitiosissimis, maxime probare scribit *Altmannus*, id quidem minime probat.

VIII. Deinde σεβόμενοι τὸν θεὸν dicebantur illi, qui ex gentibus circumcisionem quidem & alios Judæorum ritus non receperant, tamen abjurata idololatria *verum* cum illis *Deum colebant*, & reliqua Noachidarum præcepta observabant, propterea etiam in Synagogis locum, quamvis a Judæis distinctum, habebant. Judæorum Magistri illos appellant גרי שער *proselytos portæ*, vel גרי תושבים *proselytos inquilinos*, quod eodem modo sese habebant, quo peregrini gentiles, qui tanquam inquilini in terra Israelis vivebant. Nam omnes gentiles, qui in portis Israelis habitabant sive servi essent bello capti, sive aliunde acquisiti, falsis Diis suis renunciare, & verum Israelis Deum colere debebant, sed legem Mosis ultra Noachidarum præcepta observare, non obligati erant. Ab his igitur postea omnes alii gentiles, ubicunque viverent, si ad cultum veri Israelis Dei accesserant, *Proselyti portæ*, vel *Proselyti inquilini* Judæis dicti sunt. Eorumque tempore Apostolorum in omnibus civitatibus & locis gentilium, ubi Judæi Synagogas habebant, magnus erat numerus; quemadmodum & Synagogis eorum, ut legis & Prophetarum lectionem & explicationem audirent, frequenter intererant. Talis Corinthi erat Justus, de quo Act. XVIII. 7. *Et transiens inde* (Paulus) *veniebat in domum cujusdam nomine Justi*, σεβομένου τὸν θεὸν, *colentis Deum, cujus domus contigua erat Synagogæ*. Tales etiam alias subinde nomine σεβομένων, κατ' ἔλλειψιν pro σεβομένων τὸν θεὸν Novi Fœderis scriptoribus appellantur. Ita Act. XIII. 43. *Soluta autem Synagoga* multi Judæorum, καὶ τῶν σεβομένων προσηλύτων, *& proselytorum* (Deum) *colentium Paulum ac Barnabam sequebatur*. Et vers. 50. *Judæi vero extimulabant* τὰς σεβομένας γυναῖκας; *mulieres* (Deum) *colen-*

(*a*) Non legitur in illa ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ &c. ut *Altmannus* pag. 673. scripsit, sed ΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ.

lentes. Act. XVII. 4. *Et quidam ex eis* (Judæis Theſſalonicenſibus) *credebant*, *&* *in partes tranſibant Pauli & Silæ*, τῶντε σεβομένων ἑλλήνων πολὺ πλῆθος, *& Græcorum* (Deum) *colentium magna multitudo*. Et verſ. 17. *Diſputabat igitur* (Paulus) *in Synagoga cum Judæis*, κὴ τοῖς σεβομένοις, & *illis*, *qui* (Deum) *colebant*. Imo tales etiam φοβѫμενοι τὸν θεὸν, & quidem ex Hebraiſmo, quod aliis obſervatum non memini, dici ſolent. Nam verbum ירא, quod Hebræis proprie notat *timere*, aliquando ponitur *colere*, & propterea etiam Alexandrinis Interpretibus per verbum σέβεσθαι, *colere*, reddi ſolet. Ita Joſ. XXII. 25. *Et avertent liberi veſtri liberos noſtros* לבלתי ירא את יהוה ἵνα μὴ σέβωνται κύριον, *a cultu Domini*. Johan. I. 9. *Servus Domini ego ſum*, *Dominum Deum cœli*, *ego* ירא σέβομαι, *colo*, *qui fecit mare & terram*. Sic & σέβεσθαι pro יראה, quod proprie *timorem* ſignificat, apud Alexandrinos legitur Jeſ. XIX. 13. atque inde repetitur Matth. XV. 9. ubi ita: Μάτην δὲ σέβονταί με, *Fruſtra me colunt*, *docentes præcepta & doctrinas hominum*, Eo igitur ſenſu etiam Cornelius, centurio Cæſarienſis; quem proſelytum fuiſſe gentilium, extra dubium eſt, dicitur φοβѫμενος τὸν θεὸν *colens Deum*, Act. X. 2. Pariter, cum Paulus Act. XIII. 16. Antiochiæ in Piſidia multitudinem in Synagoga compellaſſe dicitur: *Viri Iſraelitæ*, κὴ οἱ φοβѫμενοι τὸν θεὸν, & verſ. 26. *Viri fratres*, *filii generis Abrahæ*, κὴ οἱ ἐν ὑμῖν φοβѫμενοι τὸν θεὸν, hos eoſdem eſſe, qui σεβόμενοι τὸν θεὸν, *colentes Deum*, ſive Proſelytos gentiles, qui abjurata idololatria verum Deum colebant, patet ex verſ. 43. ubi iidem τῶν σεβομένων προσηλύτων, *proſelytorum* (Deum) *colentium* nomine diſerte appellantur. Ex his igitur luculenter apparere exiſtimo, quod & Lydia σεβομένη τὸν θεὸν, *colens Deum*, non tam contradiſtincta ad conterraneos ſuos, & quaſi illi præ ceteris Aſiæ incolis idola ſuperſtitioſe coluerint, ſed potius contradiſtincte ad omnes illos, qui non *Deum*, unum illum atque verum Deum, ſed *Deos* colebant, ſive quod inter Proſelytos nomen dederit, & rejectis omnibus gentilium idolis verum Iſraelis Deum coluerit, dicatur. Plura vero, qui de σεβομένοις τὸν θεὸν, ſcire cupit, adeat *Joſephum Medum* Diatr. in Var. Script. Loca lib. I. Diatr. 3. *Petrum Jurieum* Hiſt. Dogm. & Rit. Eccleſ. part. I. c. 6. 7. & Celeberrimum Lipſienſium Præſulem *Sam. Deylingium* Obſerv. Sacr. part. II. pag. 352. ſeqq.



JOH. CHRITIANI BIEL
DISSERTATIO
DE
PURPURA LYDIA

Ad illustrandum locum *Act.* XVI. 14.

ARGUMENTUM.

I. Camerarii & Grotii *sententia, quod nomen purpurariæ Thyatirensis*, Lydia, *fuerit nomen gentilitium, approbatur, quia Thyatira Lydiæ urbs, & purpuræ tingendæ artificium a Lydis eorumque fœminis non fuit alienum. Posteriorem rationem hic declaratum iri.* II. *Declaratur vestibus puniceis Sardianicis* Dalechampius *notatur.* φοίνικες, indumenta punicea. III. *Vestes puniceas, & fortasse tapetes etiam ejusdem coloris, Sardibus confectos esse, ulterius ostenditur, Virorum doctorum emendationes quædam* Hesychii & Aristophanis *firmatæ; quorum posterior etiam illustratus.* Scholiastes *ejusdem notatus.* Ortelii *correctio loci* Varronis *apud* Nonium Marcellum *stabilita.* IV. V. Casauboni & Nurræ *sententia de tinctura Sardiniaca rejicitur.* VI. *Argumenta* Palmeri *pro tinctura Sardiniaca a* Nurræ *exceptionibus vindicantur. Sardinia Græcis parum nota. Tyrrhenos Lydorum esse coloniam, in dubium vocatur.* VII. *Rationes* Nurræ *pro tinctura Sardiniaca examinantur, & confutantur. Leges* Codicis Theodosiani *de Murilegulis ad Hydruntinos commode referri posse, ostenditur.* VIII. *Argumentum* Nurræ *contra purpuram Lydiam exigui momenti esse monstratur. Lydia a mari non longe dissita, imo fines ejus ad mare aliquando pertingentes. Non ex conchis tantum, sed & floribus ac herbis purpureus color paratus. Inde & Lydorum purpura.* IX. *Ebur etiam olim in Lydia purpura tinctum, & a fœminis quidem, quæ alias & texendi arte clarissimæ.* X. *Conclusio de purpuræ tingendæ artificio* Lucæ *adhuc tempore in Lydia vigente, & nomine* Lydiæ *ratione.*

Actor. XVI. 14.

Καὶ τις γυνη, ὀνόματι Λυδία, πορφυρόπολις, πόλεως Θυατείρων, σεβομένη τὸν Θεὸν, ἤκουεν.

Et mulier quædam, nomine Lydia, purpuræ venditrix, ex urbe Thyatirorum, colen Deum, audiebat.

I. ADmodum probabilis mihi visa est Virorum eruditissimorum, *Joachimi Camerarii*, & *Hugonis Grotii* sententia, quod nomen *Lydia*, quo purpuraria illa apud Philippenses nuncupata est, non proprium sed gentile fuerit, & ipsa a solo natali eo sit appellata. Namque non solum urbs Thyatira, ex qua *Lucas* illam oriundam indicat, *Stephano Byzantio*, quod *Grotius* observat, Lydiæ adscribitur, &, quod addo, *Ptolomæo* lib. V. cap. 2. *metropolis Lydiæ* vocatur, sed etiam purpuram, quam vendebat, ejusque tingendæ artem a Lydis, eorumquæ fœminis, non alienam fuisse reperimus. Et hoc est, quod ad illustrandum huncce sacri Historici locum, ostendere jam annitar. Eoque non ingratum me elegantiorum literarum studiosis facturum, spero, quod non modo Interpretes ad h. l. quos mihi quidem evolvere licuit, nihil plane eam in rem observaverint, sed præterea magnus *Bochartus*, aliique, qui de purpura ejusque varietate scripserunt, laudati *Zimmermanno* Florileg. Philol. Hist. pag. 657. Lydorum purpuram sicco, quod ajunt, pede præterierint.

II. Lydos itaque purpuræ tingendæ artem exercuisse, patet ex vestimentis puniceis Sardianicis, a Sardibus, Lydiæ urbe, dictis, & monumentis veterum haud parum celebratis. Sic enim *Plato*, Comicus vetustus apud *Athenæum* lib. II. pag. 24.

Κἆτ' ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι, καὶ στρώμασι πορφυροβάπτοις,
Κἀν ΦΟΙΝΙΚΙΣΙ ΣΑΡΔΙΑΝΙΚΑΙΣΙ κοσμησάμενοι κατάκεινται.

Et deinceps in lectis eburneis fultis pedibus, & stragulis purpura tinctis,
Et INDUMENTIS COCCINEIS SARDIANICIS ornati discumbunt.

Dalechampius verba Φοινικίσι Σαρδιανικαῖσι, vertit, ostro *Sardiano*, sed cum *ostrum* proprie dicatur de purpura ex concha marina parata, tinctura autem Sardianica proprie sic dicta purpura non fuisse videatur, ut infra §. 8. clarius patebit, vertere malui, *indumentis puniceis Sardianicis*; quo sensu & alias φοινικίδες apud scriptores Græcos veniunt. *Xenophon* de Rep. Lac. pag. 668. Εἰς γέ μὴν τὸν ἐν τοῖς ὅπλοις ἀγῶνα τοιάδ' ἐμηχανήσατο, στολὴν μὲν ἔχειν ΦΟΙΝΙΚΙΔΑ, καὶ χαλκῆν ἀσπίδα. *In armorum autem certamen talia quædam* (Lycurgus) *molitus est. Voluit enim*, Stolam Puniceam *haberent*, *& clypeum æneum*. *Plutarchus* de Rep. Lac. pag. 238. de iisdem Lacedæmoniis: Ἐν τοῖς πολέμοις ΦΟΙΝΙΚΙΣΙΝ ἐχρῶντο. *PUNICEIS INDUMENTIS in bellis utebantur*. Vide & *Ælianum* vI. 6. Var. Hist. & locum *Aristophanis* paulo post adductum. Quod vero apud Xenophontem, Plutarchum, Ælianum, Aristophanem φοινικίδες recte exponantur, *indumenta punicea*, firmat *Valerius Maximus*, eadem *puniceas tunicas lib.* II. *cap.* appellans. *Ad dissimulandum*, inquit, *& occultandum vulnerum suorum cruorem*, Puniceis *in prælio* Tunicis (Lacedæmonii) *utebantur*. Similiter tunica illa russa, quam Romani in prætorii fastigio extendebant in hasta, [ut miles eo signo ad prælium se pararet, *Plutarcho* in Philop. aliisque φοινικὶς dicta, eidem *Plutarcho* in Bruto φοινικοῦς χιτών, *punicea tunica*, & in Fabio, χιτὼν κόκκινος, *tunica coccinea* (quæ eadem cum *punicea*) redditur. Loca ejus, quamvis alio scopo adducta vide apud *Lipsium* de Milit. Rom. lib. IV. cap. 14. 12. De eadem *Isidorus*: *Russata, quam Græci* Phœniceam *vocant*, *nos coccineam*. Inde ergo & in loco Platonis Comici φοινικίδας *indumenta punicea* exposuit.

III. Talia vero Sardibus confecta esse, discimus etiam ex *Aristophane* in Pace p. 378. ubi ita:

Κἆτα γίνομαι παχὺς
Νᾶλλον, ἢ θεοῖσιν ἐχθρὸν ταξίαρχον προσβλέπων
Τρεῖς λόφους ἔχοντα, καὶ ΦΟΙΝΙΚΙΔ' ὀξεῖαν πάνυ
Ἣν ἐκεῖνός φησιν εἶναι βάμμα ΣΑΡΔΙΑΝΙΚΟΝ.

Et deinde fio crassus
Magis, quam si diis inimicum ducem aspiciam
Tres galeæ cristas habentem, & Puniceum indumentum *valde acutum*,
Quod ille ait esse tincturam Sardianicam.

Scholiastes ibi: Φοινικίδα, περικεφαλαίαν φοινικῷ χρώματι βεβαμμένην· Οἱ δὲ, κόκκινα περιβλήματα. Ταῖς γὰρ φοινικίσιν ἐχρῶντο Λακεδαιμόνιοι, ἵνα μὴ αἰσθάνωνται τοῦ αἵματος διὰ τὴν ὁμοιότητα, καὶ ἵνα τρωθέντες μὴ νοηθῶσι τοῖς πολεμίοις. Φοινικίδα, *galeam puniceo colore tinctam*. *Alii vero exponunt punicea indumenta*, *Puniceis enim indumentis utebantur Lacedæmonii*, *ne sentirent sanguinem ob similitudinem*, *& ne hostes perciperent*, *si vulnerati essent*. Ad eundem locum respiciens *Hesychius*: Βάμμα Σαρδιανικὸν, τὸ φοινικοῦν. διάφορα γὰρ ἦν τὰ ἐν Σάρδεσι βάμματα. Tinctura Sardianica *punicea*. *Præstantes enim erant Sardibus tincturæ*. Ita enim scripsisse Grammaticum pro Σαρδανικὸν, ut est in *Hagenoensi* editione, vel, ut in *Schreveliana* legitur, Σαρδανιακὸν, vel etiam ut alii reponunt, Σαρδινιακὸν, nullum est dubium, cum a Sardibus tincturam illam dictam innuat: a Sardibus autem nomen κτητικὸν fit Σαρδιανικὸς. docente *Stephano Byzantino in* Σάρδις. Hinc bene etiam lectionem illam tuentur Viri eruditionis gloria illustres, *Palmerius* Exerc. ad Aut. Hræc. pag. 720. *Spanhemius* de Us. & Præst. Num. pag. 283. & *Salmasius* not. ad Hesych. Ejusdem tincturæ *Aristophanes* quoque mentionem facit Acharn. pag. 266.

Ἄγε δὴ σὺ φράσον ἐμοὶ σαφῶς πρὸς τουτονί,
Ἵνα μή σε βάψω βάμμα Σαρδιανικόν.

Age, dic mihi veritatem de illo,
Ne te tingam tinctura Sardianica.

i. e. nisi dixeris veritatem, ita te percutiam, ut cruore sanguinis penitus ruber, tinctura quasi Sardianica infectus videaris. Conf. ad h. l. Aristoph. in Acharn. pag. 275. ubi καταξαίνειν τινὰ εἰς φοινικίδα, *carminare aliquem in vestem puniceam*, eodem sensu dicitur, quo h. l. βάπτειν τινὰ βάμμα Σαρδιανικόν. Ita autem legendum esse pro βάμμα Σαρδινιακὸν, ut habent ibi Codices, probavit Doctissimus *Palmerius* loc. cit. Ita etiam legitur apud *Scholiastem* in editione, qua utor, Basileæ in offi-

officina Frobeniana Anno 1547. impreſſa; quamvis ille neſciens, quod Σαρδιανικὸν ſit nomen κτητικὸν a Sardibus, vel ſaltem non attendens, anceps hæreat, an a Sardinia inſula, an a Sardibus, Lydiæ urbe, tinctura illa denominata ſit. En verba: Βάμμα Σαρδιανικὸν, ἀν τι τῦ ἐρυθρὸν, φοινικῦν. Σαρδὼ γὰρ νῆσός ἐςι τῶν ἑπτὰ, ςαδίυς ἑξήκοντα Κύρνυ διέχυσα, ἐν ταύτῃ δὲ γίνονται πορφύραι διάφοροι καὶ ὀξύταται. ἢ ὅτι εἰς τὴν Σαρδὼ τῆς Λυδίας πυῤῥὰ βάμματα γίνεται. Κάμμα Σαρδιανικὸν, *pro tinctura rubra, punicea. Sardo enim inſula una eſt ex ſeptem, quæ ſtadiis ſexaginta diſtat a Cyrro. In hac vero naſcuntur purpuræ præſtantes, & acutiſſimæ. Vel quod Sardibus Lydiæ rubræ tincturæ fiunt*. Unde & apud *Suidam*, qui Scholiaſtem illum exſcripſit, in Βάμμα Κυζικηνὸν, legitur Βάμμα Σαρδιανικὸν, eamque lectionem amplectitur Cl. *Kuſterus* not. ad h. l. *Palmerii* autem argumentis pro eadem lectione adhuc addi poteſt non ſolum *Platonis* Comici locus de φοινικίσι Σαρδιανικαῖσι, ſupra §. 2. a me adductus, ſed etiam *Æliani* Hiſt. Anim. IV. 46. ubi pariter Σαρδιανικῶν ſc. βαμμάτων vel φοινικίδων mentionem facit. Cum enim ibi retuliſſet, quod Indi ex animalibus quibuſdam, cantharis ſimilibus, puniceas veſtes tingerent, & hujuſmodi aliquam Perſarum Regi mitterent, addit: Εὐειδὲ τῆς ἐσθῆτος δοκεῖ θαυμαςὸν καὶ ἀπεικαζομένη γε τοῖς Περσῶν ἐπιχωρίοις κρατεῖ κατὰ πολὺ, καὶ ἐκπλήττει, ὥς φησι Κτησίας ἐπεὶ καὶ τῶν ᾀδομένων τῶν ΣΑΡΔΙΑΝΙΚΩΝ ὀξυτέρα τέ ἐςι καὶ τηλαυγεςέρα. *Pulchritudo veſtis videtur mirabilis, & comparata cum patriis Perſarum veſtibus longe illis eſt præſtantior, & ſtuporem affert, autore Cteſia; ſiquidem & celebribus illis* Sardianicis *floridior eſt atque ſplendidior*. Imo addi etiam poteſt, quod *Pauſanias* lib. x. cap. 18. memorabilia Sardiniæ ex inſtituto diligentius enarrans, purpuræ Sardiniacæ nullam plane mentionem faciat, & contra *Homerus*, atque *Achilles Tatius* Lydiæ purpuræ pariter meminerint. Loca eorum. §. 9. videbimus.

IV. Ex his ergo de tinctura Lydorum Sardianica, & veſtimentis ea infectis quivis facile erit perſuaſus. Eadem & tapetes Sardiani tincti, & propterea in pretio fuiſſe videntur. De illis *Athæneus* lib. XII. pag. 253. ubi de Rege Perſarum per Melophororum aulam incedente: Καὶ διῄει διὰ τῆς τέτων αὐλῆς πεζὸς ὑποτεθειμένων ΨΙΛΟΤΑΠΙΔΩΝ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ἐφ' ὧν ὐδεὶς ἄλλος ἐπέβαινεν ἢ βασιλεύς. *Et tranſibat per horum aulam pedibus, ſubſtratis* Tapetibus *glabris* Sardianis, *in quibus præter Regem nemo incedebat*. Et *Varro* in Hercule Socratico apud *Nonium Marcellum. Cubo in* Sardianis Tapetibus, *inter chlamydes & purpurea amicula*. Sic enim pro *Sardinianis* recte legit *Ortelius* Theſ. Geogr. v. *Sardis*. Illiuſque emendatio e loco illo *Athenæi* multum firmatur. Nec *Athenæum* potius e loco *Varronis* corrigendum eſſe, ſvadet, quod quidem Perſis cum Lydis, non autem cum Sardiniæ incolis res olim fuiſſe, inveniamus. Notum enim ex *Herodoto*, Ludos a Cyro, Perſarum Rege, ſubactos, & Sardes expugnatas eſſe. Sic etiam ΔΑΠΕΔΑΣ τινὰς καὶ ςρωμνὰς πεποικιλμένας, Σιδονίας τε καὶ ΛΥΔΙΑΣ ἔργα χειρὸς, *tapetes quoſdam & ſtrata variegata, Sidoniæ æque ac* Lydiæ *manus opera* prædicat *Heliodorus* lib. VII. cap. 19. pag. 398.

V. Parum ergo ſeſe commendat *Iſaaci Caſauboni*, Critici cetera ſummi, ſententia, qua, loco illo *Varronis* adductus, in verſibus *Platonis* Comici, ſupra a me allatis, pro φοινικίσι Σαρδιανικαῖσι legendum cenſet φοινικίσι Σαρδινικαῖσι, & *Dalechampium* quoque pro oſtro *Sardiano*, *Sardiniano* ſcripſiſſe ſuſpicatur: imo pro βάμμα Σαρδιανικὸν, βάμμα Σαρδινιακὸν ex eodem fundamento tuetur. Vid. Animadverſiones ejus in *Athenæum* lib. II. c. 9. pag. 60. Eandem ſententiam poſt ipſum ex inſtituto, & ſatis quidem ſpecioſe probare conatus eſt Vir doctiſſimus, *Johan. Paulus Nurra*, JCtus Carolitanus, & patriæ Eccleſiæ Canonicus, in Diſſertatione de Varia Lectione Adagii Βάμμα Σαρδινιακὸν, *Tinctura Sardiniaca*, Florentiæ An. 1708. 4. edita, & in Act. Erud. Ann. 1709. pag. 186. ſeqq. recenſita. Operæ pretium fuerit, breviter illam ad examen revocare.

VI. Initio autem Cl. *Nurra* argumenta, quibus *Palmerius* βάμμα Σαρδιανικὸν legendum eſſe probat, evertere annititur, & circa primum quidem, quo adſerit, tempore *Ariſtophanis* parum commercii fuiſſe inter Athenienſes & Sardiniæ incolas, multum vero inter Lydos, ceteroſque Aſiaticos & Græcos omnes, præcipue Atticos, monet, antiquorum autoritate deſtitui *Palmerium*. Sed non omni illum autoritate deſtitui, exiſtimo. Græcis enim Sardiniam parum fuiſſe notam, ex eo probat magnus *Bochartus* Chan. lib. I. cap. 31. ſub fin. quod non ſolum *Scylax* in capite de magnitudine inſularum, ſed etiam apud *Herodotum Bias*, & *Hiſtiæus*, Sardiniam Sicilia majorem fecerint. Cujus obſervationibus addo, quod *Pauſanias* etiam lib. x. cap. 17. ſub fin. rationem reddens, cur Sardiniæ hiſtoriam ſuo de Phocenſium rebus commentario inſeruerit, diſerte ſcribat, quod parum adhuc Græci de inſula illa audiverint. Τὸν

μὲν

μὲν δήγε, inquit, της Σαρδῶς λόγον ἐπεισηγαγόμεθα ἐις τὴν φωκίδα συγγραφὴν, ὅτι ὐχ ἥκιςα κ̀ ἐς ταύτην ὁι Ἕλληνες τὴν νῆσον ἀνηκέως ἕιχον. *Ac Sardiniæ quidem hiſtoriam huic de Phocenſium rebus commentario inſeruimus, quod perexiguæ adhuc ad Græcos ejus inſulæ notitia pervenerit.* Si ergo exigua ejus inſulæ notitia ad Græcos pervenit, ſequitur, quod parum etiam commercii inter Græcos, atque adeo Athenienſes quoque & Sardiniæ incolas fuerit. Et quamvis Cl. Nurra ad *Pauſaniam* provocet, narrantem, quod ante Trojana tempora colonia in Sardiniam e Theſpienſibus & terra Attica deducta ſit, notum tamen, quod illam expeditionem haud præter rationem pro fabuloſa habeant doctiſſimus *Cluverus* Sardin. Antiqu. cap. 1. §. 3. & laudatus *Bochartus* l. c. Neque nomina Sardiniæ; *Ichnuſa* & *Sandaliotes*, & urbium ejus, *Caralis*, Olbia, Neapolis, Heraclea, Theſpia, quæ tanquam Græca ad confirmandam eandem expeditionem Cl. *Nurra* allegat, firmum ſatis argumentum illi ſuppeditant. Primo. enim nomina illa non omnia ſunt Græca. Nam Caralim Phœnicibus a refrigeratione dictam, propter collem ibi vicinum, docet. *Bochartus* l. c. qui etiam Olbæi nomen a Phœnicibus originem trahere, ſuſpicatur. Deinde, quæ revera ſunt Sardiniæ, & urbium ejus, nomina Græca, a Coloniis Græcorum in Siciliam & Italiam deductis, & inde, ut videtur, ulterius Sardiniam aliquando excurrentibus proficiſci potuerunt. Ad alterum vero *Palmerii* argumentum e *Plinii* H. N. VII. 56. ubi purpuræ tingendæ artificium Lydis Sardes habitantibus tribuere videtur, reſpondet Cl. *Nurra*, quod Tyrrheni, iidem cum Lydis, colonias in Sardiniam miſerint, atque inde enatum ſuſpicatur, ut *Plinius*, cujus ſuſpectam hic fidem facit, Lydis Sardes habitantibus tribuerit, quæ Lydis vel Tyrrhenis, Sardiniam incolentibus, tribuere debuiſſet. Sed, utut plerique veterum Tyrrhenos Lydorum eſſe coloniam referunt, tamen in dubium illorum adſertum vocat *Dionyſius Halicarnaſſæus* Ant. Rom. lib. 1. pag. 22. Verba ejus, cum paulo prolixiora ſint, Latine ſaltem adſcribam. *Etenim quidam dixerunt*, inquit, *Tyrrhenum, Herculis filium, natum ex Lyda Omphale: hunc vero delatum in Italiam, expuliſſe Pelaſgos e ſuis urbibus, non omnibus, ſed Tranſtiberinis, ad ſeptentriones ſpectantibus. Alii vero Telephi filium Tyrrhenum eſſe declarant, & veniſſe poſt Trojam captam in Italiam. At Xanthus Lydius, hiſtoriæ antiquæ, ſi quis alius, peritus, patriæ vero etiam autor nemine inferior habendus, neque Tyrrhenum uſquam in ſuis ſcriptis Lydorum principem nominat, neque ullam ſcit Mæonum* (ita Lydii olim dicti) *in Italiam deductam coloniam, aut Tyrrheniæ tanquam Lydorum coloniæ meminit; cum tamen alia leviora memoret. Atyos autem fuiſſe filios dicit Lydum & Torybum. Hos poſt diviſum paternum imperium ambos manſiſſe in Aſia, eiſque gentibus, quibus præfuerunt, denominationes impoſitas, indicat his verbis: A Lydo deſcenderunt Lydi, a Torybo Torybi.* Sic etiam aliquoties laudatus, & in explorandis gentium originibus diligentiſſimus *Bochartus* Can. lib. 1. cap. 33. pag. 645. cum *Dionyſio Halicarnaſſeo*, quem acerrimi judicii virum appellat, iis aſſentitur, qui Tyrrhenos gentem putant eſſe indigenam, cum illos, obſervante *Dionyſium*, nec lingua nec moribuscum ulla alia gente convenire, compertum ſit. At ſi concedamus etiam, quod Tyrrheni Lydorum colonia ſint, tamen, quod *Plinii*, Lydis Sardes habitantibus tingendæ purpuræ artificium tribuere viſi, ſuſpecta fides ſit, mera manet conjectura. Eique diruendæ illa, quæ ſupra de Sardianica Lydorum tinctura ſtabilivimus, haud parum inſerviunt.

VII. Vindicatis *Palmerii* argumentis pro tinctura Sardianica, videamus rationes, quas deinceps pro Sardiniaca Doctiſſimus Nurra in medium affert. Primo ait, quod in Sardiniæ ripis thynni, piſces Sardoi maris, purpura, auctore *Strabone*, alliciantur. Sed inde ſaltem probatur, quod purpuræ in Sardiniæ Littoribus inventæ, non autem, quod in Sardinia ipſa tincturæ purpureæ ſint, multo minus, quod tinctura, cujus *Ariſtophanes* mentionem facit, nomen inde acceperit. Deinde *Suidam* adducit, Sardiniæ purpuras in Βάμμα Σαρδινιακὸν ut quidem ipſe legit, ita prædicantem: Νῆσος γὰρ ἐςὶ μεγίςη ἡ Σαρδὼ πρὸς τῆ Ἰταλίᾳ, ἐν ᾗ γίνονται πορφύραι διάφοροι κ̀ ὀξύτεται. *Inſula enim maxima eſt Sardinia prope Italiam, in qua purpuræ naſcuntur præſtantes, & acutiſſimæ* Sed illa, ut innumera alia apud *Suidam*, e Scholiaſte *Ariſtophanis* exſcripta eſſe, ſupra jam vidimus, & obſervavimus, quod Scholiaſtes illle non pro certo definiat, quod tinctura, cujus Comicus meminit, a Sardinia appellata ſit, ſed hæſitet potius, an ab inſula illa, an a Sardibus, Lydiæ urbe, derivare illam debeat. Adeoque nec inde ſolidum pro tinctura Sardiniaca argumentum peti poteſt. Eodem modo ſeſe res habet cum iis, quæ porro Cl. Nurra ex *Varrone* apud *Nonium Marcellum Sardinianis*, ut vulgo ſcribitur, *tapetis* multum tribuente,

&

& *Clemente Alexandrino* Pædag. lib. II. *cap.* 10. βάμματος Σαρδιανικοῦ mentionem injiciente, urget. Nam apud *Varronem* ex *Athenæo*, *Sardianis tapetibus*, & *Clementem Alexandrinum* βάμμα Σαρδιανικὸν legendum esse, vel hunc etiam de tinctura illa errasse, pariter ex supra observatis manifestum. Neque etiam buccinæ nomen, quo vel ipsam Sardiniam, vel insulam, proxime adjacentem, insignitam Cl. *Nurra* existimat, quodque a buccinis, ibi petris frequentius hærentibus, illam nancisci potuisse conjicit, & exinde novum opinioni suæ fundamentum addit, nobis persuadet, ut probatam antea de tinctura Sardianica lectionem deseramus. Ex eo enim rursus nihil aliud conficitur, quam, quod buccina, concharum, unde purpura tingebatur, genus ibi reperta sint. Ulterius sententiæ suæ præsidium petit e Legibus *Codicis Theodosiani* lib. 10. tit. 20. de Murilegulis, easque minus ad Lydos referri posse, sed ad conchylegulos Sardiniæ pertinere, arbitratur. At, licet ipse facile credam, quod leges illæ Lydos minime spectaverint, veri tamen similius quoque puto, quod ad Italiæ incolas pertinuerint. Nam in ejus litoribus quibusdam conchylegulos repertos fuisse, Tarentina æque ac Hydruntina purpura, a Tarento & Hydrunto Calabriæ, sive Græciæ Magnæ, urbibus appellata, testatur. De illa enim ex *Cornelio Nepote* ita *Plinius* Hist. Nat. IX. 39. *Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit*: inquit, *juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat, nec multo post* Tarentina. Conf. & quæ ex *Horatii* Epist. I. lib. II. observat *Petrus Faber* Semestr. lib. I. cap. 16. pag. 94. Hanc vero multum celebrat *Cassiodorus* lib. I. Var. Ep. 2. Cum enim ibi, nomine Theodorici Regis, redargueret Theonem, vestis regiæ Comitem, Hydruntinis conchylegulis præfectum, de negligentia & tarditate in purpurea Regis veste adornanda, inter alia ita scribit: *Credimus enim aliquem provenisse neglectum, ut aut crines illi lactei, carneo poculo bis terque Satiati, pulcherrima minus ebrietate rubuerint, aut lanæ non auxerint ad ornandi* Muricis *pretiocissimam qualitatem. Quapropter si perscrutator* Hydrontini *maris intusa conchylia solenniter condidisset apto tempore, acervus ille Neptunius, generator florentis semper* Purpuræ, *ornator solii, aquarum copia resolutus, imbrem aulicum flammeo liquore laxaret. Color nimio lepore vernans, obscuritas, rubens, nigredo sanguinea regnantem discernit, dum conspicuum facit: & præstat humano generi, ne de aspectu Principis possit errari*. Et ob singularem purpuræ illius præstantiam Hydruntum postea cum Tyro comparat. *Eoa Tyrus*, inquit, *est* Hydron *Italica, aulicum profecto vestarium, non antiqua custodiens, sed jugiter novella transmitens*. Multosque in conchyliis hujus purpuræ legendis, parandis, & vestibus inde tingendis occupatos fuisse, ex eo intelligimus, quod *Cassiodorus* in eadem Epistola Theonem, ad eo fortius ipsum negligentiæ arguendum, ita interrogat: *Quid enim agunt tot artifices, tot nautarum catervæ, tot familiæ rusticorum*? Ubi *rusticos* Doctissimus *Fornerius conchylegulos* interpretatur, eosque & *mancipia textrini principis* dici *Cod. Theod. lib.* 10. *tit.* 20. l. 4. l. 5. l. 9. l. 14. l. 15. pen. observat. Utque adeo ille existimasse videatur, quod Leges illæ Codicis Theodosiani conchylegulos Hydruntinos respexerint. Et hoc etiam profecto admodum est probabile. Cum enim, Theodorico Gothorum Rege conchylia in Hydruntino Calabriæ litore collecta sint, procul dubio etiam illa tempore Theodosii, uno tantum seculo ante Theodoricum imperantis, ibidem jam quæsita sint. Nam post Theodosium homines de legendis illis cogitare demum cœpisse, turbulentus rerum in Italia status, ex crebris, imo continuis variorum hostium incursionibus ortus vix nobis persuadet. De Hydruntinis igitur conchylegulis Laudatæ *Codicis Theodosiani* leges omnium optime explicari possunt.

VIII. Denique parum abest, quim omnia pro commentis habeat Cl. *Nurra*, quæ de Sardianica in Act. Erud. 1709. pag. 189. ubi hæc recensentur, operarum incuria male legitur *Sardiniaca*) vel Lydorum purpura a scriptoribus prædicantur. *Plinio* namque teste cum purpuræ calculosæ sint, a calculo maris, conchyliis apto, dictæ; Lydia autem mediteranea sit regio, quod *Appianus Alexandrinus* & *Strabo* confirmant, ubi ejus mare, Noster inquit, quæras? & in eo purpuras? & artem purpura tingendi Sardibus debitam? nisi velis cum Pœta nugari Metamorph. lib. 14.

—— Vidi factas ex æquore terras,
Et procula pelago conchæ jacuere marinæ.

Fateor, hoc argumentum primo intuitu magnam habet speciem, attamen, si paulo penitius illud inspiciamus, minime tantam ejus esse vim deprehendimus, ut omnem Lydis purpuram eripiat. Nolo autem, ut ad illud respondeam, dicere, quod Lydia non adeo longe a mari fuerit

rit dissita, imo fines ejus, autore *Xenophonte* Pæd. Cyr. lib. VI. pag. 110. (*a*) ipsum aliquando mare alluerit, & Sardiani in Pactolo omnes, qui medium forum in urbe ipsorum, teste *Herodoto* lib. V. cap 101. interfluens, mox Hermo flumini, in mare se exoneranti, immiscetur, e mari etiam purpuras facile petere potuerint; sed hoc non possum non observare, quod non ex concha solummodo vel Tyria, vel Coa, vel Laconica, aliorumque maritimorum locorum, aut etiam Rodiaca, sed præterea, ad ejus imitationem, floribus & herbis, vacciniis videlicet, alga Cretica, amorge herba, herba purpurea in Abasenis, Ibera ferrugine, flore purpureo ad fontes Hyparchi fluminis, Indica sandice, radicibus idem apud Hierapolitas Phrygios, purpureus color, seu puniceus & eximie rubens (hæc enim vulgo apud veteres synonyma) frequenter paratus sit. Videantur omnino Viri summi, *Bochartus* Hieroz. P. II. lib. IV. cap. 11. pag. 737. 738. & *Spanhemius* de Us. & Præst. Num. Diss. IV. pag. 282. 283. &, si dubites, quod purpureus & puniceus atque coccineus color promiscue apud veteres usurpentur, idem *Bochartbus* cap. 10. ejusd. lib. p. 733. & *Homeri* atque *Achillis Tatii* loca, quæ mox §. 9. adducam, inter se conferantur. Ejus generis purpuram igitur, improprie ita dictam, & a purpura marina distinctam, & Lydiam illam fuisse, puto. Illique sententiæ multum favet, quod non solum apud Hierapolitas Phrygios, Lydis, quod probe notandum, vicinos, vel inter Phrygiam & Lydiam, ut *Stephanus Byzantinus* loquitur, sitos, facta e radicibus tinctura, coccineam & purpuream æquaverit, ut ill. *Spanhemius* l. c. ex *Strabone* memorat, sed etiam, quod tincturam Lydorum Sardianicam punicei vel coccinei coloris fuisse, ex iis, quæ supra §. 2. observavi, manifestum sit.

IX. Nemo igitur, ut spero, tincturam illam, & vestes illas apud Lydos incoctas in dubium amplius vocabit. Præter illas autem & ebur olim in Lydia purpureo colore tinctum esse, docet nos Poetarum maximus, *Homerus*, de Menelao, a Pandaro vulnerato, Il. d. v. 140. seqq. ita canens:

Αὐτίκα δ' ἔῤῥεεν αἷμα κελαινεφὲς ἐξ ὠτειλῆς,
Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ΕΛΕΦΑΝΤΑ ΓΥΝΗ' ΦΟΙΝΙΚΙ μιήνῃ
ΜΗΟΝΙΣ, ἠὲ Κάειρα, παρήιον ἔμμεναι ἵππων.

Statim autem fluxit sanguis ater ex vulnere,
Veluti quondam aliqua Ebur Mulier *puniceo colore tinxerit*
Mæonia, *vel Carica, maxillare ornamentum ut sit equorum.*

In his Μηονίδα, *Mæoniam*, mulierem, denotare *Lydiam*, res nota est, & docent *Scholia* ad h. l. Unde & *Hesychius:* Μηονὶς, λυδή. Μηονία γὰρ ἡ λυδία. Μηονὶς, *Lyda. Mæonia enim Lydia*. Conf. & *Bochart.* Phal. lib. II. cap. 12. Sicuti autem *Homerus* ibi atrum sanguinis ruborem, in corpore candido fluentem, cum colore purpureo, quod Lydorum fœminæ ebur tingere solebant, confert; ita, ad ejus procul dubio imitationem, alii Poetæ ruborem genis candidis affusum cum eodem solent comparare. *Ovidius* lib. II. Am. El. 5. vers. 33. seq.

Hoc ego; quæque dolor linguæ dictavit: at illi
Conscia Purpureus *venit in ora pudor.*
Quale coloratum Tithoni conjuge cœlum
Subrubet, aut sponso visa puella novo.
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ:
Aut ubi cantatis luna laborat equis.
Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Mæonis *Assyrium* Fœmina *tinxit* Ebur.

Virgilius Æneid. lib. XII. vers. 67. seq.

Indus Sanguineo *veluti violaverit* Ostro
Si quis Ebur, *vel mista rubent ubi lilia multa*
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.

Similiter & *Achilles Tatius* lib. I. de Clitoph. & Leucipp. Amor. p. 17. *Erant ei quadam cum jucunditate truces oculi, crines flavi crispique, supercilia puro nigrore delibuta*, λευκὴ παρειὰ, τὸ λευκὸν εἰς μέσον ἐφοινίσσετο, καὶ ἐμιμεῖτο ΠΟΡΦΥΡΑΝ, οἵαν εἰς τὸν ΕΛΕΦΑΝΤΑ ΛΥΔΙΑ βάπτει ΓΥΝΗ, *gere candidæ, quarum medium rubore* Purpuram, *qua* Lydiæ Mulieres Ebur

(*a*) Sic enim ibi Chrysanthes de Lydia: Ἔνθα πολὺς μὲν οἶνος, πολλὰ δὲ σῦκα, πολὺ καὶ ἔλαιον, ΘΑΛΑΤΤΑ δὲ ΠΡΟΣΚΛΥΖΕΙ, καθ' ἣν πλείω ἔρχεται, ἢ ὅσα τις ἑώρακεν ἀγαθά. *Ubi multum est vinum, multæ fici, multum oleum,* Mareque aluit *per quod plura advehuntur, quam quotquot quicquam est bona intuitus.*

Ebur *inficiunt*, *imitante ſuffuſum erat*. E quibus locis ſimul etiam patet, fœminas præſertim Lydorum ebur olim purpura tinxiſſe. Et forte eædem etiam veſtes, que ex Lydia veniebant, purpurea infecerunt. Saltem textas illas ab iis fuiſſe, vero non abſimile eſt. Nam texendi arte mulieres Lydorum erant clariſſimæ. Sic enim ad iſta *Dionyſii* Perieg. verſ. 839. ſeq. de illis canentis:

Οὐ μὰν ὐδὲ γυναῖκας ὀνόσσεαι, αἱ περὶ δεῖνο
Θεῖον ἔδος, χρυσοῖο κατ᾽ ἰξύος ἅμμα βαλῦσαι,
Ὀρχεῦνται, θηντὸν ἑλισσόμεναι περὶ κύκλον,
Εὖτε Διονύσσοιο χοροστασίας τελέοιεν.
Σὺν καὶ παρθενικαὶ νεοθηλέες ὅιά τε νεβροὶ,
Σκαίρουσιν· τῇσιν δὲ πέρι σμαραγεῦντες ἀῆτας
Ἱμερτὺς δονέυσιν ἐπὶ σήθεσσι χιτῶνας.

Ne mulieres quidem vituperabis, quæ in illo
Divino ſolo, aureo per lumbos vincule cinctæ,
Tripudiant, mirificum ſe flectentes circum orbem,
Quando Bacchi choreas celebrant.
Simul quoque virgines, recens ablactati velut hinnuli
Saltant: quibus circumſtrepentes venti
Elegantes agitant in pectoribus veſtes;

inter alia eruditiſſimus Theſſalonicenſium Archiepiſcopus, *Euſtatius*: Ἐνταῦθα δὲ ὐ μόνον ὡς δεξιὰς χοροποιὺς ὁ Διονύσιος, ἀλλὰ καὶ ὡς ΑΓΑΘΑΣ ΥΦΑΙΝΕΙΝ τὰς ΛΥΔΑΣ ἐπαινεῖ *Ibi vero non ſolum ut choreas agendi dexteritate, ſed etiam* Texendi peritia *pollentes Dionyſius* Lydorum Fœminas *laudat*. Sed eam in rem illuſtrior adhuc *Ariſtenæti* locus eſt lib. 1. Ep. 15. pag. 77. Σὲ δέ, ὦ πασῶν ὑπερφέρυσα γυναικῶν, καὶ κάλλεις καὶ γνώμη, τῆς εὔφρος ὐ παρήγαγεν εὐβυλίας. ὐχ ὅρμος, ὐκ ἑλικτῆρες, ὐ ἑλικτῆρες, ὐ πόλεων τὸ πολύτιμον, ὐ περιδέῤῥαιον, ὐ Λυδίος τε καὶ ποδήρυς χιτὼν, ὐ πορφυρίδες, ὐ θεράπαιναι τῆς Καρίας, ὐδὲ Λυδῶν ὑπερφυῶς ἱσυργῦσαι γυναῖκες ὅις ἅπασιν. ἀτεχνῶς ἀγάλλεσθαι τὸ θῆλυ πέφυκε γένος. *Te autem, quæ ceteras antecellis mulieres & pulchritudine & ſapientia, non dimoverunt prudenti conſilio monita, non inaures, non civitatum luxus, non torques, non Lydia & talaris tunica, non indumenta purpurea, non Cariæ ancillæ, non* Lydorum textrices eximiæ, *quibus omnibus ut plurimum ſequior ſexus delectari ſolet*. Utque adeo veſtes Lydorum puniceas & tapetes non præſtantiſſima minus tinctura, quam artificioſa mulierum textura commendaſſe videatur.

X. Cum igitur ex hiſce omnibus manifeſtum ſit, quod tingendæ purpuræ artificium inter Lydos eorumque fœminas olim viguerit, & *Lucas* fœminam quandam Thyatirenſem Philippis πορφυρόπολιν, *purpuræ venditricem*, egiſſe diſerte memoret, inde omnino colligere par eſt, quod ejus adhuc tempore idem artificium iiſdem non ignotum fuerit; imo quod purpurariæ illius nomen, *Lydia*, quo Philippis nuncupata eſt, non proprium, ſed gentilitium extiterit. Cur vero non hoc, ſed illo ibi appellata ſit, ratio hæc eſſe videtur, quod, cum primum Philippos venerit, & mercaturam in urbe illa cum purpura ſua exercuerit, illa mercibus æque purpureis ac dialecto pro Lydia ſtatim muliere fuerit agnita, & ab illis, qui proprium ejus, tanquam peregrinæ, nomen ignorarunt, *Lydia* a gente vocata. Quemadmodum & in patria fœminam aliquam ἐρωτοπύλην, Hollandia oriundam, non aliter, quam *die Hollanderin*, vulgo nuncupari memini.

JACOBI HASÆI DISSERTATIO DE INQUINATIS SARDIENSIUM VESTIMENTIS

Ad illustrationem *Apoc.* III. 4.

ARGUMENTUM.

I. *Vulgarem loci interpretationem non quidem esse spernendam: at hic* primo *modo respici ad* tincturam purpurariam Sardianicarum vestium. II. Μολύνειν ἱμάτια elliptica *locutione notat* vestes purpura tingere. *Multa Apocal. loca ob ellipses crebro* obscura. דם & *αἷμα notat* vinum. *Ezech.* XIX. 10. *Apoc.* XIV. 20. XIX. 13. XIII. 18. *illustrantur*. III. *Quia* tinctione *naturalis color vestium* polluitur, *hinc* μολύνειν & μολυσμὸς *de* tinctura vestium & *maxime* rubrarum. IV. *Ut* & μιαίνω, μιασμὸς, & φορύω *de* tinctura purpuræ. *Item* φθείρειν & φθορὰ *de* mixtione *colorum* & tinctione. *Locus Homeri ut* & *Lycophronis elucidatur*. V. Priora *vocabula proprie* pollutionem sanguinis *indicant*. Sanguis *ut* purpureus *vocatur ita* purpura *vicissim* sanguinea. *Sic* & uvæ & mora *cum* purpurea *tum* sanguinea *dicta*. VI. *Similes* Latinorum *phrases* purpura inficere, inquinare, violare, fucare, corrumpere, vitiare. *Juvenalis Scholiastes tentatus*. Medicare, venenum, φάρμακον *de* tinctione purpuræ. VII. *Uti in* VII. *Epistolis Asiæ ad cujusque* ritus *alluditur, ita hic ad quendam* Sardiensem. Nicolaitę, thronus Satanæ apud Pergamenos. *Apoc.* II. 13. *gentes* Æsculapii miracula *illis* Christi *opposuerunt*. VIII. Sardibus, *velut in universa* Lydia, vestimenta *aliaque infecta* purpura. Lydia purpuraria *Actor.* XVI. 14. Lydia *illic nomen* proprium. *Plures fœminæ* Lydiæ *dictæ*. *Nomen* gentile *etiam* proprium *esse potest*. *Clariss.* Biel *diss. de* Purpura Lydia. IX. *De eadem materia* spicilegium. *Lydorum* fœminæ *amictæ* purpura. *Hercules* purpura *Omphales vestitus*. *Purpura* Lydia *sæpe* Tyria, Sidonia, Gætulica &c. *dicta*. X. Basara *vestis* Lydia & Bacchantium; *quæ* purpurea *fuit*. *Pollux* & *Schol. Horatii pluribus illustrati*: *vestitus Bacchantium* purpureus & Croceus Bacchæ *dictæ* Bassarides & Bassaræ. *Basara est a* בסר: *Conjecturæ cur* omphax בסר, & aurum בצר, vulpesque βάσσαραι & βασσάρειδες *vocatæ*. XI. *Etymon urbis* Bozræ. *Es.* LXIII. 1. *seq. elucidatur, ellipsis vocis* ארץ. XII. *Loca* Claudiani & Ovidii *de* purpura Lydia. Arachne *ejusque* Pater *Idmon* & mater *in* Lydia *claruere* tinctura purpuræ. Apollo & Midas *vestiti ejusdem regionis* purpura. Croesi *vestitus*. XIII. Sardienses *pariter vestes* croco *infecerunt*. Tmolus *mons* Lydiæ *abundans* croco. *Servius explicatus* & *notatus*: Baccho *sacer* Tmolus *qui* croco *delectatur*. Crocus & purpura *ut synonyma permutantur*, junguntur que *cum de vestitu* rubicundo *mentio*. XIV. *Aristophanis locus de* Sardianica purpura *elucidatus*. Καύνακαι *Persicus vestitus* & Purpureus. Sardes *a* Persis *devictæ*. V. *Alius Aristophanis locus expensus*, *nonnulla de* purpura Caria & Milesia. Miletus *urbs* Cariæ *Homerus denuo illustratus*. Coa purpura. XVI. *Cum* purpureorum tapetium *mentio*, *cogitandum de* Milesiis & Sardianicis. *Iis olim* indormiebant. XVII. *Color* albus & vestes albæ *in SS. literis oppositæ* purpureo & rubicundis *Apoc.* XVII. 4. *Luc.* VII. 25. *Num. Christus* purpura *amictus* albis *exutis*. XVIII. *Et alii scriptores* vestes λευκὰς *opponunt* purpureis & βαπτοῖς; *ut* & *sæpius colorem* album & purpureum. *Lecti* eburnei. *Amos* VI. 4. *Cant.* V. 10. *Joh.* IV. 35. *illustrantur*. XIX. *Prout* albæ *vestes symbolum* sanctitatis *in SS. literis*, *sic* purpureæ & rubræ *peccatis* contaminatorum. *Esaiæ* LXIV. 6. XX. *Tum etiam* purpuram *gestare inter ipsas gentes* deliciosorum *hominum indicium fuit*, *relicta illa* Mulieribus, histrionibus, & Bacchantibus.

Apocalypſ. III. verſ. 1. 4. 5.

Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν ΣΑΡΔΕΣΙΝ ἐκκλησίας· γράψον --- ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα καὶ ἐν ΣΑΡΔΕΣΙΝ ἃ οὐκ ΕΜΟΛΥΝΑΝ ΤΑ ΙΜΑΤΙΑ αὐτῶν, καὶ περιπατήσουσι ἐν ΛΕΥΚΟΙΣ, ὅτι ἄξιοί εἰσι. Ὁ νικῶν οὗτος περιβαλεῖται ἐν ἱματίοις ΛΕΥΚΟΙΣ δ. τ. λ.

I. LOci hujus illuſtriſſimi concinnitas, & quæ ſub arcani ſenſus obſcuriori latet cortice elegantia, cum curatiori intelligentia verborum ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια arctiſſimis vinculis conjuncta eſt. Quantumvis enim eadem id ſignificant alias quod iis interpretes ad ad unum omnes dant ſignificationis *inquinarunt veſtimenta*, atque ex aliis S. Codicis locis ubi *inquinatarum ſordibus veſtium* mentio fit Epiſt. Judæ verſ. 23. Zachar. III. 3. 4. Eſaiæ LXIII. 1. ſeq. &c. lucem poſſe nanciſci videantur: Iiſdem tamen, hoc in loco poſitis, certiſque rerum munitis, unde arcanior ſenſus dependet, circumſtantiis; aliquid *privi* & magis *proprii* ſubeſſe hariolor. Dum enim attenta mente circumvolvebam (1) μολύνειν ἱμάτια heic loci *contrarium* eſſe ſequenti phraſi περιπατεῖν ἐν λευκοῖς adeoque; veſtimenta ἱμολυσμένα *opponi Albis* verſ. 4. 5. Tum (2) quod illi qui ἱμάτια ἐμόλυναν in cenſum *reproborum*, contra qui *albis* amicti in numerum Chriſti *amicorum* referantur, ut ex orationis apertum eſt indole: Maxime vero (3) hæc ſcribi *Angelo Eccleſiæ Sardienſium*, quod *Sardibus* ſint *pauci* qui *veſtimenta* οὐκ ἐμόλυναν atque adeo illic loci eſſe *plures* qui ἐμόλυναν ἱμάτια. His, inquam, penſitatis, continuo in eam cogitationem deſcendi, omnino hic ad *privum* quendam *Sardibuſque* nobilem ritum *veſtes inquinandi*, ſacrum ſcriptorem mentem intendere, quem non alium eſſe ac *Lydiam* & *Sardianicam frequentem* admodum *Veſtimentorum tincturam purpurariam* me comprobaturum confido, ſi id evictum dedero (a) Phraſin μολύνειν ἱμάτια perquam optime notare poſſe *veſtes Purpura Tingere*. *Sardibus* autem (b) & in univerſa *Lydia* creberrimas fuiſſe *officinas purpurarias* quibus *veſtimenta* rubro colore inficiebantur: Porro (c) veſtes *purpureas* & colorem *purpureum*, toties opponi *albo* ut quidem & heic loci contingit: Dein (d) *purpureas veſtes* in Codice Sacro frequens ſymbolum eſſe *peccatis contaminatorum* hominum, quorum etiam in ordinem, qui ἱμάτια ἐμόλυναν, referuntur. Denique (e) apud ipſas *gentes* fuiſſe *purpuram* delitioſorum *luxurioſorumque* indumentum, quo inde eo apertius conſtet, cur, qui inter *Sardienſes* frequenti adeo numero *purpura veſtiti* erant, tantum non atro carbone notentur.

II. Obſervandum idcirco phraſin ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια eſſe *ellipticam* quæ poſt ἐμόλυναν ſupplenda eſt voce ſubaudienda πορφύρᾳ *purpura*, vel φοίνικι, aut φοινικῷ χρώματι, aut nuda voce χρώματι, quo intelligas hic *tincturæ veſtimentorum purpureæ* ſive quæ affinis eſt *coloris* ſignificationem intendi: Pari elliptica uſus eſt locutione Ovidius lib. II. Amor. Eleg. 5.

Mæonis Aſſyrium fœmina tinxit *ebur*

Tinxit, hoc eſt *murice*, *oſtro*, *purpura* &c. Ejuſmodi vero ellipſibus, utut difficilioribus inventu, ne noſtra aliqua ex parte dubia videatur, ſcias plenam eſſe Apocalypſin, librum omnium obſcuriſſimum. Paucis id confirmaſſe exemplis, ne nimis devii ſimus, ſatis ſit. Capitis XIV. 20. verba ἐξῆλθε αἷμα ἐκ τῆς ληνοῦ *exibat Sanguis ex torculari*, in magnam ἀπορίαν interpretes, hic de *ſanguine* cogitantes, conjecerunt. Verum, ſubaudita voce σαφυλῆς poſt αἷμα innui *rubicundum uvarum ſuccum* quem Hebræi דם ענבים *ſanguinem uvarum* vocante, rectiſſimi nuper docuit magni patris filius ἐφάμιλλος *J. H. Majus* in obſervatione ad eum locum quæ. tit. XIV. Hiſt. Crit. Reip. Liter. inſerta eſt. Sane αἷμα quidem dicitur prodiiſſe ἐκ τῆς ληνοῦ *ex Torculari*. Verum cum illud *torcular* plenum erat *Botris* tantummodo, ut ex univerſo ordine *vindemiæ*, qui hic accuratiſſime deſcribitur verſ. 18. 20. manifeſtum eſt, inde & nullus ac *Uvarum ſanguis* exinde egredi calcatis uvis potuit. Similem in modum & Apocalypſeos alium locum interpretandum cenſeo Cap. XIX. Ille enim cujus *veſtimento* & femori inſcriptum eſt *Rex regum & Dominus dominantium* verſ. 16. dicitur indutus fuiſſe ἱματίῳ βεβαμμένῳ ΑἼΜΑΤΙ *veſte tincta Sanguine*. verſ. 13. Illud autem αἷμα non aliud eſſe quam σαφυλῆς *Uvarum* exinde erudimur, quod ille verſ. 15. dicantur calcaſſe *Torcular*: καὶ αὐτὸς πατεῖ τὴν ΛΗΝΟΝ τοῦ ΟἼΝΟΥ τοῦ θυμοῦ καὶ τῆς ὀργῆς τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος. *Et ipſe calcat* Torcular Vini *excandeſcentiæ & iræ Dei omnipotentis*. Exinde itaque, quod *torcular* preſſerat Chriſtus, *veſtimentum* nactus eſt βεβαμμένον αἵματι ſcilicet σαφυλῆς *Uvarum Sanguine*. Quanquam enim & hic de *ſanguine* hoſtium cogitare debeas, tamen *literalis* ſenſus & grammaticus priorem de *ſanguine uvarum* ejuſque *calcatione* præmitti jubet. *Sanguinis* enim *rubicundus* uvarum *ſuccus* ſymbolum, eſt uti tor-

torcularis pressio hostium *pessumdationis*. Alluditur præterea ibidem manifesto ad locum Gen. XLIX. 11. ubi æque de Christo hæc legis: *lavabit in Vino* (quod in Palæstina *rubrum* est) *Vestimentum suum & in* דם ענבים αἵματι σαφυλῆς *Sanguine Uvarum Amictum suum*. Item ad Esaiæ LXIII. 2. ubi de eodem Edomi victore. *Quare Rubrum est indumentum tuum & Vestimenta tua sicut calcantis in Torculari?* Nescio an non ad eandem ellipsin referri debeat locus Ezech. XIX. 10. *mater tua* כגפן *ut Vitis* ברמך *in Sanguine tuo*, quo in דם *sanguine* subaudiatur ענבים *Uvarum*, ut plene dicitur Gen. XLIX. 11. Deut. XXXII. 14. quoniam ibi de גפן *vite* pariter sermonem esse videmus. Porro Apocal. XIII. 18. ἀριθμὸς τȣ̃ θηρίȣ *numerus bestiæ* frustra putatur diversus esse ab ἀριθμῷ τȣ̃ ὀνόματος τȣ̃ θηρίȣ. Est enim *prior* ellyptica locutio, qua post ἀριθμὸς ex præcedenti vers. 17. repeti debet ἀριθμὸς τȣ̃ ὀνόματος ut doctissimus interpres C. *Vitringa* uberius docuit. Alia loca ἐλλιπτικῶς scripta prudenti lectori facile obviam venient Apocalypsin curate evolventi quibus ex hac animadversione magnam lucem posse affundi sentiet. Nos, iis missis, nostri loci enodatio occupatos ulterius habebit.

III. Quamvis vero μολύνω proprie notet *polluo*, *inficio*, *inquino*, *contamino*: tamen μολύνειν ἱμάτια, cum *vestimentis* jungitur verbum, per quam commode indicare potest *tingere* vestes aliquo *colore* quod alias βάπτειν dicitur, inter quos color *purpuræ* omnium longe celeberrimus est atque splendidissimus. Id ipsum enim partim ex verbi *hujus* aliorumque ipsi *synonymorum* natura & indole, partim ex ipso *usu* eorundem haud difficile probatu est. Quia enim *intinctione vestium* aliarumque rerum *adventitius* color alterum qui *naturalis* erat, *violat* & mixtione illa *polluit* quasi & *corrumpit*: hinc cum de *colorum mixtione* & *tinctione* scriptoribus Græcis sermo est, utuntur sæpe numero vocibus quæ propria notione *pollutionem*, *corruptionem*, *violationemque* rerum alias indicant: Μολύνειν φορύζειν, μιαίνειν, φθείρειν, συμφθείρεσθαι, & μολυσμȣ̀ς, μιάνσεις, φθορὰς iis frequentissimas hic de rebus esse voces pervidemus. Locus vix erit id luculentius illustrans ac quem *Porphyrio* debemus lib. IV. de Abstin. Anim. §. 20. inquienti. Καὶ γὰρ πὼς ϗ ὁ ΜΟΛΥΣΜΟΣ (nota ipsam vocem qua Johannes utitur) ϗ ἡ ΜΙΑΝΣΙΣ δηλοῖ τὴν ΜΙΞΙΝ τὴν ἑτερογενȣ̃ς πρὸς ἕτερον, ϗ μάλισθ' ὅταν ΔΥΣΕΚΝΙΠΤΟΝ γένηται. Ὅπεν ϗ ἐπὶ τῶν ΒΑΝΜΑΤΩ ἃ δὴ διὰ ΜΙΞΕΩΝ συνίςαι εἴδȣς ἄλλȣ ἄλλῳ συμπλεκομένȣ, ΜΙΑΙΝΕΙΝ φασίν.

> Ὥς δ' ὅτε τὶς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι
> μιήν,

Καὶ ἔμπαλιν τὰς ΜΙΞΕΙΣ ΦΘΟΡΑΣ οἱ ζωγράφοι λέγȣσι. *Nam* Pollutio *&* Inquinatio *significat heterogenei unio cum altero* Mixtionem *præsertim cum alteri inhæret, nec facile elui potest. Unde de* Tincturis colorum *quæ* Mixtione *constant, quando scilicet una species cum altera* Commiscetur, *dicunt* φθορὰς Polluere (Homerus) *perinde ac mulier ebur* tinxerit *purpura. Et rursus pictores colorum mixturas* μολύνειν i. e. Corruptiones *vocarunt*. Verum non modo de quavis *tinctura*, sed & de *rubra* & quidem in *vestimentis* Græcos voce μολύνειν usos esse apparebit ex Alexandrina versione Esaiæ LXIII. 4. cum præter ea quæ illic in Hebræo Græcoque textu edito leguntur, addunt nonnullæ editiones & scripta Patrum ϗ πάντα τὰ ἘΝΔΥΜΑΤΑ μȣ ΕΜΟΛΥΝΑ *& omnia* Vestimenta *mea* Pollui. Hic autem agi de *rubro* colore qui *vestitui* victoris ex Edomo accesserat, id dubium vocari non potest, ex iis quæ vers. 1. seq. legimus. ἘΡΥΘΗΜΑ ἱματίων ἐκ Βοσὸρ -- Διατί σȣ ΕΡΥΘΡΑ τὰ ἹΜΑΤΙΑ ϗ τὰ ἘΝΔΥΜΑΤΑ σȣ ὡς ἀποπατητȣ̃ ληνȣ̃; Latet itaque & hic in verbo ἐμόλυνα eadem quæ in nostro loco ellipsis vocum αἵματι, φοίνικι, αἵματι σαφυλῆς, similiumve.

IV. Et reliquæ *synonymæ* voces antea indicatæ eandem μολυσμȣ̃ confirmatum eunt significationem. Quis est qui nesciat μιαίνειν æque esse *polluere* ac μολύνειν? Ejusdem quippe significationis voces sunt, unde μολυσμὸν & μίανσιν, loco memorato, junxit Porphyrius, & Hesychius μιαρὸς exponit μεμολυσμένος juxta ac Homeri scholiastes ad Il: π' vers. 795. μιάνθησαν explicat ἐμολύνθησαν. Hinc & ea, quæ ante dicta est de causa, & ipso vocis usu μιαίνω de *vestis rubicundo colore tinctione* usurpatur. Quæ enim antea in loco Es. LXIII. 4. quasdam editiones verbo ἐμόλυνα exhibere diximus, aliæ habent ϗ πάντα τὰ ΙΜΑΤΙΑ μȣ ΕΜΙΑΝΑ, ubi de *rubicunda veste* agi indicavimus. Apprime vero huc referenda est de ipsa *purpuræ intinctione* perillustris apud Homerum locus, nostro maximam facem accendens, utpote quo de *Lydia purpura* (*Sardis* enim erat *Lydiæ* metropolis) mentio fit æque ac in nostro Apocalyptico. De vulnerato enim Menelao memorat poeta Il. δ': vers. 140. seq. quod ex ejus vulnere similem in modum *sanguis* profluxerit,

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ ΦΟΙΝΙΚΙ ΜΙΗΝΗ.
ΜΗΟΝΙΣ ἠὲ Κάειρα, παρήιον ἔμμεναι ἵππων.

Perinde acſi ebur purpura tinxerit *Mulier*
Mæonia (i. e. *Lydia*) *vel Caria, maxillare ut ſit equorum.*

Μιαίνω enim heic loci nihil aliud eſt ac *tingo*, & quidem φοίνικι juncto, *colore purpuræ*, ut partim ex re ipſa, partim ex ſcholiaſte & Euſtathio patet qui μιήνη explicuerunt per χρίσῃ, βάψῃ *unget*, *tinget*. Optime & id ipſum ex Plutarcho diſcimus, qui ad hunc Homeri locum mentem intendit, in L. de Ei apud Delphos pag. 393. & ad poetæ illuſtrationem jam a Cl. Bos notatus eſt cap. XXX. Obſervat. Crit. ἑτέρῳ γὰρ ΜΙΞΕΙ πρὸς ἕτερον ὁ ΜΙΑΣΜΟΣ. ὥς πυ καὶ Ὅμηρος ἐλέφαντά τινα ΦΟΙΝΙΣΣΟΜΕΝΟΝ ΒΑΦΗ μιαίνεσθαί φησι. *Quando res cum altera* miſcetur *dicitur* μιασμὸς pollutio. *Uti quando Homerus* ebur *colore* purpuræ tinctum *dixit* μιαίνεσθαι *ſeu* pollui. Addo Porphyrium qui loco antea citato probaturus μιαίνειν eſſe εἶδος ἄλλυ ἄλλῳ συμπλέκεσθαι & indicare μῖξιν βαμμάτων, hunc ipſum pariter Homeri citat locum. Idem & Plutarchus facit, quem imitari Porphyrium facile Kuſtero crediderim id ad Ariſtoph. Pluti Scholiaſten notis verſ. 530. ſuſpicanti. Dicit enim lib. VIII. Conviv. quæſt. 5. τ' ΒΑΨΑΙ κέκληκεν ΜΙΗΝΑΙ ὁ ποιητής. Tingere *coloribus Poeta* (Homerus) *dixit* μιῆναι i. e. *contaminare*, *polluere*. Optime enim vidit Cl. Kuſterus illic pro δεῖναι legendum eſſe μιῆναι & Plutarchum ad memoratum reſpicere locum Homeri. Eodem modo & imitator Homeri Ovidius reddidit lib. II. Amor. Eleg. 5.

Mæonis (ſeu *Lydia*) *Aſſyrium fœmina* Tingit *ebur*.

Propius autem ad verbi μιῆναι propriam ſignificationem attendens Virgilius *Violare Oſtro* lib. XII. Æn. verſ. 67. Notum præterea eſt ſimili modo φορύω & φορύσσω ſignificare *polluo contamino*, ut φορύνειν σῖτον καὶ κρέατα *polluere panem & carnes* apud Homerum II. X. verſ. 21. Æque tamen pro *tinctura purpuræ* uſus eſt eodem verbo Lycophron Caſſ. verſ. 864.

Ἀβροπήνυς ἀμφιβάλλεσθαι πέπλυς
ΚΑΛΧΗ ΦΟΡΥΚΤΟΥΣ ——

molles veſtes circumdare Purpura Tinctas. Recte enim ultima verba explicat Tzetzes πορφύρᾳ βεβαμμένυς. Eſt enim κάλχη *Purpura*, ut idem commentator docet, & Bochartus, Hieroz. part. II. lib. IV. cap. XI. Salmaſius, comment. ad *Aram Doſiadæ primam*, pag. 192. ſeqq. Ed. Lugd. in Muſ. Philolog. aliique pluribus comprobarunt: Idem plane notandum de voce φθορᾶς & verbo φθείρειν, quæ, utut propria notione *corruptionem* involvant, tamen eadem quam antea de his ſimilibuſque vocibus indicavimus de cauſa, & *mixtionem colorum* & *tincturam* exhibet. Hinc non ſolum vox φθορᾶς de *mixtione colorum* eſt propria *pictoribus*, ut ex Porphyrio monuimus, ſed & rerum aliarum & maxime *veſtium* ſimiliumve *tinctoribus*, prout ex Plutarcho apparet L. de Ei apud Delphos pag. 393. καὶ τὰ ΜΙΓΝΥΜΕΝΑ τῶν ΧΡΩΜΑΤΩΝ οἱ ΒΑΦΕΙΣ ΦΘΕΙΡΕΣΘΑΙ, καὶ ΦΘΟΡΑΝ τὴν ΜΙΞΙΝ ὀνομάζυσιν *Et de* Coloribus *quæ* Miſcentur *dicunt* Tinctores (veſtium, eboris, purpuræ &c.) φθείρεσθαι i. e. corrumpi *& ipſam* Mixtionem *vocant* φθορὰν i. e. *corruptionem*. Sed memores ſumus hanc verborum φθείρειν, φθορᾶς, φθείρεσθαι & συμφθείρεσθαι notionem pluribus docuiſſe pereximum Kuſterum ad Ariſtoph. Pluti Scholia, verſ. 530. quo lectorem ablegatum cupimus, grato interea animo agnoſcentes nos unum alterumve locum, quem aliud ac ille agentes adduximus, ejus indicio debere.

V. Neque elegantia deſtituitur eadem horum verborum μολύνω, μιαίνω, & φορύω ſignificatio. Præcipue quippe *ſingula* uſu veniunt de *Pollutione* Sanguinis, quæ cum altera de *tinctione purpuræ* ſingulari & cognata quaſi affinitate juncta eſt. Ita I. de victore Idumæorum qui *ſanguine* hoſtium veſtes *cruentaverat*, dicitur quod ἐμόλυνε τὰ ἐνδύματα Eſ. LXIII. 4. Illuſtri enim in loco eodem præter ceteros reſpicitur ad *cruorem* quo in pugna ex hoſtium cæde militum veſtes conſperguntur. Similiter II. φορύω, ut φορύσσειν αἵματι *polluere ſanguine* apud Homerum II. Σ. verſ. 335. & maxime III. μιαίνω, quapropter toties μιαίνειν αἵματι & μιαρὸς αἵματι apud Homerum reperimus. Vide Iliad. π. verſ. 795. ω. verſ. 420. & Herodianum lib. II. cap. 5. 9. & 13. atque inde Heſychius αἵματι μεμολυσμένος, *inquinatus ſanguine*. Quia vero *purpureus* & *ſanguineus* color ſimillimi ſunt propemodum aſpectu, utroque multum *ruboris* ſecum trahente, pariterque ut *ſanguine*, eodem modo & *purpura* res inficiuntur, quod *pollutione* fit partim, partim *tinctione*, ſplendidiſſima nec minus *purpura* ex *ſanguine* conchæ marinæ conficitur, qua

qua de re differentem vide Plinium lib. IX. cap. 38. Inde est, quod res *rubicundæ* vocentur nomine eodem cum *purpureæ* tum vero *sanguineæ* promiscuis epithetis. *Sanguis* idcirco vocatur *purpureus* πορφυρῶν ἆμα Poetis, ut Homero Iliad. ρ verf. 360.

—— ἉΙΜΑΤΙ δὲ χθὼν
Δεύετο ΠΟΡΦΥΡΕΩ ——

Statius lib. II. Sylv.

O ubi Purpureo *suffusus* Sanguine *candor*.

Quo spectat comparatio versu antecedenti Homerico Iliad. δ' verf. 140.

Ἀυτίκα δ' ἔρρεεν ΑΙΜΑ κελαινεφὲς ἐξ ὠτειλῆς.
Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ ΦΟΙΝΙΚΙ μιήνῃ.

Virgilius lib. IX Æn. verf. 39.

Purpuream *vomit ille* Animam & *cum* Sanguine *mixta*.
Vina refert moriens. ——

Purpurea anima est *purpureus sanguis* interprete Servio aliisque. Pertinet eo Homeri locutio qua eorum *mortem* violentam qui multo *sanguine* misso occubuere, vocat πορφύρεον θάνατον *mortem purpuream* verf. Il. έ verf. 83. E contrario autem & *purpura* & *murex* & *ostrum* dicitur *sanguineum*, ut apud Virgil. XII. Æn. v. 67.

Indum Sanguineo *veluti violaverit ostro*.

Et *purpuræ Tyriæ* laudem summam *si color sit* Sanguinis *concreti*, *nigricans aspectu* dat Plinius lib. IX. cap. 38. Inde Pollux lib. I. §. 59. succum illum *concharum*, quo vestes tinguntur, vocat aliquoties αἷμα, atque de Herculis cane ejusdem repertore §. 46. ὁ δὲ ΛΤΘΡΟΣ ἄρα τὰ χείλη, τῶ κυνὸς ΑΙΜΑΞΑΣ ΕΦΟΙΝΙΣΣΕΤΟ Sanguis *canis labia* Cruentans *rubore infecit* Phœnicio. Ita & *Cruor conchylii* occurrit in *lib. 4. Cod. de Vestib. Holober*. Junge his observationes Salmasii epist. II. de Cruce. Pariter, ut *moris* tribui succum *sanguineum* probavimus in tom. IX. Histor. Crit. Reip. Lit. commentantes ad fragmentum Hesiodeum apud Fulgent. lib. III. cap. I. sic æque *purpureum* dari notemus. Ovidius lib. IV. Metam. de *moro* Pyrami *cruore* conspersa verf. 130. seq.

Arborei fœtus aspergine cædis in Atram
Vertuntur faciem, *madefactaque* Sanguine *radix*
Purpureo *tingit pendentia* Mora *colore*.

Etiam *uvis* toties inesse *sanguis* dicitur, ut ibidem loci monuimus sicut & §. 2. hujus diss. nec minus tamen *purpureus* earum color exhibetur. Ovidius lib. II. de Arte Amandi:

Plenaque Purpureo *subrubet* Uva *mero*.

Alludit eo Horat. lib. II. od. 5. verf. 9.

---- *Tolle cupidinem.*
Immitis Uvæ: *jam tibi lividos*
Distinguet autumnus racemos
Purpureo *varius* Colore.

Et hinc laudans vitam rusticam Epod. 2. commendat verf. 20. Uvam *certantem* Purpuræ ubi vetus Scholiastes *Uvæ maturæ habent colorem* Purpuræ. Similiter & *vites* Purpureas memorat Virgil. II. Georg. verf. 95. & *Purpureos racemos* Bacchi munera Martial. lib. VIII. Epigr. 68. atque *uvas rubentes* Virgil. Eccl. IV. verf. 26.

VI. A *similibus* autem locutionibus, quas de *tinctura purpuræ* ex Græcis citavimus scriptoribus & cum Apocalyptica illa *cognatæ* sunt, neutiquam abhorrent *Latini*, utpote quibus *inquinare*, *inficere* &c. quæ de *sordibus* alias & vitiorum maculis usurpantur voces, idem est ac *tingere* & maxime cruore *purpuræ*. Inde Martialis dixit lib. IV. Epigr. 4. *vellus bis* Murice Inquinatum, quod δίβαφον est seu *bis purpura tinctum*, *Tyriosque incoctum rubores* ut Virgilius loquitur III. Georg. verf. 307. Alias enim Martialis phrasi *tingere vestes murice* utitur, ut lib. IX. Epist. 63. lib. V. Epist. 24. & *saturare vestes murice* lib. VIII. Epist. 48. Pariter & *inficere* sæpius usu venit pro *tingere purpura* velut in *lib. 4. C. de Vestib. Holob. & auratis & intinctione Sacri Muricis*. *Quæ* Tincta *conchyllo* (i. e. purpura) *quæ nullius alterius permixtione contexta sunt*, *proferantur ex ædibus tradanturque tunicæ aut pallia ex omni parte texturæ cruore* Infecta *conchylii*. *Nulla stamina subtexantur* Tincta *conchylio*, *nec ejusdem* Infectionis *arguto pectine solidanda fila decurrant* &c. Sic *Infectores crocotarii* qui *croco*, vestimenta tingebant κροκοβάφοι occurrunt apud Plautum Aulul. Act. III. sc. V. 47. Claudian. lib. I. de R. Prof. verf. 272.

... *Niveos* Infecit Purpura *vultus*.

Vi-

Vitruvius lib. VII. cap. 13. *Id autem* (Ostrum) *excipitur ex conchylio marino ex quo Purpura Inficitur*. Plinius lib. XXII. cap. 2. *jam vero* Infici *vestes scimus admirabili fuco*, loquens de *purpureis* & *Coccineis*. Emendabis hinc veterem Juvenalis Scholiasten ad Satir. x. vers. 38. *Tunicam Jovis togam palmatam dixit Tyria purpura* confectam, *hoc est Sarrana*. Legendum enim fortasse *Tyria purpura* infectam, quippe *purpura inficere* dicimus non *conficere*. Verum & styli hujus Scholiastis non usque quaque paris elegantiæ ratio, vulgatam defendet. Sed & *violare* latini de *purpuræ mixtione* usurpant quod proprie est *corrumpere*, *polluere*, *vi perdere*. Virgil. lib. XII. Æn. vers. 67.

> *Indum Sanguineo veluti* violaverit *ostro*.
> *Si quis ebur*. ----

Observat egregie Servius hunc locum poetam debere Homero & ad similitudinem illius, quem antea protulimus, fictum esse. *Homeri*, inquit, *comparatio* est, *unde &* violaverit *transtulit* (μιήνη) *Ille enim ait*, ὡς δ' ὅτε κ. τ. λ. Recte! Nam *violare* est μιαίνειν, μολύνειν Glossis *violat*, μιαίνει, & *violare* per μιᾶναι explicantibus. Æque vero & *corrumpere purpura* dicunt Romani. Statius lib. I. Achil.

> —— *Ebur* corrumpitur *ostro*.

quod nec minus propria notione *vitium* includit, unde & *vitiare* eadem in re usu venit. Persius Sat. II. vers. 65.

> *Et Calabrum coxit* vitiato *murice vellus*.

Commode & huc trahimus quod *purpuram* sæpe *venenum* vocent Martial. lib. VIII. Epist. 38. de *purpura Laconica*.

> *Te nec* Amyclæo *decuit livere* veneno.

Virgil. II. Georg. vers. 465.

> *Alba nec* Assyrio *fucatur lana* veneno
> *Nec Casia liquidi* corrumpitur *usus olivi*.

ubi nota *corrumpi* & *fucari* idem esse in *mixtione* rerum. Uti vero *venenum* sæpius notat *medicamentum*, sic φάρμακον Græcis & *venenum* Latinis. Vide JCtos ad *L.* 236. *ff. de Verb. Signif.* unde φάρμακον *medicamentum*, & de colorum *tinctura*; Uti sic dicitur *fucus* quo Lysicrates *canos* capillos ἐμέλανε seu *nigros* reddidit apud Aristoph. Eccles. vers. 530. Hinc *medicare* pro *purpura tingere* reperimus apud Horat. lib. III. od. 5. vers. 26.

> —— *Neque amissos* colores,
> *Lana refert* medicata *fuco*.

Medicare enim æque notat *veneno inficere* ut *Medicata veneno tela* apud Silium Ital. lib. VII. vers. 453. quæ φαρμακώδη τοξεύματα Græcis audiunt.

Quemadmodum proinde Homero μιαίνειν φοίνικι, Lycophroni φορύσσειν κάλχῃ & latinis *inquinare ostro* & *vitiare* &c. est *purpura tingere*; quid adversi est, quo minus & in hoc Apocalyptico loco verbum μολύνειν, subauditis φοίνικι vel κάλχῃ κ. τ. λ. idem significare possit cum & ipsam vocem de *tinctura vestium rubicundarum* usu venire observaverimus?

VII. Illis vero si ea accedat animadversio hæc ad *Ecclesiam* scribi *Sardiensium* ejusque *Angelum* vers. I. quis diffiteri velit, ea, quæ de civium ejus reipublicæ μολυσμῷ ἱματίων dein referuntur, exinde splendidissima luce perfundi, quod in ea civitate simul atque in universa *Lydorum* regione *tinctura purpuraria* quondam, atque eopse tempore, quo hæc Johannes literis mandavit, ita floruerit, ut eo nomine præ ceteris Asiæ civitatibus fuerit illustrissima commendatissimaque? Alium enim ἱματίων μολυσμὸν *Sardibus* usitatum fuisse vereor quo ullo ostendi possit exemplo. Quocirca ut hic noster admittatur, nihil esse æquius aut concinnius arbitramur. Sum enim in ea sententia, cui hæc meditatio explicatioque loci universa fere innititur, sin minus *singulis* his, saltem *plurimis* ad septem Asiæ Ecclesias *Epistolis Apocalypticis* alludi *unaquaque* ad peculiares quosdam *ritus*, *Historias*, aut *singularia doctrinæ capita* vel tum temporis quo hæc scripta sunt, vel olim etiam in eadem, ad quam literas has dedit Johannes, civitate orta nobilitataque. Eo ipso & mihi maxime arridere *Historicam harum Epistolarum* explicationem, quam Witsius Miscell. Sacr. tom. I. lib. III. cap. III. *de industria* ursit, unusquisque facile intelliget, quamtumvis cum iis qui *literali* sensui *allegoricum propheticumque* superstruendum esse affirmant, mihi nulla hac quidem in caussa disceptationum ratio intercedit. *Jacobo* etiam *Rhenferdio*, viro summo hypothesin nostram de allusione ad *privos ritus dogmataque* his in locis verosimilem visam fuisse, olim fando accepi. Placuit eapropter elegantissimi *Moshemii* de *Nicolai-*

laitis dissertatio, qua in classe I. hujus Bibl. Fasc. IV. Sect. I. ostendit hujusmodi hominum genus reapse extitisse, atque, cum ipsas has *Asiæ* Ecclesias falsa doctrina contaminasse, tum dilucidam eo spectare Johannis orationem dum illorum in *Epistolis* ad Ecclesias *Ephesinas Pergamensesque* Apocal. II. 6. 15. meminit. Neque solum ad *dogmate*, verum etiam ad *mores ritusque* illius, ad quam literæ missæ sunt Apocalypticæ, civitatis nonnunquam alludi, luculento exemplo erit *Thronus Satanæ*, quem *Pergami* esse in Epistola ad eam Ecclesiam Johannes commemoravit Apocal. II. 13. Meministi enim, lector, nuperrime tuis subjectas fuisse oculis in Class. III. Fasc. I. Sect. V. & VI. quas celeberrimi viri *Michael* Rossallus & *Theodorus* Hasæus, quorum alterum ego amicum, alterum & fratrem veneor, de hoc ipso loco edidere observationes, quibus ad *cultum Æsculapii Pergamenum*, qui ex *universo* Asiæ confluxu *summus* erat illic, respici erudita sane opera ostenderunt. Conferantur quę eandem in rem Cl. *Witsius* monuit Misc. Sacr. tom. I. lib. III. cap. III. §. 78. Cum vero uterque vir doctissimus, ille §. 4. & 5. hic §. 8. & quidem merito urgeat, ad hujus loci illustrationem maximi facere, quod gentes *Christo* ejusque *miraculis* perpetuo divinas *Æsculapii* sanationes aliaque munia tanquam *Satanæ* seu *adversarii per Asiam maximi* opposuerint; liceat ad ejus rei lucem heic obiter addere locum illustrissimum Originis ex cujus lib. III. contr. Celsum id quam apertissime constabit. Exhibens quippe *Celsi*, qui gentium nomine *paganam* defendit superstitionem, argumenta, quibus ad Christianorum dogmata respondit, hæc de eo pag. 122. Ed. Spenc. memorat. Α'λλ' αὐτάρκη καὶ ταῦτα πρὸς τὴν ἀφιλόσοφον χλεύην τοῦ Κέλσου, ὁμοιοῦντος τὰ ἔνδον καὶ μυστικὰ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ τοῖς Α'ιγυπτίων αἰλούροις, ἢ πιθήκοις, ἢ κροκοδείλοις, ἢ τράγοις ἢ κυσίν. Ο'υδὲν δὲ εἶδος τοῦ περὶ ἡμῶν διασυρμοῦ καὶ καταγέλωτος καταλιπὼν ὁ βωμολόχος Κέλσος ἐν τῷ καθ' ἡμῶν λόγῳ Διοσκούρους καὶ Η'ρακλέα, καὶ ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ καὶ Διόνυσον ὀνομάζει τοὺς ἐξ ἀνθρώπων πεπιστευμένους παρ' ἕλλησιν ΘΕΟΥΣ γεγονέναι, καὶ φησίν. „ Ο'υκ ἀνέχεσθαι μὲν ἡμᾶς τούτους νο„ μίζειν θεοὺς, ὅτι ἄνθρωποι ἦσαν καὶ πρῶτοι, „ καίτοι πολλὰ ἐπιδειξαμένους καὶ γενναῖα ὑπὲρ „ ἀνθρώπων. τὸν δὲ ΙΗΣΟΥΝ ἀποθανόντα „ ὑπὸ τῶν ἰδίων θιασωτῶν ὦφθαι φαμέν. " „ i. e. Satis sit vel hæc dixisse contra „ indecoram Philosopho Celsi maledicen„ tiam *comparantis* Ecclesiæ Dei myste„ ria cum Ægyptiorum felibus, simiis, „ crocodilis, hircis, canibus. Et ut nul„ lam derisionis speciem reliquam face„ ret scurra iste in suo sermone quo *nos* „ impugnat, Castores, Herculem, *Æscu*„ *lapium*, Bacchum memorat, *Deos* fa„ ctos ut Græci credunt ex hominibus: „ dicens: *Nos non ferre pro Diis eos ha*„ *beri, quia olim homines fuerunt: quam*„ *vis ceteris præstantiores optimeque de* „ *mortalium genere meritos*: Jesum *vero* „ *morte affectum suis sodalibus visum esse* „ *nos affirmare*. " Cum vero late Origines docuisset quam dispar sit Historia *Æsculapii* & *Christi*, hæc iterum memorat pag. 124. quæ tantum latinis verbis exhibemus. *Itidem cum de* Æsculapio *dicitur* magnam multitudinem *tam Græcorum quam Barbarorum asseverare sæpe eum visum* (ut Christus) *hodieque videri non spectrum hoc sed ipsum Deum* beneficia sanitatis *exhibentem*; *Celsus vult credi etiam a* Christianis *hominibus*: *At si* Jesu *discipulis spectatoribus illius* miraculorum —— *adsentiamus*, *Stultitiam nobis non veretur impingere* (Celsus) *cum tamen non possit proferre multitudinem istam Græcorum Barbarorumque credentium* Æsculapio: *nos vero, si id decorum duxerit* Celsus, *possumus ostendere inenarrabilem tam Græcorum quam Barbarorum numerum* Jesu *nostro credentium*. *In his quidam in signum* acceptæ per fidem virtutis *mirifice* sanat Ægrotos &c. *Jam ut concedamus* Medicum *aliquem dæmonem*, (ut ajebat Celsus eumque Christo opponebat) *curare morbos corporum*, *qui vocetur* Æsculapius, *hujus admiratoribus simulque vatis Apollinis objiciemus*, &c. Denique rem ita concludit pag. 125. *Quodsi nihil divinum præ se fert* (ut quidem Celsus ajebat) *Æsculapii medicina & Apollinis divinatio*, *quæ ratio est ut jam donemus eos callere has artes* (ut quidem Christus ejusque discipuli) *cur colantur pro Diis puris?* quod tantum *Christo* ob miraculorum divinitatem competere adstruit. Atqui hęc obiter & οὐ πάρεργον, quæ eum in finem produximus quo appareat, sicut ad *Æsculapii cultum Pergamenum* Apoc. II. 13. ita nostro in loco ad *tincturam purpuræ Sardianicam* alludi, nihil causæ esse cur abnuamus.

VIII. Frequentissimis enim exemplis in veterum monumentis reperimus *Sardibus* & *Lydia* tota varia utensilia, *vestes*, *tapetes*, ebur &c. *purpura* infecta esse, quo artificii genere, unde grande ad eos lucrum rediit, *Lydorum* fœminæ ceteras longe anteiverunt. Unde pariter est quod frequenti adeo copia apud veteres *Sardianicæ* atque *Lydiæ* fiat *purpuræ* mentio, quam in rem testimonia collecta consule in *Palmerii* Exercitat. ad opt. aut. Græc.

Græc. ad Aristoph. Acharn. verſ. 112. collatis ibidem *Kuſteri* notis, & L. *Bos* obſ. crit. cap. xxx. pag. 134. Horum vero induſtriam longe ſuperavit, majoremque eorum meſſem collegit peculiari de *purpura Lydia* conſcripta diſſert. *Joh. Chr. Biel*, quæ in Faſc. III. Claſſ. II. Sect. II. hanc exornat Bibliothecam Juvabit, collatione facta, pervolviſſe qua ratione hi vi eruditi id ſibi operam dederint, quo inde æque locum ſacrum de *Lydia* fœmina *Thyatirenſi* illuſtrarent, quæ Act. XVI. 14. dicitur fuiſſe πορφυρόπωλις voce cum quæ *purpuram tingit*, tum quæ *vendit*, ut hæc ſubordinata junctaque eſſe ſolent, indicante. Latine *purpurariam* vocares juxta veteres gloſſas quæ *purpurarius* explicant πορφυροβάφος, προφυροπώλης juncta utraque ſignificatione. Ille autem locus nec minus noſtro Apocalyptico, ac hic viciſſim alteri fœneratur lucem. Fuere quippe *Thyatiræ* æque ac *Sardes* nobiliſſimæ urbes *Lydiæ* (quæ univerſa gens *purpurariis* adeo inclaruit tingendi veſtimenta, *officinis*) docentibus hoc abunde geographis quorum documenta Cl. *Cellarius* exhibet in diſſert. de *Septem Eccl. Aſiæ* §. 34. 35. & lib. III. Ant. Geogr. cap. IV. pag. 125. & 129. Idcirco etiam pereruditam illam Cl. *Bielii* diſſertationem non modo avide pervolvi, verum etiam cum viderim eximio viro de hoc Apocalypſeos loco id cogitationis haud ſubnatum eſſe quam ipſe ab aliquo antea tempore meditatus fui, ea factum eſt occaſione ut conſilium injerim, hæc, quæ nunc legis, literis conſignandi, quod non ſolum hunc locum ad *Lydiam purpuram* ſpectare exiſtimem, ſed & plura in ſcriptis veterum eo facientia adnotaverim, quæ V. Cl. induſtriam præterfugerunt. Quod tamen ex hac *purpurariarum* apud *Lydos* frequentia *officinarum*, mercatorumque hinc *purpurariorum* copia illic commorantium, doctiſſimus *Biel* ibidem data opera urget, *Lydiæ* nomen in Actibus Apoſtolicis non *proprium* fuiſſe ſed *gentile* hujus piæ mulieris, quæ, utpote *purpuraria Lydia*, Philippis vocata eſſet *Lydia*, non eſt quod hoc facile admittamus. Concedere id quidem in promtu eſſet, ſi ſcriptum a Luca reperiremus καὶ τις γυνὴ Λυδία κ. τ. λ. *&* *quædam Lydia mulier*, prout paſſim reperimus ἀνὴρ Λυδὸς & γυνὴ Λυδία apud Achill. Tatium lib. I. pag. 17. atque *fœmina Lydia* Claudian. lib. I. de R. Proſ. verſ. 275. Verum, cum diſſertis extet verbis καὶ τις γυνὴ *Onomati* Λυδία *Nomine Lydia*, omnino ejus *proprium* nomen indicatur fuiſſe *Lydia*. Pervulgatus quippe is eſt SS. literarum ſtylus cum *proprium* nomen indicatur, ut ea phraſi gaudeant. Utemur tantum teſtimoniis ex hoc ipſo libro ſeu *Actibus* petitis, cap. V. 1. ἀνὴρ δέ τις Ἀνανίας ὀνόματι verſ. 36. φαρισαῖος ὀνόματι Γαμαλιὴλ. Cap. IX. 33. ἄνθρωπός τις Αἰνέας ὀνόματι. Cap. X. 1. ἀνὴρ τις ὀνόματι Κορνήλιος XI. 28. εἷς ὀνόματι Ἄγαβος, XVI. 1. μαθητής τις ὀνόματι Τιμόθεος. Add. cap. XVIII. 2. 7. 24. XIII. 6. 8. XXVII. 1. XXVIII. 7. Sic & de *fœminis*. Cap. IX. 36. μαθήτρια ὀνόματι Ταβιθὰ, XII. 13. παιδίσκη ὀνόματι Ῥόδη, XVII. 34. γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις, &c. Dein cum reapſe *Lydia* inter gentes *proprium* fuit nonnullarum muliercularum nomen, rationem haud video cur minus & heic loci perquam commode *proprium* indicare poſſit. Nota eſt inſulſa mulier, *Lydia* dicta, in quam epigramma compoſuit Martialis quod eſt 103. lib. XI. atque ita orditur:

> *Non eſt mentitus qui te mihi dixit habere,*
> *Formoſam carnem*, Lydia, *non faciem*.

Confer & ejuſdem L. Ep. 22. ſimiliter in *Lydiam* ſcriptum. Nec minus celebratur amica Horatii *Lydia* ad quam ſcripſit lib. I. oden. 8. cujus hoc principium:

> Lydia *die per omnes te Deos oro* &c.

Ad eandem habes & odon. XIII. & XXV. uti & dialogum Horatii & *Lydiæ* lib. III. od. 9. Etiam *Lydus* eſt nomen *proprium* pædagogi cujuſdam apud Plautum in Bacchidibus. Pariter & nomina *regionum locorumque* ſæpius & hominibus *propria* ſunt, uti in Aulularia Plauti ſervus vocatur *Libanus*, in Curculione Leno *Cappadox*, in Pſeudolo meretrix *Phœnicium* &c. Neque hac in re adverſi quidpiam eſt, quod *Thyatira*, domicilium *Lydiæ* noſtræ, fuerit *Lydiæ* regionis *metropolis*. Hæc enim ſæpius concordibus ſtant rationibus, ut homines *propriis* nominibus utantur iiſdem cum ipſis eorundem habitationum *locis*, ut id quod ceteroquin *gentile* eſt, ſimul ſit *proprium*, quemadmodum plurimi *Bremer*, *Hamburger*, *van Amſterdam*, *Rotterdam* &c. vocantur, illic locorum commorantes. Quod ut nunc fit ſic & olim contigit. Exemplo ſit tantum ne extra *Lydiam* vagemur, *Tmolus* ruſticus & Judex inter Apollinem Midamque regem, qui quidem Tmoli nomen *proprium* nactus eſt ut in *Tmolo* monte *Lydiæ* noſtræ, caſam, vitæ ruſticæ domicilium, adeptus eſſet illicque natus eſſet & educatus. Conſule Ovidium lib. XI. Metam. verſ. 156 ſeqq.

IX.

IX. His missis descendendum eo nunc est, quo nonnulla, ab eruditis illis quos indicabamus viris prætermissa, observemus de *purpura Lydia* atque *Sardianica*, quo partim huic materiæ aliquid accedat spicilegii, partim indicato uberius pervulgatissimo hoc illustrissimoque apud *Lydos* ritu, utriusque loci Biblici lux eo reddatur splendidior. Animadverte propterea, quod *Lydorum* fœminis solemne fuerit *vestimento* amiciri *purpureo*, omni procul dubio illo *propria* ipsis *purpuræ* fabrica ministrante. Colligimus id ipsum luculenter ex Historia *Herculis* & *Omphales*, reginæ, quod observa, *Lydorum*. Hunc enim, cum *muliebribus* officiis Omphale tradidisset, ei sandalio caput percutiens, indutum videmus instar mulieris *Lydiæ*, amictumque idcirco *vestimento purpureo*, quippe qui ἔξαινον ἔρια ἐν Λυδίᾳ ΠΟΡΦΥΡΙΔΙ ἐνδεδυκὼς ut hanc referens historiam loquitur Lucianus in Dialog. Deor. tom. I. op. pag. 209. Edit. Amstel. & in L. quom. conscrib. sit Histor. pag. 608. seq. Credibile enim vix est *Lydias* mulieres *aliena purpura* usas esse cum domi illis maxima copia subnascebatur, etiam Herculis ætate. Dudum enim *antiquissimis* temporibus in *Lydia* floruisse *purpura tingendi* artificium nobile, patet ex Homeri loco Il. δ. vers. 141. quem antea produximus, ubi *purpuræ Mæoniæ* seu *Lydiæ* æque ac *Cariæ* antiquissimus scriptor meminit, scholiaste rationem reddente ad vers. 142. ὡς τῶν χωρίων τούτων τὸ ΠΑΛΑΙΟΝ καλῶς ΒΑΦΑΙΣ χρωμένων: *quod in his regionibus* (Lydiæ & Cariæ) antiquissimis *temporibus optimæ essent* purpurariæ *tingendi officinæ*. Neque est cur his adversum esse existimemus Ovidium, dum Herculem scribit ab Omphale indutum esse *Gætulica purpura* lib. II. Fast. vers. 304. seqq.

> *Dumque parant epulas potandaque vina ministri,*
> *Cultibus Alciden induit illa suis.*
> *Dat tenues tunica* Gætulo murice *tinctas*,
> *Dat teretem Zonam qua modo cincta fuit*. &c.

Poetam enim committentem enallagen speciei *Gætulicam purpuram* pro *præstantissima* dixisse aut *quavis* etiam purpura ex familiari ejusmodi poetis loquendi more, pervidemus, uti & Seneca Herc. Fur. vers. 477. eandem *vestem* omphales vocat *Sidoniam*, quæ tamen uti nec in *purpurariis insulis* ita nec *Sidone* aut *Tyri* tincta fuit. Sæpius enim *Sidonia*, *Gætulica* & *Tyria purpura*, specie posita pro genere, quamvis indicat purpuram, quemadmodum & ipsa *Lydia* his insignitur nominibus, ut in citato Claudiani:

> Lydia Sidonio *quod fœmina tinxerit* Ostro

Et de *Milesia* seu *Caria*. Virgil. III. Georg. vers. 306.

> —— *Quamvis* Milesia *magno*
> *Vellera mutentur* Tyrios *incocta* Rubores,

Sic & de Apolline *Lydia purpura* vestito idem Ovidius lib. XI. Met. vers. 167:

> —— Tyrio *saturata murice palla*,

nec minus eandem, qua *Idmon* in *Lydia* habitans vestes tingebat, vocat *Phocaicam* lib. VI. Met. vers. 9.

> Phocaico *bibulas tingebat* Murice *lanas*.

X. Facienda & eorum heic loci omnino mentio est quæ apud Pollucem reperimus lib. VII. §. 59. inquientem: ΛΥΔΩΝ δὲ ΒΑΣΑΡΑ χιτών τις ΔΙΟΝΥΣΙΑΚΟΣ ποδήρης. Lydorum *vero* Basara *tunica quædam* Bacchica. Quantumvis de interstinctione horum verborum lis inter interpretes ex Codd. MS. collatione sit subnata, ex ipsa tamen orationis serie colligere est *Lydorum* quandam *vestem* dictam esse *Basara* vel *Bassara* βασσάρα, eamque Basaram esse *tunicam Bacchicam* seu propriam *bacchantium*. Quod unanimi consensu omnes largiuntur interpretes. At *bacchantium* indumentum cum fuerit *Purpureum*, apparet simul *Basara* & *vestem Lydiam* seu *purpuream* esse synonyma, qualis & ΛΥΔΙΟΣ ἢ ΠΟΔΗΡΗΣ χιτὼν *Lydia & Talaris tunica* per excellentiam vocatur Aristenæt lib. I. Ep. 15. ex quo loco alter Pollucis haud parum lucis adipiscitur. De Bacchantium *purpureo* vestitu plurima ex veterum scriptis repeti possent, sed, ne ea in re multi simus, consulantur Salmasii notæ in Tertull. de Pallio pag. 328. ubi id multis docet & simul *Bacchum* non nisi *purpureo* vestimento aut κροκωτῷ *crocota* conspicuum esse observat. Hinc *purpura* & *Bacchantium indumenta* Tertulliano sunt æquipollentia lib. de Pallio pag. 50. Ed. Salm. *Si Philosophus*, inquit, *in* Purpura, *cur non & in baxa?* —— *Digne quidem ut* Bacchantibus indumentis *aliquid subtinniret*. Tum & notandam *crocota* seu *croceo* colore, affine *purpureo* atque ipso *rubicundo*, tincta veste amictos esse

Bacchantes, quod æque multis docet Spanhemius ad Callim. H. in Apoll. verſ. 83. pag. 100. De *veſte* autem *Lydorum* dicta *Baſara* ſeu *Baſſara* & *Baſaris*, conferenda ſunt cum Pollucis loco quæ vetus Horatii Scholiaſtes ad lib. I. od. XVIII. verſ. II. (ubi nomine *Baſſarei* invocatur *Bacchus*) notavit, eumque mirifice illuſtrant. *Baſſareus*, inquit, *dictus eſt liber pater a genere* Veſtis Baccharum, *unde &* Bacchæ *dictæ* Baſſarides. *Perſius* (Sat. I. verſ. 100.) Baſſaris & Lyncem &c. Baſſaris *enim genus* Veſtis *eſt ad pedes uſque demiſſæ*, *dicta a* Baſſara *loco* Lydiæ *ubi fit*. Hæc Scholiaſtes. Verum *Baſſaram* locum *Lydiæ* alibi me reperiſſe non memini; at *Baſſaram* eſſe *Veſtimentum Lydium* ex hoc ipſo Pollucis loco manifeſtum eſt, quodque, quia *Bacchantium* fuit, *Lydique* ſummopere *purpuræ* artificio inclaruerunt, fuiſſe omnino *rubicundum* intelligimus. Utrum vero a *rubra tunica* illa *Bacchus* dictus ſit *Baſſareus* & *Bacchantes Baſſarides*, an a *Baſſaridibus* contra nomen acceperit *tunica*, cum perinde ſit, ſcire noſtra haud multum intereſt. Æque enim ac Bacchum *Baſſareum* & Bacchas *Baſſaridas*, ſic & *Bacchantia* quævis dicta eſſe *Baſſarica* novimus. Confer cum citato Perſii loco Tzetzen ad Lycophron. Caſſ. verſ. 771. Etymologicon M. Voce βασσαρεὺς, & notas doctorum ad Propertii lib. III. Eleg. XVI. 30. Præterea hanc veſtem *Lydiam*, quæ *Baſaræ* nomine venit, fuiſſe *purpuream*, ſaltem *rubicundo* tinctam fuco, ex ipſo *nomine* ejuſdem poſſe erui crediderim. Vi enim etymi *Baſara* ſubaudito ἐσθῆς interpretor *veſtimentum rubicundum*. Deſcendit enim Græcis peregrina vox ex Hebræa radice בסר (*Baſar*) cujus quamvis propria latet ſignificatio, vocabula tamen, quibus vel cum eadem eſt aliquid affinitatis, vel ex eadem deſcendunt, multum *ruboris* ſignificatione ſua involvere deprehendo. Sic Hebræis בסר (*Boſer*) & Chaldæis בוסרא (*Baſara*) & בסרא (*Buſera*) notat *uvam* nondum quidem *maturam* ſatis, quam Græci ὄμφακα vocant, attamen quæ *rubere* incipit. De aliis enim vitibus quam quæ *rufos*, gignunt botros has orientis populorum voces accipere non potes, quod in Palæſtina vicinaque regione, ubi hæc vox nata, *vinum*, quod aliunde conſtat, præter id quod *rubicundum* fuit, non facile reperiebatur. His in auxilium advoca quæ de *vini* & *botrorum* colore *ſanguineo* & *purpureo* cum alibi tum hac diſſ. §. 2. & 5. occupavimus, collatis Munckeri notis ad Fulgent. Lib. III. Mythol. cap. I. & Caſaub. ad Sveton. Aug. cap. 76. Porro *aurum* Hebræis ob *fulvum* & *rufum* colorem videtur בצר dictum eſſe. Vide Jobi XXII. 24. 25. Hæc enim vox a priori בסר non niſi orthographia, permutatis ſibilantibus, diverſa eſt, ut ſæpe voces apud Jobum & ceteros ſcriptores ſacros diverſa orthographia ſignatæ ſunt. Id enim ita ſe habere ex verbo בצר diſcimus Hebræis *vindemiare* denotante a בסר *uva* ſeu *omphace*. Auro vero ob *rufum* colorem pariter tribuitur *purpureus* ut apud Columell. lib. X. 101. *purpurare auro*. Etiam hoc notandum & *vulpes* Græcis dictas eſſe βασσάρους, βασσάρας & βασσαρίδας eodem *Bacchantibus* alias proprio nomine. Tzetzes loco citato βασσάρα inter alia notare dicit εἶδος ἀλώπηκος. Confer Lexica Græca Suidæ, Etymolog. M. & Heſychii quæ idem docebunt. Neque dubium eſt quin ex Hebræa Græcaque lingua nactum ſit originem vocabulum BAZΩP quo etiamnum *Coptos* indicare *pellem vulpinam* eruditi memorant, quæ & ipſa βάσσαρεις dicta fuit. Quis vero non videat hoc nomen, ut *bacchantibus* a veſtitu *rubro*, ita *volpi* ob *rufos*, quibus cooperta eſt, *pilos* tribui? unde & Germanis in proverbium abiit, roth wie ein Fuchs item: er ſchämet ſich wie ein Fuchs: aliaque his ſimilia.

XI. Hæc vero ad ea me invitant, quo heic loci etymo *Bozræ*, celeberrimæ *Idumæorum* regioni civitatique cognomini facem accendam. Quidſi enim cenſeremus illud ab hac ipſa voce בסר ortum eſſe, cum antea jam probatum dederimus in hac ipſa voce צ & ס, quod & alias ſæpiſſime contingit, permutari? Ita quidem בצרה *Bozra* ſub audita voce ארץ vel עיר aut קרת *regionem* Rubram *locumve* indicaret. Certe & doctiſſimus *Altingius* id nomen & ex בצר, quod *aurum* eſt, deduci poſſe conjecit num. III. Parallelism. Vaticin. *Aurum* vero ob *rubedinem* coloris Hebræis dictum eſſe בצר antea obſervavimus. Adprime etiam id nominis *Bozræ*, convenit Civitati *Idumææ*, regionis ארץ ארום dictæ quæ & ipſa propria ſignificatione *rubræ regionis* γῆς φοινίκης notionem involvit: Ita eundem in ארץ בצרה, quæ *Idumææ* pars eſt, ſenſum reperiremus. Summopere autem hanc commendare videtur etymologiam egregius Eſaiæ locus LXIII. verſ. I. ſeq. de victore *Idumæorum*. *Quis eſt qui deſcendit* מארום *ex* Edomo, Rubicundus *veſtibus* מבצרה *de Bozra*? Cum enim victor ille *Rubicundis veſtibus* erat indutus verſ. 2. inde egregia in voce אדים verſ. I. eſt alluſio ad has veſtes *rubras* בגרים ארמים utpote quæ ipſa *Edomi* vox nil niſi *rubrum* indicat. Vide Geneſ. XXV. 30. Pari

ri ratione & similem latere allusionem in voce בצרה ad ejus etymon, fit vero persimillimum cum Hebræis nihil sit solennius, præcipue in Prophetis & carminibus, ac ejusmodi similitudinibus nominum ludere, præcipue cum vers. I. 6. nulla fere nisi de rebus *rubris*, velut vestibus *rubicundis*, calcatione torcularis botris *rubris* repleti, &c. mentio fiat. Forte & quia sæpius *calcationis* in *torculari* meminit Propheta voce hac בצרה *Bozra* ad alteram, unde plurimi ejus petunt natales, alludit, quæ בצר est & *vindeminare botros*, qui in Palæstina *rubri* erant, indicat, quam & ipsam vocem, בצר, & quæ inde descendunt, ab *uvarum*, quæ vindemiantur, *rubedine*, originem sortitam esse §. prec. animadvertimus. Quemadmodum autem in ארום subaudienda est ארץ *regio* ut elliptice passim dicitur Jerem. XLIX. 22. I. Reg. IX. 15. &c. nec minus plene quoque dici ארץ ארום γῆ ἐδὼμ reperimus num. XXXIII. 37. I. Reg. IX. 26. &c. Ita idem in בצרה usu venit, adeo ut non solum *urbem* Bozra, sed & circumjacentem illi *regionem* eo nomine intelligere possis. Idem in *Theman*, ejusdem *Idumææ* loco observa, quæ vox in sacris tantum videtur *urbem* solum indicare primo intuitu Jerem. XLIX. seq. Amos lib. II. Verum per ellipsin vocis ארץ non modo *urbs* sed & *regio* vicina *Theman* eo nomine intelligenda. Dari enim eque *regionem* *Theman* in *Idumæa* ac *villam* quandam Hieronymus egregie observavit in locis Hebraicis. Atque hec *Lydorum Basaræ* illustrande satis sint, ad quorum *purpurea vestimenta* proinde revertimur.

XII. Quam enim id artificium *purpura* tingendi *vestes* in ea regione solemne fuerit, plurima nec minus ab aliis prætermissa, veterum docebunt testimonia. Referendus eo Claudianus lib. I. de Rapt. Proserp. vers. 271. seq.

> *Sensit adesse Deas, imperfectumque laborem,*
> *Deserit, & niveos inficit* Purpura *vultus,*
> *Per liquidas succensa genas, casteque pudoris,*
> *Illuxere faces, non sic decus ardet eburnum,*
> Lydia *Sidonio quod* Fœmina *tinxerit* Ostro.

Ovidius lib. VI. Metam. *Arachnes* puellæ *Lydiæ* fabulam explicans, his *Lydiam* regionem verbis celebrat. vers. 61.

> Illic *&* Tyrium *quæ* Purpura *sensit* Ahenum
> Texitur, *& tenues parvi discriminis umbræ.*

Neque enim *Arachne* alia quam puella *Lydia* fuit hac vestium *textura tincturaque* celeberrima, unde fabula de *Arachne* in *araneam* mutata originem nacta est. Observemus enim & Arachnes *Patrem*, utut *Colophonium* origine, tamen *Hypæpis* in *Lydia* habitantem, *purpuræ tinctura* sibi vitæ quæsivisse præsidia. Docet id pariter ibidem Ovidius vers. 5. seq.

> *Mæoniæque* (id est *Lydiæ*) *animum fatis intendit* Arachnes,
> *Quam sibi lanificæ non cedere laudibus artis,*
> *Audierat*. (Minerva) *non illa loco nec origine gentis*
> *Clara, sed* Arte *fuit.* Pater *huic Colophonius Idmon,*
> *Phocaico bibulas* Tingebat Murice *lanas.*

Idem de Arachnes *matre* pariter Ovidius refert versibus hæc proxime excipientibus.

> *Occiderat* Mater. *Sed & hæc de plebe, suoque*
> *Acqua viro fuerat: Lydas tamen illa per Urbes*
> *Quæsierat Studio* (texendi & tingendi) *nomen memorabile, quamvis*
> *Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis.*

Hypæpam autem, ubi Arachnes habitabant parentes, non modo *Lydiam* urbem fuisse nota, verum etiam *Sardibus* nostris *proximam*, utpote quarum confinia *Tmolus* mons, utramque interjacens, diremit docente id ipsum Ovidio lib. XI. Metam. vers. 150. seq. situm *Tmoli* commemorante,

> —— *Riget arduus alto*
> *Tmolus in adscensu, clivoque extentus utroque,*
> *Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.*

Plura qui de situ urbis *Hypæparum* desiderat, ea ex Spanhemii petat notis ad Callim. Hymn. in Dian. vers. 257. pag. 306. Nec minus heic loci commemorandus *Apollinis* vestitus, quo eum exhibet amictum Ovidius quando cum *Pane* de artis canendi fidibus præstantia certabat. Quod quidem ut in *Lydia* accidit, & Apollo *Tmoli* Pastoris judicio in *Tmolo* mo-

monte *Lydiæ* ſedentis judicem, victoriam nactus eſt, ita & *Lydiæ purpuræ* indutus fuit ſplendido ornatu lib. XI. Met. verſ. 166.

> *Ille*, inquit, *caput flavum lauro Parnaſſide vinctus*,
> *Verrit humum Tyrio ſaturata Murice Palla.*

Maxime enim hæc Apollinis *purpura* fuit *Lydia*, quia tum in eadem commorabatur regione, quo ex decoro erat ſe *purpura Lydia* veſtire. Notemus & hæc ejuſdem poetæ de *Mida*, rege quiſdem Phrygiæ, ſed Lydiæ *vicinæ* regionis. Is enim cum in *Lydia* verſaretur judiciumque *Tmoli* de Apollinei cantus præſtantia præ Panici improbaret, eaque propter ipſius capiti Apollo *Aſininas* aures donaſſet, hæc addit poeta verſ. 181.

> *Ille quidem celare cupit* (aures illas) *turpique pudore*,
> *Tempora Purpureis tentat velare tiaris.* &c.

Quidni enim hanc *purpuream tiaram* Midæ fuiſſe *Lydiam*, memorati de cauſſis, adſtrueremus? Ne commemorem vetuſtiſſimos *Lydorum* reges, qui illic ante tempora Cyri rerum potiti ſunt, *purpureo* veſtitu ſplendidos fuiſſe, quod eo colore omnes fere reges, ut cariſſimo auguſtiſſimoque, delectati ſint. *Crœſi* exemplo id tantum adſtruxiſſe liceat, quem παντοδαπῶς ornatum in regio throno ſedentem adeo ſuperbia elatum fuiſſe refert Laertius lib. I. §. 50. ut Solonem rogaſſet *an pulchrius unquam ipſo ſpectaculum vidiſſet*, illum vero ſpendorem quem pennæ *Gallorum*, *Phaſianorum* & *pavonum* oſtendunt ejus ornatui prætuliſſe. Oportet idcirco ut inter cetera & *purpura* nituerit Crœſus. Quippe harum avium pennas verſicolores ut plurimum *iridi* comparari meminimus, quæ quidem.

> *Millo trahit varios adverſo ſole colores*:

attamen inter eos *purpura* principe loco eſt, quocirca & *iris* dicitur Propertio lib. III. Eleg. IV. verſ. 54. *arcus purpureus*, eique *croceæ pennæ* dantur a Virgilio lib. IV. Æn. verſ. 700.

XIII. Subit etiam animum cogitatio *Lydos*, & inter eos maxime *Sardienſes*, veſtimenta non *purpureo*, modo, ſed & pigmento *Croceo* infeciſſe. Cauſam, cur id cenſeam hæc eſt, cum quod olim veſtimenta *croco* æque ac *purpura* veteres artis infectoriæ periti ubivis tinxerint: tum quod *Lydia* & præcipue *Tmolus* mons *croci* floribus abundaverit, qui ad hunc tincturæ uſum dubio procul illic culti & lecti videntur. Ita Columella refert lib. III. cap. 8. Tmolon & *Corycion* (montes) *florere* Croco. Solinus cap. 41. *Mons* Lydiæ Tmolus croco *florentiſſimus*. Virgilius commemoraturus ubi res quævis præſtantiſſimæ proveniant inde *lib.* I. Georg. verſ. 56. inquit,

> —— *Nonne vides Croceos ut Tmolus odores*,
> *India mittit ebur*, &c.

Quæ ad hunc locum Servus de *Tmolo* monte *Ciliciæ* præſtantiſſimo *croco* florente nugatur, non tangimus, quod ea ſatis ab interpretibus confutata videamus. At quæ habet de *Tmolo Lydiæ* non eſt quod prætermittamus. *Sed* Tmolus, inquit, *eſt mons etiam* Lydiæ, *circa oppidum* Sardis, *qui diverſis floribus abundat*, *unde multi de Tmolo croceos odores* ſimiles croco *accipiunt*: *alii non dixiſſe eum* crocum *apud* Tmolum *naſci*: *Sed* vinum Tmoleticum *crocei odoris*. Priorem explicationem eorum, quos ſcholiaſtes citat, ſcriptorum falſam eſſe quod *crocei odores* ſint *croco ſimiles* priora loca evincunt abunde teſtantia *croco* fuiſſe *Tmolum* montem florentiſſimum. Neque huc pertinent quæ de *vino Tmoletico* refert, utut *Tmolum* fuiſſe *vitibus* denſum non eamus infitias, quod pluribus ὄινον Τμωλίτην celebratum novimus, ſæpiuſque *vineta Tmoli* laudata. vid. Salmaſ. in Solin. pag. 588. & Cellar. Ant. Geogr. lib. III. cap. IV. pag. 126. quorum obſervationibus adde Ovidium lib. IV. ex Ponto. Ep. XV. verſ. 9. & lib. XI. Metam verſ. 87. Id vero innuit ſolum Virgilius *optimum crocum* naſci in *Lydia* ut optimum *ebur* in *India*, *thus* in *Arabia* &c. docente id aperte orationis cohœrentia. Recte autem Servius *Tmolum* facit montem *Lydiæ* & quidem, quod notandum bene, Sardibus *vicinum* quod & ex Solini loco memorato diſcimus. Plinius etiam *Sardes in latere Tmoli montis* fuiſſe ſitas adſerit lib. V. c. 29. Imo *Tmolum* inter *Sardes* & *Hypæpam* collocat *medium* Ovid. lib. XI. Metam. verſ. 152. Adde & Herodotum qui lib. I. cap. 101. refert fluvium *Pactolum* vicinum monti *Tmolo* per *mediam* urbem *Sardienſium* fluere, & quod cap. 85. memoret urbis *Sardium* fortiſſimam partem obverſam eſſe urbi *Tmolo* quæ monti vicina ab eo nomen nacta eſt. Alias & *Tmolum* vindicant *Lydiæ* (ut Servii errorem agnoſcas in

in loco Virgilii de *croco Ciliciæ* cogitantis) unanimes consensu scriptores vid. Lycophron Cass. vers. 1351. eum jungens, de *Lydia* agens regione, cum *Cimpso* oppido & Pactolo fluvio *Lydorum*. Strabo lib. XIII. pag. 430. Ovidius VI. Met. vers. 15. lib. XI. vers. 87. 120. seq. Item *Mæoniam* i. e. *Lydiam* porrectam esse Τμώλῳ ὑπ' ἠνεμόεντι *sub Tmolo ventoso* scribit Dionys. Perieg. vers. 831. & *Mæonas* sub *Tmolo* natos Homerus in Catal. Nav. vers. 373. ubi Scholiastes Τμῶλος ὄρος Λυδίας ἀφ' ȣ̃ καταφέρεται ὁ Πακτωλὸς ποταμός. Hinc & *Lydia Tmolite* memorata Vitruvio lib. VIII. cap. 3. idque ipsum ex *Lapide Lydio* seu *coticula* aurum argentumque probante, qui inde *Lydii* nomen accepit, *quod quondam non solitus inveniri nisi in flumine* Tmolo ut ex Theophrasto tradit Plinius lib. XXXIII. cap. 8. haud dubie pernoscimus. Denique & *Lydia* hinc *Tmolia terra* dicta Ovidio lib. IV. ex Ponto Ep. XV. vers. 9. Sardienses itaque *croco* suo in vicino *Tmolo* nascente ad *vestium* infectionem usos esse quis negare vellet? *Lydos* quippe hoc ipso & *croco* suo vestes infecisse ex adducto Pollucis loco haud dubie apparet qui *Basaram* vestem *Lydiam* esse & *Bacchantium* scribit. Vestitum vero *Bacchantium* & *ipsius Bacchi* fuisse *Croceum* & hinc *crocotam* dictum, ibidem monuimus multis *Salmasium Spanhemiumque* comprobasse. Inde & *Tmolum* fuisse *Baccho* sacrum, non modo quod *vitibus* ut antea probavimus, sed & quod *croco*, quo delectatur Bacchus colore & floribus, consitus fuit, auguror, unde & discimus qui *vinum Tmoleticum* fuisse *crocei odoris* scripserit Servius, quem vel ex nascente inter vites croco hausit odorem, vel quod Lydis solenne fuerit vinum suum croco inficere. Baccho vero inde *sacrum* fuisse *Tmolum* indicant hæc Ovidii lib. XI. Met. vers. 87. de *Baccho* dicentis quod petierit *Sui* (sibi proprii) *vineta Timoli*. & Senecæ in Phœniss. vers. 602.

Hinc Nota Baccho Tmolus attollit juga.

Hæc vero de *crocea* tinctione vestium, apud *Lydos* frequenti, eo magis heic locis adducimus ubi de *purpura Lydia* agimus, quod satis constet *crocum* & *purpuram* ob *affinitatem* colorum in luxurioso *vestitu* denotando jungi, ut apud Virgil. lib. IX. Æn. vers. 614.

Vobis picta Croco & splendenti Murice vestis.

lib. XI. vers. 772.

Ipse peregrina Ferrugine (specie *purpuræ*) *clarus & Ostro*,

Dein. vers. 776.

Tum Croceam chlamydem &c.

Adeo ut & πορφυεὶς & κροκωτὸς sæpius ut *synonyma* permisceantur, quemadmodum ζύσιδα (quod *splendidum* erat vestimenti genus Athenis idque partim *mulieribus* proprium, ut ex Schol. Aristoph. in Lysistr. vers. 1191. & Schol. Theocr. ad Idyll. II. vers. 74. discimus, partim & *equitibus* qui eo in pompa utebantur) Scholiastes Aristoph. ad Nubes. vers. 70. alter explicat πορφυεῖδα ᾧ καὶ οἱ βασιλεῖς χρῶνται *Purpuream vestem quo & Reges utuntur*, alter Κροκωτὸν ἱμάτιον ὃ οἱ ἡνίοχοι φορȣ̃σι μέχει νῦν πομπεύοντες *Croceam qua equites utuntur in pompa*. Sic & *fascias* quibus pueri involvebantur inde *Porphyrogennetæ* dicti. Pindarus alibi κροκωτȣ̀ς dixit alibi πορφυρέȣς notante Sphanhem. ad Callim. pag. 101. Pariter & *aurora* sæpius Κροκόπεπλος qs. *croceam vestem* habens dicta poetis. Vide Homerum Il. T. V. vers. I. eique hinc *cubile croceum* datum a Virgil. I. Georg. vers. 447. IV. Æn. vers. 585. IX. 460. & *rotæ croceæ* Ovid. III. Met. vers. 150. Eidem tamen & *purpureus* conceditur. Idem in Ætna.

Purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro.

Æn. XII. vers. 77. *Puniceis invecta rotis Aurora rubebit*. Adde quæ antea de colore *iridis* cum *croceo* tam *purpureo* §. præc: sub finem monuimus. Etiam quod *Herculem* amictus *purpura* §. 9. produxerimus, qui tamen omphalæ serviens sæpe κροκωτοφόρος in scenam producitur. Nec id mirum, sicuti *sanguine* Hyacynthi pueri tactus flos hujus nominis, *purpureus* redditus, ita & *flos* crocus tradatur natus de *sanguine* pueri *Croci*. Vid. Ovid. lib. IV. Met. vers. 283. *Sanguinem* vero dici *purpureum* §. 5. vidimus, quibus junge quæ de *croceo colore* dicto *rubere* & *sanguini* dato observavit Illustriss. Spanhemius ad Callimach. H. in Apoll. pag. 102.

XIV. Spectat etiam ad *Sardianicam purpuram* locus Aristophanis in Vespis, ubi Bdelycleon patri Philocleonti persuadere annititur ut centone, quo indutus erat, deposito, *elengantiorem* vestem indueret. Eam autem Comicus Περσίδα

Per-

Persicam & καυνάκην *gaunacum* vocat, item σισύραν *Sisyram* verſ. 1132. & 1133. At cum ſenex ſe, peregrina hæc veſtis quæ eſſet, ignorare profitebatur, adeoque eam induere nollet, reſpondet filius verſ. 1134.

> Κ' ἐκ θαῦμα γ'. ἐς ΣΑΡΔΕΙΤ γὰρ ἐκ ἐλήλυθας,
> Ἔγνως γὰρ ἄν. Νῦν δὲ ἐχὶ γινώσκεις.

> *Haud mira res eſt, ut pote cum Sardes* (ubi veneunt) *non videris,*
> *Bene iſta noſſes* (ſi ibi fuiſſes) *quæ nunc ignoras.*

γαυνάκην ſeu σισύραν eſſe veſtem quæ frigori arcendo humeris ceteriſque veſtimentis ſuperinjiciebatur, qua & *ſtragulæ* loco, cui indormirent, utebantur, atque hinc ἑτερόμαλλον ſeu *villis flocciſque* ex altera parte ornatam, etiam ἀμφίμαλλον *utrinque* villis denſam fuiſſe, ſcriptores teſtantur. Conſule præter ſcholia ad hunc locum, Heſychium alioſque: Jungermannum ad Pollucis lib. VI. §. 11. pleniuſque doctiſſimum Hemſterhuſium ad ejuſdem lib. X. §. 123. tum & notas P. *Mollii* ad Longi Paſtoral. lib. II. pag. 39. & Scaligeri ad Varronem in *Gaunacum*, quæque ad eandem vocem in Lexico congeſſit Martinius. Quantumvis vero ejuſmodi veſtis ſæpe ſordida erat & plebeja alias μηλωτὴ dicta viliumque inde hominum indumentum, ut ibidem Hemſterhuſius monet: nihilotamen ſecius γαυνάκαι erant ſæpe veſtimenta longe pretioſiſſima, qualem hanc, cujus Ariſtophanes meminit, fuiſſe exinde videre eſt, quod eam *talento* conſtitiſſe adſeveret verſ. 1142. Quæ cum ita ſe habeant, obſerva ejuſmodi *Gaunacum* fuiſſe *Purpureum*. Hinc καυνάκων πορφυρῶν mentio apud Pollucem lib. VI. §. 11. Menandrum, alioſque ut ibidem loci Jungermannus & Hemſterhuſius notarunt. Hinc cum illas καυνάκας magno numero *Sardibus* venire innuat Comicus, omnino ejuſmodi intelligimus quod *Sardianica purpura* tinctum erat. Aliter enim ſi fuiſſet, certe *talento* ad eam texendam haud opus fuiſſet. Περσὶς autem idem veſtimentum vocatur, quod eo *Perſæ* admodum utebantur, & fortaſſe ex *Perſia* in *Lydiam* ceteraſque regiones Græciæ ejus forma delata eſt. *Lydos* enim paruiſſe Perſis, devictis a Cyro *Sardibus* noſtris captoque rege *Crœſo* meminimus. Vide Herodotum lib. I. cap. 80. ſeq. unde & Scholiaſtes Σάρδεις πόλις Λυδίας ὑπὸ Πέρσαις ſeu *ſub Perſarum* eſſe *imperio* affirmat. Hinc enim, ut dominantium veſtitus plerumque ad devictos tranſit, ita *Sardibus* & *Perſica* indumenta tincta videntur. Saltem ejuſmodi *Purpureæ veſtes* ex Perſia in *Lydiam* delata ſunt, quo iis *Sardienſes* ceterique populares amicirentur. Hinc & ejuſmodi καυάκην texi in *Perſica* urbe *Ecbatana* teſtatur dein Comicus verſ. 1138. ſeq. *Perſica* autem *veſtimenta ſtragulaſque* (cui uſui & καυνάκαι adhibebantur) fuiſſe *purpurea* aut *purpura* ſaltem mixta novimus. Vide Æliani lib. IV. Hiſtor. An. cap. 46. Cui rei & documento ſunt *Perſicæ tapetes purpurei*, qui exinde etiamnum in noſtras devehuntur regiones.

XV. Dum in Ariſtophane explicando verſor, memini & alterius loci, quem nec minus *Sardianicam* illuſtrare *purpuram* poſſe cum doctiſſimo interprete conjicere. Legitur in Pluto verſ. 536. ubi Paupertas contra Chremylum cauſam ſuam agens, memorans, ſi divitiis omnes homines pares eſſent, eoſdem & omnibus vitæ delitiis carituros æque, inter alia & hæc refert, eos.

> Οὐθ' ἱματίων βαπτῶν δαπάναις κοσμῆσαι ποικιλομόρφων,

> *Neque ſumtuoſe tinctis variegatiſque coloribus ornatis amictum iri.*

quod nemò tum foret qui eas texere vellet divitibus laborem tunc fugientibus. Per βαπτὰ ἱμάτια Comicum indicare *Purpurea* non eſt cur dubitemus, ex quo id luculentis exemplis Illuſtris Spanhemius docuit. Hoc tantum heic loci obſervo, videri admodum veroſimilem illuſtriſſimi viri conjectationem, illa veſtium βάμματα, quorum illic extat memoria, eſſe vel tincturæ *Mileſiacæ* vel *Sardianicæ*, panno purpureo *Mileto* vel *Sardibus* delato *Athenis*. Præterea vero quidni generaliori nomine, dum βαπτῶν ἱματίων meminit, *utranvis* purpuram & *Mileſiam* & *Sardianicam* a Comico innui credamus? Eæ enim urbes Athenas maxima copia purpureas merces mittebant, unde hujus utriuſque βάμματος alias ſingulatim, (alterius vero ut *Tyrii*, *Gætulici* &c. non item) apud Ariſtophanem indicium, & quidem Σαρδιανικῆ φοινικίδος in Acharnenſ. verſ. 112. & Pace verſ. 1. 138. Στρωμάτων vero Μιλησίων in Ranif. verſ. 549. & ἐρίων Μιλησίων Lyſiſtr. verſ. 732. *Mileti* enim æque ac *Sardibus* variæ res ut *vellera*, *lanæ*, *tapetes*, &c. *purpura* inficiebantur, ut ex Spanhemii notis ad illum Pluti & citatum Ranarum locum diſces, quibus adde Scholiaſten Theocriti ad Idyll. XV. verſ.

verſ. 126. collatis Bocharti egregiis obſervationibus Phalegi lib. I. cap. VI. pag. 26. & notis doctorum ad illa Virgilii lib. III. Georg. verſ. 306.

—— Quamvis Mileſia magno,
Vellera mutentur Tyrios incocta Rubores.

Ariſtophanem præterea ad *utramque* ſolum purpuram, miſſis ceteris reſpicere, inde videtur colligi poſſe, quod *purpura Mileſiorum* ſeu *Carum*, aut *Sardianicorum* ſeu *Lydorum* maxime præ ceteris *Grecis* nota fuerit. Hinc non tantum Ariſtenæto *lib.* I. Epiſt. 15. ΛΥΔΙΟΣ, χιτὼν *Lydia* & talaris *tunica*, & ΠΟΡΦΥΡΙΔΕΣ *purpurea* veſtimenta; Sed & θεράπαιναι τῆς ΚΑΡΙΑΣ *ancillæ Cariæ* junguntur ΛΥΔΩΝ γυναιξὶ *Lydis mulieribus* quæ ſummopere arte *texendi* excellebant utpote quarum, cum *Caricarum* tum *Lydiarum*, opera *purpurea* veſtimenta, tapetes &c. parabantur; Indæ hanc purpuram *utramque* aliis miſſis jungit Homerus loco toties citato II. Δ. v. 142.

—— ἐλέφαντα γυνὴ ΦΟΙΝΙΚΙ μιήνῃ,
ΜΗΟΝΙΣ ἠὲ ΚΑΕΙΡΑ. ——

Ubi Μήονις, quam *purpura* tingere *ebur* dicit poeta, eſt *Lydia*, ut *Lydia* olim & *Mæoniæ* nomen habuit; Κάειρα vero eſt *Caria* mulier; vide Cl. Bos Obſ. Crit. cap. 30. Præterea ad ejus loci illuſtrationem obſerva, uti *Sardes* urbs *Lydiæ*, ita *Miletum* fuiſſe *Cariæ*. *Carica* itaque eadem eſt *purpura* ac *Mileſia*, ut *Lydia* eadem & *Sardianica*. Quamvis enim *Miletus* fuerit *Jonum* civitas, condita tamen eſt in agro *Carum* quo & *Cariæ* eam plurimi accenſent. Stephano Byzantino hinc audit πόλις ἐπιφανὴς ἐν ΚΑΡΙΑ τῶν Ἰώνων. Ita & *Miletum* cum aliis Joniæ civitatibus ſitam eſſe ἐν Καρίῃ teſtis eſt Herodotus lib. I. Cap. 142. Scylax & Ptolemæus ejuſdem rei autores ſunt inter *Cariæ* civitates numerantes *Miletum*. Quemadmodum vero *Lydia* ſic æque *Caria* quondam excelluit *purpuraris* officinis, quod præter ea quæ de *Mileſia* diximus *purpura*, egregio documento eſt inſula *Co* quæ *Carica* eſt, teſte Mela *lib.* II. Cap. I. Ibi quippe præſtantiſſima *purpura* res variæ tingebantur, quæ hinc a patria *Coæ* nomen accepit. Horatius *lib.* IV. Od. XIII. verſ. 13.

Nec Coæ referent jam tibi Purpuræ.

Juvenali Sat. III. verſ. 101. inde celebrantur *Conchylia Coa* id eſt *Græca purpura* interprete veteri Scholiaſte. Adde antiquum Horatii commentatorem *Coæ purpuræ*, inquit, *pretioſæ a loco. Nam in Co inſula veſtes tenuiſſimæ texuntur & ad delities muliebres & luxum Optimaque Purpura tinguntur.*

XVI. Harum rerum adnotatio eo quoque te ducit, ut ſcriptores, quotieſcunque *Purpureorum Tapetium* meminerunt præcipue, cum de *Græcis* rebus ſermo eſt, cenſeas eos *Mileſios* indicare vel *Sardianicos* Martial. lib. XIV. Ep. 147.

Stragula Purpureis lucent villoſa Tapetis.

Plautus Pſeud. A. I. ſc. II. verſ. 14. *Alexandrina belluata, Conchyliata Tapetia* hoc eſt Conchylio ſeu *purpura* βαπτά, quarum in Sticho A. II. ſc. III. verſ. 54. etiam mentio fit. Horatius. lib. II. Sat. VI. verſ. 102.

—— Rubro ubi cocco,
Tincta ſuper lectos canderet Veſtis eburnos.

Et verſ. 106.

Ergo ubi Purpurea porrectum in Veſte locavit.

Veſtis nomen ibi indicat *tapetes*, quibus olim indormiebant mollioris vitæ addicti conſuetudini, ut ex aliis liquet locis. Virgil. lib. IX. Æn. verſ. 325. Athen. lib. II. cap. 17. Statio lib. I. Theb. verſ. 518. Ariſtoph. Pluto verſ. 528. &c. tum, quia illi *tapetes* erant *purpurei*, hinc Lentinum dormiiſſe in *purpureo toro* ſcribit Martial. lib. XII. Ep. 17. Adde lib. XI. Ep. 57.

Conſtringatque tuos Purpura texta Toros.

ubi *purpura texta* indicantur *tapetes purpurei* qui arte mira, *Sardibus*, *Mileti*, &c. *texebantur*. Denique & *purpureorum tapetium* quibus ornati equi, mentio apud Virgil. lib. VII. Æn. verſ. 277.

Inſtratos oſtro alipedes Pictiſque Tapetis,

Refero & ad priora ea Statii lib. II. Theb.

Fuderat Aſſyriis extructa Tapetibus alto.
Membra toro ——

Ubi *Aſſyrii tapetes* dicuntur pro *purpureis*,

reis, ut de *Sidoniis* & *Tyriis* diximus §. 9. Hinc & *pulchri tapetes* ob eximium illum colorem audiunt Virgil. IX. Æn. verſ. 358. Nec minus & ἁλιπορφύρων ταπήτων ſeu *marina Purpura tinctorum Tapetium* mentio apud Anacreontem od. XI. quos ad *Sardianicos* & *Mileſios* eſſe referendos jam ad Ariſtoph. Plut. verſ. 538. obſervavit Illuſt. Spanhemius. Illis autem quæ vir ſummus ex Theocriti Idyll. XV. verſ. 125. & ad Ranas verſ. 549. collegit de *Mileſiis tapetibus purpureis*, adde quæ ad utrumque locum veteres ſcholiaſtæ obſervarunt. Præter *Mileſia* autem *Sardianica Tapetia* fuiſſe celeberrima, quibus indormiebant veteres vel ex illis Varronis apud Nonium apparet ex ejus Hercule Socratico: *Cubo in Sardianis Tapetibus inter chlamydes & Purpuream amicula*. Alias & *Sardianorum tapetium* alibi apud ſcriptores frequens mentio cum *Lydi* & *tingendi texendi* tapetes arte excelluerint, quæ, quod docte explicuerit ſatis Cl. *Biel* in cit. diſſert. §. 4. & 9. heic loci non eſt quod repetamus. Quamvis vero ἁλιπορφύρων ταπήτων Anacreon meminerit ſeu *purpura Marina tinctorum*, non tamen eſt quod objicias *Sardianicam* commode intelligi non poſſe eapropter quod *Sardis maritima* haud fuerit civitas. Nam *oſtrum* & *conchæ* facillime potuerunt devehi Sardes ad locum a mari non longe diſſitum. Alia, ad confutandum ſimile Cl. *Nurræ* contra *purpuram Sardianicam* argumentum annotavit idem vir eruditiſſimus §. 8. Ceterum & *Aſiatica tapetia* occurrunt apud Plautum Sticho A. II. ſc. III. verſ. 54. ubi de *Mileſiis* pariter & *Sardianicis* commoda eſt cogitatio. Sed de his fortaſſe ſatis diximus. Quapropter quæ hanc in rem diſputavimus, ad hypotheſeos noſtræ elucidationem accommodemus.

XVII. Nimirum ad hunc *purpura tingendi veſtimenta* morem qui, cum in univerſa regione *Lydorum* tum maxime eorum urbe principe *Sardibus* erat uſitatiſſimus, alludere heic loci Johannem, dum hæc *Sardienſibus* ſcribit: ejus cauſæ eo luculentior apparebit ratio, ex quo videbimus iis paucis ὀνόμασι ſeu *hominibus* (ὄνομα enim, ut Hebræorum שם, in SS. literis ſæpiſſime pro homine ſumitur ut docte Grotius obſervat) qui οὐκ ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια αὐτῶν indicari ejuſmodi qui adhuc *Albo* utebantur *veſtitu*; οἱ περιπατήσουσι ἐν ΛΕΥΚΟΙΣ, hoc eſt quorum veſtimenta nondum alio erant colore βαπτὰ, ſed virgine lana, ut ita loquar, quæ *alba* eſt, conſtabant. Unde videmus *albo* colori, ſeu veſtibus non *tinctis*, opponi alium, quo veſtes *tingebantur*. Quem vero eum alium eſſe decerneremus quam *rubicundum* & *Purpureum* qui SS. literarum ſtylo ut plurimum *albo* contrarius eſt Eſaiæ I. 18. *Si fuerint peccata veſtra velut Coccinum, Albeſcent tanquam nix: Si fuerint Rubra tanquam vermiculum, velut lana erunt Alba*. Cant. V. 10. *Amicus meus eſt Candidus & Rubicundus* & verſ. I. *Bibi Vinum meum cum Lacte meo*. Vinum enim in Palæſtina fuit *rubicundum*, unde ea comparatio Gen. XLIX. 12. *oculos Rubicundus præ Vino & Albus dentes præ Nive*. Chriſti capilli Apoc. I. 14. dicuntur λευκοὶ *Albi ut Lana Alba & ut Nix*: Cantic. vero VII. *pilus capitis ejus eſſe* (rubicundus) *ut* כארגמן מלך *Purpura Regia* ſeu *præſtantiſſima*. Inde & in Apocal. VI. 2. 4. oppoſiti ſunt ἵππος πυῤῥὸς *Rufus*, & λευκὸς *Albus*. Maxime vero omnium *Veſtimenta alba* opponi *purpureis* cernimus. Chriſtus ita conſpicitur Apoc. XIX. 13. περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον ΑἽΜΑΤΙ *amictus veſtitu Sanguine* (uvarum) *tincto*: at multitudo quæ ipſum ſequebatur equitans ſuper equos albos induerant βύσσινον ΛΕΥΚΟΝ καὶ καθαρὸν. Byſſinum enim cum *purum* erat nec *purpuræ* cruore infectum, ſumme *albebat* & ſplendebat. Fidelibus Chriſti ſervis cum tribuuntur ΛΕΥΚΑ ἱμάτια & λευκαὶ στολαὶ Apoc. II. 5. IV. 4. VI. 2. &c. illi *oppoſitam* mulierem Johannes contra vidit περιβεβλημένην ΠΟΡΦΥΡΑ καὶ ΚΟΚΚΙΝΩ *veſtitam Purpura & Coccino* Apocal. XVII. 4. unde & ſedet ſuper θηρίῳ κοκκίνῳ verſ. 3. Eodem modo & ad veſtes cum *purpureas* tum *albas* alluditur memorato loco. Eſ. I. 18. Fortaſſe inde lux dari poteſt Hiſtoriæ de Soſpitatores noſtro, cui milites, exutis veſtibus propriis, περιέβαλον ἱμάτιον ΠΟΡΦΥΡΟΥΝ ſeu ΚΟΚΚΙΝΗΝ χλαμύδα Matth. XXVII. 28. Marc. XV. 17. 20. Joh. XXVIII. 2. dubium enim vix eſt quin Chriſtus ex more Judæorum pervulgato, veſte *alba* ſuus ſit, quapropter etiam ejus veſtimentum dicitur fuiſſe ΛΕΥΚΟΝ ὡσεὶ χιὼν *Album ſicut Nix* Matth. XXVIII. 3. Coll. XVII. 2. Pariter cum in parabola de Lazaro & divite alter *pauperis* Schemate appareat, procul dubio & lanæ puræ ſeu *albæ* tegumento aut *lini* conſpiciendus erat utpute cui *tincta* nimis cara fuiſſet. Hinc vero intelligis cur illi oppoſitus dives helluo dicatur amictus ΠΟΡΦΥΡΑ καὶ βύσσῳ Luc. XVI. 19. Baptiſta Johannes qui veſte uſus eſt ἀπὸ τριχῶν καμήλου Matth. III. 4. quæ vilis *albis* conſtabat ſine ullo colore tinctis, hinc ad eos qui ejus videndi cauſa in deſertum ſeceſſerant, eum in modum loquitur. Luc. VII.

VII. 25. *Quid ſpectatum exiviſtis? hominem forte veſtitum* ἐν μαλακοῖς ἱματίοις *veſtimenti Purpureis*. Quid enim heic loci ſint μαλακὰ ἱμάτια ex ſequentibus perdiſcimus cnm per ἱματισμὸν ἔνδοξον & τρυφὴν explicatur qualem geſtant qui ſunt ἐν βασιλείοις in *Regiis ædibus* quippe qui a *purpureo* amictu nomen acceperunt *purpuratorum*. Primores enim populi & *reges principeſque* circumdati erant purpura, quod eo obſervaſſe juvat quia μαλακὸς ex Hebræo מלך, voce *regem* denotante, deſcendit, unde ob *regum* Luxuriam eadem in vicinam notionem *mollitiei* degeneravit:

XVIII. Gentilibus etiam utriuſque linguæ ſcriptoribus *veſtimenta* λευκὰ & *alibi* panni opponuntur βαπτοῖς & ἁλουργαῖς *purpureis*. Inde natum illud Senecæ Ep. 7. *Lanarum Conchylia quis in priſtinum Candorem revocabit*. Pollux lib. IV. §. 120. Μητέρες ἑταιρῶν ταινίδιόν τι ΠΟΡΦΥΡΟΝ περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχουσιν. ἡ δὲ τῶν νέων ΛΕΥΚΗ ἢ βυσσίνη ἐπικλήρων δὲ ΛΕΥΚΗ, κροσσωτή. Πορνοβοσκοὶ δὲ χιτῶνι ΒΑΠΤΩ καὶ ἀνθινῷ περιβολαίῳ ἐνδέδυνται. Idem docet *lib.* 3. *Cod. de Veſtib. Holob. Vellera adulterino colore fucata in ſpeciem ſacri Muricis intingere non ſinimus. Nec tinctum cum Rhodino prius ſerico, alio poſtea colore fucari, cum de Albo omnium colorum tingendi copia non negetur*. Adde Martialem *lib.* XIV. Ep. 155. & 156. opponentem *Albam lanam lanæ Tyriæ* ſeu *purpureæ*. Videmus id ipſum ex veſte *purpurea* quidem ſed *albo* colore interſtincta qualem apud Perſas nemini præter regem geſtare fas erat, qaalique Cyrum ornatum fuiſſe refert *lib.* VIII. Cyropædias Xenophon; Eam Græci hinc χιτῶνα ΠΟΡΦΥΡΟΥΝ μεσο ΛΕΥΚΟΝ vocarunt. Pariter παραπέτασμα ΛΕΥΚΟΝ opponitur ΒΑΠΤΩ apud Polluc. *lib.* X. §. 32. Idem *lib.* VII. §. 53. τὸ δὲ παράπηχυ ἱμάτιον ἦν τι ΛΕΥΚΟΝ πῆχυν ΠΟΡΦΥΡΟΥΝ ἔχον παρυφασμένον. Virgilius de reditu aurei ſeculi canit quod *lana alba* tum *tingenda* haud eſſet, ſed ſponte arietes & oves *purpureas* lana infectum iri Eclog. IV. verſ. 43. ſeq. notis ſatis verſibus,

Confer Tibullum lib. II. Eleg. IV. verſ. 31.

> *Et* Niveam *Tyrio Murice tingit* ovem,

& Martialem lib. XIV. Ep. 139.

> *Indueras* Albas *exue* Callainas,

hoc eſt *Cæruleas* & *purpureas*. Eſt enim κάλλαια πορφυροειδὲς χρῶμα. Vide Heſychium & alios. Idem de *Partheniana toga* quæ *alba* erat lib. VIII. Ep. 28.

> Te *nec* Amyclæo *docuit livere*
> Veneno (i. e. purpura taonica)
> *Nec* Miletus *erat vellere digna tuo.*
> Lilia *tu vincis nec adhuc delapſa liguſtra.*
> *Et Tiburtino monte quod* Albet *ebur.*

Virgilius Georg. II. verſ. 465.

> Alba *nec* Aſſyrio *fucatur lana* veneno (id eſt purpura)

Neque ſolum in *veſtitu* ſed in diſtinguendis aliis coloribus λευκὸς & πορφυροῦς ſæpiſſime contrarii ſunt. Pancrates apud Athenæum lib. XV. opponit ΛΕΥΚΟΝ κρίνον *album lilium* & ὑάκινθον ΠΟΡΦΥΡΕΗΝ *hyacinthum* Purpureum, uti & de *hyacintho* & *liliis* canit Ovidius lib. X. Metam. verſ. 15.

> *Ecce cruor qui fuſus humo ſignaverat herbas,*
> *Deſinit eſſe cruor* Tyrioque *nitentios* Oſtro,
> *Flos oritur, formamque capit quam* Lilia *ſi non*
> Purpureus *color his*, Argenteus *eſſet in illis.*

De *pudore* genas *candidas* inficiente ſimiliter loquuntur. Statius lib. II. Theb. verſ. 231.

> Candida Purpureum *fuſæ ſuper ora* Ruborem,
> *O! ubi* Purpureo *ſuffuſus ſanguine* Candor.

Et lib. II. Sylv. confer Ovid. lib. II. de Art. Am. El. 5. verſ. 34. ſeq. & Virgil. lib. XII. Æn. verſ. 67. & paſſim. Notanda & hæc Horatii lib. II. Satir. VI. verſ. 102.

> *In locuplete domo veſtigia:* (ponit) Rubro *ubi* Cocco,
> *Tincta ſuper lectos canderet veſtis* Eburnos.

Animadverte enim poetam loqui de *lectis eburneis* in *locuplete domo* & hoc in notam luxuriei poni, & ſimul *lautis conviviis* adjungi verſ. 104. atque inde illuſtra locum Amoſi VI. 4. ubi propheta increpans proceres Iſraelis luxu & mollitie regia *veſtium cibi*, *potus* &c. diffluentes, inter cetera notat eos dormire על

חשות שן ἐπὶ κλίνων ΕΛΕΦΑΝΤΙΝΩΝ *super lectos* Eburneos. Adde Plautum loquentem de navi quæ ex Asia venerat onusta mercibus exoticis Sticho A. II. sc. III. verf. 52. seq.

> Di *Lanam* Purpuramque *multam* (advexit navis) Ce. *Hem*, *qui ventrem vestiam*:
> Di. Lectos Eburatos, *auratos*. Ge. *Accubabo regie*.

Porro in denotanda pulchritudine fœminarum *ruber* & *albus* color junguntur opposite, velut apud Achillem Tatium lib. I. pag. 17. de eximiæ formæ muliere ΛΕΥΚΗ πάρεια, τὸ ΛΕΥΚΟΝ ἐς μέσον ΕΦΟΙΝΙΣΣΕΤΟ ϗ ἐμιμεῖτο ΠΟΡΦΥΡΑΝ. Hinc descendunt illæ poetarum comparationes qui formarum decus ex *rubore* & *albedine* mixtum cum *ebore* conferunt tincto *purpura* ut Claudian. lib. I. de R. Proserp. verf. 271. Virgil. XII. Æn. verf. 67. seq. Ovid. lib. II. Amor. Eleg. V. verf. 39. seq. ubi & *liliis* æquiparantur *rosis* mixtis, ex quibus pariter Cant. V. 10. illustrabis sponsa amicum suum laudante quod sit *Candidus* & *Rubicundus* quod vernaculo proferres adagio. Er siehet aus wie Milch und Blut. - Denique de oppositione *albi* & *rubri* coloris hæc modo Virgilii notemus ne in re, vel sexcentis facile testimoniis comprobanda, convertendis testimoniis, nimii videamur. Eclog. IV. verf. 25.

> *Molli paulatim* Flavescet *campus arista*,
> *Incultisque* Rubens *pendebit sentibus* Uva.

Uti enim *uva* matura *rubra* est, sic campus *aristis* plenus messi commodis *albescit* interprete Servio. Illustra enim & hinc Christi locutionem quæ huic est persimillima Joh. IV. 35. θεάσασθε τὰς χώρας ὅτι ΛΕΥΚΑΙ εἰσὶ πρὸς θερισμόν.

XIX. Verum & *oppositio* vestimentis *albis* amictorum illis qui ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια, nos eo ducit ducit quo hac phrasi vestes *purpura tingere* aut reddere *rubicundas* intelligamus. Accensentur enim ὀλίγα illa ὀνόματα seu *pauci* homines *albis* vestibus induti, numero *fidelium*, qui contra pluribus in *Sardiensi* civitate habitantibus *opponuntur* qui vestimenta ἐμόλυναν & ideo numero *reproborum* & peccatis inquinatorum accedent. Quemadmodum enim *albus* amictus est Symbolum *Sanctitatis* & intaminatæ vitæ Dan. VII. 9. Apoc. II. 5. III. 5. 8. IV. 4. VI. 2. II. VII. 13. XIX. 14. Matth. XVII. 2. Ita contra oppositus illi *purpureus* & *rubicundus* est symbolum *peccatorum* & vitæ iniquitatibus contaminatæ, quod ipsum sub obscuriori locutione de *Sordidis* purpura *vestimentis* intendere Johannem haud dubie persuasi sumus. Inde est quod mulierem Apocalypticam tot sceleribus maculatam viderit Johannes περιβεβλημένην ΠΟΡΦΥΡΑ ϗ ΚΟΚΚΙΝΩ *amictam Purpura & Coccino* Apoc. XVIII. 4. sic magna illa civitas Babylon mater *scelerum* & *iniquitatis* apparet περιβεβλημένη βύσσινον ϗ ΠΟΡΦΥΡΟΥΝ ϗ ΚΟΚΚΙΝΟΝ Apoc. XVIII. 16. quapropter & inter merces, summi luxus indiciis, quas eadem vendit civitas, recensetur πόρφυρα ϗ κόκκινον *purpura* & *coccinum* verf. 12. quemadmodum & de Tyro Babelis symbolo idem legimus Ezech. XXVII. 16. Eadem etiam de causa diviti helluoni, nacto ob peccata commorandi domicilium, ἐν ᾅδῃ vestis datur πορφύρας *purpuræ* Luc. XVI. 19. atque inde omnis justitia nostra, quæ nulla est nisi nixa justitia & meritis Christi quod omnes *impuri simus* dicitur *persimilis* esse כבגד עדים *Vestimento sordidato* aut *infecto* Cruore *menstruo* Esaiæ LXIV. 6. unde eleganter Græci reddidere ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης. Est enim ἀποκαθημένη mulier quæ *seorsim sedens* juxta legem, patitur *menstrua*. Vide Alexandrinos Levit. XV. verf. ult. XX. 18. Christus quamvis & aliis de causis, tamen & inde quia fert *peccata* nostra, indutus conspicitur *Indumento Rubro* Esaiæ LXIII. 1. 2. Apoc. XIX. 13. Ad vestimenta etiam *purpurea* & *alba* ut symbola *sanctorum* & *reproborum* alluditur inde nobili illo loco Esaiæ I. 18. *si fuerint peccata vestra velut* Coccinum; Albescent *tanquam nix*; *si fuerint velut vermiculus* (quo tinguntur vestes *purpura* inficiendę) *velut* Lana *erunt* Alba. *Sanguis* enim in sacris literis & *rubicundus* color est perpetuum *peccatorum* symbolum. Ezech. XVI. 6. & passim, quo cęsus victimarum *sanguis* aliaque *cruenta* cultus Levitici spectant ministeria. Nescio an & inde Christo, exutis albis vestibus *purpuram* induisse legamus Matth. XXVII. 28. quo eum *scelestum* esse *hominem* (quę nefariorum illorum hominum blasphema sententia egat) eo symbulo indicarent. Sed hęc peritioribus dijudicanda exhibemus.

XX. Ad uberiorem vero harum rerum elucidationem, quo sciamus cur illi qui Sardibus vestes ἐμόλυναν sive *purpureas* reddiderunt, in *reproborum* censum referantur: notandum omnino, & inter ipsas *gentes*, si a primatibus & regibus discesseris gestare *purpuram*, maximo *dedecori* datum esse, eaque vestitos homines in sum-

summe *delitiosorum* locum numeratos, & prę ceteris insigniter esse notatos. Schickardus in Jure regio *cap.* v. Theor. XVII. *pag.* 360. citat locum Talmudicum, ubi Judæi tradunt, *Quia Filiæ Gentium* (quæ extra communionem Ecclesiæ Dei erant) *se exornabant vestibus holosericis & Purpureis: ideo jussisse legem ejusmodi Captivam vestes pretiosas, quibus viros incitat, amovere ac vetustate detritas induere.* Observa præterea hæc Martialis *lib.* VIII. *Ep.* 48. in Crispinum cui *purpurea abolla* a fure sublata erat,

> *Non* Quicunque *capit* Saturatas murice vestes,
> *Nec* nisi Delitiis *convenit ille color.*

Tibullus lib. II. Eleg. IV. vers. 30.

> *O!* Pereat *quicunque legit viridesque Smaragdos*,
> *Et* niveam Tyrio Murice *tingit ovem*,
> *Hæc dat avaritiæ caussas & Coa puellis*
> *Vestis, & e rubro lucida concha mari*,

Virgilius lib. IX. Æn. conferens veterum Italiæ incolarum duriorem masculamque vitam cum fœmineo Trojanorum luxu, illorum in exprobrationem ceteris & hoc addit vers. 614.

> Vobis *picta* Croco *& fulgenti* Murice *vestis*.

ubi hæc Servius (*fulgenti murice*) Purpura. *Hanc autem* Vitio *&* Dedecori *apud* Majores *fuisse constat*, quamobrem citat Hæc Juvenalis Sat. XIV. vers. 187.

> —— *Peregrina ignotaque nobis*,
> *Ad* Scelus *atque* Nefas *quæcunque est* Purpura *ducit*.

Hinc enim est quod Satyrici tanta styli acrimonia invehant in homines *purpuratos*. Eapropter Juvenalis Crispinum non modo notat quod *Tyrias humero lacernas* circumdederit Sat. I. vers. 27. Sed & virum, qui Magister equitum Romæ fuit & summis dignitatibus fulsit, inde *Purpureum scurram* vocat Sat. IV. vers. 31. Etiam Sat. XII. vers. 38. *vestem purpuream* salse dicit *Teneris* (seu mollibus) *quoque Mæcenatibus aptam* confer Horatium lib. II. Sat. VI. vers. 103. Martialis lib. V. Ep. 8. his invehitur in *Phasidem* amictum *purpura*,

> *Phasis purpureis ruber lacernis*,
> *Et jactat tumido superbus ore* ——
> *Hæc & dum talia refert Supinus*,
> *Illas Purpureas & Arrogantes*,
> *Jussit surgere Lectius lacernas*.

Eidem *purpura* audit inde *delicata* lib. III. Epist. 2. Quemadmodum enim Romani hunc vestium luxum a Græcis nacti sunt, ita hi eundem *Persis* debent unde purpura βαρβάρων ἔσθημα vocatur. Vide Ælianum lib. IV. Var. Hist. cap. 22. & ibi Perizonium, atque Spanhemium ad Aristoph. Plut. vers. 528. & 530. Discimus quidem ex eodem comici loco aliisque, quæ ad eum doctissimi cum veteres tum recentiores interpretes observarunt, Athenis *novas nuptas* indutas fuisse *purpura*: quod in symbolum *commixtionis* fiebat veteribus id Criticis observantibus: sed præter hunc usum purpura Athenis non nisi *luxuriosorum* erat indumentum. Notum quantopere Alcibiadi illic vitio datum sit vestitu amiciri *purpureo*, qualis inde ἀλκιβιάδιον dictus. Erat enim Alcibiades summopere delitiis addictus Nepos Alcib. cap. I. 2. *Purpureus* enim amictus ut viris honoratis maxime indignus, relictus fuit *fœminis* & quidem mollioribus, *meretricibus* & *lenonibus*. Vide Pollucem lib. IV. §. 120. & maxime *Bacchantibus*, ut pluribus hoc ex Salmasii notis ad Tertull. de Pallio p. 326. 330. & Spanhemii ad Juliani Cæsares, quas ipse ad Aristophanem citat, hauries. Etiam *croceam* vestem *Bacchantibus* & *histrionibus* tantum dari, ceteris *ignominiæ* causa, animadvertit idem vir illustris ad Callim. H. in Jovem pag. *99.* seq. Denique & *viris* in *Lydia*, adeoque & *Sardibus* minime *decoram* fuisse *purpuram* ex historia Herculis apparet, qui se indui Omphales *purpura* passus est, cum indignissimum in modum inter *Lydorum* fœminas pensa trahebat, id quod §. *9.* monuimus. Quapropter & satis caussæ fuit Johanni, cur acriori stylo *Sardienses* illos, qui vestes suas ἐμόλυναν, exciperet. Tantum est.

CAROLI FRIDERICI PEZOLDI
DISSERTATIO
DE
PROMISCUA VESTIUM
UTRIUSQUE SEXUS USURPATIONE

Ad illustrandum locum *Deut.* XXII. v. 5.

PROŒMIUM.

Ex *Concilio Trullano ejusque* Canone 62. & 65. *& ex Asterio*, Homil. in Fest. Calendarum, *colligere licet, homines, veste muliebri tectos, in publicum prodiisse*, anni præcipue redeuntis initio, *cum Deos impensius colerent, & eorum favorem auxiliumque solennius implorarent. Nobis grata mente Deum colentibus, Numinisque beneficia magni facientibus in præsenti etiam pene præterlapsi anni finis, redeuntisque novi initium imminet, quod jure meritoque hac ipsa paulo uberiore* vestium permutationis *expositione, lætabundi excipimus. Erimus autem ita nostro in themate occupati, ut tum* recedentes a genuina Spiritus Sancti intentione sententias & opiniones adducamus, iisdemque satisfaciamus; *tum ut* scopo loci nostri convenientiorem explicationem addamus, *tum ut* ex historiarum monumentis promiscuam Vestium utriusque sexus usurpationem allegemus; *tum denique ut notemus*, in quantum hæc vestium commutatio cum sanæ rationis dictamine consentiat. *Veneramur itaque divinum illud Numen devotissime, ut non solum huic labori, sed & in posterum conatibus nostris, studiisque ex alto adspiret clementissime!*

I. Quemadmodum absque vitio ante lapsum erant Protoplasti: ita lapsui demum eorundem originem suam debent vestes. Cum enim peccati venenum in totam Adæ naturam grassari cœpisset; scandalum quoque facili exinde negotio oriri potuisset, nisi membra corporis, quæ natura tecta esse vult, tecta quoque fuissent.

II. Unde constat, vestimentorum usum non solum ob necessitatem, ad tuendum corpus, inprimis contra aeris injuriam; Etenim sunt Vestes: *Queis sine non poterant ullæ subsistere gentes*, uti *Marcus Manilius lib.* IV. *Astronom. vers.* 133. *cum notis Scaligeri, Paris.* 1579. *in* 8. *editi*, canere amat; Sed & ob honestatem; quinimo ob ornatum & munditiem invaluisse. Quo factum insimul est, ut a sexu sexus, dignitas a dignitate, muneraque a muneribus, & nationes a nationibus distinguerentur.

III. Possemus hic prolixissime in apparatum vestium inquirere, & tum subsidia vestitus; tum diversa vestitus subjecta, tum denique varios vestium Colores, diversimode adhibitos, recensere, nisi ferias nobis indixisset *M. Joh. Ludov. Petri*, τῶν ἐν ἁγίοις *in Dissert. de vestitus moralitate*; conferri etiam meretur *Octavius Ferrarius, de re vestiaria Patav.* 654. Neque etiam nuda Vestium permutatio hic tradenda, uti in expeditione contra Syros Achabus Israelitarum, & Josaphatus

tus Judæorum reges habitum mutarunt, 1. *Reg.* XXII. Uti Codrus mutata veste proprio interitu Athenas ab interitu liberavit, *Vid. Valer. Max. lib.* v. *cap.* 6. Uti Fridericus Barbarossa Imp. ex Italia fugiens in Burgundiam, equisonis habitu, ne agnosceretur ab hostibus, incessit, *Vid. Hedio in Chronico Germaniæ*; Uti Ulysses post eversionem Trojæ mendici habitu domum suam ingressus a nemine cognitus est, *Vid. Homer. in Odyssea*. Nos potius circa specialissimum quoddam vestimentorum Thema occupati, quid circa vestium *utriusque sexus* permutationem liceat, paulo sollicite indagabimus, locum *Deuteron.* 22. *vers.* 5. illustraturi.

IV. In fontibus verba ita fluunt:

לא-יהיה כלי-גבר על-אשה ולא-ילבש גבר שמלת אשה כי תועבת יהוה אלהיך כל-עשה אלה:

Lutherus ita reddidit, & recte quidem:

Ein Weib soll nicht Manns Geräthe tragen / und ein Mann soll nicht Weiberkleider anthun / denn wer solches thut / der ist dem HErrn deinen GOtt ein Greuel.

LXX. Vir ita expresserunt: Οὐκ ἔσαι σκεύη ἀνδρὸς ἐπὶ γυναικὶ, ὐδὲ μὴ ἐνδύσηται ἀνὴρ στολὴν γυναικέιαν.

V. Disceptatur valde de voce כלי an generatim *Vas* notet, an *vestimentum*, an *arma*, num unamquamque harum significationum ambitu suo h. l. contineat. Lyra, Munsterus, Paulus Fagius, Vatablus, in h. l. *de armis & instrumentis bellicis* intelligunt, scilicet Deum vetare, ne mulieres ad militiam cum viris proficiscantur, more orientalium fœminarum.

VI. Ipse etiam Joh. Spencerus eandem fere fovet sententiam *lib.* 2. *de leg. Hebræorum Ritual. cap.* 17. *p. m.* 374. Igitur quinque probat rationibus, vocem כלי sensu præcipue bellico capiendam esse: partim, quia hunc sensum voci tribuat Chaldæus paraphrastes; partim, quia hunc sensum LXX. viralis versio confirmet, cum σκέυη de Instrumentis aut Armis bellicis alias usurpetur; partim quia כלי opponatur שמלה cum alias Deus, de viro & fœmina loquens, uno eodemque vocabulo fuisset usus; partim, quia non dicatur, fœmina non sumet כלי-איש *vasa viri*, sed כלי גבר *vasa fortis & bellicosi*; partim denique; quia Josephus, doctorum procul dubio Judæorum vestigiis insistens, hanc legem dicat rem spectare bellicam, eamque inter disciplinæ militaris instituta numeret.

VII. At enim vero, licet quodammodo concedamus, prohibere hic Deum ne fœmina gestet arma bellica, utpote quæ propria viris sunt instrumenta, in primis cum mulieres, militiæ operam dantes, periculo violandæ pudicitiæ se exponant, juxta illud Poetæ: Quem præstare potest mulier galeata pudorem, Quæ fugit a sexu?

Attamen insimul in genere interdicitur, ne vir vestimenta induat muliebria, nec mulier virilia, si quidem ex vi & natura relatorum hic statim subjicitur: *neque vir mulieris*. Præter enim quod כלי vestimenta Lev. 13. v. 49. & ornamenta, Es. 61. v. 10. significet; Nobis etiam non distinguendum est, ubi lex ipsa non distinguit, juxta consuetum ICtorum effatum. Accedit, quod sibi non opponantur disparata, sed quod generalius nomen כלי per specialibus שמלה explicetur. Flavium vero Josephum quod attinet, paulo ille liberius audaciusque Numinis accepit verba, quando ad militaris disciplinæ præcepta ea tantummodo restrinxit, dum Antiq. Judaic. lib. IV. cap. 8. pag. 130. sic παραφράζει· φυλάσετε δὲ μάλισα ἐν ταῖς μάχαις, ὥσε μήτε γυναῖκα ἀνδρικῇ σκεύῃ χρῆσθαι, μήτε ἄνδρα στολῇ γυναικέιῳ i. e. *cavete vobis, maxime in bello, ut neque mulier apparatu virili utatur, neque vir stola muliebri*. Habet enim divina ista lex non tam in militia locum, quam domi & in pace, atque in omni reliqua vita. Quandoquidem nolebat sexus utriusque apparatum cultumque peruerti aut confundi immortalis Deus, propterea quod honestati id maxime esset contrarium, ad quam nos fecit, formavitque. Unde eleganter Lutherus: Ein Weib soll nicht Mannes Geräthe tragen.

VIII. Plerique Patres, Synodi antiquiores, interpretesque moderni, & alii clarioris famæ scriptores, in eo consentiunt, lege hac, sexum unum alterius habitum induere, adeoque sexum alienum, exuta honestate aut decoro neglecto, simulare, prohiberi. Utut vero talis expositio a rei veritate non videatur aberrare; tamen id ita statuendum non est, ac si Judæos a cultus muliebris usu ea de causa cohibuisset Deus, quasi e luto tam crasso formati, nullum honesti vel decori sensum retinuissent; quasi Hebræorum mores eo mollitiæ & luxuriæ devoluti fuerint, ut vestes muliebres tam frequenter induerent, ut lege opus esset solenni, quæ gentem a more tam inhonesto cohiberet. Exteræ enim gentes, solo naturæ instinctu, a vestis fœmineæ usu, tanquam more infami & ipsi naturæ contrario, penitus abhorrebant. Quinimo Pharisæis, scrupulosæ Religionis homi-

minibus, ne in mentem quidem veniebat, ut vestes, sexui sequiori proprias, induere desiderarent. Præterea Hebræorum gens tot sanctis legibus, & legum vindicibus, instructa, ab permutatione hac vestium vel maxime abstinebat; quod in gentis opprobrium cederet, & in libidinis occasionem facili adeo nisu rapi posset. Hisce firmandis Diogenis Lartii inserviunt verba: *Legis*, inquientis, *gemina est distributio, altera scripta, altera vero non scripta. Prior illa Civilis est, qua Rempublicam administramus; quæ vero citra scripturam est, ea a natura & usu proficiscitur;* οἷον, τὸ μὴ γυμνὸν πορεύεσθαι εἰς τὴν ἀγορὰν, μηδὲ γυναικεῖον ἱμάτιον περιβάλλεσθαι, *quale est, nudum in foro ambulare non debere, aut uti veste muliebri.* Ταῦτα γὰρ οὐδεὶς νόμος κωλύει, ἀλλ' ὅμως οὐ πράττομεν, διὰ τὸ τῷ ἀγράφῳ νόμῳ κωλύεσθαι. *Hæc enim lex nulla probibet, sed ab iis faciendis abstinemus, quod lege non scripta probibeantur*, lib. III. de Vit. Philosoph. in Platone.

IX. Persuadent sibi alii, Deum vestimenta sexui propria commutari ea de causa vetuisse, ut vir, sexus sui vestem intuens, animum viro dignum sumeret, & nihil a dignitate & fortitudine sexus virilis alienum faceret; & ut fœmina, veste muliebri monita, se mitem præstaret, atque intra septa modestiæ se perpetuo contineret. Hinc Philo de Fortitudine p. m. 739. *Voluit lex virum se, ut sexum decet, gerere, præsertim in vestitu, quem cum die noctuque circumferat, talis esse debet, ut eum semper decori honestatisque admoneat. Sic & mulierem ornans pro dignitate, vetat virilem vestem sumere* πόῤῥωθεν, ὡς ἀνδρογύνους, οὕτω καὶ γυνάνδρους, φυλαξάμενος, *longe submovens tum effœminatos viros, tum plus æquo viriles fœminas.* Licet autem satis bene sese hęc habeant, cum insigne dedecus masculo sit sexui, scil. habitu capitis, scil. vestitu molli, sive incessu, scil. aliis effœminatis moribus ad fœmineum quasi sexum se abjicere: tamen cum ipsa natura, virum se fortem constantemque, mulierem vero se mitem & modestam præstare doceat; minime probabile est, Deum vestes istas, harum virtutum monitores, instituere voluisse. Quare hæc ratio Philonis ingenium magis, quam judicium sapit.

X. Spencerum rursus audire si placet, existimat ille, viro & fœminæ non tam vestium commutationem & sexus dissimulationem, quam vestium commistionem & affectatam sexuum confusionem, hac in lege prohiberi *cap.* 17. *lib.* 2. *p. m.* 377. Sed tamen male facit, dum sexus dissimulationem sexuumque confusionem sibi opponit, quippe hæc conjungenda erant. Quod vero sexus dissimulatio, per vestium permutationem facta, sexuum quoque confusionem comitetur, inde patet, quoniam honestas publica haud conservatur, sed porta lata libidini patet, si cuivis sexum suum dissimulandi licentia concedatur. Cum itaque flagitiis & amoribus inhonestis opportunitatem non exiguam auferat hæc lex, sexum mentientibus pœnas dictitans: Dubium non est, quin lectori, verba legis hujus attente consideranti, pateat, vestium commutationem & sexus dissimulationem insimul hac in lege interdici.

XI. Rigide vero, & tantum non hypocritice isti agunt, qui absolute, extra etiam scandalum, & nullo in casu ejusmodi vestium permutationem concessam esse pertinaciter adstruunt. Unde *Piscator* in Deut. pag. 432. seqq. & pag. 499. *Cum hic simpliciter interdicatur viris, ne induant vestes, nec ulla hujus legis exceptio in verbo Dei reperiatur, consequens est, peccare eos, qui in Comœdiis, & Tragœdiis agendis vestes muliebres induunt.* Pertinet huc *Guilielmus Prynn*, *Histriomast.* Veruntamen hoc in casu cessat ratio legis, cum inter omnes de hac Vestium permutatione constet. Etenim cum Comœdiæ viva sint eorum specula, quæ in vita humana geruntur; cum mores informent, & graphice ingenioseque depingant; cum ad honestam alliciant delectationem; cum personarum repræsentatio, qua alterius saluti per personatos consulitur, sine habitus permutatione fieri nequeat: non opus erit, Comœdiarum usum repudiare prorsus, modo absit lascivia & obscœnitas cum omni scurrilitate. Præterea non solum nuspiam in scriptura legimus sacra, ludos scenicos simpliciter prohibitos esse: quin potius libri, Judith & Tobiæ, judicio Lutheri, elegantis comœdiæ formam utique habent. Accedit, si hujusmodi vestium permutatio per se esset iniqua, inque omni subjecto mala; Christus nunc hortulanum, nunc viatorem in vestitu simulare, salva ejus manente sanctitate, non potuisset: Cum tamen Theologi doceant, *Marc.* XVI. 12. ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ luculenter extare. Qua de causa, cum Comœdiarum usus in se non sit illicitus; etiam personam virginis aut matronæ induere, vestemque commutare nihil habebit impietatis. In præsenti enim lege ea saltem habitus mutatio interdicitur, quæ ignorante proximo, & deceptionis causa fit, aut in conversatione politica, ubi sexum a sexu distinctum esse oportet. Equidem me

me non latet, varios paſſim varias addere cauſas, cur Comœdiarum uſus ex Chriſtiana Republica ſit tollendus plane: partim, quia Comœdiæ in viva vitiorum & ſcelerum repræſentatione conſiſtant; quibus repræſentationibus non tantum ſpecies ſcelerum induatur, ſed & maximam partem ad vivum exprimatur; Maxime cum re ipſa ſimul multa exerceantur mala v. gr. ſtultiloquia, vanæ execrationes; inprimis etiam cum ſpectatores ſeductionis periculo exponantur. At vero genuinum uſum ab abuſu diſtinguamus, & illud averſemur ſaltem, quod libidinem excitare, aliaque mala afferre valet.

XII. Præmonendis igitur præmonitis, quantum ſummi legislatoris conſilia tum conjecturis indagare liceat, tum certis demonſtrare rationibus, diſpiciemus. Scilicet cauſa credendi datur, cui etiam opinioni, nos aſſenſum præbemus, Deum ritum aliquem idololatricum, Zabiorum religione ſacrum, quinimo in gentium pene omnium ceremoniis locum haud obſcurum tenentem, hac quidem in lege vetuiſſe. Ex ſequenti tamen argumento inducor, ut cenſeam credamve, ritui idololatrico Deum hanc oppoſuiſſe legem; Quod legis hujus transgreſſor חועבה *abominatio* ſit Domino. Hoc autem vocabulum cum de idololatria, vel rebus, idololatriam ſpectantibus, occurrit mentio, frequentius uſurpatur. Id quod etiam *Lyranus Comment. in Deuter.* 22. *verſ.* 5. agnoſcit: *Abominatio*, inquiens, *in ſcriptura communiter capitur pro Idololatria, ſeu pro aliquo ad Idololatriam pertinente*. Quandoquidem in ſacris Martis mos erat, fœminas veſtire veſtitu virorum & armis induere; & in ſacris Veneris, viros muliebribus veſtibus. Quę ſanæ γενέσεως quędam ἐναλλαγὴ vocari meretur. B. Brentium evolventi patebit, ejuſdem eum fuiſſe opinionis, quando ait: *probibentur larvæ, quales fuerunt inter Chriſtianos in Carniſpicino uſitatæ. Eſt veriſimile, quod Iſraelitæ tale quid viderint inter Ægyptios, quorum exempla ſecuti, celebrabant Bacchanalia, in quibus viri uſi ſunt veſtimentis mulierum, & mulieres veſtimentis virorum. Comment. in Deuteron. cap.* 22. *verſ.* 5. *p. m.* 1070.

XIII. Aliquibus hoc aſſertum corroborare exemplis, ex hiſtoriarum paginis depromtis, annitemur. Nimirum *Romanos* ritum illum gravitate ſua non indignum habuiſſe e Plutarchi Quæſtion. Roman. *pag.* 377. colligi poteſt, dicentis: *cur Idibus Januarii permiſſum eſt tibicinibus*, (quorum erat ſacrificiis præcinere) *per urbem circuire veſtem indutis muliebrem?* Germanis antiquioribus hunc ritum in more fuiſſe, e Taciti verbis conjicere licet: *apud Nabarvalos antiquæ Religionis lucus oſtenditur: præſidet ſacerdos muliebri ornatu &c.* in libello *de germanorum moribus p. m.* 450. Archivi etiam, referente *Polyæno, Stratagem. lib.* VIII. *p. m.* 606. menſis cujuſque novilunia celebrabant: τὰς μὲν γυναῖκας ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσι, τοὺς δὲ ἄνδρας πέπλοις γυναικείοις ἀμφιεννύντες, i. e. mulieres virilibus tunicis & chlamidibus, viros autem peplis muliebribus amicientes. De his inſimul *Plutarchus de Virt. mul. p. m.* 245. teſtatur, quod apud Archivos Hybriſticis ſacris mulieres virilibus tunicis & lænis, viri autem muliebribus vittis ac velis veſtiantur. *Phœnices* ritum iſtum in ſacris ſuis habuiſſe moribus, *Honorati Servii* verba cauſam opinandi præbent, *ad Æneid. lib.* 2. *Veneris in Cypro ſimulacrum eſt*, inquientis, *corpore & veſte muliebri, cum ſceptro & natura virili, quod* Ἀφρόδιτον *vocant: cui viri in veſte muliebri, mulieres in virili veſte ſacrificant*. Fuiſſe autem multas olim Phœnicum colonias in Cypro, Bochartus argumentis minime contemnendis aſſerit. Apud *Coos* morem eundem viguiſſe, *Plutarchus Quæſt. græc. pag.* 304. memoriæ prodidit: παρὰ Κῴοις ὁ τοῦ Ἡρακλέους ἱερεὺς ἐν Ἀντιμαχίᾳ, γυναικείαν ἐνδεδυμένος ἐσθῆτα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀναδούμενος μίτρα, κατάρχεται τῆς θυσίας. *Apud Coos Herculis Sacerdos in Antimachia, muliebri indutus veſte, capite vittato ſacrificium auſpicatur*. Aſſyrios etiam hoc ritu Venerem coluiſſe, refert *Julius Firmicus, de error. profan. relig. p. m.* 6. Nam de Venere, ab eorum ſacerdotibus culta, diſſerens, inter alia, *ſacerdotum ſuorum chorus*, inquit, *ei aliter ſervire non poteſt, niſi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem ſexum ornatu muliebri dedecorent*. Et paulo poſt: *Exornant muliebriter nutritos crines, &, delicatis amicti veſtibus, vix caput laſſa cervice ſuſtentant*. Idem uſus apud *Græcos* inolevit; cum enim Bacchi ſolennia agerent, phallorum pompam excipiebant Ithyphalli, γυναικεῖαν ἔχοντες στολὴν *muliebrem induti ſtolam*. Vid. *Heſych. in* ἰθύφαλλοι. Athenienſes ejuſdem ſuperſtitionis affines fuiſſe, cum ὀσχοφόρια celebrarent, teſtatur Proclus in Chreſtomathia, ubi ait: τοῦ χοροῦ δὲ δύο νεανίαι κατὰ γυναῖκας ἐστολισμένοι i. e. *Chori autem adoleſcentes duo, muliebri veſte induti, palmitem geſtantes, plenum maturis uvis, feſtum auſpicati ſunt*. Aſiaticos alios morem huic affinem tenuiſſe, e Philochori verbis apud *Macrobium, Saturnal.* lib. III. cap. 8. & 12. clarum eſt, dum *Venerem affirmat eſſe Lunam, & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres*

cum

cum virili; ideo quod Venus mas esset & fœmina. Ceterum refert *Guilielmus Paciſienſis cap.* XIII. de legibus, *citante Spencero loc. cit. pag.* 377. Cacogræcium quendam librum ſcripſiſſe de *Stationibus ad Cultum Veneris*, ibique inter alia ſacrilega præcepiſſe, ut, qui ritum illum nefandum peragit, coronam fœmineam gereret, & ut omnes in veſtibus mulieri propriis ſacra Veneris exercerent. Neque enim gratiorem Veneri ſe exhibituros eſſe cultum ſibi perſuadebant, quam ſi in ſexus mollioris veſte ſe Deæ ſiſterent. Quemadmodum itaque ex teſtimoniis hiſce liquere cenſeo, veſtium permutationem ritum fuiſſe idololatricum, & in uſu frequenti apud gentes fere cunctas poſitum, quarum nomina & inſtituta temporis injuriam nondum ſubiere: ita rationi, & totius legis noſtræ intentioni conſentaneum videtur, quando affirmamus, voluiſſe Deum ritus cultuſque profani memoriam omnem abolere, & hominum tam perditorum imagines e populi ſancti conſpectu longe removere. Non enim dubitandum, ſuperſtitionem, quæ ſemper coegit ad turpia, ritus illius uſum, nomine religionis, pravis nonnullis impoſuiſſe Iſraelitis.

XIV. Neque improbabile eſt, Deum hanc legem ſummo conſilio tradidiſſe, ut ridiculum, craſſum rationiſque omnis expertem divinæ naturæ conceptum tacite reprehenderet, quando veſtium permutationis ritus ethnicam Theologiam olebat; quippe gentiles Numinibus ſuis Dagoni, Lunæ, Veneri, Aſtarti, Baali, aliiſque e Deorum ſuorum grege, naturam tribuebant utramque, Deum illum ἀνδρόγυνον exiſtimantes. Ut igitur ſacra omnia eo magis convenirent, conſtitutum erat, ut ſacerdotes myſtæque omnes Sexus alterius apparatum induerent, ut ſexum utrumque continere, adeoque Dei ſui naturam proxime referre viderentur. Ne igitur inter Iſraelitas iniquus hujuſmodi ritus increbreſceret, blaſphemuſque talis conceptus propagaretur, lege hac Deus caviſſe cenſendus eſt, ut dogma iſtud, unde pullulavit, aperte refelleretur, & ex hominum animis tandem eradicaretur. Confer de utroque idolorum ſexu *Gyraldum Hiſtor. Deor. Synt.* It. *Seldenum de Diis. Syris ſznt.* 2. *cap.* 2. it. *Schedium de Diis German. Syngram. I. cap.* 9. *Scheringhamum, de Orig. gent. Angl. pag.* 313. 314. 328. *it Alex. Morum Not. in act.* 17. *verſ.* 18.

XV. Inprimis autem Deus veſtium permutationem illicitam vetitamque pronunciavit, quod dogmata longe peſſima, & mores peſtiferos promoveret. Non enim ſolum ſuperſtitionibus plus quam anilibus viam aperit, quando decepti viri, applicatione veſtium muliebrium, maxime in ſacris Veneris, conjungi ſibi ac conciliari amore fortiſſimo corda mulierum credebant; mulieribus idem de viris, virilibus veſtimentis ſentientibus: ſed ex eadem etiam veſtium permutatione multa ſcelera, exercitiaque maxime flagitioſa ortum trahere, & innumera mala in publicum redundare, in confeſſo eſt. Cum enim mulieres veſtimenta ſumunt viri, ipſo virili habitu modeſtiæ pudorique remittunt uuncium, & viros ad illicitos amplexus vocare pene videntur. Cum etiam viri veſtem muliebrem induunt, ipſo interno motu ad propudioſam iſtam ſexus diſſimulationem & permutationem ruunt, ipſi naturæ & honeſtati contrariam. Quos enim natura ſexus diſcriminavit, eos quoque Veſtitus diſcernat, niſi turpiſſimum aliquod facinus committere quis haud vereri vellet.

XVI. Et tanto magis veſtium utriuſque ſexus commutatio erit ſignum levitatis, ſi quando illud novitatis & levitatis animi eſt indicium, cum aſſidua tegumenti mutatio ſuccedit, quam plerumque fatale quid portendere imperiis, animoſque inſimul in exterorum mores trahere nonnullis eſt obſervatum. Vide ſis *Camer. Hor. ſucciſ. Cent. III. cap.* 76. *it. Curt. lib. III. cap.* 3. *it. Bernegg. quæſt. ad Tacit. quæſt.* 166. *it Chockier. Theſaur. Pol. lib.* 5. *cap.* 19. & quæ inſignem arguit judicii imbecillitatem, dum ea rejicimus, quorum nudius tertius placebat uſus. Quem quoque Germanorum errorem Barclajus, ingenioſiſſimus quin & facetiſſimus homo, jcon. anim. cap. 3. notavit.

XVII, Moribus vero impuris & impudicis locum ampliſſimum præbere hanc veſtium permutationem ipſimet cognoverunt ethnici, ritum hunc a *Como*, luxuriæ & ebrietatis dæmone, originem duxiſſe ſuam credentes. Nam *Philoſtratus, Icon. lib.* 1. *pag. m.* 734. inter alia de Como dicta, συγχωρεῖ δὲ ὁ Κῶμος, inquit καὶ γυναικὶ ἀνδρίζεσθαι, καὶ ἀνδρὶ θῆλυν ἐνδύναι στολὴν, καὶ θῆλυ βαίνειν, *Comus, & mulieri virum agere, & viro ſtolam induere muliebrem, muliebriterque incedere, permittit*. Huc quoque faciunt, quæ apud *Julium Firmicum, de Error. profan. relig. pag. m.* 7. occurrunt, de Aſſyriis, & Venere, ab eorum ſacerdotibus culta, differentem: Ait enim, *illos vultum effœminare, ſexum virilem ornatu muliebri dedecorare, in ipſis templis muliebria pati, & hanc impudici corporis labem glorioſa oſtentatione detegere*. Unde etiam eve-

evenire solet, quod, referente *B. Gerbardo in Comment. ad hunc Deuteronomii locum*, apud Mexicanos in nova Hispania capitale sit crimen, si vir habitu fœmineo, aut fœmina habitu virili incedat. Quod sane argumento est, ex legis naturalis instinctu vestium in viris & fœminis distinctionem originem traliere. Alioquin imberbis adolescens muliebri vestitu inter mulieres facile lateret. Et quid est aliud perverti utriusque sexus cultum, quam suspicionum, libidinum, stuprorum, cædium, malique non unius promiscuam facere licentiam?

XVIII. Exemplis eorum vestium utrusque sexus comutationem dilucidare jamjam sustineo, quibus eadem maximo fuit detrimento, dedecore, & peccato. *Hercules*, monstrorum domitor, amorem tamen vincere non potuit, sed puellari habitu Omphalæ reginæ servivit, ejusdemque jussu fusos & lanas attrectavit. Hinc de eo Ovidius:

Crassaque robusto deducis pollice fila,
Æquaque formosæ pensa rependis heræ.

Apud Propertium etiam loquens introducitur:

Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colo:
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.

P. Clodius, inimicus Ciceroni, indutus vestimentis muliebribus, sacri Bonæ deæ interfuit, quibus solis licebat interesse fœminis, & Pompejam, Q. Pompeji filiam, Syllæ neptem, ac Cæsaris uxorem corrupit. Qua de causa eam quoque Cæsar repudiavit, quod apud eam Clodius sub habitu fœmineo fuisset repertus. Testis est *Ciceronis Oratio pro Milone, & in Ciceronem Q. Asconius Pedianus, it. Sveton. Jul. cap. 6.* Assyriorum Rex *Sardanapalus* eo illecebrarum se demisit, ut abjecta imperii majestate, positis masculi Sexus indumentis, mentitus sit fœminam, interque puellas & eunuchos delituerit. Hoc etiam causæ subfuit, cur ab Arbace & Belocho præfectis, lasciviam tam corruptam perosis, ad incendium domus, in quam victus se receperat, & ad voluntariam mortem sit coactus. *conf. Diod. Siculum, lib.* II. *cap.* VII. *it. Justin. lib.* I. *cap.* VIII. *Clistenes* male audiit, & poetarum exagitatus est satyris, quod se cultu indecoro in fœminam transfiguraret. Unde adagia nota: Clistenem video, & Clistene intemperantior. Eadem nota inuritur *Cleocrito*, quod ad majorem lasciviam tunicis & vestibus fœminam mentiretur. Pari sese spurcitie polluit *Heliogabalus*, prout in ejus vita passim testatur Lampridius. *Dinocrates* Messenius, in convivio temulentus, muliebri habitu choreas duxisse scribitur. *Vid. Raph. Volaterr. Anthropolog. lib.* XV. De *Narvali*, Pontifice, refert Alexander ab Alexandro, quod muliebri ornatu semper solitus ingredi, *lib.* 2. *cap.* 8. Ibidem quoque legere est, in Attide viros ornatu muliebri, mulieres vero virili, rem Veneri divinam fecisse. Græcis ad Trojam occupandam proficiscentibus, quum Thetis prævideret, *Achillem* filium ibidem interfectum iri, eum ex antro Chironis dormientem rapuit, & puellaribus tunicis indutum, præmonitumque, ne se masculum cuipiam proderet, inter filias Lycomedis regis occuluit; Quarum unam Deidamiam gravidam reddidit, Pyrrhumque ex ea suscepit. Verum, quum Græci oraculo didicissent, Trojam sine Achille capi non posse: missus est Ulysses, Græcorum omnium astutissimus, ad explorandam rei veritatem; quoniam jam facti suspicio & rumor ferebatur. Ut ergo proderet Achillem, mercatoris habitu fusos, acus, monilia, & ceteras id genus, quæ puellam decent, cum arcu & sagittis in Gynæceum intulit. Ibi tum Achilles, puellaribus instrumentis contemtis, arrepto arcu vires suas & sexum prodidit. Hinc *Statius lib.* 4. *& Ovid. lib.* I. *de arte*:

Turpe, nisi hoc matris precibus tribuisset Achilles,
Veste virum longa dissimulatus erat.

Constat ex Heraclide in Politiis, quod Cephaleniæ regnum filius Pronnesi gesserit, homo summæ inclementiæ, luxuriæque, quique omnes virgines ante connubium ipse cognovit. Eum *Antenor*, arrepto ense, muliebribusque vestimentis amictus, in lecto tracidavit. Quem ob eam causam populus summis honoribus ornavit, atque ducem elegit. Mulieris cujusdam Turcicæ mentionem facit *Phil. Camerarius, quando cap.* 41. *Cent.* 2. *Horar. subcisiv.* ex Busbequio, legato quodam Cæsareo, ejusque *Epist. Turc.* III. *pag.* 215. *seq.* refert, eam, vetulam & natu satis grandem, ambiisse & duxisse quandam puellam, postea tamen fœdæ suæ libidinis pœnas dedisse meritas, profundoque mersam fuisse. Hinc accusatur *Zeno Citticus* a quibusdam, eadem veste vi-

viros indui ac mulieres quod præcepit, *vid Laert. lib.* VII.

XIX. Optime igitur Tiberius Imp. expresse promiscuas viris & fœminis vestes reprehendit, uti id testatur *Tacitus lib.* I. *Annal. cap.* 53. *num.* Fœdari enim censebantur muliebribus vestibus mares, *idem Tacitus lib.* 2. *Annal cap.* 33. *num.* I. Hinc in jure civili vituperatione dignus habetur vir, qui muliebribus utitur vestimentis, *L. Vestis* 23. §. 2. *Muliebria ff. de aur. & arg. leg.*

XX. Alii nonnulli mystice legem hanc ex Deuteronomio petitam interpretantur, ut *Clemens Alexandrinus*, *Pædagog. lib.* III. *cap.* 3. qui hoc eam velle statuit, ut simus viri, & nec corpore, nec factis, nec mente vel verbis effœminemur. Quam in rem *Ambrosium* etiam *Epist.* 15. arbitror, inquit, quod non tam de veste, quam de moribus dixerit hæc lex: vel de usibus atque actibus, quod alius virum, alius fœminam deceat actus. *Dionysio Carthus. Comment. in h. l.* eadem fere in mentem venerunt, quando ait: per vestem operatio designatur. Mulier ergo non intromittat se officio, actui, negotio, ad viros spectantibus, sed suis terminis si contenta, nec dominari quærat marito, nec publice prædicare, aut sacris ordinibus ingerere se præsumat, & quæ in domo agenda sunt prudenter exerceat, non discurrens, nec garriens. Nec vir utatur veste fœminea, i. e. fœmineæ levitati, inconstantiæ, imperfectioni, carnalitati, non subjiciatur. Et *Lutherus ad h. l.* Masculus fit mulier, dum creditur hominibus; mulier fit masculus, dum operibus servitur Deo. Nihil tamen vetat, quo minus literalem dicti sensum retineamus.

XXI. Cum igitur promiscua Vestium utriusque sexus usurpatio interdicta sit, mirum alicui videri posset, qua de causa Deus Adamo ejusque uxori tunicas pelliceas confecerit, eosdemque istas induere jusserit. Verum enimvero licet generalis vestimentorum convenientia ratione materiæ his in verbis *Gen.* III, 21. ויעש יהוה אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבשם describatur, quod scilicet fuerint tunicæ pelliceæ; specialis tamen vestium distinctio, ratione formæ, non excluditur.

XXII. Nullane ergo ratione, nullove in casu promiscua vestium utriusque sexus usurpatio erit licita, cum eam absolute & simpliciter Deus prohibuisse videatur? *Resp.* In certis quibusdam casibus hæc vestium mutatio licita maxime est, videlicet. I. Si fiat eadem ob evitandum præsentissimum vitæ periculum. Cum enim in hostium manus incidere nonnunquam contingat, ubi fuga sibi consulendum est, nihil obstat, quo minus habitum corporis mutare liceat, ne ab hostibus iis agnoscamur. II. Si nullum ex eo immineat castitati periculum, cum inter alias hujus legis causas, ea quoque sit, ne committantur facilius stupra, adulteria; sic e. g. in ludis scenicis, quæ suum in communi vita usum habent, consciis omnibus, adolescentes & viri fœmineis vestibus induuntur; præsertim quando boni magistratus cavent, ut ab iis scandala & libidinis incentiva procul absint. III. Si quis in legitimo bello exploratoris fungitur munere, nihil refert, corporis mutare habitum; cum perinde sit, sive dolo, sive vi hostem in tali bello vincas, uti *Balduinus in Cas. Consc. lib.* IV. *cap.* I. *cas.* I. *pag. m.* 637. loquitus. Sic Judæi putant, referente *Andrea Masio in Commen. cap.* 2. *Josuæ*, quod Josuæ exploratores in urbe Hiericho, fabrilia instrumenta in manibus habuerint, ut fabri putarentur; aliique dicunt, simulasse se figulos esse, & fictilia eam ob causam venalia attulisse, ne alicui esse viderentur suspecti. Siquidem hac ratione nemo facile in Exploratorum personas aut facta inquiret, & si vel maxime inquirat, voti tamen compos fieri vix ac ne vix quidem poterit. Quidni igitur v. gr. in comœdiis honestis simulare virginem, & effœminatam virorum ignaviam muliebri vestitu infamare liceat?

XXIII. Qua ratione sequentia mutatarum sexus utriusque vestium exempla partim approbari & laudari, partim excusari posse putamus. *Euclides* Megarensis, quum Socraticæ disciplinæ cupidissimus esset, neque tamen auderet Athenas ire, (ubi Socrates docebat, quod capitale foret, si quis Atheniensium Megaris, aut Megarensium Athenis ire, propter mutuum utriusque urbis odium, deprehenderetur; muliebri veste indutus ad audiendum Philosophum sub ipsam noctem ititabat, ut vel sic Socratici sermonis particeps evaderet, id uti *ex A. Gellii lib.* VI. *cap.* 10. constat. Dicæarchus apud *Cælium Rhodiginum* testis est, *Lasteniam Mantineam*, & *Axiotheam Phliasiam*, Platone usas præceptore, ornatu virili auditorium intrasse. Refert *Valer. Max. lib.* IV. *cap.* 6. de Mithridatis uxore *Hypsicratea*, quod tonsis capillis, & equo conscenso, abjecto fœmineo, assumto militari vestitu, virilem mentita sexum, in bello merita, Regi perpetua comes adhæserit. *Semiramidem*, sexum virilem men-

mentitam, pro Ninya se gessisse, atque sic non fœminas tantum, sed & viros virtute anteivisse, antiquissimamque illam Assyriæ Monarchiam, a Nino cœptam, feliciter stabilivisse atque firmasse, ex *Justini lib.* II. *cap.* 2. notum est. Obiter noto, quod, miro divinæ potentiæ lusu, quod sub viragine fœmina ad ἀκμὴν pervenerat imperium, in Sardanapalo, viro muliere quavis corruptiore, desierit, & quod eidem regimini & mulier viriliter, & vir muliebriter præfuerit. Sic *Matthias Verneggerus Quæst. in Tacit. quæst.* 89. ex Jovii historia recenset, *Fœminas Persicas* in prælio Capsonis Persarum Regis, contra Selymum imp. Turcicum, suos secutas habitu militari maritos, occubuisse, atque ita cæsas repertas fuisse. Idem quoque non reticendum esse *Fœminæ* cujusdam *Metensis*, equestri loco genitæ, exemplum putat, quæ, maritum suum Alexandrum a Machomete captum, & ad stivam condemnatum, habitu & forma monachi mare transfretans, arte liberaverit. Nec minus laudanda *Ferdinandi Gonzalii, Castellæ comitis uxor*, quæ quum Rex maritum in custodia teneret, velut visendi gratia ad carcerem venit, viroque persuasit, ut cultu secum commutato, se subduceret, ac ipsam ibi relinqueret in casum periculi. Quod cum fecisset, Rex admiratus mulieris pietatem, precatus tales sibi suisque liberis conjuges, illam marito remisit, autore *Lud. Vive, lib.* 2. *de fœmina Christiana*. Zenobia, Palmyrensium regina, cum desertum in Oriente imperium Galieni Augusti ignavia tueretur, quoties alloqui exercitum volebat, armata virilem induebat vestem, atque more Cæs. Romse ostendebat: ut vestem imperatoriam, sic quoque nomen usurpans, vid. *Fulgosus lib.* III. *cap.* 6. *exemplorum dictorumque memorab. Baf.* 1567. Nec sane contra leges ac decorum se gessisse crediderim nobilem illam *Virginem Senensem*, in obsidione diuturna patriæ suæ, oppugnante eam Marchione Marignano, præfecto militum Cosmi Ducis Florentini. Cum enim frater morbo esset implicitus, quo minus ad lustrationem urbisque defensionem compareret, isque gravi pœna accersitus esset, clam sumto ejus vestitu & armis, fraterno nomine comparuit, vigilias obiit, & reliqua militaria munia, mentita sexum, viriliter administravit, donec frater ejus convalescens in sororis locum successit. Quamobrem illam magno cum honore & gratulatione omnium domum reductam fuisse ex Monlucio affert citatus *Berneggerus*. Hebdomadariæ Relationes anno 1699. nos reddebant certiores, *Fœminam Hafniæ*, quæ virili sub habitu stipendia diu meruerat, cum ob furtum virgis excipienda esset a militum coronata, sexumque amplius dissimulare haud posset, ubi patuit fallacia, procul dubio ob robur & animositatem, in muliebri corpore prorsus virilem, omni furti pœna liberatam fuisse. De *Theodora* quadam, vigine *Antiochena* & Martyre, *Ambrosius lib.* 2. *de Virginibus*, habet, eam in patria sub Diocletiano ad lupanar ductam, cum milite quodam pio, qui prius ad stuprum putabatur ingressus, amictum mutasse, huncque pro virgine remansisse, illam pro milite discessisse. Quumqu alius item ad stuprum ingressus, virum pro virgine invenisset, capite militem damnatum fuisse. At tum illam occurrentem sese ostendisse, ut illum servaret. Utrumque igitur cæsum occubuisse. *Quintilianus lib.* 2. *instit*, notat, quod *Theopompus*, Spartanorum Rex, captus, & permutato cum uxore habitu, ex custodia elapsus fuerit. *Athenodorus*, Augusti Cæsaris amicus, cum admonere ipsum vellet, ut ab insidiatoribus sibi caveret, muliebri ornatu in cubiculum Cæsaris, in lectica pro muliere vectus est. Cum vero ad eum Cæsar accessisset, tenens pugionem Athenodorus in manu, de lectica prosiliit, atque Cæsarem his verbis increpavit: An non times, Cæsar, ne te aliquis eodem modo ingressus interficiat? Cui Augustus non tantum non iratus fuit, sed ingentes gratias etiam egit, ut id *Dion in Augusto fatetur*. Exempla *Heroinarum Sinensium*, virili habitu pro patria pugnantium, habet *Neuhoff. Beschreib. Sinæ cap.* 18. *pag.* 404. Vide etiam *Erasmi Francisci Schaub. part. H. pag.* 1029.

XXIV. Neque improbanda prorsus ista est consuetudo gentium nonnullarum, quando *pœnæ* loco promiscuam Vestium utriusque sexus usurpationem adhibuerunt, ut infamiæ ignorantiæque cujusdam nota afficerentur delinquentes. Apud Græcos enim *Charondas*, severissimus Imperator, milites suos, qui ordinem in acie deseruissent, per triduum pro concione stolatos destituit. *Vid. Diodor. Sicul. lib.* XII. *cap.* 16. & *Cunæum de Republ. Hebr. pag.* 214. Equidem constat, Medos olim stola, ad talos demissa, mulierum in morem, incessisse; & Persas quoque, quod Xenophon in octavo Pædiæ ait, ad horum se imitationem composuisse; sed istorum populorum mollities, quoniam sane ad mundi velut tenporem jacent, apud ceteros in vitio semper fuit. Atque hoc etiam ignominiæ & pœne ge-

genere afficiebantur apud *Romanos*, quæ convictæ adulterii erant fœminæ. Hinc insigne est illud *Martialis*:

Thetin viderat in toga Spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Sic & *Messenii* a Spartanis subacti inter alia etiam ad hoc coacti, ut cum uxoribus veste mutata, regum & optimatum funera prosequerentur, quemadmodum *Pausanias* in Messenicis refert. Recte igitur *Plato*, cum Dionysius in convivio jussisset, ut singuli veste muliebri saltarent, id facere recusavit, ignominiæ maculam sibi suoque sexui sic impingi statuens, & his trimetris respondens, e quadam fabula petitis:

Muliebri ego haudquaquam indui queam stola,
Vir natus ipse & ex virili semine.

XXV. Quid vero judicandum, quando *Jacobus Bonfrerius Comment. in Deuteron. cap.* 22. *vers.* 5. *pag. m.* 995. ista virginum facinora laudat & summo deprædicat opere, quæ se religiosæ vitę & virginitatis tutandę amore in cœnobiorum claustra virili habitu abdiderunt. Etenim ex historiarum paginis constat, multas idem effectui dedisse. *Euphrosina* quędam, nuptias fugiens, in quoddam cœnobium, ubi pater degebat, auffugit, ignota vestitu virili, in quo sub nomine Smaragdi annos 36. perseveravit, in morte vero patri se manifestavit, uti id videre est *in Volaterrani lib.* XV. *Antropol. Idem lib.* XVII. refert, *Marinam* virginem, natione Gręcam, sexum dissimulavisse, ut admitteretur in cœnobium quoddam, in quo soli recipiebantur viri, ubi etiam ad mortem usque sanctissime nomine Marini vixisse dicitur. Et *Eugenia*, filia cujusdam Philippi, inter Romanos potentissimi, virum mentita est in cœnobio, quo se inclusit, ut Deo commodius serviret, annotante *Marulo lib.* I. *cap.* 7. Nihil de *Poppula* apud Gregorium Turonensem, nihil de *Jachelina* apud Thomam a Cantiprato in lib. Apum; nihil de *Hildegundite* apud Raderum in Viridario Sanctorum pag. I. nihil de *Apollinari Syncletica*, ab eodem Bonfrerio loc. cit. allegatis. At enim vero. I. Ab extraordinario quodam Spiritus S. impulsu fuisse profecta ejusmodi exempla asseri posset; Hinc admiranda potius, quam imitanda. II. Potest pudicitia virginalis etiam extra claustra Monialium conservari, & multo igitur magis extra Monachorum claustra, quorum multos ustiones sentire, & ad libidinem pronos esse, nemo facile negaverit. Quinimo. III. Hoc tempore ejusmodi factum nec vituperio, nec crimine careret, cum passim mulierum monasteria occurrant.

XXVI. Varios sapere errores *Cornelii a Lapide in h. l.* sententiam, Theologi optime docere poterunt, sic scribentis: *Videtur peccasse mortaliter Judæus, utens veste fœminea, & Judæa utens veste virili. Unde videtur hoc præceptum partim esse naturale, partim ceremoniale & jam abolitum, quatenus scilicet obligabat sub peccato mortali.* Non enim solum omne peccatum esse sua Natura mortale Theologi invictis ostendunt argumentis: sed omnis etiam vestium mutatio, ex animi levitate orta, æque in Novo ac in V. Testamento peccatum est & interdicta, quippe per se indecens & occultis libidinibus aliisque sceleribus locum relinquens. Qua de causa in Concilio Gangrensi mulier anathemate feritur, virilibus usa vestimentis, Can. XIII.

XXVII. Sed abolita jam in N. T. lege Ceremoniali una cum Forensi, dubium alicui posset oriri: Forsan etiam hanc de promiscua vestium utriusque sexus usurpatione legem, *Deut.* XXII. 5. ad ceremoniales pertinuisse leges, uti ea, de capite vel barba non radenda *Levit.* XXI. 5. *seq.* Atenimvero delictum ejusmodi morale, *quod* §. XV. probatum est, & quod ipsum contra Decalogum committitur, dubio procul ad legem referendum erit moralem, nosque adhuc obligat. Quod ipsum contra *Isaacum Schoockium* notamus, utpote qui *Francof. ad Viadrum* 1655. *dissert. de Legibus Vestiariis edidit*, in qua *quæst.* VI. *pag.* 33. asserere haud veretur, legem hanc esse ceremonialem, quomodo etiam Judæis interdictum fuerit, ne vestes partim ex lana, partim ex lino confectas gestarent. Quam ut sententiam suam stabilire possit, provocat ad promiscua & communia utrique sexui vestimenta, uti sunt: toga, penula, pallium, cothurnus.

XXVIII. Non incommode huc Jesuitarum mos referri poterit, licentiam habentium, qualicunque vestimentorum genere, sive mercatorum in nundinis, sive nobilium in aulis, sive medicorum, sive magistrorum liberalium artium habitu in hæreticorum, ut vocant, Academiis, uti, saltem ur eo tutius terras peragrare, aliena expiscari, & ad Romanæ sedis commodum applicare istud possint. Sicuti vero omnis dolus, quo quis alteri obesse, innocuumque circumvenire cupit, prohibitus est quam maxime: ita etiam hæc ve-

vestium permutatio non est licita, quippe quæ doli ut plurimum causa usurpatur.

XXIX. Quid observandum sit circa Vestium commutationem, quæ comprimis tempore salutiferæ Redemtoris nostri nativitatis institui solet, non vacat prolixe differere. Non solum ortum larvarum harum Natalitiarum ex historiarum monumentis adduxit, sed & moralitatem earundem examinavit Præses meus, in dissertatione *de Sancti*, ut vocant, *Christi Larvis & Munusculis*, *Lipsiæ d.* 21. *Decembr.* 1699. *habita*.

XXX. Quemadmodum igitur mares tam profligatæ libidinis fuerunt inventi, qui vestibus & ornamentis muliebribus induti sexum ementiti sunt, aliisque delictis ansam dederunt: sic dubium est nullum, quin pœnam mereatur is, qui vestibus a sexu suo alienis usus, vestitu fœminam simulavit. Pœna quidem expressa huic rei statuta non est ab Jureconsultis; arbitrio tamen judicis ea merito committitur, qui pro diversitate finis, ob quem Vestes diversi sexus assumtæ, pœnam determinabit sive capitalem, si magnitudo id exiget & frequentia commissi; sive non capitalem. Inter alia vero, si ad decipiendum alterum hoc sit factum, pœna Falsi contra taliter vestitos locum habebit, *vid: Balthas. Conrad. Zahn. de Mendac. lib.* 2. 47. *num.* 2. Quod Falsum uti vel in *verbis*, vel in *Scriptis*, vel in *rebus*, vel denique in *personis* consistit; ita ultimi generis Falsum hic potissimum occurrere nemo facile inficiabitur. Quinimo infamia tales affici vult *Petr. a Placa a Moraca in Epitome Delict. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 4. sic quoque fœmina virilibus vestibus induta, si pro alio intercesserit, postea ad beneficium SCti Vellejani confugere non poterit, cum per mulierem deceptus sit creditor, id uti ex ore *Nobilissimi Dn. D. Friderici Philippi*, *ICti celeberrimi*, *& Facult. Jurid. Assess. gravissimi*, *Viri de Studiosa juventute meritissimi*, haurire nobis aliquando contigit. Colligitur autem ejusmodi Falsum, quando vel absunt personæ talis, qualem quis mentitur, requisita; vel quando contra adsunt alienæ ab eadem qualitates & indicia; Nam esse simul & non esse eadem persona nemo potest. An vero Testamentum, cui mulier virili vestitu larvata aderat, & quæ tempore faciendi testamenti vir existimabatur, valeat, præsertim si omnes testes mulieres non fuerint, nostrum non est disquirere, ICtis quæstio hæc est committenda.

XXXI. Tandem, sicuti enormiter peccant, qui exuta honestate & humanitate nudis incedunt corporibus; quale quid fecerunt *Adamitæ*, quippe nudi prorsus sacra peregerunt, uti id *Augustinus Hæres.* 31. *& de Civitate Dei lib.* 14. *cap.* 12. *testatur*; quale quid etiam legi potest de *Mossynis*, in *Mela lib.* 1. *cap.* 19. *& in Apollon. Rhod. lib.* 2. *argonaut.* it. de *Massagetis*, in *Herodoto*, *Clio*, *sub fin.* it. de *Abyssinis*, in *Franc. Alvarez descript. æthiop. cap.* 32. Ita quoque turpitudine sua non destituuntur, vestium luxuriæ nimium qui sunt dediti, cum potius vestes infirmitati & indigentiæ humanæ consulere; cum vitæ & moribus recte informandis inservire; cum admonere nos debeant, de peccati fœditate, de animæ cultu, quæ pietate, honestis moribus, & optimarum artium studio vestienda est; cum etiam commonefaciant nos de spirituali habitu. His parem committunt iniquitatem, promiscue qui vestes utriusque sexus usurpant; vanas & impias mundi pravæque carnis illecebras multis modis promoventes.

XXXII. Atque hæc sunt, quæ pro ingenii nostri modulo meditari & observare potuimus, Lector benevolus hæc omnia æqui bonique consulat, studiisque nostris in posterum quoque faveat.

JOHANNIS SCHMIDII
DISSERTATIO HISTORICA.
DE
USU VESTIUM ALBARUM
PRÆFATIO.

CUM æquum ſemper juſtumque reputaverim, ut, qui in altioribus bonarum artium ſedibus ſtudiorum cauſa commorantur, aliquod conatuum ſuorum ſpecimen edant; ego quoque non immerito tale quid uti ſuſciperem, in animum induxi meum. Opportunam vero ſcribendi, ſcriptaque ritu majorum defendendi occaſionem proxime præteriti juxta ac præſentis temporis ſuppeditabat ratio. Veniebat enim mihi in mentem tum alba, qua Salvator innocentiſſimus in cruenta paſſione conſtitutus, ignominiæ cauſa induebatur, veſtis; (*a*) tum candidus etiam, quem olim recens baptizati a Paſchatis Feſto ad ſubſequentem Dominicam Quaſimodogeniti gerere ſolebant, amictus. (*b*) Qua de re igitur commodius quædam in præſenti proferri poſſent, quam *de ipſo Veſtium Albarum Uſu?* Quæ tela ut eo melius diſtinctiuſque pertexatur, *primum* de Sacro, de Profano *dein earundem uſu* agere conſtitui. Interpretaberis, candide Letor, quod enixe contendo, qualemcunque laborem meum candide, ſique nonnulla carbone magis quam creta tibi videbuntur notanda, puriſſimas quoque veſtes maculis quandoque obnoxias eſſe, judicabis. Ob minus candida vero illorum, qui nigrum in candidum, candidum in nigrum vertere, ipſamque cum Anaxagora (*c*) nivem atram dicere non verentur, judicia, minime pullatus incendam. Faxit modo, qui luce veſtitus eſt tanquam veſtimento, (*d*) quique veſte candida ipſe comparere (*e*) haud dedignatus fuit, benigniſſimus nempe Deus, ut, quod divinis ejus auſpiciis aggreſſus ſui opus, cedat in ſui ipſius gloriam, æternis laudum præconiis evehendam.

SE-

(*a*) Vid. Diſſert. hujus Sect. II. §. 2.
(*b*) Vid. Sect. I. §. 17. ſeq.
(*c*) Vid. Anton. Thyleſii lib. de Coloribus cap. 3. pag. 103. affix. Laxari Bayſii Tr. de Re Veſtiaria ſub tit. annotationum in L. veſtis ff. de Auro & Argento Lib. 34. Lutet. Pariſ. 1549. 4. edit.
(*d*) Pſalm. CIV. 2.
(*e*) Dan. VII. 9.

SECTIO PRIMA.

De ſacro veſtium albarum uſu.

I. INitium itaque laboris noſtri a ſacro veſtium albarum uſu facientes, eundem maxime frequentem *In Sacedotibus* reperiemus.

II. Quod ſi enim ad *Sacerdotes*, per quos ſupremum Numen ſibi ſacra fieri voluit, ante omnia mentis noſtræ oculos convertamus, deprehenſuri ſumus, utrumque eorundem ordinem, (1) Pontificem maximum puta, ac reliquam cohortem, veſtimenta alba geſtiſſe.

III. Quod ad Pontificem Maximum attinet, octo eidem veſtimenta, ſcilicet Ephod, pectorale, pallium, laminam, tunicam, cidarim, balteum, & feminalia, quæ per totum annum, excepto magno expiationis die, induere tenebatur, & ſine quibus officii ſui partibus fungi haud poterat, in *Judæorum* (2) *ſcriptis* paſſim tribui leges. Quamvis, ſi adductis pileum, cujus *Scriptura* (3) mentionem facit, addere velis, novem potius annumeranda ipſi videantur. Ex his tunicam, cidarim, pileum, & feminalia (4) alba fuiſſe, non eſt cur dubitemus, cum non tantum doctiſſimus Judæorum *Maimonides*, (5) ſuo illud teſtimonio corroboret, ſed & *ſacer Codex* (6) idem ſatis innuere videatur. Ac licet contra *Seldenum* (7) *&* *Levi Barſelonium* (8) ipſe *Braunius* (9) ſecutus *Maimonidem*, (10) *Talmud*, (11) *Cunæum*, (12) tunicam, cidarim, & feminalia una cum balteo ad Pontificis Maximi aurearum veſtium genus referenda quoque eſſe cenſeat, aurea tamen, ſi proprie loqui velimus, neutiquam dici poſſe, ipſemet fateri cogitur.

IV. Inprimis autem illud memorabile, quod Pontifex Maximus, die piaculari, (13) cui decimus Menſis Tiſri, ſeu ſeptembris, ſacer erat, in adyto coram Deo, non aliis, quam albis veſtibus indutus comparere, (14) eaſdemque, expiatione facta, ſtatim deponere, nec unquam poſtea reſumere, multo minus, ut quidem Doctor *Doſe* (15) olim docuit, cuidam gregariorum ſacerdotum gerendas tradere, ſed in ſequenti anno novis amictus adytum intrare debuerit. (16)

V. Reliquos etiam Sacerdotes, Pontifici Maximo contradiſtinctos, veſtibus albis in peragendis ſacris uſos fuiſſe, ex Scriptura (17) non minus, quam aliis ſcriptoribus (18) conſtat.

VI. Non modo autem Deus, qui lucem inhabitat inacceſſam, (19) & ipſa quoque Lux eſt, (20) candida veſte Sacerdotes olim ſuos uti voluit, ſed ipſe diabolus etiam, princeps tenebrarum, (21) tantopere ſemper veſtibus gaviſus fuit albis, ut ſibi ſacra peracturos, linteæ veſtis candore puro voluerit eſſe luminoſos (22)

VII. *Ægyptiorum* Sacerdotibus veſtes ex lino (in ipſis oris Ægyptiacis confecto, cui nullum aliud candore mollitieque fuit præferendum, in maximo ſemper habitas fuiſſe pretio, vel ex ſolo Plinio, (23) idem referente, abunde ſatis conſtaret. Habemus vero antiquiſſimum *Herodoti* (24) teſtimonium, qui de ſacris Iſidis: εἵματα, inquit δὲ λίνεα φορέουσι αἰεὶ νεόπλυτα ἐπιτηδεύοντες τοῦτο μάλιστα, *Linea ferunt veſtimenta, ſemper recens abluta, huic rei præcipue vacantes*; & paulo poſt: ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἱ ἱρέες λινέην μούνην, καὶ ὑποδήματα βύβλινα: ἄλλην δὲ σφι ἐσθῆτα οὐκ ἔξεστι λαβεῖν, οὐδὲ ὑποδήματα ἄλλα. Λοῦνται δὲ δὶς τῆς ὑμέρης ἑκάστης ὕδατι ψυχρῷ, καὶ δὶς ἑκάστης νυκτός: *Sacerdotes veſtem, tantummodo lineam, calceos papyraceos geſtant: nec aliam veſtem aut alios calceos induere eis fas eſt. Lavantur quotidie frigida, interdiu bis, noctu bis*. Cui jungimus *Apulejum* (25) itidem de ſacris Iſidis narrantem, quod viri non modo, fœminæque linteas veſtes habuerint, atque ita cndore luminoſi fuerint omnes, ſed Antiſtites etiam ſacrorum, candido linteamine cinctum pectorale ad uſque veſtigia ſtrictim injecti, potentiſſimorum Deum protulerint inſignes exuvias.

VIII. Apud *Perſas* veſte candida amictos inceſſiſſe Magos, quibus cura ſacrorum commiſſa erat, (26) nemo, qui *Laertium* (27) modo inſpexerit, inficias ire audebit. Sic enim expreſſe de iiſdem dicit: τούτων δὲ ἐσθὴς λευκή, *bis veſtis candida eſt*.

IX. *Phœnicum* Sacrificulos albam tunicam geſtaſſe, quæ in medio purpura diſtincta fuerit, celebris rei veſtiariæ ſcriptor *Octavius Ferrarius* (28) nos edocere poteſt.

X. *Græcis* quoque togarum candidarum uſurpatio in ſacris primario actionibus erat frequentiſſima. De celebertima enim omnis eruditionis ſede, Athenienſium civitate, nil certius eſt, quam quod Prytanei in ea ſacra facientes, non niſi albis amicti fuerint veſtimentis. Teſtem hujus rei habemus indefeſſum ſuo tempore Ariſtotelis Diſcipulum, *Theophraſtum*, (29) dum μικροφιλότιμον quendam, qui inter alia erat παρασκευασάμενος ἱμάτιον λαμπρὸν, introducit. Cui adſtipulatur *Appianus*, (30) aſſerent, non Alexandrinorum modo, verum etiam Athenienſium

Sa-

Sacerdotes calceamenta alba, quæ phæcasia (31) dicta fuerint, gestasse: καὶ στολὴν εἶχε, loquitur de Antonio, τετράγωνον ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα ἦν αὐτῷ λευκὸν Ἀττικὸν, ὃ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι φαικάσιον: *habuit autem stolam quadrangulam græcanicam pro habitu patrio, & calceum induit album Atticum, quo & Atheniensium & Alexandrinorum sacerdotes utuntur, & quem phaecasium vocant.* Imo usque adeo vestes albæ sacrificantium apud Athenienses habebantur propriæ, ut etiam scurræ eos, qui candidati in publicum prodire solebant, ὀλολυγμοὺς, quasi dicas sacrificantes, vocarent. Sic enim in Athenæi (32) *Ulysse Anaxandrides*: λαμπρός τις ἐξ ἐλήλυθ', ὀλολυγμὸς οὗτός ἐστι: *si quis splendidus* (i. e. albus) *progreditur, sacrificans est.*

XI. *Romanos* albarum vestium usu in sacris faciundis fuisse delectatos, ex Sacerdote quodam, apud Comicorum facile Principem, *Plautum*, (33) nonnullas mulieres his verbis alloquente, percipimus:

> *Æquius vos erat*
> *Candidatas venire hostiatasque ad hoc fanum.*

Idem colligere licet ex *Persio*, (34) apud quem hæc offendimus:

> *Negato*
> *Juppitar hæc illi, quamvis te albata rogarit.*

De Flamine Diali hæc ex *Varrone* habet *Gellius* (35) *is solus album habet galerum, vel quod maximus est, vel quod Jovi immolata hostia albato fieri oporteat.* Sic Cereris sacra albis fieri debuisse Vestimentis ex *Ovidio* (36) patet, canente:

> *Festa piæ Cereri celebrabant annua matres.*
> *Illa quibus nivea velatæ corpora veste.*

alibique: (37)

> *Alba decet Cererem Vestis, cerealibus albam*
> *Sumite, nunc pulli velleris usus abest.*

Neque Virgines Vestæ sacratæ aliis immolabant togis quam candidis. *Suffibulum* enim, quo utebantur, testante *Festo*, (38) erat *vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod illæ in capite sacrificantes semper habebant, quodque sub mento fibula, unde nomen accepit, comprehendebatur.* Suidas (39) etiam istud suo haud exiguæ autoritatis testimonio confirmat: καὶ inquiens, διὰ τοῦτο οὐ μύρῳ, οὐκ ἄνθεσιν, οὐχ ἱματίῳ χρῆσθαι συνεχωροῦντο, πλὴν λευκοῦ: *atque inde non unguento, non floribus, non veste, nisi alba uti ipsis concessum fuit.*

XII. *Germanorum* Veterum Sacerdotibus amictum fuisse candidum, nemini dubium esse potest. Namque *fœminas eorum Sacra peracturas* λευχείμονας καρπασίνας ἐφαπτίδας ἐπιπορπημένας, *albo vestitu cultas, carbasinis amictas sagulis Strabo* (40) refert.

XIII. Tandem de *Gallis* antiquis apertissimum est Testimonium *Plinii*: (41) *Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago; tum deinde victimas immolant.* Ipse quoque *Dn. Esaias Pufendorfius in Dissertatione de Druidibus* (42) lectu sane dignisisima, quod candidum Galli in sacris suis solennitatibus colorem præ reliquis præelegerint, asserere, nullus dubitavit. Ubi obiter & ex *Sulpitio Severo* (43) notamus, Gallorum rusticis consuetudinem fuisse, simulacra Dæmonum candido tecta velamine misera per agros suos circumferre dementia.

XIV. A *Paganis* ad *Christianos* si pedem proferamus. inter hos quoque Sacrorum curatoribus albarum vestium usum non infrequentem jam olim fuisse, atque etiamnum esse, animadvertimus.

XV. Sanciverat equidem Seculo IV. *Concilium Carthaginense quartum*, (44) ut Diaconus tempore Oblationis tantum, vel lectionis alba uteretur: promiscuum tamen albarum vestium, tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam, inter Clericos obtinuisse usum, ex *Leone* IV. (45) *Riculfo Episcopo Suessionensi*, (46) & *Reginone*, (47) nos *Carolus du Fresne* (48) docet; atque albas gerere, in albis esse, albatos dici Clericos, dum albis induti procedunt, vel officia Ecclesiastica peragunt, ex *Paulo Diacono*, (49) & *Ruperto*, (50) satis demonstrat. Has inter vestes *album* erat *pallium*, sive fascia, ex candida lana, habens circulum humeros stringentem, duasque lineas utrinque pendulas, quibus quatuor e purpura cruces erant additæ, quod *Onuphrius Panvinius* (51) e lana candidorum agnorum, Romæ a monialibus nutritorum, qui Dominica in Albis in templum inducti altare Petri circumierunt, contextum recenset. *Alba* porro erat *Camisia*, sive, ut *Tertulliano* (52) audit, *intertula*, indusium quasi, seu tunica inferior, a *Cæsario* (53) descripta, quam citatus *Fresneus*, (54) ex *Simeone Thessalonicensi*, (55) Lectoribus propriam fuisse ostendit, ob-

observans, a Camisia Camisatos dictos fuisse istius ordinis Clericos apud Græcos, quorum officium erat ferre ad altare carbones, & sacris lebetibus calefaciendis occupari, ut illic more solito aqua fervens sacris calicibus tempestive infunderetur. *Alba* erat *Dalmatica*, sive manicata tunica, quæ Colobiis, a Sylvestro Pontifice A. C. CCCXX. sublatis, substituta fuit; (56) *alba mitra*, sive ex albo serico in altum porrectus, inque duas cuspides divisus pileus; (57) *alba* denique *Casula*, quam *Isidorum* (58) suo jam tempore albam vestem nominavit.

XVI. Imo adhuc hodie in Romano-Catholicorum pariter ac Lutheranorum sacris peragendis, albas a Presbyteris vestes indui videmus; quas tantum abest, ut cum Reformatis, nonnullisque nostratium, cum omni Ecclesiæ ornatu rejectas esse velimus, ut potius iniquis hujuscemodi Aristarchis dictum *B. Hieronymi* (59) opponamus: *quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem, si Episcopus, Presbyter & Diaconus, & reliquus Ordo Ecclesiasticus, in administratione Sacrificiorum candida veste processerint?*

XVII. Pervenimus ad vestimenta candida *Sanctissimo Initiatiationis Sacramento* destinata, variis notatu dignissimis nominibus (60) insignita, quæ in ditiorum Baptismo propriis, (61) pauperiorum vero Ecclesiæ (62) sumtibus comparabantur. Erant autem ex lino (63) confecta, manicata, (64) cinguloque adstricta, (65) totum corpus (66) operiebant, & formula (67) actui convenienter adhibita omnibus atque singulis, qui Lavacri hujus participes facti erant, nulla dignitatis (68) ratione habita, infantibus ac pueris, (69) nec non adultis, (70) nudis (71) de fonte egressis, a ministro vestes candidæ (72) tradebantur.

XVIII. De *Adultis* si desideras testimonia, adi *Paulinum*, (73) de sene quodam baptizato istud asserentem. Audi *Aratorem*, (74) de multis hominum milibus a Petro sacris undis ablutis canentem:

Agmine jam niveo per millia quinque virorum
Ecclesiæ crescebat apex.

& *Venantium Fortunatum*: (75)

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia Pastor habet.

En! *Gregorium Turonensem*, (76) qui de adultorum Judæorum Baptismo Arverni in Galliis, per Avitum Episcopum facto, loquens, totam civitatem de grege candido albicasse dicit; quam historiam supra laudatus *Fortunatus* (77) hunc in modum cecinit:

Et nova progenies reddita surgit aquis.

Ex *Beda Baronius* (78) Ceaduallam Regem Occidentalium Saxonum Sancto Sabbati Paschalis die, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo octogesimo nono baptizatum languoreque correptum duodecimo Kalend. Maj. in albis mortuum (79) fuisse refert. Quemadmodum etiam *Paulus Warnefridus*, (80) de Rege Anglorum Saxonum Cedoaldo a Sergio PP. Romæ fontibus sacris immerso idem commemorat, sequentia inter alia in ejus epitaphio exhibens:

Fonte renascentis quem Christi gratia purgans
Protinus albatum vexit in arce poli.

Ut antea (81) nominatos, Constantinum Magnum Arcadium atque Honorium, omnes ætate jam provectiori candido amictu vestitos, sicco pede transeamus.

XIX. Nec desunt firmissima, quæ *infantum atque puerorum* baptizatorum vestimentis album adjudicant colorem, testimonia. Quid enim clarius *Nysseni* (82) verbis: *puellus infans mutatione vestis sensu externo festum colit, quandoquidem interiori animi sensu nondum potest.* Confirmat eadem exemplo Hieronymi *Ado*, (83) illum in Oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, Patre Eusebio natum, & veste Christi Romæ puerum ornatum fuisse tradit. Hunc excipit *Ordo Romanus*: (84) *& deportantur*, inquiens, *ipsi infantes* (baptizati) *ante eum*, (Episcopum) *& dat singulis stolam candidam, & Chrismale, & decem siliquas, dicens: accipe vestem candidam, & immaculatam &c.* Similiter *Paulinus*: (85)

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Et Acta S. Lugderi Episcopi: (86) *octodecim infantes baptizavit, qui omnes in albis defuncti sunt, exceptis duobus, quos san-*

sanctus Sacerdos pace reddita, Sancti Spiritus inunctione, & manuum impositione firmavit. Quid? quod adhuc hodie in nostris Ecclesiis candidæ hujus vestis gerat vicem candens indusium, (87) vel candida mitella, quæ capiti infantis statim a Baptismo imponitur, germanice das Mester-Hembdlein dicta.

XX. Solane incesserint veste candida induti tum baptizati, ut quidem *Josepho Vicecomiti* (88) videtur: an vero aliis quibusdam superinducta isthæc fuerit, quæ mens est doctissimi *Hoornbeekii*, (89) nostrum non est disquirere.

XXI. Potius de *Tempore*, quo undis sacris abluti vestimentis hujuscemodi albis conspiciebantur amicti, quædam subnectere placet. Ægyptios, quo primum veste alba induti fuerint, illam usque ad supremum Spiritum jugiter detulisse, *Vicecomes* (90) ex *Athanasio* (91) probare conatur. In aliis autem Regionibus, per unam saltem hebdomadam, (92) a Paschate (93) nimirum ad subsequentem Dominicam Quasimodogeniti, quæ *Dominica in albis*, (94) der weisse Sonntag, ea propter vocata, ornatos hoc amictu processisse, eademque die in Ecclesia sive Baptisterio (95) exutos (96) fuisse, constat. Sic enim *Augustinus*: (97) *Paschalis solennitas hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie quoque Neophytorum habitus commutatur, ita tamen, ut candor, qui ex habitu deponitur, semper in corde teneatur*. Itemque *Ordo Romanus*: (98) *Sabbatho infra albas albati, qui in Sancto Sabbato baptizati fuerunt, albis vestibus exuuntur*. Nec non *Rabanus Maurus*: (99) *quos*, ait, *septem dies albas vocitamus, propter eos, qui in Sancta nocte baptizati albis per totam hebdomadam utuntur vestibus*. Similiter *Conradus Urspergensis*: (100) *infantes suos in Sabbato Sancto Paschæ & Pentecostes*, (101) *cum candelis & cappa, quæ dicitur vestis candida, & patrinis comitantibus ad Baptismum deferant, eosque veste innocentiæ indutos per singulos dies usque in octavum diem ejusdem Sabbati ad Ecclesiam deferant, & celebrationi divini officii interesse satagant*. Pluresque alii, quos brevitatis gratia omittimus. Utrum vero vestem hanc baptizati septem diebus, non solum in Ecclesia, cum sacris mysteriis interfuerunt, sed continuo gestaverint, ut quidem *Vicecomes* (102) ex *Gregorio Turonensi*, (103) *procedendi* vocabulo, dum de baptizato loquitur, utente, nec non totam civitatem de grege candido albicantem dicente, probare nititur, in medio relinquimus.

XXII. Cum vero vestem hanc fuisse mysticam, *Sozomenus* (104) indigitet, quidnam eadem significatum fuerit, paucis delineare licebit. Primo, & quidem primario, *vitæ integritatis ac innocentiæ*, quam & alias (105) colore albo denotatam scimus, erat symbolum. Elegantia prorsus sunt, quæ hac de re profert *Ambrosius*: (106) *accepisti*, inquiens, *posthæc vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris Innocentiæ casta velamina, de quibus dixit Propheta: asperges me hyssopo & mundabor: Lavabis me, & super nivem dealbabor: Qui enim baptizatur, & secundum legem, & secundum Evangelium videtur esse mundus. Secundum legem, quia hyssopi fasciculo Moses aspergebat sanguinem agni; secundum Evangelium, quia Christi erant candida vestimenta sicut nix cum Resurrectionis suæ gloriam in Evangelio demonstraret. Supra nivem dealbatur, cui culpa dimittitur. Unde & per Esaiam Dominus ait: si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, ut nivem dealbabo*. Cui *Origenem*, (107) *Chrysostomum*, (108) *Amalarium Fortunatum*, (109) *Rabanum*, (110) *Photium* (111) & *Pachymerem*, (112) album suo tempore adjecisse calculum videre est. Non vero solum Innocentiam in fonte sacro receptam, sed eam quoque ad finem vitæ retinendam innuebat, teste *Cyrillo Hierosolymitano*, (113) dicente: *exutis vestibus antiquis, & iis, quæ sunt secundum spiritum albæ, indutis, perpetuo jam in albis procedere oportet. Non hoc ideo dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere sit necesse, sed quod his, quæ vere alba, splendida, & spiritualia sunt, vestire te oporteat*. Quem præter supra (114) citatos *Hieronymum*, (115) *Augustinum*, (116) & *Gregorium Magnum* (117) *Ordo Roman.* (118) & *Glossa in Decret. Grat. de Consecrat.* (119) sequuntur. *Indicium* porro *Nativitatis spiritualis futuræque Resurrectionis* fuisse, ex *Augustino*, (120) *Amphilochio* (121) *Albino Alchvvino*, (122) *Theophylacto* (123) & *Ivone Carnutensi*, (124) haud difficile foret probare. Sufficiat vero unus instar omnium *Rabanus*: (125) *utuntur ergo*, inquiens, *Baptizati albis vestibus, ut, quorum primæ nativitatis faciem vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ Regenerationis gloriæ præferat incrementum*. Alibique: (126) *Cuncti vero renati albis induuntur vestibus ad mysterium resurgentis Ecclesiæ*. Similiter *ad spirituale gaudium* Baptizatorum animos excitasse, testatur *Procopius Gazæus*: (127) *Sic & nos abluti & repurgati sacro Baptismate, recipimus gratiam cœlestem, lætitiæ induti tunicam*. Quod eo

eo magis credendum, quo certius colorem album pro lætitiæ (128) quondam signo habitum fuisse scimus. Nec errabimus forte, si *Veritatem* quoque eadem indicatam fuisse statuamus, ductu sæpius laudati *Hieronymi* (129) *de Baptismo consurgentes lumbos veritate cingere* jubentis. *Liberationem* denique *a servitute Dæmonis* eam significasse, ex *Cyrillo Hierosolymitano* (130) liquet. Sic enim ille: *magnum sane propositum est hoc Baptisma: captivitatis liberatio, vestimentum candidum signaculum sanctum*. Ut plures alias a *Vicecomite* (131) allatas ejusdem significationes, (132) cum ipsimet non adeo certæ videantur, haud afferamus.

XXIII. Non ignotum nobis insuper est *velamen mysticum*, (133) sive, ut *Glossa Concilii Belluacensis* (134) describit, *pannus, quo caput pueri chrismate in fronte circumcingebatur, ne recens unctio Episcopi deflueret, vel quo vertex chrismate a Presbytero perunctus obvolvebatur*; quod, si *Vicecomitis* (135) locum inveniunt conjecturæ, non minus ad præsentem nostrum scopum pertinebit. Hic etenim candidum ejus colorem exinde colligit, quod probabile videatur, vesti & calceis istud fuisse simile; vel quod Baptismi dignitas & ratio postularit; ut Conscientiæ nitor, quem ille effecisset, omni externo cultu significatus fuerit, vel tandem, quod *Methodius Constantinopolitanus* (136) innuat, ex lino, quod nisi succis inficiatur, album esse soleat, constitisse. Cum veste alba cæterum in eo convenisse, quod a divitibus ipsis comparatum, pauperibus vero sumtu Ecclesiæ suppeditatum fuerit, *eidem* (137) conjicere placet; sicuti etiam septem istud diebus gestatum, & octavo, albæ instar vestis, in Baptisterio depositum fuisse, tradit; (138) hoc saltem observato discrimine, ut, cum unus illud deposuerit, ab altero iterum potuerit usurpari, teste *Concilio Belluacensi*: [139] *Si quis voluerit Chrismate pannum iterum linire, & super alium baptizatum mittere, non est absurdum*. Mysterium vero mystici hujus velaminis *Albinus Flaccus* (140) in eo ponit, quod declaratum eo fuerit, regeneratos per Baptismum ad genus Regium & sacerdotale evectos esse; sic enim scribit: *sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, ut intelligat, se diadema Regni & Sacerdotii dignitatem portare*. Gemina ex *Ivone Carnutensi* (141) & *Glossa apud Grat.* [142] cognoscere licet. Hoc adhuc obiter, ut peculiare quid notamus, filum rubrum, *Guilelmo Durando* (143) teste, in isto insui solitum, eodemque Passionem Christi, a qua omnis abluendi vis in Baptismum tanquam a fonte profluit, denotatam fuisse.

In *calces* tandem noviter Baptizatis traditos curatius esset inquirendum, si adessent firma, quæ albedinem eorundem adstruerent, antiquorum testimonia. Cum vero *Vicecomes* (144) omnes ferme, quas in velaminis mystici descriptione fecit conjecturas, & hic adducat, ut illis immoremur, non necessum esse judicamus.

XXV. Quo vero visis Judæis, Paganis atque Christianis, de *Turcis* adhuc aliquid adjiciamus, ex *Joh. Cotovico* (145) notatum volumus, inter alios Mahometææ legis religiosos quosdam, *Torlaces* dictos, ad Tabernas, fora publica balneaque stipis expetendæ causa ut plurimum se conferentes, & precario viventes; *Calenderes* item, continentiæ præcipue sibi laudem vendicantes, Mahometæorum opinione sanctissimos; nec non *Dervisios*, dentes sibi, quo sanctiores habeantur, excutientes, albis uti pileis solere. Quemadmodum etiam hoc præterire non possumus, quod Turcæ circumcisum albido Tulipantho mox ornent, (146) cum pueri eorundem nondum baptizati pileolo serico versicolore caput tegant.

SECTIO II.

De Profano Vestium Albarum Usu.

I. Considerato sacro ad profanum albi vestitus usum procedentes, tam latum nobis disserendi campum videmus aperiri, ut, ubi in ejusdem descriptione ordiendum sit, vix videamus.

II. Non abs re tamen, ut arbitramur, erit, si ab *Hebræis*, populo omnium antiquissimo, incipiemus. Apud eos *Cl. Heinsius* (147) חורים sive primores amictum candidum gestasse tradit. Quæ etiam causa est, cur conjecturam *B. Gerhardi*, (148) vestem splendidam, sive, ut vulgatus transtulit interpres, candidam, (149) qua sanctissimus humani generis Redemtor ipso cruentæ passionis tempore (150) indutus fuit, ab Herode ipso quondam gestatam, jamque e pulvere blatisque erutam, & in affectati, quæ horrenda Judæorum fuit calumnia, (151) Regiminis signum, traditam fuisse putantis, non ineptam esse judicemus.

III. Consuetudinem vero eorundem mortuos לקבור בבגדים לבנים albis tunicis, & quidem vulgo iis, quas Expiationis die induerunt, una cum suo Talles, seu pallio precatorio, tumulo mandare, antiquissimam esse, & cum vestibus pretiosioribus ne Principem quidem Israelis, certas ob rationes (152) sepelire licere, ex

ex accuratissima *Buxtorfii* (153) narratione habemus. Qua propter etiam, cum Sindonem, qua sanctissimum Christi corpus a Josepho post mortem fuit involutum, ex lino puro constitisse legamus, (154) communis istam cum reliquis defunctorum Judæorum vestibus coloris fuisse, non incongrue colligi posse putamus.

IV. *Ægyptiis* album vestium colorem reliquis omnibus honoratiorem, adeoque Principibus ipsis dicatum fuisse, vel ex eo satis abunde potest probari, quod Josepho cum aureo annulo, aliisque proximi a Rege Pharaone loci insignibus, alba quoque stola donata fuerit (155).

V. *De Persis* indefessum sacrorum Oraculorum scrutatorem latere minime potest, quod non minus ac Ægyptii nitido albi coloris splendore coruscantibus Magnates suos vestibus exornarint. Mardochæus enim, primarius Persarum Monarchæ Ahasvari Minister, ornatu honorandus Regio albis indutus vestibus ab iisdem introducitur. (156) Quibus addere placet, quod *Ferrarius* (157) referat, Persarum Reges tunicam purpuream gestasse, quæ in medio album habuerit intextum.

VI. *Nasamones*, Libyæ populos, defunctorum corpora per affines abluta unguentisque uncta candidis quondam induisse vestimentis *Alexander ab Alexandro* (158) testatur.

VII. *Græcorum Regum Diademata* albo colore constitisse, nos *Lucianus* (159) docere potest, cum eadem ταινίας λευκὰς, fascias albas, nominet; nec non *Casaubonus* (160) causias Regum Macedoniæ fascia alba ornatas fuisse tradens.

VIII. Imo *omnes Græcos*, exceptis Opificibus ac Sellulariis, populique fæce, vestes albas gestasse, *Ferrarius* (161) non modo ex *Artemidoro*, (162) his, qui in turba versantur, album vestitum adscribente, verum etiam ex *Polluce*, (163) lotarum vestium mentionem faciente, probare conatur.

IX. Neque *in funeribus* eosdem a colore albo, si personas probe variasque earundem conditiones discernere velis, abstinuisse videbis. Licet enim isti, quibus angusta domi res erat, *Artemidoro* (164) teste, vilibus, iisdemque nigris pannis involuti sepelirentur: alii tamen, quibus fortuna de divitiis vel honoribus melius prospexerat, albo, quod, cum in vivis adhuc essent, vel ipsi, vel cognati eorum procuraverant, (165) indumento, ut *ex eodem* (166) colligimus, amiciebantur. *Homerus* (167) ideo de Patrocli cadavere scribit:

> Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν
> Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.
>
> *In lectis vero componentes subtili linteo texerunt*
> *Ad pedes a capite, desuper autem veste alba.*

Aratum a Sicyoniis veste alba coronisque sepulcro illatum *Plutarchus* (168) refert. Et *Pausanias* (169) Messeniorum Optimates coronatos candidisque vestimentis humatos esse tradit.

X. Ad *lugentium* vero *demortuos* quod attinet vestimenta, ex *Homero* (170) *Euripide* (171) aliisque, nigra apud illos communiter eadem fuisse, liquet. Hoc tamen nonnunquam observatum est discrimen, ut Regum virorumque amplissimorum funera candidati prosequerentur. *Plutarchus* (172) suo istud corroborare videtur testimonio, dum funus Timoleontis apud Syracusanos describens, multa hominum atque mulierum coronas albasque vestes habentium præcessisse tradit. Quamvis exemplum hoc, ut extraordinarium, ab *Alexandro* (173) male huc translatum *Nic. Mercerus* (174) existimet.

XI. *Locrensium* apud *Græcos* mulieres ingenuas amictu albo a non ingenuis distinctas, *Suidas* (175) innuit, Legem iisdem a Zaleuco latam fuisse dicens, ut fœminæ ingenuæ cum domesticis & una pedissequa candidis, reliquæ vero floridis indutæ vestibus in forum prodirent.

XII. *Romanos* tantum non omnes, (176) si reos, (177) lugentes (178) atque servos (179) excipias, albas vel caddidas (180) gestasse vestes, cuncti, quos veolvimus, Antiquarii affirmant.

XIII. Candida vero fuisse *diademata Regum*, *Svetonius* (181) innuere videtur, dum Statuam Julii Cæsaris ab ejus mancipiis laurea, candida fascia præligata, exornatam fuisse tradit. Hinc etiam *Ciceroni* (182) fasciæ in Pompejo, licet crurales, non placebant, cum essent candidæ, adeoque affectati Regni suspicionem moverent.

XIV. Ab *Equitibus Romanis* vestes usurpatas fuisse candidas, ex duobus, quæ *Martialis* (183) de toga Parteniana exaravit, epigrammatibus constat. Equorum posteriori sequentia adducere non pœnitebit:

> *Hæc est illa meis multum cantata libellis,*

Quam

Quam meus edidicit lector amatque togam.
Parteniana fuit quondam memorabile vatis
Munus, in hac ibam conspiciendus Eques,
Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana,
Dumque erat Autoris nomine digna sui.

XV. Candida præterea fuerunt vestimenta *Imperatorum* in prælium exeuntium, (184) candida cum victoria domum redeuntium; (185) candida *Præfectorum castrensium*, *Tribunorum*, *& primorum Centurionum*; (186) candida ipsorum *gregariorum*; (187) inprimis vero candida speciatim vocatorum *Candidatorum*, qui Gordiano Seniori pariter ac Juniori, *Cedreno* (188) teste, suam originem debebant, ex viris non animo tantum & corporis robore, sed genere quoque & opibus (189) alios antecellentibus constabant, & ad Imperatorum adhibiti custodiam in palatio militare solebant; (190)

XVI. Officia (191) ambientes togas addito quodam cretæ genere candidiores factas (192) in signum petitionis (193) induisse, iisdemque solis atque recinctis (194) populum prehensasse, & exinde Candidatorum (195) nomen sortitos fuisse, iis, qui Antiquitatis studium vel primis labris degustarunt, ignotum esse nequit. Audiamus modo ex in numeris aliis, unicum *Valerium Maximum* (196) istud asserentem, qui de Cn. Scipione Africani superioris filio, & Cicerejo Scriba, Præturæ competitoribus: *Cæterum*, ait, *crimen ejus in suam laudem Cicerejus convertit. Nam ut vidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit, abjectaque candida toga Competitoris sui suffragatorem agere cœpit.*

XVII. *Ludos amphiteatrales aut scenicos*, nobiles, juxta ac plebejos albis, iisdemque vel fullonum studio lotis (197) vel recentibus (198) spectarunt togis. *Martialis* (199) ideo Horatium, qui nigra spectaculis interfuerat lacerna, hoc modo perstringit:

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs & minor ordo maximusque
Sancto cum Duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente cœlo,
Albis spectat Horatius lacernis.

Et Augustus Cæsar (200) aliquando sanxit, ne quis pullatorum, (201) quoties quid spectandum publice ederetur, media cavea sederet. Quæ etiam fortassis fuit ratio, cur veteres, testante *Fresneo*, (202) ludorum editionem candidam vocarint. Sic enim *Ambrosius*: (203) *præparemus nova & præclarissima munera, edamus primam candidam in vestitus nudorum, secundam vero non minus nobilem &c.*

XVIII. *Festivitates* itidem *privatas*, & inprimis *dies natalitios* Romanos candidis celebrasse vestimentis, testatur *Horatius*: (204)

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Idemque vestibus natalitiis recentibus indigitare videtur *Persius*; (205)

Scilicet hæc populo pexusque togaque recenti
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus
Sed legens celsa.

XIX. *Adolescentibus ingenuis* annum ætatis septimum decimum agentibus, (206) posita prætexta, (207) togam albam vel puram (208) virilem (209) alias vocatam, in Capitolio (210) fuisse traditam, quis est qui nesciat?

XX. Similiter *puellas pridie nuptiarum* regillis albis fuisse amictas, testis est apud *Ferrarium* (211) *Festus*: *Regillis*, inquiens, *tunicis albis & reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum versus a stantibus, pridie nuptiarum virgines indutæ cubitum ibant, ominis causa, ut etiam in togis virilibus dandis observari solet.*

XXI. *Convivantium* vestes albi coloris fuisse, omnium optime demonstravit *Cicero* (212) cujus & verba quædam, licet paulo prolixiora, in medium proferre liceat. *Atque illud etiam te scire cupio*, sic ille, *quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arii familiaris mei cum toga pulla accumberes? Quem unquam videris? Quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplicationes te illas non probasse. Optime. Nullæ fuerint supplicationes. Cedo, quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulæ quidem ipsæ dignitatis. Sed omitto epulum; populi Romani festum diem, argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo: quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla unquam data est? cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli Dominus Q. Arius albatus esset,*

ſet, tu in templum Caſtoris te cum C. Fidulo atrato cæteriſque tuis furiis funeſtum intuliſti. —— Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam puer aut adoleſcens inter coævos fueras? Quem accumbere atratum videras dominum cum toga pulla, & ejus amicos ante convivium? &c.

XXII. Quod *ſervi*, quos pullatos fuiſſe ſupra (213) diximus, Liberti facti, *in ſignum manumiſſionis*, veſtimento candido exornati fuerint, *Tertullianus* (214) confirmat: *ſi famulum tuum*, inquiens, *libertate mutaveris, & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu menſaque honorator.*

XXIII. Tandem *feralia* nonnunquam eorundem *amicula* alba fuiſſe, Neronis Claudii Imperatoris funus comprobare videtur, de quo *Svetonius*: (215) *Funeratus eſt*, inquit, *impenſa ducentorum millium ſtragulis albis auro intextis, quibus uſus Kalendis Januarii fuerat.*

XXIV. Quin & ipſa *mulierum funera comitantium* lugubria, Imperatorum ævo (216) alba fuiſſe ſcimus. *Herodianus* (217) enim de Severi Imperatoris exſequiis ſcribit: αἱ γυναῖκες λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι σχῆμα παρέχουσι λυπουμένων, *fœminæ veſtibus albis exilibus indutæ mœrentium ſpeciem præbent.* Cujus rei rationem elegantiſſime exponit *Plutarchus*: (218) *Cur in luctu*, inquiens, *mulieres albas gerunt veſtes, albaſque vittas? an id faciunt exemplo magorum, qui adverſus Plutonem & tenebras lucido & illuſtri amictu ſe muniunt? aut ſicuti defuncti cadaver albo involvunt tegmine, ita & amictos volunt eſſe neceſſarios? Corpus autem hoc modo ornant, quia animam non poſſunt, quam volunt puram illuſtremque proſequi, ut peracto difficili ac vario certamine jam dimiſſam. Sive luctum maxime decent vilia & ſimplicia, quæ autem colore infecta ſunt, partim luxum, partim ſupervacanearum rerum ſtudium arguunt. Non enim minus de nigro, quam de cæruleo colore dici poteſt: doloſæ ſunt veſtes, doloſus color. Jam nigra ex ſeſe quæ ſunt, non arte, ſed natura tincta ſunt, umbroſoque colore permixta. Solum itaque album ſincerum eſt mixturæque expers, purum, & tinctura non imitabile &c.*

XXV. Neque hodie Paganis uſum veſtium albarum infrequentem eſſe deprehendimus. Adſunt enim oculati teſtes, qui non modo *Indorum* uxores vivas cum maritis demortuis comburendas, (219) verum etiam *Imperii Serici* incolas in luctu (220) albatos ſe vidiſſe teſtantur.

XXVI. Sed cur paganis tam diu inhæremus, cum illos etiam, qui Chriſtianorum caſtra ſequuntur, albas uſurpaſſe quondam atque etiamnum uſurpare veſtes ſciamus?

XXVII. In *Germaniæ* oris fœminas albis calanticis amictas exſequias ire, mortuorumque cadavera induſiis albis plerumque humari, ſatis notum atque cognitum eſt.

XXVIII. *Galliarum* viduas in luctu olim albo habitu inceſſiſſe, nigrumque viduam Caroli VIII. præter morem induiſſe, ex *Scip. du Pleix* (221) celeberrimus *Becmannus* (222) demonſtrat.

XXIX. Apud *Armeniorum* Chriſtianos in nuptiis (223) pariter atque funeribus (224) album obtinere veſtitum, curioſa peregrinantium obſervavit induſtria.

XXX. *Moſcoviæ* vero Inhabitatorum conſuetudo album in veſtimentis colorem habendi, ex veteri Chronico (225) pileos iiſdem albos adſcribente pateſcit.

XXXI. De *Turcis* denique coronidis loco adjicimus, Optimates eorum candidiſſimis capitis velaminibus a plebejis (226) & Chriſtianis (227) diſcerni, ipſumque Imperatorem (228) albo plerumque veſtimento delectari.

XXXII. Hæc ſunt, B. L. quæ de *Veſtium Albarum Uſu* dare voluimus. Plura ſuperaddere nobis haud foret difficile. Cum vero non Tractatum, ſed Diſſertationem ſcribere animus fuerit, felicem labori noſtro imponimus.

NOTÆ.

(1) Sacerdotes Hebræorum in duos olim ordines, Pontificem Maximum videlicet, ac reliquos ſacerdotes diſpertitos fuiſſe, e ſacris literis ignotum eſſe nequit. Quorum ille כהן גדול aut Chaldaice כהנא רבא Sacerdos Magnus: hi vero כהן אריוט, quaſi diceres Sacerdos idiota, Sacerdos vulgaris, obſervante *Braunio de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 18. vocabantur.

(2) In *Talmude*: בגדי כהן גדול שמנה *veſtes Pontificis ſunt octo*, vel ſexcenties occurrere, teſtatur *Braunius c. l.* §. 10. *pag.* 34. Martium Lucum apud Romanos non notiorem eſſe, quam hanc de octo Pontificis veſtibus traditionem apud Hebræos, idem *Braunius* confirmat *l. c.* §. 9. *pag.* 32. De octonario hoc veſtium numero conf. *Maimonid.* infr. cit. lit. e

(3) *Exod. XXVIII.* 40. & *XXXIX* 28.

(4) Quatuor a me adducti veſtibus balteum quoque ab aliis accenſeri deprehendes, ſed cum ille juxta *Exod. XXXIX.* 29. ex byſſo retorta, hyacintho, purpura, & cocco iterato, opere polymito conſtiterit,

rit, & juxta Josephum Antiq. Jud. lib. 3. cap. 8. fol. m. 84. instar serpentis exuviarum variegatus fuerit, ad vestes albas eum referre nolui.

(5) Maimonides in הלכות כלי מקדש cap. 8. scribens: Vestes omnibus sacerdotibus communes sunt quatuor: tunica, feminalia, pileus, & balteus, quæ omnes sunt ex lino albo & filo sextuplo contorto, balteus vero solus lana ornatus est, opere phrygionico. Vestes aureæ sunt vestes Pontificis, quarum sunt octo: quatuor scilicet illæ sacerdotibus omnibus communes, præterea tunica exterior, epohd, pectorale & lamina.

(6) Exod. XXVIII. 39. & XXXIX. 27. 28. Tunicam, Cidarim, & pileum ex bysso factas esse legimus: jam autem byssus est species lini præstantissimi & subtilissimi, Ægyptiaci, quod juxta Aben Esram Exod. XXV. 4. candidissimum est, nec unquam coloratum. Vid. Buxtorf. in Lex. Hebr. Chald. voce שש pag. m. 851. & Braun. lib. 1. cap. 6. §. 8. pag. 131. cap. XXVIII. 42. autem feminalia ex lino facta, adeoque & alba fuisse discimus; cum Scriptura, ut Braunins c. l. lib. 1. cap. XI. §. 2. pag. 234. observavit, ubi loquitur de lino, nulla mentione facta de colore, album innuat.

(7) Lib. 2. de success. in Pontif. Hebr. cap. 7.

(8) Præcepto 19. מצות לבישת בגדי כהנים.

(9) l. c. lib. 1. cap. 2. §. 2. pag. ubi expresse scribit; ob quatuor vestes, quas Pontifex solus gestabat, reliquæ omnes aureæ vocabantur, prout ad hunc usque diem inter nos nil familiarius, quam dicere: hic totus auro fulget, totus auro vestitus est, quamvis unica tantum veste aurea vestitus sit, veluti pallio aut toga, cæteris vestibus injecta, ut spectantium oculos perstringat. At reliquæ vestes quatuor, feminalia, tunica, balteus & cidaris, si proprie loqui velimas, neutiquam possunt dici aureæ.

(10) Vid. locum ex eodem lit. e. allegatum.

(11) Cod. Joma cap. 3. Torath Cohenim Parasch. Achare Moth. cap. 6.

(12) De Rep. Hebr. lib. 2. cap. 5.

(13) Quem Hebræi κατ' ἐξοχὴν יומא הכפרים diem Expiationis vocant, quia in eodem Pontifex Sanctum Sanctorum ingrediebatur, ut sua Populique peccata per totum annum patrata expiaret.

(14) Vid Levit. XVI. 4.

(15) In Cod. Joma cap. 3.

(16) Quod colligunt eruditi ex verbis Levit XVI. 23. postea veniet Aharon in tentorium conventus, & exuet vestes lineas, quas induerat, cum venturus esset in Sanctitatem, & relinquet eas ibi. Sic enim Gemarici ad illa: Discimus eas debuisse abscondi, ut in iis non ministraret alio die expiationis. Cum quibus facit Maimonides apud Braun. l. c. lib. 2. cap. 25. §. 9. pag. 87. quantum, inquiens, ad albas vestes, in quibus ministerium peragit die jejunii, (expiationis) iisdem non utitur altera vice, sed absconduntur in loco, ubi eas exuit, uti dicitur: & relinquet eas ibi; ut eorum usus plane fuerit prohibitus.

(17) Conf. Exod. XXVIII. 40. & 42. coll. XXXIX. 27. seq. Quamvis enim in his locis, cujus coloris vestimenta sacerdotum minorum fuerint, non expresse fiat mentio, interim, cum eadem partim ex lino fuisse asserant, alba fuisse, non est dubium. vid. supra §. III. Lit. f.

(18) Maimonid. §. III. lit. e. R. Levi Barselon. §. III. lit. h. cit.

(19) I. Tim. VI. 16.

(20) I. Joh. I. 5.

(21) Col. I. 13.

(22) Ita mihi cum Apulejo lib. XI. pag. 261 Edit. Elmenhorst. loqui liceat.

(23) H. N. lib. 19. cap. 1. Conf. Apulej. Apologiæ p. 310. qui dicit: Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terræ exorta, non modo indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur.

(24) In Euterpe sive lib. 2. cap. 37. fol. 104. Edit. Londinens. 1679.

(25) Cit. loco. Conf. Octav. Ferrarium de Re Vestiaria Part. II. lib. 4. cap. 13. T. VI. Thes. Antiqu. Rom. Græv. col. 884. nec non Stuck. Antiqv. Conviv. lib. 2. cap. 26. f. m. 236. a. & in Sacrif. Gentilium f. m. 69. b. & 70. a.

(26) Sic enim Hesychius in Lexico Lit. M. μάγον τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεολόγον, καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι λέγουσι: Magum pium & Theologum & sacerdotem appellant Persæ. Nec non apud Strabonem lib. 15. fol. 69. Magus Sacrificiis præesse legitur. Conf. Ezechielem Spanhemium in Diatrib. de Vesta & Prytanibus Græcor. Tom. V. Thes. Antiq. Rom. Græc. col. 665. & B. D. Pfeifferum in Locis Hebr. & Exot. N. T. loco III. §. 7. pag. m. 887.

(27) De Vitis Philosophorum in proœmio Sect. 7. pag. m. 6. Add. Pierius in Hieroglyph. lib. 40. cap. 22. pag. m. 502.

(28) In Analectis de re vestiara, seu exercitationibus ad Alberti Rubenii Commentar. de re vestiar. cap. 25. pag. 50. Patavii 1670. 4to impress.

(29) In Characteribus cap. 22. quod inscribitur περὶ μικροφιλοτιμίας pag. 59. Edit. Brunsv. 1659. 8. Conf. Casaubon. Comm. in h. l. pag. 395. & Excit. 16. ad Annal. Baron. cap. 73. pag. 532. b. Adde Ezech. Spanhemium c. l. col. 701.

(30) De Bello civili lib. 5. pag. m. 1080. Edit. Amstelod. 1670. 8. Add. Lazium lib. 8. Comm. Reip. Rom. cap. 13. fol. 861. Edit. Basil. 1551.

(31) Phœcasia calceamenta fuisse, demonstratum a doctissimo Balduino cap. 19. de calceo pag. 188. Amstel. 1667. 12. exc.

(32) lib. 6. Deipnosoph. fol. 112. Edit. Basil. 1535.

(33) In Rudente Act. 1. Sc. 5. Ad quem locum conf. Taubmann. in not.

(34) Sat. 2.

(35) Noct. Attic. lib. 10. cap. 15. pag. m. 385. & lib. 6. cap. 7. pag. m. 266. Conf. Jac. Gutherius de Veteri Jure Pontificio lib. 1. cap. 29. Thes. Antiqu. Rom. Græv. T. V. col. 58.

(36) lib. 10. Metam. fab. 10.

(37) lib. 4. Fast. v. 627. seq. Add. Alexand. ab Alexandro lib. 6. cap. 19.

(38) Festus Pompejus lib. 17. Conf. Jac. Gutherius. c. l. lib. 1. cap. 29. col. 60.

(39) In Numa Pompilio T. II. fol. 242. Edit. Colon. Allobrog. 1619. Add. Lipsium de Vesta & Vestalibus cap. 12. pag. 40. Edit. Antverp. 1603. 4.

(40) lib. 7. Geogr. f. m. 284.

(41) H. N. lib. 16. cap. 44.

(42) cap. 3. hab. Lips. 1650.

(43) In Vita B. Martini §. 9. pag. m. 475. edit. Lugd. B. 1647. 8.

(44) Canone 41. T. 1. Conciliorum fol. 439. Col. Agripp. 1551. ed.

(45) De Cura Pastorali T. VII. Bibliothec. Maximæ Patrum.

(46) In statutis anni 889. cap. 7. T. IX. SS. Conciliorum a Phil. Labbeo & Gabr. Cossarto Lutet Paris. edit. col. 418.

(47) lib. 1. de Eccles. Disciplinis cap. 80. pag. 62. Edit. Sthephani Baluzii Paris. 1671. 8.

(48) Glossar. T. I. col. 120.

(49) In Vita S. Fidelis Episcopi Emeritensis.

(50) lib. 2. de diviniis officiis cap. 22.

(51) In appendice ad Platinam, & quidem in Interpretatione vocum obscur. Ecclesiast. pag. 72. Edit. Colon. 1600. 4.

(52) lib. de Pallio fol. 118. Edit. Rigaltii Lutet. Paris. 1664.

(53) lib. 2. de Miraculis cap. 2. Adde Ferrar. c. l. lib. 3. cap. 5. col. 731. & 733.

(54) c. l. T. I. col. 705.

(55) De Sacris Vestibus, in Biblioth. Max. Patrum T. XXII. fol. 770.

(56) Vid. Rabanus Maurus lib. 1. de Instit. Cler. cap. 20. Opp. Tom. VI. Edit. Colon. Agripp. fol. 7. b. Octavius Ferrarius c. l. lib. 3. cap. 9. col. 740. seq. Hildebrandus in Sacris publicis Vet. Ecclesiæ pag. m. 19.

(57) Idem Hildebrandus c. l. pag. m. 20. ubi mitras istas intra proxima sex Secula cœpisse tradit.

(58) lib. 19. Originum cap. 24. col. 472. Edit. Bonaventuræ Vulcanii. Add. Raban. Maur. c. l.

(59) Dialogorum adversus Pelagium lib. 1. Opp. T. II. fol. 185. a. Admodum placent verba idem c. l. p. m. 17. referentis B. Hildebrandi: sicut Reges ac Principes, cum in publicum procedunt, non vulgari veste, sed augustiori, unde a vulgo dignosci possint, uti solent, quo amictu reverentiam sibi conciliant, ita omnino decorum est, ut cum publice sacra tractantur, præses sacrorum peculiari veste utatur, ad reverentiam mysterii, quod tractat, denotandam.

(60) A Basilio M. in Exhortatione ad Baptismum Opp.

Opp. T. I. fol. 446. *Edit. Basil.* 1565. ejusmodi vestis vocatur ἔνδυμα φωτεινὸν, *amictus splendens; a Nazianzeno Orat.* 40. *Opp. T. I. fol.* 655. ἐμφώτιος ἐσθὴς; *a Jo. Moscho in Prato Spirituali cap.* 207. *Biblioth. Patr. Veterum T. II. f.* 1158. νεοφωτιστικὸν ἔνδυμα. Ut alias ejusmodi denominationes longe plurimas *a Svicero in Thes. Eccles. T. I. col.* 1215. *sub voce* ἔνδυμα *adductas, taceamus.*

(61) *Amphilochius Junior in Vita S. Basilii f.* 169. *Edit. Paris.* 1644. refert, Basilium & Eubulum, cum Sacri Baptismatis avidi Hierosolymam profecti essent, omnem rem familiarem in pauperum alimenta corrogasse, præter eam, quæ ad albam vestem comparandam necessaria ipsis fuerit. *Conf. Joseph. Vicecomes Mediolanens. Ambrosiani Collegii Doctor, de Ritibus Baptismi lib.* 5. *cap.* 11. *pag.* 728. *sub titulo Observationum Ecclesiast. Paris.* 1618. 8. *ed.* (Pro cujus libri rarissimi, ut & aliorum quamplurium communicatione benignissima, Magnificus Dn. D *Ittigius* nos semper habebit obstrictissimos.)

(62) Eam ob causam, *teste Sim. Metaphraste de Vita S. Sylvestri, in Laur. Surii Vitis Sanctorum, Mense Decembri fol.* 370. Constantinus Imperator magnam e suis Thesauris pecuniæ summam Ecclesiæ numeravit; quod in eo etiam laudat *Damasus Papa in Vita S. Sylvestri Papæ T. I. SS. Conciliorum col.* 1409. & 1410. *Add. Socratem lib.* 7. *H. E. cap.* 17. *fol.* 354. *Greg. M. l.* 7. *Indict.* 1. *Ep.* 2. *Opp. T.* II. *col.* 898. & *lib.* 7. *Jud.* 1. *Epist.* 24. *col.* 914.

(63) *B. Hildebrandus in Ritual. Baptismi veteris, cura celeberrimi Dn. D. Joh. Andr. Schmidii Helmst.* 1699. 410. *edit. pag.* 99. *ex Hieronymi epistola ad Fabiolam de vestitu Sacerdotum Opp. tom.* III. *fol.* 42. *a.* idem probari posse statuit. Sic autem ille: *præceptis Dei lavandi sumus, & cum parati ad indumentum Christi tunicas pelliceas deposuerimus, tunc induemur veste linea, nihil in se mortis habente, sed tota candida. Add. Vicecom. cap.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *pag.* 699.

(64) *Vid. Vicecom. cap.* 1. *lib.* 7. *cap.* 9. *pag.* 718.

(65) Colligit hoc *Vicecomes lib.* 5. *cap.* 10. *p.* 724. non modo ex jam citatæ *Hieronymi ad Fabiolam Epistolæ* verbis: *de Baptismo consurgentes, cingamus lumbos veritate*; verum etiam e *Victore Uticensi lib.* 3. *de Persecut. Vandal. pag.* 43. *a. Paris.* 1569. 8. *edit.* ubi Muritta Diaconus Elpidiforum apostatam hoc modo alloquitur: *hæc sunt linteamina, Elpidifore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum Majestas venerit judicantis, custodiente diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad emergendum te in abysso putei sulphurantis, Hæcce immaculatum cinxerant de fonte surgentem: hæc te acriter persequentur &c.*

(66) Longe plurima quidem sunt, quæ *Vicecomes cap.* 1. *lib.* 5. *cap.* 10. *pag.* 725. hanc in rem adducit testimonia: fatendum tamen est, non nisi ultimum ex *Amalario Fortunato lib.* 1. *de Eccl. Off. c.* 22. *Tom.* XIV. *Biblioth. Max. Patr. fol.* 957. allatum, vere probare, quod probare debet. Ita vero se habet: *Baptizamur Spiritu Sancto, quando abluimur a peccatis, quam ablutionem significant albæ vestes in Baptismo per totum corpus.*

(67) Tradit eam nobis *Gregorius Magnus de Sacrament. in ordine Baptismi infantium*, his verbis conceptam: *accipe vestem candidam & immaculatam, quam proferas sine macula ante Tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam amen!* Et iisdem fere verbis *Ordo Romanus de div. Offic. tit. de Sabb. S. Tom.* XIII. *Biblioth. Max. Patr. fol.* 697.

(68) Probatur hoc exemplo *Constantini Magni* qui ipse *in edicto ad Sylvestrum* apud *Vicecomitem cap.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *pag.* 692. scribit: *levatoque me de venerabili fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ Sancti Spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis unctione.* Similiter Ignomeri, Theodeberti, Arcadii, Honorii, Osfridi & Ædfridi, Regis Eduini filiorum, nec non Theodosii Junioris Exemplis idem confirmatur *apud eundem c. l. cap.* 7. *pag.* 700. *seqq.* ubi simul, (quod obiter notamus) ex *Marco Gazensi*, servos & aulicos in suorum Dominorum Baptismo candidas vestes induisse refert, quin & ipsos Templorum parietes candidis aulæis ornatos tradit ex *Greg. Turonensi lib.* 2. *Hist. Franc. cap.* 31. *col.* 83. *Edit. Lutet. Paris.* 1699. *fol.*

(69) Vid. §. *subsequ.* XIX.

(70) Vid. §. *immediate sequentem.*

(71) Nonnulli sexus sequioris nuditatem in dubium vocant, quæ tamen diserte asseritur a *Cypriano, sive Autore Libri de singularitate Clericorum, Chrysostomo in Epistola ad Innocentium, Opp. Tom.* IV. *fol.* 595. *Edit. Francof.* 2697. *Joh. Moscho c. l. cap.* 3. *fol.* 1059. Vid. *Fresneum Tom.* 1. *col.* 221. Cui adde *Vicecom. loc. cit. lib.* 1. *cap.* 27. *pag.* 164. & *lib.* 4. *cap.* 10. 11. 12. *pag.* 621. *seqq. Voss. de Baptismo Disp.* 1. §. 6. *pag.* 31. *seq.*

(72) Sermo nobis est de Baptismo solenniori, v. g. paschali & pentecostali, ubi minister albæ vestis alius fuit a ministro Baptismi, quod tamen in Baptismo privatim celebrato neutiquam fuisse observatum, *Vicecomes c. l. lib.* 5. *cap.* 9. *pag.* 715. *seq.* docet.

(73) *Epist.* 36. *ad Macarium scripta Tom.* VI. *Biblioth. Max. Patrum fol.* 225.

(74) Lib. 1. Historiæ Apostol. Tom. X. Biblioth. Max. Patrum fol. 127.

(75) *Carminum lib.* 3. *carm.* 9. Tom. X. *Bibliot. Max. Patr. fol.* 542. Hic obiter notamus, *Vicecomitem c. l. lib.* 5. *cap.* 6. *pag.* 692. *Casalium in Veter. Christ. rit. sacr. cap.* 5. *pag.* 56. & *B. Hildebrandum Ritual. Bapt. pag.* 89. Lactantium, *Hoornbeekium Miscell. Sacr. lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 519. Venantium Fortunatum hujus Carminis autorem dicere; *Danielem Heinsium* vero *in Exercit. in Luc. cap.* XXIII. *f.* 196. eundem incertum esse putare.

(76) *Lib.* 5. *Histor. Franc. cap.* 11. *col.* 212.

(77) *Carmin. lib.* 5. *carm.* 5. *fol.* 554.

(78) *Ann.* DCLXXXIX. *Tom.* VII. *col.* 659. *Colon. Agripp.* 1624. *fol.*

(79) Quid sit in albis mori, ostendit *Claris. Heinsius c. l. fol.* 196.

(80) *De Gestis Longob. lib.* 6. *cap.* 15. *pag.* 226. *Edit. Lugd. Bat.* 1595. 8.

(81) Vid. §. *præced. lit. y.*

(82) *Orat.* 3. *de Festo Paschæ Opp. Tom.* III. *fol.* 419. *Edit. Paris.* 1638.

(83) *In Vita Hieronymi, quæ habetur in ejus Martyrologio pridie Kal. Octobris fol.* 166. *Antverp.* 1613.

(84) *c. l. fol.* 697.

(85) *Epist.* 12. *ad Severum fol.* 192.

(86) *Vid. Vicecomes c. l. lib.* 5. *cap.* 7. *pag.* 698.

(87) *Vid. B. Hildebrand. c. l. pag.* 89.

(88) *c. l. lib.* 5. *cap.* 9. *pag.* 716. & *c.* 14. *p.* 742.

(89) *c. l. p. m.* 519.

(90) *c. l. lib.* 5. *cap.* 12. *pag.* 735.

(91) *Opp. Tom.* II. *Epist. ad solitariam vitam agentes.*

(92) *Amalarius Fortunatus lib.* 4. *de Eccl. off. cap.* 23. *fol.* 1017. Septem quibus albæ vestes gestatæ fuerunt diebus, septem Spiritus Sanctus dona in Baptizatos effusa significata fuisse dicit.

(93) Vocatur ideo κατ' ἐξοχὴν dies iste λαμπρὰ, sine addito nomine *in Pentecostario.* Item λαμπρὰ ἡμέρα *a Georg. Acropolita in Histor.* λαμπρὰ κυριακὴ *a Demetrio Chomateno in Resp.* ἡμέρα λαμπροφόρος *a Nicolao Patriarcha ad Anastasium Abbatem Sinaitam, & Theophane sub finem Orat.* XXVI. *pag.* 187. *referente Svicero Thes. Eccl. Tom.* II. *col.* 212. & 214. *sub voce* λαμπρός.

(94) *Vid. Hildebr. c. l. pag.* 89. Quod autem Dominica Sabbato in albis contigua Dominica post albas vocata fuerit, testatur *idem, in priscæ & primitivæ Ecclesiæ sacris publicis, Templis & diebus festis p. m.* 57.

(95) *Vid. Vicecomes c. l. lib.* 5. *cap.* 14. *pag.* 744. *seq.* ubi simul easdem, postquam depositæ fuerint, aqua lustrali lotas, & in Ecclesia relictas, esse, nec ab aliis rursus adhiberi potuisse, asserit.

(96) Veste candida viros ab Episcopis & Clericis in Baptismo solenni exutos fuisse, mulieres vero se ipsas exuisse, quemadmodum etiam ante Baptismum, nemine adjuvante, se ipsas induerint, prolixe ostendit *Vicecom. c. l. lib.* 5. *cap.* 13. *pag.* 640. *seqq.*

(97) *In Octavis Paschæ Serm.* 157. *Tom.* X. *col.* 945.

(98) *c. l. fol.* 697. *b.*

(99) *Lib.* 2. *de Inst. Cler. cap.* 39. *fol.* 25. *a.*

(100) *Ann.* 1124. *fol.* 284. *Argentor.* 1537. *impr.*

(101) Cum Paschate enim Pentecosten tempus Baptismi maxime solenne fuisse quondam, monet *Voss. Disp. de Bapt. Disp.* XVI. *th.* 6. *pag.* 201. *Add. Forbes. Instruct. lib.* 10. *cap.* 5. *fol.* 497. *b.* & 498. *a. Genev.* 1680. *exc. Vicecom. c. l. lib.* 1. *cap.* 18. – 26. *pag.* 97. – 163. ubi & alia ad Tempus Baptismi spectantia invenies.

(102) *c. l. lib. 5. cap. 14. pag. 741.*

(103) *Lib. 5. Hist. Franc. cap. 11. col. 212. renatusque*, dicit, *Deo per Baptismi Sacramentum, cum albatis reliquis in albis & ipse procedit.* Et *col. 213. albicabat tota Civitas de grege candido.*

(104) Ita enim *H. E. lib. 7. cap. 8. fol. m. 714. de Nectario* loquitur: ἐμυήθη, καὶ τὴν μυστικὴν ἐσθῆτα ἔτι ἠμφιεσμένος, κοινῇ ψήφῳ τῆς συνόδου ἀναγορεύεται Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος. *initiatus fuit, & mystica adhuc veste indutus communi suffragio Synodi Episcopus Constantinopolitanus renunciatur.*

(105) *Vid. Thyles. L. de Coloribus cap. 3. p. 103. Heinsius c. l. fol. 196. Braunius c. l. lib. 2. cap. 26. §. 33. pag. 901.* Hinc album quoque colorem *Christo Matth.* XVII. 2. *Marc.* IX. 2. *& Luc.* IX. 28. tributum legimus; nec non *Angelis Matth.* XXVIII 3. *Marc.* XVI. 5. *Joh.* XX. 12. *Act.* 1. 10. *&c.* Quo etiam *loca Patrum a Svicero in Thes. Eccl. sub voce* λευκοφορία, *atque Dilherro Tom. II. Dispp. Acad. Disp. de Cacozelia Gentilium Parte speciali cap. 6. §. 4. p. 240.* adducta merentur referri. Et Martyres in cœlis ab amictu albo Scriptura nobis delineat *Apoc.* III. 45. IV. 4. VI. 11. VII. 9. 13. Ex quibus locis secundum numero eleganter illustratum vid. *a Joh. Ciampino Romano, Magistro Brevium Gratiæ, ac literarum Apostolicarum majore Abbreviatore, nec non in utraque signatura Referendario, in Vet. Monimentis Part. 1. cap. 25. fol. 232. a. Romæ 1690. impr.* De cætero etiam consule *Stuckium Antiq. Conv. lib. 2. cap. 26. f. m. 238. a.*

(106) *Lib. de iis qui Mysteriis initiantur cap. 7. fol. 425. Edit. Basil. 1567.*

(107) *Homil.* XII. *in Exodum.*

(108) *Homil. in Psal,* CXVIII.

(109) *Lib. 1. de div. Offic. cap. 27. fol. 957. & c. 39. fol. 958.*

(110) *Lib. 1. de Instit. Cler. cap. 29. fol. 10. & c. 39. fol. 25.*

(111) *Vid. Jobius ad Photium cod. 222. col. 597. & 598. Edit. Rothomag. 1653. fol.*

(112) *Ad Dionysii Areopagitæ cap. 2. de Eccles. Hierarch. Tom. II. Biblioth. max. Patr. fol. 204.*

(113) *Catech. 4. Myst. fol. 238. Ed. Lutet. Par. 1640.*

(114) *Vid. §.* XVII. *&* XXI.

(115) *Epist. cit. ad Fabiolam.*

(116) *Serm. 157. in Octavis Paschæ Opp. Tom. X. col. 945.*

(117) *Lib. de Sacram. in Ord. Bapt. Infant.*

(118) *c. l. fol. 697. a.*

(119) *Dist. 4. cap. 31.*

(120) *Serm. 163. de tempore, Opp. Tom. X. col. 957.*

(121) *In Vita S. Basilii, fol. 172.*

(122) *Lib. de div. Offic. cap. 21. de Sabb. in Albis Opp. Part. II. col. 1068. Edit. Lutet. Paris. 1617. fol.*

(123) *ad cap. 3. Joh. fol. 593. Ed. Lutet. Paris. 1631.*

(124) *Serm. 1. de Sacr. Neophyt. Opp. Tom. II. fol. 262. a. Edit. Paris. 1647.*

(125) *Apud Grat. de Consecrat. dist. 4. cap. 91.*

(126) *Lib. 1. de Instit. Cler. cap. 29. fol. 10. a.*

(127) *In illud Exodi: ablues eos aqua, & accipiens stolas eos indues, fol. 304.*

(128) *Vid. Eccles.* IX. 8. Quo in loco per vestes candidas ad lætitiam respici, cum *B. Sebast. Schmidio Comm. in h. l. pag. 303.* atque *Stuckio c. l. lib. 2. cap. 26. f. m. 238. b.* quam iisdem munditiem corporis & misericordiam cum *Hieronymo Comm. in h. l. Opp. Tom.* VII. *fol. 72. b.* vel morum candorem & animi puritatem cum *Pierio in Hieroglyph. lib. 40. cap. 22. pag. 502.* innui, judicamus. *Conf. Martial. lib. 12. Epigr. 34. Vopiscus in Florianor. pag. 631. Edit. Lugd. B. 1671. 8. & Greg. Mag. Homil. 29. Opp. Tom. II. col. 448. Adde & Lips. lib. 1. Elect. cap. 13. fol. 601. a. Edit. Lugd. 1613.*

(129) *Epist. cit. ad Fabiol.*

(130) *in Procatech. circa finem. Conf. Stuck. c. l. l. 2. cap. 26. f. m. 239. a.*

(131) *l. c. lib. 5. cap. 8. pag. 713. seqq.* Ubi simul *Theodorum Bezam* mendacii arguit, quod vestem hanc *Epist. 8.* frustra adhibitam dicere non dubitarit.

(132) v. g. Divitiarnm per Baptismum diffusarum fuisse signum; animas Christo tanquam sponso arctissime nexas & copulatas indigitasse; Fidei, Militiæ Christi, cui nomen dederint regenerati, Victoriæ & Triumphi a Dæmone reportati, Pacisque cum Deo initæ notam fuisse &c.

(133) Sic enim, quem *supra §. 9.* audivimus, *Ordo Romanus c. l. fol. 597. deportantur ipsi Infantes ante eum, & dat singulis stolam candidam, & Chrismae,* (velamen mysticum) *& decem siliquas.* Conf. *Albinum & Glossam mox. citand.* Add. *Theophil. Raynaudum de pileo & cæteris capitis tegminibus Sect. 4. in Grævii Thes. Antiq. Rom. Tom.* VI. *col. 1235. seq.*

(134) *cap. 121.*

(135) *c. l. lib. 5. cap. 17. pag. 754. seq.*

(136) *Tr. de iis qui abnegarunt per diversos modos & ætates.*

(137) *c. l. pag. 755.*

(138) *pag. 756.*

(139) *cit. lib.*

(140) *cit. l. cap. 21. col. 1068.*

(141) *Serm. de Sacram. Neoph. Tom. II. fol. 262.*

(142) *de Consecrat. dist. 4. cap. 91.*

(143) *Rational. lib. 6. cap. 82. pag. 364. Edit. Antverp. 1570. 8.*

(144) *Vid. c. l. LL. 15. cap. 18. pag. 758. seqq.*

(145) *Ultrajectino J. U. D. Milite Hierosolymit. in Itinerario Hierosolymitano & Syriaco Antverp. 1619. 4. impress. lib. 4. cap. 9. pag. 453. seq.*

(146) *vid. eundem c. l. lib. 4. cap. 2. pag. 427.*

(147) *Exercit. in Luc.* XXIII. *vers. 11. fol. 196.*

(148) *Harmon. Evangel. cap. 192. num. 3. f. 1882. a.*

(149) Λαμπρὸν enim in vestitu idem esse ac λευκὸν prolixe demonstrarunt *B. Gerh. c. l. fol. 1881. b. & 1882. a. Dilherr. Disp. Acad. Tom. 1. Disp.* XXVII. *§. 9. p. 501. & Heinsius c. l. fol. 196.*

(150) *Luc.* XXIII. 11.

(151) *Vid. Gerh. l. c. fol. 1883. a.* Ubi non modo malignam Herodis atque Judæorum circa hunc vestitum intentionem adducit, verum etiam veros, ob quos Christus eodem indui voluerit, fines allegat.

(152) Harum primariæ sequentes sunt: I. Ne pudore afficiantur illi, quibus tantæ facultates non suppetunt, ut pretiosas pro mortuis vestes comparent. II. Quia id fastum & superbiam redolet, quæ hic procul abesse debet. III. Quia est מעשה נוים Opus & Consuetudo Gentilium.

(153) *In Synagoga Judaica cap. 49. p. m. 700.* Ubi tamen ut insolitum quid ac singulare refert *ex Talmude Schab. fol. 114.* R. Jamnai moriturum liberis mandasse, ne sepelirent eum in vestibus vel albis, vel nigris. Non albis, ne in gehennam detrusus veluti Sponsus appareret inter lugentes; non nigris, ne in paradiso compareret velut lugens inter hospites nuptiales; itaque rubris indui voluisse. *De Judæorum vero tunicis albis vid. etiam Gejerum de Luctu Hebræorum cap. 5. pag. 60. & Nicolaum de Luctu Græcorum pag. 69.*

(154) *Matth.* XXVII. *59. vid. Nicolai c. l. pag. 69.*

(155) *Gen.* XLI. *42. Conf. Gerh. Comm. in h. l. p. 719. & in Harm. Evang. c. l. fol. 1882. a.*

(156) *Esth.* VIII. 15.

(157) *In Analectis de Re Vestiaria cap. 14. pag. 50.*

(158) *Dier. Genial. lib. 3. cap. 7.*

(159) *In Dialogo Diogenis & Alexandri Opp. tom. 1. pag. 291. Edit. Amstelod. 1687. 8. & in Navigio Opp. tom. II. pag. 510.*

(160) *In notis ad Svet. Jul. Cæsar. cap. 79. pag. 96. Edit. Traject. 1672. 4.*

(161) *De Re Vestiaria Parte II. lib. 4. cap. 13. col. 886. seq.*

(162) *Lib. 2. cap. 2.*

(163) *Lib. 7. cap. 11.*

(164) *Lib. 2. cap. 3.* de Pauperibus dicit: μὴ ἐν λευκοῖς, διὰ τῆς ἀπορίας, ἀλλὰ μέλασιν ἱματίοις ἐκκομισθήσεσθαι, *non in albis, propter inopiam, sed nigris vestimentis efferuntur.* Vide *Joh. Faes in notis ad Gyraldum de Sepultura cap. 12. fol. 753. Edit. Lugd. B. 1696. Dilherr. Dispp. Acad. Tom. 1. Disp. 17. §. 14. pag. 509. & Nicolai c. l. pag. 67.*

(165) Patet hoc ex *Homeri Odyss. β. fol. 11. v. 18. seqq.* Huncque morem Romanis etiam in usu fuisse, *Virgilius* indigitat *lib. 9. Æneid. vers. 486. seqq.*

(166) *c. l.* ait: οἱ ἀποθανόντες ἐν λευκοῖς ἐκφέρονται, *mortui in albis vestibus efferuntur.* Conf. *Nicolai l. c. pag. 67.*

(167) *Iliad. ς. f. m. 218. vers. 15. seq.*

(168) *in Vita Arati f. m. 1051.*

(169) *In Messeniacis lib. 4. f. m. 241.*

(170) *Iliad. ω. f. m. 279. vers. 50. seq.* Ubi Thetis aditura Jovem, cum Achillem filium brevi ad Trojam periturum deploraret, velo se nigerrimo obvelasse dicitur.

(171) *In Iphig. Aulid.* moritura matrem, suisque ut

ut renuntiet Sororibus, monet ne comam laniet suam ob mortem, ne vestibus nigris corpus eam ob rem contegant.

(172) *In Vita ejusdem f. m.* 255.

(173) *Dierum Genial. lib.* 3. *cap.* 7. Ubi Spartanis quoque in usu fuisse asserit, ut Rege defuncto mulieres candida veste funus celebrarent; nec non Argivos vestes in luctu albas aqua ablutas induere, & candido amictu funus comitari refert. Conf. *Petri Morestelli Pompa feralis lib.* 2. *cap.* 25. *Tom.* XII. *Thes. Antiq. Rom. Græv. col.* 1396.

(174) *In sua ad h. l. animadversione pag.* 619. *Edit. Lugd. B.* 1673. 8vo.

(175) *Tom.* 1. *fol.* 1120.

(176) *Vid. Car. Sigonius de Judiciis lib.* 3. *cap.* 18. *Tom.* II. *Thes. Græviani col.* 1816. *Albertus Rubenius de Re Vestiaria lib.* 1. *cap.* 8. *Tom.* VI. *Thes. Græv. col.* 860. *Ferrarius de Re Vest. lib.* 1. *cap.* 21. *col.* 659. *Lipsius lib.* 1. *Elect. cap.* 13. *fol.* 601. *Bartius Tom.* 1. *Advers. col.* 1613. *Stanislaus Kobierzyckius de Luxu Romanor. lib.* 2. *cap.* 2. *Tom.* VIII. *Thesaur. Græv. col.* 1333.

(177) Reos togam pullam induisse, & ab ista sordidatos dictos fuisse, docet *Car. Sigonius c. l. lib.* 3. *cap.* 18. *col.* 1817. & *Lipsius c. l. fol.* 601.

(178) Lugentes itidem communiter pullatos fuisse, ex *Ovid. lib.* 6. *Metam. fab.* 13. & *lib.* 11. *fab.* 2. *Corn. Tacito lib.* 3. *Annal. cap.* 2. *Paulo JCto lib.* 1. *Recept. Sent. cap. ult. Alexandro lib.* 3. *cap.* 7. *Car. Sigonio c. l. col.* 1817. *Petr. Morestello c. l. lib.* 2. *cap.* 26. *col.* 1396. *Franc. Maria Tarrigio in Notis ad Inscriptionem Ursi Togati Tom.* XII. *Thes. Græv. col.* 396. *Jac. Gutherio de Jure Manium lib.* 3. *cap.* 28. *Tom.* XII. *Thes. Græv. col.* 1330. & *Kirchmanno de Funer. Rom. lib.* 2. *cap.* 17. *pag.* 244. &*c.* discimus.

(179) Servis pullum in Vestitu colorem adscribit *Martialis lib.* 14. *Epist.* 158. *Conf. Lips. c. l. cap.* 25. *fol.* 621. & *Kobierzyckius cit. l. col.* 1333. Regum vero ministros qaandoque albatos fuisse, *Svetonius* innuit *cap.* XII. *in Domitiano. Vid. Torrentium & Salmasium ad h. l. p. m.* 735. *nec non Lipsium c. l. & Notitiam Dignitatum Imperii Orientis cap.* 92. *Tom.* VII. *Thes. Græv. col.* 1571.

(180) Distinguunt equidem viri docti colorem album a candido. Hunc dicunt esse, qui arte producitur: illum vero, qui rei cuidam nativus est. Albas fuisse tradunt Romanorum vulgi vestes, candidas vero dignitate conspicuorum, Candidatorum &c. *Vid. Lips. c. l. lib.* 1. *cap.* 13. *fol.* 601. exque eo *Rosinus lib.* 5. *cap.* 32. *p. m.* 1599. *Add. Bartius Tom.* II. *Advers. col.* 1764. *Ferrarius c. l. lib.* 1. *cap.* 21. *col.* 659. Ast cum negari nequeat, alba non tantum quæ natura, sed & studio talia sunt, ab omnibus appellari, ipsumque *Martialem lib.* 4. *Ep.* 2. *Gellium lib.* 3. *cap.* 4. *aliosque, testibus Aldo Manutio Dissert. de Toga Rom. Tom.* VI. *Thes. Græv. col.* 1199. & 660. distinctionem hanc negligere, non obstat, quo minus & nos candidum vestitum sub albo comprehendamus.

(181) *In Vita Cæsaris cap.* 79. *Conf. Theoph. c. l. Sect.* 9. *col.* 1267.

(182) *Lib.* 2. *ad Atticum Ep.* 3. *Add. Val. Maxim. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 7. *Casaubonus in doctissima ad jam citatum Svetonii locum animadversione p. m.* 96. nec non *Exerc.* 16. *ad Baron. cap.* 73. *p.* 532.

(183) *Lib.* 8. *Ep.* 28. & *lib.* 9. *Ep.* 50.

(184) *Vid. Val. Max. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 11.

(185) *Vid. Dempster. ad Rosin. lib.* 4. *cap.* 9. *Paralip. pag.* 108.

(186) Refert tale Exemplum *Corn. Tacit. lib.* 2. *Hist. cap.* 89.

(187) *Vid. Wolfg. Lazius Comm. Reip. Rom. lib.* 8. *cap.* 9. *fol.* 849. & *Ferrar. c. l. P.* II. *lib.* 3. *cap.* 14. *col.* 858.

(188) *Fol. m.* 211.

(189) *Vid. Car. du Fresne Gloss. Tom.* 1. *col.* 740. & *Jac. Gronovius ad Ammian. Marcellin. lib.* 15. *cap.* 5. *pag.* 88. *Lugd. B.* 1693. 4*to. exc.*

(190) *Vid. Fresn. c. l.*

(191) Eos enim, qui jam designati fuerunt, sine toga candida petiisse, ex *Liv. lib.* 9. *Dec.* 4. *demonstrat Nicol. Gruchius de Comitiis Rom. lib.* 1. *cap.* 3. *Tom.* 1. *Thes. Græv. col.* 567.

(192) Ita loquitur *Isidorus lib.* 9. *Orig. cap.* 23. *in corpore Lat. Linguæ Autorum* 1585. *ed. pag.* 1302. *Conf. Lipsium lib.* 1. *Elect. cap.* 13. *fol.* 601. *Rosin. lib.* 5. *cap.* 32. *p. m.* 899. & *Stuck. Antiqu. Conviv. lib.* 2. *cap.* 26. *f. m.* 227. *b.* de Cretæ generibus autem consule *Plinium lib.* 35. *cap.* 17. ubi scribit: *ergo ordo hic est: primum abluitur vestis sarda, deinde sulphure suffitur: mox desquamatur Cimolia, quæ est coloris veri.* Ex quo loco *Ferrarius c. l. lib.* 1. *cap.* 21. *col.* 659. *seq.* colligit, omni togæ abluendæ cretam adhibitam, petitorum vero togæ jam lotæ cretam superinductam fuisse, ut canduerit magis ac polita fuerit. *Add. Aldus Manutius c. l. col.* 1198. Fullonum vero, qui vestimenta hunc in modum candefacere, sordidaque iterum lavare solebant, munus descriptum lege apud *Plin. lib.* 35. *cap.* 15. & 17. *ff. de Furt. lib.* 12. *Lips.* & *Rosinum cc. ll. Fresneum cit. loc. col.* 739. *Dietericum Antiq. N. T. fol.* 465. *Casaubonum & Beroaldum in notis ad Svet. Vespasian. cap.* 23. *pag. m.* 693. & 694.

(193) Quamdiu retinebatur toga candida, tamdiu perstare in petitione, ea deposita & petendi voluntatem deposuisse censebantur. Vid. *Onuphrius Panvinius cit. loc. col.* 303. & *Nicol. Gruchius c. l. col.* 570.

(194) Causam, cur absque tunicis, solis togis recinctis, in comitium descenderint petitores, *Plutarch. in quæstionibus Rom. quæst.* 48. *Tom.* V. *Thes. Græv. col.* 1014. in eo ponit, vel ne in sinu gestarrent nummos, quos populo dividerent, atque ita per corruptionem Magistratum assequerentur; vel ut dignos Magistratu non genere, non opibus, non gloria, sed vulneribus & cicatricibus populus judicaret; vel ut perinde hujusmodi nuditate supplicum habitum ostenderent, atque se prehensando, rogando, salutando populo submitterent. *Conf. Gruchius c. l. col.* 567. *seq. Ferrar. c. l. lib.* 1. *cap.* 8. *col.* 659. & *lib.* 3. *cap.* 2. *col.* 726. & 727.

(195) *Vid. Cælius Rhodiginus lib.* 8. *cap.* 16. *fol.* 3087. *Edit. Basil.* 1517. *Onuphrius Panvinius c. l. cap.* 303. *Gruchius c. l. lib.* 1. *cap.* 3. *col.* 567. *Car. Sigonius c. l. lib.* 2. *cap.* 30. *col.* 1783. *Turrigius c. l. col.* 395. *Ferrar. Lips. Rosin. Stuck. cit. loc.*

(196) *Lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 3. *Conf. præter citatos Sertorium Ursatum Commentario de Notis Romanos Tom.* XI. *Thes. Græv. col.* 891.

(197) Prnbabilius esse, qood in ejusmodi festivitatibus togæ ope fullonum interpolatæ pristinoque candori redditæ, quam novæ aut recentes, sumtæ fuerint, docet *Ferrarius c. l. lib.* 1. *cap.* 22. *col.* 661. Neque istud etiam indecorum fuisse, patere dicit exinde, quod togæ sæpius lotæ inter munera clientibus missæ fuerint. Qua de re *Martialis lib.* 2. *Ep.* 11.

Donavi tamen, inquis, amico millia quinque
Et lotam, ut multum terque quaterque togam.

(198) Hanc *Lipsii lib.* 1. *Elect. cap.* 13. *fol.* 601. de vestibus recentibus opionionem ad ævum Augusti spectare, demonstrat idem *Ferrar. es l. col.* 661.

(199) *Lib.* 4. *Ep.* 2.

(200) *Svetonins in vita cap.* 44. Permisisse tamen Augustum, ut pluviæ ac frigoris causa in Theatro ludorumque spectaculis, ob repentinam sæpe cœli injuriam, togæ lacernam superinducerent, quo & togam conservarent candidam, & se quoque tuerentur, eruditissime demonstrat *Torrentius ad Svet. August. cap.* 40. *p. m.* 193. *Conf. Sibrandus Siccama in Fastos Kalendares Romanor. cap.* 3. *Tom.* VIII. *Thes. Græv. col.* 19.

(201) Colorem pullum egregie delineat *Thylesius lib. de Coloribus cap.* 4. *pag.* 103.

(202) *Gloss. Tom.* 1. 739.

(203) *Serm.* 81. *Opp. Tom.* III. *fol.* 306.

(204) *Lib.* 2. *Sat.* 2.

(205) *Sat.* 2. *Conf. Ferrarium c. l. lib.* 1. *cap.* 22. *col.* 661. *Lipsium, Rosinum & Stukium cit. locis.*

(206) Patet hoc ex *Sveton. in Augusto cap.* 8. Conf. *Baysius, c. l. cap.* 10. *pag.* 39. *Car. Sigonius c. l. lib.* 3. *cap.* 18. *col.* 1816. *Aldus Manutius c. l. col.* 1189. & 1192. in quo ultimo loco tamen ostendit, morem illum Imperatorum ætate servatum non fuisse, cum Caligula Anno 19. & M. Aurelius an. 15. virilem togam sumserint.

(207) Prætexta dicebatur toga, cujus ora & circuitus purpura prætextus erat, quam pueri, usque dum virilem sumerent togam, gestabant. Vid. de ea *Macrob. lib.* 1. *Saturn. cap.* 6. *Baysius cap.* 1. *pag.* 42. *Ferrarius c. l. lib.* 2. *cap.* 1. *col.* 699. *Dempsterus ad Rosin. lib.* 5. *cap.* 32. *Paral. pag.* 897. *Turrigius c. l. col.* 395. *Stuckius c. l. lib.* 1. *cap.* 17. *fol.* 41. *a. Franc. Robertellus*

de

de Gradibus honorum & Magistratuum Rom. Tom. III. *Thes. Græv. col.* 43.

(208) Pura vocatur *Ciceronis lib.* 5. *ad Attic. Ep.* 20. & *lib.* 9. *Ep.* 20. *Catullo Epigr.* 69. *pag.* 148. *Edit. Traject.* 1680. 8*vo. aliisque*. Quod vero purum h. l. idem sit ac album, luculenter satis demonstrant *Sigonius c. l. lib.* 3. *cap.* 18. *col.* 1816. *Baysius c. l. pag.* 40. & *Dempsterus ad Rosin. lib.* 5. *cap.* 32. *Paral. pag.* 906. & 907.

(209) *Vid. Horatius lib.* 1. *Sat.* 2. *vers.* 16. *seq. Conf. Cruquium in notis ad h. l. pag.* 322. *Stuck. c. l. lib.* 2. *cap.* 26. *fol.* 236. *b.* & *lib.* 1. *cap.* 17. *fol.* 41. *a. Bays. c. l. pag.* 39. ubi *Sadoletum*, in *Libello de Liberis instituendis* togam puram atque virilem pro diversis habentem, virgula censoria notat.

(210) Colligimus hoc cum *Sigonio c. l. col.* 1816. *ex Val. Max. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 4.

(211) *L.* 3. *de re Vestiaria cap.* 20. *col.* 763. & *in Analectis de Re Vestiaria cap.* 13. *p. m.* 13. *Add. Manutium c. l. f.* 1189. & *Bayfium c. l. cap.* 10. *pag.* 39. & 40.

(212) *Orat. in Vatinium Vol.* 3. *Orat.* 33. *p. m.* 63. *Edit. Hanov.* 1606. 8*vo. Conf. Ferrar. c. l. lib.* 1. *cap.* 29. *col.* 670. *Lambinus in notis ad Plauti Casinam fol.* 251. & *Rappoltus Comm. in Horatium cap.* 8. *pag.* 306.

(213) *Vid.* §. XII. *lit. l.*

(214) *Lib. de Resurrectione Carnis fol.* 362.

(215) *In ejus Vita cap.* 50.

(216) Factum hoc esse ideo *Kirchmannus de Fun. Rom. lib.* 2. *cap.* 17. *p. m.* 245. putat, quod post tot colorum genera reperta sperni cœptus sit contemnique albus color. Quam tamen conjecturam suam facere non ausus est *Ferrar. c. l. lib.* 1. *cap.* 23. *col.* 662.

(217) *Lib.* 4. *cap.* 2. *p. m.* 177.

(218) *In quæst. Rom. quæst.* 27. *col.* 998. *Conf. Morestellus c. l. lib.* 2. *cap.* 25. *col.* 1396. & *Gutherius c. l. lib.* 3. *cap.* v8. *col.* 1330.

(219) *Vid. Pet. della Valle* in der Ost-Indischen Reise-Beschreibung *pag. IV. fol.* 94. *Genev.* 1674. *impr.* ubi scribit: den 16. Nov. wurde mir angesagt / daß diesen Abend die jenige Frau / welche sich mit ihrem (todten) Manne verbrennen lassen wolte / hinaus geführet werden würde. Weil ich nun dieser Begäbniß zusehen wolte / und nicht wuste wo solches geschehen solte / so gieng ich bey dieser Frauen Hauß / und traff dieselbe vor dem innern Umfange in einer Strasse die Malars Kini, von dem Namen eines vornehmen Brachman in dieser Nachbarschafft / welcher also hiesse / genennet wurde / an. Es sagten mir aber die Nachbarn / und ihre eigene Hauß-genossen / daß sie noch in etlichen Tagen nicht sterben würde; derowegen sahe ich die Frau im Hofe / und bey ihr etliche Personen sitzen / die auf Drommeln schlugen / und war dieselbe gants weiss gekleidet / und mit vielen Arm-Bändern / und anderm güldenen Schmucke / und auf dem Haupte mit Blumen / auch einem Krantz / welcher wie die Sonnen-Strahlen geflochten / und mit einem Worte / in hochzeitlichem Schmuck gezieret rc.

(220) *Pieter van Hoorn* in der dritten Gesandschafft an Konchi Sinischen und Ost-Tartarischen Kayser Amstel. 1675. exc. fol. 9. inquit, die Craner-Kleider der Sineserr sind nicht schwarts / sondern weiss. *Ccnf. eundem fol.* 10. 11. 14. 15. & 19.

(221) *Tom.* III. *Hist. de Fr. f.* 215.

(222) *In Notitia Dignitatum illustrium Dissert.* 6. *cap.* 1. §. 8. *p. m.* 157.

(223) Vid. *Johann. Bapt. Tavernier* in der Reise-Beschreibung in Persien *Genev.* 1681. *edit. lib.* 4. *cap.* 12. *fol.* 197.

(224) *P. della Valle c. l. P.* II. *fol.* 166.

(225) *Chronicon Moscoviticum Pauli Jovii & Sigism. L. B. ab Herberstein a D. Pantaleone civitate germanica donatum prod. Frf. ad Moen.* 1576. *Ubi fol.* 52. extat: die Moseowiter tragen lange Kleidern / hohe weisse Hütte / so aus Filtze bereitet / wie men bey uns auch die fremde Filtz-Mäntel trägt.

(226) Vid. *Joh. Cotovicus c. l. lib.* 4. *cap.* 18. *p.* 486.

(227) *Idem Cotovicus c. l. pag.* 487. scribit: *Orientales Christicolæ ut plurimum Tulipantho e gossypina tela versicolore*, non tamen candida, *simplicem in modum complicata caput tegunt. Add. P. della Valle c. l. P.* I. *fol.* 53. *a.*

(228) *Idem della Valle c. l. fol.* 53. *b.*

EBERHARDI RUDOLPHI ROT
EXERCITATIO HISTORICA
DE
VELAMINE CAPITIS VIRILIS
PRÆFATIO.

CAput hominis inter membra humana principem obtinere locum, haud facile quispiam negaverit. Quippe in hac arce ac propugnaculo mens, tanquam regina, domicilium suum constituit, omnes sensus tam interni, quam externi in eo amice conspirant, ceteris membris solo tactu gestuve gaudentibus. In hoc palatio habitant omnes artes ac scientiæ; heic regalis quædam sapientia sedem fixit, ex qua omnibus corporis partibus vigor prudentiaque defertur. Quid enim robur & firmitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis, veluti principis, ope, auxilio, aut regimine adjuvetur? Si caput desit, nulla notitia, scientia nulla, nulla ars consistere potest; jacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Capiti cetera membra, ut regi principive, lubentia lubentius obsequium præstant & ancillantur; alia portant, alia alunt pascuntque, alia defendunt & ministerium suum exhibent. Quibus rebus etiam factum est, ut judicio gentilium, Jupiter capitis curam in se susceperit; aliis vero numinibus reliquas corporis partes assignaverit. Minervæ oculos, Junoni brachia, pectus Neptuno, cinctum Marti, renes & inguina Veneri, pedes Mercurio. Quum igitur capitis tanta sit dignitas, quid mirum est, si mortales illud ab omni injuria, damno aut detrimento arceant, defendant, protegant. Quid mirum, si vel honestatis, aut sanitatis caussa veletur? Varro quidem, Hippocrates aliique existimant, longe salubrius esse, si quis aperto sit capite, quam operto. Sed utrum horum opinio sine omni exceptione cum veritate conveniat, non immerito ambigimus. Hannibal, Masinissa rex Numidiæ, Julius Cæsar, Hadrianus, Severus aliique Summi duces etiam in summis frigoribus & terra gelu rigente; neque non in fervidissima æstate procellisque nudis capitibus iter fecisse leguntur. At quis velit affirmare, ejuscemodi incommodo molestiasve omnes indiscriminatim sine jactura valitudinis sustinere posse? Quem enim fugit, quam mirifice varient hominum temperamenta? Ille fautricem; hic maleficam naturam nanciscitur. Hinc licet quibusdam salubrius sit, non esse tecto capite, in omnibus tamen id procedere, nullam videmus rationem. Sed liticulam hanc fusius disceptandam Medicis relinquimus. Nobis ad ipsum

ipsum argumentum, quod suasu magnorum parronorum suscepimus, pedem movere placet. Constituimus equidem ab initio utrumque capitis velamen tam virile, quam muliebre uni dissertationi includere; sed vero quum magna rerum copia nobis obvenerit, tantum prius capitis velamen hac vice sub nostram cadet considerationem; posteriori alii tempori reservato. Ut res hæc bene vortat, Numen submissis oramus precibus; Tu vero quisquis placidiore natus es sideribus, conatibus nostris faveto.

CAPUT PRIMUM.

De Velamine capitis Naturali.

Velamen a velo. Velati proprie quinam? Velamen duplex, naturale & artificiale. Ἄμνιον quid, maritis olim suspectum, refelluntur, infantes ἀμνίῳ nati felices æstimantur. Causidicorum & obstetricum circa ἄμνιον superstitio, rationes ipsorum adducuntur. ἀμνίου felicitas est somnium obstetricum. Chrysostomi judicium de ἀμνίῳ, cur homines ἀμνίῳ felicitatem tribuerint, dubium solvitur. Coma caput condecorat. Synesius refutatur, utrum viro liceat prolixam comam alere disquiritur, duo loca 2. Sam. 14. 26. & 1. Cor. XI. 14. illustrantur. Capillamenta sunt licita, eorum origo.

I. VElare videtur esse ab Hebræo פלא, quod est latere, absconditum velatumque esse. Sed rectius arbitratur Gerardus Johannes Vossius *In Lexico Etymol. voce* velum *pag.* 544. *velare* esse a *velo*; ita ut verbum *velare* idem sit, quod *velo tegere*. Illustris Cæsar Scaliger *Conject. ad Festum.* proprie *velatos* dicit esse dictos, qui caput cinctum licio laneo habebant. Quæ sententia vera ne sit an falsa, non multum laboramus.

II. Potest autem velamen capitis, quod in mares cadit, dispeci in Naturale & Artificiale.

III. Velamen capitis Naturale vocamus, quod statim ab utero materno caput tegit velatque. Artificiale est, quod arte aut aliunde capiti advenit. De illo, non de hoc in præsenti primo capite nobis sermo erit.

IV. Inter velamina capitis naturalia primum sibi locum vendicat ἄμνιον, quod est membranula quædam capita & humeros contegens. Constat enim, non paucos infantes prodire ex utero materno, obducto capite, veluti pileo, aut vitta quadam membranosa, vel caputio monachali. Si quis infans olim tali velamine in lucem venerit, mariti suspicabantur, uxores fidem conjugalem violasse, sibique cornua imposuisse: ut id autoritate Antonii Guainerii confirmat Anton. Mizaldus *Centur* 1. *memor. num.* 18. sed perperam. Nulla enim apparet ratio, ob quam bonæ uxores ita suspectæ haberi debeant; & si hæc suspicio satis fundata esset, qui fit, quod non omnes infantes, qui a feminis, non adeo pudicitiæ leges observantibus, tali ἀμνίῳ seu involucro nascantur?

V. Est admodum pervetusta superstitio, quæ multos mortalium animos occupavit, videlicet infantes qui ejusmodi ἀμνίῳ involuti in lucem veniunt, longe feliciorem fortunæ casum habituros, quam qui illo destituuntur, immo eo superstitionis deventum est, ut Causidici olim Romani tales membranulas, furtim ablatas, multa pecunia ab obstetricibus emerint, credentes, sibi in ea, quam defendendam susceperant, caussa omnia ex animi sententia cessura fore. *Vid. Lamprid. in vita Diadumeni.*

VI. Neque hæc superstitio hodie penitus exolevit, sed ab eo tegmine obstetrices & deliræ aniculæ ex diversis coloribus diversam fortunam augurari conantur. Quod si enim involucrum rubicundum præ se ferat colorem, infantem filium albæ gallinæ futurum præsagiunt; sin color nigricans appareat, adversam fortunam eundem experturum clamitant. Inde etiam fit, ut, qui vana religione tanguntur, has membranulas intentiori cura servare; easque secum gestare soleant. Et si tale involucrum sorte fortuna perdant aut amittant, valde animi discruciantur, ignari, quid de rebus suis faciant. Existimant enim infantes tali ἀμνίῳ natos, non tot malorum plaustris, quibus ceteri homines premuntur, subjici, quum ipsorum nativitas a reliquorum nativitate per hoc singulare privilegium, quod capite velato conspiciantur, distinguantur. Et ut sua opinio eo verior esse

vi-

videatur, exempla quædam adferunt, quibus rem omnem confectum iri credunt. Quis, inquiunt, ignorat, ad quantam dignitatem accesserit Antonius Diadumenus, & quam felices successus in omnibus ferme rebus, quas exequi statuerat, senserit? ipse fortunam in manibus habere videbatur. Sed quænam fuit caussa hujus imperatoriæ Dignitatis? annon illud velamen capitis naturale tantam felicitatem ipsi portendisse censendum est? Quid? annon acque obvolutum Ferdinandum Davalum ex utero materno prodiisse notavit Paulus Jovius *lib.* I. *Histor.*? sed quem fugit, quantos honores, quantam famam gloriamve postidem ille consecutus fuerit?

VII. Hæc quidem primo intuitu satis speciosa esse videntur, ita ut etiam credam, Gallicum exinde proverbium originem suam traxisse, *il est ne coife*, *natus est vittatus seu pileatus*. Quod Galli usurpare solent de iis hominibhs, quibus bona magna ultro suppetunt, partumque est amplum a parentibus patrimonium. Enimvero illa felicitas, quæ his αμνίοις tribuitur, duntaxat, in infirmo cerebro umbilicisecarum hærere videtur, uti optime non ita pridem judicavit amicissimus quidam Amicus in *Societate Disquirentium*. Nempe sæpius contingit, ut quæ deliræ aniculæ subinde deblaterant, ea tanquam oracula Sibyllina imperita plebs accipiat, neque a sententia semel recepta facile dimoveri se patiatur. Quæ superstitio etiam B. Chrysostomi ætate in multorum mentibus altas radices egit, adeo ut gravissimus Pater passim in homiliis suis acriter invehatur in eos, qui tum temporis ἀμνίοις seu involucris ad adlpiscendos amplissimos honores utebantur. Quin & Clericus quidam, cui Præto nomen, gravissimam censuram subire coactus est, propterea quod ejuscemodi tegmen a quadam obstetrice pecunia sibi coemerit, ut testis est Balsamon *Comment. in canones Apostolorum*; nec immerito. Nam si vulgus, cernit, etiam illos, qui in officio Ecclesiastico versantur, aliquid ἀμνίοις tribuere, in sua superstitione magis magisque confirmatur, creditque, rem utique ita se habere. Immo haud raro accidit, ut etiam ii, qui præ ceteris prudentes videri volunt, plebejorum hominum opinionibus adhæreant. Id quod videmus in ἀμνίῳ, quo infantes velati in lucem prodeunt; cujus rei caussam putamus esse hanc; videlicet hominum natura ita est comparata, ut ex iis, quæ fortuna casuve fiunt, illico generalem regulam legemve faciant, modo unum alterumve exemplum occurrat. Sic quia mortales viderunt, hunc illumve infantem, ἀμνίῳ tectum, secunda fortuna fuisse usum, rati sunt, omnes infantes, qui tali involucro nascuntur fortunatos fore. Fatemur Antonium Diadumenum, Ferdinandum Davalum aliosque admodum felices fuisse in rebus gerendis; an autem hæc felicitas statim adscribenda est ejuscemodi ἀμνίοις? neutiquam. Quod si hæc ratio valeret, consimiliter dicere possumus, etiam illos infantes, qui sine ἀμνίῳ ex utero materno veniunt, faustos censendos esse, quum & hi sæpiuscule ad magnos honores, dignitates & officia pervenerint. Rectius heic sensit Cornelius Nepos *in Attico cap.* XI. *num.* 6. dum ait: *Sui cuique mores fingunt fortunam*.

VIII. Certum igitur esse putamus infantes, ἀμνίῳ natos, non habere peculiare privilegium præ iis infantibus, qui isto carent. Neque obstat, quod quidam in Collegio Curioso, ab initio Gallice conscripto, postea autem in linguam Germanicam translato judicat, *pag.* 438. ideo infantes pileatos felices esse pronuntiandos, quod mitiorem ac sedatiorem naturam habere videantur, quum non eo, quo infantes sine ἀμνίοις impetu ex utero materno erumpant. Quis enim nescit, animis temerariis & minime sedatis plerumque suaviorem fortunam adspirare, quam illis, qui tranquille vivere amant? Certe haud rarenter videmus, homines turbidos & cum vehementia agentes in magna autoritate ac dignitate versari, ad quam nunquam pervenissent, si rem tanto cum impetu non urgissent. E diverso qui sedatam tranquillamque vitam colunt ac diligunt, sæpius negliguntur, neque ad ullum insignem honorem admittuntur. Immo qui cum ἀμνίῳ nascuntur, non tantas corporis vires habere videntur, quantas illi, qui sine ἀμνίοις ex utero materno elabuntur: hi enim ἄμνιον disrumpunt; illi non item, unde si aliquid divinandum esset, videntur infantes sine ἀμνίοις longe expeditiores fore, quam infantes qui cum cucullo monachali nati fuerant. Sed manet illud verum, quod Cornelius Nepos iterato de Attico pronuntiavit; scilicet *suos cuique mores plerumque conciliare fortunam*. Hæc fusius edisserere placuit, ut ppareret ἀμνίοις nullam vim felicitatis inesse. Confer Collegium curiosum *Part.* 2. *Colloq.* 22. *pag.* 420. Anselmum Solerium, aut ut quidam conjiciunt, Chifletium *de pileo sect.* 3. *pag.* 56. *seqq.* Martinum Delrio *lib.* 4. *disquisit. Magic. lib.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 1. *pag.* 613. & quem laudat Levinum Lemnium *lib.* 2. *de occult. nat. mirab. cap.* 8.

IX.

IX. Ad naturale capitis velamen commode refertur coma. Quæ hominem non ſolum mirifice condecorat, ſed & varias aeris moleſtias depellit. E contrario quid turpius aut invenuſtius eſt, quam caput calvum & capillis orbatum? Syneſius quidem omni modo omnique ratione ſuadere conatur, capitis dignitati aut elegantiæ nihil decedere, utut calvitium in eo conſpiciatur. At oculus longe aliter judicat. Certe quod arbor ſine foliis, animal cornigerum ſine cornibus & aves ſine pennis; id caput eſt ſine crinibus. Et hæc etiam fuit cauſſa, cur olim petulantes pueri in Bethel ſanctiſſimo Prophetæ Eliſæo calvitium acerbe exprobraverint, quamvis non ſine damno 2. *Reg.* 2. 23. 24.

X. Utrum viro prolixam comam nutrire fas ſit, acriter olim fuit diſceptatum & adhuc hodie diſceptatur. De Guſtavo refert Solerius *de pileo ſect.* 3. *pag.* 55. ipſum comatis adeo infenſum fuiſſe, ut cuidam capillos reſecuerit, qui etiam ultra menſuram ab eodem definitam non renati fuiſſent. Simeon Salus petiit a Deo & exoravit, ne creſceret coma capitis ſui. Godefridus Ambianenſis Epiſcopus in die quodam Natalis Servatoris noſtri coram Roberto Flandriæ Comite, repudiavit omnium eorum oblationem, qui comati ad ſacram cœnam advenerant, ut idem Solerius *l. c.* teſtatur. Nota quoque eſt illa hiſtoria, quæ circa tempora Salmaſii contigit. Duo enim Presbyteri Reformatæ religionis in Belgio convivio intererant; unus quidem veteranus; alter vero novellus, ille reſectos capillos; hic promiſſam comam alebat. Qua re viſa, veteranus novelli comam carpere & juris naturæ temeratorem appellare cœpit: Licet autem novellus varias in medium adferret rationes, nihil tamen obtinuit, ſed veteranus ſua, ut fieri ſolet, autoritate quam plurimos in ſuam voluntatem adduxit, ut omnes, qui comam alere perſeverabant, ab Eccleſiæ communione arcerentur. Hinc etiam plerique Belgarum capillos reſecare coacti ſunt. Neque illa rigida cenſura hodie exſpiravit, qunm adhuc multis in locis non facile ad officium Eccleſiaſticum admittantur, qui longioribus capillis ſtudent.

XI. Enimvero Sacerdotes in Moſcovia prolixos capillos gerere non dubitant, ut oculatus teſtis eſt Adamus Olearius *lib* 3. *Itin. Perſici cap.* 5. *pag.* 179. Sinenſes quoque tam viri quam feminæ intonſis capitibus omnino ſunt, & ſinunt in eam, quam natura fert, longitudinem crinos dimitti uti memoriæ prodidit Martinus Martinus *In Hiſtoria Sinenſium*. Sic Sacerdotibus Mexicanis pendebant crines ad poplites uſque promiſſi, quos neque prius tondebant (niſi ſi quando ſpecialiter iis ob ſenectutem debilem indultum erat) quam fato fungerentur. v. Acoſta *lib.* 5. *hiſt. Ind. cap.* 26. & Robertum Scharrokium *de officiis ſecundum Jus naturæ pag.* 460. Abſalonem Davidis filium prolixam comam aluiſſe, legimus in ſacris Pandectis, quamvis pondus capillorum multis prodigioſum fuerit viſum. Sed ſine cauſſa; nam crines non ſunt referendi ad pondus, ſed potius ad pretium, quo vendebantur; vendidit enim Abſalon capillos, qui flavi erant & rutili, mulieribus Jeroſolymitanis ad ornatum. Scimus equidem, hanc interpretationem nonnullis non eſſe ad palatum, quum non credibile eſſe putent, prodigum illum juvenem & regis filium tam turpem quæſtum feciſſe: verum primo nulli vel avidius vel ſordidius quæſtum faciunt, quam qui effuſiſſime prodigunt; deinde ſtatus iſtorum temporum & regum ad hodiernos mores non eſt exigendus: tertio, ipſe Abſalon non vendidit capillos, ſed dono dedit, cui volebat a ſuis, qui deinde pretium ducentorum ſiclorum ab iſtis facile extorquebant. Quomodo in hunc uſque diem regum & alimenta & veſtimenta & ornamenta, quæ ipſi ſervis ſuis gratuito donant, ab iiſdem ſervis venduntur aliis; neque opus eſt, ut τὸ שקל *ponderavit* ad Abſalon referatur, ſed ad alium quemvis, forte ad tonſorem, cui jus capillos domini ſui habendi atque vendendi conceſſum eſt; ut erudite hunc locum explicant operis Critici commentatores *pag.* 337. hæc obiter.

XII. Nos ſine aliorum præjudicio arbitramur, comam alere, eſſe rem natura ſua indifferentem. Quod ſi enim turpitudinem aliquam moralem involveret, quæſo qua conſcientia Naſiræi tam in V. quam in N. T. intonſis eſſe capitibus potuerunt? cur Deus circa Naſiræatum certas leges ſancivit? cur Samſonem comam nutrire juſſit & poſtea eidem ſuccenſuit, quod crines tonderi permiſerit? immo Nicephorus *lib.* 1. *H. E. cap.* XI. *pag.* 125. *Edit. Pariſ.* commeminit, ipſum Servatorem noſtrum prolixos habuiſſe capillos. Graviſſimus quidem locus exſtat apud Paulum, dum Corinthios ita alloquitur 1. *Cor.* XI. 14. Ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστι; *annon ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia illi eſt?* Sed non peccare videmur, ſi cum magno Theologo Balduino *comment. in h. l.* dicamus, gentium Apoſtolum hoc lo-

co

co per φύσιν seu naturam non intelligere jus naturæ, sed consuetudinem. Quod enim per φύσιν seu naturam sæpius intelligatur consuetudo, ex multis scriptoribus tam sacris quam profanis ostendi posset, si scopus præsentis argumenti permitteret; v. Cornelium Nepotem *in Milt. cap. 6. num.* 1. vel si hæc expositio non placet poterit Estii *comment. in h. l.* interpretatio arripi, qui naturam sumit pro naturali inclinatione, & illos a Paulo notari putat, qui promissam gestant comam more muliebri.

XIII. Huc pertinent capillamenta (vulgo Peruquen) quibus hodie viri juvenesque frequentius non tam sanitatis quam decoris ergo utuntur. Sunt quidem qui hoc velamen capitis non adeo benignis oculis aspiciunt, rati viro illud minime convenire; Sed si heic aliquid pronuntiandum est, capillamentorum ascititiorum usum in nemine, sive sit persona Ecclesiastica sive Politica, simpliciter damnare ausim; præsertim si illa sanitatis caussa gerantur, quum nec juri naturæ, nec juri divino adversentur. Quando autem horum usus inceperit, res non liquentis, sed dubiæ fidei est. A Gallis inventa esse, vix solide ex antiquitate demonstrari poterit, sed longe antiquiora esse videntur, quum non solum Romani & Græci, sed & Persæ Medique iis fuerint usi. Conf. Cunr. T. Rangonem *de capillamentis lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 21. *seq.*

CAPUT II.

De Velamine capitis Artificiali, & quidem toti genti communi.

I. *Velamina capitis varia, multi populi olim intectis capitibus fuerunt; ut* II. *Romani; solvitur dubium. Lipsius taxatur, exceptio ejus exploditur, aliud dubium excutitur utrum convivæ apud Romanos capita velaverint, disquiritur. Stukius heic ambiguus est mos Germanorum, hodiernorum adfertur.* III. *Judæi. Abulensis refellitur. Objectio discutitur* IV. *Ægyptii.* V. *Græci tecta tamen capita habebant* [α] *Persæ vett. Justinus carpitur tiararum differentia materia* [β] *Persæ hodierni, horum tiara describitur* [λ] *Parthi* [δ] *Scythæ non omnes.* [ε] *Æthiopes* [ζ] *Moscovitæ* [η] *Turcæ.* [θ] *Tatari* [ι] *Germani, Itali, Galli, Hispani aliique populi Europæi tegmine capitis differunt imitatio peregrinæ nationis habitus ominosa. Germani notantur.*

I. POsteaquam de velamine capitis naturali ea, qua fieri potuit, brevitate disseruimus, ordo rei postulat, ut jam velamina capitis artificialia contemplemur; quæ quidem non uno se modo habent alia enim sunt toti genti usitata; alia imperatoribus, Pontificibus aliisque hominibus sacris communia; alia in certis casibus adhiberi solent de quibus in hoc & sequentibus capitibus agere animus fert.

II. Fuerunt olim integri populi reperti, in quibus viri plerumque intecto capite incedebant. De Romanis id memoriæ produnt Octavius Ferrarius *de re vestiara lib.* 1. *cap.* 10. Henricus Salmuth *in notis ad Pantirollum p.*167. Kirchmannus *lib.* 2. *de funer. cap.* 1. Sopranes *de re vestiar. Hebr. disp.* 2. *cap.* 1. §. 1. Lipsius *lib. de Amphit. cap.* 19. Anselmus Solerius *de pileo pag.* 19. Legimus equidem in historiis, veteres Romanos, in plateis sibi invicem occurrentes, capita aperuisse. Sic id Pompejo fecisse Sullam commemorant Sallustius ac Plutarchus, & observatum fuisse, quotiens Consul aut Prætor alicui obviam venerit, confirmat Seneca. Quod si igitur capite nudo incesserint, non videntur caput aperire potuisse. Sed hoc dubium tanti roboris non est, ut ab autoribus, modo laudatis, dissentiamus. Nam possumus exempla allata interpretari de iis tantum, qui peregre abierint, aut castra secuti fuerint. At non necesse est, ut eo refugiamus, quum Plutarchus omnem nobis scrupulum eximat, affirmans, Quirites Romanos in more habuisse, ut interdum ob Solis æstum, ventumque & tempestates aut alias æris molestias capiti togam injecerint, ita ut heic caput aperire nihil aliud fit, quam togæ velamen capiti detrahere, quod tum demum contigit, si vir in magna autoritate constitutus inferiori occurrerit. Plutarchi verba sunt hæc *in quæst. Rom.* οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις ἀπαντῶντες κἂν τύχωσι, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες ἀποκαλύπτονται, i. e. *Romani si cui obviam facti sunt, cui honor habendus sit, & si forte toga caput velatum habeant, id aperiunt.* Erat autem heic Justus Lipsius, ratus, veteres Romanos, toga caput velaturos, laciniam imamve oram semper in caput rejecisse: etenim pro re nata non inferiorem, sed superiorem togæ partem ad caput attrahere consueverant. Id docet nos Svetonius *in Julio Cæsare* scribit enim C. Julium Cæsarem, cum se strictis pugionibus a conjuratis peti videret, toga caput obvolvisse, simulque sinistra manu sinum ad ima crura deduxisse, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis velata. Si jam Lipsii sententia vero con-

consentanea esset, quo pacto sinus ad ima crura deduci, aut inferior pars velata esse potuit, extrema ora in caput rejecta? Reponit equidem Lipsius exemplum Scipionis Nasicæ, de quo Plutarchus *in Oraculis* testatur, ipsum laciniam togæ in caput rejecisse; at Scipio Nasica non solum togæ laciniam, sed totam pene partem inferiorem, in rugas contractam ac complicatam capiti imposuit, ad suum caput [fustibus enim & saxis a vulgo petebatur] tuendum, & propterea se veluti galea communivit, ut sic subducta toga, promtior foret ac expeditior ad dimicandum. Confer Ferrarium *loco ante citato*.

III. Sed dicas, legi tamen apud Dionysium Halicarnassæum *lib.* 3. aquilam Tarquinio pileum eripuisse & in altum secum portasse; mox vero capiti restituisse, idque pro regio omine habitum fuisse. Atqui nos nunquam omne capitis tegmen negavimus, sed ambabus manibus largimur, interdum quosdam ob sanitatem aliasve caussas caput velasse. Id quod & Tarquinium fecisse omnino persuasi sumus. Hinc excipimus heic Sacerdotes, in ludis Saturnalibus ludentes, peregre abeuntes; novos libertos, ægrotos, senes & homines delicatulos mollesque; quibus & Henricus Salmuth *l. c.* addit convivas. Sed de his adhuc ambigere quis potest. Fortean Salmuth ad hæc Plutarchi *in Pompejo*. verba respexit; Λέγεται, ὅτι πολλάκις ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς τοῦ Πομπηΐου προσμένοντος καὶ δεχομένου τοὺς ἄλλους ἐκεῖνος ἤδη κατέκειτο σοβαρῶς ἔχων δι' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον; *fertur sæpe in conviviis cum Pompejus exspectaret & convivas exciperet, accumbere solitus cum magno fastu habens pallium per caput ad aures adductum*. At vero hoc loco tantum describitur Pompeji liberti (Demetrius vocabatur), impudentia, partim quod ante Dominum discubuerit, partim quod caput obvelaverit. Stuckius *de Conviviis* duas conjecturas excogitavit; quarum prior pro velamine; posterior pro nudatione capitis in conviviis ab ipso adducitur; neutri tamen assentiri audet. Hodie apud Gallos epulantes in diversoriis plerumque tecto sunt capite; in optimatum conviviis id non observatur. In Germania cuilibet liberum relinquitur, si convivæ sint ejusdem ordinis, dignitatis & honoris; verum si unus pluresve autoritate præ ceteris eminentes præsto sunt, hoc decorum observari solet, ut hi quidem velato sint capite; qui vero iis sunt dignitate, ordine aut gradu inferiores, nudo capite assideant. Id quod & eos, qui mensæ serviunt, imitari videmus. In moribus quoque Germanorum est positum, ut inter epulandum frequentius capita nudentur; ut in precationibus, sternutationibus, propinationibus atque aliis de caussis fieri amat. Galli autem & Itali inter epulandum caput non facile detegunt; hoc enim modo pileos unctis manibus pollui ajunt. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

IV. Non solum autem Romani sed & aliæ gentes nudis capitibus in publicum prodibant. De Judæis id negat Abulensis *in cap.* 13. *Lev. quæst* 10. at Sanctius *Comment. in Act. cap.* 19. Sopra *de re vestiar. Hebr. disp.* 2. *cap.* 2. §. 1. Anselmus Solerius *de pileo pag.* 16. ab eo dissentiunt. Cum quibus & nos facimus. Legitur enim *Lev.* 13. & 21. divinum Numen leprosis & Summo Sacerdoti præcepisse, ut capita tegerent. Jam si Judæi omnes, uti Abulensis vult, tectis capitibus incessissent, quid opus fuisset hoc præcepto? Neque nuditati capitis obstabant tæniæ illæ seu vittæ, quibus fluentem Cæsariem extra luctum coercebant & religabant non fœminæ tantum, sed & viri; erant enim admodum angustæ, & vix minimi digiti latitudinem exæquabant, ut bene observavit Solerius *l. c.* Quamvis non penitus inficias eamus, Judæos quandoque in certis casibus togam, ad cervices adhærentem tegendo capiti adduxisse. Id quod Græcos quoque fecisse constat. Licet enim & ipsi nudatis fuerint capitibus, pileos tamen interdum gestasse Brodæus *lib.* 8. *miscell. cap.* 17. Turnebus *lib.* 8. *adves. cap.* 4. Solerius *di pileo pag.* 166. affirmant. Negat quidem id universe Polydorus; *lib.* 3. *de invent. rerum cap.* 18. sed perperam quum Ulyssem pileatum in nummis videamus. Ægyptios intectis capitibus fuisse, in vulgus notum est; idque testatur Herodotus. *lib.* 3. *sub initium*.

V. Plurimæ tamen gentes olim opertis capitibus in publicum prodiere; & adhuc hodie prodire solent. Persæ ad unum omnes caput tiara tegebant, initio a Semiramide orto, ut scriptum reliquit Justinus *lib.* 1. ait enim Semiramidem post obitum mariti sui Nini, imperii cupidine flagrasse, sed quod diffideret, tanti molem imperii proceres Assyrios in manibus fœminæ esse relicturos, simulasse se pro uxore Nini filium, pro fœmina puerum, idque purpuratos & clientes populo credidisse, propterea quod utrique statura mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamenta eadem fuerint; item quod brachia quoque ac crura velamentis; caput vero tiara texerit, & ne

ne novus habitus in suspicionem procerum incurreret, eodem ornatu & populum vestiri jussisse. Sed hæc Justini narratio mihi semper suspecta visa fuit. Semiramis tum temporis erat ad minimum annorum viginti; filius vero ejus Ninyas vix tertium annum egressus est. Quis igitur non dicam Satraparum & imperii Magnatum, sed vel ultimæ plebis hominum inter trimum aut quadrimum puerulum ac matronam viginti annorum, & tertio jam partu robustam ac spectatam difficulter distinguat? vestis enim & barbæ defectus sexum fortasse, sed non proceritatem dissimulare queunt. Accedit, quod Semiramis in bello Bactriano eximium jam dederat peritiæ bellicæ documentum, ut majus apud exercitum proprio nomine quam commentitio, & propria persona quam aliena pondus autoritatis ad res gerendas esset habitura vide sis Jacobum Salianum *tomo I. Annal. Eccles. ad A. M.* 2049. *num.* 3. *pag.* 204. & Johannem Bisselium *tom.* 1. *Ruinarum illustrium pag.* 475. Hæc ideo adducere libitum fuit, ut appareret, in historiarum lectione summam diligentiam judiciumve adhibendum esse. Quod si enim aliquis historias non pensius secum considerat, & tantummodo vulgum historicorum cœco pede sequitur, illum in magnos errores incidere necesse est. Existimamus ergo Semiramidem non astu dolove, sed ex mariti testamento & unanimi Procerum suffragio ad imperium accessisse, adeoque falsum esse, quod tiaræ gestatio Semiramidi sit accepta referenda.

VI. Erat autem maxima differentia inter tiaras regum Persarum & hominum plebejorum; illi rectas & sursum elatas, hi obliquas inque frontem propendentes & demissas tiaras usurpabant, quemadmodum id ex multis autoribus vir in antiquitatibus Persicis versatissimus Barnabas Brissonius *lib.* I. *de regno Pers. pag.* 28. 29. ostendit. Quare cum Demarato Lacedæmoniorum regi a Xerxe concessum esset, exposcere quodcunque vellet, id unum petiit, ut sibi equo insidenti Sardeis cum recta tiara intrare liceret, referente ex Plutarcho Suida. Ob eamque postulationem Xerxem ira accensum fuisse, subjicit Seneca *lib.* 6. *de benef. cap.* 37. videlicet indicare voluerunt magni reges, ut arbitratur Magnus Barthius, *in Claud. pag.* 608. excelso se & summo imperio uti, nec ulli esse subditos, nec ullius potentiam metuere. Sed de regum tiaris plura infra.

VII. Quod ad materiam tiaræ, eam non ex coactilibus, id est, e lanis villisve confectam, sed ex pannis compactam fuisse ex Herodoto edocet Barnabas Brissonius. *lib.* 1. *de regno Pers. pag.* 21. Quanquam Carolus Paschalius *lib.* 10. *de coronis cap.* 1. *pag.* 667. ex Statio ostendere conatur, Persarum tiaras etiam ex lana constitisse. Nos opinamur, Persas tam pannosas quam laneas gestasse tiaras. Quarum de forma fusius differit B. Brissonius *l. c.*

VIII. Qualibus hodie tiaris utantur Persæ, exponit αὐτόπτης Adamus Olearius *lib.* 5. ipsa verba subjicere placet. Die Månner tragen auf dem Kopffgrosse dicke von Cateun oder Seiden Bindeu übereinander gewundene Bünde / Mendel genannt / sind gemeiuiglich bundstreiffig gewircket / deren etlichen mit gůldenen Faden durchgezogen / sind geweiniglich 16. in Blen lang. Et ejuscemodi tiaras non solum in hieme, sed & fervidissima æstate capitibus imponunt; ex qua re fit, ut non diu capitibus nudis esse queant. Ita enim Olearius *loc. cit.* Solche Müken tragen sie Winter und Sommer / und ist zu verwundern / wie sie des Sommers in so grosser Tik den Kopff in solchen Mendelen und Müken so warm halten kónnen. Weil die Kőpffe alsd gewehnet / bloibeu sie weichlich / und kőnnen nicht lang bloß bleiben / und gantz keine kůhle Lufft vertragen. Neque suas tiaras deponunt, licet preces ad Deum fundant, aut coram ipso rege appareat. Solche Mützen nehmen sie nicht ab / pergit Olearius *loc. cit.* weder wann sie beten / noch wann sie vor fürnehme / ja dem Kőnig selbst erscheinen. Idem addit: Ist also j:kt nicht mehr im Gebrauch / was Eustathius in Dionzs. de situ orbis schreiaet / baß wann die Perser einen grůssen wollen / sie den Bund vom Kopffziehen solteu / an statt aber dessen neigen sie sich / und legen die Tand ans Tertz.

IX. Parthorum vulgus pileatum fuisse, ex historiis constat. Unde Parthos non immerito pileatos nominavit Martialis *lib.* 10. *Epigramm.* 22. non tamen eorum pilei instar Phrygum acuminati erant, ut id ex duobus nummis demonstravit vir rei nummariæ peritissimus Ezechiel Spanhemius *de præst. & usu Numism. pag.* 430. apud Scythas duntaxat illi pileati conspiciebantur, qui in magno honore versabantur. Qua de re videndi sunt Lucianus & Dionys. Trajanus, quos laudat Solerius *de pileo pag.* 171. Æthiopes tam patens amplumque capitis velamen habent, ut decem hominibus inumbrandis par esse queat, teste Nicolao Godino *lib.* 1. *de rebus Albassino-*

norum cap. 12. Nobilissimus autem Joh. Albertus Mandeslo *lib.* 1. *descript. region. Orient. cap.* 35. *pag.* 96. ait, Æthiopum hodiernorum capitis tegmen non adeo multum discrepare a Persarum tiaris. Moscorum capitis involucra hunc in modum depingit A. Olearius *lib.* 3. *Itiner. Persic. cap.* 5. *pag.* 182. Sie (die Reussen) tragen alle auf dem Kopff Mützen / die Knesen oder Fürsten / Bojaren oder Reichsräthe / wann sie in offentlicher Versammlung begriffen / haben von schwartzen Füchsen oder Tobeln Mützen bey einer Ellen hoch / sind aber von Sammet nach unserer Art und mit schwartzen Füchsen oder Tobeln gefüttert und verbremet / ꝛc. & mox: Die gemeinen Bürger aber haben Sommers von weissem Filtz und des Winters von Tuch / und mit gemeinen Rauchwerck gefütterte Schapken oder Mützen. Neque, ut hoc obiter addam, in præsentia magni Moscorum Ducis optimates regni caput nudant, nisi forte ipsius titulus legatur; tunc enim solet legens mitram deponere. Vide Olearium *lib.* 1. *Itiner. Pers. pag.* 34.

X. Velamen capitis, quod Turcæ *Turbantem* vocant, non adeo multum distat a tiara Persica populari. Græci recentiores vocant φακεώλιον, quasi fasciam complicatam. Et hi turbantes, quibus Turcæ utuntur, sunt albi. At Tatari olim virides habuerunt; hodie vero rubros gestant, teste Martino Martinio *in historia de bello Tatarico*. Persarum velamina capitis esse rubra prodit Solerius *de pileo pag.* 174. Neque mirum, illos coloribus inter se dissidere, qui in se invicem infinito feruntur odio. Causam hujus rei indicant Johannes de Barros *de cade* 2. *Asiæ. lib.* 10. *cap.* 6. Osorius *de rebus Eraman. cap.* 10. Sansovinus *de rebus Turcicis*, aliique. Commune capitis tegmen Macedonibus fuit causia; de qua confer Solerium. Hodie Germani, Galli, Itali, Hispani aliique populi Europæi pileis differunt; quamquam Germani nostri, ut in re vestiaria, ita & in pileis gestandis Gallos imitari, nec eandem semper formam retinere soleant. Gestant enim modo parvos, nunc longos; modo latos pileos, & vix unus alterve annus transcurrit, in quo non novum pilei genus videbis. Simulac Galli pileos mutant, statim & nostri Germani sequuntur. Quæ tamen imitatio peregrinarum nationum habitus a cordatioribus non adeo pro fausto omine habetur. Sic cum Darius, ultimus Persarum Rex, in principio Imperii vaginam acinacis Persicam juberet mutari in eam formam, qua Græci uterentur, protinus Chaldæi interpretabantur, Imperium Persiarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus, ut scribit Q. Curtius *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. nec evenitus fefellit. Idem quoque de Andronico Duca narrat Gregoras *lib.* 11. *in fine* dum ait: *De capitis tegumento apud superiores Imperatores moris erat, ut ætate provectiores aulici pro ceres pileis turbinatis uterentur, serico tectis, pro dignitate cujusque: adolescentes vero omnes omnes prorsus nudis essent capitibus. Illo vero Imperatore is mos usque adeo obsolevit; ut omnes simul & adolescentes & senes pileis uterentur, non minus in palatio, quam in agris: iisque multiformibus & peregrinis & quales cuique probabantur: alii Latinis, alii Mysiis & Triballicis, alii Syriis & Phœniciis suo quisque arbitratu. Eodem more in vestibus etiam usi sunt, ut prudentiores novitatem aliquam & destructionem imperii, & finem institutorum ac morum illius divinarent.* Quæ præsagia etiam fidem suam in Germanis nostris patrum memoriam impleverunt; quum enim hi ante bellum Germanicum tricennale nullius fere nationis habitum non imitarentur, ipsi omnibus prædæ fuere. Et observarunt quidam anno antequam ab Hispanis Spirensium urbs occuparetur, fœminas ibi gestasse collaria, quæ Hispanica dicerent. Sed hæc exempla Germanos nostros movere non possunt, ut cautius mercari discant. In omnibus hodie Gallos imitantur; & vix in Gallia novum vestis genus excogitatum est; illud statim prioribus vestibus abjectis, a nobis recipitur. Quæ mira imitatio utrum pro fausto omine habenda sit, sagacioribus judicandum relinquimus. Certe Franconia, Wetteravia, Alsatia aliæque vicinæ regiones, quæ a Gallis infesto nunc animo vexantur, vivo nobis exemplo esse possunt. Sed ad alia.

CAPUT III.

De Velaminibus capitis virorum, potestate sublimiori eaque profana gaudentium.

Persarum Imperatores soli tiara recta utebantur eorum, qui septem magos percusserant, velamen capitis quale. Cidaris non idem quod diadema. Budæus & Pancirollus notantur. Curtii locus exponitur. Quidam autores confundunt diadema cum cidari. Brissonius reprehenditur. Alexander M. & cidarim & diadema a Persis mutuatus est. Ejus successores tantum postremum retinuere. Philonis & Tiraquelli lapsus tiara Persica pavonis alas habuit. Tigranis tiara qua-

qualis. Paschalii error: variatio regum circa capitis insignia. Propinqui regum Persarum utebantur tiaris & diademate: inventor diadematis Bacchus: cidarim gestabant reges Ægyptiorum & Armeniorum: eorum pilei quales? cur aspidibus involuti? Ante Alexandrum M. reges Macedonici a diademate abhorrebant: error pictorum sculptorum &c. Romanis Impp. diadematis usus ab initio exosus: ejus causa; posterioribus temporibus familiaris. Ἰουϛιχιάνειον quid? Gretserus & Alemannus conciliantur. Curopalates defenditur. Cæsaribus Rom. diadematis usus olim probibitus: vel saltem discrimen erat inter diademata Augustorum Cæsarumque. Constantinus M. vindicatur contra Dan. Zvvickerum: unde luxus in Ecclesiam introivit? Velamen capitis Impp. Russorum quale? Hebræorum reges recens creati velabantur: locus 2. Sam. 12. 30. explicatur: reges Hebræorum diademate seu corona in judiciis utebantur: locus Jobi difficilis ex cap. 29. 26. 27. expensus: cidaris regum symbolum clementiæ.

I. VElamina capitis, quæ in communi usu usurpantur, prosecuti hactenus sumus. Nunc ad virornm, sublimiori eaque profana potestate gaudentium integumenta venimus. Persici Imperatores, ut erat dictum, soli gestabant tiaras rectas. Id quod etiom confirmat Dio Chrysostomus *Orat.* 14. cui addi potest Carolus Paschalius *lib. 9. de coronis cap. 17. pag.* 623. caussam hujus rei jam supra indicavimus; quamvis Dio Chrysostomus *l. c.* aliam adferat, docens; omnem regis curam in eo consumi oportere, ut ipse eum animum prodat, quem omnes præ ceteris experiantur esse rectum. Septem tamen Persis, qui Magos e medio sustulerant, eorumque posteris præmii loco fuit concessum ut in anteriorem partem capitis prominentem tiaram usurparent, dicente Plutarcho *in Politicis*. Atque ita tam ab Imperatoribus, quam a privatis discrepasse videntur, propterea quod non ut Imperatores erectam ac velut in perpendiculum in caput elatam, neque ut privati in frontem propendentem ac demissam, sed medio quodam statu in synciput projectam prominentemque gestabant, uti optime locum Plutarchi exponit Barnabas Brissonius *lib. 1. de regno Persarum pag.* 30. Hoc insigne capitis proprio nomine. Citaris seu Cidaris vocabatur. Liquet id ex Q. Curtio *lib. 3. cap. 3. num.* 19. ubi Darii vestes describens ait: *Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne.* v. autores, quos heic anxie collegit Brissonius *l. c.*

II. Unde mirari subit Budæum *lib. 1. var. cap.* 10. & Pancirollum *in deperditis* scripsisse cidarim seu tiaram idem fuisse, quod diadema; nam hoc priscis historicis e diametro adversatur. Xenophon *de inst. Cyr. lib.* 8. de Cyro, *habuit*, inquit, *diadema circa tiaram*. Adest & locus Luciani *Lucian reor.* ubi is exsertim distinguit tiaram a diademate. *Alium siquidem fortuna excipiens*, inquit, *regie ornat, imponens tiaram & satellites tradens & caput diademata evinciens*. Cui loco alter ejusdem Scriptoris similis est; *Lucian. navig. seu vota. pro honore isto, o rex, gratias tibi habeo, ac Persico more procumbens adoro te, adductis post tergum manibus, venerans rectam istam tiaram atque ipsum diadema* v. C. Paschalium *lib. 10. de coronis cap. 1. pag.* 667. nec aliter Quintus Curtius, dum ait *lib. 3. cap. 3. num. 19. Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne. Hoc cœrulea fascia albo distincta circuibat.* Et rursus de Alexandro M. *lib. 6. cap. 6. num. 4. Itaque purpareum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Curtius heic album & atrum narrat, cum priori loco cœruleum; posteriori vero purpureum ponit. Raderus *in notis in Curt. lib. 3. cap. 3. num. capit.* 19. propemodum σφάλμα ἀμνήμονος Curtiumque ἀμνηϛίᾳ seu immemoria lapsum putat. Sed tam ut Curtium benignius interpretetur, eum ita scripsisse conjicit: *Hoc cœruleum fascia purpurea albo distincta circuibat*, adeoque librarii vitio vocem *purpurea* præteritam fuisse. Quæ emendatio non plane floccipendenda esse videtur.

III. Non autem plane inficias imus, fuisse repertos autores, qui diadema cum tiara seu Cidari confuderint. Confer B. Brissonium. *lib. 1. de regno Pers. pag.* 32. Non tamen assentimur Brissonio, diadematis nomine opinanti etiam designari tiaram seu cidarim, ideo quod e Persico luxu mutuatum Alexandrum Persicum diadema Diodorus ac Justinus prodant; Arrianus vero Cidarim Persicam, quæ scilicet idem sonant. Utrumque enim hoc capitis ornamentum a Persis mutuatus est Alexander M. ut proinde non necesse sit, illa inter se confundere. De Cidari aut tiara præter Arrianum fidem facit Lucianus, *Dial. mort.* apud quem Philippus pater inter alia filio exprobrat, quod tiaram rectam adsumsisset. De diademate vero præter Diodorum, Justinum aliosque diserte Curtius verbis paullo ante adductis, quæ de

de cidari aut tiara intelligi nequeunt. Conjuncta itaque erant in Imperatorio Persarum cultu illa capitis insignia, tiara ac diadema, non tamen ut eadem, sed ut diversa. Unde etiam factum est, ut postremum solum retentum ab Alexandri successoribus fuerit, eorumque vestigiis alii Asiæ ac Europæ reges institerint Ex quo patet, cur diadema illud, quod Persicum vocatur Diodoro, Herodiano *in proœmio*. Macedonicum dicatur.

IV. Non minus incaute fuit locutus Philo *lib. 3. de vita Moys.* scriptor alias quantivis pretii, reges Orientis Cidari loco diadematis usos tradens: verba ejus hæc sunt: Κιδάρει γὰρ οἱ τῶν ἑώων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι. Utrumque enim insigne, ut testantur antiquissimi & probatissimi autores, ut & nummi, ab iis usurpatum. Vid. Ezechiel Spanhemius *de præst. & usu num. pag.* 456. quem errorem non observavit Paschalius, sed potius Philonem sequitur (*lib.* 10. *de coronis cap.* 3.). Graviter quoque delapus est Andreas Tiraquellus, vir ceteroquin doctissimus, (*in annotat. ad Aleu. ab Alex. lib.* 1. *cap.* 28.) cum ex Dionysio *lib.* 3. observat, diademata regum Persarum & Lydorum fuisse quadrata; Etruscorum vero & Romanorum figura semicirculari; quippe id non de diademate, sed de toga observat Dionysius, neque eo loco ulla apud eum diadematis mentio, vola aut vestigium. Ut silentio premam absurdum illud de quadrato Persarum regum diademate, quod ex nummis antiquissimis demonstravit Ezechiel Spanhemius *de præst, & usu num. pag.* 470.

V. Ceterum Persicas tiaras pavonis alas habuisse, docet Græcus Aristophanis interpres. Tigranes vero, Parthorum rex, gestabat tiaram, cui stella ac duæ aves, quæ falcones esse videntur, insculptæ erant, ceu patet ex nummo, quem exhibet modo laudatus Spanhemius *de præst. & usu num. pag.* 455. Errat autem Carolus Paschalius *lib.* 10. *de coronis cap.* 1. qui scribit, regem Parthorum laneam tiaram gestasse, fretus verbis, quæ apud Statium VIII. *Theb. vers.* 244. hunc in modum leguntur:

> *Atque is ubi intecto signavit vellere crinem.*

Nam heic non sermo est de juvene Parthorum rege, sed de Thiodamante, habitum sacerdotalem assumente, uti optime manet C. Barthius *in notis in h. l. Stat. pag.* 853. qui addit: allegationes autorum sæpe apud Paschalium suis scriptoribus absentire.

VI. Variabant tamen reges circa capitis insignia; modo unum duntaxat diadema; ut in nummo Arsacis; nunc duplex diadema, ut Artabanus apud Herodianum *lib.* 1. gestabant. Modo Cidarim cum diademate, ut in nummo Tigranis; nunc aureum capitis arietini figmentum capillis interdistinctum, ceu de Sapore, Persarum rege, tradit Ammiannus Marcellinus; modo quoddam regiæ mitræ genus; qualem nummum exhibet Spanhemius *de præst. & usu num. pag.* 329. usurpabant. Tiaris etiam cum diademate usos fuisse illos, qui regibus Persarum arcta consanguinitate proximi erant, auror est Xenophon *in Cyro lib.* 8. εἶχε δὲ, inquit, καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ καὶ οἱ συγγενεῖς αὐτοῦ τὸ αὐτὸ τοῦτο σημεῖον εἶχον καὶ νῦν καὶ τὸ αὐτὸ ἔχουσι. *Habebat* (Cyrus) *& circa tiaram diadema, idemque insigne cognatis ipsius erat, sicut & hoc tempore illud retinent.* Cujus consuetudinis morisve vestigium adhuc superfuisse videtur sequioribus temporibus in renovato Persarum dominatu. Certe diadematis usum Persarum Satrapis indultum fuisse tradit Procopius *lib.* 4. *Bell. Goth. cap.* 11. Atque hoc regium insigne, diadema scilicet Liberum Patrem reperisse ait Plinus *lib.* 3. *cap.* 56.

VII. Cidarim quoque fuisse gestamen regum Æthiopicorum ac Ægyptiorum legimus in vita Æsopi, apud Diodorum Siculum *lib.* 4. *Biblioth.*, & C. Paschalium *lib.* 10. *de coronis cap.* 4. qualem autem formam habuerint ipsorum pilei, idem Diodorus Siculus tradit: ait enim τοὺς βασιλεῖς χρῆσθαι πίλοις μακροῖς ἐπὶ τοῦ πέρατος ὀμφαλὸν ἔχουσι καὶ περιεσπειραμένοις ὄφεσιν οὓς καλοῦσιν ἀσπίδας; h. e. *reges ipsorum gestare pileos longos, quorum apex umbilicum habeat, & serpentium, quos aspides vocant, spiras circumvolutas*, & addit: τοῦτο δὲ τὸ παράσημον ἔοικε συνεμφαίνειν ὅτι τοὺς ἐπιθέσθαι τολμήσαντας τῷ βασιλεῖ συμβήσεται θανατηφόροις περιπεσεῖν δήγμασι. *Quibus insignibus indicari videtur; eos qui regem insidiis appetunt, morsibus lethiferis obnoxios esse.* Ante Alexandrum M. reges Macedonum a diadematis abhorrebant; ita enim Justinus *lib.* 11. *cap.* 3. *Alexander habitum regum Persarum & diadema insolitum* antea *regibus Macedonicis velut in leges eorum, quos vicerat, adsumit.* Quo respexisse videtur Autor Maccabæorum *lib.* 1. qui ut novum quid ac insolitum observat, omnes Alexandri successores eorumque filios diademata sibi vindicasse. Id quod non perpenderunt artifices, monetarii, pictores, sculptores in exprimendis Heroibus ac illustribus viris. Unde & vulgo horum capita diademate or-

ornata cernimus. Sic etiam pictores Agathocli diadema tribuunt, quum tamen Diodorus & Plutarchus referant, ipsum plane nullum diadema gestasse. Sed ejuscemodi hominibus est admodum familiare ut sua tempora cum vetustis confundant, aut quidvis pro lubitu depingant. Ita pictoribus sanctum debemus Christophorum magnum, quem nunquam in rerum natura fuisse Villavicentius *de ratione studii Theologici lib.* 3. *cap.* 7. Theologus Pontificius sua sponte fatetur. Præter hunc confer Rivetum *in Jesuita vapulante cap.* 3. *tom.* 3. & Chamier *Tom.* 1. *panstrat. lib.* 2. *cap.* 16. Ita Josephum, Servatoris nostri tutorem, canum ac decrepitum senem depingere solitant, quod tamen neque ex Scriptura S. neque ex historia Ecclesiastica constat.

VIII. Vigente igitur tertia Monarchia, non omnes imperantes diadema gestare cupiebant. Qui enim humili loco nati erant, vel imperium condiderunt, vel in libera civitate potestatem obtinuerunt, a diademate abhorrebant quam maxime; propterea quod diadema, tanquam recenter ab Alexandri successoribus e regio Persarum dominatu translatum, tum in omnium oculos incurrens novitate sua vel fastu majori cum invidia conjunctum videretur. Unde nullo non negotio conjicere licet, cur primis Imperatoribus Romanis diadematis usus tam exosus furrit, aut cur idem oblatum exitium ipsis acceleraverit. Videlicet vulgus existimabat, cum diademate individuo nexu connexam esse superbiam, qua Persarum reges præ ceteris laborasse constat. Apud Jesephum *lib.* 20. *Antiq. cap.* 18. Hyrcanus, Judæorum princeps in Pontificatum ac principatum fuit restitutus, ea tamen lege, ne diadema capiti imponeret. Cassander unus fere ex Alexandri M. successoribus, non solum a diademate, sed & a regio nomine abstinuit. Quanquam non pauci repperiantur nummi cum hac inscriptione. ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΏΣ. Sed hæc diversitas facile componi potest, si dicamus; Cassandrum quidem regem appellari noluisse; fuisse tamen ipsi hoc nomen ab aliis, vel ex adulatione, vel ex alia caussa attributum.

IX. Licet vero primis Imperatoribus Remanis diadematis usus valde fuerit exosus, posterioribus tamen temporibus familiarem fuisse, tam ex historia, quam ex compluscu̇lis nummis satis superque liquet. Quinam autem primus hoc insigne sibi attribuerit, certo sciri non poest. Victor id alibi Aureliano; alibi Caligulæ illud adscribit. Quod posterius etiam Emanueli Thesauro *pag. m.* 78. placuit, dum Caligulam ita alloquitur:

Primus Apollinea commutas fronde metallum,
Cæsar & aurato stringis in orbe caput.
Non sano capiti fragiles per tempora frondes,
Non sat erant, nodo te neliore ligas.

Contra Severus Sulpitius *lib.* 2. *Sacr. hist.* & Philostratus *in vita Apollonii*: ajunt Vespasianum diadema gestasse. Quos tamen refellit C. Paschalius *lib.* 19. *de coronis cap.* 13. *pag.* 607. Jornandes id Diocletiano; Cedrenus vero & Fasti Siculi Constantino M. Assignant. Quæ Autorum discrepantia exinde nata esse videtur, quod Imperatores Romani interrupto ordine diadema gestaverint. Hinc haud dubie posteri illum primum ejus rei autorem habuerunt, penes quos primitus illius usum viderant. Procopius Cæsariensis *in Historia Arcana*: prodit in Imperatoris Justiniani veste nescio quid peculiare fuisse, quod vel a barbaris hauserit vel excogitaverit. Certe Ἰυστινιάνειον Justinianeum diadema quoddam fuisse autor est Georgius Codinus. Quod ejus interpres (*pag.* 304. 303.) dotorale fuisse capitium auguratur, ut sæpe in eo libello augurari assolet. Jacobus Gretserus *tom.* 2. *de cruce lib.* 1. *cap.* 20. rem acu tetigisse se ratus, profert aereum Numisma Justiniani, cristam Justinianeam dictam credens. Verum ante Justinianum, Theodosius, Marcianus, Leo, Zeno, Anastasius, & Justinus eandem πτερωτὴν cristam in galea usurparunt; uti id in eorum nummis, quos vir inexhauste dotrine *Dn. Joh. Andreas Bosius*, studiorum nostrorum summus promotor, benivole conspiciendos dedit, animadvertimus. Deinde illud Justinianeum diadema non bellicum fuit, aut castrense, sed civicum & quo in sacris & in Ecclesiis utebatur. Immo Alemannus *in notis ad Procop. pag.* 77. exhibet talem formam, quam neminem ante Justinianum usurpasse contendit. Est autem forma rotunda corollis supra & infra ornata. Hæc liticula videtur componi posse, si cum Codino affirmemus, Justinianum varia habuisse capitis tegmina propria; & modo hoc; modo illud pro arbitrio gestasse. Notanda heic sunt Curopalatis verba (*in opere de offic. aulæ Constant. pag.* 108. *Quod nunc appellatur stemma, id olim nominatum fuit diadema. Id autem erat textile aureum cum capillis & margaritis positum ad imperatoris frontem*,

tem, & pone revinctum cerebrum versus (quam ob rem etiam dicitur diadema) quod ex eo paullatim mutatum effectum est, quale videtur hodie, & nominatur stemma; quod autem nunc vocatur diadema, id olim militaris Zona dicebatur honorem indicans, qua olim Tyranni Christianos milites primum privabant, tum eos tortoribus dedebant. Sed taxat heic Curopalatem Solerius, quod diadema cum militari Zona antiqua permisceat; ait enim diadema semper notam fuisse supremæ regiæ potestatis. Id quod non simpliciter verum est; nam non solum reges, sed & regum cognatos Satrapasve diadema capitibus imposita habuisse, jam supra vidimus.

X. Hoc tamen certum esse arbitramur, Imperatoribus Romanis fuisse diadema concessum; Cæsaribus non item; patet id ex Chrysostomo *Orat. cap.* 4. *in Babyl. Tom.* 5. *pag.* 959. qui de Juliano ejusque fratre Gallo Cæsaribus appellatis hunc in modum scribit: καὶ δέχεται χωρὶς τοῦ διαδήματος τὴν βασιλείαν οὗτος, τοσοῦτον γὰρ καὶ τῆς ἀδελφοῦ τοῦ τετελευτηκότος ἐξουσίας τὸ μέτρον ἦν, *& accepit ille sine diademate principatum, hæc enim potestatis illius & quam habuerat frater ejus defunctus mensura quædam erat.* Hinc idem Julianus apud Philostorgium *lib.* 7. *H. C. c.* 15. dicitur fuisse in habitu Cæsaris per quinquennium; ἐν δὲ τῷ διαδήματι post Constantium h. e. *in Augusto fastigio duo cum dimidio.* Neque aliter Zosimus diadema vocat imperatoriæ dignitatis, ac refert inter Augustæ potestatis insignia, quibus uti Cæsares non audebant. Sed dicas, reperiri tamen loca Autorum, in quibus diserte Cæsaribus diademata assignantur. Ita Claudianus de Honorio nondum Cæsare, nec dum Augusto a Theodosio M. renuntiato: (*de III. Conf. Honorii.*

Et sacro meritos ornat diademate crines.

Confer Nicephorum *lib.* 4. *H. E. cap.* 3. cui dubio ut satisfaciamus, dicimus, fuisse adhuc discrimen inter diademata Augustorum Cæsarumque, ita ut Imperatores seu Augusti Diadema aureum gemmis interdistinctum gestaverint; Cæsares non item; aut si gestaverint, saltem minoris pretii splendorisve fuerit, sicuti in Byzantinis monumentis legisse se commeminit Ezechiel Spanhemius *de usu & præst. Numm. pag.* 665. Quamvis nolim negare, nummos reperiri, in quibus Crispum ac Constantium adhuc Cæsares diadema gemmis ornatum, æque ac parentem Constantinum M. habuisse deprehendimus. Ad quod reponi potest, Constantinum M. id ex nimio erga liberos amores indulgentiave fecisse, adeoque esse exemplum plane extraordinarium. Quippe postidem filius ejus Constantinus consobrinos Gallum & Julianum Cæsares pronuntiavit, sed tamen χωρὶς διαδήματος sine diademate, ut supra ex Chrisostomo vidimus. De diadematis nolumus plura addere, ne actum agere videamur. Hæc autem ideo fusius considerare visum est, quod C. Paschalius in eximio libro de coronis talia non tetigerit. De diademate Caroli M. & hodiernorum Imperatorum Romano-Germanicorum vide sis laudatum Paschalium *lib.* 9. *de coron. cap.* 18. *pag.* 625. & Jac. Gretserum *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 23. *pag.* 183. *seq.*

XI. Antequam ad alia progrediamur, non possumus non gloriosissimum Imperatorem Constantinum M. ab iniquis accusationibus Danielis Suvickeri Monarchiani vindicare. Hic enim in laudatissimum Imperatorem vehementer invehitur, eumque miris modis traducit, ac si omnium Imperatorum, quos unquam sol conspexerat, esset sceleratissimus. Inter alia ipsi displicet, quod habitum regium gemmis & caput perpetuo diademate exornaverit. Et valde improbat, quod Eusebius *in Irenico mastige pag.* 203. scribit, *cum autem*, inquiens, *cuncti data tessera, qua Imperatoris significabatur ingressus, surrexissent, tum & ipse* (Constantinus M.) *medius quasi angelus quidam cælestis NB. splendidam purpuram indutus ac veluti lucis splendore refulgens ignitisque radiis illustris atque auri & pretiosorum lapidum pellacide jubare ornatus introibat, &c.* Ad quæ verba Zvvickerus: *en quam verum sit, quod multi autores prodidere quodque nunquam satis deplorari potest, una cum Constantino M. orbis superbiam & luxum, totumque adeo mundum in Ecclesiam ingressum esse? cum ipsi quoque Episcopi splendorem & fastum illum Imperatoris ab ipsis etiam Ethnicis improbatum in laude ponere cæperint! o tempora! o mores!* Sed noli, mi Zvvickere, ita exacerbato esse animo, an putas Christianis regibus nefas esse, ut gemmis, diademate & purpura? ita sentire mihi viderit, at quo quæso fundamento? ubi Christus vel ejus Apostoli id unquam prohibuerunt? altum hac de re silentium est. An nescis, quam splendidas olim vestes gestaverit rex omnium sapientissimus Salomon? an id vitio ipsi fuit datum? minime gentium. Reges regia recent. Quod Constantinus M. fecit, facit ad magnificentiam aut magnanimita-

ta-

tatem, cui principem oportet esse deditum, ut hac ratione in civium subditorumve animis summa reverentia concitetur. Quod si enim id rex omitteret, & vestibus vulgaribus uteretur; aut ejus cultus habitusque non paullulum a privato abhorret, annon perfacile in contemtum suorum devenire posset? Quare tentum abest, ut Constantinum M. reprehendamus, ut potius eundem cum Eusebio collaudemus, quod magnificentiam suam ita ostenderit. Neque ipse fuit in caussa, quod superbia luxusve ecclesiam Christi intraverit. Verum quidem est, luxum post tempora Constantini M. Ecclesiam occupasse; sed id exinde factum est, quod Christiani ab omnibus persecutionibus immunes quietissimam vitam vixerint: Ubi enim mortales omnibus abundant bonis, nec ullis miseriis molestiisve exponuntur, individuo nexu luxus aut superbia sequi solet. Exempla possent infinita tam ex sacris quam ex profanis historiis adferii, si chartæ angustia permitteret. Quod autem ipsemet Constantinus M. luxum, superbiam, immo totum mundum in Ecclesiam introduxerit, est purum putum figmentum, nec ex ullo historico fide digno ostendi potest. Non equidem negamus, Constantinum M. ut ceteros homines sua habuisse vitia, ipsumque circa cœdem Crispi aliorumque non adeo prudenter sese gessisse; sed eum fuisse tyrannum plane crudelissimum, & ne nomine quidem Christiano dignum, Zvvickerus non tam ex amore, quam odio veritatis scripsit. *Neque unus vel alter actus Tyrannicus efficit principem Tyrannum, modo tyrannice non agat, id est, non semper & pro more sua crudeliter imperet, & in subditos ultra humanitatis officium sæviat*, uti recte judicat Dn. D. Daniel Clasenius *lib. 2. polit. cap. 6. num.* 10.

XII. Velamen capitis, quod magnus Dux Moscoviæ habet, Sigismundus ab Herberstein *in Comment. rerum Moscovit.* hunc in modum depingit: *Pileus ipsorum lingua Schapka dictus, quo VVolodimerus Monomach usus est, & quem gemmis ornatum, aureis item laminis, quasi quibusdam spirulis subinde se vibrantibus, mire concinnatum reliquit*. Et Adam Olearius *lib. 1. Itiner. Pers. cap. 7. pag.* 33. Die Krone / so der Grossfürst in Moscau Namens Michael Fedrowiz getragen / war über einer schwarzen Zobeln Müke und mit Diamanten versetzet. Apud Hebræos reges & principes recens creati velabantur. Schebhæt Jehuda, uti eum laudat vir Cl. Joh. Saubertus *de sacrific. cap. 12. pag.* 176. Wann der Naschi gehet / da ist sein Panim verdecket mit einem seiden Tuch / dass man ihm das Panim nicht sihet / & post paullo: alsdann bringen sie den Naschi aller öberst auf den Mighdal und sein Panim ist verdecket. Iidem reges gestabant diademata aut coronas, ceu ex multis scripturæ locis patet; sic legimus (2. *Samuel.* 12. 13.) Davidem diadema regi Ammonitarum ereptum sibi imposuisse, quod fuerat pondo auri talentum. Dicis, immane pondus, cui ferendo caput Davidis par non erat. At quamvis משקל proprie pondus significet, hoc loco tamen pro valore pretiove sumi potest. Neque enim ex auro tantum corona constabat, sed ex gemmis, quæ ad pondus auri non exiguntur. Proinde τὸ שקל Græci quandoque vertunt τίειν, τιμᾷν &c. *solvere æstimare*; Latine quoque *pendere*, *impendere*, *rependere*, *compensare*, *dispensare* &c. Vel si hæc interpretatio non placet, adi Synopsin Bibliorum Criticorum (*pag.* 320.) ubi plures expositiones super h. l. repperies, ut & Dn. D. Abrahamum Calovium *in Bibliis illustratis*.

XIII. De cetero, quando reges Hebræorum judicare solebant, præter sceptrum purpuramque diadema in capitibus gestabant. Hæc conjicio ex Philone *in Flaccum*, ubi de Ægyptiis, qui ut Agrippæ, Judæorum regi, illuderent, Carabam stultum quendam hominem, regio cultu habituve ornatum jus dicere coegerunt: *Capiti*, inquit, *diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori floream induunt, pro sceptro frustum arundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis insigniis & in regem transformatum more histrionico adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio: tum alii salutatum accedebant; alii sibi reddi jura petebant: alii consulebant eum de rep. &c.* Quam conjecturam stabilire videtur Propheta Ezechiel *c.* 11. 26. 27. ubi Regem Sedechiam jubet diadema de capite ponere, & quidem hanc ob caussam, quod iniquus est judex, & promittitur judici æquiori. Ad hanc veterem judicii consuetudinem respexit Jobus *cap.* 29. 14. dum ait: צדק לבשתי וילבשני כמעיל וצניף משפטי: *justitiam indui, & (illa) induit me: sicut pallium & cidarim (indui) Judicium meum*. Facit enim mentionem pallii & Cidaris, quæ vestes ab ipso judice usurpabantur; quasi dicat: *quando in forum perrecturus indui corpori pallium & capiti Cidarim imposui; non minus arcte animum meum proposito exercendi judicii induit, & ipsa sede judiciali pertinaciter tenui*; ut accuratissime, more solito, hunc locum exponit celebratissimus Theologus Argentoratensis D. Sebastianus Schmidius *Comment. in Jobum*.

Nam

Nam Jobum regulum fuiſſe & cauſſas pro tribunali cognoviſſe, tum ea, quæ hoc loco dixit, confirmant, tum Autores quidam ex cap. XIX. 9. conjiciunt; quamquam Mercerus aliique contrariam foveant ſententiam. Confer laudatum Schmidium *Comment. in Job. cap.* 19. 9. & Martinum de Roa. *Sing. cap.* 7. *pag.* 280.

XIV. Significabat autem Cidaris cum veſte purpurea clementiam cum ſeveritate, juſtitiam cum miſericordia copulatam. Quam adeo ſollemne fuit priſcis oſtentare in judicando, ut in capitis etiam cauſſis, in quibus pene nullus clementiæ locus, eam præſeferre voluerint. Hinc illa mutatio veſtis, hinc veli ante judicaturos obductio: hinc illi ad mœrorem compoſiti vultus & miſericordiæ ſimulatio; hinc denique neceſſitatis ſignificatio non ſolum in vultu, ſed etiam in verbis, quorum acerbitatem ſtudioſe cavebant. De velaminibus inferiorum magiſtratuum præ ceteris legi merentur C. Paſchalius *de coronis paſſim*, Solerius *de pileo pag.* 196. *ſeqq.* aliique. Nobis ad alia properandum eſt.

CAPUT IV.

De Velaminibus capitis hominum Sacrorum.

מצנפת non eſt ſolius Pontificis Maximi geſtamen, diſcrimen inter Pontificis maximi & Sacerdotum gregalium tiaras. Sacerdotum Hebræorum tiara ex Joſepho depingitur. Joſephus emendatur. Pontificis apud Judæos corona triplex. Baronius, Ribera & Cornelius a Lapide refutantur. Petrus non triplici corona fuit uſus, de lamina & inſcriptione divini nominis. Cur Sacerdotes in Vet. Teſt. capita velare debuerint: gentilium Sacerdotum velamen capitis. Locus Geneſ. 35. 4. *expenditur, error Paſchalii, quale velamen capitis habuerint Perſarum & Romanorum Sacerdotes. Pontificis Romani triplex corona, ejus origo, ſignificatus. Sacerdotum Ruſſorum velamen. Cardinalium galerus rubor, ejus origo, ſignificatus. Epiſcoporum Pontificiorum tegmen capitis forma, ſignificationes.*

I. SEquuntur jam velamina hominum Sacrorum; quæ pro diverſitate perſonarum variant. E quibus capitis velamen, quod Pontifex Maximus apud Judæos uſurpabat, præcipue eminet. Dicitur Hebraice מצנפת, quam vocem reddunt *Tiaram* Chaldæus, Syrus, Tirinus. *Cidarim* Emanuel Sa, Arabs, Aquila, Theodotion, Piſcator, Arias Montanus, Junius & Tremellius, *vittam*, LXX. interpretes, Munſterus. Sunt qui contendunt, מצנפת ſolius Sacerdotis Magni geſtamen fuiſſe, at hoc diſerte negatur in Joma: *cap.* 7. *num.* 5. *pag.* 167. verba ſunt hæc הכהן גדול משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבעה בכתונת ומכנסים ומצנפת ואבנט: *Sacerdos magnus in octo veſtibus miniſtraverit; gregarius quatuor, in tunica & femoralibus & tiara & baltheo.* Hic ſane exſertim Sacerdoti gregario מצנפת ſive tiara tribuitur, vide Robertum Sheringhamium, *Comm. in Cod. Joma p.* 173.

II. Non tamen ſimpliciter negamus, Pontificis Maximi tiaram a reliquorum Sacerdotum tiaris diſcrepaſſe: Maimonides faſcias quaſdam ait Pontificis capiti ita circumdatas fuiſſe, quemadmodum membrum contritum aut fractum obvolvitur; e diverſo Sacerdotum pileos velut galeas fuiſſe; unde & מגבעות dici eos, quod inſtar collium exſurgerent. Ab hoc diſſentit Rabbi Abraham Ben David, cujus השגות animadverſiones exſtant in Maimonidem; ait enim, pileos quidem Sacerdotales quaſi galeas fuiſſe. At Pontificum infulas longe altiores extitiſſe, faſciis in orbem ſic circumactis, ut ſunt hodie Arabum tiaræ; ita diverſas horum Autorum ſententias profert vir doctiſſimus Petrus Cunæus *de Rep. Hebr. lib.* 3. *c.* 2. quicquid ſit, hoc tamen certum eſſe opinamur, fuiſſe diſcrimen inter Pontificis maximi & Sacerdotum gregalium tiaras; utraſque autem interdum uno nomine מצנפת vocatas eſſe.

III. Flavius Joſephus, clariſſimus rerum Judaicarum Scriptor, tiaram ſuæ gentis Sacerdotum ita deſcribit: (*lib.* 3. *Antiq. Jud. cap.* VIII.) ὑπὲρ κεφαλῆς φορεῖ πῖλον ἄκωνον οὐ δικνούμενον εἰς πᾶσαν αὐτήν, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ὀλίγον ὑπερβεβηκότα μέσης, καλεῖται μὲν μασναεμφθής. τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτός ἐστιν, ὡς στεφάνη δοκεῖν πεποιημένη παχεῖα. καὶ γὰρ ἐπιπτυασσόμενον ῥάπτεται πολλάκις. ἔπειτα σινδὼν ἄνωθεν αὐτὸν ἐκπεριέρχεται διήκουσα μέχρι μετώπου (MS. Cæſareus & epitome Busbequiana μέχρι τῶν ἄνω) τὴν τεραφὴν τῆς ταινίας καὶ τὸ ἀπ᾽ αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτουσα καὶ ὅλῳ δὲ τῷ ἀρανίῳ γιγνομένη ἐπίπεδον: Ἥρμοσται δὲ ἀκριβῶς, ὡς ἂν μὴ περιῤῥυῇ ποιοῦντος περὶ τὴν ἱερουργίαν. Quæ Gelenius ita vertit. *Super caput geſtat pileum non faſtigiatum, neque totum caput comprehendentem, ſed paullo pluſquam medium, hic vocatur* maſnæmphthes. *Eſt autem tali apparatu, ut videatur vitta linea ſæpe in orbem replicata & conſuta, quam ſuperne alia tela integit uſque ad frontem deſcendens & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur accurate, ne inter ſacrificandum delaba-*

batur. In editione Basileensi & Geleniana corrupte legitur μασναεμφθὴς, quum sit legendum μασνεφθὴς vel μισνεφθὴς. Ad quam lectionem propius accedunt epitome Busbequiana (quam una cum aliis Codd. Magnus Bosius a V. Cl. Lambecio ex Bibliotheca Cæsarea nactus fuerat) μασναίφθες; & Codex Latinus Noribergensis, in quo exstat *masnephtis*. In MS. Codice Latino Lipsiensi legitur *masnaemphtis*, in Vindobonensi vero, *masnemphtis*. Sed perperam. Josephus tegmen Pontificis accuratius depicturus ait, (*l. c.*) πῖλος δὲ ἦν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως, εἰργασμένος τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν. ὑπὲρ αὐτὸν δὲ συνερραμμένος (Cod. Cæsareus & Epitome Busbequiana ὑπ' αὐτὸν δὲ συνερραμμένος) ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος, περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος ἐπὶ τρισοιχίαν κεχαλκευμένος. θάλλει δ' ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος. *Pileo, quali ceteri Sacerdotes, utebatur, super quem exstabat alius consutilis ex hyacintho variatus, hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectantur calyculi aurei*. Et post paullo: ὁ δὲ κάλυξ μεγέθους ἐστὶ σκυταλίδος τοῦ μικροῦ δακτύλου, κρατῆρι δ' ὀμφερὴς τὴν περιγραφήν; *calyculus autem est quantus articulus minimi digiti circumferentiam habens crateri similem*. Et mox: ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται, ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων. τὸ δὲ μέτωπον ἡ μὲν ἐφιελὶς οὐκ ἔπεισι. λεγέσθω γὰρ οὕτως ὁ κάλυξ. τελάμων δ' ἐστὶ χρύσεος, ὃς ἱεροῖς γράμμασι τοῦ Θεοῦ τὴν προσηγορίαν ἐπιτετμημένος ἐστι. Gelenius reddit: *Ejusmodi corona ab occipitio circum tempora utraque procedebat: nam frontem isti calyculi non ambiebant: sed ceu lorum quoddam latum aureum quod sacris characteribus* Dei *nomen incisum habebat*. Hæc Josephus.

IV. Ex quibus patet, Pontificis maximi tiaram tres habuisse coronas. Ambigit heic quidem Rivetus (*in Ex. cap.* 28. *pag.* 209.) utrum Josephus vera prodiderit. Sed mox sententiam mutat. Et sane non videmus caussam, ob quam Josepho hac in re fidem adimere debeamus. Quum enim Josephus ipsemet Sacerdos fuerit, suisque oculis non semel Pontificem maximum viderit; quis vellet credere, eum heic falsa scripsisse? Fatemur equidem Philonem triplicis coronæ nullam injicere mentionem, caussam hujus silentii ignoramus. Si tamen aliquid conjiciendum est, videtur, in templo primo Pontificis maximi tiaram illas tres coronas non habuisse, sed demum in templo secundo fuisse additas; quod forte ideo factum est, quod Hyrcanus aliique ex sacerdotali genere ad fastigium regiæ potestatis accesserint. In hac triplici corona mirifice sibi placent Baronius *tom.* 1. *Ann.* Ribera *lib.* 3. *de templo cap.* 14. *p.* 233. & Cornelius a Lapide *in Ex. pag.* 582. nec quod pueri in faba repperisse se arbitrantur, nam exinde deducunt, hoc insigne Pontificis Maximi V. T. triplicem Papæ coronam significasse. Sed unde his hominibus constat, hanc triplicem coronam Papæ insignia indicasse? tacet Scriptura Sacra, tacent Prophetæ, tacent Apostoli. Quid? annon, fatente ipso Saliano, *tom.* 2. *Annal. Eccles. ad annum* hæc triplex tiara vel a Josepho, vel ab antiquioribus præter scripturæ autoritatem introducta dicitur. Quod si ergo non divina institutio fuit, sed humana, quomodo potuit esse typus earum rerum, quæ in N. T. fieri debuerant? Hæc videns Ribera, mutata sententia, ait: *loc. cit. Petrum Apostolum instinctu Spiritus Sanctus triplici tiara seu corona usum fuisse*: At, mi Ribera, hoc est merum tuum figmentum. De eo nihil tradit neque scriptura neque historia Ecclesiastica. Quod si ita fingere licet, quæ quæso commenta non possent excogitari? Petrus sane non tam corona triplici, quam cruce fuit delectatus.

V. Tiaræ fuit imposita lamina ex auro puro facta, quæ duos digitos lata erat, frontemque ad aures usque cinxit; ita Salomon Jarchi: ציץ כמין טס של זהב היה רוחב ב' אצבו' מקיף על המצח מאוזן לאוזן: Exodi *cap.* 39. 30. vocatur נזר הקדש: *corona sancta*, aut forsitan magis proprie dixeris *corollarium sanctum*; Latini enim ejusmodi laminas non coronas, sed corollaria nominarunt, uti monet Robertus Sheringhamius *Joma pag.* 179. & adfert locum ex Plinio *lib.* 21. *H. N. cap.* 2. *paullatimque & Romæ subrepsit appellatio corollis inter initia propter gracilitatem nominatis; mox & corollariis postquam e lamina ærea tenui inaurata, nec inargentata dabantur*. Nec dubitat Sheringhamius *loc. cit.* quin ad imitationem Pontificis Hebræi gentilium Sacerdotes sacrificaturi coronas capite gestaverint. Ei adsentitur Tertullianus *lib.* 15. *ipsæ*, inquiens, *denique fores, ipsæ hostiæ & aræ, ipsi ministri & Sacerdotes eorum* i. e. gentilium *coronantur*: confer C. Paschalium, *lib.* 4. *de coronis cap.* 14. *pag.* 244. & 245.

VI. Laminæ inscriptum erat קדש ליהוה *Sanctum Domino*, ceu id haud obscure patet Exodi *cap.* 28. 30. & sic etiam LXX. interppret. vulgatum & Autorem Sapientiæ; illos ἁγίασμα κυρίου; istum *Sanctum Domino*; hunc μεγαλοσύνην vertendo, sensisse constat, calculum suum libenter adjiciunt Rungius *in Ex. pag.* 959. Balduinus *Part.* 1. *Pass. Typ. pag.* 15. Gerhardus *Tom.* 3. *Loc.* 16. *cap.* 1. *sect.* 1. §. 9. Ri-

Rivetus *in Ex. pag.* 209. Buxtorfius *in Lex. Talmud. pag.* 1907. aliique; quamquam nonnulli Hebræi solum nomen τετραγράμματον in lamina scriptum fuisse volunt. Disputant heic, utrum hæc duo vocabula in una continua linea; an disjunctim apparuerint, ita ut una vox alii fuerit superimposita. Rivetus *loc. cit.* probabile putat fuisse in una linea scriptas voces hasce duas, prout habentur in textu. Nos heic quemlibet suo abundare sensu permittimus.

VII. Hoc velamine, ut volunt, Sacerdotes admonebantur, se omnes capitis sensus *Deo* consecratos habere, ut ait Beda *cap.* 8. *ne vel oculis viderent vanitatem, vel aures audirent opprobrium adversus proximum suum, vel os abundaret malitia & lingua concinnaret dolum.* Et quia recta ratio præcipuam sedem in capite habet, sacerdotibus quoque tacite indicabatur, ne de rebus divinis pro arbitrio dissererent, sed ut caput byssina vitta velarent, i. e. ut intellectum captivarent sub obsequium fidei. Quod monitum si observarent mortales, non tot hæreses sectæque in Ecclesia exsurgerent, non tot rixæ contentionesve coorirentur. Alias mysticas significationes reperies ap. Franciscum Riberam, *lib.* 3. *de templo c.* 14. *pag.* 232.

VIII. Sacerdotes quoque gentilium vel vitta operiebantur, vide Lipsum *c.* 12. *de Vest.* C. Paschalium *lib.* 10. *de coronis cap.* 14. & Joh. Saubertum *de sacrificiis cap.* 10. *pag.* 216. vel corona ornabantur ex ea ratione, quia sanctimoniam res coronis indicabant, conf. Saubertum *loc. cit.* vel cidarim seu tiaram regum orientis more gestabant, ut liquet ex Luciano *de Dea Syria*, qui autor est, urbis sacræ in Syria Pontifici ac soli quidem concessum fuisse, purpuram & auream tiaram gestare, posteaquam videlicet Sacerdotales coronæ contemtim haberi cœptæ sint, quibus Patres, præcipue Tertullianum infensum fuisse legimus. Andreas Balensis, referente Petro Nannio *in notis ad S. Ambrosii expositiones in Ex.* conjicit, inaures, quas Patriarcha Jacob una cum idolis in terram infoderat, non vulgares inaures fuisse, sed tegmen seu velamen capitis Sacerdotum in cultu idolorum aures tegens, quales fuerint infulæ apud Romanos. Hoc displicet Anselmo Solerio *de pileo pag.* 242. Nos opinamur, inaures illas fuisse insignia alicujus superstitionis, dicata alicui fictitio Numini, qui mos olim per Syros Phœnices in Africam pervenit. Unde D. Augustinus; *in Gen.* 35. 4. *inaures non ad placandum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibentur.* Et erant in illis notæ quædam siderales, quæ σφραγῖδες vocabantur. Tales quoque annuli ad mira perpetranda adhibebantur; partim valere crediti dæmonibus pellendis; partim contra morbos; vide Synopsin Bibliorum Criticorum *in Gen.* 35. 4. Lapsus autem est C. Paschalius *lib.* 10. *de coronis cap.* 2. cum ex his Virgilii verbis:

— *Sacerque tiaras.*

ostendere conatur, Martis Sacerdotem gestasse tiaram: nam Virgilius non loquitur de Marte Sacerdote, sed de Priamo, uti cuilibet inspicienti ad oculum patebit. Sacerdotes Persarum usurpabant tiaras πιλωτὰς καθηκύας ἑκατέρωθεν i. e. *filtraceas infulas ex utraque parte dependentes*, teste Strabone *lib.* 15. Romani Sacerdotes triplex capitis velamen habuerunt, apicem, tutulum & galerum; de quibus vide Solerium *de pileo pag.* 146. C. Paschalium *lib.* 4. *de coronis cap.* 15. *pag.* 253. 621. *pag.* 273. Rosinum *lib.* 3. *Antiqq. Rom. cap.* 15. aliosque. Quod si Sacerdotum gentilium insignia, vittam scilicet infulam, & coronam quis ruperit, res mali ominis habebatur. Adi Paschalium *lib.* 4. *de coronis cap.* 14.

IX. Pontifices Romani non una contenti sunt corona, sed triplex in eorum capitibus conspicitur. Quinam eam invenerit, inter Scriptores non convenit. Ribera, ut supra vidimus, putat, Apostolum Petrum instinctu Spiritus Sanctus ejus autorem fuisse. Alii arbitrantur, hoc capitis velamen esse adscribendum Bonifacio VIII. nonnulli longius progressi ejus originem arcessunt a Paullo II. Si quid heic pronunciandum est, autumamus, hoc Papæ insigne diu post Christi nativitatem in usu esse cœpisse. Nam posteaquam Pontificum potestas paullatim crevit, & Imperatores Romano-Germanici triplici corona usi fuerant, videntur Pontifices ad ipsorum imitationem idem fecisse, vel ut aliquod jus, licet fictitium, in tria regna, Romanum, Germanicum & Longobardicum prætenderent; vel ut dominium in tres mundi partes Asiam, Africam, Europam habere se imaginarentur; aut ut potestatem suam in cœlum, terram & infernum jactarent. C. Paschalius admodum operosus est in triplici hac corona exponenda; de qua ut pluribus agamus, non necessum esse arbitramur, quum jamdudum hoc de argumento complurimi Scriptores disquisiverint.

X. Quali velamine utantur Russorum Patriarchæ & ceteri Sacerdotes, refert Adam Olearius *lib.* 3. *Itiner. Pers. cap.* 28.

28. *pag.* 303. 304. Verba quoniam adnotamento digna ſunt, ſubjungere minime piget. Auf dem Kopff tragen die Patriarchen/ Metropoliten/ E*k*/ und Biſchöffe/ wie auch Münche Schwar*k*e Tauben bey drey Ellen weit/ welche in der Mitte eine harte runde Platte als einen groſſen Teller/ und hinten am Kopff herunter hangend haben. Et paullo poſt: in der veſtitur wird dein Popa oder Prieſter ein tuchen Mützgen Skyffia genant (ſo gleich unſern Calotten plat an der Haut lieget) aufgeſe*k*et. Diß Mützgen nehmen ſie des Tages über niemals ab/ es wäre dann das ſie den Kopff ſcheren müſſen. Es iſt ein Heilig Bannet und hat gros recht/ wer einen Popen ſchläget/ und trifft ihn auff das Mützgen/ oder machet daß es ihm auff die Erde fält/ der iſt in groſſe Straff verfallen/ und muß ihm die Biszeſtil bezahlen; aber daher bekommen die Popen nicht deſto mindere ſchläge/ weil ſie gemeiniglich verſoffeiter/ unnü*k*er ſeind/ als andere Leute. Dann weil das heilig Mützgen muß geſchonet seyn/ nimpt mans zuvor ab/ ſchläget den Popen wol ab/ und ſe*k*t ihm wieder fein auf/ darvon wird hernach nicht ſo gros Wunder gemachet. In tanto honore habentur Ruſſorum Sacerdotes! Feſto Palmarum eorum Patriarcha gerit velamen album corona gemmiſque diſtinctum; ſic enim Olearius: *lib.* 2. *Itiner. Perſ. pagin.* 133. am Palmtag träget der Patriach einen mit ſegr groſſen Perlen beſe*k*ten weiſſen runde Mützgen und eine Crone. Cidaris uſus olim ad Eccleſiæ Antiſtites translatus, ac eadem inter Epiſcoporum Orientis inſignia vulgo recepta eſt; cujus rei teſtis eſt Gregorius Nazianzenus, *Orat.* v. *pag.* 136. *χρίεις*, inquit, *τὸν ἀρχιερέα καὶ περιβάλλεις τὸν ποδήρη καὶ περιτίθης τὴν κίδαριν*; *idcirco Pontificem ungis, ac podere cingis capitique cidarim imponis*. Album quoque velamen fuiſſe inſigne Epiſcopalis & paſtoritiæ curæ, non dubitat C. Paſchalius, *lib.* 9. *de coronis cap.* 27. *pag.* 664.

XI. Cardinales, Eccleſiæ Pontificiæ columnæ, in pileis & galeris rubris cernuntur, quos primitus indultos fuiſſe ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi anno 1244. vel anno 1245. (ut Spondanus in Breviario vult) tradunt Papirius Maſſonus *lib.* 5. *de vit. Pontif.* & Onuphrius, *lib.* 3. *de Pontif.* v. totius Germaniæ decus Conringium. *diſſert.* 4. *de Antiq. Acad. pag.* 136. 159. 160. Non deſunt tamen, qui multo antiquiorem pilei rubri uſum contendant, & initio omnibus Epiſcopis fuiſſe communem affirment; quorum in numero eſt Eraſmus *lib.* 3. *de ratione concionandi*. Sed hos refellit Solerius *de pileo S.* 13. *pagin.* 277. Hic pileus ruber autem ideo Cardinalibus a Papa fuit conceſſus, ut omnes, qui in illum ordinem legerentur, parati eſſent pro libertate Eccleſiaſtica propriam, neceſſitate poſtulante, vitam exponere morti, uti narrat Onuphrius *loc. c.* quem ſequitur Solerius. *loc. cit. pag.* 282. Quamquam hic alias ſignificationes adferat, quæ apud eum videri poſſunt.

XII. Epiſcopis apud Pontificios peculiare capitis velamen eſt viridis galerus & mitra. Mitra eſt bicornis & patulo curvamine ſuperne hians, nec plane abſimilis pileo cornuto priſcorum Sacerdotum ethnicorum, de quo vide C. Paſchaſium *lib.* 4. *de coronis cap.* 23. *pag.* 274. Ejus uſum eſſe in Eccleſia perantiquum cenſet Solerius, *de pileo pag.* 292. quamvis recentius ſit, ut auro gemmiſque exornetur, quod non ante annos ſexcentos accidiſſe ſcribit Onuphrius *lib. de vocibus Eccleſiaſt. obſcurioribus*. Cur autem hæc mitra Epiſcopalis duo habeat cornua, non adeo liquet. Petrus Gregorius *l.* 15. *Syntagm. cap.* 12. ait, ſignificari ſcientiam tam V. quam N. Teſtamenti C. Paſchalius *loc. cit.* putat, denotari duas dotes, Epiſcopis convenientes, ſcientiam & ſanctitatem.

CAPUT V.

De Velaminibus capitis, quæ certo duntaxat tempore adhiberi ſolent.

Hebræi in ſacris faciendis capita velant, aliquot cauſſæ hujus ritus adferuntur. Eccleſiarum Lutheranarum conſuetudo in orando. Moyſis velamen, duo loca Exodi 35. 33. *ſeqq.* & 1. *Cor.* 3. 13. *ſeqq. colluſtrantur. Romani itidem in Sacris velato erant capite, cauſſæ velatio unde orta, quibuſdam diis ſe non velabant. Saturni ſive Crodonis effigies apud Germanos capite nudo & cur? Schedius notatur. Chriſtiani quando in Sacris nuda habent capita. Papæ Privilegium. Armeniorum conſuetudo. Chriſtianorum denudatio capitis ad recitationem Evangelii. Græci quoque in ſacris nudata habebant capita. Stuckius notatur. Sinenſium mos, infantum baptizatorum capitis velamen olim quale, quamdiu duravit. Velamen capitis Doctorum & Magiſtrorum, origo, forma, color, velamen capitis tempore luctus apud Judæos. Piſcator, Emanuel Sa aliique refelluntur, formulæ Scripturæ explicantur, dubium ſolvitur, verbum* פרע *quid notet, velaminis etiam particeps fit barba,* שפם *quid, vaticinium Eſ.* 25. 7. *illuſtratur.*

Ro-

Romanorum filii itidem tempore luctus capita velant, caussa. Hodiernorum Germanorum mos tempore luctus. Supplicum capitis velamen quale. Qui ultimo supplicio afficiendi sunt velabantur, ratio adfertur, intrantium lupanaria capitis velamen. Christiani hodierni taxantur. Mortuorum capitis velamen. Christi sudarium, dissertatio finitur.

I. INter velamina capitis, quæ certo tempore adhiberi solebant, primo loco occurrit velamen in sacris faciendis. Hebræos in sacris capita obvelasse certo certius est, idque ab eis Turcas habuisse scribit Georgevitz *lib. 1. de cerimoniis Turcicis cap. 1.* De Hebræis fusius id prosequitur Abulensis *in cap. 13. Levit.* & putat, eos fecisse ex imitatione Moysis, qui non audebat Dominum in ignito rubo latitantem, aspicere, & propterea faciem obvelabat. Id quod imitabatur etiam Elias faciem suam adoperiens pallio suo prophetico piloso. *1. R. 19. 13.* Immo hodierni Judæi cottidie ad vesperam in Synagoga oratum venientes, velant faciem, capite in sinistrum latus propendentes, nimirum ne alter alterius audiat forte confessionem, uti narrat celebris Buxtorfius, *cap. 8. Synag. Jud. pag. 204.* Sunt tamen aliæ causæ, cur Hebræi capita in sacris faciendis velaverint. Nam reperiuntur, qui hunc ritum ad reverentiam ac veluti verecundiam comparendi coram *Deo* reducant. Nec adeo male: qui enim verecundantur, faciem & caput operire solitant. Sic pueris hoc quasi natura est inditum, ut arte, qua possunt, vultum abscondant, cum plorant, eundem demittendo, avertendo, palmis tegendo. Sic quando pudicæ virgines aliquid obscœnum vident, manibus faciem tegunt. Sic Socrates apud Platonem *in Phædro* ad parum pudicam orationem caput operit, quem locum notavit Antonius Julianus Rhetor apud Aulum Gellium, *lib. 19. cap. 9.* quique resupinus, capite convelato, voce admodum quam suavi versus cecinit Valerii Æditui veteris Poetæ; item Sortii Licinii & Quinti Catulli, quibus mundius venustius, limatius, pressius nihil quicquam reperiri putat Aulus Gellius. Quin in ipsa Scriptura Sacra legimus, Cherubim suam faciem velasse, *Es. 6. 2.* ut videlicet suam in ordine ad *Deum* imperfectionem & metum cum debita reverentia conjunctum indicarent; uti hunc locum Patres & alii interpretes communiter exponunt. Pari modo quando Hebræi in templis capita velabant, tacite subinnuere voluere, se *Deum* non perfecto amore prosequi, sed multis infirmitatibus adhuc laborare. Quamvis dicere possimus, fuisse etiam signum subjectionis, quod Hebræi caput obvelaverint; ceu patet ex *1. Cor. XI. 10.* quo de loco in alia dissertatione fusius agemus. Atque exinde Ecclesiarum nostrarum consuetudo deducta esse videtur, qua precaturi viri pileo suam contegere solent faciem; feminæ autem in templis assidentes eandem ad genua declinare: qui ritus tamen etiam ob hanc caussam est introductus, ne devotio per occursantia sensibus objecta externa turbetur, neve gestus inter orandum in vultu suborti & videri & rideri a profanis queant, uti bene loquitur Summus Theologus Martinus Gejerus *de luctu Heb. p. 250. c. 11.*

II. Velamen illud, quo Moyses faciem suam operire solebat, considerationem meretur. Legimus enim in Exodo, *cap. 35. 33. seqq.* Moysem ex monte Sinai reversum, ignorasse faciem suam splendere; populum vero ejus splendorem oculis aspicere nequivisse. Moysem igitur velamen super faciem posuisse, quotiens cum populo loqui voluerit. Illud autem rursum deposuisse, quando cum *Deo* fuerit locutus. Putant equidem Menochius, & Cornelius a Lapide, Moysem primo locutum esse facie non velata ob majestatem, reverentiam & testimonium legis, deinde velum injecisse, ut liberius cum populo loqueretur. Multi interpretes verba hunc in modum vertunt: *Moyses non posuit velamen, nisi postquam absolvisset loqui.* Sed minus recte. Nam quid opus fuisset velamine, si orationem suam finiverat? unde potius cum iis facimus, qui dicunt, Moysem vultum suum ante sermonem cum populo habendum obvelasse: ut proinde verba Hebræa sic sint reddenda; *& posuit velamen super faciem suam, & tunc complevit loqui cum iis.* Hunc sensum agnoscit Lipomannus; *Consummavit*, inquiens, *Moyses loqui ad populum, quæcunque eis Dominus promulganda promiserat, semper interim obtectam habens faciem suam præ splendore vultus, quem intueri non poterant. Interim Dominum allocuturus deponebat velamen.* Ad quod velamen respexit D. Paulus, dum ait: *2. Cor. 3. 14.* ἄχει τῆς σήμερον τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει, μὴ ἀνακαλυπτόμενον (ὅτι ἐν Χριστῷ καταργεῖται) ἀλλ' ἕως σήμερον, ἡνίκα ἀναγινώσκεται Μωϋσῆς, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν κεῖται. *Usque hodie, id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quod in Christo evacuatur) sed usque hodie cum legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est.* Quo loco non intelligitur obscuritas librorum legis

gis & prophetarum, ut quidam volunt, ſed mentis hebetudo, quam parit affectio carnalis ac terrena, qua videlicet mens impeditur, ne veritati, quam Scripturæ tradunt, acquieſcat, quod eſt nihil aliud, quam nolle credere. Nam quod obſcuritas legis ac prophetarum non ſit velamen ab Apoſtolo intellectum, ex eo liquet, quod illa obſcuritate manente, & non oblata, complusculi crediderunt. Videatur Doctiſſimus Guil. Eſtius *in h. l. pag.* 454. Pergit autem Apoſtolus: Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιςρέψῃ πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα; *cum autem converſus fuerit ad dominum, circum aufert velamen*. Non male heic ſentire videntur, qui illud ἐπιςρέψῃ *converſus fuerit* ad Moyſem referunt, ut hoc loco novum myſterium in ejus perſona præfiguratum nobis ob oculos ponatur, ita ut ſicuti velata Moyſis facies gentem Judaicam, in infidelitate pertinaciter permanentem, ſignificaverit: ita idem Moyſes, velamen removens, indicaret eos, qui ex eadem gente tempore N. T. convertendi eſſent. Sed Eſtio Paulus non videtur agere de converſione Judæorum ad Deum, aut de Moyſe eorum converſionem ſignificante, ſed potius de Moyſe præfigurante populum Chriſtianum, & vult, Apoſtoli ſententiam eſſe hanc. Quemadmodum Moyſes faciem velatus ſignificavit populum veterem *Deo* contrarium, & cor habentem obſcuratum: ita idem Moyſes, retectam habens faciem, typum geſſit populi Chriſtiani ad *Deum* converſi, & revelata facie cordis myſteria contemplantis. Quæ poſtrema expoſitio vero quam maxime conſentanea eſt.

III. Sicuti autem Hebræi in ſacris faciendis capita habebant velata: ita & Gentiles idem feciſſe legimus. Curculio paraſitus apud Plautum: *Quis hic eſt, qui operto capite Æſculapium ſalutat*; & alibi Plautus: *Invocat* Deos *immortales, ut ſibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto*. De Romanis teſtis eſt Plutarchus, *in quæſt. Rom.* Unde cum Vitellius Caligulam, ut *Deum*, adorare vellet, capite velato eum ſalutavit. Cujus rei plures adfert Plutarchus cauſas Prima eſt, ut mortales animi demiſſionem profiterentur, altera; ne vox mali ominis foras accideret, tertia; ut indicarent genium, qui in nobis eſt, Deorum, qui extra ſunt, ope indigere, iiſque ſupplicare, quarta; ut inter Sacra ſenſus ab omni obtutu ſecuri, ſoli rei divinæ vacarent. Nec aliter Virgilius 3. *Æneid.*

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.

Qua de cauſſa per præconem jubebantur, qui ſacris intererant, εὐφημεῖν *favere linguis*, & oraculum petituri tinnitu æris circumſonabantur. Et Ritus hic velandi ſe in ſacrificiis ab Ænea ortum traxit, ut nos edocet Origenes *Gent. Rom. c.* 11. *cum vereretur, ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret, itemque rem divinam interrumpere ſummum nefas duceret, caput velamento obduxiſſe, atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe, inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi*. Non autem exhibebatur hic honos Herculi; id quod ideo factum eſſe cenſet Macrobius, *lib.* 3. *Sat. cap.* 6. *ſub finem*, ne quis in æde *Dei* habitum ejus imitaretur: nam & ipſe operto erat capite. Neque opi, teſte Alexandro ab Alexandro: *lib.* 2. *cap.* 22. *ſub finem* neque veritati; quia veritas occuli obſcuratique non poteſt, ut ait Plutarchus: *in quæſt. Roman.* neque etiam Saturno. Hinc ille apud Germanos ſub Crodonis nomine in arce Haresburg. ad ſilvam Hercyniam civitatemque Goslarienſem colebatur imagine Senis, ſtantis in piſce Perſico, induſio amicti, lineo vinculo cincti, tenentis rotam ac urnam, nudis pedibus, capiteque nudo; ut eum depingit Cl. Saubertus, *de ſacrific. cap.* 12. *p.* 277. Elias Schedius *de Dis Germanis lib.* 4. *cap.* 2. putat, capitis nuditatem denotaſſe colendum *Deum* pectore puro, at eum recte taxat laudatus Saubertus: quum potius indicarunt, veritatem occultari non poſſe, cujus Saturnus parens ac *Deus* habebatur; vel quia Saturnus inter inferos terreſteſque *Deos* numerabatur; vel quia velandi capitis ritum tradidit Æneas. Saturni vero ſacrificium multo ſit vetuſtius. Adi, ſi placet, Plutarchum *problem.* 11. *cum notis Boxhornii* Joh. Henricum Urſinum *vol.* 1. *Anal. Sacr. pagin.* 39. Stuckium *de conviviis pag.* 69. Saubertum, *loco ante citato*.

IV. Hunc ritum velandi perſtringit D. Paulus & præcipit, ut viri inter Chriſtianos, preces ad *Deum* fuſuri, aperto ſint capite. Cui dicto plerique Chriſtianorum hodie ſunt audientes. Non enim facile cœtum Chriſtianum repperies, in quo viri orantes & ad ſacram cœnam accedentes capita non aperiant. Quod autem ad concionatores attinet, ibi aliqua differentia occurrit. In quibuſdam locis, ut v. gr. in dulciſſima mea patria Ulmenſi omnes, qui prælecto textu concionem ad populum ſunt habituri, capi-

ta tecta habent, ſive jam in officio Eccleſiaſtico verſentur; ſive minus. In aliis vero ditionibus junioribus, nondum ad dignitatem Eccleſiaſticam evectis, minime conceditur, ut velato capite concionentur. Apud Pontificios fere omnes præ reverentia capita nudant, Sacerdote miſſa celebrante, & ſi quis ex Lutheranis aut Calvinianis miſſæ celebrationi intereſt, neque pileum deponit, illum non adeo benignis oculis aſpiciunt, immo interdum verberibus excipiunt. Pontifex Romanus autem habet hoc privilegium, ut cum pileo miſſam adminiſtret, teſte Solerio *de pileo pag.* 38. Armenii autem heic aliam habent conſuetudinem, nam *eorum Epiſcopi ac Præpoſiti ne dum ſacris operando caput tectum habent; ſed & inter celebrandum duplex capitis operimentum aſſumunt; ſicque duplici pileo rem ſacram peragunt*, ut ait Iſaac *in* 2. *adverſus eos invectiva hæreſi* 25. Chriſtianis quoque jam olim ex uſu fuiſſe capita denudare ad recitationem Evangelii, Solerius *de pileo pag.* 39. prolixe ex Hildeberto demonſtravit. Immo cum Evangelia olim in veteri Eccleſia legerentur, fideles aſſurgere ſolebant. Hoc didici ex Philoſtorgio, ubi de Theophilo Indo ita ſcribit: *Inde* (ab Homeritis) *ad aliam Indiam profectus eſt, multaque quæ apud eos haud rite fiebant emendavit. Nam & ſedentes audiebant lectiones Evangelicas*. Qua de re non ita pridem fuſius Amicus quidam cariſſimus in Societate Diſquirentium diſſeruit. Uterque mos in Eccleſiis noſtris hodie obſervari ſolet.

V. Fuiſſe hunc quoque uſum conſuetudinemve Græcorum Ethnicorum, ut ſacrificarent aperto capite, refert ex Varrone Gyraldus *Syntagm.* 17. *hiſt. Deor.* id quod & Romanos ante Æneæ adventum feciſſe, ſupra ex Plutarcho vidimus. Unde neſcio, utrum Jo. Guilielmus Stuckius *lib.* 2. *Antiq. conviv. pag.* 230. recte culpet Demetrium Triclinium, qui in illud Pindari hymno Olympiorum συνκτὸς ὑπαίθειος ſic commentatur: διχα τινὸς ἐν κεφαλῆ καλύμματος. ἔτω γάρ ἦν ἔθος εὔχεσθαι. h. e. *ſine capitis operculo: ſic enim moris erat ſupplicare* ad quæ verba laudatus Stuckius: *ſalſum eſt, gentiles olim nudatis capitibus Deos ſupplicaſſe*. At Græcos & Romanos ante Æneæ adventum in ſacris faciundis nudata habuiſſe capita, paullo ante oſtendimus. Capita quoque aperire Sinenſium moribus nefas habetur, nec niſi ii, qui ad capitale ſupplicium trahuntur, capita aperire ſolent. Unde qui ex eis fidem Chriſtianam amplexi fuere, eo duntaxat tempore capita nudant, quo peccata coram Sacerdote fatentur & veniam delictorum petunt: volunt autem tacite indicare, ſe morte dignos eſſe. Nec ſuis Sacerdotibus permittuut, ut ſacram cœnam aperto adminiſtrent capite, & hoc privilegium nacti ſunt a Pontifice Paulo V. teſte Solerio *de pileo pag.* 44.

VI. Ceterum olim in Eccleſia hæc conſuetudo vigebat, ut infantum baptizatorum capitibus velamen imponeretur. Cujus conſuetudinis commeminit Rabanus *lib.* 1. *de Inſtit. Cleric. cap.* 29. & inſimul rationem ſubjicit; *tegitur*, inquit, baptizatus ſcilicet, *poſt ſacram unctionem, caput ejus myſtico velamine, ut intelligat, ſe diadematis & Sacerdotalis dignitatis portionem, juxta Apoſtolum; vos eſtis* (inquit) *genus Regale & Sacerdotale, offerentes vos met ipſos Deo hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem &c. Nam Sacerdotes in V. T. quodam myſtico velamine, caput ſemper ornabant*. Gemina ferme tradunt Ivo *Serm. de Sacramentis Neophytorum* & Guilielmus Durandus *lib.* 6. *Ration. cap.* 82. *num.* 15. Græci vero adhibebant hoc velamen eo conſilio, ut ſub innuerent, tutelam militi Chriſtiano in tam inſigni arce ac propugnaculo perquam neceſſariam eſſe; unde & illud *galeam* vocabant. Hoc colligimus ex Nicephoro, *lib.* 3. *H. E. cap.* 37. ubi deſcribit pueros imitantes ritum baptiſmi: *Lacinias veſtis lineæ dividentes in partes, ſimulacra amictus, qui in talibus uſurpantur, faciebant, & ſuper caput myſticam galeam præclare efformabant*. Huic velamini quidam Chriſtianorum filum rubrum inſeruere, ut docerent, aquam baptiſmi a ſanguine Chriſti rubram quaſi reddi, ut teſtatur Solerius *lib. de pileo pag.* 67. Et hoc capitis velamen recens baptizati per octo dies, æque ac candidam veſtem geſtabant. Hoc innuit Pſeudo Auguſtinus *Serm.* 160. *de temp. cap.* 2. *Hodie*, inquiens *octavæ dicuntur infantium: revelanda ſunt capita eorum, quod eſt indicium libertatis. Habet enim libertatem iſta ſpiritalis nativitas; proprie autem carnis nativitas ſervitutem*. Hic ritus per longum temporis intervallum in Eccleſia obſervabatur, quum ejus mentionem fecerit Ivo, qui ſub initium Seculi XII. floruit, ceu ſupra vidimus. Poſt illius tempora videtur deſiiſſe. Unde & apud Hugonem Victorinum, qui non ita multo poſt vixit, altum de eo eſt ſilentium; ut id obſervavit Solerius *l. c. pag.* 69.

VII. Qui hodie ad gradum Doctoralem ſive Magiſterialem admittuntur, peculiare capitis velamen habere videntur; cujus uſus pervetuſtus eſt. Non tamen an-

ante Innocentium IV. Papam purpureum galerum doctoralem extitisse, censet, vir rerum litterarumque peritissimus Conringius. *dissert.* 4. *de Academ. Antiq. pag.* 136. In quibusdam locis, illi, qui Doctores Theologiæ evadunt, galero nigro; JCti rubro; Medici vero & Philosophi violaceo aut cœruleo pileo ornantur. Quos diversos colores exponit Solerius *de pileo pag.* 206. 207. ait enim Doctorum Theologiæ pileum ideo esse nigrum, ut doceantur, se esse mundo mortuos, JCtorum pileum esse rubrum, propterea quod regibus & principibus terræ, quorum ornamentum sive insigne sit purpura, adsint. Medicis vero & Philosophis galerum violaceum aut cœruleum tribui, ut meneantur, oculos suos non declinare in terram. In inclita hac *Salana* in promotionibus Doctoralibus & Magisterialibus galerus non ejusdem coloris adhiberi solet. Donantur autem Doctores ideo pileo, ut discant, se ex libertate Scholastica eripi, & potestatem sive docendi, sive publica munia exercendi consequi. Forma pilei doctoralis non uno se modo habet; alibi rotunda; alibi quadrata forma in usu est. De qua re vide Solerium *l. c.* Optandum esset, ut nulli, qui ejuscemodi pileis condecorantur, vacuum Doctorum nomen præseferrent. At quam multi hodie reperiuntur, qui titulo Doctoris accepto, mirifice sibi placent, rati; se cunctos eruditione anteire, quum tamen eorum ruditatem etiam infimæ sortis homines deprehendere queant, ita ut prudentius facturi fuissent, si gradum Doctoralem non accepissent.

VIII. Quibus olim ingens calamitas contigit, illi non solum caput demittere, sed etiam involvere & tegere solitabant. Sive quia lugentibus lux gravis, gratæ sunt tenebræ. Sive quia se conspici & digito notari ægre ferunt. De Judæis est res notissima. De Davide hoc bis legimus. Quum enim, audita Absalonis molitione, urbem Jerosolymam deseruisset, & ad montem Olivarum pervenisset, ipse una cum populo, qui aderat, velato capite incedebat 2. *Sam.* 15. 30. Sic nuntiata Absalonis morte, iterarato caput velare sustinuit. 2. *Sam.* 19. 4. Ad quem locum diserte Kimchius: כי כן דרה האבלים להתעטף *quia sic moris erat lugentium, operire semetpsum.* Idem habet quoque R. Jeschaia ad h. l. Piscator, Emanuel Sa alique ex Ezechiele *cap.* 24. 16. *seqq.* ostendere conantur, lugentes Hebræos incedere consuevisse capite aperto & pulvere consperso. Verum quo pacto id ex Ezechielis loco evinci queat, non video, vox enim פאר non quamlibet promiscue tiaram designat, sed capitis ornamentum præcipue, sicut hoc tam ex origine, quam clara oppositione liquet Es. LXI. 3. Licet igitur lugentes ejuscemodi capitis ornamentum deposuerint, num exinde quæso sequitur, ipsos de novo non sollicitos fuisse velamine? minime gentinm. Præterea probe sunt tempora distinguenda. Non enim penitus inficias ire volumus, lugentes quandoque sub initium luctus caput violenter denudasse; sed tamen hoc etiam verum manebit, eosdem successu temporis id aliter altiusque involvisse. Immo & hoc largiri possumus, lugentes quandoque domi nudis sedisse capitibus, at opinamur, si in publicum prodeundum fuerat, ipsos sese peplis obtexisse. Hanc expositionem nobis suppeditavit, Dn. D. Geierus *de luctu Hebr. cap.* XI. *pag.* 258. Hinc illæ in Sacra Scriptura frequentes formulæ: *operuit ignominia, operuit confusio faciem; indui, operiri pudere,* & similia, quæ licet ad pudorem ipsum referantur, quo facies, veluti velamine operitur, explicari etiam apte possint in hunc modum: *operui faciem meam præ luctu & pudore.* Sic magnates Judæorum, ne aquam quidem pro levanda siti nanciscentes vultum obvelasse legimus. *Jer.* 14. 3. nisi dixeris hocce חפו *aperuerunt* pertinere ad pueros, frustra se missos cum pudore se redire h. m. significantes. Idem quoque agricolas fecisse Propheta Jeremia meminit. *cap.* 14. 4. Sed dicas, quomodo velatio apud Hebræos luctus signum esse potuit, quum tamen capitis opertio diserte præcipiatur iis, quibus lugere prohibitum sit? quippe in Levitico *cap.* 10. 6. Deus Sacerdoribus mandat אל תפרעו ראשיכם *nolite nudare capita vestra,* vulgatus reddit: item *cap.* 21. 10. Summus Sacerdos caput suum non יפרע *discooperiet.* Si igitur nudanda non fuerunt, ergo velanda, si velanda, quomodo velatio luctus indicium esse potuit? Huic dubio satisfacere multi interpretes laborant. Targum vertit: in capitibus vestris לא ארבון פירוע *ne nutriatis comam.* Sequitur R. Salomon & hunc Munsterus, Fagius, Clarius vid Synopsin Bibliorum Criticorum *in h. l.* Verum horum interpretationem non adeo accuratam esse, perdocte demonstravit Dn. D. Geierus *de luctu Hebr. cap.* XI. *pag.* 254. Nam verbum פרע plane in aliam significationem detorquetur; siquidem interdum ab Hebræis exponitur per בטל, quod est cessare fecit, irritum habuit, floccipendit. Confer elegantes notas Geieri in Prov. *cap.* 5. 15 interdum ponitur pro nudare, revelare. Sic usurpa-

patur in Num. *cap.* 13. 45. de fœmina adulterii ſuſpecta, quam coram *Deo* ſiſtebat, Sacerdos, ופרע את ראש *nudabatque caput ejus* & in Lev. *cap.* 24. 16. de Leproſis, *quorum veſtes laceræ caputque ejus* פרוע *nudatum ſit*. Sicut igitur tam de fœmina ſuſpecta, quam de leproſis non capillorum nutritio, ſed capitis denudatio velaminumque ſubtractio per hanc phraſin effertur; ita & de perſonis ſacris eandem merito velaminum ſublationem intelligimus interdictam, ne ſcilicet conſueto velamine præ impatientia abjecto, lugubre tegmen capiti imponerent. Immo licet *Deus* præceperit Sacerdotibus, ne nudo incederent capite, velatio tamen capitis potuit optime ſignum eſſe luctus: nam unius rei plures dantur fines. Sic veſtes nigræ hodie ſunt indicia luctus at multi utuntur veſtibus nigris, qui tamen lugent neminem. Pari modo opertio capitis fuit ſignum luctus, ſed nihilominus potuerunt Sacerdotes capita ſua tegere, utut non luxerint.

IX. Velaminis etiam particeps fuit facta barba. Id colliges ex Ezechiele, *cap.* 24. 16. cum *Deus* Prophetæ mandat: ולא תעטה על שפם *neque obveles barbam*. Ubi שפם ſecundum R. Salomonem alioſque Rabbinos idem eſt atque *myſtax*, id eſt, pilus, qui ſupra labium ſub naſo videtur. Verum Dn. D. Geierus *in Clave voce panis* magis accedit ſententiæ Merceri, *juxta alios*, inquientis, *eſt totum labritium*, i. e. *quicquid infra naſum continetur, etiam cum mento; non tamen, ut alii addunt, mandibula, meo judicio. Totum tamen barbæ locum complecti videtur*. Cum quo & nos facimus, & per vocabulum שפם totum barbæ ſpatium, ſeu oris partes omnes intelligimus in luctu opertas. Vide, quæ loca Dn. D. Geierus tam ex Scriptura S. quam ex Maimonide adducat. Id quoque Flacius Illyricus obſervavit, *in funebri*, ajens, *luctu os tegebant panno lineo & caput involvebant, præſertim in publicum prodeuntes*. Confer Cornelium a Lapide *ad Ezech. fol.* 1106. Atque ex hoc ritu apte ac concinne vaticinium Eſaiæ *cap.* 25. 7. illuſtrari poterit, ubi Meſſias dicitur: ובלע פני הלוט על כל העמים והנסוכה על כל הגוים: *amoturus facies veli, velum illud quod operit omnes populos*. Nam ſecundum Lutherum alioſque interpretes hoc loco deſcribitur remotio mortis; quidem & mortui, & vivi mortuos lugentes velari ſolebant.

X. Tempore luctus alios populos capita velare, ex hiſtoriis conſtat. Sic apud Romanos parentes mortuos filii efferebant capitibus velatis; filiæ nudis & paſſis crinibus. Cujus conſuetudinis has rationes adfert Plutarchus *quæſt. Rom. probl.* 14. vel quod filiis venerandi ſint parentes tamquam dii; (qui operto capite colebantur) filiabus autem lugendi, ut mortui, quos aperto capite luxerunt. Aut, quod luctui maxime congruit, quod eſt alienum a communi conſuetudine. Solebant enim mulieres tectis; mares nudis capitibus in publicum prodire. Ita apud Græcos, ſi qua calamitas inciderat, tondebantur mulieres; viri comam alebant, cum alioquin hi tonderi: illæ comam gerere conſueverint: videſis Lipſium *de Amphith. cap.* 19. Jo. Henricum Urſinum *vol.* I. *Anal. pag.* 39. Stuckium *lib.* 2. *Antiq. conviv. cap.* 28. *pag.* 231. Geierum *de luctu Hebr. pag.* 261. Kirchmannum *lib.* 2. *de Fun. cap.* 16. alioſque. De Dario, ultimo Perſarum rege legimus apud Curtium *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 34. ipſum uxorem fato defunctam capite velato fleviſſe. Et Seneca *in Herc. Furente v.* 255.

Namque ipſa triſtis veſts obducta caput
Velata juxta præſides adſtat Deos.

Sic cum apud Homerum *Od.* θ. cantor quidam a cœna Trojanorum atque Græcorum calamitates ceciniſſet, ſequentia leguntur:

—— αὐτὰρ ὀδυσσεὺς
Πορφύρεον μέγα φάρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
Κὰκκεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα,
Αἴδετο γὰρ φαίηκας ὑπ' ὀφρύσι δάκρυα λείβων
Ἤτοι ὅτε λήξειεν ἀείδων θεῖος ἀοιδὸς;
Δάκρυ ὀμορξάμενος κεφαλῆς ἀπὸ φάρος ἕλεσκε

Et non multo poſt:

Ἂψ δ' ὀδυσσεὺς κατὰ καλυψάμενος γοάασκεν.

—— *ceterum Ulyſſes*
Purpurea ingenti veſte manibus fortibus
Et in caput traxit, obtexit autem pulcram faciem.
Reverebatur enim Phæacas ſub ſuperciliis lacrimas ſtillans,
Sed quando deſinebat canens divinus cantor
Lacrimas abſtergendo a capite tunicam demobat,

Rurſus Ulyſſes capite obvoluto lugebat.

Non adeo multum ab illis moribus differt hodiernus Germanorum mos, quum non ſolum uxores virgineſve ſuis peplis linteiſque candidis, ſed & viri juveneſque nigris faciem velantes tegminibus, honoratum funus comitentur, haud dubie eo conſilio, ne lugubres vultus, geſtus, viro gravi fortean non convenientes, & contra voluntatem ſæpius prorumpentes a vulgo ſpectante animadvertantur. Quæ conſuetudo etiam in dilectiſſimo patrio ſolo viget, ita ut viri faciem aliquo nigro peplo tegant. Id quod tamen heic loci obſervari non ſolet. Antequam ad alia deveniamus, lubet heic interſerere, quæ Chemnitius, de priſcis Halberſtadienſibus memoriæ prodidit: (*P.* IV. *Ex. Conc. trid. in fine*) *eligunt*, inquiens, *facinoroſum aliquem ſordidatum & Operto capite templo ejiciunt. Is die noctuque diſcalceatus urbem templaque ſalutando perambulat, tantum poſt mediam noctem in plateis aliquantulum quieſcit; neminem alloquitur, quicquid apponunt, taciturnus veſcitur &c. uſque dum die Dominicæ cœnæ recipiatur.*

X. Supplices olim velato fuiſſe capite, non ſemel meminit Livius; ſcribit enim (*lib. 2. cap. 39. edit. Gronov.*) ſuis inſignibus velatos iſſe ſupplices ad caſtra hoſtium. Idem ait, (*lib.* 24. *cap.* 30.) Hippocratem & Epicydem duces Syracuſanorum ramos oleæ, ac velamenta alia porrigentes oraſſe Cretenſes milites, ut reciperent ſeſe receptoſque tutarentur. Sic, eodem teſte, (*lib.* 25. *cap.* 25.) legati a Tycha & Neapoli ad Marcellum Rom. Ducem cum infulis & velamentis venerunt, ut ab incendiis & cædibus parceretur. Pari modo legati Locrenſium obſiti ſqualore & ſordibus, in comitio ſedentibus *Coſs.* velamenta ſupplicum ramos oleæ (ut Græcis mos eſt) porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt (*Liv. lib.* 29. *cap.* 16.). Nec aliter ſeſe geſſere quidam populi Romani rebelles; Nam Conſule Rom. per Phocidem & Bœoticam exercitum ducente, conſciæ defectionis civitates cum velamentis ante portas ſtabant, metu ne hoſtiliter diriperentur (*Liv. lib.* 36. *cap.* 20.). Denique Teii, quum in oculis populatio eſſet, oratores cum infulis & velamentis ad Romanos miſerunt (*Liv. lib.* 37. *cap.* 28.) Hæc fere ſunt loca, quæ in Livio notavimus. Meminit autem hic Livius, ſupplices etiam ramos in manibus geſtaſſe. Quo de more pluribus videri poteſt Martinus de Roa *P.* I. *Sing. lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 374. Supplices quoque vittas laneas gerere ſolebant, ut oſtenderent animum ſe mollem ac laneum habituros erga eos, quibus ſe dederunt, ut quocunque hi vellent, facile ducerentur flecterenturque, quippe ovis atque agni innocentiæ Symbola ſunt. Quæ de ſupplicum vittis refert Goropius, *Gigantomachia*, memoria digna ſunt: *Supplices*, inquit, *etiam vittas antiquo more ferre ſolent, quo oſtenderent, ſe tum petere eam conjunctionem apud eos, quos obſecrabant; quæ omnibus hominibus neceſſaria eſt ad ſalutem & tranquillitatem. Sicut enim homines* Deo *cupiunt amoris vinculo alligari, quo ejus ope ac præſentia juventur; ita homines quoque ſupplices iis, quos rogant, ſe devincere ſtudent: quo ipſorum auxilio ſubleventur.*

XIII. Qui ultimo deſtinati erant ſupplicio, etiam velari ſolebant. De Perſis legimus in hiſtoria Eſteræ, *cap.* 7. 8. & *ſtatim operuerunt faciem ejus* Aman ſcilicet, *miniſtri.* Quæ verba interpretes non uno modo exponunt: Abeneſra ait, id fieri ſolitum iis, quibus rex iratum ſe oſtenderet. Sed Cornelius a Lapide, Joh. Henricus Urſinus, *vol.* I. *Anal. S. p.* 37. aliique de reis mortis & ultimo ſupplicio efficiendis illum locum interpretantur. Seditioſos Judæos quendam Romanum captum, revinctis poſt terga manibus oculiſque faſcia velatis ad ſupplicum duxiſſe, ait Joſepus *lib.* 7. *de B.* I. *cap.* 14. De Athenienſibus teſtatur Plutarchus & ex eo Ravannellus *in Biblioth. de capite.* Philotas Parmenionis filius, læſæ majeſtatis reus, capite velato coram Alexandro adducitur *Curt. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 25. Polyxenæ morti deſtinatæ caput peplis velabatur, teſte Euripide *in Hecuba.* Ita caſta Suſanna κατακεκαλυμμένη ſive velata comparet coram judicibus, quod tamen peplum laſcivi illi hirci jubebant detrahi, ut pulcritudine ejus exſatiarentur. Carmen ferale apud Romanos notiſſimum. *I lictor, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito.* Cicero *Orat.* 7. *in Verrem. Cives Romanos capitibus involutis ad necem rapiebat.* Confer Solerium *de pileo pag.* 20. De Vitellii ſupplicio legi merentur Svetonius *in Vitellio cap.* 17., & Caſaubonus *in notis pag.* 54. Speciatim hoc obtigiſſe parricidis, antequam includerentur culeo, teſtis eſt Feſtus *lib.* 15. *voce obvolvere*, ubi ſic inquit: *obvolvere, quod antiqui obnubere vocarunt; ob quam cauſſam legem quoque parentem jubere caput ejus obnubere, qui parentem necaviſſe.* Rationem facti ſuggerit Quintilianus *declam.* 298. *Cujus ſtatim ora oculoſque a judicio lex juſſit abduci, ne hunc jucun-*

dum cœli aspectum polluerent tetri oculi. Interdum tamen in illustrium personarum supplicio observari solebat, ut nudo fuerint capite, quo ab omnibus dignosci possent. Nonnulla exempla adducit laudatus Casaubonus. *l. c.* Hodie Ulmæ illis qui gladio sunt puniendi, peplum ante faciem obducitur. In his terris vero oculi morti destinatorum fascia ligari solent. Id quod ideo fieri videtur, ne viso carnificis gladio, nimium terreantur, & proinde caput demittant. Gentiles autem capitis damnatos in supplicio ideo velasse putat Joh. Henr. Ursinus, *vol.* 1. *Anal. S. pag.* 40. ut indicarent, illis tum maxime cum Diis agendum esse, ad quos jamjam abirent ex hominum consuetudine.

XIV. Sed & illi, qui olim apud Gentiles Lupanaria intrabant, capita cucullo vel adducto pallio velare solebant. Quo de more multa Petronii interpretes Wowern. *pag.* 387. Erhard. *in Symb. pag.* 547. *Ludices* (vestes) *a ludis, id est, theatris vocatas quidam existimant. Cum enim egrediebantur de ludi prostibulo juvenes, horum velamento tegebant caput & faciem: quia solebant erubescere, qui lupanar introissent*. Huc pertinet locus Petronii, quem neminem interpp. assecutum esse autumat Octavius Ferrarius *lib. de re vest. cap.* 11. *pag.* 37. Is autem hic est: Anicula, quæ olus agreste vendebat, Encolpium errantem in lupanar produxit. *At subinde*, inquit, *ut in locum secretiorem pervenimus, centonem anus urbana rejecit, & heic, inquit debes habitare*. Rejectis igitur ceterorum interpp. expositionibus, rem ita illustrat. Anicula ipsa suum centonem, id est laceras vestes ac pannuceam mille plagis concisam rejecit, & uredine percita, se turpi palæstræ renudavit, ut formoso juvene, quem de industria in eum locum perduxerat, frueretur. Quod non ante fecit, quam in locum secretiorem duxerat, id est, in cellam meretriciam. Huic interpretationi ipse Petronius favet, quum mox subjiciat: Encolpium *cum tarde, immo jam pene sero intellexisset se in fornicem esse deductum, aniculæ insidias execratum operuisse caput, & extra lupanar fugere cœpisse*. Ita Tacitus de Nerone scribit *lib.* 13. *Annal.* ipsum noctu percurrentem lupanaria atro pallio cum cucullione fuisse adopertum. Quo respexit Juvenalis *Sat.* 8. Neronem sugillans sub Damasippi nomine.

> —— *Quo si nocturnus adulter*
> *Tempora Santonico velas adoperta cucullo*

Nec aliter Capitolinus *in Vero*; quippe ait: *Verum in tantum vitiorum Cajanorum & Neronianorum fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria obtecto capite, cucullione vulgari viatorio*. Id quod etiam de spurcissimo Alagabalo notavit Lampridius. Unde impudentiæ extremæ fuit inoperto capite luxuriari, aperto capite ire ad lenones, & fronte aperta se nequitiæ dare. Vid. Joh. Henr. Ursinum *vol.* 1. *Anal.* 8. Qua in re multi, qui Christianum nomen ementiuntur, ipsis gentilibus sunt pejores, quum nuda & impudica fronte lupanaria intrare non dubitent, rati, non esse nefas venerem cum ejuscemodi scortis exercere. Sed profecto in novissimo die ab ipsis ethnicis confundentur & damnabuntur.

XV. Antequam huic capiti finem imponamus, velamina capitis mortuorum considerare libet. Nam mortuorum capita velata fuisse, S. Sacra testatur. Cum enim narratur resurrectio Lazari e sepulchro prodeuntis, dicitur (*Joh.* 11. 44.) *fuisse ligatus pedes & manus fasciis, & facies ejus sudario obvincta*. Ex quo loco patet, Judæos suos mortuos fasciis involvisse; faciem vero sudario obtexisse. Nec aliter Moyses Ægyptius apud virum doctissimum Schikardum *de jure regio Hebr. cap.* 6. *Abradunt*, inquiens, *pilos corporis, mox vestiunt involucris, candido filo lineo consutis, neque pretiosis solent sapientes adhibere sudarium, non plus denario constans, ne pudefaciant tenuiores, quibus est res angusta domi. Eadem de causa tegunt faciem defuncti, ne prostituantur pauperiores, quorum famelici vultus ob alimenti penuriam plerumque sunt deformiores*. Quo pacto Servator noster fuerit sepultus, edocet nos illustris Salmasius *ap. Th. Barthol. de latere Christ aperto pag.* 377. ait enim ejus caput parvo linteo involutum fuisse, toto interim corpore fasciis religato a pedibus usque ad fauces instar infantis fasciis inclusi. Christi faciem obtectam fuisse sudario, ex Johanne *cap.* 20. 7. colligimus. Hoc Christi Sudarium Nicææ, Aquis in Germania, Trajecti & Vesontii, Cadonii, Lemovii in Lotharingia & Romæ in Vestalium aliquo Monasterio devote a plebe honoratur, ut docet liber de spoliis, exuviis & reliquiis Sanctorum, qui exstat in lectionibus memorabilibus Wolfii *cent.* 16. *pag.* 233. rectene an secus ipsi viderint. Nolumus hac de re plura addere, quum Kirchman & Joh. Andreas Quenstedt omnes fere ritus circa sepulturam veterum exposuerint. Quibus adde Anselmum Solerium *de pileo sect.* 17. *pag.* 344. *seq.* & Chifletium *de linteis Christi sepulcr.* Et

hæc de velamine capitis virili pro re nata disserere visum est. Ab omnibus autem, quibus lucubratiunculas nostras cognoscere voluptas erit, petitum impetratumque volumus, ut, quæ parum plana videbuntur, aut minus plena instructaque, in pejorem partem ne rapiant. Nam exiguitas temporis & negotiorum multitudo obstiterunt, quo minus omnia exquisite exponere licitum fuerit. Quod si *Deus* vitam concesserit, hoc argumentum limatius in lucem edere animus fert. Interibi Numini divino pro concessis viribus immortales solvimus grates.

FRIDERICI BUCHERI DISSERTATIO DE VELATO HEBRÆORUM GYNECEO.

CAPUT PRIMUM.

De origine Velati Hebræorum Gynæcei.

I. RItum velandi fœminas antiquissimum esse, ex Gen. xx. 16. ubi כסות עינים, *tegminis oculorum*, primum sit mentio, intelligimus, id quod bene vertit Luth. Das soll dir eine Decke der Augen seyn/ quo significatu *Aben Esra*, *Sal. Ben Melech*, *Kimchi*, aliique exponunt: *dedi tibi mille argenteos*, *ut cures tibi*, *ancillisque tuis velamina*, *quibus capita sua obnubant*, *ne in posterum mihi*, *aliisque occasionem libidinis præbeant*. Inde communis Hebræorum sententia est enata, obvelandi fœminas originem ab uxore Abraami deducenda esse, siquidem Patriarchæ uxores operuerint, ne ab externis gentibus abucerentur, & abductæ profanarentur. Nervose admodum *Dn. Pfeifferus*, *Dub. Vx. Cent. I. pag.* 529. *erit tibi velamen oculorum*, *i. e. testimonium publicum*, *seu pallium quoddam obtectorium* (*vid. Mal.* II. 16.) *te non esse prostitutam adulteram*, *sed honestam matronam apud me mansisse*, *quales faciem diligenter velare solebant*. Cui applaudit *Targum* per כסות דיקר, *operimentum gloriæ*, *velamen honoris* defendens Saram contra calumniam, quo exornatæ Hebræorum filiæ incedebant.

II. In primis superbiebat velamine, si qua in adulterii crimen falso incurreret, vel si ob odium ספר כריתות βιβλίῳ ἀποπέμψεως, *libello repudii* donata emitteretur, idque eo, ut integumentum vitam honestam, atque castam testificatam faceret, quorsum illud *Mal. II.* 16. trahunt: wer ihr aber gram ist/ der lasse sie fahren/ spricht der Herr/ der Gott Israel/ und gebe ihr eine Decke des Frevels von seinem Kleide. Et de matrimonio cum ancilla filio denegato, *Exod.* XXI. 10. giebt er ihm aber eine andere/ so soll er ihr an ihrem Futter/ Decke und Ehe-Schuld nicht abbrechen/ quæ singula antiquitatem hancce sapere videntur. Præsertim autem, מטפחום, מספחות, רדידים, מעטפיות, משי, ἐξουσία, & quæ sunt hujus generis alia, ritum antiquissimum esse, testantur, etiam צעיף, *peplum*, in quod Rebecca *Gen.* XXIV. 65. in signum subjectionis, atque verecundiæ se involvebat. Num Rebecca appropinquantem videns Isaacum sponsalitio peplo faciem operuerit, istud vero satis non liquet? Interim manifestum est, Isaacum sponsam, Rebeccam, præter vestes reliquas velamine donasse, quem ad modum *Luther. Comment. in Gen.* XXIV. *pag.* 342. eleganter ostendit, *proferebat*, inquiens, *vir ille Nezem*, *lunulam*, *sive frontale*, *ab una aure ad alteram*, *semicirculum quendam*. *Nostræ virgines loco istius ornamenti utuntur* Berlin und güldne Borten. *Sic Aaron ex inauribus fecit vitulum Exod.* 32. wie die Weiber ihre güldne Borten unter den Schleyer tragen. *Ejusmodi ornamentum donat servus Rebeccæ*, ein gülden Harband/ oder Borten umb die Haar/ *cum duabus armillis*, *Tzmidim*, Geschmeid/ Arm-Geschmeid/ & *aurea vasa*, *quæ fuerunt vestimenta muliebria*, Harband/ Röcklein/ Brüstlein/ Schleyer/ Hauben. *Arbitror autem*, *significare magnum illud peplum mulierum*, *quo non solum capillos vincire*, *sed & totum caput*, *usque ad humeros*, *velare solitæ sunt*, ein

ein lager Schleyer / oder groß Gehüll umb den Kopf. Quibus verbis *Luther.* annectit, *ab Hebræorum* צמידים nostrum Schmeide / Geschmeide originem traxisse, quod ipsum repetivit *Pelarg. Comm. in Gen. p.* 403. Conf. *Menoch. Reip. Hebr. lib.* III. *cap.* XXI. *pag.* 367. *seq. Martin. de Roa P.* II. *Singul. lib.* III. *cap.* IV. *pag.* 300. *Gejer. de Luct. Hebr. cap.* XI. *pag.* 160. *Addo Selden. Ux. Hebr. pag.* 304. *Carpzov. ad Schik.* סוה, *pag.* 356. *Wagenseil. Sota pag.* 198. *num.* V. 18.

CAPUT II.

De Subjecto, sive Personis Velatis.

I. SUbjectum est vel *totale*, vel *partiale*. *Illud* constituunt personæ Hebræis velatæ, videlicet *virgines*, *viduæ*, *maritatæ*; *hoc partes primariæ* corporis Hebræorum mulieribus contectæ, quales fuisse *caput*, *faciem*, atque *pectus*, arbitramur.

II. Consistimus initio ad *subjectum totale*, ubi contemplamur *virgines*, *viduas*, *maritatas*. *Virginem Hebræam* extra παρθενῶνα velatam institisse, nemo temere in dubium vocabit. Hoc enim indicare videtur locus *Es.* III. 16. *seq.* in quo filiarum Zionis, i. e. generatim, & mulierum & virginum, vestes recensentur, & inter ceteras מטפחות, *linteamina*, מעטפות, *amicula*, רדידים, *pepla*, בתי הנפש *pectoralia*, quæ, ut ipsi *Hebræorum Magistri* docent, ad vestitum virginum æque, ac mulierum spectant. Illustris est locus *Cant.* V. 7. qui virginem ἀμίαντον κὴ ἄμωμον, sive etiam sponsam, conquerentem inducit, quod *custodes civitatis ipsi peplum de facie detraxerint*, sie nahmen mir meinen Schleyer. Inde *Menoch. Reip. Hebr. lib.* VI. *cap.* VII. *Q.* XII. *pag.* 541. עלמה, *balma*, inquit, *quæ virginem significat. Nam vocabulum est a radice* עלם, *balam*, *deductum*, *quæ abscondere significat*, *quod nimirum virgines & domi absconditæ habeantur*, *& cultu tali & amictu uti soleant*. Et *D. Hildebr.*, qui in *Antiquit.* rationem reddit, cur virgo Hebræis עלמה dicatur, eine unbekannte / verborgne Jungfrau / nimirum quod *secretior ejus educatio esset*, *& non nisi velamine in publicum prodiret*. Et ibidem, *pag.* 80. *notanda est h. l. virginum Orientalium castimonia*, *quæ semper domi se continuerunt*, *& cum in publicum fuit prodeundum*, *semper faciem velamine*, *totumque corpus pallio contectum habuere*. *Ob hanc causam apud Hebræos virgo dicitur* עלמה, *h. e. abscondita*, *quia virgines in Oriente non domi tantum reconditæ erant*, *sed & in publicum prodeuntes quoad vultum*, *immo totum corpus*, *erant contectæ*. Nec contemnenda sunt, quæ *M. Jodoc. Eychmann de Kalvve*, *Prædic. Voc. compilatore & editore M. Jo. Melbero de Geroltzhofen*, ad vocem עכמה adjecit, his usus verbis: עלמה *Hebræum dicitur secreta*, *vel sancta latine*, eine unbekannte Jungfrau / eine verborgen Jungfrau / *quæ nunquam aspectibus virorum patuit*, *sed texit se peplis ubique*, *ut in plateis non videretur nuda*, *quam & vir nullus tetigit unquam*, *aut recte vidit*. His addo *Dieter. Antiq. Bibl. pag.* 725. *Jam quanti illud putandum*, *quod Orientales pudicæ virgines* (*Hebr.* עלמה *hinc explicatur*) *& matronæ domi se continebant*, *atque cum prodirent vel ad cultum divinum*, *vel ad officia alia necessaria obeunda*, *honestatis ergo non incedebant absque faciei velamine & totius corporis pallio*, *quod mulierum caput usque ad coxas tegebat*, *in quo etiam duo foramina ad oculos patebant*. *Nam tegebant caput peplo & faciem reticulo*, *quod erat contextum ex tenuissimo filo*, *aut serico*, *minutis maculis & plagulis interdistinctum*. *Græci versores*; κεκρύφαλον, *quod de muliebri tegmine utuntur Synesius*, *Epist.* III. *pag.* 160. *Xiphilin. in Avito*, *pag.* 370. *& redditur interpretibus reticulum pellucidum reticulum*, Vid. *Giggejus*, *Thes. Ling. Arab. Tom. I. pag.* 759., & autores, qui de *Concluso Hebræorum Gynaceo* nobis laudandi erunt.

III. *Viduas* velatas incessisse, pariter iis ex locis S. Codicis cognoscimus, ubi generatim מטפחות נשים, reliquarum item vestium, injicitur mentio, quippe נשים sæpe numero *sexum muliebrem* denotant. Postea, ut *Rabbinorum* testimonia taceam, exemplum *Ruthæ*, *Cap.* III. 15. sese offert, quam מטפחות contegunt. Quanquam enim *Thamar* vestes viduitatis exuisse, ac צעיף, *peplum*, induisse legitur, non tamen propterea, צעיף solis meretricibus convenisse, existimare debemus. Abjicit enim vestes viduitatis, h. e. squalidas, sordidas, quales viduam gestare oportebat, de quibus vid. *D. Gejer. Luct. Hebr. Gyrald. de Sep. Quenstad. de Sepult. Pfeiffer. Antiqq. Hebr.* aliique plures; & ornat se צעיף, *peplo*, hoc est ut *D. Luther.* vertit, *Concil. German. in Gen. pag.* 309., schleyert und verhüllet sich / vestes pretiosas virginem mentita induit, forsan variegatas, auroque distinctas. Audiamus *Selden. Ux. Hebr.* nec *sane*, inquit, רדיד (quod cum צעיף plerisque convenire putatur) *ejusdem usus*, *duntaxat adæstivos calores minuendos*,

dos, sed etiam pudoris causa, tam a meretricibus, quam sponsis, ac matronis adhibebatur. Rem breviter exponam. Velamina mulierum alia erant sponsalitia, omnium pulcherrima & pretiosissima, alia quotidiana & vulgaria, tam uxoribus, quam scortis, ac virginibus usitata, nisi quod meretrices elegantibus nonnunquam peplis incederent, & uxores una cum virginibus die Sabbathi pretiosis velaminibus comparerent; ac alia denique vilissima, viduæ propria, unde intelligitur φράσις; *vestes viduitatis exuere.*

IV. *Uxores* Hebræis olim contectas foris ivisse, præter ceteros locus *Num.* v. 18. indicat, dum adulterii suspecta coram Domino velato & postea detecto capite sistitur, quod fontes ita exprimunt: ופרע את ראש *nudabatque caput ejus*, id quod *Aben Esra* exponit: יגלה, *revelabat, & prout ego judico, protrahebat cæsariem capitis ipsius, quæ fuerat operta*, cum quo consentit *Iarch.* יגלה, *non tantum revelabat, scil. faciem, sed etiam* כותר, *dissoluit plicaturas capillorum ejus, ut contemtibilem posthac reddat inter filias Israel, siquidem* גלוי הראש, *retectio capitis, probrosa æstimatur*, & *R. Sal. Ben. Melech.* in מכלל יופי, *Num.* v. 18. יגלה שער ראשה הנסתר תחת הצעיף, *revelabat comam, seu plicaturam capillorum, quæ contecta erat subter peplo.* Nec discordat *Chaldæus* qui hunc in locum ita commentatur: ראשת פרוע דאוריתא ופרע את ראש האשה ותנא היא וכתיב רבי ישמעאל אוהרה לבנות ישראל שלא יצאו בפרוע ראש דאוריתא:, *quod ad caput denudatum attinet, lege sane (Num. v. 18.) nititur juxta id, quod scriptum est: & denudet caput mulieris; quin & tradit Rabbi Ismael, interdictum esse ex lege filiabus Israel, ne capite prodeant non operto.* Similem in modum *Susanna κατακεκαλυμμένη, tecta*, comparet coram judicibus, quod tamen peplum lascivi detrahi jubent, darumb hiessen diese Bösewichter ihr den Schleyer wegreissen / damit sie verhüllet war. Et huc denique pertinet illud, quod *Apostolus*, 1. *Cor.* XI. 10. τὴν ἐξουσίαν in capite fœmineo gestandam commendat, juxta *Luther.* darumb soll das Weib eine Macht auf dem Haupte haben. Est autem ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς nihil aliud, quam *velamen capitis gestare*, siquidem *Apostolus* opponit ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ & ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Quapropter missis aliorum opinionibus, τὴν ἐξουσίαν per *velamen* interpretor. Est enim in *dicto Paulino* μετωνυμία, rei signatæ, ἐξουσία, *potestas*, Macht / quam habet maritus in uxorem suam, ponitur pro signo, *velamine*, quod vetustissimis temporibus usitatum significavit, fœminas sub fide & potestate maritorum esse. Nam cum *Apostolus* ex gente Hebræa esset oriundus, non potuit non respexisse ad Hebræorum רדיד a רדד, *extendit, expandit, dominatus est*, & sic ἐξουσία eodem significatu, quo Hebræum רדיד tam pro *defensione*, quam *potestate*, accipi potest, licet *Hotting. Goodwinum, Mos. & Aar. lib.* VI. *cap.* IV. §. 19. *pag.* 899. eo castiget. Sed egit de ἐξουσία *JCtus, Jac. Godofredi.* Conf. *Misna tit. Cethuboth cap.* VII. *Gem. Babyl. ibid. fol.* 72. *a Hieros. ad Tit. Gittim cap.* IX. *fol.* 50. *col.* 4. *Selden. Ux. Hebr. lib.* III. *cap.* XVII. *B. Gejer. de Luct. Hebr. cap.* XI. §. 4.

V. Considerato satis, ut opinor, *subjecto totali*, convertam me ad *partiale*, h. e. *partes primarias* Hebræorum fœminis contectas, ubi *initio velationem capitis* annotamus. Utebantur autem linteo, integumento capiti superiniecto & usque ad coxas demisso, quod *Esa.* III. *Ruth.* III. מטפחת appellatur, h. e *velum explanatum, expansum*, ab radice in Piel Hebræis usitata, manu, seu digitis explanavit & disposuit, ut matres solent distendere infantes recens natos, cum fasciis involvunt, sicuti tradunt *Castell. Lex. Hept. pag.* 1551. *Schindler. Lex. Pentat. pagin.* 713. Syriace est ܛܦܚ, ሰረተ: Æthiopice *expandit, dilatavit*, unde Hebræis pro מטפחות, bis in scriptura ponitur מספחות, ut שׁד ሰረተ Ætiopum respondere videatur. Generatim *Hebræorum Magistri* omne *linteum* promiscue significat, e. c. מטפחת הידים, *linteum manuum*, seu mantile, מטפחת הספג *balneare*, i. e. linteum abstersionis, מטפחת הספרים *linteum librorum* pretiosissimum, quo præsertim תורה involvitur, teste *R. Sal. Ben Melech.* in מכלל יופי, quod *El. Lev.* in תש בי, *pag.* 101. alio nomine מפה appellat, his usus verbis: וכן אנחנו קורין המעטפות שוגללין בהן ספר תורה מפות *hinc est, quod nos pallia, quibus libros legis involuunt*, מפות *vocamus.* Speciatim מטפחת est vestimentum muliebre, & tum triplici significatu potissimum reperitur, quo respicit *Tossan. Ruth.* III. 15. cum vertit: den Mantel / oder das Fürtuch / oder den Schleyer. Usurpatur igitur I. *pro ventrali*, Fürtuch / Schürtze / qua notione LXX. *senes*, transferunt περιζώματα, II. pro *tegumento faciei*, Schleyer / unde *Luther. Esa.* 3. vertit Schleyer / quod placet *Vatabl. Pagnin. Montan. Grot.* aliis, quo eodem pertinet, quod *Hebræorum Magistri* מטפחות reddunt

dunt per τὸ צעיף & רדיד, ac per הצעיפים שמכסית בהם הנשים את פניהן i. e. *pepla*, teſte *Sal. Fil. Melech in Michlal Iophi*, *pag.* 128. *quibus mulieres faciem obtegunt*, licet *Kimchi* alicubi per τὸ צעיף *tegumentum capitis* intellectum velit, quo ſignificatu מטפחות III. creberrime adhibentur, ita, ut veſtimenti genus muliebre fuerit, quo caput velarint, teſtibus *Færſter. in Lex. pag.* 304. *Schindler. pag.* 713. *Maimon. Par.* 2. *fol.* 27. qui, מטפחת *linteum* eſſe, dicit, שבראשה, *quo caput mulieres operuerint*. Huc forſitan reſpexit *D. Luther.* quando τὸ *adhibe* מטפחת עליך *pallium ſuper te*, tranſtulit: gieb her den Mantel / den du anhaſt / & *Urſin. Comment. in Eſ.* III. 22. *pag.* 118. qui, מטפחת magis eſſe, quam *peplum* in primis, quia ponitur pro linteo, in quo Ruth ſex hordei menſuras ſibi donatas portare poterat, recte argumentatur. Eodem ſenſu *Eſ.* III. LXX. vertunt ἐπίβλημα, quod Græcis, ut habet *Pollux*, veſtitus genus reliquis veſtibus circumdatum. Hinc מטפחת, ſicut *R. Obad. de Barten. in Lib. Miſchn. Celim cap.* 29. longe diſertius, quam alii, expoſuit, tegumentum fuiſſe capiti impoſitum, ad coxas uſque demiſſum, arbitror, quale in quibuſdam *Germaniæ* locis geſtari ſolet, quod hodieque *Gorliel* conſpicitur. Speciatim מטפחות veterum cum linteis mulierum ruſticarum in *Luſatia*, quæ vocant Kirch-Tücher / Regen-Tücher / cum primis Sorabarum, ſimilitudinem habuiſſe videntur, quæ non caput modo contegunt, verum etiam circa collum collecta arctius conſtringuntur, ad taloſque demittuntur. *Chaldæus* alias מטפחת vocat סודרא, vel סודר, *Syrius* סדרין, *velamen*, *linteum*, *ſudarium*, vulgo, Schweiſs-Tuch Male tamen viri doctiſſimi inuehuntur in *Lutherum*, quod σϐδάϱιον, vocem origine Chaldæam & Syram, vertit, Schweiſs-Tuch. Dicitur enim nobis Schweiſs-Tuch non ab ὕδωρ, ατος, neque a ſudore, quaſi mortuis ſudor, qui in cadaveribus non reperitur, abſtergatur, ſed quoniam linteum ſepulchrale, quali Lazarus erat involutus, non abſimile fuit ſudario illi, quo ad abſtergendum uti ſolemus. Vid. *Anſb. Soler. de Pileo, pag.* 184. *Chifflet. de Sepulchr. Lint. Heinſius in Exerc. S. S. pag.* 743. *ſeq. celeb. item Daſſovius in MSS. Antiqq. Buxt. Syn. Jud. lib.* XXXV. *pag.* 431. & plures.

VI. De hoc capitis tegmine, dubio procul, *Ezech.* XIII. 18. ſermo eſt. Quid enim veterum erant מספחות, quam *integumenta*, quibus imagines Deorum, facta heroa, atque id genus alia, intexta conſpiciebantur? I. enim מספחות *cervicalia* eſſe, valde dubito, ſiquidem hæc a ספח, *aggregavit*, *adiunxit*, quod congregatio adſit plumarum, longe nimis ſunt petita. II. in Æthiopica lingua datur radix ፖሰ𐊃 vi pollens *expandendi & dilatandi*, quæ, ט mutato in ፖ ex Hebræorum טפח effluxiſſe videtur. III. מטפחות ſunt aliud nihil, quam מטפחות, has enim literas, ס & ט, ob figuram facile commutari, Grammaticæ peritis haud eſt ignotum. Audiamus *Færſter. Lex. pag.* 304. ad מספחות, *porro*, inquit, *Ezechiel uſurpat bis, cap.* 13. *ſed loco teth ſcribit ſamech*, מספחות, *& faciunt vela ſuper caput omnis ſtaturæ*, *& mox iterum*: *& lacerabo vela veſtra*. Accedit, quod, & nomina Hebræorum, & verba, quæ confundunt formas, plerumque uno, eodemque ſignificatu gaudent IV. aſtipulatur huic ſententiæ *R. Sal. Ben Melech in Michl. Jophi*, *pag.* 128. המספחות הוא כמו מטפחות והם הצעיפים שמכסות בהם הנשים את פניהן ונקרא כן לפי, שהן נדבקות ונצמדית תמיד על הראש, quæ concordant cum verbis *Schindleri*: *velamina*, *linteola*, *quibus mulieres velabant faciem*, *ſic dicta*, *quod capiti adhærerent ſemper*. Quo eodem ſignificatu מספחות ſi a ספח deducantur, natura vocis non pugnabit V. fontes habent: המספחות על ראש, *pepla ſuper capita*, ubi Hebræum על ad ſignificationem ἐπὶ, *ſuper*, *ſupra*, accedit. Inde *Chaldæus*, nec male, vertit: כמרין על ריש, *cuculli ſuper caput*, quantumvis כמרין alioquin ſint *ſacerdotes*, *camilli*, *fanatici*, כמרי *monachus*, כמרית *monialis*, כמר *locus*, ubi *cumarim* habitant, teſte *R. Jac. Abendan. Spicil. ad Michlal Jophi*, 2. *Reg.* XXIII. 5. *& R. El. Lev. in* תשבי, *pag.* 164. Neque recedunt ab hoc LXX. *ſenes*, per ἐπιβόλαια ἐπὶ πᾶσαν κεφαλὴν. Hæc enim Græcis ſunt ἐπιβλήματα, *veſtimenta ſuperiniecta*, ſiquidem τὸ ἐπιβάλλεσθαι nihil eſt aliud ac *ſuperimponere*, ὑποβάλλεσθαι contra, *ſupponere*, & ſic non ἐπιβλήματα: ἐπιβόλαια, ſed ὑποβλήματα, cervicalia dicuntur, Haupt-Küſſen. Ac tameſi ἐπίβλημα pariter, atque τὸ ἐπιβόλαιον, interdum *additamentum*, *auctarium*, ſignificet, ut videantur reſpondere מספחות a ספח, *conjunxit*, *aggregavit*, deductis; deſcriptio tamen per ἐπὶ πᾶσαν κεφαλὴν, LXX. *ſenes*, *tegumenta capitis* intelligere, ſatis oſtendit, qua notione *Hieron.* vertit: *& faciunt velamina ſuper omne caput*; juxta verſionem *Ital. Diodati*: *e che fanno de veli ſopra il capo*; *Hiſpan. y hazen veletas ſobre la cabeca*; *u. Gallicam*, *Pagnini*, *Schmidii*, atque aliorum. Quod ad rem ipſam attinet, *Vatidicæ*, more veterum, veſtes,

ac

ac tegumenta εἰδωλολατρεικὰ confecerunt, quæ hic מספחות appellantur. Per falsorum enim imagines Deorum & alia per artem vestimentis intexra significare volebant, Deos sibi jam propitios esse, nihilque adeo periculi imminere. Quid quod per imagines ad amplectendum cultum hunc allicere alios studebant, quorsum pertinebit phrasis: לצודד נפשות, die Seelen zu fahen. Etenim I. mulieres olim vestes contexuisse, plus satis ex *Prov.* XXXI. 24. 3. *Esdr.* IV. 17. *Act.* IX. 39. constat. Vid *Menoch. R. H. lib.* VI. &c. *pag.* 535. II. εἰδωλολατρεικὰ quædam alia concinnasse, ex 2. *Reg.* XXIII. 7. apparet, ubi per בתים intelligimus tegumenta לאשרה, *luci*, h. e. *cortinas*, ex quibus in circuitu luci suspensis fiebat domus. Vid. *Schindler.* ad vocem אקנ, *pag.* 116. III. veteres in ornatu suo insculptas, intextasque gerebant imagines Deorum, facta heroa, imagines amantium & amuleta, seu incantandi formulas. Vid. *Gen.* XXXV. 2. *Cant.* I. 13. *Jes.* XXX. 22. *Hos.* II. 2. *&c. Menoch. l. c. Casaub. in Theocr. cap.* VIII. *pag.* 260. *celeb. D. Jo. Andr. Schmidius de Puluillis & Peplis Prophetissarum, celeb. D. Dassov. de Emph. S. S. Vocum*, alii IV. vestes autem, quibus cultus εἰδωλολατρεικὸς elucebat, præsertim diebus festis gestabantur, sicut in festis Græcorum peplis Γιγαντομαχία & alia conspiciebantur, de quibus in *Velato Græcorum Gynæceo* differetur.

VII. Porro notabile *tegmen est faciei*, seu *peplum*, מעטפה *Hebræis*, *Chaldæis* עטופא, *Syris* עטיטא appellatum, ac de tota vultus obvelatione exponendum. Quare *Kimchi*, *Es.* III. *annotat*, מעטפות pepla esse, quæ totam, si oculum excipias, faciem femineam obvelarint, licet pallium etiam muliebre, ac pretiosum, teste eodem *Kimchi*, interdum significet, qua notione venit *Judæis* in versione sua per vocem Mäntel, & *Luthero*, qui pariter vertit, Mantel, tum quoque *Symmacho* per ἀναβόλαια, quæ sunt ἀναβολαὶ, ἐπιβλήματα καὶ ἐπιβόλαια, teste *Polluce*, VII. 12. *Chaldæus* reddit alicubi שושיפיא, *pallia*, & *R. Sal. Ben. Melech* in *Michlal Jophi*, Es. III. הוא חבסות שמתכסים ומתעטפים בה *sunt ipsa tegmina*, *quibus obvolvunt sese & operiunt. Rabbinice* dicitur עטיפה, sive etiam עטיפת הראש, *involutio capitis*, qua præsertim in luctu utebantur, sicut habetur in *Aruch. fol.* 30. *col.* I. Vultus vero velationem olim in consuetudinem abiisse, testantur *Hieron. Tertull. de Vel. Virg.* alii, qui veterum feminas uno fuisse oculo contentas, viæ nuntio, demonstrant, quorsum *Menoch l. c. e Canticis* trahit illud: *uno oculorum tuorum*, mit deiner Augen einem. Vid. *Meisner. in Canticis*, *pag.* 87.

VIII. Dicitur alioquin hoc velum צעיף, *Chaldæis* עיצא, *Syris* ארדירא, quod est ex *Hebræorum* רדיד, nobis audit Schleyer, ut habet *Luther. Conc. Germ. in Gen. pag.* 206. & *Judæi* transferentes, *Gen.* XXIV. אלזו האט (רבקה) גנומן דעם שלייאר אונד האט זור צוגדעקט: *Græci* vertunt, πέπλος & πέπλον, item, Θέριστρον, Θερίστριον. Radix quidem ipsa in fontibus Hebræis non habetur, eam tamen apud Arabas invenies, quibus τὸ צפף cum צ punctato notat *infirmus* atque *debilis* fuit, ita, ut צעיף ratione ἐτυμολογίας *infirmitatem* mulierum indicare videatur, nihilque sit aliud, quam τὸ רדיד a רדד, *attenuavit*, *subjectus est*, deductum & Græcorum ἐξουσία a Doctore gentium commendata. Erat autem צעיף I. *tegumentum capitis* muliebre, testantibus id Hebræorum majoribus, quibuscum *Seldenus* facit, quamvis alibi *tegmen* fuisse *faciei*, non obscure confirmet. Audiamus verba ipsius, quæ habet ad *Gen.* XXIV. *lib. de I. N. & G. V. C. V. pag.* 559. huc apprime spectantia. *Vocabulum illud*, inquit, *quod in fonte heic pro pallio, theristro, seu velo usurpatur, interpretantur Orientales per* רדיד & רדירא, *ut in Targum Jonathani tributo, & Hieros. it.* עיצא, *ut Onkel. &* رداء, *ut Arabes*, *quæ omnia R. Nathan in Aruch u.* רד *denotare, ait velum tenue, quo feminarum velantur capita*, רדוד בלשון ושמעאל רדא והיא צעיף דק שמכסה האשה על ראש: *in lingua*, inquit, *Arabica* رداء *idem est*, *quod* רדיד, *nimirum velum tenue, quo feminarum capita obtegi solent.* Vid. *Barten. lib. Mischn. Celim, cap.* 29. §. 1. *Cocceji Lex. pag.* 719. *Reuchlin.* ad vocem צעיף, cujus verba in primis notari merentur. *Rectius enim*, ait, *translatio dixisset calyptram, h. e. linteum, quo mulieres caput velant, peplum, quod est in capite ejus.* Hinc *Luther.* bene vertit *Gen.* XXIV. & *Comment. in Gen. l. c.* eleganter admodum: *arbitror autem*, צעיף *significare magnum illud peplum mulierum, quo non solum capillos vincire, sed & totum caput, usque adhumeros, velare solitæ sunt*, ein langer Schley, oder grosz Gehüll umb den Kopf. II. צעיף sumitur pro *velamine vultus*, quorsum propendent *R. Sal. Ben Melech in Michlal Jophi*, Gen. XXXVIII. pag. 13. *col.* 1. בצעיף עטוף שמעטפין הנשים *tegmine*, *quo se operiunt mulieres*, & ad illud: ותתעלף, idem addit diserte, פניהם, *& contegebat faciem.* Si-

Simili ſignificatione *Luther. Conc. Germ. in Gen. pag.* 206. & *Gen.* XXXVIII. tranſpoſuit per vocem Schleyer quam tranſlationem verſio *Judaica* ſequitur, cum צעיף vertir, שרייאר. Vid. *Schindler. Lex. pag.* 1559. *Robertſ. Theſ. Ling. S. pag.* 896. & plures.

IX. Ejuſdem *pepli* ſit mentio *Eſ.* III. 23. & *Cant.* V. 7. Uſurpatur autem in fontibus vox רדיד, quæ *Caſtell.* eſt *peplum ſubtile, quo caput velant mulieres, Arabi* ארדא dictum, i. e. *peplum*, quo in æſtate operiuntur *fœminæ Arabiæ* & *Meſopotamiæ*, uti vult *Schindlerus in Lex. pag.* 1698. Originem debet radici רדד, *expandit, diduxit in laminas, attenuavit*, ausbreiten/ gleichlegen/ ausdehnen/ niederleggen/ vybreyden/ de qua voce vid. *Coecei. Lex. pag.* 709. Exinde celeb. *Zeltnerus, Diſſ. de Munim. Cap. ferm.* pro *corporis totius integumento*, vulgo Nacht-Rock/ aut Regen-Tuch/ accipere mavult, quia רדד *expandendi* notionem conſtanter retineat, quam opinionem radix quoque cognata ירד, *deſcendit*, confirmet, amictus genus, ad talos uſque *deſcendens* potius, quam capitis involucrum deſignans, quo cum una facere videtur *Fœſter. in Lex. pag.* 767. Sed, num ירד ob *deſcendendi* ſignificatum de veſtimento accipi queat, nondum mihi ſatis eſt compertum. Perplacet igitur eorum ſententia, qui, præeuntibus *Hebræorum Magiſtris*, רדיד *tegmen faciei* & *capitis* fuiſſe, arbitrantur, quod in antiquitate fundatum eſt. Sic enim *Targum Hieroſ.* & *Jonathan* loco צעיף τὸ רדידא adhibere ſolent, & *Hieron.* ad *Eſ.* III. hanc ſubjungit ἐπίκαρισον; *& hodie quoque Arabiæ & Meſopotamiæ operiuntur fœminæ, quæ Hebraice dicuntur* רדידים, *Græce* Θέριςρα, *ab eo, quod* ἐν Θέρει, *hoc eſt, in æſtate & caumate, corpora fœminarum protegant*, *R. Sal. Ben Melech*, רדידים כרמות מכלל יופי *Dſ.* III. *Cant.* V. צעיף & שעטפות, i. e. *peplis non abſimiles* fuiſſe, exiſtimat. In primis autem notatu ſunt digna, quæ *Coccei. Opp. T.* I. *pag.* 694. in medium attulit, רדיד, inquiens, *occurrit hic Cant.* V. 7. & *Eſ.* III. 23. *ubi inter ornamenta muliebria ponitur, pro* רקע. *Meturgeman dicit, quod habeat ſignificationem* פרישה & רקיעה *i. e. expanſionis. Notat igitur velum, ſeu carbaſum tenuius & levius, quod corpori facile poteſt circumjici, matronale tegmen, decens τὴν ὕπανδρον, eam, quæ maritum habet.* Ego doctiſſimo *Selden. Ux Hebr. lib.* III. *cap.* XVII. *pagin.* 305. aſſentirem, רדיד *calyptram* vocanti, ſeu *tenuius velamen faciei*, quale hodieque mulieres in Oriente geſtant, *peplum attenuatum*, ut loquitur *Schindler. in Lex. pag.* 1559. atque, ut vertit *Luther. Cant.* V. 7. per vocem Schleyer/ quo loco *Meiſner.* ita explicat: *veſtem tenuem & æſtivam*, das dünne und gefärbte Nek-gleiche Tüchlein/ womit ich mein Angeſicht verhüllte/ und nur ein wenig durchſehen konte; itemque *Feſſel. Nov. Prompt. Bibl. pag.* 65. aus der Chaldæiſchen und Syriſchen Dollmetſcher Metaphraſi erſcheinet/ daß dieſer Mantel ſey eine dünne und leichte Decke/ oder Schleyer geweſen/ damit die Frauen/ oder Jungfrauen des Sommers ihre Häupter und Angeſichter zu bedecken pflegten/ daß ſie von der Sonne nicht verbrannt würden. Cum hac explanatione concordat vox רציצון apud Arabas uſitata, &, docente id *Job. Cler. Comm. in Gen. tegmen faciei*, atque καλύπτρας *ocellatam* ſignificans. Quoniam vero צ cum puncto per d. pronuntiatur, Arabum רציצון Hebræorum רדירים exſcribere videtur. Subjungo legem, ad quam mulieres vivere tenebantur, ex *Maim. Tr.* אישות, *cap.* XXIV. ואי זו היא דת יהודית הוא מנהג הצניעות שנהגו בנות ישראל ואלו הן הדברים שאם עשתה אחת מהן עברה על דת יהודית יוצאה לשוק או למבוי מפולש וראשה פרוע ואין עליה רדיד ככל הנשים וכו׳: *quænam eſt Judaica conſtitutio, juxta quam filiæ Iſrael modeſtiæ ſtudent? ſi aliquod ex ſequentibus violarunt, tum illam tranſgreſſæ ſunt, veluti ſi mulier in plateam, aut ambulacrum patens, nudato capite, ſine peplo*, more reliquarum mulierum, prodierit. Quo eodem pertinent verba *Kimchi*, פירשו הגאנים צעיף משימות על ראשן ומתכסות בו כל הפנים שאין נראה להם אלה העינים וקישרות למטה: *explicant id Geonim: peplum imponunt capiti ſuo, ac tegunt illo omnem faciem, ut non appareant, niſi oculi, & infra* (verſus collum) *id colligant*. His denique peplis רעלות, *campanulas*, *Schindlero* pro ipſis vultus tegumento vendicatas, adhæſiſſe, notamus, quibus in primis die Sabbathi utebantur mulieres, ſi *Maimon. Obad. de Barten. Abarban.* aliis, habenda fides. Conf. *Menoch. R. H. lib.* VI. *cap.* VII. *quæſt.* XII. *pag.* 540. *ſeq. Sopran. de Re Veſt. lib.* III. *cap.* I. *pag.* 6. *Selden. in Ux. Hebr. pag.* 304. *Carpzov.* ad *Schickard.* מה pag. 356. ſeq. *Goodvv. Antiq. Hebr. lib.* VI. *cap.* IV. & plures.

Denique pectus fœminis undiquaque clauſum fuit, quod veſtimenti genus בית הנפש, *domus animæ*, ſeu *involucrum pectoris*, per Metaphoram appellatur, ſub quo faſciculi redolentes de torque ſuſpenſi latitabant. Ea de re *Grotius* בתי הנפש, *odoriferas pyxides*, *Tigur.* etiam, *faſciculos redolentes*, interpretantur. Vid. *Cant.* I. 13. *R. Levi Ben Gerſ. Cant. Edit. Prag. fol.* 7.

fol. 7. pag. 1. *R. Nathan Aruch*, *fol.* 71. *col.* 3. Vulgo omne, quod aliquid contectum tuetur, titulo בית insigniti solet, v. c. בית ידים, *domus manuum*, seu *chirotheca*, בית רגלם & בית שוקים, *tibiale*, בית אפים: *domus vultus*, i. e. *peplum*, Schleyer. Olim enim omnes corporis partes operiebantur. Quam notionem si respectemus, בתי הנפש *Es.* III. *pectoralia* esse, satis constabit. *Kimchi*, *Comment. in Es.* & alii explanant per *monilia* ubera inter pendentia, quo cum facit una, teste *Dieterico in Antiqq. Bibl.* paraphrastes, *Chaldæus*, *num.* XXXI. 50. ומעוכיא מן בית הרזן: *& monilia de domo uberum suorum*, ubi τὸ מעוכיא ornamentum est *pectoris* muliebre mammas comprimens. Ego, בתי הנפש *tegumenta pectoris*, seu *pectoralia* fuisse, puto, id quod *R. Sal. Ben Melech in Michlal Jophi*, *Es.* III. & *versio Judaica*, quæ בתי הנפש *domos animæ*, Brust-Tücher transtulit, pro quibus hodie *Christianis monilia*, seu *focalia*, Halss-Tücher, ornatus causa, adhibentur, luculenter confirmant.

XI. Harum vestium *color* variabat, pro conditione mulierum, temporis, loci, status, de quo *Dougthei*. *Buxtorffius*, reliqui, conferri merentur. *Materia* velaminum fuit *lana*, *linum*, alia, *sericum* etiam, quare τὸ משי, i. e. *sericum*, *Ezech.* XVI. 10. *Luthero* vertitur: seidne Schleyer, & *Pradus tom.* 1. *pag.* 187. משי ideo id esse, quod *Græcis* περιβόλαιον, *velamen*, quod tegit fœminas potius, quam vestit, arbitratur. *Gestabant* inquit, *Hebrææ mulieres*, *sicut & Italicæ*, *peplum pretiosum & subtile a capite ad talos fere demissum*, *quo virgines faciem*; *meretrices vero habitum virginum mentitæ*, *peplo se totas operiebant*, *unde illud Cant.* 1. 7. *ne forte vagari incipiam*, *Hebraice*, *cur ero quasi desuper amicta*, *&c.* Vid. *Castell. Lex. Menoch. Reip. Hebr. pag.* 269. *Riveti tom.* 1. *pag.* 433.

CAPUT III.

De loco quo velatæ incedebant.

I. Locus hujus obvelationis non fuit *privata domus*, sed *templum*, *synagoga*, *omnisque locus publicus*. Mundus autem universus Orientalibus תקשיט & קשוט appellatur, a *Chaldæorum* קשט & כשט, *ornavit*, qua notione vertitur illud: *& sicut sponsa*, *quæ induit vasa sua*, מתקשטא *ornatur ornamentis suis*. Harum vestium dominus fuit maritus, qui desponsatam pretiosissimo ornatu, ductamque I. alimentis II. vestimentis & III. concubitu donavit, quo respicit *Apostolus* id officii vocans εὔνοιαν ὀφειλομένην, *debitam benevolentiam*, 1. *Cor.* VII. 3. Vid. *Exod.* XXI. 10. *Goodvv. Mos. & Aaron. pag.* 897. Quæ cum ita sint, *Hebræam* mulierem domi se ornare, præsente marito, decebat, non, peregre profecto, tunc enim אין לה בעל שהתקשט לו, *non erat ipsi dominus*, seu *maritus*, *cui se ornaret*, qui mos *Græcis* quoque in consuetudinem abiit, unde illud *Hyperidæ*: *domi*, πρὸς τὸν ἄνδρα, *apud maritum*, *licet uxori ornare se*, *ut libet*, *ornamenta autem*, *quæ sumit*, περὶ τὰς ἐξόδους, *egressura domum*, οὐκέτι πρὸς τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἑτέρους, *non ad maritum*, *sed ad alios spectant*.

II. Voluntate tamen parentum, aut mariti, mulier *Hebræa* ornatu suo, sed facie contecta, incessit foras, sive in templo & synagoga, sive alibi in celebritate versaretur, ad imaginem *Susannæ*, adulteriique *suspectæ* mulieris, *num.* V. 18. de quibus v. *cap.* II. §. IV. *Rebecca* ipsa *Gen.* XXIV. appropinquantem videns *Isaacum* sese peplo involvebat, & *Maimonid.* ideo in *Antiqq. Jad. Chasak. Mass. Schabb. c.* XIX. *Hal.* 14. diserte: יצאת הנשים בקיסטין שבאזניהם וברעלות שבצואריהן או שבכסותיהן: *egrediuntur mulieres* (*in Sabbatho*) *cum fistucis aurium*, *& cum campanulis*, *quæ vel a collo*, *vel a peplo earum dependent*, *&c.* v. *Maim. Mass. Cele Hammikd.* cap. VIII. *Hal.* 7. 8. *R. Jechiiel Nathan Sepher Hearuch. fol.* 135. *col.* 1. *Abarban. R. Sal. Ben Melech*, ac *Hebræorum Magistri* tantum non omnes; *Selden. Vex. Hebr. lib.* III. *cap.* XVII. *pag.* 304. *Menoch. R. H. Pradus in Ezech. Grotius*, *Mich. Neander*, *Gejerus*, *Dieter. Carpzovius*, alii.

CAPUT IV.

De Obvelationis hujus fine.

I. Caput fœminis in signum *subjectionis & defensionis* operitur, quod vel ipsa notio τοῦ צעיף in lingua *Arabica*, *debilis fuit*, significantis, ac vis τοῦ רדיד a רדד, *subjecit*, *dominatus est*, (*Ps.* CXLIV. 2. &c. *Vid. Schindler. Lex. pagin.* 1698.) indicat, quamvis רדיד *expandendi* notionem retinere posse, nihil dubitemus. Etenim illo, qui rem expandendo tuetur, & protectionem, seu defensionem, & potestatem, seu dominium, utrumque, tribuimus, ut adeo mulier velaminis intuitu *subjectionis* pariter, ac *tutelæ* meminisse queat. *Hotting.* igitur *Goodvvinum* frustra castigat, quod רדיד cum ἐξουσίᾳ facere idem, atque a רדד, *dominari*, defluxum esse, putet. Sic enim egregie ex-

explicatur phraſis; ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, & veſtium alas ſuper ſponſam expandendi antiquitas, de qua in *Diſſ.* de *Velata Hebræorum Sponſa* videbimus. Nimirum mos ille fiebat I. in ſignum *ſubjectionis* (en τὸ רדד, *dominari*,) II. in ſignum *defenſionis*, dum maritus uxoris cauſam agere tenetur (en τὸ רדד, *expandere*.) Audiamus *Toſſan. num.* v. 18. dieſes geſchahe hiermit anzuzeigen / daß ſie frey / und ihrer ſelbſt mächtig war / und hiermit den Gewalt hatte einen Eyd zu thun / gleich wie im Gegentheil / wenn ſie eine Decke auf dem Haupt hatte / ſolches eine Anzeigung war der Macht / ſo ihr Mann über ſie hatte / 1. *Cor.* 11. 10.

II. *Faciem* & *pectus* in primis ob *pudicitiam & probri vitationem* coopertum habebant, ne quenquam forma eleganti a precibus in ſynagogis, aut templis avocarent, & ad libidinandum allicerent, de quo in *Diſſ.* de *Concluſo Hebræorum Gynæceo*. Hic mihi verba *Toſſani* annexuiſſe ſufficiat, quæ habet *Gen.* XXIV. 65. aus Schamhafftigkeit / zum Zeichen der Unterthänigkeit. Etliche nehmen wahr (daß die Alten) umb unterſchiedlicher Urſache willen haben gepflegt ihre Häupter zu verhüllen 1. für Traurigkeit / wie David gegen Abſolons 2. für Zorn und Verbitterung / wie Haman / *Eſth.* 7. 8. 3. aus Ehrerbietung / wie Elias / 1. Reg. 19. 13. 4. aus Zucht und Schamhafftigkeit / wie alhier Rebecca 5. zum Zeichen der Unterthänigkeit / 1. Cor. 11. 10. Quæ cum ita ſint, nonnulli, nec tegumenta viris abfuiſſe, arbitrantur, quos inter ipſe eſt *Luther. Comment. in Gen. cap.* XXXVIII. *pagin.* 577. *infra*, inquiens, *audiemus, etiam viris fuiſſe peculiaria velamina, quæ totum caput involverunt, perinde ut ſcholaſticus habitus fuit in Academiis cucullorum*, Studenten Kappen / *quo totum caput, una cum humeris, operiebatur. Talem, puto, fuiſſe in uſu apud Chaldæos, ſicut Ezech.* 23. *recitatur, veniſſe principes, Chaldæos, cum Tiaris tinctis in capitibus. Fuerunt ſinuoſi & ampli cuculli. Habuerunt igitur, & viri, & mulieres, peculiaria ornamenta, quibus tegerent capita, uſque ad humeros, & hodie in quibuſdam locis Germaniæ velamenta capitum in uſu ſunt, quibus & collum & operitur, ut tantum oculi appareant.* Mox ille, *pag. ſeqq.* ſubjicit: *vox Hebræa* (*Pethil*) *ſignificat filum, in plurali numero* (*Pethileja*) *ſicut hoc loco ponitur, fila*, ein geflochten / gewirckt Tuch / *ac fuit velamentum capitis, quo viri ſoliti ſunt uti, ad tegendum caput.* Quamvis autem, viros tali veſtitu inceſſiſſe, nihil dubitarem, ordinarium tamen habitum fuiſſe, irem inficias. Sicut enim גלוי ראש, *retectio capitis*, mulieribus in ignominiam, חפוי ראש *velatio* contra *faciei* in laudem vertebatur; ita hæc viris olim probroſa erat, illa vero laudi ducebatur. De cetero dabantur etiam effœminati, Veneriſque amantiſſimi, qui veſtimenta muliebria geſtabant, ſicuti, fortiſſimos quoſque, ac heroas in Græcia, nonnunquam πέπλοις ſe involuiſſe, legimus, quanquam, πέπλον ornatum mulierum, non virorum, fuiſſe, conſtet. Ut brevis ſim, *velationem*, dico, veteribus I. ob *verecundiam*, *devotionem*, ac *timorem*, eveniſſe. Quam ob rem non *mulier* modo foris comparet tecta, verum *Moſes* etiam, *Exod.* III. 6. & *Elias*, 1. *Reg.* XIX. 13. faciem obvelant, quo eodem *D. Gejer. in Luct. Hebr. cap.* XI. conſuetudinem noſtram, qua faciem precaturi pileo contegimus, nec male, reduxit, ſicut ex illo reverentiæ fonte *Judæi* orantes, videlicet ob שכינה, *h. e. præſentiam majeſtatis divinæ*, ſe טלית operire conſueverunt, teſte *Buxt. in Syn. cap.* VIII. &c. Vid. *Fuller. Miſcell. lib.* IV. *cap.* 7. II. ob *ignominiam*, *fortunamque adverſam aliam*. Sic *David*, exul, חפוי, *tectus capite*, inceſſit, mit verhülletem Haupt / & *Haman*, חפוי ראש, *opertus* conſedit *capite*, quam conſuetudinem *Aben Eſra*, *Michael Neander*, *Gejerus*, & plures alii exponunt. Exinde, cum *velatio* apud pleraſque gentes probroſa fuerit habita, φρόασις, 2. *Sam.* XV. 30. *ire capite operto*, intelligitur, & cur *Chaldæus* illud *Exod.* XIV. 8. *ire manu excelſa*, tranſtulerit: בריש גלי, *capite aperto*. Vid. *Druſ. Obſ. lib.* XII. *cap.* 18. *Gejer. Luct. Hebr. cap.* XI. Speciatim veteres vultum operiebant in *luctu*. De gente *Hebræa* v. *Gejer. loc. cit.* de *Romana Octav. Ferrar. lib.* 1. *cap.* XIII. *pag.* 71. & de *Romanorum filiis in luctu velatis*, atque *filiabus retectis*, *Plutarch. Q. R. Probl.* 14. *Lipſ. de Amph. cap.* XIX. *ſeq.* de *veſtibus* denique ob *luctum mutatis Gejer. cap.* XXI. §. 3. *ſeqq. pag.* 258. *ſeqq.* III. velabant ſe *Veneris amantiſſimi*, in gratiam mulierum, voluptatis ergo, de quo in *Græcorum Gynæceo* non nulla ſum in medium allaturus.

CAPUT V.

De Velato aliarum Gentium Gynæceo.

I. AB *Hebræis* ritum velandi fœminas ad *Ægyptios*, *Græcos*, *alios*, ut cetera, defluxiſſe, manifeſtum eſt. Nos initio *Arabiæ* & *Meſopotamiæ Gynæceum* compellamus, quo de jam quædam ex *Tertulliano*, *lib.* de *Velandis Virginibus*, &

& ex Hieronymo audivimus. Hic in primis notamus خمار, *operimentum capitis*, seu *faciei muliebre*, quod anterioribus colli partibus, mento, atque ori prætentum, superne in capitis vertice nodatur; ac *seraceum*, *oculorum velamentum*, per cujus prospiciunt poros, شعرية, *Siaariia*, dicitur, idque in occipite religant. Exinde *Meisner. Comment. in Cant. Hieronymi* verba repetens ita commentatur: *ejusmodi palliolo est obvelata Rebecca, nam & hodie quoque Arabiæ* & *Mesopotamiæ operiuntur feminæ:* mit dergleichen Schulter-Mäntlein überdekte sich die *Rebecca*, *Gen.* 24. 65. Müssen die Arabischen und Mesopotamischen Weiber ihre Augen und Wangen zudecken. Von dieser Hülle redet zweyffels frey vorerwehnter Alt-Vater / wenn er in *Epist.* schreibet: *illa sit pulchra* &c. die ist schön und lieblich / die nicht weiß / das sie wohlgestalt / auch / wenn sie ausgehet / Brüste und Halß entblösset / oder den Mantel runter hangen lässet / sondern das Antlik umbhüllet. Sic etiam extat præceptum in *Alkor. Arab. Surat.* 24. וקול אלמומנאת יעצצן מן אבצרהן ויחקטן פרוגנן ולא וברין זינתהן אלא מא טהר מנהא וליצרבן בחמרהן עלי גיובחן ולא יברין זינתהן אלא לבעולתהן או אבא בעולתהן או אבנאיהן או אבנא בעולתהן או אחואנחן או בני אחואנהן או בני אחואתהן או נשאיהן או מא מלכת אימנהן או אלתבעין עיר אולי אלארבת מן אלרגאל ואל טפל אלדין לם יטהרוא עלי עוראת אלנשא ולא יצרבן בארגלהן ליעלם מא יחפין מן זינתהן: quod ita sonat: *mulieres credentes obtegant vultus suos, & custodiant castitatem suam. Nec ornatum & pulchritudinem suam conspici sinant, præter partes eas, quæ occultari nequeunt, (quin & abscondantur velamine suo, usque in sinus suos),* (explicat paraphrastes, ille Mahumedes, Ben Achmed: ישתרו אלראש ואלענק ואלצדור באלמקאנע: i. e. *obtegantur caput, collum & pectus, velamine obducto,*) *Neque conspici sinant ornatum & pulchritudinem suam, nisi maritis suis, aut patribus suis, aut maritorum patribus, aut filiis suis, aut privignis, aut fratribus suis, aut nepotibus, sive ex fratribus, sive ex sororibus, aut fœminis suis, aut eis, quæ in potestate earum sunt, & ministris, seu asseclis, præter homines, quibuscum negotium habeant, & puerulos, qui ad fœminarum nuditatem non incenduntur, &c.* Vox autem זינת pro omni ornatu, quo corporis ipsius humani cutis, capilli, partes ceteræ, decorantur, splendidioresque efficiuntur, accipi potest, quod ex *Avicen.* locis pluribus, *Can. lib.* IV. *fol.* 7. sæpiusque *lib.* II. 2. *Golii Lex. Arab. Schindleri Lex.* & aliis demonstratur. Vid. *Alkor. Arab.* 33. *Lat.* 43. *Selden. Vex. Hebr. pag.* 306. & plures.

II. *Mulieres* etiam *Syriæ* foris contectæ eunt, teste *Meisnero* in *Cantic. v.* 7. *pag.* 116. *faciem enim*, inquit, *totam reticulo ex equinis tenuissime contexto velant, ita, ut alios spectare, non autem spectari possint. Arab. Esron cap.* 11. *p.* 64. die *Syrischen* Weiber haben ein Neklein von Pferde Haaren vorin Gesicht / so / daß sie andere sehen können / sie aber keiner / *quod comprobatur in Itin. Catovici, cap.* 14. *pag.* 222. Idem mos hodieque *Græcis* obtinet, ut testatur *Schvveigger. Itin. cap.* LXIII. *pag.* 224. von der Tracht der Griechischen Weibes-Bilder: eine Griechische Jungfrau (quam in effigie ibi sistit) mit bedecktem Angesicht. Also gehen auch die Jüdischen Jungfrauen / darumb sie auf *Hebræisch* heissen / *alma*, d. i. bedeckt. De *Armenianis* vid. ibid. lib. II. cap. LXV. pag. 230. von der *Armenier* Kleidung. *De Ægyptiis Meisner.* in Anmerckungen über Salom. hohes Lied / ubi hæc leguntur: absonderlich befleikigen sich solches Verbergens die *Ægypti*schen Weiber / die erkennet man / sagt Sommer pag. 50. 51. in der Reise an ihren Haupt-Decken. Sie sind alle vermummet / daß man ihr Angesicht gar nicht sehen kan / jedoch / weil die Leinwand gank dünne ist / können sie iederman wohl sehen / aber niemand sie. Und wenn ihre eigne Männer entgegen kämen / würden sie sich nicht aufdecken / denn sie halten es vor die gröste Schande / so eine Frau immer thun kan / wenn sie ihr Angesicht öfnet &c. Idem subjungit: das Frauenzimmer zu *Alcair* bedeckt das Angesicht mit *Cypress.* darunter ein rother Streiff laufft / *Sand. pag.* 233. Breviter: *Turcarum* mulieres & *Religioni Muhamedanæ* addictæ fere omnes contecta facie foris comparent. Hinc *Luther. in Comment. in Gen.* XXXVIII. 15. *pagin.* 577. *Audio etiam, apud Turcas usitatum esse, ut mulieres, & capite, & toto corpore, velentur; & extat narratio cujusdam, qui fuit captivus in Turcia, in qua affirmat, nunquam a se matremfamilias nudo capite, aut facie, visam cum marito colloqui*, quod confirmant, cetera ut taceam, Itineraria, e quibus mihi prodeat *Itin. Sal. Schvveig. lib.* II. *cap.* LX. *pag.* 203. von der Türcken Kleidung: eine Weibs-Person / vornemlich eine Jungfrau / ist mit einem durchsichtigen schwarken härin *Vesier* bedecket / denn sie lassen sich nicht sehen / gleich wie von der *Fama*, oder *Dea bona*, die Historien melden, sie sey so keusch und eingezogen gewesen / daß sie ihr lebtag niemand iemals gesehen habe / also lassen sich sonderlich der grossen Herren Weiber von ihren Hoffgesind und Dienern nimmer sehen / und da sie auf der Kutsche siken / spanget man Tücher von ihren Gemach / bis zum Kobel-Wagen / von beyden Seiten / daß sie keine Manns person sehen möge / da sie gleich / wie zwischen zweyen Wänden / von der Haußthür an / in den Kobelwagen hingehen; it. von der Türcken Heyrath und Hochzeit / cap. LXI. pag, 206. Sie haben ein schwark durchscheinend härin Tüchlein vor dem Angesicht. Et hactenus de

de *Velato Hebræorum Gynæceo*. Dabo propediem *Velatam Hebræorum Sponſam*, ac *Concluſum Hebræorum Gynacæum*, quibus pertractatis, ſimili modo *Græcorum* Γυναικωνῖτιν κατάκλειστον καὶ ἀπόκρυφον pluribus compellare conſtitui. Singula autem pro ſubſidiorum apparatu, ingenii viribus, laborum, quos vita Academica ſibi poſcit, multitudine; & tametſi non omnia accurate ſint conſcripta, teſtabuntur tamen de conatu, ac literas ſectandi cupiditate, cui, quanquam non cuivis per ſubſidia liceat adire Corinthum, ſua quoque laus manet.

JOHANNIS D' OUTREINII
DISSERTATIO
PHILOLOGICO-THEOLOGICA
DE
VELANDO CAPITE MULIEBRI
PROPTER ANGELOS

Ad locum 1. *Cor.* XI. 10.

ARGUMENTUM.

I. *Summa & analyſis totius capitis* II. *Scopus Apoſtoli. Nexus verborum* III. *Ordo tractandorum.* IV. *An* γυνὴ *etiam deſignet* Virgines? *Tertulliani de hac re ſententia.* V. *Tertuliani explicatio loci* Gen. VI. 2. *An ibi Filii Dei denotent* Angelos Deſertores? *Apoſtolus per* mulierem *intelligit totum ſexum fœmininum.* VII. *Quid ſit* ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Notat velamentum capitis.* VIII. *Gothofredi ſententia refutata a Doughtæo.* IX. Διὰ τοὺς ἀγγέλους, *an heic legendum* διὰ τοὺς ἄνδρας, *Refellitur hæc conjectura.* X. *Angeli an notent Eccleſiæ miniſtros?* XI. ſeq. *Bezæ ſententia.* XII. *Ea examinatur.* XIII. ſeq. *Locus* Eccleſ. v. 5. *expenditur.* XIV. XV. *Non hic intelligendi miniſtri.* XVI. XVII. *Lightfooti ſententia.* XVIII. *Examinatur, & refellitur.* XIX. *Ut & Braunii.* XX. *Viri cujuſdam docti conjectura.* XXI. *Examinatur.* XXII. שלוחי קדושין. *Legati deſponſationum.* XVII. ſeq. *Concluditur hic* angelos *intelligi proprie dictos. An vero* mali: *Nunquam hi abſolute vocantur* Angeli. XXIII. *Locus* 1. Cor. VI. 3. *illuſtratur.* XXIV. *Et* Rom. VIII. 38. XXV. *Quamobrem mulieres velari debeant* propter Angelos? XXVI. *Ratio* prima; *Quia Angeli fuere teſtes creationis mulieris ex viro. Et ſubjectionis ejus ſub viri poteſtatem.* XXVII. *Id probatur uberius.* XXVIII. *Ratio* altera: *Quia Angeli præſentes interſunt cœtibus fidelium.* XXIX. *Locus* Eph. III. 10. *illuſtratur.* XXX. *Angeli ſunt condiſcipuli fidelium, & teſtes eorum, quæ in eccleſia docentur.* XXXI. *Id probatur ex* Eph. III. 10. XXXII. *Ex his argumentum formatur ad ſcopum Apoſtoli. Sæpius officium in ſacris inculcatur argumento ab Angelis ducto.* XXXIII. *Sententia noſtra aliorum Virorum teſtimoniis corroboratur.* XXXIV. *Jacobi Fabri Stapulenſis, hujus loci explicatio.* XXXV. *Illa examinatur.*

I. **C**Apite hoc XI. ad duas Quæſtiones reſpondet Apoſtolus, a Corinthiis ſibi propoſitas, ad decentem in publicis cœtibus ordinem ſpectantes. Prima eſt *de mulierum habitu* in præcibus & conventibus Sacris. *Commatibus* 1. 16. Altera, de *communione Euchariſtiæ* in Agapis. *Comm.* 17. ad finem capitis.

Quod ad primum, Quæſtio erat, an non oporteat mulieres in precibus fundendis, æque ac viros, in teſtimonium reverentiæ Deo debitæ, & in ſignum libertatis Chriſtianæ, caput *aperire*? Quod Paulus negat, & econtrario mulieres, etiam

iam cum orant, *velatas* esse debere contendit. Quod ut Corinthiis persuadeat.

(I) Exordium sumit a monito quodam & qualicunque laude, dum hoc testimonium ipsis præbet, quod traditiones, ab se præscriptas, studiose retineant. *Comm.* 1. 2. l. a. Quod est equo currenti calcar addere; & prudenter eorum captare benevolentiam.

(II) Deinde argumentatur pro velamine mulieribus etiam in precibus publicis, retinendo argumento duplici:

- (A) Primum desumitur a decentia & necessitate discrimen inter utrumque sexum retinendi: *Virorum* enim esse, caput & faciem ostentare denudatam & apertam in precibus; *Mulierum* autem, opertam & obvelatam, in signum suæ sub viros subjectionis sive subordinationis, vers. 3. 12. Hic videas Apostolum,
  - (א) Viris concedere caput *denudatum* propter eorum præ fœminis excellentiam vers. 3. 4. l. a.
  - (ב) Fœminis autem denegare, propter earum sub viros *subjectionem*. 5. 10.
  - (ג) Rationem illam restringit, ne quis eam ad servilem subjectionem extendat. 11. 12. l. a.
- (B) Alterum argumentum desumitur a decentia & æquitate, sive communi omnium judicio, qua docemur *comam*, quæ velamenti quoque vicem præstat, mulierum decus esse. 13. 15.

(III) Concludit, abstinendum esse a vitilitigationibus, neque nodum in scirpo esse quærendum. *Comm.* 16.

II. Primum argumentum supponit, *velamentum* capitis signum esse *subjectionis* sub alicujus *potestate*. Quod satis etiam naturale est. Quid enim magis conveniens est, quam ut *subjectio* sub alicujus potestete designetur per impositionem *velamenti*, quo quis quasi *obumbratur*, *obvelatur*, & *premitur*. Quoniam ergo mulier ex constitutione Divina, sub viri potestate & imperio est, hinc non tantum ipsi *coma* data est pro *velamento naturali*; Verum etiam ab omni tempore, & apud omnes pene populos, moris fuit, ut mulieres *peplo* vel alio *velo* se obnuberent. Saltem cum id in usu fuerit apud *Judæos*, nec non apud *Græcos*, & etiamnum erat apud *Corinthios*, urget Apostolus, non oportere, ut mulieres Christianæ hoc Symbolum unquam deponant propter libertatem Christianam; quia ea Libertas ipsas non eximit potestati virorum, neque prohibet esse ὑπάνδρους; Quin e contrario ista subordinatio originem ducit ab ipsa creatione & primordiali ordinatione Dei ante lapsum.

Hoc autem ut validius urget Apostolus, etiam *Angelorum* injicit mentionem, quorum respectu vel reverentia, mulier velata esse debeat. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς Ἀγγέλους. *Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite propter Angelos.*

III. Ad cujus sententiæ pleniorem pertractationem, in considerationem nostram venire debet. I. Quænam intelligantur per nomen collectivum ἡ γυνὴ, an *Mulieres* solum *maritatæ*, an etiam *Virgines*? II. Quid sit ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. III. Præcipue autem nos exercebit ea quæstio: *Cur mulier debeat potestatem habere in capite* διὰ τοὺς Ἀγγέλους. IV. Quam connexionem habeat ea ratio cum iis, quæ in præcedentibus dixerat, cum quibus hic versiculus jungitur per voculas διὰ τοῦτο.

IV. Subjectum Orationis Apostolicæ est ἡ γυνὴ, *Mulier*. Unde dubitatio suboriri posset, & olim suborta fuit, an solum de *maritatis*; an vero etiam de *Virginibus* intelligendum sit hoc præceptum? Tertullianus librum conscripsit *de velandis Virginibus*, oppositum sui seculi moribus, „ quum non modo (verba sunt „ Jacobi Pamelii) nuptæ & virgines ho„ minum, seu seculares, quæ ad nuptias „ virorum adspirant; Sed & virgines „ Dei, quæ Christo nupserant, præser„ tim in Ecclesiis, caput non velarent. „ Contra quam consuetudinem ipse pro„ bat: *Virgines velari oportere*. “ Cum autem præcipue urgeat Ecclesiarum, quas Apostoli condiderunt, consuetudinem; facile sensit, sibi opponi posse, Apostolum de *mulieribus*, id est, *nuptis*, loqui, non autem de *virginibus*. Sic enim exorditur *cap.* IV. „ Quatenus autem de scripturis „ adversus veritatem argumentari consue„ tudo est, statim opponitur nobis: nul„ lam mentionem *virginum* ab Apostolo „ factam, ubi de velamine præfinit, sed „ tantum *mulieres* nominatas: cum si vo„ luisset & *virgines* tegi, de *virginibus* „ quoque cum *mulieribus* nominatis pro„ nuntiasset. Quomodo illic ubi de nu„ ptiis tractat (nimirum *cap.* VII.) quid „ observandum sit etiam de *Virginibus*, „ declarat. Itaque non contineri eas le„ ge velandi capitis, ut non nominatas „ in hac lege: Imo ex hoc non vela„ ri, quia non jubentur, quæ nec no„ minantur.

V.

V. Respondet ad hanc Objectionem Tertullianus primo, retorquendo. „ Sed „ & nos eandem, inquit, argumentatio- „ nem retorquemus. Qui enim sciebat „ alias *utriusque generis* facere mentio- „ nem, *Virginis* dico, & *mulieris*, id est „ *non-virginis*, ex causa distinctionis in „ his, in quibus non nominat *virginem*, „ non faciens distinctionem ostendit con- „ ditionis communionem. Cæterum po- „ tuit hic quoque constituere differen- „ tiam inter *virginem* & *mulierem*, sicut „ alibi dicit: *Divisa est mulier & virgo*. „ Igitur quas non *divisit*, tacendo *inal-* „ *teraverit*. (a) Quæ responsio eo redit; quod Spiritus Sanctus uno nomine *mulie-ris*, etiam *virginem* intelligi voluit, utpote, quod generale sit vocabulum uti & *fœmina*. Capite porro v. probat, ad *sexum* pertinere, non ad *gradum* sexus; idque ex Genesi I. 27. II. 22.; ubi Eva *mulier* cognominatur adhuc *virgo*; post matrimonium autem *mulier ejus*. Gen. II. 24. 25. Et *cap.* VI. ipsum Apostolum (b) Mariam *mulierem* vocare, quæ tamen *virgo* fuit. Et Angelum Gabrielem ad virginem missum, ipsam inter *mulieres* (c) recensuisse. Cap. VII. comprobat ipsas quoque *rationes* virginibus competere, per quas Apostolus docet *velari fœminam oportere*. „ Convertamus, inquit, ad ipsas „ jam rationes recensendas, per quas „ Apostolus docet *velari* fœminam opor- „ tere, an eædem etiam *virginibus* com- „ petant: ut ex hoc quoque vocabuli „ communio inter *virgines* & *non-virgi-* „ *nes* constet, dum *eædem* velaminis *cau-* „ *sæ* in *utraquæ* (d) *parte* deprehendun- „ tur. Si *caput mulieris* vir est, utique „ & *virginis*, de qua fit (forte legen- „ dum sit) mulier, illa quæ nupsit. Nisi „ si *virgo* tertium genus est monstruo- „ sum aliquod sui capitis. Si *mulieri* tur- „ pe est radi sive tonderi, utique & „ *virgini*. Proinde viderit seculum æmu- „ lum (e) Dei. Si ita virgini cæsum „ capillum decori mentitur, quemadmo- „ dum & puero permissum. Ergo cui „ æque *non* convenit *radi* sive *tonderi*, „ æque convenit *operiri*. Si *gloria viri* „ est *mulier*, quanto magis *virgo*, quæ „ & gloria *sibi* est? Si mulier *ex viro* & „ *propter virum*, costa illa Adæ *virgo* „ primum fuit. Si *Mulier potestatem* ha- „ bere super *caput* debet, vel eo justius „ *Virgo*, ad quam pertinet quod in cau- „ sa est. Si enim *propter Angelos*, scilicet „ quos legimus a Deo & cœlo excidisse „ ob concupiscentiam *fœminarum*, quis „ præsumere potest tales angelos (f) ma- „ culatas jam corpore & humanæ libidi- „ nis reliquias desiderasse, ut non ad „ *virgines* potius exarserint, quarum flos „ etiam humanam libidinem exuisset. „ Nam & Scriptura sic suggerit, *& fa-* „ *ctum est cum cœpissent homines plures* „ *fieri super terram, & Filiæ natæ sunt* „ *eis. Constipati autem* Filii Dei *filias* „ *hominum, quod pulcræ essent, accepe-* „ *runt sibi uxores ex omnibus quas elege-* „ *runt*. Hic enim nomen *mulierum* Græ- „ cum *uxores* sapit, quia de *nuptiis* ser- „ mo est. Cum ergo *filias hominum* di- „ cit, manifeste *virgines* portendit, quæ „ adhuc apud *parentes* deputarentur. „ Nam nuptæ *maritorum* nuncupantur: „ cum potuerit dixisse *uxores hominum* „ æque, non *adulteros* nominans ange- „ los, sed *maritos*, dum *innuptas* sumunt „ *filias hominum*, quas *natas* supra dixit, „ sic quoque *virgines* significans. Supra „ *natas*, at hic angelis *nuptas*, aliud eas „ nescio quam *natas* (ergo adhuc *virgi-* „ *nes*) & deinc *nuptas*. Debet ergo *ad-* „ *umbrari* (g) facies tam periculosa quæ „ usque ad cœlum scandala jaculata est, „ ut cum Deo assistens, cui rea est an- „ gelorum exterminatorum, *cæteris* quo- „ que *Angelis* erubescat, & malam illam „ aliquando libertatem capitis sui com- „ primat, jam nec hominum oculis offe- „ rendam. Sed & si *contaminatas* jam „ *fœminas* angeli illi appetivissent, tan- „ to magis *propter angelos* Virgines *ve-* „ *lari* debuissent, quanto magis propter „ *virgines* angeli deliquisse potuissent.

VI. In toto hoc Tertulliani discursu duo nobis notanda veniunt. I. Argumenta, quibus probat sub nomine *mulieris* etiam *virgines* ab Apostolo comprehendi, quæ magnam partem satis solida sunt ac stringentia. Confer id quod olim scripsi in Commentario vernaculo ad parabolam de *Filio prodigo* §. 353. nec non *Theodori Bezæ* in h. l. annotationem. II. Quod *Explicatio*, quam dat hujus nostri, quem sub manibus habemus, loci, falsa nititur hypothesi. Nimirum *Gen.* VI. 12. per *filios Dei*, qui duxerint *filias hominum*, intelligi *Angelos Desertores*, quorum primum flagitium fuerit prava illa vir-

(a) Id est, alteram alteri inclusit, & eodem vocabulo utramque significavit.
(b) Gal. IV. 4. *Factus ex muliere*.
(c) *Benedicta Tu in mulieres*. Luc. I. 28.
(d) Tam *Virginis* quam *Mulieris*.
(e) Id est *Christianum* ut explicat Pamelius vers. 5. 16.
(f) Id est fœminarum nuptarum.
(g) Id est obvelari, tegi.

virginum concupiscentia. Atque eo respicere Apostolum, cum *mulieres velatas* esse debere contendit, *propter Angelos*, id est, quia olim forma virginum *Angelis Desertoribus* illecebræ fuerit; & ne illi adhuc in ipsas inardescant; vel, ne ipsis Angelis bonis ipsa pulchritudo sit scandalo. Hujus paradoxi de Angelis Desertoribus, qui duxerint filias hominum, autor primus non est Tertullianus, neque postremus. Ante eum enim idem sensisse videtur *Josephus*, quum libro *Ant. Jud.* I. *cap.* IV. sic scribit: *Multos* Dei Angelos, *cum mulieribus congressos, progeniem procreasse insolentem & fiducia roboris omne jus & fas contemnentem; quorum facinora non sint absimilia his, quæ de Gigantibus Græci memorant, posteritati sunt tradita.* Hanc etiam opinionem secuti fuere Justinus Martyr, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, & post Tertullianum Lactantius, Cyprianus, Eusebius & Methodius. Originem erroris in eo ponit Pamelius, quod LXX. Interpretum Editio Græca vetus, quam illi secuti sunt, post Philonem legeret οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, & Latina-Italica, vel S. S. Ambrosio & Procopio testibus, *Angeli Dei*, pro eo quod postea lectum invenitur, οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, & Latinæ *Filii Dei*. Verum pulchre eam sententiam refutat Chrysostomus: *Homil.* 21. *in Genesin*. „ Asserunt, inquit, quod non de *hominibus* hoc dictum sit, sed de *Angelis*. „ Hos enim *filios Dei* appellavit. Primum ostendant, ubi Angeli *Filii Dei* „ appellati sint: Sed non poterunt usquam monstrare. *Homines* quidem *Filii Dei* dicti sunt, *Angeli* autem nunquam; “ (non cogitavit Chrysostomus locum Jobi *cap.* XXXVIII. 7. ubi Angeli appellantur *Filii Dei* & *Stellæ matutinæ*. Sed fateor tamen in narratione hac Historica *Gen.* VI. per *Filios Dei* non nisi *homines*, & quidem *Sethitas*, intelligi posse.) Cœterum pergit Chrysostomus, „ quid dicunt? Profecto *Angeli* quidem „ sunt, sed quia ad iniquum hoc opus „ descenderunt, dignitate sua exciderunt. „ Iterum fabulosius aliud. Quid igitur? „ *Nunc exciderunt*, & hæc ruinæ eorum „ causa. Verum Scriptura nos aliter docet, quod antequam formaretur protoplastus, a sua dignitate exciderunt & „ Diabolus & qui cum eo majorem dignitatem ambiebant. Porro, quanta „ dementia est, dicere, Angelos dejectos, ut cum mulieribus rem habeant, „ & incorporea illa natura copuletur corporibus? An non audis Dominum dicentem de *Angelorum* substantia: *In* „ *resurrectione neque matrimonium contrahunt neque elocantur, sed sunt sicut* Angeli Dei? Neque enim possibile est, „ incorpoream naturam talem unquam „ concupiscentiam habere &c. “ Alii inter Patres hujus etiam sententiæ absurditatem commonstrarunt. Inter quos *Ambrosius*, Lib. de Noe & Arca cap. IV. *Augustinus*, quæst. 3. in Genesin & lib. XV. de C. D. cap. 15. *Epiphanius*, in Epitome Divin. Dogmat. Et *Procopius*, in Commentario. Qui omnes *Filios Dei* posteros Seth, utpote Dei cultores, interpretantur, sicuti etiam Hieronymus, *lib. de Traditionibus Hebræis in Genesin*. Quid, quod Philastrius *Libro de Hæresibus*, *cap.* 108. inter *hæreses* recenset eos qui asserunt *Angelos* miscuisse se cum fœminis ante diluvium, & inde natos esse gigantes? Quum itaque Tertulliani expositio in locum nostrum Paulinum tam absurda & falsa nitatur hypothesi, facile liquet eam ab omnibus bonæ mentis hominibus explodi debere. Verum longius non provexit Tertulliani oratio, quam nobis proposueramus. Nunc ergo regressum faciamus. Id tantum pro demonstrato habeatur, per *Mulierem*, in loco nostro, *sexum fœmininum* intelligi, & sub *eadem* voce, tam *virgines*, quam *maritatas* comprehendi.

VII. De iis autem pronunciat Apostolus, quod debeant ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Quod quidem ita pervertunt, quasi dicat Apostolus, *Mulierem habere potestatem capitis sui*. Hoc enim solide refutat Photius Epist. 210. ad Eulampium Archiep. „ Illud, inquit, ἐξουσίαν „ ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, non, ut prima „ facie verba sonare videntur, ita in præ„ senti usurpat divinus Paulus: Cum au„ dimus *potestatem habere*, ἐξουσίαν ἔχειν, „ forte *dominationem* & *principatum* qui„ dam intelligent: At ille hic *potestatem* „ *habere*, ponit pro *subdi* & *subjici po*„ *testati*. Et porro: Cum principatus vi„ ri maxima gloria & apex sit mulier, „ debitrix est ea facere, quæcunque *vi*„ *rum* ut *principem*, honorent: Faciet „ autem, *habens potestatem ipsius supra* „ *caput*, & declarans subjectionem, in „ eo quod proprium caput velet. “ Verum in antecedentibus modo supposuimus & alibi demonstratum dedimus, in loco Paulino per ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, non aliud intelligi, quam *Velamentum capitis* muliebris, Σύμβολον ὑποταγῆς γυναικὸς καὶ ἐξουσίας τοῦ ἀνδρός, uti loquitur Chrysostomus. Vide Comment. nostrum in *Luc.* XV. 335.

VIII. Vir Doctissimus *Jacobus Gothofredus* loco ἐξουσίας legendum existimavit ἐξουβίαν. Adversus quam emendationem in-

insurrexit Cl. *Salmasius*, in tractatu *de coma pag.* 694. & 695. Quod ansam dedit Gothofredo, integram scripto consignandi dissertationem *de velandis mulieribus*, deque *exuvia capitis*, Genevæ MDCLIV. impressam, quam nobis hic loci compilare non vacat. Judicium Viri Doctissimi *Johannis Doughteji* si quis desiderat, „ ἐξεβίαν (inquit) hic ausi sunt substituere nonnulli, *operimentum* sive *velamen* „ denotante vocabulo. Ad quem etiam „ modum *Marc.* XI. 13. ubi Christus in„ frugiferæ ficui male ominatur, pro ὁ „ *non*, subjiciunt ὃ *ubi*, vel *quando* (con„ trario prorsus verborum significatu) & „ *venisset ad eam, nihil invenit nisi fo„ lia.* ὁ γὰρ ἦν, *erat enim tempus ficuum.* „ Scite quidem in his & similibus, sed „ quam recte viderint ipsi interpolato„ res; Certe non est tutum ludere cum „ apicibus sacræ paginæ aut in rebus re„ ligionis subtile nimis ingenium osten„ tare. Dought. *Anal. lib.* I. *cap.* 15.

Ut ut sit, in eo saltem cum vulgata sententia Gothofredo convenit, quod per ἐξεσίαν, (sive ut ille vult, ἐξεβίαν) ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *capitis* intelligat *Velamentum*.

IX. Verum enim vero præcipua difficultas in eo sita est, quod velamen tale gestandum præcipiat mulieri, *propter Angelos*, διὰ τὰς ἀγγέλας. Quæ ratio crucem valde difficilem interpretibus fixit.

Amicus quidam meus, Vir Doctus, in Epistola sua nuper narrabat, se quendam habuisse amicum, jam fatis functum, qui nova (ut ajebat) conjectura textum sacrum sollicitare ausus fuerat: Nimirum, an non pro διὰ τὰς ἀγγέλας, legendum foret διὰ τὰς ἄνδρας? Quam tamen conjecturam non plane *novam* esse deprehendi ex dissertatione quadam *Josephi Halli*, Episcopi Angli, in hunc locum, quæ in operibus ejus extat, *Tom.* 2. *pag.* 709. Ubi ait: „ Quod ad scri„ ptores novitios attinet, qui verba sic „ legunt (διὰ τὰς (a) ἄνδρας) *propter ju„ venes viros*; fateor equidem sensum „ tunc fore perspicuum; Si exemplaria „ in promtu essent, ex quibus ita le„ gendum esse constaret. Quæ tamen „ mihi nunquam occurrisse, ingenue fa„ teor.

Eundem in modum ad istam conjecturam meus rescripsit amicus, eam sibi non probari.

„ 1. Quia crisis hæc nimis audax & „ dura est. præsertim quum nullum ex„ tet MS., in quo vel vola vel vesti„ gium extet istius lectionis.

„ 2. Quia in toto Paulino discursu „ de viro & muliere semper in *singulari* „ *numero* sermo fit, quemadmodum & „ in hoc ipso commate ἡ γυνή. Adeoque „ si ulla hic obtineret mutatio, legen„ dum potius foret, διὰ τὸν ἄνδρα; quod „ multo adhuc minorem habet conve„ nientiam cum vocibus διὰ τὰς ἀγγέ„ λας.

„ 3. Quod mulier ad profitendam „ viri in se potestatem & suam sub vi„ ro subjectionem, velamen in capite „ gestare debeat, non tam liquet ex in„ tegro contextu, requisitum fuisse, *sui*, „ vel *viri* gratia, quam quidem propter „ *alios*, inter quos conversatur, ut ita „ coram illis isthoc habitu istam profes„ sionem subjectionis suæ palam ederet: „ Non *propter viros*, propter *alios*, quos „ Apostolus hic *Angelorum* nomine desi„ gnat. Quibus responsionibus nos cal„ culum nostrum facile adjicimus. Adeo„ que illibatus maneat sacer textus: διὰ „ τὰς ἀγγέλας, *propter Angelos*.

X. Sed quinam illi sunt, quos *Angelorum* nomine hic designat Apostolus? Doctissimus *Theodorus Beza*, in brevibus ad Novum Testamentum annotatiunculis, fateri non erubescit: *Quid hoc sit, nondum mihi liquet*. Ita saltem legitur in Exemplari, in forma octava, impresso A. 1565. apud *Henr. Stephanum*. Verum id non reperitur in Ejusdem annotationibus in folio. Cantabr. 1642.

Hieronymus suo jam tempore duplicem super hæc verba allegavit interpretationem. Scribit enim: „ Item hoc lo„ co Angelos Ecclesiis præsidentes dicit, „ sicut & Malachlas Propheta testatur „ Sacerdotem *Angelum* esse, dicens: *La„ bia Sacerdotis custodiunt scientiam*, & „ *legem requirent ex ore ejus*: *quia An„ gelus Domini exercituum est*. Sive ve„ re propter honorem Angelorum, qui „ Ecclesiæ assistere perhibentur" Priori loco Ambrosii sententiam recenset, qui *Ecclesiæ Ministros* hoc loco *Angelos* appellari putat: Deinde vulgarem, quæ per Angelos *Spiritus* intelligit *incorporeos*. Verum quod ad primum respondet *Calvinus*, „ neque simpliciter usquam, „ hoc est, absque adjectione, *Angelo„ rum* nomine designantur verbi Divini „ Ministri, & sensus esset nimis coactus. „ Ego igitur in propria significatione ac„ cipio."

XI. Doctissimus tamen Theodorus Beza, quem modo dicentem audiebamus: sibi non liquere, quid hoc siet, in Anno-

(a) NB. In meo quidem exemplari legit (διὰ τὰς ἀγγέλας) sed patet ex versione mox adjecta & ex contextu, legendum esse ἄνδρας, nimirum ut illi judicabant.

notationibus majoribus, mordicus priorem
tenet ac defendit ſententiam. „ *Propter*
„ *Angelos*, δια τȣς ἀγγέλȣς, id eſt, *pro-*
„ *pter Prophetas*, in cœtu loquentes ut
„ Dei *nuncios*. Redit enim ad propoſitæ
„ quæſtionis circumſtantiam, quo habitu
„ mulieres oporteret in Eccleſiæ cœtu
„ comparere: & cum argumentum ſum-
„ ſiſſet ab ipſo muliebri ſexu, cui locus
„ eſt etiam extra ſacros conventus, cor-
„ roborat iſtud argumentum, acſi dice-
„ ret, mulieribus convenire, non tan-
„ tum propter viros, ut capita in ſacro
„ cœtu operiant, ſed multo magis pro-
„ pter reverentiam, quæ Deo, per ſuos
„ nuncios & legatos loquenti, debetur.
„ *Angelorum* autem nomen *Prophetanti-*
„ *bus* (ut hic loquitur Paulus) id eſt
„ verbi Dei Miniſtris paſſim tribuitur,
„ non tantum adjuncto *Domini* nomine,
„ ut Hag. I. 13. Mal. II. 7. III. 1. Ve-
„ rum etiam *abſolute*. Eccl. v. 5. לפני,
„ המלאך, *coram Angelo illo*. Ubi cum
„ ה demonſtrativo ſignificatur *ſummus*
„ *Sacerdos*, apud quem reddenda erat
„ votorum ratio. Lev. XXVII. qui lo-
„ cus iſtum mire illuſtrat. Perperam
„ enim omnino de *Angelis* ſive *bonis*
„ ſive *malis* illi agunt interpretes; ut &
„ hoc in loco, meo quidem judicio.
„ Sed & in Apocalypſi *Angeli* dicun-
„ tur, qui Aſiaticis Eccleſiis præerant.
„ Neque hic addi neceſſe fuit *Domini*
„ vel *Eccleſiæ* vocabulum, cum ex præ-
„ cedentibus & ſubſequentibus prorſus
„ liqueat, de ſacris cœtibus hic agi.
„ Utitur autem plurali numero, quod
„ in maxima donorum Dei abundantia,
„ non tantum apud Corinthios, ut ap-
„ paret infra cap. XIV. 39. Sed olim
„ etiam in aliis Eccleſiis non *unus* ſo-
„ lus, ſed *bini* & *terni* in cœtibus ſa-
„ cris ſermonem haberent. " Quorſum
porro adhuc facit, quod Judæi Miniſtros
quoſdam Synagogæ ſoliti fuerint vocare
שלוחי הצבור *Angelos Eccleſiæ*, *Miniſtros*
congregationis, qui verbum Dei depone-
bant. Unde eadem denominatio ad Mi-
niſtros Eccleſiæ N. T. translata ſit. Uti
videre eſt apud *Ligtfootum Oper*. Tom.
I. pag. 477. Tom. II. pag. 119. 279.

XII. Negari ſane nequit, Clariſſimum
Scriptorem rationibus valde probabilibus
hanc ſuam interpretationem firmare ac
ſtabilire. Veruntamen plurimi; qui po-
ſtea ſcripſerunt interpretes, nondum hi-
ſce argumentis acquieſcunt. *Petrus* certe
Launæus in hunc locum ſcribit: Le mot
d' Ange eſt mis quelque fois pour ſigni-
fier les Paſteurs de l' Egliſe, comme on
peut voir en trois premiers chapitres de
l' Apocalypſe. Mais quand il eſt mis ab-
ſolument, ainſi qu' en ce lieu, il eſt
tousjours pris pour ſignifier les *eſprits
celeſtes*, & en ce ſens ce faut il prendre
icy. Id eſt: „ Vox *Angeli* quibuſdam
„ in locis ſignificat *Eccleſiæ Paſtores*.
„ Uti videre eſt in tribus prioribus Apo-
„ calypſeos capitibus. Verum quando *ab-*
„ *ſolute* ponitur, uti in hoc loco factum
„ videmus, ſemper ſumitur ad ſignifi-
„ candum *Spiritus cœleſtes*. Et hoc ſen-
„ ſu heic etiam intelligi debet. "

XI. Ad locum Eccl. v. 5. quod atti-
net, dignus ſane eſt, qui obiter a nobis
inſpiciatur & illuſtretur. Eccleſiaſtes hic
verſatur circa vota Deo facta, quæ omnia
ſolvenda eſſe monet: *Quum nuncupaveris
votum Deo, ne differto perſolvere illud.
Nam non oblectatur ſtolidis: id quod vo-
veris, perſolve. Mulius eſt ut non voveas,
quam ut voveas & non perſolvas. Ne per-
mittito ori tuo ut peccato obſtringat car-
nem tuam & ne dicito coram* Angelo,
errorem iſtud eſſe. Fateor quidem pluri-
mos interpretes per *Angelum* hunc intel-
ligere Sacerdotem. Inter quos *Gejerus*
nominat *Lutherum*, *Lyranum*, *Pinedam*,
Dionyſium, *Druſium* & *Piſcatorem*. *Polus*
etiam *Calvinum*, *Pembellum* alioſque.
Cum quibus etiam facit, qui nuper lin-
gua vernacula luculentum in Eccleſia-
ſten Salomonis commentarium edidit, D.
Johannes Smith, Eccleſiaſtes Amſteloda-
menſis.

Verum I. iſta interpretatio non eſt po-
ſita extra omnem dubitationis aleam.
Polus enim præter eam adhuc quinque
alias recenſet. Adeoque ex hoc loco ar-
gumentum depromi non poteſt, quo pro-
batur vocem *Angeli* abſolute poſitam,
Miniſtrum ſeu *Sacerdotem* Dei denotare.
Poſſet enim quis excipere *coram Angelo*
illic tantundem eſſe cum eo quod paulo
ante dixerat, *coram Deo*. Non quod
Deum vocet *Angelum*, vel Angelum
Deum, „ ſed quia, uti ait *Mercerus*,
„ ſic ſolet Scriptura paſſim, ubi *Dei*
„ meminit, mox *Angeli* mentionem ſub-
„ jicere, vel contra. Quod Deus *Ange-*
„ *lorum* miniſterio utatur in exequendis
„ ſuis operibus. Unde hic Græci pro *co-*
„ *ram Angelo*, dicunt, ἐνώπιον τȣ̃ Θεȣ̃.
„ Et ſingulis noſtrum Angelos ſuos cu-
„ ſtodes aſſignavit Deus, qui vident &
„ ſpectant quicquid agimus: ut Paulus
„ de mulieribus 1. Cor. XI. 10. inquit,
„ ut velent caput *propter Angelos*. Et
„ Chriſtus Matth. XVIII. 10. de pueris
„ inquit, quod *Angeli eorum vident fa-*
„ *ciem Patris*. Ne ergo *coram Deo* vel
„ *Angelo*, quem ille tibi cuſtodem aſſi-
„ gnavit, quique tibi adſtat, dixeris,
„ quod in errore voveris, ita votum
„ tuum

„ tuum excuſare volens, ſeu temerita-
„ tem vovendi. “ Sic fere etiam Cl. Coccejus: „ *Ne dicas coram Angelo*, cu-
„ ſtodæ vitæ tuæ, Miniſtro caſtigationis
„ Dei, & teſte obſequii tui ac patien-
„ tiæ in caſtigatione atque Judicii Divi-
„ ni (Confer 1. Cor. XI. 10.) *erratum*
„ *eſt*. “ Non quo *ſingulos* homines peculiarem habere *Angelum*, ſibi adſtantem, Viri illi Docti crediderint, ſed quod nullum tempus ſit, quin aliquem Angelum quiſque homo, fidelis præſertim, ſe obſervantem habeat; Vel quod nomen *Angeli* collective ſumatur pro pluribus, uti eſt Matth. XVIII. 10. vel pro quovis Angelo. Si vero hæc non arridet expoſitio, audi *Thomam Carthvvrigtum*; qui per *Angelum* hunc, „ articulo de-
„ monſtrativo inſignitum, non *quemvis*
„ beatum *Angelum*, ſed *Angelum* intel-
„ ligit *Increatum*, & *Angelum fœderis*,
„ Chriſtum, verum & æternum Jeho-
„ vam, cordis ſcrutatorem, qui vanas &
„ futiles excuſationes pervidet & probe
„ ulciſcitur. Is erat, qui Saræ, præ me-
„ tu riſum neganti, reſpondit, illam ri-
„ ſiſſe, Gen. XVIII. Et ſi quis quærat
„ cur *hunc* Angelum potius ad cautio-
„ nem & terrorem propoſuit, qui, quod
„ Mediator ſit Dei & hominum, inter
„ omnes Angelos humano generi maxi-
„ me propitius, & benignus eſt? “ Reſpondebit Carthvvrigtus: „ Quia ut ſan-
„ ctitate alios Angelos infinite excellit,
„ ſic omnium minime populi ſui ſcelera
„ ferre poteſt. Qua de re egregium
„ exemplum nobis proponitur apud *Mo-*
„ *ſem*. Nam cum Populus Iſraelis in ſe
„ Deum ad internecionem irritaſſet ere-
„ cto vitulino Idolo, atque *Moſis* inter-
„ pellatione illis vita indulta fuiſſet,
„ Chriſtus tamen, qui cum illis iter ex
„ Ægypto in deſertum feciſſet, profitetur
„ ſe velle Angelum creatum mittere,
„ qui illos in terram Canaan deduceret:
„ Se vero ne cum illis eat, impediri, quia
„ præſens illos refractarios conſumeret.
„ Vide “ Exod. XXXIII. 1. 3. 12. 15.
16. & Cap. XXXIII. 20. 21.

Ut ut ſit, quoniam hoc in loco per הַמַּלְאָךְ vel *Angeli* plures, vel *quivis Angelus*, vel *Angelus Fœderis* intelligi poteſt, facile liquet ex hoc loco non poſſe Argumentum deſumi, quo invicte probatur, hominem Sacerdotem *abſolute* & ſine ulla adjectione, *Angelum* appellari.

XIV. Quanquam II. Si omnino verum foret, *Angeli* nomine hic *Sacerdotem* indigitari, parum hoc faceret ad rem præſentem; A. Quia hic locus ex Veteri Teſtamento eſt depromptus; jure autem quis exigat exemplum ex Inſtrumento *Novo*, in quo *Angelorum* nomine, abſolute poſito deſignentur Eccleſiæ Miniſtri. B. Quia hujus loci exemplum per omnia non eſt ſimile: Etenim hic vox הַמַּלְאָךְ occurrit in ſingulari numero; Sed tale requiritur exemplum, ubi *Angelorum* nomine in *plurali* numero, abſolute poſito, Miniſtri Eccleſiæ ſignificentur, & non Spiritus incorporei, qui *Angelorum* nomine vulgo & ubique ſolent nuncupari.

XV. Quod vero ait Vir Venerandus, Miniſtros in Apocalypſi *Angelorum Eccleſiæ* nomine vocari; quodque hic loci (1. Cor. XI. 10.) neceſſe non eſſet addi vocabulum *Domini* vel *Eccleſiæ*, cum ex præcedentibus & conſequentibus prorſus liqueat de ſacris cœtibus hic agi; fateor equidem id ita ſe habere; & ſatisfaceret hæc reſponſio, ſi indubitanter verum eſſet, Apoſtolum *Miniſtros Eccleſiæ* ſub *Angelorum* nomine indigitare. Verum hoc eſt, quod controvertitur. Et abhorret plane a ſtylo Noſtri Apoſtoli, ut Eccleſiæ Præfectos *Angelos* vocet. Nullum enim ſimile exemplum in omnibus Epiſtolis *Paulinis* reperitur. In *Apocalypſi* autem, qui liber *Propheticus* & *Emblematicus* eſt, alius obtinet ſcribendi ſtylus quam in Epiſtolis Paulinis.

Præterquam quod nullam ego convenientem & ſcopo Paulino congruam rationem videam, cur mulieres in cœtibus publicis velari debeant *propter Miniſtros Eccleſiæ*. Anne ideo id fieri deberet, ne Miniſtri pulchritudine earum *capiantur*? Atqui hoc plane abhorret a ratiocinio Paulino; Qui argumentatur ex *naturali ſubordinatione* mulieris *ſub* viro; 1. Quia *vir non eſt ex muliere*, ſed *mulier ex viro*. verſ. 8. 2. Quia *vir* non eſt conditus *propter* mulierem, ſed mulier *propter* virum; verſ. 9. Unde in comm[illegible]e noſtro concludit ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ, *Propter hoc*, *debet mulier poteſtatem habere in capite propter Angelos*. Si dixiſſet *præterea* mulier det poteſtatem habere in capite *propter Angelos*, facilius concederem id intelligi de Miniſtris, ne forma earum iis eſſet offendiculo in cœtibus publicis, ubi ſancta ſancte tractanda ſunt.

XVI. Verum, dicet aliquis, non eum in finem Apoſtolum præcipere ut velatæ ſint mulieres propter Eccleſiæ Miniſtros, ne iſti forma earum aliquantenus capiantur; Sed, quia Miniſtri ſunt *Præfecti Eccleſiæ*, quorum erat animadvertere in mores eorum, qui publicis cœtibus intererant, & obſervare, an mulieres ibidem ſe ita gererent uti id flagitabant modeſtiæ leges; Et ſubordinatio illa, quæ in matrimonii inſtitutione jam olim ſanctita erat. Fateor quidem id majori cum pro-

babilitate dici posse. Verum necdum video causam sufficientem, quare, post allegationem creationis mulieris *ex viro* & *propter virum*, unde collegerat eam debere esse viro subjectam, *Ministrotum Ecclesiæ* faceret mentionem, *Ideo mulier velamen habere debet in capite propter Ministros Ecclesiæ*. Et cur hoc in casu eos insitato *Angelorum* nomines designaret, quod nusquam alibi in scriptis Paulinis reperitur.

XVII. Si ergo per Angelos hoc in loco non licet intelligere *Ecclesiæ Ministros*, porro indagandum erit, an forte *alii* quidam *homines*, Ἀγγέλων nomine, hic ab Apostolo designentur? *Johannes Ligtfootus*, Vir rerum Judaicarum peritissimus, sibi in expositione hujus loci non constat. Alibi Tom. I. pag. 779. enim observat ἐξουσίαν hic *velum* denotare, convenienter voci רדיד, quæ *potestatem* simul & *velamentum* significat apud Judæos. Verum in Horis Hebraicis ad I. Cor. XI. 10. circa hanc rem fluctuat „ Quærendum enim est, inquit, an „ ἐξουσίαν ἔχειν, non *proprie*, imo *sem*„ *per* denotet, *potestatem Pœnes se habe*„ *re*, non *supra se*, ut Matth. VII. 29. „ Johan. XIX. 10. I. Cor. VII. 37. IX. „ 4. & alias infinities.

„ Cum ergo Paulus dicit *mulierem* de„ bere *pœnes se habere potestatem capitis* „ *sui*, putat Eum non *sensu suo* hic lo„ qui, sed aliquid inter *Judæos* usitatum „ citare: non tam normam aliquam fœ„ minis Christianis dictare, quam mo„ rem Judaicum, in confirmationem eo„ rum, quæ immediate ante dixerat, „ proferre.

„ Dixerat fœminam esse *gloriam viri*, „ fuisse *ex* viro & conditam fuisse *pro*„ *pter* virum &c. Et hoc testari potest „ illud, quod apud Judæos: *Mulier de*„ *bet pœnes se habere potestatem capitis* „ *sui propter Angelos*.

„ Jam vero erant apud Judæos שילוחי „ קרושים *Angeli* vel *Nuncii desponsatio*„ *num*, qui ab hoc aut illo deputati „ erant ad desponsandam deputandi uxo„ rem. De quibus *Angelis* copiose agitur „ a Magistris sparsimque, præsertim ve„ ro in Tractatu Talmudico קרושין, cu„ jus caput 2. hoc habet initium: איש „ מקרש בו, ובשילוחו *Vir desponsat sibi* „ *uxorem vel per se vel per Angelum* „ *suum*, *aut deputatum*.

„ Jam vero, quamvis *velationem* fa„ cierum muliebrium, in plateis & re„ quirerent canones Magistrorum & con„ suetudo gentis comprobaret; permis„ sum tamen est fœminis *facies nudare*, „ ornare, venustare in ordine ad hone„ stum matrimonium: quod & ratio ipsa „ firmat & mos gentis, & docent Rab„ bini.

„ Huc spectare videtur ratiocinatio „ Apostoli hoc in loco: *Creata est fœ*„ *mina propter virum*. vers. 9. Quod & „ ipsissimo vestro, o Judæi, astruitur „ consensu cum decernitis, quod mulier „ *potestatem pœnes se habet* & habere de„ bet *super caput* proprium *propter An*„ *gelos desponsationum*. Nudet faciem, si „ velit, ut venusta appareat, velet, si „ velit, ut modesta. Potestatem liberam „ pœnes se habet, ut desponsationem „ suam promoveat nuptiasque, ut *ob* vi„ rum esset, cum *propter* virum fuerit „ creata.

„ Videtur autem Apostolus de *Ange*„ *lis* istis mentionem facere potius quam „ de *viris*, eos in rem istam deputanti„ bus: idque ut rem, quam agit, for„ tius roboret adstruatque. Quasi dicat: „ fœmina *non solum* potestatem capitis „ sui habet, ut faciem suam denudet „ coram *eo*, qui futurus est ejus *mari*„ *tus*, sed & coram *iis*, qui ab eo *mis*„ *si* & *deputati* sunt ut eam desponsent. „ Ex hac ipsa re liquet, inquit, quod „ ea, ut ob virum esset, potestatem ha„ beat faciem detegendi coram *Angelis* „ illis, qui ad eam desponsandam acce„ dunt, cum aliter pro more gentis non „ liceret. " Hactenus Ligtfootus.

XVIII. In cujus discursu varia sunt, quibus ergo album calculum adjicere nequeo.

I. Quod vocem ἐξουσίας hic sumit pro *potestate* proprie dicta; cum alibi ipsemet per *velamentum* interpretatus sit; & nos ita sumendum esse, supra demonstraverimus. 1. Quia convenit cum voce רדיד, quæ *velamen* simul & *potestatem* designat. 2. Quia phrasis ἐξουσίαν ἔχειν ordinarie quidem designat *potestatem* Pœnes se *habere*, verum res se aliter habet in hoc contextu, ubi dicitur ἐξουσίαν ἔχειν ἐπι τῆς κεφαλῆς. 3. Præsertim quia non dicit *Mulier* ἐξουσίαν ἔχει ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, sed ὀφείλει ἐξουσίαν ἔχειν. Quod plane geminum est cum eos quod dixerat comm. 4. κατὰ κεφαλῆς ἔχειν, *aliquid* (quod velamenti instar sit) *in capite habere*: & quod dicit commate 13. *Non esse decorum*, *fœminam* ἀκατακάλυπτον *non velatam*, *Deum orare*.

II. Quæ postrema observatio etiam refellit, quod porro dicit Ligtfootus; Apostolum *non sensu suo hic loqui*, *sed aliquid inter Judæos usitatum citare*: *& non tam normam aliquam fœminis Christianis dictare*, *quam morem Judaicum*, *in confirmationem eorum*, *quæ dixerat*, *proferre*.

Con-

Contrarium enim patet ex toto Apostoli discursu, & præsertim ex commate 13. *Apud vosmet ipsos judicate: num decorum sit, mulierem non velatam Deum orare?*

III. Probare non possum quod Ligtfootus e diametro contra scopum Apostoli phrasin *potestatem habendi super caput*, explicet de facultate, quam mulieres habeant facies suas *denudandi* coram *Legatis* sponsi sui, sive *Angelis*, qui ad eam desponsandam accedunt.

IV. Et quod ad vocem *Angelos* attinet, nequaquam mihi fit probabile Apostolum ad tales *deputatos* allusisse. Tales enim *Legati* vel *nuncii* non nudo nomine *Angelorum* vocabantur, sed *Legati Desponsationum*, vel saltem Legati *illius*, qui eos mittebat. Quemadmodum etiam Caput 2. Tractatus *Kidduschin* hunc in modum sumit exordium: *Vir desponsat sibi uxorem vel per se, vel per Angelum Suum*. „ Quod enim dicit Ligtfootus, „ Apostolum reticere vocem קדושים *des-* „ *ponsationum*, & dicere *propter Angelos* „ solum, non *propter Angelos desponsa-* „ *tionum*; quia ex ipso scopo dissertatio- „ nis suæ illud facile intelligeretur, cum „ in verbis immediate antecedentibus di- „ cit, *fœmina creata est propter virum*: “ id vero nauci est. Apostolus enim mentionem quidem fecerat primævæ conjugii institutionis & creationis mulieris *post* virum, *ex* viro, & *propter* virum, unde concludit fœminæ *sub viro* subjectionem & *subordinationem*; nihil autem de *desponsationibus* Judæorum, nedum de *Legatis desponsationum*, dixerat.

V. Quibus omnibus accedit, quod Ligtfootus *ita* rem considerat, quasi *ad Judæos* solum scripsisset Apostolus; cum constet ipsum scripsisse ad *Corinthios*, id est, Christianos, tam ex Gentibus quam ex Judæis, in urbe Corintho habitantes.

XIX. Has difficultates, quibus premitur sententia Ligtfootiana si vidisset Vir Cl. *Johannes Braunius*, nescio an eam pro sua adoptasset, uti facit in *selectis sacris*, non nominato tamen *Ligtfooto* „ „ Dubitari, inquit, non puto, quin per „ *Angelos* intelligantur שלוחי קדושים, „ *Angelos* (quod vitio Typothetæ positum pro *Angeli*) *desponsationis*, uti „ loquuntur Talmudici, maxime in codice *Kidduschim*. Sæpe enim virgines „ desponsari solebant per ejusmodi שלוחים „ *Angelos* sive *Legatos*, De quibus plura eodem codice Cap. 2. 3. Habebant autem potestatem mulieres, ut „ non solum coram *Sponso*, sed etiam „ coram *Legatis*, qui apud Judæos ἄγ- „ γελοι, שלוחים, id est, *missi*, dicun- „ tur, faciem detegerent, ut eorum (legendum *earum*) forma ac pulchritudo „ possit conspici, & ut de ea edoceretur „ sponsus, si eam forte non vidit, quod „ aliquando fiebat. Ad hunc ritum Ju- „ dæorum respicit Paulus, ut eos, qui „ jam ad Christum erant conversi, efficacius convinceret, non *tecto*, sed *aper-* „ *to* capite Deum adorandum a *viris*, *te-* „ *cto* vero a *mulieribus*.

Verum ut ego id, quod res est, dicam: candide profiteor, me tam cœcum esse, ut pervidere nequaquam possim, quibus fidiculis hæc *conclusio* ex istis *præmissis* extundi queat. Quale enim hoc argumentum aut qualis est consequentia? *Virgo potestatem habet Denudandi caput coram Legatis Sponsi sui, ergo mulieres debent in sacris cœtibus Velato capite orare*; Quis non videt potius contrarium inde fore concludendum?

XX. Verum Amicus meus hac forsan difficultate animadversa, quanquam in summa rei cum Ligtfooto consentit, rem tamen paulo aliter concipit. Nimirum „ „ moris erat apud Judæos, inquit, ut „ sponsi haberent suos שלוחים, ἀγγέλȣς, „ id est, *Legatos*, (quos nostra lingua „ forsan *Speelnoodz* vocaremus) qui eo- „ rum nomine nonnunquam aliquid apud „ sponsam negotii curandum habebant. „ Jam vero scribit Apostolus ad Eccle- „ siam Corinthiacam, consistentem qui- „ dem ex aliquibus *Gentilibus*, verum „ maxime & proprie ex *Judæis* (uti „ ostendit Cl. *Braunius* in aliis etiam „ Ecclesiis, ad quas Apostoli scripserunt, „ obtinuisse.) Quoniam ergo Apostolus „ hic verba facit de subordinatione mu- „ lieris sub viro, & quod ea, in *signum* „ istius subordinationis, caput *velatum* „ habere debet, mihi fit vero simile, „ ipsum *hoc* dicere velle:

„ *Et quod hoc ita fieri debeat, o Co-* „ *rinthii, nimirum quod mulier debeat ca-* „ *put velatum habere, vel ex ipso more,* „ *apud vos usitato, liquet: quia mulier* „ *caput velare solet, quum Legati, a vi-* „ *ro missi, ad ipsam accedunt. Cur enim* „ *id facit? Nisi ut in istis Legatis reve-* „ *reatur personam Mariti sui futuri. Quod* „ *si itaque mulier caput obnubit, etiam* „ *cum tantum Legati Mariti sui eam con-* „ *veniunt, eo ostendit suam sub viro sub-* „ *jectionem (per quod enim aliquid tale* „ *est, id ipsum magis tale est) & tan-* „ *to magis se obligatam fatetur, ut co-* „ *ram ipso marito caput velatum habeat.*

XXI. Fateor equidem hanc opinionem se majori probabilitate præ Ligtfootiana commendare. Sunt tamen quædam quæ obstant quo minus ei calculum adjicere pos-

poſſim. Præterquam enim quod adverſus eam etiam valeat argumentum *quartum & quintum*, modo *Ligtfooto* oppoſitum; Porro contra hanc amici mei ſententiam obſervavi velim.

I. Quod illos שלוחי קרושים *Legatos deſponſationum* apud Judæos conferat cum *Paranymphis*, *Speelnooden*; qui nonnunquam negotii aliquid, nomine ſponſi, curandum habebant apud Virginem jam deſponſatam; quum illi *Legati deſponſationum* proprie erant homines quidam, a viro vel juvene abſente deputati, ut virginem quandam in matrimonium expeterent; & quos potius appellaremus, *Makelaars van de trouvve*, *of van een Huvvelyk*, vel nomine magis odioſo, *Koppelaars*. Niſi potius per שלוחי קרושין *Legatos* vel *Deputatos* intelligamus, qui ſponſum in contrahendo matrimonio, ſive in ritu ſponſaliorum, repræſentabant atque ejus vices implebant. Juxta vulgatiſſimum Judæorum effatum: שליח ארם *Legatus hominis reputatur pro ipſo*. Quod concludi poſſe videtur ex initio capitis ſecundi Tractatus *Kidduſchin*, modo allegato. *Vir deſponſat ſibi uxorem vel per ſe vel per Angelum*, *ſive Legatum ſuum*.

II. Requiro, ut ex ritibus Judaicis oſtendatur, moris fuiſſe ut tales *Legati* plerumque a Sponſo adhiberentur ad aliquid negotii curandum apud ſponſam. Id enim non liquet ex iis, quæ docet Ligtfootus ex Tractatu Talmudico, jam ſæpius laudato. Quanquam ſi omnino id probari poſſet ex Talmude, vel aliis Judæorum ſcriptis, nondum inde concludi poſſet, jam tempore Apoſtoli id in uſu vulgari fuiſſe, & quidem apud Judæos Corinthiacos.

III. Et quomodo quis probatum dabit, ſponſam coram illis Legatis *caput velare* conſueviſſe, quum Ligtfootus & Braunius aſſerant, ipſam caput coram illis ſolitam fuiſſe *denudare*, ut teſte eſſent formæ illius, atque de ea ſponſum certiorem redderent.

IV. Præterquam quod ex toto Apoſtoli diſcurſu pateat, illum agere de eo quod fieri oportebat a mulieribus in genere, ſive virginibus, ſive maritatis, in ſacris cœtibus; non autem a *ſponſis* ſive jam *deſponſatis*, in ædibus ſuis privatis.

XXII. Atque ita conſtare arbitror nullos *homines* reperiri, qui per *Angelos* hoſce intelligi queant. Quare nihil reſtat, quam ut per *Angelos*, ordinaria ſignificatione, intelligamus *Spiritus incorporeos*.

Verum quum Angeli ſint vel *boni* vel *mali*, ulterius inquirendum reſtat, *quoſnam* indigitet Apoſtolus.

Non defuiſſe ex veteribus, qui hic de *Angelis malis*, ſive Dæmonibus cogitent, in antecedentibus vidimus; & refutavimus eorum opinionem, qui putarunt Apoſtolum velle ut mulieres velatæ appareant in ſacris conventibus, ne Angeli mali earum pulchritudine capiantur & in eas exardeſcant, uti olim ſomniant factum, quando *Filii Dei* viſa pulchritudine *Filiarum hominum* cum iiſdem fuerint congreſſi, & ſic ab integritate ſua exciderint.

Verum Ligtfootus, qui in hac re, ut diximus, ſibi non conſtat (*Oper. Tom. I. pag. 779.*) rem paulo aliter concipit. „ Cautum vult, inquit, Apoſtolus, ut fœminæ velamenta induant in capita, dum adeſſent publicis precibus & cœtibus, & hoc *propter Angelos*: hoc eſt, ſi liceat mihi conjectari, *propter Diabolos* vel *Angelos malos*, ne ſcilicet retia & laqueos tentationum nectant oculis atque animis virorum inter preces & ſacra, ex expanſa pulchritudine & venuſtate facierum muliebrium. "

Verum recte obſervavit *Joſephus Hallus*, hanc opinionem non valde abſurdam fore, ſi alicubi in tota Scriptura Sacra *Diaboli* abſolute vocarentur *Angeli*, ſine ulla additione ſive circumſcriptione. Verba Cameronis ipſa addere non piget. „ Quod nonnulli per *Angelos*, *malos* hic intelligant *Angelos*, id profecto nulla ſubnixi ratione faciunt. Cum Angeli mali id moliantur & ſtudeant, ut Eccleſiam in lupanar, ſi fieri poſſet, transforment. Si hoc ſpectaſſet hoc loco Apoſtolus, omnino Angelos malos odioſo nomine hic indigitare debuiſſet, potius quam iſta glorioſa *Angelorum* appellatione, & *Diabolos* vocare, non *Angelos*; ut Corinthiis muliebribus horrorem incuteret & abſterreret a veſtitu parum verecundo; utpote quam occaſionem *Diaboli* avide arrepturi eſſent, ad eas ad ſcortationem propellendas. Quemadmodum ſemper odioſo aliquo nomine appellari ſolent Angeli mali, vel princeps Angelorum malorum, quando monentur fideles adverſus eorum ſeductiones & irritationes. Vide Eph. IV. 27. VI. 11. 1. Tim. III. 6. 7. Jac. IV. 7. 1. Pet. V. 8. præſertim etiam 1. Cor. VII. 5. 2. Cor. II. 10.

XXIII. Veruntamen unicum proferunt locum, in quo Diaboli vel Dæmones abſolute vocentur *Angelis*; Nimirum 1. Cor. VI. 3. Οὐκ οἴδατε ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν, μήτιγε βιωτικά *An ignoratis fore ut Angelos judicemus, nedum ut quæ ad hujus vitæ uſum pertinent, non judicemus?*

Poſſem ad hunc locum reſpondere, adhuc ſub judicie litem eſſe, an iſthic *Angeli mali* an *boni* intelliguntur. Polus

cer-

certe *Menochio* & *Tirino* adſcribit ſententiam de *Angelis bonis*, Quod Chriſtum fideles eos ſint *judicaturi*, judicio approbationis, laudis & glorificationis. Grotius autem de *utriſque* videtur accipere. „ Nam & qui peccarunt Angeli, „ eo tempore (ſc. in Judicio extremo) „ ſententiam accipient. Judæ verſ. 6. „ Forte & *boni* Angeli majores honores „ accipient. "

Verum concedamus potius, 1. *Cor.* VI. 3. per *Angelos* hic *Diabolos* intelligi. Atqui tum reſpondemus:

I. Cum Camerone: „ Nullius vero „ momenti eſt, quod ajunt, hujus Epi„ ſtolæ cap. VI. 3. Diabolos *Angelos* vo„ cari ab Apoſtolo. Nam Paulus eo lo„ co vult fidelium dignitatem commen„ dare: quod profecto non tam illuſtre „ feciſſet, ſi malos Spiritus *Diabolos* vo„ caſſet, quod nomen eſt *contemptus*: At „ *hic* diſpar omnino & contraria eſt ra„ tio, uti oſtendimus. " Vult dicere, Apoſtolum Capite VI. 3. dignitatem fidelium exaggerare ex eo, quod ipſi, *homines* cum eſſent, judicium aliquando exerciturí eſſent in *Angelos*, id eſt *Spiritus* illos, qui principium ſuum non ſervarunt. Hanc dignitatem ut tanto magis extolleret, potius *Angelorum*, quam *Diabolorum* nomine ipſos vocat; quo etiam lectori ſuo in memoriam revocat priſtinum eorum ſtatum, in quo *creati* erant, ſed ex quo, per rebellionem contra Deum exciderant.

II. Cui reſponſioni firmandæ accedit, quod Apoſtolus *cap.* VI. 3. non dicat τοὺς Ἀγγέλους cum articulo demonſtrativo, uti noſtro in loco: Sed tantum Ἀγγέλους. Non *de Engelen*, ſed tantum *Engelen*. Recte enim ſcribit *Camero* in 1. *Cor.* VI. „ Cæterum Apoſtolus verſ. 3. Diabolos „ *Angelos* ſimpliciter vocavit prudentiſſi„ me: Vult nempe oſtendere ſummam fore „ excellentiam noſtram, qui ſupra ipſos „ *Angelos* ſumus aliquando evehendi. „ Diaboli enim utut pravi ſint & deſ„ perati, ſunt tamen *Angeli*. " Oſtendant ergo vel unicum locum ex toto N. T., ubi *Diaboli* abſolute vocantur οἱ ἄγγελοι. Qui cum oſtendi nequeat, concludimus, per τοὺς Ἀγγέλους indigitari *Angelos bonos*, τὰ λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, Q. E. D.

XXIV. Aſt unicus adhuc mihi locus incidit, qui adverſus hanc concluſionem produci poſſe videatur. Nimirum *Rom.* VIII. 38. ubi Apoſtolus dicit, *Perſuaſum mihi eſt*, *neque mortem*, *neque vitam*, *neque* Angelos, *neque Poteſtates* —— *nos ſeparaturos a charitate Dei*. Verum ex antedictis ad hunc etiam locum facilis eſt reſponſio. I. Per *Angelos* hic non intelligi ſolos *Diabolos*, ſed *omnes* in genere Angelos, etiam *bonis* non excluſis, ſi id in ipſos cadere poſſet, ut conarentur fideles ſeparare a charitate Dei. Quemadmodum Galatis ſcribit Apoſtolus: *cap.* I. 8. *Etiamſi vel Angelus e cœlo evangelizet vobis præter id*, *quod vobis evangelizavimus*, *anathema eſto*. Vide ſis Autores apud Polum, qui de *bonis Angelis* in ſpecie intelligunt. Verum II. dato, non conceſſo, per *Angelos* hoc loco ſolos *malos Spiritus* eſſe intelligendos; non ibi vocantur οἱ Ἄγγελοι, cum articulo, ſed nude Ἄγγελοι, quod nonnunquam in genere ſumitur pro *Spiritibus*, corporibus non alligatis. Quare inconcuſſa manet noſtra concluſio, non minus,

> *Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.*

XXV. Verum enim vero jam maxima adhuc ſupereſt difficultas, quæ tantum ſententiarum divortium inter Doctiſſimos peperit Interpretes: Cur nimirum mulieres, in ſacris cœtibus præcipue, *velatæ* eſſe debeant *propter Angelos*; & quidem *Ideo*; quia (uti verſ. 8. 9. dictum erat) mulier creata eſt *ex viro & propter virum*.

Ad quam difficultatem ſolvendam, *Primo* obſervari volumus: Ita nos verſari debere in explanatione Oraculorum Divinorum, ut tantum expendamus, quid *voces* & *phraſes*, ſecundum ſtylum S. Scripturæ, *ſignificent*. Quod ſi nobis conſtiterit (quemadmodum heic luce meridiana clarius poteſt) per τοὺς Ἀγγέλους *Angelos bonos* indigitari, propter aliquas difficultates aut obſcuritates non eſt negandus ſenſus verborum planus atque perſpicuus. Potius ignorantiam noſtram confiteri debemus, quam explicationes adhibere improprias, coactas ac longe petitas.

II. Secundo, fatendum eſt, obſcurum admodum nobis, in corpore verſantibus, eſſe commercium, quod nobiſcum habent Angeli, ſive boni ſive mali, eorumque operationes in corpora & mentes humanas. Quæ tamen neganda non eſſe, ſatis ſuperque docent ſacrarum literarum teſtimonia clara atque omni exceptione majora.

XXVI. III. Verum, Tertio, ut, quod res eſt, dicam, ob *duas* præcipue rationes puto Apoſtolum velamentum præcipere mulieribus in cœtibus publicis *propter Angelos*. *Prima* eſt, quia ipſi Angeli teſtes & ſpectatores, ut ſic loquar, fue-

fuerunt creationis univerſi atque adeo *hominum* etiam primævorum, id eſt, *viri* ac *mulieris*, & per conſequens etiam *ſubordinationis* mulieris ſub viro. Anſam huic cogitationi dedit Photius, Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Epiſt.* CCX. „ Cum ergo, inquit, principatur viri apex mulier ſit, debitrix eſt ea facere, quæcunque virum, ut principem, honorent: Illud autem faciet, *habens poteſtatem ipſius ſuper caput*, & declarans ſubjectionem, in eo, quod proprium caput velet, illum autem reputet ejus caput, & in eum omni modo tanquam caput relationem habens. Impudens certe & ingratum opus eſt, non agnoſcere illum principium & cauſam ſuæ exiſtentiæ, & ut Principi honorem tribuere. Etenim ſi nihil aliud (quæ tamen multa ſunt, quæ in hanc rem dici poſſent) recogitet; Si detrectet viri in ſe imperium, & ſuam ſubjectionem: " (ſic vertit Montacutius verba Photii, *μηδὲ τινὰς ἀνθρώπων αἰσχύνοιτο τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ, καὶ τὸ ὑποτετάχθαι καραιτουμένη*. Ego vero potius ſic verterem, *neque homines* quoſdam revereatur, ſi viri imperium detrectet, eique ſubjici nolit, „ ἀλλὰ τοὺς γοῦν ἀγγέλους φησὶν, οἱ ἐπόπται καὶ μάρτυρές εἰσι ἐξ ἀνδρὸς γενέσεως αὐτῆς καὶ προόδου, δίκαια ἂν δυσωπεῖσθαι καὶ ἀισχύνεσθαι, ὑπόκεισθαι τε κιὰ τοῦτο τῷ ἀνδρὶ, καὶ τῆς ὑποταγῆς σύμβολα, τὸ ἐπὶ τῆς κάλυμμα φέρειν. Id eſt: *At vero Angelos quidem certe*, (revereatur) inquit, Inſpectores & teſtes ſuæ a viro originis *& proceſſus, æquum eſt, ut metuat & revereatur, & ideo viro ſubjecta ſit, & ut ſubjectionis ſymbolum gerat*, *nimirum velamentum in capite. Nam hoc declarant illa*: *Quocirca mulier debet poteſtatem habere in capite* propter Angelos.

Supponit ergo Apoſtolus, juxta Photium, cujus ſententiæ nos quoque accedimus, Angelos præſentes adfuiſſe & ſpectatores atque teſtes creationis mulieris *ex viro* & *propter virum*, & inſtitutionis legum connubialium, juxta quas mulier viro ſubjecta eſt, & conſequenter omni modo ſuam ſubordinationem teſtari debet. Quod inter alia etiam fieri oportebat, velamentum in capite geſtando.

XXVII. Sed dicet forſan aliquis: Unde hoc conſtat, quod Apoſtolum ſupponere ais, *teſtes* adfuiſſe *Angelos* creationi mulieris & inſtitutioni matrimonii? At 1. Ego viciſſim quæro: unde Apoſtolo nota fuit Hiſtoria Prophetiæ *Henochi*, & ſimilia; quæ, neque in V. T. neque in monumentis Judaicis reperiuntur? 2. Unde didicit Stephanus Iſraelitas legem accepiſſe εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *per diſpoſitionem* vel *in diſpoſitiones Angelorum*? Act. VII. 53. & Paulus; *Legem ordinatam eſſe* δι' ἀγγέλων, *per Angelos & traditam in manus Internuntii*, id eſt, *Moſis*? Gal. III. 19. unde & legem vocat τὸν δι' ἀγγέλων λαληθέντα λόγον. Heb. II. 2. Novi equidem Moſen ſcripſiſſe in ſermone valedictorio Deut. XXXIII. 2. *Jehova ex Sinai venit cum myriadibus ſanctitatis*, id eſt Sanctorum Angelornm, *a cujus dextra ignis legis extitit;* Sed præterquam quod dubium ſit, an iſthic per רבבות קדש, *Myriades Angelorum* neceſſario intelligi debeant; id ſaltem liquido conſtat, in textu Moſaico non omnia iſta dici, quæ de Lege *per Angelos* aut *præſentibus Angelis* data, pronunciant Stephanus & Paulus. 3. Præterquam quod ex Jobi *Capite* XXXVIII. *comm.* 7. conſtet *Filios Dei*, id eſt, *Angelos* præſentes adfuiſſe ut ſpectatores & teſtes fundationis terræ. Unde non inepta conſequentia inferri potuit, præſertim ab hominibus θεοπνεύστω, eoſdem Angelos teſtes etiam & inſpectores fuiſſe creationis fœminæ ex viro & propter virum & inſtitutionis matrimonii & legum connubialium, adeoque ſubjectionis ejus ſub viri poteſtatem.

Quemadmodum autem Apoſtolus Legis Moſaicæ autoritatem exaggerat ex eo, quod data ſit *per Angelos*, vel *e medio Angelorum*, ſive *Angelis præſentibus*; Sic etiam heic loci vult, ut mulieres *Angelorum* reverentia, qui *teſtes* adfuerint creationis Evæ ex Adamo, & Ejus ſub viri poteſtatem ſubjectionis, eo adducantur, ut nunquam, nedum in ſacris conventibus, ubi omnia decore debent eſſe compoſita, illud ſubjectionis ſuæ ſymbolum deponant, quod eſt velamen in capite.

XXVIII. Altera ratio, cur velatas eſſe vult fœminas *propter Angelos*, priorem ſupponit; nimirum, quia Angeli, qui olim Spectatores & teſtes fuerunt ſubordinationis fœminæ ſub viro, etiamnum nobis *præſentes* adſunt, præſertim in ſacris cœtibus, licet ab hominibus non conſpiciantur; adeoque inſpectores & teſtes ſunt, quomodo ſeſe gerant Chriſtiani. Quodſi *Angelus Dei caſtra metatur circa ſingulos timentes ipſum*; Pſ. XXXIV. 8. nonne id multo magis cogitandum eſt de integris fidelium *cœtibus*? Verum quid plura? Apoſtolus noſter teſtatur Eph. III. 10. *per Eccleſiam notam fieri imperiis ac poteſtatibus, quæ in cœlis ſunt, multivariam Dei ſapientiam*. Unde ergo non immerito concluderem, Angelos in Eccleſia verſari, præſertim in ſacris conventibus,

bus, & illos etiam auditores, ut ſic loquar, & teſtes eſſe eorum, quæ ab Apoſtolis & miniſtris N. T. docebantur, ſpectantia multivariam illam Dei ſapientiam, quæ nunc per Evangelii prædicationem, tam Gentibus quam Judæis, patefacta erat.

XXIX. Novi equidem diverſas eſſe Virorum Doctorum in hunc locum interpretationes. *Nicolaus* enim *Zegerus* per ἄρχας ἐξουσίας, *Principes & Magiſtratus* terrenos intelligit, quorum celſitudinem indicaret Apoſtolus per additamentum illud ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Northonus Knatchbul* trajectionem hic ſtatuit, & voces ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, conjungit cum τῆς ἐκκλησίας, in hunc modum: *Ut nota nunc fiat principatibus ac poteſtatibus multiformis Dei ſapientia per Eccleſiam in cœleſtibus*. Alii conjungunt cum vocibus πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. *Ut nota nunc fiat principatibus & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis Dei ſapientia in ſupercœleſtibus*. Verum quis non videt, trajectionem illam eſſe admodum duram & coactam, & tantum ad ſubterfugiendam difficultatem, quæ ex hoc loco naſci videbatur, quæſitam? Alii intelligunt *Præſides* Eccleſiæ *in rebus cœleſtibus*. Verum oſtendant illi, ubinam præſides Eccleſiæ N. T. *principes ac poteſtates* appellentur. Præterquam quod non iis *per Eccleſiam*, ſed *Eccleſiæ* potius *per ipſos* innoteſcat Dei ſapientia. Alii *Angelos*, tam *bonos* quam *malos*; Nonnulli tantum *malos* intelligi volunt. Verum nos cum plurimis, iiſque Doctiſſimis Interpretibus tantum intelligimus *Angelos bonos*; ſive in genere, ſive *illos* in ſpecie, qui inter Angelos præ cæteris eminent gloria ac poteſtate. Conf. Eph. I. 21. Et voces ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *locum* deſignare cœleſtem, ubi Angeli ſuum habent ἴδιον οἰκητήριον, liquido patet ex collatione Capitis I. 20. ubi Deus Chriſtum collocaſſe dicitur, *Ad dextram ſuam* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Nec non cap. II. 6. ubi dicit, fideles una excitatos, unaque collocatos ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *in cœlis, in Chriſto Jeſu*. Adeoque hoc dicit Apoſtolus: quod nunc per Eccleſiam principatibus & poteſtatibus, id eſt *Angelis*, in cœlis ἴδιον οἰκητήριον habentibus, ſed etiam in terris & inter fideles verſantibus, nota fiat multivaria Dei ſapientia per prædicationem Evangelii, non Judæis tantum, verum etiam nunc Gentibus factam.

XXX. Verum dicet forſan aliquis, quid ergo hinc concludis? Anne Angelos etiam interfuiſſe concionibus Apoſtolorum & etiamnum Miniſtrorum Eccleſiæ, tanquam *condiſcipulos* fidelium, & ex hominibus ea *diſcere*, quæ ignota ipſis fuerant?

Reſpondeo I. Nullam forſan in eo abſurditatem fore, ſi quis hoc affirmare auſit. Nam Angelos multa ignorare & indies quædam *diſcere*, quæ prius ipſos latuerant, ſatis liquidum eſt ex Petri effato 1. *Pet.* I. 12. ubi dicit: *Angelos deſiderare* παρακύψαι, *introſpicere*, *in myſteria religionis Chriſtianæ*, *quæ nunc annunciata ſunt vobis per eos, qui vobis prædicarunt Evangelium per emiſſum e cœlo Spiritum Sanctum*.

II. Quod ſi tamen dicere nolimus, *Angelos* per Eccleſiam, aut per ea, quæ docentur in Eccleſia, doctiores fieri, atque ita ſacris cœtibus adeſſe tanquam diſcipulos; ſaltem negare nemo poteſt, ipſos adeſſe tanquam *teſtes* eorum, quæ per Evangelium prædicantur; & tanquam teſtes profectus Eccleſiæ & Miniſtrorum Ejus in cognitione Myſteriorum, quæ olim ipſos etiam latuerant. Vel ſaltem, quod ex iis, quæ *contingunt* in Eccleſia, ipſi Angeli poſſint intelligere, quæ prius non intelligebant, multiplicem nempe varietatem Divinæ Sapientiæ in regimine Eccleſiæ & diſpenſatione gratiæ ſuæ diverſis temporibus. Unde ſaltem patet, Angelos teſtes & inſpectores eſſe eorum quæ in Eccleſiæ prædicantur & geruntur. Etenim nullus peccator ad reſpiſcentiam & fidem ſinceram per Evangelii prædicationem adducitur, quin id percipiant ac norint Angeli cœleſtes. Cæteroquin enim non poſſent eam ob cauſam lætari. Quod tamen ipſos facere, diſertis verbis tradit Servator noſter: *Luc.* XV. 10. *Ita, dico, gaudium eſt apud* Angelos Dei *ſuper uno peccatore reſipiſcente*.

XXXI. Idcirco ſi conſulamus Interpretes Eruditiſſimos, non paucos reperiemus, qui ex loco Eph. III. 10. inferant *præſentiam* Angelorum in Eccleſia, & quod illi *teſtes* ſint eorum, quæ in ea geruntur ac prædicantur, aut ſi mavultis, docentur. In quem finem nos illum locum tantum allegavimus.

Benedictus Aretius, interpres ſagaciſſimus, hunc in modum ad h. l. commentatur. „ *Primum* hinc diſcimus, vocationem gentium etiam Angelos latuiſſe. „ Sciebant quidem vocandas olim ad gratiam; Sed modum & circumſtantias „ reliquas ignorabant, *quando*, ſcilicet, „ *ubi*, *quomodo*, per quas perſonas vel „ organa. Id principatus & poteſtates in „ cœlis ignorabant, nunc illis innotuit. „ Ideo finita eſt cognitio Angelorum, ut „ etiam illorum potentia. -- *Deinde*: Angelos hoc diſcere *in Eccleſia* vel *per* „ *Eccleſiam*. Non quod adſtent tanquam „ alii auditores & diſcant a docente Mi„ niſtro; Sed quia experientia vident im„ ple-

„ pleri, id, quod prius partim noverant, „ partim ignorabant, & insolitum hunc „ modum admirantur. -- *Denique* addit: „ Et alia infinita habent Angeli, quæ „ admirentur in Ecclesia Chisti. Hæc illis schola est, cui intersunt spectatores „ certaminum sub cruce, confirmatores „ infirmorum & consolatores. Ideo in ea „ oportet Ephesios quam esse constantissimos. "

Robertus Bodius verba Pauli hoc modo παραφράζει, ac si ita locutus fuisset Apostolus: „ Tam clara lux est, quæ per „ Evangelium, etiam a me inter gentes prædicatum, in Ecclesia Christiana „ refulsit, ut etiam ipsi *Angeli*, Divinam inde sapientiam plenius & uberius agnoscant, observent, intueantur, „ agnitamque laudent ac celebrent. " In sequentibus autem de *modo* agit, quo Angelis Dei sapientia per Ecclesiam innotescit. „ Nempe non crasse existimandum „ esse, Angelos cœlestes hominum etiam „ Apostolorum, concionibus eo fine interesse, aut olim præsentes adfuisse, ut „ humano more de rebus sibi prius incognitis, illorum verbo & ministerio „ imbuerentur; quasi nos eos habeamus „ in Ecclesia Christi condiscipulos: Sed „ potius Ecclesiam Christi, sic ab Apostolis collectam, vocatam & institutam „ ex Dei voluntate, patefacta per Evangelium, Angelis ipsis exemplaris aut „ speculi instar esse, in quo ipsi multiformem illam Dei sapientiam, non sine summa admiratione lætitiaque contemplentur. -- In sequentibus addit: " „ Quippe quum eos Ecclesiæ Dei adesse, piorum cœtibus interesse, suaque „ præsentia ac præsidio tueri, eripere, „ liberare, nequaquam dubitandum sit. „ Ut πνεύματα λειτουργικά, inquit Apostolus Hebr. I. 14. qui ministerii causa „ emittuntur propter hæredes salutis futuros. Hoc ipsum quoque sic dirigente ac dispensante summa Dei sapientia, ut quorum ipsi salutem suo ministerio promovent, quibus ipsi tuendis „ ac protegendis ex Dei voluntate inserviunt; ex iisdem vicissim in voluntate „ ejus agnoscenda proficiant, ex iisdem „ vicissim Dei gloriam celebrandi materiam & occasionem accipiant. " Vide porro quæ sequuntur, quæ, licet insignia ad hanc rem, nobis exscribere non vacat.

XXXII. Quodsi ergo Angeli in Ecclesia præsentes adsint, tam *extra* cœtus publicosque conventus, quam *in* iis, & percipiant ea, quæ isthic dicuntur & geruntur; facile perspicere possumus, cur Apostolus urgeat, ut præ reverentia Angelorum, qui nos *observant*, mulieres tam decore & modeste sese gerant in cœtu fidelium, uti id flagitat earum creatio ex viro & subordinario sub maritis, cujus creationis & subordinationis iidem Angeli fuerunt inspectores & testes.

Et sane non abhorret a vulgari usu Christi & Apostolorum, ut in simili casu *Angelorum Dei* mentionem injiciant, & ad officium aliquod suadeant, vel a peccatis abhortentur, argumento ducto ab reverentia *Angelorum*. Sic Christus monet apud Matthæum cap. XVIII. 10. *Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis. Dico enim* Angelos *eorum in cœlis perpetuo videre faciem Patris mei cœlestis.* Quin & Lucæ cap. XII. 8. 9. idem Servator ait: *Quisquis me confessus fuerit coram hominibus, filius quoque hominis confitebitur eum coram* Angelis *Dei*. *Qui vero negaverit me in conspectu hominum, abnegabitur in conspectu* Angelorum *Dei*. Quemadmodum & Paulus noster Timotheum suum obtestabatur, non tantum in conspectu *Dei & Domini Jesu Christi*, verum etiam *Sanctorum Angelorum*, ut præcepta, sibi data, servet, I. Timoth. V. 21. Quid mirum ergo, si & hic loci præcipiat, ut præ reverentia Sanctorum *Angelorum* in cœtibus fidelium præcipue præsentium, mulieres sese modestum & decorum in modum componant.

XXXIII. Rem acu tetigisse mihi quidem videtur Doctissimus Camero: „ Simplex sensus hic esse videtur, ut Apostolus hortetur mulieres ad gestandum „ velamen in capite, aitque naturam ipsam hoc docere. Sed quoniam fortasse „ causari potuissent viris id gratum esse „ ut aperto capite incederent, sic occurrit ut dicat, si *hominum* causa velamen non gestent, saltem caput velent „ *propter Angelos*, qui præsentes sunt „ easque conspiciunt, quorum oculis (si „ fas ita loqui) probrosum & inhonestum videtur ut aperto capite incedant. " Concinit Diodatus in notis ad h. l. *a cause*: „ D' autant que les „ femmes pouvoyent dire: Les hommes „ sont bien contents, que nous soyons „ ainsi decouvertes, & nous permettent „ cette legere usurpation du signe de la „ superiorité que leur appartient: L' Apostre respond: Si les *hommes* connivent „ a ce desordre, les *Anges* perpetuels „ gardiens de l' Eglise, assistans a ses assemblees, en sont offenses. Nec non „ Clar. Heideggerus: *Propter Angelos*, „ (præsentes scilicet nobis, tum domi, „ tum in Ecclesia,) decori, ordinis, pudoris, modestiæ, pietatis nostræ & contrariorum etiam testes. Nam *Angelus* „ *Domini castra habet circa timentes eum.*

„ Psal.

„ Psal. XXXIV. 8. Hunc ipsum in finem „ Angeli creati, ut videant opera Dei „ in Ecclesia, Deo inserviant, laudem „ Dei multiplicent; quos tristitia affici „ necesse est, si in Ecclesia offenderint „ scandala, pravos mores, honestatem & „ decorum violatum: gaudere contra, „ applaudere, Deo gratias agere, innocentiæ testes existere, si honeste & ex „ decoro geri omnia animadverterint. „

XXXIV. Hic colophonem dissertationi nostræ imponeremus, nisi adhuc in manus incidisset Commentarius *Jacobi Fabri Stapulensis*, qui aliter quam vulgo solet, Apostoli argumentationem concipit. Lectori non ingratum fore confidimus, si integram ipsius in hunc contextum exhibeamus commentationem: „ *Velim autem vos nosse* (inquit Paulus) *Christum esse omnis viri caput: caput autem* „ *mulieris virum: caput vero Christi Deum.* „ *Omnis vir orans aut prophetans operto* „ *capite, dedecorat caput suum. Omnis vero mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput suum. Nam* „ *id perinde est ac si rasa esset. Nam si* „ *non velatur mulier, etiam tondeatur:* „ *quod si turpe est mulieri tonderi aut radi, veletur. Vir enim non debet velare* „ *caput; quum is sit imago & gloria Dei:* „ *at mulier gloria viri est*, vers. 3. 7. „ quam pericopam hoc modo explicat: „ Vir immediate factus est a Deo, imago & similitudo Dei ad ejus gloriam. „ *Mulier* vero mediante viro: quasi *velamine* inter eam & Deum posito. „ *Medium* enim ut interstitium & velamen quoddam est. Ad quod mysterium „ designandum, cum vir se convertit ad „ Deum (quod maxime aut orans aut „ prophetans facit) *detecto* capite, quasi „ nullum inter se & Deum *velamen* habens, suæ creationis honorem, ut est, „ Deo offerens, id facere debet. Mulier „ autem *capite velata*, suam creationem „ agnoscens & ut decet honorem Deo „ offerens, secundo loco & gloria viri „ intermedia. Est enim vir prima & immediata gloria Dei: Mulier mediata & „ secunda, & immediata gloria viri, & „ ipsius viri gratia facta. Propterea subdit Paulus vers. 8. 9. 10. *Non enim* „ *est vir ex muliere, sed mulier ex viro.* „ *Etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Quapropter debet mulier potestatem habere* „ *in capite propter Angelos.* Nimirum: „ Quia & *vir* & *Angeli* immediate creati sunt a Deo, & ideo nullum velamen in hujus rei Symbolo debet habere vir cum convertitur ad Deum, „ non secus ac *Angeli*. At mulier non „ solum *propter virum* habere debet, sed „ etiam *propter Angelos*, Superbia enim „ esset, si creationem suam *Angelis* faceret *æquam*. Cum hanc potestatem „ habeat mediante viro. Quid est enim „ mulierem *potestatem habere*, & *debere* „ quidem *habere*, in capite: nisi mediante viro, mediante capite, qui vir „ ejus est?

XXXV. Si quis aliquid solidi in eo commentario reperire aut ex ea exsculpere queat, is suo per me licet, fruatur judicio. Ego saltem probare nequeo id quod scribit in phrasin *propter Angelos*. Etenim 1. Apostolus non dicit *viros* velamen in capite habere *non* debere *propter Angelos*, id est, ut ipse explicat, *non secus ac Angeli*. Sed *de mulieribus* loquitur. 2. Præterea a vero est absonum, quod vir *aperto capite* Deum orans in eo *conveniat* cum *Angelis*. Etenim si Angelos consideremus tanquam *Spiritus*, non habent utique *caput*, quod *velare* possint. Si vero ipsos consideremus in corporibus apparentes, vel in Emblematicis repræsentationibus, omnino leguntur *facie velata* coram Deo esse. Cujus exemplum videre est Jes. cap. VI. ubi repræsentantur *Seraphim*, id est *Angeli*, adstantes solio Jehovæ, sex alis præditi, quarum binis *tegebant in faciem suam*, binis autem pedes suos, ac binis volabant. 3. Neque video ullam in eo soliditatem, quod Apostolus diceret: Ideo mulier debet habere potestatem in capite *propter Angelos*. Id est, quia si aperto esset capite, eo ipso creationem suam *Angelis* faceret *æquam*, quæ superbia esset, ipsam parum decens. 4. Quod eo minus nobis placere potest, cum in præcedentibus ne γρῦ quidem de *Angelorum creatione* meminerit.

GERHARDI CROESII COGITATIONES DE EODEM LOCO

I. CORINT. XI. 10.

APostolus hic utitur argumento ſumto, ut ajunt, ab honeſto ac decoro. Vult uti ne anſam dent cavillandi, deridendi, malum ſpargendi rumorem de Eccleſia, Corinthiis infidelibus, adverſariis, gentilibus ingredientibus forte Eccleſiam, & vult, eos eſſe abſque offenſa Corinthiis ſuis *συμπολίταις*. Quamobrem mihi Ἄγγελοι, quos Apoſtolus vult fideles ac Sanctos Corinthios in ſuis ſacris conventibus revereri aut timere, ſunt *exploratores*, *nuntii*, *delatores*, *infideles*, *Gentiles*, qui Eccleſiam adibant, explorandi, *renuntiandi* quid quiſque in ea diceret & ageret, qui ſe gererent &c. duntaxat irridendi & accuſandi cauſa. Certe congruit in hoc nomen ἀγγέλων. Vocabulum enim ἄγγελος nomen eſt muneris, functionis, officii, ab hac ſignificatione in ſacris literis translatum ad *Spiritus cœleſtes*, *nuntios ac Miniſtros* Dei, qui a Deo ſæpe mittuntur ad pios homines. Verum ut nomen ἀπόστολος & ἐπίσκοπος, quorum illud *miſſum* notat, hoc *inſpectorem*, ita & nomen ἀγγέλου traductum quoque ad *Miniſtros Eccleſiæ*, utpote *miſſos* divinitus ad Eccleſiam, tanquam Dei *nuntios*. Quin & Jac. II. 25. Viri iſti, qui miſſi fuere (ut eſt Joſ. II. 1.) a Joſua ad explorandam civitatem Jericho, & qui in libro Joſuæ indigitantur *exploratores*, ab Apoſtolo Jacobo vocantur ἄγγελοι. Nempe nuntii ad hoc *miſſi*, ut explorarent ſitum ac ſtatum regionis ac civitatis, &, ut explorata, viſa, cognita, *renuntiarent*. Sic ἄγγελοι hic Jacobo ſunt, qui Paulo Hebr. XI. 31. κατάσκοποι. Ita apud Homerum ſæpe *nuntius explorans* & explorata *renuntians*, eſt ἄγγελος. Loca, quia obvia ſunt, non adſcribo. Quod ſi tamen Homeri teſtimonium hoc non ſatis expreſſum videatur, neſcio, quid magis perſpicuum atque illuſtre queat eſſe, quam quod eſt *Euripidis*, *in* Βακχ. a verſ. 663. ubi ἄγγελος, eſt qui *mittitur*, a ſuo hero ſpectatum nuntiatumque, ut Bacchæ ſe gerant in ſuis cœtibus, ut qui cum illis converſabantur, hoſpites effœminati, quemadmodum juvenes, anus, virgines atque innuptæ, in ſignum ac miraculum quaſi εὐκοσμίας dimitterent εἰς ὤμους κόμας, *comas in humerum*, verſ. *694*. Ad hæc legatur Æſchylus, cum alibi, tum ἐπὶ Θήβαις in principio, ubi ἄγγελος eſt & expreſſe vocatur σκοπὸς καὶ κατόπτης & ubi idem mox de ſe ipſe: ἥκω, αὐτὸς κατόπτης δ' εἰμὶ ἐγὼ τῶν πραγμάτων, & apud *Sophoclem* in Ἀντιγ. Eſt ἄγγελος, eſt ἐξάγγελος, & eſt ἄγγελος φύλαξ, cuſtos, janitor, excubitor, ut qui veniant aut exeant, obſervet. Rurſus in Sacra Scriptura Luc. VII. 24. illi, quos Johannes *mittit* ad D. Jeſum, ut quis Jeſus eſſet ſciſcerent ac *renuntiarent*, nominantur a Luca Johannis Ἄγγελοι. Adde Luc. IX. 52. Hi qui Paulo hoc loco ἄγγελοι, puta fallaces, fraudulenti, quos Lucas nominat cap. XX. 20. ἐγκαθέτους, qui obſervarent, παρατηρήσαντες, & *renuntiarent*, quid Jeſus diceret atque ageret, ἵνα εὕρωσι κατηγορίαν αὐτοῦ. Cap. VI. 7. Adde cap. XIV. 1. Ergo hi ἄγγελοι inſidiatores, *emiſſi*, ſubornati, doloſi, pravi. Fuiſſe autem in cœtibus Chriſtianorum ejuſmodi ἀγγέλους, ſive introiiſſe in Eccleſiam clanculum tales *Speculatores*, infidos, Apoſtolus Paulus docet Gal. II. 4. ubi eos nominat παρεισάκτους. Sunt autem παρεισάκτοι, *emiſſarii*, ſubornati, inſidiatores, peregrini, adventitii, qui dein evadunt ἀγωγοὶ actores litis. Docet tales fuiſſe Judas verſ. 4. qui de iis ait, quod παρεισέδυσαν, *ſubrepſerunt*. Tertullianus Apol. adv. Gent. cap. 7. *Tot hoſtes, quot extranei, & quidem proprii etiam domeſtici noſtri. Quotidie obſidemur, quotidie prodimur. In ipſis plurimum cœtibus & congregationibus noſtris opprimimur.*

Nunc poſt nomen *rem* ſpectemus, ut *nomina* ſunt propter *res*. Fuerunt Corinthii olim omnes, cum mares, tum mulieres, homines delicati, molles, laſcivi, luxurioſi, ſcortatores, tantopere his vitiis dediti, iiſque infames, ut venerint in pro-

proverbium, atque ut isti, qui se his fœdis moribus traderent, dicerentur κορίνθιοι & κορινθιάζεσθαι. Hoc ipsum Paulus Apostolus notat, notatque eos quoque, qui suo tempore ad Christianam se converterant fidem ac religionem, istis turpitudinibus ex parte obnoxios fuisse, 1. Ep. VI. 9. 10. Itaque cum omnes usque adeo corrupti essent, omnes quoque viri ac mulieres æque essent effœminati, neque in habitu sexus discrimen tenerent, & viri instar mulierum velati essent, mulieres tanquam viri absque tegmine, & viri ut mulieres κομᾶν & hoc sese integumento vestire & ornare singuli ut cupiebant. Hoc de *coma* cognosci licet e Martiale lib. x. Epigr. 65. ubi *Carmenionem*, jactantem, se *municipem Corinthiorum*, ludit, dicitque eum id dicere nullo negante; propterea, quod more Corinthiorum, *flexa nitidus coma vagetur*. Cæterum notat Apostolus suo tempore fuisse in Ecclesia Corinthiaca etiam, qui videbantur Christiani, qui audiebant fideles, qui cluebant fratres, qui mensæ Domini erant participes, qui deprehendebantur quod erant istiusmodi mali homines, ut Apostolus nolit vere fideles ac pios cum iis quidquam commercii habere, nedum ad S. cœnam eos admittere, nec mensam convictumque quomodocunque communem cum ipsis habere. Cap. v. 7. Et notat inter hos quoque fuisse; qui erant εἰδωλολάτραι, qui λάιδοροι, maledici, calumniatores, convitiatores. Immo qui qualesve quandoque sint λοίδοροι, ut alios, ut probos atque honestos observant, accusant, deferunt & sinistrum ac pravum rumorem de iis spargunt, intelligi potest e verbis Josephi lib. contra Apiones. II. Atqui hi etiam illi ἄγγελοι, ementiendo adumbrantes homines sinceros, interim *emissarii*, excubitores, delatores, accusatores; a quibus ut Ecclesia sibi caveat, quibus ne occasionem cavillandi præbeat, Apostolus monet.

Adhæc etiam alii erant *Corinthiensis frontis*, ut C. Frontonis verbum huc referam e lib. de voc. differ. Erant videlicet & fideles ac pii in Ecclesia Corinthiaca, πιστεύοντες, πιστοὶ, vere Christiani, sic conjugati, ut compar maritus vel uxor esset disparis religionis, id est ἄπιστος seu gentilis; adeoque tanquam reliqui Corinthii iisdem perditis moribus, 1. Cor. VII. 12. 13. Hi autem Gentiles etiam accedebant ad Ecclesiam, Cap. XIV. 24. Quos inter sine dubio erant, qui modo accedebant spectatum, exploratum, quid sui, quid singuli atque universi in cœtu agerent, quidam ut ἄγγελοι, *nuntii*, *emissi*, delatores calumniatores, qui omnia in pejorem partem accipiebant dissipabantque. Hi ἄγγελοι, λοίδοροι, ἄγγελοι τοῦ Σατανᾶ, illius adversarii, calumniatoris istius κατ᾽ ἐξοχὴν. Jam horum ἀγγέλων causa jubet Apostolus Corinthiis, ut ipsi hac continentia versentur in Ecclesia, ne alioquin dent ἀφορμὴν τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν; quæ verba sunt Apostoli ad mulieres νεωτέρας, quibus eas monet, ut modestiam sectentur. 1. Tim. v. 14. Atque hac demum ratione, si hos hic loci intelligamus ἀγγέλους, argumentatio Apostoli bella est ac valida. Ita si Corinthii in suo conventu vitarent, ut viri non cum velamine, mulieres non sine velamine agerent, illi Corinthii extranei, Gentiles, non habebant, quod Ecclesiæ objiciebant, cum Apostolus, cum qui ad Ecclesiam pertinebant, reprehenderet, damnaretque gentilium Corinthiorum luxum & habitum indiscretum capitis, ipsam quoque Ecclesiam sic agere & Corinthizare adeoque ipsos in eo in quo culpabant alios, *se* culpare & κατηγορεῖν. Si hanc infamiam vitarunt, ut isti ἄγγελοι, ut cæteri Corinthii ἀγλαοὶ, splendidi atque ornati isti, non forent ἐγγελοῖοι neque γελωτοῖοι.

Sunt qui scripturam in voce Apostoli ἀγγέλους tentant & aliud vocabulum substituunt, quoniam iis durum videtur, quod Apostolus hic referat ἀγγέλους, illa πνεύματα cœlestia λειτουργικά. Ego nil quicquam sollicito. Quod si tamen alia vox ponenda esset, ego ponerem vocem istiusmodi ut est nomen ἐγγελοῖος.

JOHANNIS D' OUTREINII

IN EAS COGITATIONES

EPICRISIS.

Una cum remotione quorundam dubiorum a viro quodam docto circa illum locum motorum.

IN hoc Viri Doctissimi discursu varia occurrunt interioris eruditionis specimina, quæ facere possunt ad illustrationem loci non minus in celebri hac ad *Corinthios* Epistola, & in hoc nostro præsertim capite. Verum enim vero quod ad ἀγγέλους attinet, nequaquam me adstipulantem haber, ut per illos intelligam *homines* tales *emissarios*, *excubitores*, *delatores* &c. I. *Primo*, quia in antecedente dissertatione demonstravimus, vocem Ἄγγελος absolute positam, non nisi de *Spiritibus incorporeis* sumi in Scriptura N. T. sive *malis* sive *bonis*. Non equidem me latuit Jac. II. 25. *Exploratores*, a Josua *missos*, ἀγγέλους appellari; Verum ibi ex *circumstantiis* textus, & *Historia*, quam allegat Apostolus liquido, patet *a quo* & ad *quodnam* officium *missi* essent. Et Luc. VII. 24. expresse *Legati*, a Johanne *missi*, vocantur Ἄγγελοι Ἰωάννου. Sic quoque in loco Luc. IX. 52. Ubi *Christus* dicitur *misisse* Ἀγγέλους Samariam versus, ut ei pararent hospitium. II. *Secundo*, quia vox ἄγγελος plerumque nomen *dignitatis* est, quando nullo circumscribitur adjectivo. Si autem Apostolus indigitasset tales *insidiatores*, *subornatos*, *dolosos*, *pravos*, procul omni, dubio alio usus fuisset nomine, eoque non *honorifico*, sed odioso: quemadmodum id ita obtinet in aliis locis, a V. D. allegatis, ut Luc. XX. 20. VI. 7. XIV. I. Gal. II. 4. Judæ vers. 4. I. Cor. XIV. 24. I. Tim. V. 14. III. *Tertio*, quia demonstratum dedimus vocem τοὺς Ἀγγέλους, cum *articulo demonstrativo*, absolute positam in N. T. non sumi, nisi de *Spiritibus Ministratoriis*, id est *Sanctis Angelis*. Quod argumentum nequaquam infringitur per loca ex Homero, Euripide, Sophocle, Æschylo citata. Hic enim de phrasi, in *N. T.* occurrente, est quæstio. Et nihil probant ista loca, nisi *nuncios quosvis* vocari ἀγγέλους; & variis in casibus *nuncios* exploratum renuntiatumque *mitti*, quod ego equidem non nego; Sed hic est ἀπροσδιόνυσον.

IV. *Quarto*: Quia nullam video vim in ratiocinio Apostolico, si tales *exploratores* per τοὺς Ἀγγέλους intelligantur. Dixerat enim fœminam *creatam* esse *ex viro* & *propter virum*, atque inde concludit *Ideo mulierem velamen* (ἐξουσίας viri in eam Symbolum) *in capite habere oportere propter Angelos*; quod nequaquam stringeret si tales exploratores intelligantur. Et si rem ipsam tantum consideremus, *cur* velatæ esse deberent mulieres *propter* illos *exploratores*, gentiles, infideles? cum illi, si viderent mulieres Christianorum sine velamine, viros autem comatos vel velatos, nihil aliud rescisceerent, quam quod Corinthis passim in more positum erat, adeoque nullam inde rationem captare potuissent *accusandi*, irridendi & cavillandi Christianos. Quare concludo, potiorem esse vocis ἀγγέλων, quam nos dedimus & vindicavimus, acceptionem. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Quod vero subjungit Vir Doctissimus, si sollicitandus esset textus Græcus, sibi videri legendum esse διὰ τοὺς ἐγγελόιους, *propter irrisores*, id nequaquam mihi fit probabile. I. Quia ea lectio est contra omnium codicum fidem. Quia vox ea nusquam in N. Test. occurrit; & nescio an satis *Græca* sit. Certe eam nec reperio in Glossario *Philoxeni*, nec apud Autorem *Etymologici Magni*, neque apud *Suidam*, neque apud *Budæum*, nec in *Henrici Stephani*, aut *Scapulæ*, aut *Roberti Constantini* Lexicis. Quemadmodum etiam Vir Doctissimus *Joh. Jensius*, Collega olim in Professoratu Dordraceno honoratissimus, a me super hac voce an *Græca* esset, rogatus, respondit se loculos omnes & angulos excussisse, sed vocem ἐγγελόιος apud idoneos Autores non reperisse.

Alius quidam Vir celeberrimus, cui per Epistolam meam de loco hoc sententiam breviter exposueram, & judicium ejus rogaveram, paucis respondit. *Ex loco* I. Cor. XI. 10. *ego vix me expedito, ut soleo ad multos hærere difficultates, ex qui-*

quibus alii tam facile & tantis cum asseverationibus se extricant. Quod Tu prætulisti, præferendum quoque putem reliquis interpretationibus a Te commemoratis. Speciosa certe sunt, quæ commentaris, & idoneam continent rationem ex Angelis cœlestibus petitam. Sed tamen valde miror, ipsum Paulum nec ullum quidem verbum addidisse, unde liqueat, quorum Angelorum *mentionem fecerit; cum vox sit* πολύσημος, *nec ulla rerum circumstantia ejus significationem hic vel minimum declaret.*

Ad quod respondeo; vocem Ἄγγελος quidem esse πολύσημον: Verum quoniam ostendimus eam, cum *articulo demonstrativo*, absolute positam, semper notare Spiritus ministratorios, satis inde liquere, *quorum Angelorum* fecerat mentionem; & articulum illum satis declarare vocis significationem, secundum stylum Novi Testamenti & signate Pauli Apostoli.

Deinde miratur V. C. *non exposuisse Apostolum, cur propter cœlestes* Angelos *magis, quam propter* Deum, *qui ea sorte & conditione creavit fœminas, ut debeant habere* ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *aut propter* Viros, *quorum respectu debeant habere* ἐξουσίαν, *quia vir est caput fœminæ & ἐξουσίαν in eam habet, quod illo tegumento capitis, quasi documento* τούτης τῆς ἐξουσίας, *& ideo dicta hic* ἐξουσία, *videtur declarari ex Pauli sententia.*

Respondeo I. Quod fœminæ velamentum in capite gestare debeant *propter Deum*, qui ea lege & sorte creavit fœminas, ut viris essent subditæ, Apostolus in præcedentibus docuit. Jam vero addit, illas, etiam præ *Angelorum* reverentia, talem ἐξουσίαν habere debere in capite.

II. Simili modo mirari quis posset, cur Apostolus Legis Mosaicæ autoritatem exaggeret inde quod fuerit λόγος λαληθεὶς δι' ἀγγέλων, Heb. II. 2. & peccatum contemtus parvulorum in regno Dei, ex eo quod *Angeli eorum videant faciem Patris*; cum potuisset Apostolus & Christus Dominus *Deum ipsum* allegare, qui ex Sinai locutus sit; & qui curam parvulorum gerat.

III. Sed subordinata non pugnant. Cum enim *Angelorum* facit mentionem, tacite *Deum* subinnuit, cujus Angeli *ministri* sunt. Confer quod supra ex Mercero ad locum Eccles. V. 19. allegavi §. 13.

Hinc, quod Matth. X. 32. 33. dicitur: *Quicunque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram* Patre meo *qui est in cœlis. Quisquis autem negaverit me coram hominibus negabo eum & Ego coram* Patre meo *qui est in cœlis*. Id Marci VIII. 38. sic redditur: *Filium hominis pudebit ejus, quando venerit cum gloria Patris sui cum* Angelis *Sanctis*. Et Lucæ IX. 26. *Quando venerit cum gloria sua & Patris & Sanctorum* Angelorum. Ast cap. XII. 8. 9. solorum *Angelorum* fit mentio. *Filius quoque hominis ipsum confitebitur, vel abnegabit,* ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ, *coram* Angelis *Dei*.

Quod vero addit V. C. cur non dicat Apostolus *propter viros?* De eo videri responsionem Amici mei ad conjecturam an non legendum sit διὰ τοὺς ἄνδρας. Supra §. 9.

Denique subjungit Vir Celeberrimus: *Sed tamen nihil melius, ut dixi, ego quidem invenire aut extricare possum &c.*

Forsan V. C. integra mea dissertatione visa & lecta, judicabit me difficultates sic satis pro virili extricasse, vel saltem demonstratum dedisse, nullos alios quam *Angelos cœlestes* hoc loco intelligi posse. Q. E. D.

AN-



ANTONII BYNÆI
DE
CALCEIS HEBRÆORUM
LIBRI DUO

PRÆFATIO.

CAlceum, immundissimam pedum tutelam, summa totius orbis ingenia non indignum judicarunt, quem magna diligentia describerent, qualis apud Græcos & Romanos fuerit. Præter ea quæ passim monuerunt Adrianus Turnebus, Justus Lipsius, & complures alii, qui doctrina præ cæteris floruerunt, in eo multum studii operæque posuerunt viri elegantissimi & pereruditi Benedictus Balduinus, Albertus Rubenius, &, qui Caligam peculiari dissertatione asseruit, Julius Nigronus. Ipsi literarum principes Isaacus Casaubonus, Claudius Salmasius, Octavius Ferrarius, de Græcorum & Romanorum calceis multa docuerunt, plura præstituri, nisi inevitabili fatorum lege Reipublicæ literariæ erepti fuissent. Si industriam suam in calceis Hebræorum æque exercuissent homines maximi, quorum merita erga sacram literaturam nulla tacebit ætas, supersedere potuissem hoc labore. Monuerunt quidem varia viri eximii, tum qui perpetuos in Sacrum Codicem commentarios, aut in partes ejus aliquo congesserunt, tum qui alia præclara monumenra ediderunt in lucem. Sed nemo, quod quidem ego sciam, hanc materiam cum cura tractavit & singulari volumine complexus est: &

omnes

omnes illi non tantum plurima posterorum diligentiæ reliquerunt, uti multa adhuc latent in divinæ sapientiæ arcanis abstrusa atque abdita, quæ eliciet & evocabit in lucem, qui iis investigandis suum studium dederit, verum etiam sæpissime errarunt, uti nemo tam propitia Minerva natus est ut nunquam dormitet, quod profecto neque cuiquam contigit, majus est quam ut convenire in humanam fragilitatem queat. Quare id argumentum, ante hos duodecim annos, occupavi ego, & paulo plenius ac uberius pertractavi, ut multa sacrarum literarum loca, obscura, atque tenebricosa, & nondum satis intellecta, ex Hebræorum & aliarum gentium antiquis monumentis aliqua luce perfunderem, & depulsa tetra caligine, & densissimis nebulis, redderem quam clarissima. Constat enim, sine hoc literarum & antiquitatis instrumento, ne millesimam quidem partem sacrorum voluminum posse intelligi, & eum, qui non instructus hac face in Prophetarum & Apostolorum scriptis recte enarrandis se versari posse persuasum habet, non minus falli, ac qui in terra Cimmeriorum, perpetua nocte mersa, nullo prælucente, sine cespitatione & sine errore incedere se posse existimat, cum loca innumera nihil magis intricata & difficilia reddat, quam vetustorum rituum ac morum, præcipue Judaicorum, ignorantia, quæ nemo, licet ingenii divinitates omnes antecellat, & cæteras disciplinas non ignoret, sine eorum cognitione & penitiori notitia, unquam explicabit. Hoc opusculum, quod novis indies accessionibus crevit, limatius nunc de curis secundis. Vale.

CAPUT PRIMUM.

I. *Calceum, pedum tutelam, necessitas invenit.* II. *Balduini opinio, Adamum primum sutorem, imo ipsum Deum, fuisse, proponitur.* III. *Ab ea, licet ingeniosa, dissensum.* IV. *Calceis homines non diu caruerunt, cum Abrahami ævo jam vulgaris fuerit eorum usus.* V. *Veteres non semper, uti nos hodie, calceati.* VI. *Samuel Bochartus* ἀνυποδησίαν *etiam inter Hebræos usitatam fuisse conjicit.* VII. *Hebræos non nisi ob religionem, aut certum ritum, nudipedes, alias calceatos fuisse, pluribus ostenditur, ac loca* Jes. XI. 15. *&* XX. 2. 3. 4. *explicantur.* VIII. *An* Jesus *calceatus an discalceatus incesserit diversæ sententiæ.* IX. Jesum, *ex more gentis, calceatum fuisse evidenter probatur.*

HOminem, cæteris omnibus sanctius animal, teneris atque mollibus plantis nasci videmus, cum alia bruta, vel ungulis, vel dura cute, munierit natura. Hinc multis magnisque incommodis hominem premi necesse est, si nudis plantis passim incedat. Nam a lapillis, undique jacentibus, atque aliis asperitatibus, non solum ipsi periculum est, verum etiam a tribulis, atque spinis, quas terra, post peccatum, ab ipsis primis parentibus admissum, diris devota, justo irati Numinis judicio, producit. Invenit hæc necessitas pedum tutelam, qua plantæ defendi possent a lapillorum atque spinarum injuria. Etenim, quod *generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcumque ad vivendum sunt necessaria, anquirat, & paret*, ut scriptum optime a Marco Tullio est, (*Cic. de Officiis lib.* I. *cap.* 4.) id in humano genere præcipue cernitur, quod, uti particeps rationis est, & videt totius vitæ cursum, ad eamque degendam præparat res necessarias, etiam de calceis sibi prospexit, ne tribulis atque spinis pedum plantæ lancinarentur. Battum, in Theocriti pastoribus, (*Theocrit. Idyll.* IV. *vers.* 56.) Corydon amicus monet:

> Εἰς ὄρος ὄκχ' ἕρπεις, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο, Βάττε.
> Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε ϗ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

In monte cum ambulas, ne discalceatus eas, Batte: in monte enim rubi atque tribuli virent (*Jalkut in Leg. fol.* 279. 1.). Scitum etiam apud Talmudicos est proverbium: עד דסנדלא ברגלך דרוס כובא: *dum calceus est in pede tuo conculca spinas*.

II. Hoc inventum cui debeatur, non adeo certum atque exploratum est; imo, si veterum monumenta consulimus, pœnitus incognitum. Benedictus Balduinus Ambianus *de Calc. Antiq. cap.* 1., qui librum eruditum & elegantem scripsit de Calceo Antiquo, putat *nihilominus lucem aliquam posse nos assequi, si conjecturam ducem sequi velimus, quæ, licet in multis plerumque fallax, nos indubio pede ad Adami protoparentis nostri tempora deducet*. Conjicit videlicet, cum *post admissum ab ipso primo parente peccatum, justus peccati vindex Deus, in eum verba illa efficaci voce distringeret*: Maledicta terra spinas & tribulos germinabit tibi (*Gen.* III. 18. 19.): *non videri passum Adamum teneras pedum plantas spinis & tribulis misere lancinari, diffindi, discerpique nullo suppetente remedio: sed eam mentem, quæ illi primum, post vetiti fructus esum, consuendorum e ficuum foliis perizomatum rationem suggesserat, quo pudendorum velaret turpitudinem, etiam illam artem edocuisse, qua sibi uxorique suæ calceos, e cæsorum animalium pellibus, apte commodeque consarcinaret*: præsertim *cum ipse Deus exemplo præiret*, qui Fecit Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos (*Gen.* III. 21.), *uti inquit in sacra pagina Moses: unde Adamus, hoc edoctus exemplo, eadem ratione, pedum nuditati consuluit*. Quin *Deum ipsum mavult primum & proprium calceorum autorem agnoscere, qui sicut Adamo atque uxori ejus tunicas pelliceas fecit, cum nuditati ipsorum voluerit esse consultum, ut non est parcus, aut imprudens, aut invidus, aut inops bonorum largitor, ita etiam censendus est illi calceos eadem ratione consuisse, quo in necessariis ad vitam comparandis, minaces spinarum tribulorumque aculeos tutius evitaret*.

III. Hæc ingeniose quidem doctissimus Balduinus conjecit: Non tamen solida mihi videtur ipsius ratio. Adamum, ut nuditati consuleret, folia ficuum consuisse, Deumque tunicas fecisse pelliceas, & ipsi, & ejus uxori, indubium plane est, quæ vestium origo fuit. Exinde vero nec hoc concludi potest, eandem mentem Adamo dictasse calceos consarcinare, quæ ipsum docuit tegendæ nuditati folia consuere, præsertim cum ipse Deus suo præiret exemplo, tunicas ipsi parans pelliceas; nec illud, eadem ratione Deum Adamo calceos consuisse, ut evitaret spinarum tribulorumque aculeos, qua ipsi prospexit de tunicis pelliceis, ne gravior aeris inclementia foret nocumento. Alia enim vestium, alia calceorum est ratio. Vestes erant Adamo & uxori ipsius necessariæ, non tam ut misera corpora, jam ob peccatum mille calamitatibus obnoxia, ab æstu, atque frigore, & aliis tempestatum injuriis, defenderentur; quæ ratio datur a doctissimo Balduino, quam ut nuditas, jam pudenda, tegeretur. Hæc necessitas in calceis non fuit. Videmus enim politiores populos non tantum habuisse, atque etiamnum habere, vestium usum, verum etiam nullam gentem tam feram, tamque barbaram, unquam repertam esse, quæ non speciem aliquam vestimentorum habuerit, sed in calceis idem non observamus. Etenim, non barbaros modo, atque ab omni cultu & humanitate alienos, verum etiam ipsos cultiores populos, non dedecori putasse nudis pedibus incedere, licet sine vestibus prodire in publicum magno duxissent probro, mox ostendetur prolixe. Alterum enim apud omnes in honestum prorsus, non item alterum est. Illi ipsi, qui summum scelus putassent aliquem in publico nudum conspici: *Flagitii enim principium est, nudare inter cives corpora*, ut vere Cicero dixit *Tusc. Quæst. lib.* IV. minime credebant turpe, si quis incederet pedibus nudis. Quare ex eo, quod Adamus folia ficuum consuit, ac Deus tunicas ipsi fecit pelliceas, confici non potest, aut Adamum calceos consarcinasse, aut Deum ipsi de calceis prospexisse, cum longe diversa sit utriusque ratio, ac non tam necessitas, quam ipsa honestas, hominem certis quibusdam vestimentis voluerit obtegi.

IV. Licet autem obscura non tantum, sed etiam incognita sit calceorum origo, priscos tamen mortales non diu caruisse quadam pedum tutela, certissimum videtur. Etenim necessitas, ut pedum plantas, molles illas atque teneras, defenderent, id facile effecit, ut aliquod invenirent calceorum genus. Sane antiquissimum fuisse calceamentorum usum, & jam vulgarem Abrahami ævo, ostendit ipsius ad regem Sodomæorum responsum, quo se ex omnibus, quæ illius erant, non ac-

ce-

cepturum dicit מחוט עד שרוך נעל *a filo usque ad corrigiam calceamenti. Gen.* XIV. 13. Παροιμιώδης *enim* hæc loquendi ratio, qua pro re vili, ac fere nihili שרוך נעלי *calceamenti corrigiam*, usurpat, nata non fuisset, si non vulgaris ac diu cognitus foret calceorum usus. Quo dicto nullum vetustius, de calceorum inter antiquos usu, monumentum reperitur.

V. Tam vetustus quamvis fuerit calceorum usus, plurimi tamen olim nudipedes incesserunt. Priscis enim temporibus, non semper veteres, uti nos hodie, calceati fuerunt, sed magnus fuit τῆς ἀνυποδησίας usus. Nudis pedibus incedebant non barbaræ modo gentes, verum etiam populi, qui nihil, nisi quod honestum & decorum esset, expetebant, ac inter ipsos clarissimi quique. Spartanorum juvenes, ex lege Lycurgi, nudis pedibus incessisse, ex Xenophonte *de Polit. Lacedem.*, atque Plutarcho *in vita Lyc.*, constat. Quo facit Agesilai memorandum exemplum, quod memoriæ prodidit Ælianus *Var. Hist. lib.* VII. *Cap.* 13. qui, jam senex, sine calceis in publicum prodibat, ut ex eo discerent juvenes illi legi parere. Apud Athenienses, qui essent paulo in ratione victus adstrictiores, non nisi tempore necessario, ad vitandum vel frigus, vel itinerum asperitates, calceis utebantur. De Phocione, claro imperatore, & Lycurgo Rhetore, id refert Plutarchus. *in vita Phocion. & Lycurgi*. Idem fecisse Cynicos Philosophos, atque Pythagoreos, Theseum etiam, ac Socratem, quem eo nomine Aristophanes Νεφ. *Actor.* I. *sc.* I. *Dio. Laert. in vita Socr. lib.* II. *Segm.* 28. traduxit, itemque Amipsias apud Diogenem Laertium, qui dicit, quod τοῦτο τὸ κακὸν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν γεγέννηται, *istud malum secum ferat sutorum damnum*, jam dudum observarunt viri maximi Claudius Salmasius, *in not. ad Pallium Tertul. pag.* 417. & Octavius Ferrarius *de Re Vest. lib.* IV. *cap.* 67., ac prolixe docuit Johannes Schefferus, in docto & pereleganti libro, quem de natura & constitutione Philosophiæ Italicæ conscripsit. Quod mirum magis, non tantum nudis pedibus Cretensium pueri venatum iverunt, quomodo describuntur apud Nicolaum Damascenum *de Mor. gent. Oppian.* Κυνηγ. *lib.* I. *vers.* 102., haud aliter ac id venatoribus præcipit Oppianus, verum etiam ipsæ virgines, delicatiores plerumque & teneriores, aliquando nudipedes incesserunt, ut de Cyrenaicis virginibus apud Callimachum, Antigone apud Zophoclem, itemque puella illa apud Oppianum, quæ veris tempore per montes oberrans flores quærebat, observat vir summus Samuel Bochartus. *Hieroz. pag.* I. *lib.* 2. *cap.* 50. Apud Romanos non modo servi, qui quidem pro more *nec colobia, nec calceos habebant*, uti Servius *ad Æneid.* I. docet, verum etiam ipsi Senatores initio nascentis Reipublicæ nudis pedibus iverunt, ut ex veteri Juvenalis Scholiaste *ad Satir.* I. *vers.* CXI. discimus. Nota est Catonis ἀνυποδησία, quem sæpe discalceatum prodire consuevisse Plutarchus *in vita Cat.* affirmat, itemque Horatius *lib.* I. *Epist.* 19.. Neronem idem factitasse Svetonius est autor *in Vita Ner. cap.* 51.. Inter primos Christianos plurimos calceis usos non fuisse ex Luciano *in Philop.* potest colligi. Neque desunt ex antiquis ecclesiæ doctoribus, qui putant viro maxime convenire ut sit discalceatus. Ita judicat Clemens Alexandrinus *Pædag. lib.* II. *cap.* II. *Muson. apud. Stobæum Serm.* I. *Salm. ad Tertul. Pal. cap.* 4., cui præivit Musonius. Paria facere Tertullianum putat vir maximus Claudius Salmasius, in loco insigni quem de calceo habet. *Calceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, veram & falsam: quam enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem.* Scilicet *vincipidem* mavult legere, quam *uncipedem*, ut Tertullianus dicat, *nudipedem* esse præstare, quam *vincipedem*, h. e. nudos, quam pedes vinctos habere. Hæc an vera sit emendatio τοῦ πάνυ jam non inquiro. Constat saltem scriptorem gravissimum, pariter uti Musonius & Clemens Alexandrinus judicarunt, putasse τοῦ ὑποδεδέσθαι τὸ ἀνυποδετεῖν κρεῖττον εἶναι, *nudis pedibus incedere melius esse quam calceari*. Unde & paulo post addit. *Aut pedes nudi magis, certe viriles magis quam in calceis*.

VI. Samuel Bochartus, *Hieroz. pag.* I. *lib.* 2. *cap.* 50.) qui in reconditis, & a sensu atque intelligentia vulgi remotis literis, non Græcorum tantum, & Latinorum, sed & Hebræorum, ac vicinarum illis gentium, primas facile tenet, ἀνυποδησίαν, quæ frequens fuit apud antiquos, pariter inter Hebræos usitatam fuisse conjicit. Inquirit Vir Summus, *quorsum Israelitæ Pascha jubeantur calceati comedere. Hoc unum, quod respondeat*, se dicit *habere, Judæos non semper fuisse calceatos, & eorum plurimos in Ægypto fuisse excalceatos*, idque eo minus esse παράδοξον, cum *eorum* ἀνυποδησίαν, *etiam in ipsa Judæa, rebus il-*

lorum maxime ſtorentibus , veſtigia ſuperſint . (2. *Sam.* XV. 30.) *Nam & Davidem, regno ſuo pulſum, montem olivarum diſcalceatum aſcendiſſe, & Jeſaiam (Jeſ.* XX. 2.) *juſſum ire nudum & diſcalceatum itemque Ezechielem (Ezech.* XXIV. 17.) *lugere vetaſſe Deum propter ademptam uxorem, & calceos deponere, ut fiebat in luctu . Berenicem etiam Agrippæ ſororem nudipedem coram tribunali Florum eſſe deprecatam, cum in Judæos immanem in modum ſæviret, uti Joſephus de B.* I. *lib.* 2. *cap.* 15 *refert Nec alio referenda hæc Juvenalis Sat.* VI. *verſ.* 159.

> *Obſervant ubi feſta mero pede Sabbata Reges.*

VII. Hæc licet ſint præclara , ſicuti & alia omnia , quæ Vir Summus , in Hierozoico , opere mirando , obſervavit , cogor tamen ab eo diſſentire . Cur juſſerit Deus utin Ægypto Judæi calceati Paſcha comederent , infra inquiro diligentius , & Viri Summi rationem revoco ad examen . *lib.* II. *cap.* I. Judæos in Ægypto , fervida plaga , calceis carere facile potuiſſe , uti & hodie non pauci Afri magna anni parte nudis pedibus incedunt , hic diſputo haud quaquam . Sed , an inter Judæos ἀνυποδησία uſitata fuerit , qualem apud Spartanos , Athenienſes , Romanos obſervavi merito dubito . Quin potius contendo iſtiuſmodi ἀνυποδησιῶν nunquam in uſu inter Hebræos veteres fuiſſe. Certe nullum ἀνυποδησίας exemplum legitur , niſi fuerit plane ſingulare , & vel ob religionem , vel certum alium caſum , ſuſceptum . Omnia, quæ Vir Summus adduxit, exempla , non niſi peculiarem ob rationem memorantur , ſatiſque oſtendunt extra tales caſus non inceſſiſſe nudis pedibus Hebræos . Oſtenſurus ſum inferius *lib.* II. *cap.* 5. vel ob publicam calamitatem, vel luctum funeris , olim Hebræos calceos depoſuiſſe , atque inceſſiſſe nudipedes , ac prolixe excuſſurus Davidis atque Ezechielis exempla . Ut omnino id fuerit alias inſolitum . Pariter Jeſaias , dum nudus ire jubetur & diſcalceatus , ut ſimilem Chuſæis atque Ægyptiis nuditatem & diſcalceationem in triennium portenderet , ſatis oſtendit id non in uſu fuiſſe , magnamque fore iſtorum populorum calamitatem. Berenices exemplum non ad vulgatam Judæorum conſuetudinem , ſed certum religionis ritum pertinere, atque eo referendum Juvenalis verſum , etiam inferius docebo *Lib.* II. *cap.* 4. Sane , ſi expreſſa Hebræorum monumenta conſulimus , extra dubium erit , ipſos vulgari conſuetudine jam ab antiquiſſimis temporibus inceſſiſſe calceatos . Moſes , cum rubum ardentem tentaret accedere , calceatus erat . Nam ſtupendum illud oſtentum propius intueri cupiens , audiit illico vocem Dei, qui præcipiebat : של נעליך מעל רגליך כי המקום אשר אתה עומד עליו אדמת קדש הוא: *Solve calceamenta tua de pedibus tuis , quia locus , in quo tu ſtas , terra Sancta eſt* . Exod. III. 5. Iſraelitas , in Ægypto calceos geſtare ſolitos, ex eo apparet evidenter , quod calceatus inter Paſchatis ritus fuit a ſupremo Numine præſcriptus . *Exod.* XII. II. Eoſdem , ex Ægypto virtute Numinis eductos, calceos in deſerto Arabiæ geſtaſſe , ex eo manifeſtum eſt, quod prædicet Deus, ſe paſſum non eſſe , ut ipſis calcei per annos quadraginta deficerent . *Deuter.* XXV. 10. Pariter Joſua calceatus fuit, cum exercitus Dei princeps ipſi appareret, prope mænia Jerichuntis . Mandatum enim idem ac Moſes de exuendis calceis accepit . *Joſ. verſ.* 15. Quin omnes Hebræos olim calceis uſos ex eo patet admodum luculenter, quod & in contractibus morem habuerint calceum exuendi , & vidua , quam ducere recuſabat defuncti frater, leviro calceum extraxerit , de quo utroque ritu inferius multa obſervantur . *Lib.* II. *cap.* 6. & 7. Etenim neuter horum rituum in uſu apud Hebræos eſſe potuiſſet, ſi non communiter cum calceis inceſſiſſent . Jam quoque Deus inter alia ornamenta, quibus beneficia ſua in Judæorum rempublicam collata adumbrat, calceos apud Ezechielem recenſet . *Ezech.* XVI. 10. Etiam Hebræi, cum volunt exprimere fluvium tranſiri ſicco pede poſſe, veluti proverbii loco utuntur , *cum calceis fluvium tranſiri poſſe* . Jeſ. XI. 15. Locus eſt ad hanc rem apud Jeſaiam inſignis. Verbis figuratis fore prædicat Propheta , ut omnia removeantur , quæ impedimento forent, ne Evangelii doctrina propagaretur, Deumque dicit, vel ipſum maris rubri ſinum , & ſeptem Nili oſtia ſiccaturum , ita ut cum calceis tranſiri poſſet , h. e. ut non opus foret exuere calceos ne madefierent. Hæc eſt Prophetæ loquendi ratio , ut *pro ſicco pede tranſire* , dicat *cum calceis tranſire*. Qua loquendi forma uti non potuiſſet, niſi in uſu vulgari calcei fuiſſent . Habitum quoque fuit inter veteres Hebræos ſummarum calamitatum & paupertatis indicium, ſi nullos calceos quis haberet. Hinc graviſſima eſt apud Jeſaiam comminatio, cum Deus eum jubet ire diſcalceatum , ut ſimilem diſcalceationem Ægyptiis atque Cuſchæis por-

portenderet: verba hæc ſunt: לך ופתחת השק מעל מתניך ונעלך תחלץ מעל רגלך ויעש כן הלך ערום ויחף ויאמר יהוה כאשר הלך עבדי ישעיהו ערום ויחף שלש שנים אות ומופת על מצרים ועל כוש כן ינהג מלך אשור את שבי מצרים ואת גלות כוש נערים וזקנים ערום ויחף: *Ito, & ſolve ſaccum a lumbis tuis, & calceum tuum exue a pede tuo. Et fecit ita, ambulans nudus & diſcalceatus. Et dixit Jehovah: quemadmodum ambulavit ſervus meus Jeſaias nudus & diſcalceatus tribus annis, ſignum & portentum ſuper Ægypto & Cuſchæis. Sic ducet rex Aſſyriæ captivos Ægypti, & exules Cuſchæorum pueros & ſenes, nudos & diſcalceatos.* Jeſ. xx. 2. 3. 4. Quod Deus in mandatis dat Prophetæ, ut incederet nudus & diſcalceatus, plane fuit ſingulare, neque alias uſitatum. Unde ſignum foret calamitatum, quæ Ægyptiis, atqueCuſchæis imminerent, cum captivi abducerentur. Quod etiam docet ipſos Ægyptios atque Cuſchæos, pariter, uti conſueverant Judæi, fuiſſe calceis uſos. Solebant veteres omnibus veſtibus captivos ſpoliare. Exemplum exſtat in Annalibus inſigne 2. *Chron.* XXVIII. 15. ויקמו האנשים אשר נקבו בשמות ויחזיקו בשביה וכל מערמיהם הלבישו מן השלל וילבשום וינעלום: *Et ſurrexerunt viri, quorum nomina ſunt expreſſa, & apprehenderunt captivos, & omnes nudos inter eos veſtiverunt ex præda, & veſtiverunt eos, & calcearunt.* Qui & ipſe locus vulgarem inter Hebræos calceorum uſum oſtendit. Id imminere Ægyptiis atque Cuſchæis Deus per Prophetam denuntiat, qui propterea nudis pedibus incedit ac diſcalceatis. Quod alias inſolitum fuit. Hinc etiam pater iſtius filii deperditi, qui nudus & omnium egenus domum revertebatur, inter alias veſtes etiam calceos ipſi juſſit afferri. Sic enim Lucas xv. 22. Εἶπε δὲ ὁ πατὴρ πρὸς τοὺς δούλους αὐτοῦ, Ἐξενέγκατε τὴν ςολὴν τὴν πρώτην, ϗ ἐνδύσατε αὐτὸν, ϗ δότε δακτύλιον εἰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ, ϗ ὑποδήματα εἰς τοὺς πόδας. *Dixit autem pater ſervis ſuis, Proferte ſtolam præcipuam & induite ipſum, & date annulum manui ejus, & calceos pedibus.* Oſtendunt hæc omnia invicte, inter Hebræos veteres, non in uſu fuiſſe ἀνυποδησίαν, qualis inter Græcos atque Romanos obſervatur, cum omnes calceos geſtare ſint ſoliti, atque ea exempla, quæ Vir ſummus Samuel Bochartus ad hanc rem collegit, id non evincere, cum ad religionem pertineant, aut certum aliquem ritum. Etenim cauſæ ſemper fuerunt ſingulares, cur ἀνυπόδητοι inceſſerint Hebræi. Nudipedes enim illi vel in loco ſacro, vel diebus jejunii & expiationis, vel in publicis calamitatibus, vel ob luctum mortui fuerunt, de quibus omnibus inferius prolixe. (*Lib.* 2. *cap.* 2. 3. 4. 5.

VIII. Quæ diſſerui hactenus, ſolvunt agitatam multum quæſtionem, utrum *Jeſus*, quem המשיח, τὸν Χριςὸν eſſe, credimus indubitate, in his terris calceatus an diſcalceatus inceſſerit? Quæ curioſitas, licet in re minima, diſſenſum tamen peperit inter Eccleſiæ doctores, atque ita quidem, ut in partes ſit itum. Jam olim Hieronymus diſcalceatum inceſſiſſe contendit, eo uſus argumento quod calceamenta prohibuerit ſuis Apoſtolis, *in Epiſtol. ad Euſtochium de Cuſtodia Virginitatis. Oper. Tom.* 1. *Moyſes* inquit, *& Jeſus Nave nudis in ſanctam terram pedibus jubentur incedere: & diſcipuli ſine calciamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem novi Evangelii deſtinantur. Et milites veſtimentis Jeſu ſorte diviſis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat ſervis. Id eſt, Apoſtolis.* Gregorius Nyſſenus etiam *Homil.* 11. *in* Cantic. aſſerit diſerte, quod *Jeſus* calceorum uſum ſuis diſcipulis interdixit, atque hinc eum inceſſiſſe nudis pedibus concludit. In eadem ſententia ſunt Dionyſius Carthuſianus, Bonaventura, Nicolaus de Lyra, & Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus. Contra calceatum in his terris inceſſiſſe *Jeſum* ex Johannis Baptiſtæ dicto qui ſe dignum negat ut ejus calceos portet, vel calceorum ipſius ſolvat corrigiam, collegerunt Patres doctiſſimi Johannes Chryſoſtomus *ad Pop. Antioch. Hom.* 6. & Aurelius Auguſtinus *Serm.* 42. *de Sanct. cap.* 6. quos ex recentioribus Paulus Burgenſis, Thomas Cajetanus, Toletus, Barradius, & complures alii Romanæ Eccleſiæ Doctores ſequuntur. Eandem quæſtionem prolixe tractavit doctiſſimus Balduinus, *de Cal. antiq. cap.* 26. atque ita quidem ut calceatum inceſſiſſe *Jeſum* concludat.

IX. Quod ipſum dubitari non debere etiam Sopranes pronuntiat *in Davide, Digreſ.* 1. *fol.* 378. Curioſa hæc quæſtio, neque magni momenti, facile deciditur ex Hebræorum priſca conſuetudine, qui nudis pedibus non inceſſerunt. Etenim ἀνυποδησία in vulgari uſu inter ipſos non fuit. Quare nec *Jeſus* inceſſit diſcalceatus. Nam a more, & quidem vetuſto, atque inter omnes vulgari diſceſſiſſe *Jeſum* nulla ratio perſuadebit, cum in veſtitu ſingulare quiddam obſervavit nuſquam. Quis credet *Jeſum*, quod a more gentis fuit maxime alienum, inceſſiſſe diſcalceatum? præſertim cum ſibi re-

revocat in mentem, quod Johannes, cui a munere ſuo hæ ſit Baptiſtæ nomen, ſe non dignum eſſe dicit, ut ejus calceos portet, vel calceorum ipſius ſolvat corrigiam. Johannes ſane fuiſſet neutiquam ſic locutus, ſi Jeſus ſolitus eſſet incedere diſcalceatus. Quid enim fuiſſet ineptius? Etiam fruſtra dicitur quod calceorum uſum interdixit ſuis Apoſtolis. *Sandalia* enim conceſſa Apoſtolis Marcus docet VI. 9. Atque ea Petrum geſtaſſe ex verbis Angeli diſcimus, qui e carcere, quo detinebatur, eum educturus, jubet ὑποδήσαι τὰ σάνδαλα, *induere ſandalia*. Act. XII. 3.

CAPUT II.

I. Calcei olim ex varia materia confecti Hebræorum autem ex pellibus videri. II. *Multarum gentium veſtimenta pellicea.* III. *Calcei ex pellibus & corio apud omnes gentes.* IV. *Apud Græcos Phæcaſia*, τροχάδες, ἀρνακίδες. V. *Apud Romanos perones, calcei ſenatorii, caligæ, Imperatorum zanchæ.* VI. *Apud Hebræos veſtes pelliceæ in frequenti uſu, adeoque & calcei ex corio. Locus* Joſ. IX. 5. *expoſitus.* VII. *Hebræorum calcei vili pretio conſtiterunt. Loca* Amos II. *6. &* VIII. *6. illuſtrantur.* VIII. *Coriarii urbium ambitu excluſi, atque inde Loco* Act. X. 5. *lux facta.*

I. CUM Hebræos jam olim calceos geſtaſſe ſatis abunde ſit demonſtratum ſuperius, inquirendum imprimis eſt qua materia conſtiterint. Apud varias gentes calceorum materia ſemper varia fuit, cum quælibet res quam maxime obvia & paratu facilis in calceorum uſum ceſſerit. In Ægypto, ubi papyri copia eſt frequentior, ex papyro calceamenti genus familiare fuit. Calceos e ſparto geſtare in more fuit poſitum Hiſpanis. Linteis calceamentis Imperator Antoninus cognomento Philoſophus, & permulti alii ejus exemplo ſunt uſi. Indorum calcei lignei fuerunt. De quibus omnibus egit prolixe doctiſſimus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 3. 4. 5. *6.* Sed e qua materia confecti fuerint Hebræorum calcei non adeo liquet. Si tamen datur conjecturæ locus, videntur ex pellibus, aut corio, fuiſſe, quale genus, non veſtium tantum, ſed etiam calceorum, & antiquiſſimum, & a multis populis uſitatum fuit.

II. A vetuſtiſſimis temporibus veſtes ex pellibus in uſu fuiſſe, nemo, niſi hoſpes in literis, ignorat. Adeo tritum eſt, & a pluribus animadverſum. Priſci Heroes, apri, aut tigridis, aut leonis exuviis, aut pelle Lybyſtidos urſæ, aut hinnulli, aut vulpis induebantur. Pellibus tectæ non ſolum fuerunt gentes barbaræ Hunni, Hungari, Getæ, Germani veteres, Indi, Parthi, (quorum regis ſtatuam gauſapatam & pellitam, olim a Cavallerio editam, exhibet vir magni ingenii & doctrinæ Octavius Ferrarius) Schytæ (quomodo & hodie Tartaris atque Muſcovitis nihil eſt frequentius) uti jam dudum docuerunt homines eruditi, verum etiam Græci atque Romani. Media in Græcia ruſticos ſenes Ariſtophanes *in* Νεφ. *Act.* I. *Scena* I. inducit διφθέραις veſtitos, quod genus veſtimenti ex pellibus confecti fuit, uti præclare obſervavit magnus Doctor meus Johannes Georgius Grævius *Lect. Heſiod. pag. 69.* cui præcipue debetur, quod literarum nomen, in fœderata Belgica, non extinguatur. Ipſa Romanorum curia, quæ poſtea nituit prætexto Senatu, olim

> *Pellitos habuit, ruſtica corda, patres.*
> Prop. lib. IV. Eleg. I.

Nempe,

> *Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum.* Lucret. lib. V.

apud plurimas gentes olim obtinuit, non tam ex eo quod hominibus obvium maxime videatur ferarum & pecudum pelle veſtiri; quam quidem, quod pellium in veſtimentis uſum Deus docuerit, qui primus fecit לאדם ולאשתו כתנות עור וילבשם: *Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* (Gen. III. 21.)

III. Uti veſtimenta priſcorum mortalium pellicea fuerunt, ita & calcei ex pellibus fiebant. Ab antiquiſſimis temporibus enim pelles ut plurimum conſuendis calceis materiam præbuerunt. Et quidem vetuſtiſſimis hominibus is uſus videtur, ut quandam pellis particulam ſive crudum corium pedibus ſubligarent, quod vicem calcei præſtabat. Sic capio verba Xenophontis, quæ Latine reddidit vir politiſſimus Angelus Politianus, *Cum defeciſſent veteres calcei, carbatinas habebant ex recentibus coriis bubulis confectas. Miſcellan. Centur.* I. *cap.* 2. Deinde, ut indies paſſim creſcunt artes, ita & mollire ferarum pelles, & ſoleas concinniores, deinde calceos conficere, hominum induſtria invenit. Sed apud omnes fere populos pelles & corium vulgatiſſima calceorum materia fuit, uti & noſtro tempore id ipſum obtinet. Non enim

enim barbari illi tantum, qui plerumque pellibus induebantur, pedes eodem tegumento munierunt, quomodo Gethas ex equino corio perones gestasse illud Sidonii Apollinaris docet *carm.* 7.

Peronem pauper nodus suspendit equinum:

verum etiam Græci atque Romani.

IV. Apud Græcos ex corio quondam calceos fuisse docere possunt *Phæcasia*, Philosophorum gestamen, quorum mentio apud Appianum, Plutarchum, Hesychium. Etenim *Phæcasia* ex corio fuisse colligere licet ex his Senecæ verbis: *Pythagoricus quidam emerat a sutore Phæcasia*. (de Benef. lib. VII. cap. 21.) Mentio enim sutoris, a quo phæcasia Pythagoricus emerat, ostendere videtur coriacea fuisse. Sed clare id docet Erathosthenes *in merc.*:

Πέλμα ποτ' ἀπέπτησκεν ἐλαφρῦ φαικασίοιο.

Pellem olim suebat tenuis phæcasii: πέλμα enim apud Græcos & de corio dicitur. Quæ pulchre observata sunt a doctissimo Balduino *de Calc. Antiq. cap.* 14. Fuerunt præterea τροχάδες, calcei, qui currentibus aut cursoribus conveniebant. Atque hi ex pelle fuerunt caprina. Hesychius: τροχάδες, σανδάλια ἀπὸ τῦ αἰγὸς δέρματος. Habuerunt & Ἀρνακίδες, calceos ex pellibus agninis, (ἀρνακὶς enim est agnina pellis cum ipsa lana) quibus hyeme utebantur, quorum meminit Pollux, *lib.* VII. *cap.* 33. uti eruditissime animadvertit, ac Pollucis locum a menda liberavit Johannes Georgius Grævius, ὁ πάνυ *Lect. Hes. pag.* 68.

V. Apud Romanos omnia calceorum genera ex corio fuerunt. *Perones*, aratorum & venatorum proprios, calceos calceos cavos ὠμοβόρσινας, ex crudo corio, h. e. minime subacto & concinnato, fuisse, unde *crudus pero* Virgilio *lib.* VII. *Æn. vers.* 690. dicitur, & *setosus* Sidonio *lib.* IV. *Epist.* 40., eruditi Romanarum antiquitatum interpretes monuerunt. Ex *aluta*, corio molliori, Senatorum calceos fuisse iidem docuerunt, quos *lunatam pellem* Martialis *lib.* II. *Epigr.* 49. dixit, & *nigras pelles* Horatius, *lib.* I. *sat.* 6.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Scilicet pro calceo, qui apud Romanos ex corio fuit, *pellem* usurpant nobiles Poetæ, quomodo & Ovidius *de Arte amandi lib.* I. *vers.* 516. dixit:

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Laxa pellis enim ibi nihil aliud est quam *laxus calceus* in hoc Horatii I. *Sat.* 3. *vers.* 30.

—— Rideri possit, eò quod
Rusticius tonso toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret.

Et *laxus cothurnus* in hoc Sidonii: *Laxo pes natet altus in cothurno*. Hinc & *Tentipellium* vox est apud Festum, inde nata, quod Romani strictim calcearentur. *Caligam* maximus virorum Claudius Salmasius *ad Trebellii Pollionis Gallienum cap.* XVI. ex Græco χάλκη, id est *pellis*, deducit, unde *calga*, quam vocem more suo *caligam* veteres dixerunt. Elegans est ad hanc rem Coelii Symposii Poetæ veteris Ænigma, *Ænig.* 56. quod de Caliga inscribitur.

Major eram longe quondam, dum vita manebat,
Sed mox exanimis, lacerata, ligata, revulsa,
Dedita sum terræ, tumulo sed condita non sum.

Scilicet corium in vivo tauro, aut bove, majus est quam in caliga. At dum taurus, sive bos, vita privatur, pellis laceratur, ligatur, revellitur, ut ex eo fiat caliga. Corium vero, ex quo facta est caliga, terræ datur, eamque premit in humano pede: neque tumulo conditur, sed usu consumitur. Idem vir maximus in Tertulliani *Pal.cap.* 5. loco, qui vulgo legitur *Sutrinæ Veneriæ prospexere perones effœminatos*, pro *sutrinis Venereis* emendat *sutrinas Venetias*, h. e. Venetas pelles, ex quibus calcei conficiebatur, quod ibi optimæ notæ pelles consuerentur. Ipsæ imperatorum *Zanchæ* ex pellibus Parthicis fuerunt seculis posterioribus. Corippus *lib.* II. *cap.* 3. id docet in descriptione calceorum Justini Imperatoris:

Parthica Campano dederant quæ tergora fuco.

Par-

Parthica tergora enim Corippus vocat corium molle ex Parthicis pellibus, quæ mollissimæ erant, & adhibebantur ad calceos Imperatorum, quarum pellium Parthicarum multa apud veteres mentio. Hinc *Zanchas Parthicas* imperatorum calceos vocat Trebellius, *in Divo Claudio cap.* XVII. hoc est de corio Parthico factas, ad quem locum videri possunt quæ maximus Salmasius notavit. Ad calceos ex pellibus alludit hic elegans Martialis *lib.* XII. *Epigr.* 1. 45 jocus:

> *Hædina tibi pelle contegenti,*
> *Nudæ tempora verticemque calvæ,*
> *Festive tibi, Phœbe, dixit ille,*
> *Qui dixit caput esse calceatum.*

Vel, uti versiculum ultimum *ex optimis codicibus refingendum esse* pronuntiat vir illustris Isaacus Vossius *in not. ad Epist. Ignat. pag.* 305.

> *Crudum qui caput esse calceatum.*

Ut sensus sit: *Festive dixit ille, qui dixit, caput tuum recenter factum calvum, esse calceatum*, sed, quod mireris, calceorum ex Hyænæ pelle meminit Oppianus *cyneg. lib.* III. quibus tantam adscribit virtutem, *ut si quis calceatus hyænæ pelle incesserit, adeo canibus sit metuendus, ut ipsi obmutescant nec audeant allatrare*. Multa quidem veteres prodiderunt de Hyænæ in canes odio, & quod isti animalium generi sit infestissima, quæ vir summus Samuel Bochartus *Hieroz. P.* x. *pag.* 832. observavit, sed an ea sit virtus pellis Hyænæ, merito dubito. Et tamen simile quid refert Plinius *Histor. Nat. lib.* XXVIII. *cap.* 8. qui juxta Magorum vanitatem tradit, *eos qui hyænæ linguam in calceamento sub pede habeant, non latrari a canibus*.

VI. Uti apud veteres magnus fuit pellium in consuendis calceis usus, ita & Hebræos ex pellibus, sive corio, gestasse calceos suos, verisimile admodum est. Fuerunt in ea gente vestes pelliceæ in frequenti usu. Patriarchæ plerique pellibus tecti incesserunt. Ambularunt enim ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν *in ovillis & caprinis pellibus*, ut docet autor divinæ ad Hebræos Epistolæ XI. 37. Qui quidem habitus fere ordinarius Prophetarum fuit, quorum villosa vestimenta memorantur, ut de Elia est notissimum II. *Reg.* I. 8. Sed hac de re plura jam alii observarunt. Quis dubitabit, cum inter Hebræos pellicearum vestium frequens fuerit usus, etiam ex corio, sive pellibus, eos calceos gestasse, cum nihil magis fuerit obvium, atque ad usum calceorum aptius, prout hodie vulgatissima materia, qua calceantur pedes, corium habetur. Ita credidisse videtur Hieronymus, *in Epistol. ad Eustochium de custod. Virgin. Oper. Tom.* I. *Actor.* IX. 43. & x. 5. qui Christum discipulis *vincula pellium* interdixisse dixit: *Discipuli*, inquit, *sine calciamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem novi Evangelii destinantur*. Juvat conjecturam, quod alibi mentio fiat Σίμωνος βύρσεως. Nam βύρσευς est *coriarius*, ut glossæ habent, & ברסיא pro *coriario* adhuc usurpant Thalmudici, qui coria tractat conficiendis calceis. Sed maxime eadem hinc confirmatur, quod Gibeonitarum calcei מטלאות vocantur in Josuæ *libro* IX. 5. Vox Hebræa proprie notat quod ex frustis variis est consutum. Nam טלא proprie est consuere ex multis pannis & coloribus, quomodo centonem solent. Hinc apud Ezechielem XVI. 16. memorantur במות טלואות: *excelsa multicoloria*, hoc est variis pannis & multorum colorum instrata, quæ Aquila & Theodotion ἐμβολίσματα transtulerunt, quod significat diversos pannos hinc inde consutos, quasi πολύῤῥαφον vestimentum. Inde sumta metaphora oves aut capræ טלואות dicuntur, quæ maculas habent adspersas, aut tanquam assutas, ut in centone particulas & assumenta, uti nos docet vir summus Samuel Bochartus *Hieroz. Part.* I. *pag.* 478. Hac ratione Gibeonitarum calcei dicuntur טלואות, quasi diversis solorum frustis suppacti. At qualia frustra hic intelligemus? De panni frustris ea vox sumitur. Atque ita Targum pro טלואות habet מרקעין. Est autem מרקע *frustum panni*, uti videre est in magno opere doctissimi Buxtorfii, *Lexic. Talmud. Rab.* רקיע, unde forte græcum ῥάκος quod conjecit vir Hebraice peritissimus Johannes Drusius *ad Jos.* IX. 5.. At panni frusta fuisse, quibus suppactæ erant Gibeonitarum soleæ, credi potest admodum difficulter. De corio itaque intelligendum omnino est. Atque hoc ex eo confici potest evidenter, quod eadem voce non tantum pro corii, sed etiam pro panni frusto, utuntur Hebræi. Nam מטלית etiamnum Talmudici de præcinctorio, sive ventrali opificum, usurpant מליה של טרסיים *præcinctorium fabrorum* in Tractatu Cholin *fol.* 57. 2. legitur. At hæc ex corio fieri consuevisse quis nescit? Inde sane vulgato inter nos Belgas vocabulo *een schootsvel* vocamus, quasi

quaſi *gremii pellem* dicas. Etiam Thalmudici id ipſum ברכיר vocant, de qua voce hæc doctiſſimus Buxtorfius (*Lex. Thalm. Rab.* ברך) ברכיר *Quod ſcribitur* בורכייר *corium*, *ventrale opificum*, *ſive gremio ſive genibus ſerviens*, *Kelim cap.* 26. Et incomparabilis Samuel Bochartus (*in Canaan lib.* I. *cap.* 42.) *Ex eadem eſt origine* (*a voce* ברך nimirum, quæ *genu* ſignificat) ברכייר Abraciar, *id eſt*, *corium ſeu ventrale opificum quod genua contegit* ר *in fine additum ut in* שנדלר Sandalar *&* *ſimilibus*. Intellexiſſe id videntur LXX. interpretes, qui hic optime reddiderunt *σανδάλια παλαιὰ καὶ καταπεπελλατωμένα*. Quod verbum *ἀπὸ τοῦ πέλματος* deductum eſt. Πέλμα autem apud Græcos *plantam pedis* notat, atque pro *ſolea*, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, ſæpe ſumitur. Sed quia ſoleæ ex corio fieri ſeculis omnibus conſuevere, quo facit Iſidori (*lib.* IV. 19. *cap.* 3.) locus: *Soleæ materiales ex materia corio intexta*, ideo & pro *corio* Græci *πέλμα* uſurpant. Hinc *σανδάλια καταπεπελματωμένα* ſunt, *calcei diverſis ſolearum ſive corii fruſtis ſuppacti*. Paria habet Hieronymus, ſive quiſquis autor eſt verſionis Vulgatæ, qui reddit *Calceamenta perantiqua*, *quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant*. Vir undiquaque eruditiſſimus & acris judicii Andræas Maſius, (*ad Joſ.* IX. 5.), qui luculento commentario Joſuam illuſtravit, *Nomen* מטלא *ſignificare* dicit, *id quod ex aliis atque aliis fruſtis*, *ſive ut vocant*, *pittaciis conſutum compactumque eſt*: *Nam*, inquit, *apud doctores Hebræos* טלאי *pro* pittacio *uſurpatum me legere memini*. Ita ſane eſt. Locus inſignis eſt apud Davidem Kimchium, quem mox adducam. *Pittacium* autem apud Latinos pro brevi epiſtola ſumitur, ut Iſidorus exponit. Pro *Albo* Lampridius (*in Severo cap.* XXI. *&* *ibid. Caſaub.*) uſurpat: *De promovendis*, inquit, *etiam ſibi annotabat*, *&* *perlegebat cuncta pittacia*. Notavit ad eum locum magnus Caſaubonus: *Pittacia dicuntur pice vel maltha illitæ breves tabulæ*, *in quibus elgia ſcribebantur*, *&* *id genus alia*, *quæ paucis verbis poſſunt comprehendi*. *Ut illa Polybiana pittacia de quibus aliquid ad Svetonium notare meminimus*. Ego vero pittacia etiam ſcedulas fuiſſe puto e membrana exciſas, in quibus gnomas & breves ſententias ſcribebant. Sane Polybii pittacium, quod ad Svetonii Auguſtum (*Caſaub. ad Svet. Aug. cap.* 89.) notavit vir magnus, in quo quædam gnomæ erant deſcriptæ, nihil aliud fuiſſe videtur, quam parva membranæ ſcedula, quam ad Demetrium miſit. Idem Auguſtus in illo Svetonii loco factitaſſe videtur. *In evolvendis*, inquit, *utriuſque linguæ autoribus*, *nihil æque ſpectabat quam præcepta* *&* *exempla publice vel privatim ſalubria*: *æque ad verbum excerpta*, *aut ad domeſticos*, *aut ad exercituum provinciarumque rectores*, *aut ad urbis magiſtratus plerumque mittebat*, *prout quique monitione indigerent*. Scilicet Auguſtus excerptas veterum ſententias parvæ membranæ ſcedulæ inſcribebat, & nihil amplius, eaſque perferri ad eos curabat, quos increpiturus erat. Ita *pittacium* etiam ſumitur *in* illo Petronii, quod vir magnus adducit. *Statim allatæ ſunt amphoræ vitreæ dilgenter gypſatæ*: *quorum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo Falernum*, *Opimianum annorum centum*. Sane nihil aliud ibi pittacia videntur quam ſcedulæ de membrana exciſæ, affixæ ampullis, quibus inſcripta fuit ætas vini. Hinc, cum *pittacium* membranæ parvam ſcedulam notet, etiam pro fruſto corii ſumtum aliquando eſt. *Pittacium* ſic apud Celſum, (*lib.* 3.) non pro panniculo, ut quidam habent, ſed corio medicamento illito, quod capiti vel præcordiis applicatur, ponitur, quod etiam hodie inter medicos eſt tritum. Hac ſignificatione *pittacium* R. David Kimchi (*Kimchi in lib. Rad.*) ſumpſit, cujus verba Latine reddita, hic apponi merentur. מטלאות inquit, *ſunt calceamenta coagmentata ex fruſtis coriaceis in loco veſtuſtatis eorum*, *h. e. ubi detrita ſunt*, *&* *ſic dixerunt doctores noſtri de fruſto corii cum pittacio ſuper pittacium*, *ubi pittacium vocant* טלא. Scilicet Hebræi habent vocem פתקא, quæ *librum*, *libellum*, *epiſtolam*, *ſcedam*, *diploma*, notat, uti videre eſt apud virum in Hebræorum literis maximum Johannem Buxtorfium (*Lex. Talm. Rab.* פתק), atque inſuper pro *pittacio*, *quod medicinæ cauſa de collo ſuſpenditur*, ponitur, ut idem monet. Quod *pittacium* nihil aliud eſt, quam ſceda, vel membrana, certa ſcriptura, literis vel characteribus notata, quæ valetudinis cauſa, collo, vel pectori appenditur, quam alias קמיע vocant Talmudici, a parvitate ſcilicet, ut Elias putat, quia membrana iſta parva & tenuis eſt, & ſcripturam paucam, & abbreviaturis notatam continet, de quali pittacio Rabbinorum doctiſſimus Maimonides (*in de Sab. cap.* 19.) מומחה זה אי זהו קמיע שריפא לשלשה בני אדם: *Quodnam eſt pittacium probatum? Id*, *quod ſanavit tres homine*. At id etiam pro fruſto corii ſumpſerunt, ut David Kimchi notavit, de *fruſto corii dixiſſe* ma-

magiſtros, *cum pittacio ſuper pittacium*. Patet ergo quo ſignificatu vulgatæ verſionis autor *pittacium* ſumpſerit, pro parva parte vel fruſto corii. Optime ſane. Calcei Gibeonitarum ad indicium vetuſtatis diverſiis corii fruſtis ſuppacti erant. Unde jam antiquiſſimis illis temporibus ſolearum ex corio uſus apparet & luculenter.

VII. Cum ex pellibus, ſive corio, fuerint calcei veterum Hebræorum, apertum inde eſt & perſpicuum, quod vili pretio conſtiterint. Philoſophorum *Phæcaſia*, quæ ex corio fuiſſe oſtenſum ſuperius, quatuor denariis olim emta fuerunt. Locus elegans eſt ad hanc rem apud Senecam: (*de Beneſ. lib.* VII. *cap.* 21.) *Pythagoricus*, inquit, *quidam emerat a ſutore phæcaſia*, *rem magnam*, *non præſentibus nummis*. *Poſt aliquot dies venit ad tabernam*, *redditurus*: & *cum clauſam diu pulſaret*, *fuit in diceret*: *Quid perdis operam tuam? ſutor ille*, *quem quæris*, *elatus*, *combuſtus eſt*. *Quod nobis fortaſſe moleſtum eſt*, *qui in æternum noſtros amittimus*: *tibi minime*, *qui ſcis futurum*, *ut renaſcatur jocatus in Pythagoricum*. *At Philoſophus noſter treis aut quatuor denarios* (*non invita manu*) *domum retulit*: *ſubinde concutiens*. *Deinde*, *cum reprebendiſſet hanc ſuam nen reddendi tacitam voluntatem*, *intelligens arriſiſſe ſibi illud lucellum*, *redit ad eandem tabernam*, & *ait*: *Ille tibi vivit redde*, *quod debes*. *Deinde per cloſtrum*, *qua ſe commiſſura laxaverat*, *quatuor denarios in tabernam inſeruit*. Quam vili pretio conſtiterint phæcaſia, utpote quatuor empta denariis, cernitur hinc evidenter. Quare & Seneca illa ironice *rem magnam* vocat. Non pluris conſtitiſſe Hebræorum calcei videntur. Hinc apud Amoſum II. 6. conqueritur Deus, *quod egenum vendiderint* בעבור נעלים *propter par calceorum*. Inter alia quæ recenſentur iſtorum hominum peccata, perſtringuntur Judices illius ævi, qui pecuniæ gratia injuſte judicabant, imo egenum vendebant בעבור נעלים *propter par calceorum*. Idem vitium in aliis notatur, *qui egenum emebant* בעבור נעלים *propter par calceorum*. *Amos.* VIII. 6. Scilicet egenos, quaſi homines viliſſimos & nullius pretii, vel vendebant Judices, vel emebant alii *pro pari calceorum*, h. e. re minimi pretii. *Par calceorum* enim apud Prophetam veluti proverbialis eſt loquendi ratio pro re vili & nullius fere momenti, quomodo & alibi uſurpatur פרח לחם *fruſtum panis*. *Ezech.* XIII. 19. Quo ſenſu a Catone etiam dictum de Cœlio eſt: *Fruſto panis conduci poteſt*, *vel ut taceat*, *vel ut loquatur*. Simile apud Syrachidem legitur de Samuele: χρήματα, καὶ ἕως ὑποδημάτων ὑπὸ πάσης σαρκὸς οὐκ εἴληφεν. *Eccleſ.* XLVI. 22. *Pecuniam*, & *uſque ad calceos ab ullo homine non accepit*. Senſus eſt Samuelem 1. *Sam.* XII. 3. 4. *nihil quidquam a quoquam abſtuliſſe*. Hoc cum planum ſit atque perſpicuum, alium ſenſum tamen iſtius dicti eſſe conjectat vir magni nominis Martinus Gejerus *de Luct. Hebr. pag.* 293. Nam poſtquam notaſſet, *calceos taxi*, *vel Janthinos*, *ex corio molli*, *tenero*, *ac eleganti*, *in uſum virginum matronarumque delicatarum* olim *paratos*, uti *cenſet Oſiander*, quomodo & *ſandalia Judithæ rapuiſſe dicuntur oculos Holofernis*, *ſubjungit*. *Forte*, *etiam pro pretioſis ejuſmodi calceis vendiderunt pauperem*, *Amos* II. 6. VIII. 6. *qua ratione hactenus agri alicujus proventus in ocrearum par a nobilibus impendi quandoque audivimus*. Sed in ea conjectura erravit plane Gejerus. An *calcei taxi*, *ex corio molli*, in uſu fuerint Hebræis non liquet. Dein ſi vel maxime iſtiuſmodi calcei in pretio in ea gente fuiſſent, uti veriſimile eſt luxum inter Hebræos quoque in calceis fuiſſe, huc facerent haud quaquam. Nam totius orationis ſeries oſtendit, non de pretioſis iſtiuſmodi calceamentis divinum vatem loqui, ſed pro re vili & minimi pretii *par calceorum* uſurpare.

VIII. Σίμωνος βύρσεως ſuperius facta eſt mentio, cum conjicerem apud Hebræos calceos ex corio fuiſſe. Huic conjecturæ vero me non multum fidere etiam indicavi ſatis. Etenim licet βύρσεως ſit *coriarius*, qui coria tractat calceis conficiendis, non tamen in his ſolis eorum opera occupatur, cum confectarum pellium varius ſit uſus. Quamvis etiam non ineptum ſit, ſi dicamus in coriis, e quibus calcei fiunt induſtriam Simonis verſatam. Illud hic inquirere juvat, cur de Simone dicatur, ᾧ ἐστιν οἰκία παρὰ θάλασσαν *cujus eſt domus juxta mare*. Omnes, quos ad hunc locum videre mihi contigit, Novi Fœderis interpretes, ſecure hæc verba tranſiliunt. Ipſe vir illuſtris Hugo Grotius, qui reliquis omnibus in hoc genere ſtudiorum facile palmam præripit, utpote quo nemo ex gentium ritibus plura notavit ad penitiorem ſacrorum voluminum intellectum, nihil monet. Putarunt vidilicet homines eruditi, nihil occurrere h.c notatu dignum. Et tamen non ſine ratione eſt, quod Simonis domus παρὰ θάλασσαν *juxta mare* fuit. Animadvertit vir doctiſſimus Benedictus Balduinus, *de Calc. Ant. cap.* 2. coriaros, quod morticinia tractarent, ab urbibus fuiſſe ſubmotos, adeoque domum Simonis

nis coriarii urbis ambitu exclusam, cum diserte dicatur fuisse παρὰ θάλασσαν *juxta mare*. Ita sane est, detracta cæsis animalibus coria concinnare & polire apud veteres semper turpe fuit habitum, unde tales urbium domicilio carere voluerunt. Docet locus Artemidori *lib.* II. *cap.* 53. quem vir doctissimus observavit: Τὸ δὲ βυρσοδεψεῖν πᾶσι πονηρόν. νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης κὴ τῆς πόλεως ἀπῴκισται *Coriariam exercere omnibus malum. Mortua enim tractat corpora coriarius. Quare & ab urbe secluditur*. Idem factum inter Hebræos veteres verisimile admodum est, cum morticinia attingere lege fuerit cautum. Hinc istos homines, quibus sæpe incumbit pelles detrahere morticiniis, ut immundos fere semper, suo consortio excluserunt. Quare & Simonis domus παρὰ θάλασσαν *juxta mare* fuit, h. e. in ea parte urbis, qua mari alluitur. Adeo ut quidem Joppæ habitaverit, sed urbe exclusus *juxte mare*.

CAPUT III.

I. *Calcei ex variis animalium pellibus olim confecti*. II. תחש *apud Ezechielem cap.* XVI. *vers.* 10. *de* taxi *vel* taxonis *pellibus multi exponunt*. III. תחש male *pro* taxo *sumitur, cum incertum sit an veteres ex taxi pellibus calceos gestarint, & calcei taxei fuerint admodum viles*. IV. *Interpretes antiqui* תחש *coloris nomen volunt*. V. *Non est color niger, cum mulieres olim nigros calceos non gestarint*. VI. *Neque cæruleus, ut Hieronymus & alii* ὑάκινθον *interpretantur*. VII. *Sed purpureus, vel bysginus, juxta Bochartum*. VIII. *Aut potius is ipse color quem* לכא lacca *Talmudici vocant*. IX. *Calcei rubri sive coccinei, magno loco habiti*. X. *Albanorum & Romanorum Regum gestamen. Locus Dionis de calceatu Cæsaris, a Ferrario & Salmasio tentatus, emendatur*. XI. *Calcei mullei, qui rubri fuerunt, ab iis qui curulem gesserant magistratum, & triumphantibus sumti*. XII. *Imperatorum Constantinopolitanorum proprii calcei rubri, sive coccinei*. XIII. *In ornatu Pontificum rubea sandalia*. XIV. *Mulieres olim rubros calceos gestarunt*. XV. *Judæorum magnates in festis solennibus iis usi, atque in Oriente virgines nobiliores*. XVI. *Locus Cant.* VII. I. *Nondum satis explicatus, illustratur*. XVII. *In locum Judith.* XVI. 3. *&* XVI. II. *conjectura*.

I. CAlceos veterum Hebræorum ex corio fuisse, superiori capite variis rationibus ostendi. Quodnam vero corii genus in conficiendis eorum calceis adhibitum fuerit, non constat satis, imo incognitum prorsus est. Varias animalium pelles in calceorum usum olim cessisse, ex iis locis, quæ adducta sunt, colligi potest non difficulter. Gethæ ex equino corio perones gestarunt, & ex recentibus coriis bubulis confectæ sunt Carbatinæ. Calceos ex bovis corio Hesiodus ἐργ. *vers.* 540. præcepit hyberno tempore gestandos.

> Ἀμφὶ δὲ ποσσὶ πέδιλα βοὸς ἶφι κταμένοιο
> Ἄρμενα δήσασθαι:

Circum vero pedes calceos bovis in flore occisi aptos ligato. Vult nempe, ut calcei fiant ex corio *bovis, nec senio, nec morbis, confecti, sed qui in ipso robore & flore ætatis occiditur, cujus corium calceis, qui non facile deteruntur, & contra frigus maxime muniunt, sit aptissimum*, uti ad illum locum notavit vir undequaque doctissimus Johannes Georgius Grævius *Lect. Hes. pag.* 67., cui quantum debeant politiores literæ nemo, nisi omnis humanitatis expers, ignorat. Habuerunt Græci τροχάδας ex pelle caprina, & ἀρνακίδας ex pellibus agninis, quomodo & Epiphanius, & Athenæus & Pollux, quos adducit vir eruditissimus Paulus Leopardus, *Emend. lib.* 2. *cap.* 2., calceos commemorant ex pelle hædina.

II. Si interpretes sequimur, apud veteres Hebræos calcei fuerunt, & quidem in summo pretio, ex pelle animalis, quod voce novitia *taxum*, vel *taxonem*, vocamus, unde ortum est Belgarum vocabulum *Das*, quo nomine id ipsum animal dicitur. Beneficia, quibus cumulaverat Hebræam gentem, maxima ac prope stupenda, apud Ezechielem XVI. 10. II. 12. describit Deus, sub emblemate ornatus muliebris. Inter cætera recenset, quod *calceaverit eam* תחש. Hebræi תחש animal esse statuunt, de quo multa Talmudici *Tract. de Sabbato cap.* 2. *fol.* 28. disputant, an animal mundum sit, an immundum? intelligunt autem animal simile תלא אילן *Thela Ælan*, h. e. viverræ, parvi animalis, similis feli, uti prolixe docet in incomparabili de animalibus opere vir summus Samuel Bochartus *Hieroz pag.* I. *lib.* 3. *cap.* 30. Sed propter nominis allusionem תחש *taxum*, sive *taxonem*, alii exponunt. Horum princeps est R. Salomon Jarchi *in h. l.* qui hæc verba ואנעלך תחש *& calceavi te tachas*, Gallice reddidit, אי קאלצוי מוייטי ישין *je calse toy taisson*, quomodo ipsius ævo Galli loquebantur. Atque hunc sequuntur recentiores omnium linguarum inter-

pretes : qui vertunt *calceavi te taxo*, h. e. pellibus taxeis, *met dassenvellen*, uti Belgæ reddiderunt. In hanc sententiam exponunt, præter Osiandrum, *Munsterus Vatablus & Grotius in h. l.* Sebastianus Munsterus & Franciscus Vatablus. Vir illustris Hugo Grotius de *melium pellibus* accepit. Putavit forsan *taxonem* esse *melem* veterum, quod tamen refellere conatur maximus virorum Claudius Salmasius *in Solin. pag.* 1009.

III. Hos omnes, quamvis

Defendat numerus, junctæque umbone phalanges,

magnis rationibus inductus, sequi non possum. Nam præter varia argumenta, quibus ὁ πάνυ Samuel Bochartus *loc. cit.* male תחש pro *taxo*, sive *taxone*, sumi ostendit, illud mihi videtur quam maxime dubium, an unquam veteres ex taxi pellibus calceos gestarint. Calceos taxi, e corio molli, tenero, ac eleganti, in usum virginum matronarumque delicatarum paratos, censet Osiander *in Paraph.* Nullo vero testimonio id firmat. Et sane veteres ex taxi pellibus calceos gestasse, aut aliquod habuisse calceamenti genus, nemo dixit. Pelle taxonis muniri pharetras, & equorum helcia, scuta quoque obtegi, canumque millos, sive collaria, confici, nonnulli scribunt. At qui dixerit olim calceos ex pelle taxi, sive taxonis, fuisse, nemo homo est. Quemadmodum & hodie istarum pellium in calceis conficiendis nullus est usus. Ne dicam, nihil hic fore magnificum, si taxeis pellibus inter alia ornamenta gentem Hebræam Deus calceasset, cum istiusmodi calceis ne lixæ quidem & calones libenter uterentur. Et tamen aliquod genus pretiosi calceamenti hic intelligere necesse est, quod inter tam varium & multiplicem ornatum prædicat Deus, quodque olim in usum virginum & matronarum delicatiorum paratum fuit. Ut plane alii, quam ex pelle taxonis, hi calcei fuerint, de quibus Deus dicit ואנעלך תחש *& calceavi te tachas*.

IV. Si consulimus veteres scripturæ interpretes תחש nihil minus fuerit quam animal. Etenim omnes, quotquot fuerunt, non animalis, sed coloris, nomen volunt. LXX. Græci hic habent: Καὶ ὑπέδυσά σε ὑάκινθον, quomodo & alibi עורות תחשים reddiderunt δέρματα ὑακίνθινα. In textu Hieronymi est, *calceavi te hyacintho*, sed in commentariis *Janthino*, quomodo Aquila & Symmachus interpretati sunt. Alii pro *nigro* eam vocem acceperunt. עורות תחשים Arabum, quos in Svecia Manuscriptos vidit Bochartus, unus reddit *pelles coloris cælestis*, alter *coria randag*, & editi duo: *pelles daris*, id est, *coria nigra*, & *pelles nigras*, utraque voce a Persis mutuata, quibus *daris* de pelle, & *randach* de corio *nigrum* sonat, quomodo & Samaritanus *pelles nigras* habet. ססגונא *Sasgona* verterunt Chaldæus & Syrus, quam vocem notare colorem ὑσγινον *hysginum* multis docet magnus Bochartus *loc. cit.*, quamvis Hebræi eam sumant pro animali, quomodo & in egregio suo opere *taxum* exponit vir in Hebraicis nemini secundus Johannes Buxtorfius *lexic. Talmudic. Rab.* 2500.

V. In hoc interpretum dissensu videndum inprimis est, num inveniri quicquam certi possit. תחש de *colore nigro*, proprie dicto, hic intelligi non potest, cum olim apud nullas gentes nigri calcei mulierum fuerint. In calceorum coloribus is sexus quondam, uti & hodie, mirum in modum luxuriavit. Præter *albos*, qui mulierum ut plurimum fuerunt, habuerunt *mulleos*, sive rubros *cereos* h. e. ceræ instar flavos, & *hederaceos*, h. e. virides, quorum omnium usum, uti meminit Flavius Vopiscus *in Aurel. cap.* XLIX. *& ad eum Salmasius*, viris ademit, mulieribus reliquit Aurelianus. Videri possunt quæ de his variis calceorum coloribus ad eum locum notavit maximus Salmasius. At nigros calceos olim gestatos a mulieribus fuisse legitur nusquam. Etenim illi virorum ut plurimum fuerunt, & quidem Senatorum apud Romanos insigne, unde Juvenalis *sat.* VII. *vers.* 191.

——*Nobilis & generosus*
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

ut homines eruditi animadverterunt jam dudum. Quare תחש de colore nigro intelligi non potest cum fœminarum ornatus hic exprimatur tantum, quibus non conveniunt calcei nigri.

VI. Quid Græci intellixerint per vocem ὑάκινθον, qua reddiderunt Hebræorum תחש, non adeo certum est. Etenim tam pro *cæruleo*, quam pro *purpureo* colore, apud idoneos scriptores usurpatur. Qui tamen a se invicem non sunt parum diversi. Unde qualis color fuerit hyacinthinus, *cæruleus*, an vero *purpureus*, non constat satis. Et quidem pro *cæruleo* Hieronymus accepit *Ezech.* 16. 10. Notat enim *cum autem loti fuerint pedes, & omni sorde purgati, calceantur hyacinthinis, sive Janthinis : quod utrumque aerii & κυανις coloris est, ut ra-*

pian-

piantur in occursum Domini in aerem, *& ad cœlestia regna festinent*. Idem alibi: *Involucra hiacinthina*, *propter coloris similitudinem*, *referamus ad aerias potestates*. Neque Hieronymus *Ezech.* 27. 24. tantum, sed & alii complures cum cœlo & aere hyacinthum & hyacinthinum contulerunt: ita Origines *in Exod. Hom.* 13., Theodoretus *in Exod. Quæst.* 6. Gregorius Nyssenus *de vita Mosis*, Ambrosius *in Apoc.* 9. Etiam Arabum interpretum unus qui עורות תחשים *pelles coloris cœlestis* reddidit, ut visum superius. At ego ὑάκινθον male exponi *colorem cæruleum* existimo. Est quidem is color etiamnum usitatus in pompaticis Regum Gallorum calceis, quos e serico, velutove cæruleo, cum liliis aureis opere Phrygio intextis, confici consuevisse, autor est Monstreletus, atque in variis Galliæ locis in multis Regum Gallorum imaginibus posse observavari, monuit vir doctissimus Benedictus Balduinus (*de Cal. Ant. cap.* 4.). Ac præ omnibus unam, eamque insignem *Henrici Magni* effigiem, ad vivum expressam, quæ in regio illo cœnobii Sandionysiani ærario, singularique armario stat inclusa, id ostendere, quæ præter vestimentorum, quibus in sua inauguratione Gallici Reges uti solent, insignia, calceos e serico cœruleo, liliis aureis distincto, spectantium oculis exhibet. Olim tamen calceos cærulei coloris in usu fuisse non immerito dubitatur. In omni antiquitate unicum exemplum observare potui, idque non adeo vetustum, de Michaelis Palæologi Socero, qui Sebastocrator dicebatur, & cæruleis calceis ab Imperatore distinctus fuit, uti memoriæ prodidit Nicephorus (*lib.* 4.). *Cæsar*, inquit, *cum Despote Socero Sebastocrator appellatur. Soceri vero illustre discrimen in cæruleis calceis aquilæ intertextæ constituebant*. Scilicet, ea tempestate, qua purpureus color, Imperatorum Constantinopolitanorum proprius fuit, in calceorum cæruleo colore discrimen est positum, ut ab ipso Imperatore socer distingueretur, qui cum aquilis intertextis cæruleos calceos habebat, cum Imperator cum aquilis intertextis purpureos gestaret. At exemplum vetustius neque ipse legi, aut ab ullo hominum eruditiorum vidi animadversum. Quare non immerito ambigo, an apud Hebræos veteres cærulei calcei fuerint in usu, quod tamen omnino necesse est, ὑάκινθος colorem cæruleum notaret.

VII. Dicendum ergo pro colore *purpureo* ὑάκινθον sumendum esse apud LXX. Senes, quomodo & vir summus Samuel Bochartus (*loc. cit.*) τὸ תחש accipit, vel pro hyacinthino colore, vel pro hysgino, qui hyacinthino est affinis, (quod multis etiam docuit maximus Salmasius *Exerc. Plin. part.* 272., qui hyacinthinum & hysginum ita differre probat, ut tamen affinis sint tincturæ, & utrumque pro *purpureo* usurpetur) qua significatione etiam sumendam vocem ססגונא, *Sasgona*, quam Syrus atque Chaldæus habent, contendit, ut nempe idem sit, quod apud Græcos ὕσγινος, qualis color cocco tingitur, & ad purpuram accedit.

VIII. Ego quidem non dubito, quin תחש sit is ipse color, quem לכא *lacca* Talmudici vocant *Exod.* XXV. 5. *&* 23. XXXV. Illud observandum τὸ תחש de pellibus ubique dici. In iis, quæ in *Exodo* XXVI. *&* XXXV. 14. 18. *&* XXXIX. 34. ad structuram Tabernaculis offeruntur, memorantur *pelles arietum rubefactæ &* *pelles* תחשים *tachasim*. In eodem libro, Tabernaculi tegumento *ex arietum pellibus rubefactis*, superinducitur מכסה עורות תחשים *tegumentum ex pellibus tachasim*. In Numeris quoque IV. 6. 8. 10. 11. 13. 14. 25., super arcam, & mensam, & candelabrum, & altare aureum, & omnia vasa ejus expandi jubetur operimentum *ex pelle* תחש *tachas*, & Gersonitæ jubentur ferre aulæa Tabernaculi, & tentorium conventus ejus, ומכסה אשר עליו התחש *& operimentum tachas quod est super illud*. Atque uti תחש de pellibus ubique dicitur, ita & colorem significare, cum pellibus rubris adjungatur, manifestum est. Etenim cum memorantur *pelles arietum rubræ & tachasim*, satis constat utrumque ex æquo esse coloris nomen. Non mihi latet, quid hic opponat nostri seculi summus Theologus Johannes Coccejus *in Lex. Hebr. R.* תחש: *Non videri probabile*, *nihil nisi colorem notari*, *quia tum non diceretur in plurali* תחשים. Sed hęc ratio me parum movet. Etenim uti ab אדם, quod *rubrum* notat, fit plurale אדמים, & a שחר *niger*, plurale שחרים, non video cur a תחש non possit dici plurale תחשים. Cum תחש de pellibus dicatur, & colorem significet, non alium colorem ego fuisse puto, quam quem לכא Talmudici vocant *in Pesachin fol.* 24.*b. & Cholin fol.* 28.*a.* לכא צבע עור אדם *colorem corii rubrum*. Scilicet de rubro colore id intelligi vult, quamvis in corio magis, quam in pannis. Videri possunt, quæ observata sunt Johanni Buxtorfio *Lex. Talm. R.* לכא, & Samueli Bocharto *Hieroz. pag.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. Is vero color coccineus mihi fuisse videtur. Quod quidem voluit R. Salomon Jarchi, qui in Cho-

Cholin לכא exponit per יפרקא: in Pesachin autem per סרקא, si vera est viri doctissimi Johannis Braunii *de vestitu Sacerd. Hebr. lib.* 1. *cap.* 15., qui vestitum Sacerdotum Hebræorum luculento commentario illustravit, conjectura, qua pro סרקא emendat סרלקא, ut *coccinum* intellexerit Jarchius. Quomodo & de coccino intelligenda vult ea Talmudis loca, eo magis, quod in Pesachin quęstio sit de aqua & furfure, qua utuntur infectores ad tingendam *laccam*, quali aqua & hodie utuntur ad tincturam coccini. Ita, cum Jarchius *Lacca* explicet צבע עור אדם שקורין סרלקא ut quidem pro פרקא, vel סרקא emendat, perinde est ac si dixisset, *color est ruber corii*, *quem vocant Sarlaka*. Neque possum omittere, quod idem conjecit vir eruditissimus, procul dubio eundem colorem, & idem corium esse, quale nobis & hodie affertur Smirna, & ex aliis locis, quod Gallice *Maroquin du Levant* dicimus. Cum itaque לכא *colorem rubrum corii* interpretatur R. Salomoh, ego תחש eundem colorem fuisse puto.

IX. Talem colorem rubrum, sive coccineum, hic intelligendum ex eo fiet longe verisimilius, quod istiusmodi calceos gestare magnificum fuerit olim. Facile videre est in hisce calceis, de quibus Propheta, aliquid magnum fuisse, cum inter tot ornamenta recenseantur. Quorsum enim inter alia pręclara, quibus Hebręam gentem se ornasse prędicat supremum Numen, mentionem faceret, *calceasse tachas*, si non aliquid pretiosum, & in calceis eximium, intelligatur? Unde Targum habet יהבתי מסל דיקר ברגליכן *posui calceamenta pretiosa in pedibus tuis*. Vidit videlicet magnum quid esse, de quo loquitur Deus, *se calceasse tachas*. At nihil magis magnificum fuit quam calcei rubri, sive coccinei, qui & olim in summo fuerunt honore, & proprium Regum & Imperatorum gestamen.

X. Rubris calceis olim usi sunt Albanorum Reges, eorumque exemplo Reges Romanorum. De Romulo Zonara *lib.* 2. *Annal.* refert, quod πεδίλοις ἐκέχρητο ἐρυθροῖς, *calceis rubris utebatur*. Usus est iis postea Julius Cęsar, ut ex Albę regibus se ortum testaretur, uti autor est Dio *lib.* 49. Locus Dionis corrupte vulgo legitur: Τῆτε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, ϗ τῇ ὑποδέσει, ϗ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε, ϗ ὑψηλῇ, ϗ ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς Βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους, ὡς ϗ προσῆκον σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον ἔχρῆτο. Sed pejus ab interpretibus est exceptus: *Quippe semper laxiori veste delicate utebatur, & cinctura fluxiore: aliquando etiam veste sublimiori, ac rubea utebatur more Regum, qui Albæ quondam imperaverant, cum ab Julo id ad ipsos pervenisset*. Interpretum errorem, qui ὑπόδεσιν, verterunt *cincturam fluxiorem*, atque verba ὑψηλῇ & ἐρυθροχρόῳ ad ἐσθῆτα retulerunt, cum perspicuum sit ad ὑποδέσει referri, cum dici non possit quid sit vestis ὑψηλη, & de calceamentis Cæsaris loquatur Dio, quæ vel humilia, vel alta dicuntur a veteribus, optime castigavit magnus Casaubonus *ad Svet. Jul. cap.* 45., mendum tamen quod latet non animadvertit. Quid enim est ϗ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε? Octavius Ferrarius *de Re vest. pag.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13., vir plane eximius, postquam pariter notasset pueriliter admodum ὑπόδεσιν, vel pro fluxiore cinctura, vel pro veste, interpretatos esse, cum nemo vel leviter literis Græcis tinctus ignoret, ὑπόκεσιν esse calceationem, sive calceatum, verba Dionis ab interpunctione laborare putat, & una plus conjunctione abundare: Unde ea hoc pacto concinnat: τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, ϗ τῇ ὑποδέσει μετὰ ταῦτα ἐνίοτε, ϗ ὑψηλῇ, ϗ ἐρυθροχρόῳ: *Nam veste laxiore semper molliter utebatur, & calceamentis aliquando deinceps etiam altiusculis ac rubeis*. At aliter longe apud virum maximum Claudium Salmasium *ad Vopisci Aurelianum* locum Dionis citatum repperi. Τῆτε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, ϗ τῇ ὑποδέσει κεντητῇ, ἐνίοτε ϗ ὑψηλῇ ϗ ἐρυθροχρόῳ. Putavit forsan vir maximus pro ϗ μετὰ ταῦτα legendum esse κεντητῇ, ut Dio dicat, ὑποδέσει κεντητῇ Cæsarem luxuriasse. Κεντητῶν ὑποδημάτων, & quidem pretiosiorum purpureis atque aureis meminit Epictetus *Enchrid. cap.* 61. Καθάπερ, inquit, ϗ ἐπὶ τοῦ ὑποδήματος, ἐὰν ὑπὲρ τὸν πόδα ὑπερβῇς, γίνεται κατάχρυσον ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κέντητον: *Ut & in calceo, si ultra pedem progressus fueris, sit auratus calceus, deinde purpureus, deinde interpunctus*. At quid sint κέντητα ὑποδήματα dissentiunt eruditi. Putavit Wolfius vir Græce doctissimus *ad Epict. sive artificiose dissectos, sive pictos, sive gemmis aut imaginibus interpunctos calceos significare* τὰ κέντητα ὑποδήματα. Magnus Casaubonus in tractatu ἀνεκδότῳ *de calceis*, uti refert filius ejus Mericus *Casaub. in Epict.*, τὸ κέντητον ὑπόδημα *calceum gemmis distinctum* exponit, quod idem Mericus pluribus adstruit. At mihi maxime placet Salmasii *ad Vopisci Carinum*, sententia, qui *acu pictum* intelligendum existimat. Opera κέντητα dici notat, quæ arte Phrygionis erant elaborata. Hinc Epictetum affirmat eo genere laboratum calceum, sive

acu

acu pictilem, sive acu punctilem dixeris, κέντητον vocare, & facere pretiosiorem aurato & purpureo. Atque hoc in mente habuisse videtur maximus Salmasius, cum apud Dionem κεντητῇ reposuit. Post tantos viros tamen ego propius ad priscam lectionem locum Dionis emendari posse existimo: Τῇτε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει. Καὶ μὲν ταύτῃ ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ, καὶ ἐρυθροχρόῳ: *Veste vero fluxiore semper luxuriabat & calceatu: Et illo quidem aliquando & altiori & rubro* &c. Μὲν ταύτῃ enim mutari facile potuit in μετὰ ταῦτα.

XI. Uti a regibus Albanis primo, dein a Romanis, rubri calcei gestati fuerunt, ita postea mullei usurpati sunt. Hi vero *mullei* rubri fuerunt, & quidem olim tanto loco habiti, ut qui in curuli magistratu erant, non eos semper & ubique gestarent, sed diebus tantum solennioribus, & ludorum celebratione, & cum thensas ducerent, uti jam pridem monuerunt viri eruditi. Qui triumphabant, calceos rubros, sive puniceos, sumebant. Docuit hoc magnus Casaubonus *ad Svet. Jul. cap.* 45. ex veteri lapide, qui ad C. Marii memoriam Arimini positus est: DE. MANUBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEUTONICEIS. ÆDEM. HONORI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUMPHALI. CALCEIS. PUNICEIS. Quem etiam exhibent Claudius Salmasius *ad Vopisci Aurelian.*, Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 10., Albertus Rubenius *de Re vest. lib.* 2. *c.* 2. & alii plures. *Calcei punicei* in illa inscriptione sunt *mullei*, vel ἐρυθρόχροοι, uti Dio vocat, qui triumphantibus gestare soliti. Coccineorum calceorum etiam meminit Martialis *lib.* 11. *Epigr.* 49. cum in Rufum quendam, qui pedes cingebat coccina aluta, ita ludit:

Non esterna sedet lunata ligula planta,
Coccina non læsum cingit aluta pedem.

De quo loco videri possunt quæ disputat vir insignis ingenii & doctrinæ Octavius Ferrarius *in Anal. de Re Vest. cap.* 34.

XII. Posteriori ævo hic mos gestandi calceos rubros ad Imperatores transiit, uti docet Procopius *lib.* 3. *de Ædif. Justiniani*. Ὑποδήματα, inquit, μέχρι ἐς γόνυ φοινικοῦ χρώματος, ὃ δὴ βασιλέα μόνον Ῥωμαίων τε καὶ Περσῶν ὑποδεῖσθαι θέμις. *Calcei usque ad genua punicei coloris, quibus solis Romanorum & Persarum regibus calceari licet*. In primis translato ad Bizantium imperio, illis Imperatoribus singulare fuit, ut gestarent πέδιλον ἐρυθρὸν, sive φοινικοβαφὲς, ut ex Zonara, Niceta, Paulo Diacono, Georgio Phranze, atque aliis constat, & a viris doctissimis animadversum est jam dudum. Corippi *lib.* 2. *cap.* 3. locus hic adscribi meretur, qui imperatorios calceos Justini junioris describit:

Purpureo suræ resonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,
Qui solet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus princeps, & barbara colla domare:
Sanguineis prælata rosis, laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis:
Augustis solis hoc cultu competit uti,
Sub quorum pedibus regum cruor.

Guilhelmi item Apuliensis *lib.* 1. *Rerum in Italia ac Regno Neapel. Normanicarum*, qui ante annos sexcentos rebus Guiscardi, Calabriæ ducis, interfuit, non prætermittendi sunt versus:

—— *Assumitur*, inquit, *Imperialis*
Purpura, pes dexter decoratur pelle rubenti,
Qua solet imperii qui curam suscipit uti.

Hinc Isacius Comnenus a Patriarchatu dejecit Constantinopolitanum Patriarcham, quod ἐπεβάλλετο κοκκοβαφῆ περιβαλεῖν πέδιλα *suscepit se induere calceis coccineis*, uti refert Curopalates *in Vita Isacii Comneni*, sive Georgius Codinus *Idem in Tzimisce*. Qui etiam Bulgarici imperii insignia fuisse tradit, στέφανον ἐκ χρυσοῦ, καὶ πῖλον νενησμένην ἐκ βύσσου, καὶ πέδιλα ἐρυθρά: *coronam auream, & tiaram ex bysso netam, & calceos rubros*.

XIII. Observatum quoque est, tum ab aliis, tum ab eruditissimo viro Benedicto Balduino, *de Calc. Ant. cap.* 4. mansisse etiamnum in ornatu Pontificum rubeas caligas, & sandalia. Sic enim Cerimoniale Pontificum *lib.* 1. *cap. de indumentis Elect.*: *Induitur papali habitu, toga scilicet linea alba, caligis rubeis & sandaliis rupeis, aurea cruce signatis*. Scilicet ab eo tempore, quo se qua maxime Romani Pontifices cæperunt extollere, etiam in cultu & externo splendore vo-

voluerunt esse insignes, ac pro sandaliis Apostolicis rudibus illis, uti credere par est, & impolitis, pedibus induerunt sandalia rubea, crucis aureæ ornamento insignita, ut vel hac ratione se Imperatorum ostenderent æmulos, quorum Tzangæ fuerunt purpureæ, aureis aquilis intertextæ. Quales rubri calcei etiam censentur inter Episcopalis habitus insignia, ut idem animadvertit doctissimus Balduinus *loc. cit.*

XIV. Neque olim tantum, aut Albanorum, aut Romanorum Reges, & postea Imperatores, calceos rubros gestarunt, sed etiam mulieres iis luxuriarunt. Rubeus enim calceus a mulieribus interdum usurpatus est, ut eruditi docuerunt.

Persius *Sat.* v. *vers.* 69.

—— Solea puer objurgabere rubra.

Tertulianus *de Pal. cap.* 4. *Impuro cruri purum aut mulleorum inducit calceum*. Hinc & deas iis ornant Poetæ: Venerem enim, venatricis habitu prope Carthaginem Æneæ apparentem, cum *Cothurnis purpureis* Virgilius *lib.* I. *Æneid. vers.* 337. *&* *Eccl.* VII. *vers.* 30. facit. Pari ratione Dianam calceat, ubi Corydon vovet:

Si proprium hoc fuerit, lævi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Neque aliter

Livius Andronicus *Hymn. in Dianam* apud Terentianum Maurum:

Et jam purpureo suras include cothurno.

Quos imitatus videtur Nemesianus, *Cyneg. vers.* 90. qui de eadem Diana canit:

Candida purpureis aptentur crura cothurnis.

XV. Istiusmodi calceos rubros, vel coccineos, apud Ezechielem intelligendos esse, ego dubito nullus, cum inter alia Deus prædicat *se calceasse* תחש *tachas*, h.e. calceis coccineis. Magnates Hebræorum eos olim gestasse, in tribus præcipue festis solemnioribus videre est ex Chaldæo Paraphraste, *ad Cant.* 7. I. qui verba Cantici מה יפו פעמין בנעלים *Quam pulchri sunt pedes tui in calceis*, ita exponit: כמה שפירן רגליהון דישראל כד סלקן לאתחזאה קדם יי תלת זמנין בשתא בסנדלין דססגונא: *Quam pulchri sunt pedes Israelis* (Magnatum nempe in illo populo) *cum ascendunt ut appareant coram domino tribus vicibus in anno cum in sandaliis sasgona* hoc est coccineis. Apud alios Orientis populos mulierum ornamentum fuisse, ut purpureis sive coccineis calceis uterentur, ex Virgilio cernitur non obscure. Apud illum enim cum venatricis habitu cum purpureis cothurnis Æneæ prope Carthaginem appareret Venus, Tyrias virgines dixit, nempe quæ in iis erant genere & opibus insignes, ita indui solere:

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

XVI. Ad hos rubros calceos Autorem Cantici VII. I. allusisse suspicor, dum sponsæ pedes a calceis commendat: מה יפו inquit, פעמיך בנעלים בת נדיב *Quam pulchri sunt pedes tui in calceis filia principis*. Multi interpretes vocem פעמים *gressus*, sive *incessus*, vertunt. LXX. Ὡραιώθησαν διαβήματα σου ἐν ὑποδήμασί σου. Vulgatus: *quam pulchri sunt gressus tui:* Belgæ. *Hoe schoon zyn uvve gangen in de schoenen*. Eodem modo alii. At פעים licet *gressus*, sive *incessus* notet, pro ipsis *pedibus* aliquando sumitur. Quod Lexicographi variis exemplis ostenderunt, inter quos eminent viri magni Buxtorfius & Coccejus *in Lex. Hebr. R.* פעם. Neque aliter ea vox hic accipienda est. Autor Cantici Sponsam prædicat ab omnibus partibus, quæ muliebre corpus & formam commendant. Femorum, umbilici, ventris, uberum, colli, oculorum, nasi, denique capitis meminit & comæ. Exorditur autem a פעמים. Quod sane non nisi de *pedibus* intelligendum est. Scilicet a pedibus initium ducit, non vero a *gressu*, sive *incessu*. Pedes autem pulchros in calceis dicit, quia rubris sive coccineis ornabantur, qui pedibus singulare decus atque ornamentum adferebant, cum magis nivei apparerent. Etenim pedum candor, intra vincula rubra, sive coccinea, positus, niveus videbatur. Apud Rabbinos celebre est: יאיא מסכנורא ליהדאי בערקתא סומקא דעל לביה דסוסא היורא: *pulchra est paupertas Judæis. Sicut lorum rubrum in pectore equi albi*. Pariter pulchri fuerunt pedes albi in rubris, sive coccineis vinculis. Fascias enim pedules, quas πῖλοι Græci vocant, uti pulchre docuit vir summi ingenii & eruditionis Johannes Georgius Grævius *Lect. Hes. pag.* 68. de quibus plura etiam obser-

ſervarunt viri maximi, Iſaacus Caſaubonus *ad Svet. Aug. cap.* 82. & Claudius Salmaſius, *ad Lampr. pag.* 221. antiquis temporibus Orientis populi ignorarunt. Quod Varro affirmat, calceamenta ſine faſciis ſumi ſolita ſe puero (nam & Romani faſciis pedulibus ſero ſunt uſi) id olim obtinuit, inter orientales præcipue, ut nudis pedibus calceos induerent. Viſum quidem aliter Johanni Buxtorfio eſt *Vindic. Exerc. de cœna Domini* §. LVII. & LVIII. Obſervaverat Ludovicus Cappellus, ut lotionem pedum uſitatam fuiſſe adſtrueret ante accubitum: *moris in Judæa fuiſſe, ſi non nudis plane pedibus, calceis ſaltem non prorſus clauſis, uti nos hodie, ſed apertis (qui σανδάλια dicuntur, quibus hodie utuntur Monachi nudipedes, Capucini & Recollecti quos vocant) communiter incedere, quo fiebat, ut pedes non pulvere modo aut luto inquinarentur, ſed ipſimet etiam rei alicujus immundæ, morticini puta, in plateis jacentis, attactu pollueerentur*, indeque, *qui legalis puritatis ſtudioſiores erant (quales fuerunt Phariſæi, & alii quamplurimi) procul dubio non manus modo, ſed & pedes, ante accubitum, laviſſe omnino veriſimile eſſe*. Sed Johannes Buxtorfius id irridet in hunc modum: *Quis formam tam accuratam calceorum illius temporis cenſori oſtendit? credo illum a celebri illo in Talmudicis ſcriptis* ר' יוחנן הסנדלר Jochanan ſandalario, *aliquas traditiones nactum eſſe. Etſi tales geſtarunt calceos, annon tibialibus pedes tectos habuerunt, quibus non ſolum ab externa injuria, ſed & immunditia ac pollutione muirentur?* Ego vero hæc tali viro excidiſſe non poſſum mirari ſatis. Nam quod rogat, quis Ludovico Capello *formam tam accuratam calceorum illius temporis oſtenderit, niſi forſan a celebri illo* רבי יוחנן הסנדלר Rabi Jochanan ſandalario, *aliquas traditiones nactus ſit*, omnino ineptum eſſe, vel ea docebunt, quæ de calceorum forma inferius obſervantur. De tibialibus autem quod objicit, non veritas, ſed Capellum exagitandi ſtudium dictavit. Judæos enim tibialibus uſos oſtendet nunquam. In veſtitu enim veterum Hebræorum, Græcorum, ac Romanorum, nihil tam alienum fuit a noſtris moribus, quam quod eorum uſum ignoraverint, quæ hodie appellamus tibialia, uti pulchre jam dudum docuit Maximus Caſaubonus. Quare calceos nudis pedibus induerunt Hebræi. Qui cum ſolæ tantum eſſent, habenis rubris, ſive coccineis, circum pedem ligatæ, pedum candori gratiam conciliarunt. Unde optime dicit Autor Cantici, מה יפו פעמיך בנעלים בת נדיב *quam pulchri ſunt pedes tui in calceis, filia principis*. Hoc autem quod conjeci del rubris, ſive coccineis calceis, Chaldæi Paraphaſtæ ſuffragio confirmatur, qui hæc verba interpretatus eſt de magnatibus Iſraelis, *qui tribus vicibus in anno aſcendunt, ut appareant coram Domino* נבסרלין דססגונא *in ſandaliis ſaſgona*, h. e. conccineis. Non inquiro quam recte hæc referat ad Synedrium veterum Hebræorum, ſive Magnates, qui juxta Dei legem ter quotannis in feſtis ſolennioribus ad Templum aſcendebant. *Satis enim eſt*, quod de ſandaliis coccineis id intellexerit Paraphraſtes, quæ pedes inſigniter ornarunt. Hæc genuina mihi videtus hujus loci expoſitio, quam nemo interpretum, quos conſului, animadvertit.

XXVII. De Juditha 10. 3. legimus, eam inter alia, quibus nativæ pulchritudini decus atque elegantiam conciliabat, ut Holophernis oculis ſtrueret inſidias, *induiſſe* σανδάλια εἰς τοὺς πόδας αὐτῆς *ſandalia pedibus ſuis*. Quæ quidem fuerunt tam elegantia, ut ejuſdem hiſtoriæ monumenta teſtentur, τὸ σανδάλιον αὐτῆς ἥρπασεν ὀφθαλμὸν αὐτοῦ. Vir illuſtris Hugo Grotius, uti apud Ezechielem *calceavi* תחש de calceis exponit ex melinis pellibus, ita & hic notavit, ſandalia Judith fuiſſe *ex melinis pellibus: ita enim mos erat*, inquit, *diebus feſtis*. Ego vero dicere hæc ſandalia fuiſſe coccinea, ſive rubra, quæ pedum candori decus atque elegantiam conciliarunt, qualia diebus feſtis geſtari ſolita Chaldæus Paraphraſtes docet. Sed de his ſandaliis etiam inferius.

CAPUT IV.

I. *Locus Deut.* XXXIII. 25. ברזל ונחשת מנעלך Ferrum & æs calceus tuus, *nonndum a quoquam recte expoſitus*. II. *Arabica verſio, & aliorum interpretamenta, propoſita*. III. *Eadem rejecta propter rationem non unam*. IV. *Verſio Samaritani interpretis, quem Andræas Maſius ſequitur*. V. *Error Samaritani interpretis, & Andrææ Maſii*. VI. *Vulgatiſſima interpretum Expoſitio*. VII. *Omnium lapſus*. VIII. *Johannis Cocceji ſententia*. IX. *A viro magno diſſenſum*. X. *Noſtra quondam de hoc loco opinio*. XI. *Nova expoſitio noſtra*. XII. *Verba ſequentia* וכימך דבאך *explicata*. XIII. *Ex Curtio mendum ſublatum, &* Nicolai Heinſii *encomium*.

I. DE Empedocle Agrigentino refert Ælianus, *Var. Hiſt. lib.* XII. *cap.* 32. quod calceis æneis utebatur. Em-

Ἐμπεδοκλῆς, inquit, ὁ Ἀγριγεντῖνος ἁλουργῆ ἐχρύσατο, καὶ ὑποδήμασι χαλκοῖς: *Empedocles Agrigentinus purpura utebatur, & calceis æneis*. Empedoclis calceos æneos fuisse, præter Suidam, *in* Ἀμύκλαι & Ἐμπεδ. & Philostratum, *in Hellad. Diog.* confirmant etiam Favorinus atque Neanthes apud Diogenem Lærtium *de Vit. Phil. lib.* VIII. *Segm. 69.* qui Empedoclem montis Ætnæi flammis abreptum consumptumque ex eo deprehensum prodiderunt, quod paulo post, quam comparere desiit, æreus illius calceus, in locis monti isti vicinis, sit. Hinc est quod a Luciano *in Dialogo Menippi & Æaci* appellatur χαλκόπους, & Tertullianus, ad id alludens, *quod Philosophus in ære, quidni & in auro*, dixit. Sed, quod calceis æreis, usus Empedocles est, insolitum plane, & alienum ab usu communi fuit. Unde & hoc exemplum, tanquam singulare, &[uni Empedocli proprium, eruditi homines observarunt. Apud Mosen tamen videri posset non de calceis æreis tantum, sed ferreis quoque fieri mentio. In solemni enim benedictione, non tantum *filiis benedictum, ac fratribus acceptum Deut.* XXXIII. 25. prædicat Ascherem, & quod *tingat in oleo pedem suum*, h. e. possideat terram oleo, abundantem (quod jam olim a Jacobo fuerat prædictum, qui in divino suo vaticinio de Aschere pronuntiaverat, *pinguem esse ejus panem*, *Gen.* XLIX. 20. & postea confirmavit eventus, cum eam terræ partem Ascheris posteri occupaverint, quæ citra Jordanem ad mare magnhm fuit, vino, oleo, ac imprimis pingui tritico fæcundissima) verum etiam quod sit ברזל ונחשת מנעלך, h. e. uti LXX. reddunt: Σίδηρος καὶ χαλκὸς τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ & Vulgatus *Ferrum & æs calceamentum ejus*. Sed quia de hoc loco sunt variæ & discrepantes interpretum sententiæ, quorum nemo, ut mihi quidem videtur, verum sensum est assecutus, accuratius hæc verba sunt examinanda.

II. Quod fieri solet in vocibus ἅπαξ λεγομένοις, ut diversas sortiantur interpretationes, idem contigit voci מנעל. *Pessulum* vertit Arabs, quem nobis dedit Thomas Erpenius, vir in Arabum literis nulli secundus. Non multum abit Arabs, Parisiis editus, qui *seras* habet. Sensum Chaldæus interpres Jonathan expressit: תקיף כברזלא ונחשא *fortis eris ut ferrum & æs*. Quem fusius exponit Rabbinus non incelebris Dav. Kimchius: *ad h. l.* ותרגום אותו מענין הראשון כלומר שתהיה ארצו חזקה כאילו סגורה בחמורת נחשת וברזל: *Jonathan interpretatur hoc ex significatione priori, quasi dicat fore ut terra ejus sit tam munita, quasi clausa esset muris aheneis & ferreis*. Idem vult R. Salomon Jarchius *ad h. l.* שהיה גבוריהם יושבים בערי הספר ונועלין אותה שלא יוכלו האויב יכנס בה כאילו היא סגורה במנעולים ובריחים של ברזל ונחשת: *Quia potentes eorum habitabant in urbibus littoreis, quas obserabant, ne posset hostis ingredi illas, ac si reclusæ fuissent seris & repagulis ferreis & æneis*. Eandem significationem agnoscunt viri doctissimi, qui notas allegaverunt Belgarum *ad h. l.* novissimæ versioni, ut sit: *Uvve grendel sal koper en yser zijn, dat is, u land sal als met yseren kopere grendelen besloten en bevvaart zijn* h. e. *pessuli tui erunt ferrum & æs, quasi dicat: terra vestra quasi ferreis & æneis pessulis conclusa & custodita erit*. Ejus sensus etiam meminit vir summus Johannes Coccejus: *in ult. Mosis. Addicit ipsi firmitudinem portarum & obicum, ut non possint ulla vi perrumpi & refringi. Forte huc referas Ez.* 33. 19.

III. Hæc interpretatio mihi nequaquam probatur. Pro *pessulo* sive *sera* usurpant Hebræi vocem מנעול, cum qua confudisse videntur hanc vocem מנעל. Aliud autem מנעול est, aliud מנעל. Licet enim מנעול *pessulum* sive *seram* notet, non tamen מנעל id ipsum significat. Dein, non certo constat, an Ascheritarum urbes fuerint adeo munitæ, quasi forent ferreis, aut æneis pessulis, sive seris, conclusæ. Nullo enim idoneo id testimonio firmatur. Quin parum munitas urbes fuisse, quas Ascheritæ possederunt, ex libro Judicum v. 17. colligi videtur non obscure. Inter complures, qui domi remanserant, cum Debora & Barachus fugarent Midianitas, Ascheris posteri recensentur. Atque hi dicuntur *sedisse juxta mare & mansisse* על מפרציו *apud rupta sua*, h. e. *in laceris civitatibus*, ut nonnulli vertunt, vel *in petrarum fissuris*, ut alii exponunt. Quod utrumque ostendit male munitas fuisse Ascheritarum urbes. Etenim si מפרץ hic *rupturam* notat, & de *laceris civitatibus* intelligendum est, quomodo Vatablus *ad Jud.* 5. 17. & *ibid.* notavit: *Rupturas vocat urbes semidirutas, non enim habebant Ascheritæ satis munitas*, & Clarius accepit *de oppidis interruptis, quæ jugi opus habebant defensione*, quis dicet Ascheritarum urbes adeo munitas fuisse, quasi essent ferreis atque æneis pessulis, conclusæ? Si vero notat *fissuras petrarum*, sane minime munitas fuisse Ascheritarum civitates dicendum est, cum ipsi non fiderint suarum urbium mœnibus, sed ingruente hostium multitudine occultarint se in petrarum fissuris.

IV.

IV. Aliis vox מנעל est *compes*. Ita Samaritanus: *compedes tui ex ære & ferro*. Sequutus est hanc notionem vir summi ingenii atque acerrimi judicii Andræas Masius, *in Jos.* 19. 30. cujus eximium in Josuam commentarium nemo, uti par est, prædicare potest. *Ego vero*, inquit, *ferrea atque ænea claustra dicere Mosen existimo, h. e. pertinaces barbarorum vires, quas Aseritæ non poterunt frangere. Quis enim nescit quanta manserit perpetuo barbarorum copia in Galilæa gentium? Ea autem maxima fuit hæreditatis Aseritarum pars. Huic enim sententiæ pulchre consentit, quod in Mosis verbis continuo sequitur* וכימיך דבאך, *cujus periodi simplicissima verissimaque interpretatio est*, Et quot dies tui, tot ærumnæ tuæ, *q. d. Tibi certamen perpetuo est futurum, cum veteribus tuarum possessionum colonis, a quibus tanquam ferreis & æneis claustris submoveberis*.

V. At Ego Samaritanum interpretem, & Andræam Masium errare existimo. מנעל a נעל *oppessulare, concludere*, deductum, *compedem* notare posset, sed pro *compede* apud Hebræos usurpatur nusquam. Hi enim *compedem* vel כבל, vel עכס, vel צנק, vocant, nunquam מנעל. Accipiunt quidem nonnulli נעל *pro compede*, in hoc Davidis *Ps.* LX. 10. dicto, על ארום אשליך נעלי quasi dicat, *super Edom projiciam compedem meum*. Sed vulgarem istius vocis significatum, quo pro *calceo* sumitur, neutiquam rejiciendum esse, præsertim cum alius longe sit istius loci sensus, inferius ostendetur prolixe. Interpretatio quam Andræas Masius dedit, non convenit huic loco *lib.* 2. *cap.* 8. Barbaros intelligit in Galilæa gentium, qui Aseritas presserunt, ut pedem premit calceus ferreus h. e. compes. Sed hoc ab orationis series alienum plane est. Continetur hoc capite benedictio Mosis, qui jam moriturus duodecim tribubus bona precatur. Quæ de singulis dicit fausta sunt ac felicia. Ea ipsa, quæ præcedenti commate de Aschere prædicantur, ברוך מבנים אשר יהי רצוי אחיו וטבל בשמן רגלו: *Benedictus præ filiis Ascher fratribus suis sit acceptus, & tingat in oleo pedem suum*, non nisi læta sunt. Quorsum hæc de compede adjiceret Moses, ut significaret Ascheritas a barbaris istis, qui manserunt in Galilæa Gentium, premendos esse, ut pedem premit ferreus compes? Nec juvant Masium verba sequentia: וכימיך דבאך quorum simplicissimam verissimamque interpretationem putat, *& quot dies tui, tot ærumnæ tuæ*. Nequaquam enim hic de ærumnis agi vel ex eo manifestum est, quod Moses meras spiret benedictiones. Quare nec illa interpretatio simplicissima est virissimaque, sed ea quam habent LXX. Senes, qui omnium optime hæc verba reddiderunt: ὡς αἱ ἡμέραι σου, ἡ ἰσχύς σου, *sicut dies tui, fortitudo tua*, ut mox docebitur evidenter.

VI. Vulgatissima est interpretum sententia vocem מנעל hic *calceum* notare. Sumunt hac notione LXX. interpretes, itemque Vulgatus. Sequuntur omnes fere recentiores, & Lexicographi. Sed non uno modo hujus locutionis sensum viri docti hariolantur. Plerique putant his verbis significari Ascheris posteros solum calcaturos, æris & ferri fodinis fœcundissimum. Horum sententiam refert vir doctissimus Sebastianus Munsterus, &, qui scrinia ejus manifesto plagio compilavit, Isidorus Clarius, eaque placuit Francisco Vatablo, Sebastiano Castalioni, Belgis interpretibus, & aliis permultis *ad hoc loco*.

VII. Sed hic sensus, quem eliciunt homines eruditi, nihil sani continet. Ascheris portionem enim æris atque ferri fodinis fœcundissimam futuram prædici neutiquam potest, cum in ea nullæ fuerint, aut æris, aut ferri fodinæ. Non mihi latet, quid pro horum sententia vir insignis Andræas Masius *in Jos.* 29. 31. notarit: *Sed demus*, inquit, *de ferro & ære locutum Mosen esse. Sane id quoque sic cecidit, Nam, ut de Carmelo, Libano, Antilibano, aliis montibus nihil dicam, ad quos Aseritarum hæreditas pertinebat, quosque credibile est metalli venis abundavisse, certe Sarepta nomen a Metalli officinis habet*. Scilicet Carmelum, Libanum, & Antilibanum, metalli venis abundavisse putat Masius, qui montes pertinuerunt ad Ascheritarum hæreditatem, itemque Sareptam a conflando nomen habere, adeoque esse hoc optime dictum, Ascheris portionem æris & ferri fodinis futuram fœcundissimam. Sed in omnibus erravit vir præstantissimus. De Carmelo monte quidem illud verissimum est, quod in eo fuerint æris fodinæ. Nam de Carmelo Hesychius: Κέρμηλος ἀφ' οὗ χαλκὸς γίνεται *Cermelus* (h. e. Carmelus) *unde æs gignitur*. Sed is non fuit in Ascheritarum portione. Ascheris quidem regio ad Carmelum usque montem se extendit, sed is proprie pertinuit ad partem Issascharis Quod ex scriptore maximo Flavio Josepho constat *Antiq. lib.* V. *cap.* I. quare, licet Carmelum attingat a latere occidentali pars Ascheritarum, inde dici nequit in eorum regione ferri atque æris fodinas reperiri, cum Carmelus pertineat ad portionem Ischa-

ſchari. Ex Carmelo tantum æris olim efſoſſum haud quaquam fuit, ut inde dici poſſit *ex ære atque ferro eſſe calceamentum Aſcheritarum*, h. e. eos calcare ſolum ferri atque æris fodinis abundantem. Ut taceam non conſtare in Carmelo, licet æs gignatur, ſint ferri venæ. De Libano pariter, & Antilibano, quos montes etiam recenſet Maſius, id quam maxime dubium eſt, an in iis unquam fuerint aeris & ferri fodinæ. Equidem ſcio χαλκολίβανον *Chalcolibanum* multos putare τὸν χαλκὸν ἐν τῷ Λιβάνῳ ὄρει μεταλλευόμενον, *æs ex Libano monte effoſſum*, quæ ſententia ſectatores habet e veteribus complures, & noſtro ſeculo magni nominis viros non paucos, qui æs e Libano monte olim effoſſum fuiſſe, etiam hac ratione probant, quod de tribu Aſer, quæ Libano proxima fuit, hic a Moſe dicatur: *ferrum & æs fore calceamentum ejus*. Sed horum rationibus optime reſpondit vir ſummus Samuel Bochartus, *Hieroz. part. 2. lib. 6. cap. 16.* qui magnis argumentis addixit, χαλκολίβανον haudquaquam æs fuiſſe, ex Libano monte effoſſum. Videri poſſunt, quæ de Chalcolibano prolixe diſputavit in mirando opere vir plane eximius, cui nihil viget par & ſecundum. Uti χαλκολίβανον nequaquam æs eſt ex Libano monte effoſſum, ita omnino incertum eſt an in ipſo Libano, vel Antilibano æris & ferri fuerint fodinæ. Nam uti ὁ πάνυ Bochartus aſſerit, de ære Libanitico nihil apud veteres, nihil apud recentiores legas. Quod utique veriſſimum eſt. Varia loca apud antiquos æris proventu celebrantur, at qui ex Libano referat æs effodi, homo nemo eſt. Quin nullas in Libano metalli venas fuiſſe id oſtendere videtur, quod ex Theodoreto *lib. 4. cap. 19.*, affert, qui de iis, qui Heliopoli erant ad Libani montis radices, refert, quod Τοῖς φαινησίοις ϗ προκοννησίοις παρεδίδοντο μετάλλοις *ad Phænneſia & Proconneſia metalla damnabatur*. Sane non inepte inde concludi poteſt, nullas in Libano fuiſſe æris fodinas, cum illi, qui ad montis Libani radices erant, ad Phænneſia, vel Proconneſia metalla damnati haudquaquam eſſent, ſi aliquæ fuiſſent in ipſo Libano metalli venæ, niſi quis reſpondeat eas illo tempore jam defeciſſe. Quod *Sareptam* addit Maſius *nomen a Metalli officinis habere* pariter incertum eſt, & ſi vel maxime a metallis diceretur, inde confici tamen non poſſet hæc eo in loco naſci, cum aliunde potuerint advehi & Sareptæ conflari. Quod præclare etiam reſpondit maximus Bochartus *loc. cit. Jam quod ſupereſt Sareptam a conflando nomen habere, non eſt ullius momenti. Neque enim neceſſe eſt ab æris conflatura dictam Sareptam, cum æque potuerit a conflando vitro ſic appellari, quam artem in iis locis natam eſſe nemo neſcit. Et æs Sareptæ conflatum ſi quod fuit, tam potuit Temeſæum eſſe ex Cypro quam Libanenſe.*

VIII. Magnus noſtri ſeculi Theologus Johannes Coccejus *in ult. Moſis*, poſtquam notaſſet *addici ipſi firmitudinem portarum & obicum, ut non poſſint ulla vi perrumpi & refringi*, quem ſenſum hujus loci exploſi ſuperius, alios addit *calceamentum interpretari & referre ad verba, quæ in eodem libro leguntur: Calceus tuus vetuſtate non fuit corruptus Deut.* XXIX. 5. *At poſſe videri calceamentum ferro ſuppactum ſignificare ſuperationem difficultatum, ut qui in ſpinis & ſcrupis & muricibus ambulat*. Scilicet vir magnus hoc de calceamento ferro ſuppacto ſumit, quem ſignificare putat ſuperationem difficultatum. Eadem fere habet *Cocc. in* Lexico Hebraico *ad vocem* מנעל: *Senſus*, inquit, *dabo tibi ambulare in ſecuritate, ut pedibus tuis nulla noxa accidat, quaſi ferro & ære calceatus eſſes*.

IX. Ab hac viri magni expoſitione non poſſum etiam non diſſentire. Nihil de ea interpretum dico ſententia, qui referunt ad illud, quod in Deuteronomio legitur, de calceis qui vetuſtate non fuerunt conſumti. Id enim prorſus huc non facit. Ad quod vir magnus de calceamento ferro ſuppacto interpretatur, merito dubito an admitti poſſit. Caligas ferreis atque æneis clavis fuiſſe ſubpactas res certa eſt atque explorata. An vero hic uſus antiquiſſimis temporibus inter Hebræos uſitatus fuerit incertum omnino eſt. Pariter, extra militiam, in uſu hominum calceamenta ferro ſuppacta fuiſſe credibile haud quaquam eſt. Niſi forſan ruſtici quidam, quales & hodie calceos ſuos clavis ferreis ſuffigunt, eo mumimine fuerint uſi. Roganti Nicobulo *diveſne eſſet iſtic Theotimus?* apud Plautum *Bachid. Act. 2. Scen. 3. verſ. 98.* ſervus reſpondet,

> *.... Etiam rogas?*
> *Qui auro habeat ſoccis ſubpactum ſolum.*

Scilicet luxus veterum divitum etiam in eo fuit, ut clavis argenteis, vel aureis, ſoleas ſuppingerent, uti jam dudum monuit vir incomparabilis Iſaacus Caſaubonus *ad Theophraſt. pag. 165.* At qui ferro, vel ære, haberet ſoccis ſubpactum ſolum, extra militiam, vix quiſquam fuit. Niſi ruſticus forſan, & ſordidiſſimus. Hoc vero neceſſe eſſet, ut, extra militiam,

tiam, habuerint veteres ferro ſuppacta calceamenta, ſiquidem ad ea alluſiſſet Moſes, cui calceus ferro ſuppactus ſignificaret ſuperationem difficultatum, aut quod ambularent in ſecuritate. Ne dicam de calceamento ferro ſuppacto exponi non poſſe. Equidem ſcio multos interpretes hæc verba ברזל ונחשת מנעלך reddidiſſe *ferrum & æs ſub calceo tuo*, quomodo & Belgæ accuratiſſimi habent, *yſer en koper ſal onder uwen ſchoen zijn*. Sed hoc genius Hebreæ linguæ non permittit. Etenim מ in מנעלך non eſt *ſub*, ſed ad ipſam vocem pertinet, unde optime LXX. verterunt: Σίδηρος καὶ χαλκὸς τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ ἔσαι, & Vulgatus: *Ferrum & æs calceamentum ejus:* De calceamento autem ferro ſuppacto intelligi non poteſt, ſed de calceo vel ferreo, vel æneo, accipiendum omnino eſt.

X. Quondam ipſe in ea fui ſententia, de calceis ferro, vel ære, ſuppactis hæc verba capienda. Etenim putabam hic ad eum morem a Moſe alludi, quo caligas æneis, aut ferreis clavis ſuffixas, atque munitas, milites habebant. Eſt illud tritum, atque a variis animadverſum inprimis egregrie a viro doctiſſimo Julio Nigrono *diſſ. de caliga.* demonſtratum, caligas Romanorum militum clavis multis fuiſſe munitas. Unde & inſtitutum eſt & appellatum *clavarium*, quod donativum in clavos militarium caligarum fuit. Eos clavos ferreos fuiſſe Plinius *lib.* 34. *cap.* 14. docet, a quo verba tranſcripſit Iſidorus, *orig. lib.* 16. *cap.* 20. qui diſputans de vario ferri genere: *Aliud*, inquit, *brevitate ſola placet, claviſque caligariis*. Sed & æneos fuiſſe apud Nonium legimus, qui Lucilii verſum habet:

Fulmenta clavis æneis ſubcudere.

Uti pro *ſubducere* legendnm cenſet Iſaacus Caſaubonus *ad Theophraſt. pag.* 166. Ex hoc more veterum interpretabar hæc verba ברזל ונחשת מנעלך *ferrum & æs ſub calceo tuo*, ut deſcriptio foret bellicoſorum hominum, quaſi prædicet Moſes, Aſcheris poſteros homines fore bello ſtrenuos, qui more militum calceis uterentur, vel ferreis, vel æneis clavis munitos. Sed præterquam, uti ſuperius monui, quod quam maxime incertum ſit, an is mos olim fuerit inter Hebræos, & jam ævo Moſis cognitus, illud inprimis me movet, מ in מנעלך, non eſſe *ſub*, ſed ad vocem pertinere. Quare de calceis ferro ſuppactis non poſſe capi exiſtimo, ac poſt tot interpretes, homines ſane doctiſſimos, qui plurimum contulerunt ad Sacrorum voluminum intellectum, aliud quid mihi perquam probabile eſt viſum.

XI. Obſervat vir ſummus Samuel Bochartus *Hieroz. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 16. *vocem* מנעל *quæ pro calceo eſt, hac forma nuſquam occurrere. Quin alibi* נעל *eſſe calceum*. Hoc utique verum eſt. Ubique נעל eſt *calceus*: מנעל hoc uno tantum loco occurrit. Licet vero *calceus* ubique נעל dicatur nuſquam מנעל, tamen eam vocem in *calcei* ſignificatione ſumendam arbitror. Vel ſexcenta adhuc ſunt loca apud Talmudicos, in quibus מנעל eſt *calceus*. Interpretor vero hic κνημῖδας, ſive *ocreas*, quas in præliis antiqui induebant. Solitos veteres, cum ad prælium irent, *ocreis*, quas κνημῖδας Græci vocant, quæque ex ære, vel ferro, conflatæ erant, munire pedes, vel ex uno Homero conſtat. Inter arma, quibus Heroas ſuos inſtruit, κνημῖδες fere ſemper memorantur. Atque hoc armaturæ genus apud Græcos veteres fuiſſe frequentiſſimum vel ex eo epitheto diſcimus, quo Achæos vocat χαλκοκνημῖδας Ἀχαιοὺς. In Heſiodi Scuto *verſ.* 122. cum aureo thorace induit Hercules κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ *ocreas ex orichalco ſplendido*.

> Ὣς εἰπὼν, κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ
> Ἡφαίστου κλυτὰ δῶρα, περὶ κνήμησιν ἔθηκε.

Sic locutus, ocreas ex orichalco ſplendido Vulcani inclyta dona, tibiis induxit. Orientis quoque populos eaſdem geſtaſſe cum prodirent in bellum, ex Goliathi hiſtoria diſcimus. Inter arma enim, quibus inſtructus ante caſtra proceſſit, etiam recenſetur מצחת נחשת על רגלו h. e. uti vertunt LXX. κνημῖδες χαλκαῖ ἐπὶ τῶν σκελῶν αὐτοῦ, vel, *ocreæ æreæ in cruribus*, ut Vulgatus habet *Sam.* XVII. 6. Vox Hebræa a *fronte* dicta eſt. Scilicet fuerunt laminæ æneæ, quibus & pedes & tibiæ muniebantur. Tales ocreas, ſive κνημῖδας vocem מנעל ſignificare mihi omnino perſuadeo, atque hæc verba, ברזל ונחשת מנעלך: *ferrum & æs ocreæ tuæ*, prædictionem continere, fore ut Aſcheritæ ſint homines bello ſtrenui. Sane elegantiſſima eſt hæc alluſio, qua Moſes ex more veterum de Aſcheritis dixit, *ferrum & æs fore ocreas ipſorum*, h. e. homines futuros bellicoſos, qui æreas vel ferreas ocreas geſtarent, pari ratione qua Homerus Achæis dedit epitheton χαλκοκνημῖδων Ἀχαιῶν. Quod quidem unice hanc locutionem illuſtrat. Etenim uti Homerus, ut ſtrenuorum hominum elogium Achæis daret, eos vocat χαλκοκνημῖδας Ἀχαιοὺς,

Αʼχαίοις, ita Moses de Ascheritis dicit, *ferrum & æs esse ocreas ipsorum*.

XII. Hunc sensum verba sequentia mihi demonstrare videntur, וכימיך דבאך. Sunt quidem quamplurimæ de his sententiæ, omnium tamen optime LXX. Interpretes reddiderunt, ὡς αἱ ἡμέραι σου, ἡ ἰσχύς σου. *ut dies tui fortitudo tua*, quos tum alii, tum viri eruditissimi, qui in vernaculam linguam sacra volumina nuperius transtulerunt, sequuntur, qui hic habent, *ende uvve sterckte gelijk uvve dagen, & fortitudo tua ut dies tui*. Idem visum viro illustri Hugoni Grotio *ad h.l.* qui *optimam esse interpretationem Græcam* pronuntiat. Consentit vir Hebraice doctissimus Franciscus Vatablus *ad h.l. Hebraismus*, inquit, *Quamdiu vixeris, eris fortis: vires tuæ tam diu durabunt, quam diu vives*. Et sane pro *robore*, atque *fortitudine*, vocem דבא Chaldæus accepit, quam communiorem interpretationem esse R. David Kimchi testatur. Neque quidquam aptius & convenientius de Ascheritis dici potest, & cui magis respondit eventus, quam quod eo sensu, quem dedi, prædixit Moses. *Maximam mansisse perpetuo barbarorum copiam in Galilæa gentium, quæ maxima fuit hæreditatis Aseritarum pars*, vir excellentis ingenii & doctrinæ Andræas Masius notavit *ad Jos.* 19. 30. 31. Hoc quam maxime pro nostra interpretatione est. Etenim cum Aseritis certamen perpetuum esset futurum cum veteribus terræ incolis, a quibus continuis bellis vexarentur, inter cæteras benedictiones etiam prædicit Moses, eos bello strenuos futuros, neque vires eorum atterendas esse.

XIII. Hæc ferreæ atque æreæ ocreæ in memoriam mihi revocant elegantissimum Curtii locum, quem mendo liberavi, quod omnes interpretes fugit *lib.* III. *cap.* 3. Prædicat Macedonum aciem, quod non auro, non discolori veste, sed ferro, atque ære fulgeret. *Contra*, inquit, *si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat: equis virisque non auro, non discolori veste sed ferro atque ære fulgentibus* Secure præterierunt hunc locum Curtii commentatores, cum tamen mendum lateat in voce *acies*, quod ex ingrata atque tædiosa repetitione deprehendi potest non difficulter. Pro *acies* legendum *facies*: *Contra si quis aciem Macedonum intueretur, dispar facies erat*. De exercitu vocem *facies* eleganter usurpant Latini Scriptores. Tacitus *An. lib.* II. *cap.* 89. *Et militum phaleræ torquesque splendebant: decora facies & non Vitellio principe dignus exercitus*. Ipse Curtius: *lib.* IV. *cap.* 13. *Hæc dextri cornu facies erat*. Verbum *intueri*, quod præcedit, & ea quæ sequuntur: *Equis virisque non auro non discolori veste, sed ferro atque ære fulgentibus*, non tantum firmant conjecturam nostam, verum etiam judicium viri immortalis memoriæ *Nicolai Heinsii*, quem & Parentis, viri maximi, & sua merita supra laudem omnem dudum extulerunt, & non ita pridem nobis ereptum, nunquam satis deplorare poterunt, quibus rei-literariæ salus est cordi. Nam cum ante octennium, licet admodum adolescens, etiam hanc conjecturam ad virum summum misissem, pro singulari sua humanitate, ad me datis literis respondit. *In Curtio ante hoc biennium idem mendum observavi peregrinatione Germanica, uti ex schedis meis liquebit tibi aliquando. Miror profecto tantillum mendum tot interpretum diligentiam tanto tempore frustrari potuisse*. Quod ipsum observatum viro illustri, cujus solertiam & acre judicium in deprehendendis fucatis & suppositițiis, & singularem sagacitatem in cognoscendis & eruendis genuinis priscorum Scriptorum lectionibus, nemo, nisi barbarus, ignorare potest, cum tot exstent divina ingenii ipsius monumenta, perennitati seculorum consecrata, quibus autoribus melioribus, Poetis præsertim castigandis ac suo decori restituendis, tantum lucis attulit, ut uni *Heinsio* debeatur, quod Ovidium, Claudianum, Valerium Flaccum, & complures alios innumeris mendis, quæ injuria temporum contraxerant, habeamus perpurgatos, uti summopere fui lætatus, ita non potui non cum laude referre, ut vel ex eo constet, me memoriam viri incomparabilis, quem vivum colui, sanctam servare.

CAPUT V.

I. *Pauli monitum, quo Christianos calceari vult* ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης: Eph. VI. 15. *propositum*. II. *Inter arma, quibus instructum hominem Christianum vult Apostolus, optime calceorum mentionem fieri, ut muniti sint pedes ostenditur, & locus* I. Reg. II. 5. *illustratur*. III. *Communis opinio* Ἑτοιμασίαν *præparationem*, promtitudinem, *notare, & Vatabli, Grotii, Coccei, Zegeri, Belgarum diversæ interpretationes*. IV. *Ab omnibus dissensum*. V. *Nostra opinio* Ἑτοιμασίαν *neque* præparationem, *vel* promtitudinem, *hic significare, sed, ad exemplum Græcorum interpretum*, basin, fundamentum. VI. *Pauli mens genuina*. VII. *Stephani Gaussen, Alexandri Mori, Pauli Colomesii*,

ſii, *& Petri Launaii ex parte conſenſus*. VIII. *Cur Evangelium vocetur* ἐυαγγέλιον τῆς ἐιρήνης, *Evangelium pacis!*

I. PAulus, ut Chriſtianos, quibus plurima imminebant pericula, non tantum a gentibus, quæ nondum Chriſto dederant nomen, ſed præcipue a tentationibus Diaboli, cum illis non eſſet ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *luЄta adverſus ſanguinem & carnem, ſed adverſus imperia, adverſus mundi potentes tenebrarum ſeculi hujus, adverſus Spiritualia nequitiæ in Cæleſtibus*, ad conſtantiam adhortaretur, ut non ſuccumberent & malis vincerentur, voluit eos iis omnibus inſtructos, quibus & tutos ſe præſtare; & vim illatam poſſent repellere Διὰ τοῦτο, inquit, ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. *Propterea aſſumite univerſam armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare*. Dein eleganti translatione a militia veterum, homines Chriſtiani dona ſub armorum, quæ in uſu erant illis temporibus, emblemate deſcribit. Arma varia dum recenſet, etiam meminit calceorum, quibus muniri vult pedes. Καὶ ὑποδησάμενοι, inquit, τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *verſ*. 15.

II. Inter arma, quibus inſtructum hominem Chriſtianum vult Apoſtolus, optime calceorum mentionem facit, ut muniti ſint pedes. Negant quidem ICti calceamenta armorum nomine contineri, uti notavit magnus noſter Deſiderius Eraſmus *ad h. l. Plaut. Trin. Act.* 3. *Sc.* 2. Attamen veteres pedes calceis muniviſſe, multa oſtendunt. Apud Plautum, cum Staſimus pugnandi ornamenta pararet, ſtatim de calceis eſt ſollicitus.

—— *Quid ego nunc agam?*
Niſi ut ſarcinam conſtringam, & clypeum ad dorſum accommodem:
Fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis: non ſiſti poteſt.
Video caculam militarem me futurum haud longius.

Milites caligati ſunt, optime notavit vir illuſtris Hugo Grotius. *ad h. l.* Nihil enim notius eſt quam olim milites caligas habuiſſe, quas στρατιωτικὸν ὑπόδημα, Dio appellat: quod ipſum præter magnum Eraſmum, *ad Marc.* 6. 9. *Caſtal. Dec.* 2. *Obſerv. cap.* 4. Joſephum Caſtalionem. Lævinum Torrentium, *ad Suet. Aug. cap.* 25. Claudium Salmaſium, *ad Treb. Pol. Galienum cap.* 16. Benedictum Balduinum *de Calc. Ant. cap.* 13. Albertum Rubenium, *de Re Veſt. lib.* 2. *cap.* 1. & complures alios viros eruditiſſimos, peculiari diſſertatione multis & magnis rationibus addixit Julius Nigronus. Ut non poſſim non vehementer mirari, virum clariſſimum Johannem Michaelem Dilherrum *Diſp. Tom.* 1. *Diſp.* 3. §. 6. ſe huic ſententiæ oppoſuiſſe, & caligam Wolfgangi Lazii verbis explicaſſe, qui ſic habet: *Caligæ paulo ſupra genua extentæ, braccis adligabantur, gregariorum quondam militum præcipuum genus veſtimenti, quod hodie etiam aliqua ex parte manet: vulgo* een ſtrumpff: præſertim cum nullum idoneum adferat argumentum, quo ea opinio, jam dudum exploſa, & vel in ipſo Lazio a Nigrono *lib.* 8. *de Rep. Rom. cap.* 13. damnata, ſtabiliatur, eamque vel inſpecta caligarum forma confundat, qui ex columna Trajani & arcu Conſtantini, & nummis Hadriani inferius exhibetur. Sane caligam fuiſſe militum calceamentum, quo ſemper utebantur, vel hinc intelligi poteſt, quod Latinæ linguæ autores optimi *caligam* pro *militia*, ſeu *militari profeſſione*, uſurpent, ac *militiam caligatam*, & *milites caligatos* paſſim dicant, quod præter Lævinum Torrentium, *loc. cit.* prolixe docuit Julius Nigronus. *de Caliga cap.* 3. Apud Hebræos etiam milites calceamenta geſtaſſe videre eſt ex loco inſigni, qui in Regum libris legitur. Inter alia monita, quæ Rex David, jam moriturus filio ſuo Salomoni dedit, etiam illud recenſetur: אתה ידעה את אשר עשה לי יואב בן צרויה אשר עשה לשני שרי צבאות ישראל לאבנר בן נר ולעמשא בן יתר ויהרגם וישם דמי מלחמה בשלם ויתן דמי מלחמה בחורתו אשר במתניו ובנעלו אשר ברגליו: *Tu quoque noſtri quid fecerit mihi Joab filius Seruja, & quid fecerit duobus imperatoribus Iſraelis, Abner filio Ner, & Amaſæ filio Jether*, 1. *Reg.* 11. 5. *quos occidit: & effudit ſanguinem belli in pace: & cruorem belli poſuit in baltheo ſuo, qui erat circa lumbos ejus, & in calceamentis, quæ erant in pedibus ejus*. Ubi, pro eo quod Latini dicerent, *fœdavit ſanguine manus*, vel ut apud Ovidium *lib.* VI. *Meram.* eſt,

—— *calido tellurem ſanguine fœdat*,

David Solomoni dicit, Joabum, non modo balteum ſuum, ſed & calceamenta, quę in pedibus erant, innocentum ſanguine fœdaſſe.

III. Quamvis autem Paulus, inter arma,

ma, quibus instructum esse vult Hominem Christianum, calceorum mentionem faciat perbene, cum constet in militia veterum pedes caligis munitos, non tamen adeo exploratum est, quid sibi velit, cum Christianos calceari jubet ἐν ἑτοιμασίᾳ τȣ̃ εὐαγγελίȣ τῆς εἰρήνης. Vocem ἑτοιμασίαν, cum ab ἑτοιμάζω, *præparo*, sit dicta, *præparationem promtitudinem*, hic significare communiter existimant interpretes, quæ quidem ejus est vulgaris apud Græcos notio. Ita *præparationem* vertunt Vulgatus Interpres, interlinearis versio, Theodorus Beza, & Johannes Piscator, cum quibus facit magnus noster Desiderius Erasmus, qui habet *ut parati sitis*: sed *promtitudinem*, Erasmus Schmidius, & Johannes Coccejus, cum quibus consentiunt nostri Belgæ, qui reddunt *bereytvvilligheys*, & vernaculi interpretes nonnulli. Sensum vero non eundem assignant homines eruditi. *Præparationem, promtitudinemque* ad annunciandum τὸ τῆς εἰρήνης εὐαγγέλιον, intelligunt multi. Ita Franciscus Vatablus *ad h. l. Ut parati sitis ad Evangelium pacis annunciandum*. Vir illustrissimus Hugo Grotius. *ad h. l. Pedes significant quotidianas actiones, ut diximus ad Joh. 13. 10. Eæ non sordescent, si semper insistant cogitationibus exsequendi & propagandi Evangelii*. Magnus Coccejus *h. l.* Ἑτοιμασία εὐαγγελίȣ τῆς εἰρήνης *est* promtitudo annutiandi pacem. *Apud Apostolum multis in locis* εὐαγγέλιον *est* εὐαγγελισμός. *Eam promtitudinem comparat cum calceis vel ocreis: nempe ut quasi plana sit via ad eundum per totum mundum, quemadmodum ei qui ocreatus vel calceatus est, omnis via mollis & facilis est*. Etiam Tacitus Nicolaus Zegerus: *ad h. l. Calceati, inquit, per præparationem Evangelii pacis, ut parati sitis & ipsi per Evangelii iter incedere, & alios ad idem docendo præparare*. Sed alii *præparationem, promtitudinemque* ad confitendum fidem εὐαγγελίȣ τῆς εἰρήνης his significari existimant. In his novissimi nostri Belgæ *ad h. l.* interpretes, quorum hæc est nota. *D. met altijt bereyt te zijn om het geloove te belijden, en rekenschap te geven van de hope die in u is, Rom. 10. 10. 1. Petr. 3. 15. vvant de schaamachtige of vreesachtige in dit stuk pleecht de Satan lichtelijk tot svvare sonden te brengen*. Hoc est, *ut semper sitis parati ad confessionem fidei, & rationem reddendam spei, quæ in vobis est, Rom. 10. 10. 1. Petr. 3. 15. Nam verecundos aut timentes hac in re solet Satanas facile in magna peccata inducere*.

IV. Ego vocem ἑτοιμασίαν, quamvis *promtitudinem*, vel *præparationem*, apud Græcos vulgo significat, ea notione hic minime accipiendam, & errare omnes, mox laudatos, in assignando hujus dicti sensu, existimo. Si enim ἑτοιμασία *præparationem*, sive *promtitudinem*, notaret hoc in loco, non video quare voluerit hominem Christianum ea calceari Apostolus. Calceamenta apud veteres pedum quasi vincula & impedimenta sunt habita, quæ non tantum nihil conferre ad promtitudinem, sed quam maxime obesse, existimarunt. Ita Musonius Philosophus, cujus verba hæc sunt apud Stobæum. Καὶ τȣ́γε ὑποδεδέσθαι τὸ ἀνυποδετεῖν τȣ̃ δυναμένω κρεῖττον: Κινδυνεύει γὰρ τὸ μὲν ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι ἐγγὺς εἶναι, ἡ δὲ ἀνυποδησία πολλήν τινὰ καὶ εὐκολίαν τοῖς ποσὶν παρέχει, ὅτων ἠσκημένοι ὦσι: *Nudis pedibus incedere ei qui potest melius est quam calceari. Videtur enim calceari propemodum esse quod vinciri. Sine calceis autem valde expediti & agiles sunt pedes, præsertim si adsit usus*. Quod ipsum confirmat Musonius tabellariorum & cursorum exemplo, qui excalceati sua munia objerunt, ut magis expediti essent atque agile, quomodo & ex Athletis cursores non eandem celeritatem servare asserit, si currere ipsos oporteat in calceis. Cum Musonio idem sentit Clemens Alexandrinus, *Pædag. lib. 11. cap. 11.* inter Patres vir doctissimus. Ἀνδρὶ δὲ, inquit, μάλα ἁρμόδιον ἀνυποδησία, πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο. Καὶ γὰρ πως ἐγγὸς τὸ ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι. ἀσκητικώτατον γέ τοι, γυμνοῖς χρῆσθαι τοῖς ποσὶν, καὶ πρὸς ὑγείαν, καὶ εὐκολίαν εὔθετον, ἔνθα μὴ ἀνάγκη τις διακωλύοι. *Viro quidem quam maxime convenit sine calceis esse, præterquam si militet*. ποδεδέσθαι Calceari *enim propemodum idem est quod* δεδέσθαι. vinciri. *Optimum exercitationis genus est nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat necessita*. Hinc etiam Lycurgus Lacedęmoniorum pueris pro calceorum usu pedum nuditatem pręscripsit, ut expeditius acclivia conscenderent, & per declivia graderentur. Dicunt quidem homines eruditissimi ἑτοιμασίᾳ calceari hominem Christianum voluisse Apostolum, ad Evangelium pacis annunciandum, vel confitendum, & reddendam suæ fidei rationem, sed id omnino præter Pauli mentem sibi fingere videntur. Describit Apostolus πανοπλίαν τȣ̃ Θεȣ̃, *universam armaturam Dei* qua Christianos vult indui, πρὸς τὸ δύνασθαι στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τȣ̃ διαβόλȣ *vers.* 11. *ut possint stare adversus artes diaboli*, vel ut possit ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, *vers.* 13. *resistere in die malo, & omnibus peractis stare*. In illa πα-

vo-

νοπλία armatura universa, etiam monet, ut sint ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Utique necesse est ut intelligamus voluisse Apostolum ἑτοιμασίαν εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης illi usui inservire, ut possint στῆναι. Eadem ratione qua olim calceos milites sumserunt, ut firmius possent consistere, & caligæ militum Romanorum clavis ferreis munitæ, Ætolique dextro pede in bellis calceati fuerunt, sinistro nudi, ac propterea dicti μονοκρήπιδες: quod & ad Hernicos Italiæ populos transtulit Virgilius: *Æneid. lib.* VII. *pag.* 689.

> —— *Vestigia nuda sinistri*
> *Instituere pedis; crudus tegit altera pero.*

Utrisque scilicet pedibus nudi fuissent Ætoli atque Hernici nisi dextrum pedem, quem in congrediendo ante sinistrum promovebant, perone muniendum censuissent, ut firmius consisterent, & hostibus suis possent resistere. Quid hoc commune habet cum eo quod dicunt viri eruditissimi, voluisse Apostolum, ut Christiani calcearentur ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, nempe ad propagandum Evangelium, vel reddendam suæ fidei rationem? Utique Apostolus ἑτοιμασίᾳ calceari vult Christianos, non ad prædicandum Evangelium, aut confitendum, sed ut possint στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου *stare adversus artes Diaboli*. Perinde ac milites olim caligati non fuerunt, ut essent expeditiores, sed ut eo firmius possent consistere. Id enim si esset, magis ad fugam, quam ad prælium, fuissent instructi. Quare ἑτοιμασία εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης omnino quid aliud est, aliumque in finem imperata, ac viri doctissimi monuerunt. Eleganter notatum est a Theodoro Beza: *ad hoc loco. Præparatione*, ἐν ἑτοιμασίᾳ, *Vulgata*, In præparationem Evangelii pacis. *Erasmus*, Ut parati sitis ad Evangelium pacis. *Neuter (opinor) sensum Apostoli est assecutus. Non enim vult nos docere duntaxat oportere nos esse calceatos, sed calceos etiam (ut ita loquar) nobis præbet. Itaque sicut* κνημῖδας *milites Græci, caligas Latini milites gerebant, ita ad ineundum prælium, & vitæ istius cursum inter medios hostes tenendum, vult Apostolus ut Evangelii pacis cognitione simus præparati.* Optime animadvertit magnus interpres, non velle Paulum ut Christiani sint calceati *in præparationem Evangelii pacis*, vel ut *essent parati ad Evangelium pacis*, quod utique dicere debuisset, si vera foret virorum doctissimorum explicatio, sed ipsa ἑτοιμασίᾳ ad ineundum prælium & firmius consistendum. Quare ἑτοιμασία neutiquam hic est *præparatio*, sive *promtitudo*, & eum in finem ab Apostolo imperata, ut volunt homines eruditissimi, sed longe aliud notat ac diversum. Quod quia res meretur, demonstandum prolixius est.

V. Multa vocabula, origine Græca, vim ac significationem quandam recepisse, quæ in vulgari lingua Græca non observatur, & ut novam significationem reciperent occasionem dedisse vocabula Hebraica, inter eruditos constat. Nimirum vocabulis Græcis novas significationes tribuerunt interpretes Græci, vel quod ad originem alluderent alicujus Hebrææ vocis, quam vocabulo Græco reddere vellent: vel quod Hebrææ voces duplicem aut multiplicem haberent significatum, hisque Græcæ voces illorum uni responderent, unde Græco vocabulo notionem, quam habebat vox Hebræa indiderunt eandem. Factum hinc esse, ut apud sacros Novi Fœderis scriptores multa vocabula occurrant longe alia significatione, quam quæ obtinet in vulgari Græcorum lingua, cum ex usu istius ævi Græca vocabula nova illa significatione usurparent, quam acceperant ad imitationem vocum Hebraicarum, certissimum pariter est. Multa istiusmodi vir pereruditus, & diligentissimus, Johannes Vorstius *Phil.* 5. *pag.* 1. *cap.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. collegit. Adjicienda iis vox ἑτοιμασία est, quæ occasione vocis Hebraicæ, cui primaria sua significatione respondebat, novam est indere jussa, quam non obtinet in Græcorum lingua. כון apud Hebræos est *parare præparare*, & huic verbo apud Græcos τὸ ἑτοιμάζειν respondet. Sed idem verbum etiam significat *firmare stabilire*. Factum hinc est ut Græci interpretes verbo ἑτοιμάζειν novum *firmandi*, *stabiliendique* tribuerint significatum. Apud Samuelem, ubi in Hebræo est: כי עתה הכין יהוה את ממלכתך: *Nam alioqui stabilivisset regnum tuum Jebova*, Græci interpretes habent: ὡς νῦν ἡτοίμασε κύριος τὴν βασιλείαν σου. Pariter Hebræa verba: והכינתי את ממלכתו: Græci interpretes reddunt: 2. *Sam.* VI. 12. καὶ ἑτοιμάζω τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. Quomodo & illud in Psalmis LXV. 7. מכין הרים בכחו *firmans montes viribus suis*, vertunt, ἑτοιμάζων ὄρη ἐν τῇ ἰσχύϊ σου, itemque illud: יהוה בשמים הכין כסאו: *Jebova in cœlis stabilivit thronum suum, reddunt*, *Ps.* CIII. 19. Κύριος ἐν τῷ οὐρανῷ ἡτοίμασε τὸν θρόνον αὐτοῦ. A verbo כון est vox מכון, *quæ basin, fundamentum*, notat. Ad eam exprimendam etiam usi sunt Græci interpretes voce ἑτοι-

ἑτοιμασίᾳ. Nimirum cum in ſenſu *firmandi*, atque *ſtabiliendi*, verbum ἑτοιμάζειν uſurpaſſent, quod cum Hebræo verbo הכין in ſignificatione *parandi*, *præparandi*, convenit, etiam vocem ἑτοιμασίαν adhibuerunt, ut verterent vocabulum מכון, quod *baſin*, atque *fundamentum* ſignificat. Cujus notionis non unum exemplum eſt. In Ezræ *lib.* II. 68. quorundam fit mentio, qui ſponte ſua Hieroſolymam venerunt, ut Dei domum, ſive templum, *conſtituerent* על מכונו *ſuper baſi ſua*. At Græci interpretes hic habent: τοῦ στῆσαι αὐτὸν ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτοῦ. Non multo poſt legitur de altari: ויכינו המזבח על מכנותו: *& ſtatuerunt altare ſuper baſi ſua*. *Ezr.* III. 3. Sed hoc iidem reddiderunt: Καὶ ἡτοίμασαν τὸ θυσιαστήριον ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτοῦ. Parite quod in Pſalmis LXXXIX. 15. eſt צדק ומשפט מכון כסאך *juſtitia & judicium baſis ſolii tui*, verterunt: Δικαιοσύνη καὶ κρίμα ἑτοιμασία τοῦ θρόνου σου. Et hunc Zachariæ V. 11. locum ויאמר אלי לבנות לה בית בארץ שנער והוכן והניחה שם על מכנתה: *Et dixit mihi ut ædificent ei domum in terra Sinear, & ſtatuant & ſtabiliant in baſi ſua*. Reddunt: Καὶ εἶπε πρός με. Οἰκοδομῆσαι αὐτῷ ἐν γῇ Βαβυλῶνος, καὶ ἑτοιμάσαι, καὶ θήσουσιν αὐτὸ ἐκεῖ ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτοῦ. Hac ſignificatione, quæ trita eſt apud Græcos interpretes, puto Paulum voce ἑτοιμασίᾳ uſum, non vero ea, qnam habet in vulgari Græcorum lingua. Ἑτοιμασία ex iis vocabulis eſt, quæ apud ſacros Novi Fœderis ſcriptores ſemel tantum exſtant, ut ex aliis locis ejus ſignificatio non poſſit indagari. Sed apud Græcos interpretes eſt in uſu frequentiori. Horum exemplo igitur eam ſumſit Apoſtolus, ut *baſin* atque *fundamentum* ſignificet. Quare illius verba ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, vertenda ſunt, *calceati pedes fundamento*, ſive *baſi*, *Evangelii pacis*. Quod Belgæ mei dicerent: *De voeten geſchoeyt hebbunde met den vaſten gront van het Evangelium des vredes.*

VI. Hoc ſignificatu ſi vocabulum ἑτοιμασία accipitur, perquam apte, & concinne dictum a Paulo eſt. ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *calceati pedes fundamento*, ſive *baſi*, *Evangelii pacis*. Deſcribit πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, *univerſam armaturam Dei*, qua inſtructi poſſent ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι *reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare*. Vult ut ſint περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ἐν ἀληθείᾳ ut videlicet quod zona fuit in militia veterum, ipſis eſſet veritas, καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, ut, quod thorax fuit, ipſis eſſet juſtitia, quam induerent ut lorica. Sequi debebat καὶ ὑποδησάμενοι κνημῖδας τοῦ ἐν ἑτοιμασίᾳ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. *Et calceati ocreis Evangelii pacis*. Et ita Chryſoſtomus id eſt, *ocreas*, dicit. Sed eleganter ſubjicit, καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *& calceati pedes fundamento Evangelii pacis*, ut quod caligæ fuerunt, ipſis *fundamentum*, in quo tuto poſſint conſiſtere, *Evangelium pacis* eſſet. Ἑτοιμασία εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης *fundamentum Evangelii pacis*, eſt firma atque ſolida cognitio Evangelii. Hoc vidit Theodorus Beza *h. l. Itaque*, inquit, *ſicut* κνημῖδας *milites Græci, caligas Latini milites gerebant, ad ineundum prælium, & vitæ iſtius curſum inter medios hoſtes tenendum, vult Apoſtolus Evangelii pacis cognitione ſimus præparati*. Recte *Evangelii pacis cognitione* dixit vir eximius: Id enim omnino eſt ἑτοιμασία εὐαγγελίου, *fundamentum Evangelii*, quo eos calceari voluit Apoſtolus, firma nempe atque ſolida cognitio Evangelii, cui tuto inſiſtere atque niti poteſt homo Cnriſtianus. Illud ſane quam maxime requiritur ut homo Chriſtianus ſolida cognitione Evangelii ſit inſtructus, cui tuto inſiſtat, ne vacillet. Neceſſe enim eſt munitum atque confirmatum eſſe cognitione doctrinæ, & habere fundamentum. Hoc enim qui caret, omni quaſi vento impelli poteſt, neque ἀντιστῆναι *reſiſtere* valet ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ *in die malo*, aut ἅπαντα κατεργασάμενος στῆναι. *Omnibus peractis ſtare*. Qui vero habet eſt τεθεμελιωμένος καὶ ἑδραῖος καὶ μὴ μετακινούμενος ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ εὐαγγελίου, *fundatus & firmus, & non dimotus a ſpe Evangelii*, quod Coloſſenſes monet.

VII. Cum iis, quæ diſſerui ſat copioſe, de ſignificatu novo, quo Paulus ad exemplum Græcorum interpretum, uſus voce ἑτοιμασίας eſt, conſentire video viros elegantiſſimos Stephanum Gauſſenum, *in Diſſert. de Studii Theologici ratione*, Alexandrum Morum, & Paulum Colomeſium. His enim etiam in mentem venit ἑτοιμασίαν non *præparationem*, *promtitudinemque*, ſed *baſin* hic notare, & *fundamentum*. Ita Stephanus Gauſſenus, ubi Concordantias Conradi Kircheri laudat. *Legimus*, inquit, *apud Paulum capite ult. Epiſt. ad Eph. verſ. 15. hæc verba* Καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης: *cum locum ita vertit vetus interpres*; & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis: *Beza*, calceatis pedibus præparatione Evangelii pacis. *Male omnes, quod quid eſſet apud Helleniſtas* ἑτοιμασία *non ſatis attenderent: tu Concordantias vide, & vocum Græcum indicem conſule, qui fine tomi ſecundi habe-*

betur; inde discere poteris LXX. *interpretes pluribus locis* ἑτοιμασίαν *vertisse, ubi in Hebreo erat* machon; *Hebræis autem* machon *est basis, sedes firma, fundamentum. Sentitis jam nos ope concordantiarum loci explicationem invenisse? Vertite igitur;* calceatis pedibus Evangelio quod est fundamentum, basis, *in qua scilicet pedes tuto consistant: cur autem* 70. *interpretes* machon per ἑτοιμασίαν *reddiderint, facile intelligent, qui modo* LXX. *Interpretum consuetudinem non ignorabunt*: chon *enim, in pibel* chonen, *præter alia multa, significat*, præparare. *Is autem Græcis Interpretibus constantissimus mos est, ut cum vox Hebræa plura & diversa significat, in illius locum vocem Græcam substituant, quam, etiam præter Græci sermonis usum, ad omnes illius vocis significatus indifferenter extendant*. Alexander Morus *in Not. ad quædam loca Novi Fœderis pag.* 384. 385. autem: *In via pacis pro calceis Evangelium pacis. Cujus pacis? cum Deo: nam in hoc bello cum tali hoste qualem supra descripsit vers.* 12. *nulla unquam pax*: *At cui* pedes præparari *dicuntur magis quam caput aut pectus? Pedes sunt quædam quasi columnæ corporis, calcei basis & fundamentum, hoc est* ἑτοιμασία. *Nam Hebræis* כון præparare *juxta &* fundare *significat. Ita Prov.* 8. 27. Quando præparabat Cœlos: *statim subjicitur* ἐξηγητικῶς, *ut in libris Propheticis, ac potissimum Poeticis fieri solet*, quando æthera firmabat sursum, *& Psalm.* 24. 2. *de terra*, Super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam; *ubi pariter posterius hemistichium interpretatur prius. Hinc lux forte aliqua Matth.* 25. 34. regnum præparatum, *id est*, fundatum, *ante jacta mundi fundamenta. Quod recte conveniet in decretum Dei: nam Hebræi* יסד fundare *dicunt de consilio*. Et Paulus Colomesius: *Observ. Sacr. pag.* 151. *Ephes.* 6. 15. Ajant les pies chausser de la præparation de l'Evangile de paix. *Cet endroit a estè mal tournè par nos interpretes, pour avoir ignorè le stile des Septante, qui emplojent le mot* ἑτοιμασία *non seulement pour* preparation, *mais aussi* base *ou* fondement. *Vojez le Ps.* 65. *vers.* 6. *& le* 89. *ves.* 14. *C'est an ce dernier sens que l' Apostre s'en sert ici*. Consentit etiam non ignobilis scriptor Petrus de Launay *exposit. sur l' Ep. aux Ephes. chap.* VI. *pag.* 15. Ita tamen ut mentem Apostoli assecutus non omnino sit. Verba ejus hæc sunt: *Le mot Grec.* ἑτοιμασία, *que nostre version à tournè* preparation, *est peu ou point usitè per les auteurs profanes Grecs, mais assez familier aux septante interpretes de la Bible, des quels l' Apostre l' a pris, & qui l' ont tousjours mis pour signifier le ferme etablissement d' une chose, en s'estat ou elle doit estre, & pour l' exposition du mot Hebrieu* מכון macon, *comme aussi ils mettent fort souvant* ἕτοιμος, *pour ferme & stable, comme* 1. *Rois* 2. 46. *&* 8. 13. 39. 2. *Chron.* 6. 2. *Pse.* 93. 3. *& ailleurs. Il semble donc que l' Apostre vueille ici signifier per ce mot, une connoissance solide de l' Evangile, une ferme persuasion de sa veritè, & une resolution constante de le suivre, dont l' Apostre injoint au soldat Chrestien, de munir ses pieds, pour passer courageusement autravers de toutes les epines & difficultez, qu' il pourra renconter dans le chemin de sa vocation, faisant en cela allusion aux soldats, qui allans a la guerre usoient de certaines chausseures qui leur etoient particulieres, & dont ils se munissoient les pieds & les jambes*. Nam, quod existimat Paulum Christiano militi præcipere, ut pedes suos muniat ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *ad animosius eundum per omnes spinas difficultatesque, quæ occurrere ipsi possunt in via suæ vocationis*, id longe aliter se habet. Uti enim animadversum superius est, non id vult Apostolus Christianum hominem debere se calceare ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *vers.* 11. ad iter faciendum expeditius commodiusque, sed ut possit στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου *vers.* 13. *stare adversus artes diaboli*, &, ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενος στῆναι, *vers.* 14. 15. *resistere in die malo, & omnibus peractis stare*. Quare monitum suum etiam hic proponit. Στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης. Καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. *State igitur succincti lumbos vestros veritate, & induti thorace justitiæ. Et calceati pedes fundamento Evangelii pacis*. Quod plane Launaii sententiam evertit.

VIII. Quam parum intellectum a tot interpretibus fuit, quid ἑτοιμασία τοῦ εὐαγγελίου sit, & quare Christianum hominem ea calceari voluerit Apostolus, tam clarum est perspicuumque, cur Evangelium vocet εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης. *Evangelium pacis*. Scilicet ita dicitur quoniam pacem annuntiat, non inter Israelem tantum atque gentes, sed imprimis inter hominem & Deum. Inimicitiam enim, quæ olim fuit, cum Deus Israelem *Ephes.* 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. sibi elegerat, tanquam peculium, abalienaverat autem a se reliquas gentes, docet Christi sanguine sublatam, juxta illustrem hunc apud Paulum locum: Διὸ μνημονεύε-

τε ὅτι ὑμεῖς ποτε τὰ ἔθνη ἐν σαρκὶ, οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς ἐν σαρκὶ χειροποιήτου. Ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. Νυνὶ δὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ οἱ ποτε ὄντες μακρὰν, ἐγγὺς ἐγενήθητε ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἓν, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ. Τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας. Ἵνα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον, ποιῶν, καὶ ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ, διὰ τοῦ σταυροῦ, ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ. Καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν, τοῖς μακρὰν, καὶ τοῖς ἐγγύς. *Propterea estote memores, quod vos quondam gentes in carne, qui dicebamini Præputium ab ea quæ vocatur Circumcisio in carne manu facta: quod eratis illo tempore absque Christo, abalienati a politia Israelis, & hospites quod ad pacta promissionis, spem non habentes, & sine Deo in mundo. Nunc vero in Christo Jesu, vos qui quondam aberatis longe, propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utrumque unum, & intergerinum parietem sepimenti solvens, inimicitiam in carne sua, legem præceptorum in ritibus irritam fecit, ut duos illos crearet in se ipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliaret in uno corpore Deo, per crucem, interimens inimicitiam in ipsa. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe & qui prope.* Pariter prædicat, quomodo Deus sit ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. 2. Cor. v. 19. *In Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis delicta ipsorum.* Adeo ut δικαιωθέντες ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχωμεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ. *Rom.* v. 6. *Justificati fide pacem habeamus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* De qua pace, nato Servatore, Spiritus cœlestes dicunt: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Quem locum olim hic ideo adduxi, ut aliqua luce perfunderem. Nunc autem quæ tunc commentatus fui prætermitto, quoniam in libro de Natali Jesu Christi priore, de eo plenius egi accuratiusque.

CAPUT VI.

I. *Varia olim, & multiplex calceorum forma.* II. *Apud Hebræos qualis fueris incertum.* III. *Soleæ antiquissimum calceamenti genus.* IV. *Hebræi olim soleis muniverunt pedes, vcxque Hebrææ* נעל *soleam significat:* V. *Ita reddunt veteres interpretes Chaldæi, Græci Latini.* VI. *Mos Hebræorum pedes hospitum lavandi inde natus quod soleis uterentur.* VII. *Calceos cavos usitatos fuisse frustra concluditur ex calceis Gibeonitarum.* VIII. *ex eo quoque quod apud Hebræos in usu fuerint calcei rubri, sive coccinei.* IX. *Calceos cavos apud Hebræos usitatos ex eo quod* ὑποδήματα *tanquam a* σανδαλίοις *distincta in Evangelica Historia memorantur, colligunt Salmasius, Balduinus, Lichtfotus.* X. *Nullo discrimine* ὑποδήματα, & σανδάλια, *usurpari ostenditur, ac quænam genuina sit Matthæum cum Marco conciliandi ratio.*

I. Sicuti hac nostra tempestate calceorum varia & multiplex est, forma, pro civitatum atque regionum discrimine, pro diverso hominum sexu & dignitate, pro vario usu, ita olim etiam fuit. Ne de barbaris nationibus, aut Græcis politioribus, hic dicam, vel apud Romanos quam diversa fuit calceorum forma? Præter duo præcipua genera *calceum* & *soleam*, quorum ille totum pedem, hæc plantam tantum tegebat, in usu fuerunt *caligæ*, *gallicæ*, *crepidæ*, *cothurni*, *socci*, *perones*, de quibus accurate, qui in antiquitatibus ipsorum illustrandis elaborarunt, Adrianus Turnebus, *Adv. lib.* 28. *cap.* 21. & *lib.* 29. *cap.* 8. Petrus Victorius, *Var. Lect. lib.* 14. *cap.* 15. Jacobus Rævardus, *Var. lib.* 1. *cap.* 8. Justus Lipsius, *Elect. lib.* 1. *cap.* 13. Benedictus Balduinus, *de Calc. Ant. cap.* 7. & *seq.* Julius Nigronius, *in Dissert. de Calig.* Albertus Rubenius, *de Re vest. lib.* 2. *cap.* 1. & *seq.* Octavius Ferrarius, *Anal. cap.* 31. & *seq.* & complures alii egerunt.

II. Apud Hebræos qualis calceorum forma fuerit non adeo certum est. In sacris monumentis enim de calceorum forma occurrit omnino nihil. Etiam unicam vocem tantum habent Hebræi, qua calceum vocant. Ea נעל est. Sed quale designet calceamenti genus non adeo constat, cum varie reddant veteres interprete. Apud Jonathanem in Legem, & in Targum Hierosolymitano, respondet סנדל, vel סנדלא, σανδάλιον, *sandalium*. LXX. Interpretes modo ὑπόδημα, modo σανδάλιον,

vertunt. Vulgatus autem modo *calceamentum*, modo *caligas*. In hac incertitudine tamen non inanibus conjecturis adstrui posse existimo, *calceos* Hebræorum *soleas* fuisse, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cum cætera prope nuda & teretibus habenis juncta sint, uti *soleas* Aulus Gellius *lib.* XIII. *cap.* 20. describit.

III. Ut simplicissimum, & ab omni ambitu quam maxime remotum, ita antiquissimum calceamenti genus fuisse soleæ videntur. Prisci mortales, ut contra sentium, & lapillorum, & aliarum asperitatum injurias pedes munirent, ex corio bubulo, vel aliorum animalium pellibus particulas quasdam plantis subligarunt, unde natæ sunt soleę, a vetustissimis temporibus usitatę. Cujus rei hoc argumentum est, non contemnendum certe, quod omnia prisca, quibus pedum tegumenta appellantur, vocabula, *soleas* notent a prima origine. Duo sunt pręcipua apud Gręcos nomina, quibus *calceum* vocant, σανδάλιον, & ὑπόδημα. Σανδάλιον autem nihil aliud est quam *solea*, atque apud Gręcos tantum pedum plantas munivit. Pręter usum frequentem, qua pro *solea* usurpatur, id ex eo videre est, quod insula Sardinia olim *Sandoliotis* dicta sit, quomodo a plantę pedis figura *Ichneusa* appellata fuit, quia ut Claudianus canit: *de Bel. Gild. vers.* 507.

> *Humanæ speciem plantæ se magna figurat*
> *Insula; Sardiniam veteres dixere coloni.*

Videri possunt quę observata sunt de his Sardinię nominibus a viro summo Samuele Bocharto *Geogr. pag.* 2. *lib.* 1. *cap.* 31. Etiam id ex eo patet quod σάνδαλα pisces planos Gręci vocent. Eam vocem apud Athenęum legimus: *lib. cap.* IV. 5. *& ibid. Cas.* Σάνδαλα δ' αὖ παρέθηκεν ἀειγενῆ ἀθανατάων *Apposuerunt & sandala æterna immortalium*. Ad quę verba notavit princeps ingeniorum Isaacus Casaubonus: *Planos pisces, cujusmodi est solea, vocat* Sandala immortalium, *Nereidum videlicet, & aliarum Nympharum marinarum*. Pariter ὑπόδημα de soleis primitus est dictum. Etenim licet Græci omne genus calceamenti ὑπόδημα appellet, atque hoc nomen tribuant calceis cavis, in quos pes intromittitur, quique ἀπὸ τῶν σανδαλίων discernuntur, uti prolixe docet Salmasius ὁ πάνυ, *ad Tert. Pal. cap.* V. tamen ex origine *soleam* notat. Est enim a verbo ὑποδέω, sive ὑποδέομαι, quod est *subligo*, ut quod in soleis præcipuum est, ipsa voce denotetur. Apud Romanos, sicuti *soleæ* nomen isti calceamentorum generi tributum est, *quod*, ut Festus definit, *pedis solo subjicitur*, & commune est cum nomine *soleæ*, quo piscem planum vocant, ita & *calcei* vox ex prima origine pro *solea* est dicta. Etenim *calceus* a Latinis vocatus est a calcibus, quę imę pedum partes sunt. Unde & verbum *calceare* de mulis usurpatum est apud Svetonium, *Vesp. cap.* XXIII. quibus tamen soleę tantum adduntur. Quare, cum prisca nomina pedum tegumentis imposita sint a plantis pedum quas solas munierunt, licet postea quædam translata sint ad calceos cavos, quibus totus pes tegitur & amicitur, primum calceorum genus soleas fuisse, concludi potest non inepte.

IV. Uti antiquissimum calceamenti genus soleæ fuerunt, ita Hebræi soleis muniverunt pedes. Ad notandam *soleam* est vox נעל aptissima, &, ut mihi quidem videtur, ex prima origine, pro *solea* usurpatæ. נעל apud Hebræos *pessulo*, vel, *sera claudere* significat, unde מנעול est *pessulus*, *sera*. Sed idem verbum *vinculo constringere*, atque *calceare* notat, quia olim soleæ vinculis circa pedem ligabantur. Hinc vocem נעל pro solea usurparunt Hebræis, quasi *vinculum* dicas quod constringit pedem. Scilicet, uti Græci ab ὑποδέομαι, quod est *subligo*, ὑπόδημα, *soleam* vocarunt, ita Hebræi a נעל, quod est *vinculo constringere*, voce נעל usi pro *solea* sunt, ut quod in soleis præcipuum est, pedem vinculis constringere, ipso nomine notarent. Profecto, quia in soleis plane necessarius est vinculorum usus optime *soleam* Hebræi נעל vocarunt, eodem modo ac *vincula* pro *soleis* sæpe usurparunt Latini, uti jam dudum Achilles, Statius, *ad Tibul. lib.* 1. *Eleg.* 5. Claudius Salmasius, *ad Tert. Pal. cap.* V. Benedictus Balduinus, *de Calc. Ant. cap.* 11. & alii docuerunt.

V. Vocem נעל *soleam* significare, etiam innuere videntur interpretes vetusti. Apud Jonathanem in Legem, & interpretem Hierosolymitanum, τῷ נעל respondere סנדל, vel סנדלא, jam dixi superius, & multis exemplis ostendit, in magno & immensi laboris opere, vir eximius Johannes Buxtorfius *Lex. Talm. R.* סנדל Hoc vero est ipsissimum Græcorum vocabulum σανδάλιον. Ita *Rab. Coen de Lara in Convenientia Vocabul. Rabbin. cum Gr. & Lat. &c. ad vocem* סנדלים. Ita R. David Coen de Lara, סנדלין עין מנעל *G.* σανδάλιον *L. Sandalium*, *calceorum genus*. *H. Sandalio: un cierto calcado quæ usavum los antiquos*. Uti autem apud Græcos

σαν-

σανδάλιον *ſoleam* notat, ita סנדל, vel סנדלא, de *ſolea* uſurpatur. Id ex eo non tantum conſtat, quod laminas ferreas, quibus ſolebant cunas & puerorum lectulos circa pedes munire, Talmudici vocant, סנדל של עריסה, *Sandalium lecti*, & equorum ſoleas, סנדלי בהמה של מתכה *Sandalia jumentorum ex metallo*, verum etiam quod *ſoleam*, piſcem marinum, סנדל appellant *Obolotb. cap.* 12. *Kelim. cap.* 14. Exſtat ea vox pro piſce plano, quem *ſoleam* Latini vocant, in codice Nidda *fol.* 25. deque ea ſic Rab. David Coen de Lara *lib. cit. ad vocem* סנדל: עו דג דומם לסנדל *G.* σανδάλιον *L. piſcis, qui Latine ſolea, ut Plin. & lingulaca, ut Plauto*. Cum Jonathan, & Targum Hieroſolymitanum, pro Hebræo נעל habent סנדל, vel סנדלא, quæ vox non niſi *ſoleam* ſignificat, ex vulgato uſu, quem ex Græcorum lingua retinuit, manifeſtum inde eſt perſpicuumque, ipſos pro *ſolea* vocem נעל ſumſiſſe. Idem faciunt. LXX. Interpretes, qui pro נעל aliquando habent σανδάλιον, aliquando ὑπόδημα. Σανδάλιον enim non niſi *ſoleam* eſſe conſtat ſatis, ὑπόδημα pro calceo cavo ſæpe quidem ſumitur apud Græcos ſcriptores, attamen hoc diſcrimen non agnoviſſe LXX. Interpretes vel ex eo videre eſt, quod idem nomen נעל modo ὑπόδημα, modo σάνδαλιον, reddant. Joſephum etiam vocaſſe σανδάλον quod LXX. verterunt ὑπόδημα, obſervare licet in ea Lege, qua vidua, quam ducere recuſat defuncti mariti frater, ipſius calceum exuere jubetur. Eam Legem enim LXX. interpretes tranſtulerunt: *Deuter.* XXV. 9. Καὶ προσελθȣ̃σα ἡ γυνὴ τȣ̃ ἀδελφȣ̃ αὐτοῦ ἔναντι τῆς γερȣσίας, καὶ ὑπολύσει τὸ ὑπόδημα αὐτȣ̃ τὸ ἕν ἀπὸ τȣ̃ ποδός αὐτȣ̃. *Et accedens uxor fratris ejus coram Senioribus, & ſolvet calceum ejus unum de pede ejus*. Joſephus vero *Ant. jud. lib.* IV. *cap.* VIII. ὑπολȣ̃σασα δὲ αὐτὸν ἡ γυνὴ τȣ̃ ἀδελφȣ̃ τὰ σάνδαλα. *Solvens autem uxor fratris ipſius ſandalia*. Eodem modo Talmudici in hoc negotio vocem סנדל uſurpant, quod totus liber Javammoth, de jure leviratus, manifeſte docet, & quicunque de iſta materia ſcripſerunt. Confirmat Vulgatus, qui aliquando quidem *calceamentum*, ſæpe tamen vertit *caligam*. *Caligam* vero, militare calceamentum, uti jam nemo ignorat, ex ſandaliorum, vel ſolearum, genere fuiſſe, ſatis oſtendit caligarum forma, quam ex antiquis monumentis, & marmoribus, viri doctiſſimi dederunt.


FORMA CALIGÆ EX COLUMNA TRAIANI


FORMA CALIGÆ EX ARCU CONSTANTINI

Formam *caligæ* ſub lucernæ ſpecie inſignis Philoſophus Fortunius Licetus *de Lucernis lib.* 6. jam dudum exhibuit. Eandem expreſſam ex ingenti columna marmorea Trajano Imperatori erecta, quæ Romæ edita eſt cum explicatione Alphonſi Ciacconi, dedit Julius Nigronus *diſſert. de caliga. Caſtalio. obſerv. Dec.* 2. *cap.* 4., qui ex arcu Conſtantini, unde Joſephus Caſtalio caligam expreſſerat, eandem delineatam quoque repræſentavit. Figuram caligæ ſub lucernæ ſpecie, & qualis cernitur in columna Trajani, & arcu Conſtantini, hic appoſui cum caliga,

ga, ſi ſine clavis ſpectetur, optime exhibeat figuram ſolearum, quas Hebræi geſtarunt. Cum *caliga* ſit ex ſolearum,



CALIGA MILITARIS SUB LUCERNÆ SPECIE

ſive ſandaliorum genere, unde in Gloſſis σανδάλια *caligæ*, & Hieronymus, *in Jeſ.* XX., *Depoſitis*, inquit, *calceamentis*, *quæ ſeptuaginta* σανδάλια, *id eſt*, *caligas vocant*, & Vetus interpres נעל *caligas* vertat, uti & σανδάλια *caligas* reddit, videre eſt eum putaſſe Hebræum נעל non niſi *ſoleam* notare quale calceamenti genus noverat eſſe caligam *Act.* XII. 8.

VI. Id ipſum confirmari vehementer videtur ex eo veterum more, quo peregre advenientibus, & menſæ accubituris, pedes lavabant. Apud Hebræos eum morem viguiſſe, ut hoſpitibus pedes lavarent, idque primum eſſet hoſpitalitatis officium, antequam menſæ accumberent, multa oſtendunt Sacri codicis loca. Jam Abrahami ævo hoc in uſu fuiſſe, vel ex eo diſcimus, quod tribus viris, qui ad eum divertebant, ſtatim dixit, יקח נא מעט מים ורחצו רגליכם: *Geneſ.* XVIII. 4. *&* XIX. 2. *Sumetur jam parum aquæ*, *& lavate pedes veſtros*, quod idem Lothus fecit. Sed & Chriſti temporibus eum morem uſitatum ipſius dictum oſtendit, quo Simeoni hujus officii neglectum exprobrat: Ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας *Luc.* VII. 44. *Aquam pedibus meis non dediſti*. Moris hujus originem ego non aliunde quam ex ſoleis arceſſerem Hebræorum. Scilicet, cum ſoleis uterentur priſci Hebræi, quæ plantam pedis ſolummodo tegerent, cum reliqua pars nuda eſſet & teretibus habenis juncta, fieri vix potuit, quin pulvere atque luto macularentur pedes, quos lavare primum officium fuit. Hebræis enim id contingebat, quod apud Atticos iis evenit, qui utebantur calceamentorum genere quod κονίποδα vocabant, quia pedes pulvere inquinabantur. Suidas enim κονίποδα ſic exponit: ξενὸν σανδάλιον οὗ διὰ τὴν ξενότητα ὁ ποῦς ἐκονιορτοῦτο: & Clemens Alexandrinus: *Pædag. lib.* 2. *cap.* 11. Εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέρομεν τὴν ἀνοποδησίαν βλαυταῖς ἢ φαικασίοις χρηστέον, κονίποδα αὐτὰ ἐκάλουν οἱ Ἀττικοὶ διὰ τὸ πελάζειν, μοι δοκεῖ, τῇ κόνει τῷ πόδι. *Quod ſi non peregre proficiſcimur, atque etiam non ferre poſſumus nudis pedibus incedere blautis aut phæcaſiis utendum.* Κονίποδα *ea vocarunt Attici, quod inquinent, ut mihi videtur, pulvere pedes.* Hinc non mirum eum morem invaluiſſe, ut hoſpitibus peregre advenientibus, & menſæ accubituris, aquam præberent ad lavandos pedes.

VII. Sed huic ſententiæ, quæ Hebræos ſoleas geſtaſſe vult, non levia opponi poſſunt argumenta, quibus adſtrui videtur etiam calceos cavos fuiſſe in uſu. Nihil moror rationes eorum, qui duplex calceamenti genus uſitatum fuiſſe obſervant, quoniam ii, qui a Gibeonitis ad Joſuam IX. 5. erant miſſi, ſecum ſumſiſſe dicuntur נעלות בלות ומטלאות *calceos veteres & maculoſos*, quod de calceis cavis interpretantur, cum maculæ in ſoleis non appareant. Superius enim oſtendi ſat copioſe vocem טלואות ſignificare quod diverſis ſolorum fruſtis ſuppactum eſt, quomodo Grçci optime reddiderunt, σανδάλια παλαιὰ καὶ καταπεπελματωμένα, & Vulgatus: *calceamenta perantiqua*, *quæ*, *ad indicium vetuſtatis*, *pittaciis conſuta erant*. Unde, cum calcei Gibeonitarum ex diverſis ſolorum fruſtis dicantur ſuppacti, nihil concludi pro calceis cavis, ſed quidem pro ſoleis poteſt. Quod Græci intellexiſſe videntur per ſuum καταπεπελματωμένα, quod verbum ἀπὸ τοῦ πέλματος, h. e. a ſolea eſt ductum. Illud majoris momenti eſt, quod ipſe adſtruxi ſuperius, apud Hebræos in uſu fuiſſe calceos rubros, ſive coccineos, quibus & magnates, & puellæ delicatiores utebantur. Unde concludi poſſe videtur, non ſoleas fuiſſe iſtud calceamenti genus, ſed calceos cavos, qui pedem totum operirent, cum ſimplex ſolea fruſtra colore tincta fuiſſet, quæ pedibus ſuppoſita vix habet quod in ſpectantium oculos incurrat.

VIII. Hoc argumentum, quantumvis ſpecioſum, minime tamen noſtram deſtruit opinionem. Viri maximi Danielis Heinſii *in Ariſtarcho S. pag.* 744. pulchra eſt obſervatio, qua Nonnum caſtigat, qui pro eo quod Johannes dixit, οὐ

ἐγὼ

ἐγὼ ἐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω τ̃ ἱμάντα τ̃ ὑποδήματος *Cujus ego non sum dignus ut solvam corrigium calceamenti*, habet,

> —— Οὗ ποδὸς ἄκρε
> Ἀνδρομένῃ παλάμῃ ἐκ ἄξιός εἰμι πελάσσας
> Δῦσαι μοῦνον ἱμάντα θεοπνεύστοιο πεδίλε.

Cujus summi pedis non sum dignus solvere solummodo corrigiam divini calcei, admota humana manu. Culpat Nonnum ὁ πῶυ, qui ἄκρον πόδα dixit, quod ad plantam aut extremitatem digitorum veteres referre solent. *Sed non cogitabat*, inquit, *de corrigia, seu calceorum vinculo, hic agi, multo minus, etiam Judæos tibiatim calceasse. Unde & Doctissimus Tertullianus Mosi caligam attribuit, qui*, Speculatoriam morosissimam pedibus absolvit, terræ sanctæ insistere incipiens, *caligam nimirum militarem. Quam in crure lorum, seu corrigia, ambibat: quæ ab ambiendo ut Hebræis, ita ab hoc ipso, σφαιρωτὴρ, dicta Hellenistis*. Observat vir maximus *tibiatim calceasse Judæos*, quia habenæ teretes, sive corrigiæ, eousque extendebantur, ut crus lorum ambiret. Hoc utique verissimum est. Apud veteres ea calceamentorum genera, quæ sandalia erant, sive soleæ, & corrigiis pedi alligabantur, licet lora ad talos tantum aliquando pertingerent, tamen ad crus sæpe pervenerunt. Cothurnos, qui soleæ fuerunt, vinclis ad crus pertingentibus religatos fuisse, ex Sidonio *in Panegyr. Anthemii. R. de Re Vest. lib.* II. *cap.* I. Verba Sidonii sunt.

> *Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos*
> *Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis*
> *Mittit in adversum vincto de fornice pollex,*
> *Quæ stringant crepidas; & concurrentibus ansis*
> *Vinclorum pandas nectant per crura catenas.*

Campagos etiam, militare calceamentum ducum atque imperatorum, postea ab iisdem etiam in pace usurpatum, licet ex genere solearum, sive crepidarum, essent, & ideo a calceo cavo urbano distincti, ad crus habenas illas, & retinacula extendisse, jam dudum monuerunt viri maximi. Videri possunt quæ Isaacus Casaubonus, & *Salm. ad Trebellii Pollionis Galli. cap.* XVI. Claudius Salmasius, Claudius Salmasius, Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 18. Albertus Rubenius, *de Re Vest. lib.* II. *cap.* 5. & Octavius Ferrarius *in Analec. cap.* 36. de campago disputarunt. Scilicet campagus crepida fuit, sive solea, habenis pedi innexa, quæ crus contingebant, reticulato opere decussatim implexæ. Caligæ quoque militum Romanorum, quas sandalia, sive soleas, fuisse ex antiquis monumentis atque marmoribus superius ostendi, ad crus sive tibiam usque ascendebant, ut Claudius Salmasius *loc. cit.* & Albertus Rubenius *lib.* 2. *cap.* I. docuerunt. Negat id quidem Octavius Ferrarius *loc. cit.*, & caligas manipulares usque ad tibiam retinacula extendisse, non ita certum esse pronunciat. Sed, quamvis omnes caligæ ad mediam usque tibiam retinacula non extendissent, negari tamen nequit, caligas etiam ad crus ascendisse. Id videre est in nummis Hadriani, & Commodi, in quibus caligæ ad medium crus ascendunt, quos hic apposui. Hoc





ipsum

ipsum ostendit campagus, quem Julius Capitolinus *in Maximino juniore cap.* II. *Rub. de Re Vest. lib.* II. *cap.* 5. cum caliga confundit. Nam, uti optime notavit Albertus Rubenius, haud multum diversi erant a caligis campagi. Atque ut dicam quid mihi visum sit perquam verisimile, in eo discrimen campagorum a caligis statuerem, quod campagi reticulato opere decussatim implexis habenis ad crus pertingerent, caligæ vero crus contingerent non reticulatim implexis habenis, sed uti videmus in arcu Constantini. Hoc discrimen mihi indicare videtur Gallienus apud Trebellium: *Caligas gemmatas*, inquit, *annexuit, cum campagos reticulos appellaret*. Etenim Trebellius *Pollio in Gallic. cap.* XVI. hac ratione debet intelligi, quod Gallienus caligas induit, loco compagorum, quæ quidem, ut compagi, ad medium crus perveniebant, sed non opere reticulato, unde, ut a gregariis militum caligis distinguerentur, eas gemmis annexuit. Nam quod Ferrarius *loc. cit.* hic opponit, *caligas vulgares non multum ultra pedes habenas produxisse: nam si ad suram usque, & tibiatim, ut Salmasius putat, & ipsæ reticulum fuissent, ut campagus, nullo in figura inter utrumque discrimine*, nihil omnino est. Etenim, uti ipse mox adjungit: *si caligæ vulgaris retinacula etiam in crure cernantur, non fuisse tamen decussatim & reticulatim implexa necesse est*. Ita sane fuit. Caliga & campagus habenas suas ad medium crus extendebant, sed campagus decussatim & reticulatim, caliga non item, sed eo modo quo caliga visitur in arcu Constantini. Soleæ quoque, licet earum habenæ pedem sæpe non excesserint, tamen aliquando ad crus ipsum eas extenderunt. Videre id est in nummis Domitiani, M. Aurelii, & Plautillæ, quos Ferrarius *Re Vest. lib.* I. *cap.* I. exhibuit, in quibus corrigiæ, quibus soleæ nudo pedi nectuntur, ad suram usque perveniunt. Uti veteres ea calceamenta, quæ sandalia erant, sive soleæ,





corrigiis pedi alligabant, quæ ad crus ascendebant, ita Hebræi tibiatim calcearunt. Id intellexisse videtur. Vulgatus interpres, qui נעל, & σανδάλια, *caligas* vertit, quas in crure lorum, seu corrigiam ambiisse constat. Atque id aliis Orientis populis usitatum quoque fuisse, ex Virgilio *Æneid. lib.* I. *vers.* 336. videre est, apud quem Venus ait:

Mos est virginibus Tyriis gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Hac ratione apparet quomodo solæ Hebræorum tingi colore potuerint. Etenim uti cothurni punicei, vel purpurei, coloris fuerunt apud Tyrias virgines, quo colore, saltem inferiori ævo, etiam fuisse Imperatorios campagos certum est, & soleæ rubræ, unde illud Persii *Satir.* V. *vers.* 169.

—— *Solea puer objurgabere rubra*,

ita

ita & soleæ Hebræorum rubri vel coccinei coloris esse potuerunt. Nam uti calcei cavi, vel nigri, vel mullei dicebantur, ab eo colore, quo corium, quod pedem tegebat, tinctum erat, ita & soleę vel rubrę, vel coccineę dicebantur, a corrigiis, sive habenis, quibus pedi alligabantur, quęquę ad crus medium perveniebant. Quod ipsum etiam verum fuit, licet vel ad talos pertingerent.

IX. Sed, quod palmarium est, in Evangelica historia ὑποδήματα tanquam a *sandaliis* distincta, viri doctissimi observant, unde certum esse videtur, usum *calceorum*, qui totum pedem tegunt, & ὑποδήματα vocantur, æque ac *solearum*, quæ σανδάλια sunt, apud Hebræos fuisse. Sane Matthęus x. 10. pręceptum Christi, quod Apostolis dedit, ita refert, ut interdicat: Μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. *Neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceos, neque baculum.* Marcus VI. 9. vero, ut concedat esse ὑποδεδεμένους σανδάλια, καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. *Calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.* Hęc autem viri eruditissimi non alia ratione conciliari posse existimant, quam ut inter ὑποδήματα, & σανδάλια, agnoscatur discrimen. Ita maximus Salmasius *ad Tertul. pal. cap.* 5. *Dominus noster Apostolis suis interdicit, Matth. cap.* 10. *vers.* 10. Μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μήτε ῥάβδον. *At apud Marcum cap. 6. vers. 9. permittuntur iidem habere sandalia:* ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια, καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. *Qui nullum putant Evangelistas posuisse discrimen inter* ὑποδήματα *&* σανδάλια, *longiter errant: & hæc ratio est conciliandi cum Marco Matthæum, quum alia nulla sit,* ὑποδήματα *sunt calcei qui totum pedem tegebant: hos Dominus Apostolis interdixit.* Σανδάλια *sunt soleæ, quæ plantam pedum duntaxat subtegebant: has Dominus Discipulis suis permisit.* Benedictus quoque Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 12. *Apostolos*, inquit, *sandaliis usos esse, satis ex eo liquet, quod cum Christus Dominus apud D. Lucam probibuisset Apostolis, ne calceamenta portarent, quibus nimirum pedes omnino tegerentur, iisdem nibilominus apud D. Marcum sandaliorum usum permittit, utpote quæ superiorem pedum partem nudam relinqueret, inferiore tantum planta adversus spinas & tribulos munita.* Etiam vir doctissimus, & in Talmudis ac Rabbinorum lectione versatissimus, Johannes Lightfootus *Hor. Hebr. in Matth.* x. 10. *Calceos hic intelligi, non sandalia, patet ex Marco, capitis sexti versu nono, atque inter hæc discrimen statui satis patet ex ipsissimis hisce locis.*

X. Non diffiteor, mihi quondam placuisse doctorum hominum sententiam, qui inter ὑποδήματα, & σανδάλια, faciunt discrimen, quale exposuit maximus Salmasius, & elegantissimus Balduinus. Putabam Hebræos olim soleis usos, quamdiu mores aliarum gentium nondum erant imitati, sed seculis posterioribus, postquam cum Romanis intercederet commercium, etiam cum soleis usum calceorum invaluisse. Placebat etiam eorum ratio, qui Christum volebant ὑποδήματα prohibuisse; σανδάλια vero permisisse suis discipulis, quod vellet eos veteri inter Judæos usu soleis calceari, non vero calceis, quod pedum erat delicatius tegumentum. At, dum hæc perpendo accuratius longe aliter est visum. Eo tempore calceis cavis usos Judæos, atque ὑπόδημα *calceum* proprie dictum significare, σανδάλιον vero *soleam*, credibile haudquaquam est. *Calceum proprium togæ tormentum* Tertullianus vocat *de pal. cap.* 5. Hoc verissimum esse, multa veterum loca ostendunt. Apud Romanos calceus sine toga non sumebatur. At, ut Calcei togæ proprii, ita soleæ, vel crepidæ, pallio, & tunicæ fuerunt. Nota est Ciceronis in Verrem increpatio *in Ver. Act.* 4. *Stetit*, inquit, *soleatus Prætor Populi Romani, cum pallio purpureo, tunicaque talari.* Hinc, uti certum est, non togis, sed tunicis, usos Judæos, quomodo & χιτῶνες hic nominantur, ita quoque certum videtur, eos soleas, sive sandalia, gestasse, non vero calceos, qui erant proprii togæ. Nullum discrimen inter ὑποδήματα, & σανδάλια, agnoscendum esse jam dudum monuit magnus ille Desiderius Erasmus, *ad Marc.* 6. 9. eumque secuti Theodorus Beza *ad Matth.* 10. 10. & Hugo Grotius *ibid. & ad Marc.* Id verum omnino est. Observavi superius apud LXX. interpretes voci נעל, modo ὑπόδημα, respondere, modo σανδάλιον, & Josephum *de Bel. Jud. lib.* II. *cap.* 2. in expositione legis de leviratu σανδάλα dixisse, quæ illi ὑποδήματα appellant. Idem ὑποδήματα vocat Essenorum σανδάλια, ubi inter eorum instituta refert, quod οὔτε ἐσθῆτας, οὔτε ὑποδήματα ἀμείβουσι πρὶν ἢ διαῤῥαγῆναι τὸ πρότερον παντάπασιν, ἢ δαπανηθῆναι τῷ χρόνῳ. *Nec vestes, nec calceos mutant, nisi omnino ruptis prioribus, aut longi temporis usu consumtis.* Licet vero nullum sit inter ὑποδήματα & σανδάλια discrimen tamen cum Matthæo non pugnabit Marcus. Nullam aliam rationem conciliandi cum Matthæo Marcum esse pronuntiat quidem Salmasius ὁ πάνυ.

Id

Id vero aliter se habet. Noluisse Christum, cum mitteret discipulos ad prædicandum Evangelium, susceptæ legationis ergo vel tantillum esse sollicitiores, manifestum est certissimumque. Hinc jubet, ut neque peram, neque binas tunicas, neque calceos, neque baculos sumant. Solitos veteres, cum aliquo profecturi essent, secum sumere χιτῶνας ἀλλασσομένας, ut in itinere mutarent, monuit vir summus Daniel Heinsius *Exerc. S. ad Matth.* x. 10. Ejus verba hæc sunt: *quia de itinere agit*, χιτῶνας ἀλλασσωμένους, *vel* ἀλλάκτους, *intelligit quos profecturi secum sumebant, ut in itinere mutarent. Ita Naaman, cum iter suum* 2. Reg. 5. 5. *pararet*, δέκα ἀλλασσωμένας στολὰς *assumit. E quibus Elizæi famulus capite eodem, duas sibi dari poscit. Homerus* εἵματα ἐξημοιβὰ, *dixit*. Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμά, καὶ εὐναί. *Hesychius*, Ἐξημοιβὰ, ἀλλακτὰ διὰ τὸ πλῆθος. *Et*, Ἐξημοιβὰ, ἕτερα. *Quod Critici alii ad luxum referunt Phæacum*, & τὰ ἄλλοτε ἄλλα ἀμειβόμενα *exponunt. Unde & suas pauperculi a ditioribus accipere solebant, qui* ἀλλακτὰς, & ἀλλασσομένας, *præsertim in itinere habebant*. Notavit etiam vir illustris Hugo Grotius, *ad Matth.* x. 10. *quia iter facientibus soleæ facile atterebantur, neque raro fiebat ut baculus frangeretur, aut alicubi adhæresceret, ideo in sarcinulis solitos ponere* veteres *alias soleas, aliosque baculos*. His omnibus Christus vult abstinere discipulos, reperturos & victui, & itineri necessaria. Sic non ὑποδήματα, sed δύο ὑποδήματα, apud Matthæum interdicit. Etenim uti Christus δύο χιτῶνας, ita δύο ὑποδήματα, & δύο ῥάβδους, prohibet. Hæc enim omnia a voce δύο pendent. Uti nec tunicas binas, ita nec binos calceos, nec baculos voluit eos sumere secum. Atque hic non possum dissimulare, semper mihi visum esse male in vulgatis Matthæi codicibus ῥάβδον legi, & restituendam esse priscam lectionem ῥάβδους. Equidem scio ῥάβδον jam olim Syrum, & Latinum interpretem legisse, Chrysostomum *Hom.* XXXII. *in Matth.* quoque, & alios plures. Ῥάβδους tamen habent decem exemplaria Roberti Stephani, Quatuor Codices Bibliothecæ Bodlejanæ, MS. Novum Testamentum pervetustum membranæum, literis uncialibus exaratum, quod, ducentis imperialibus emtum, ex Oriente attulit, &, ut fama fert, serenissimi Electoris Brandenburgici illustri Bibliothecæ consecravit, Johannes Ravius, Professor Upsaliensis, ut Johannes Saubertus testatur, quatuor Evangelia MS. Joachimi quondam Camerarii, ad cujus hæredes etiamnum pertinent, quorum usum mihi præstitit, pro summo suo in me studio, & singulari humanitate, magnus ille doctor meus Johannes Georgius Grævius, editio Francofurtensis, quæ apud Andreæ Wecheli hæredes, anno superioris seculi XCVII. prodiit, una cum variantibus veterum codicum lectionibus, & Theophylactus *Conim. in Matth.* Utique hæc verissima lectio est, quam non tantum melior verborum cohærentia, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδους, ut nempe omnia ad vocem δύο referantur, & Lucas IX. 3. confirmat, qui clare ῥάβδους habet; verum etiam quod alias explicari nequit, cur hic ῥάβδον, prohibeat Christus, quem tamen apud Marcum discipulis concedit. Mandat enim ibi tam diserte, Ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. *Ut nihil sumerent ad iter, nisi baculum tantum*. Quod clare ostendit apud Matthæum ῥάβδους esse legendum. Scilicet uno baculo suos discipulos Christus vult contentos, neque, ut fieri consueverat, etiam alium in sarcinulis habere. Hæc unica Marcum cum Matthæo conciliandi ratio est. Apud Matthæum scilicet, uti δύο χιτῶνας, ita & δύο ὑποδήματα, prohibet Christus, apud Marcum vero permittit σανδάλια, quibus erant induti. Ita, licet nullum inter τὰ ὑποδήματα, & σανδάλια, admittatur discrimen, non tamen cum Marco pugnabit Matthæus. Apud Matthæum enim Jesus non calceamenta interdicit suis discipulis, sed bina calceamenta, hoc est, alia præter ea quæ habebant in pedibus, quemadmodum tunicas prohibet binas. Apud Marcum vero permitit etiam σανδάλια, quibus erant induti. In hunc sensum Matthæi verba jam olim accepit Juvencus *lib.* 2. *Evang. Hist.* Poeta Christianus, qui cecinit:

—— *Nec plantis tegmina bina*.

Id ipsum Thomas innuit, & Cajetanus. Sequuntur Johannes Maldonatus *in Matth.* 10. 10. Vincentius Regius, *lib.* 2. *Dilucid. Evang.* & complures alii Romanæ Ecclesiæ doctores. Videri etiam possunt quæ magno nostro Desiderio Erasmo *ad Marc.* 9. sunt animadversa, itemque quæ notavit Theodorus Bexa *ad Matth.* 10. 10. Viri vero illustris Hugonis Grotii verba dignissima sunt quæ hic adscribantur. *Intellige*, inquit, *baculum alium quam quem manu geritis, aut soleas alias, quam quibus nunc induti estis. Nam hunc esse sensum ostendit tum quod præcessit*, δύο χιτῶνας, hoc est *vestem alteram ab ea qua vestimini*, tum

tum quod apud Marcum est, ubi diserte permittitur unus baculus quem gerebant, & soleæ illæ quibus erant induti. Nimirum, quia iter facientibus soleæ facile atterebantur, neque raro fiebat ut baculus frangeretur, aut alicubi adhæresceret, ideo in sarcinulis solebant ponere alias soleas aliosque baculos. Hac cautione Christus Apostolos suos vult abstinere, quocumque iter facturi essent reperturos & victui & itineri necessaria. Atque ideo multitudinis numero ῥάβδυς *dixit Lucas, ut significaret non interdici quo minus baculum unum haberent, sed quo minus plures: Quod æquo jure de paribus solearum debet intelligi.* Hæc conciliandi ratio mihi præ illa altera probatur, quam inierunt Claudius Salmasius, & Benedictus Balduinus, vel ex eo, quia docet evidenter cur ῥάβδον hic vetet Christus, quem tamen Apostolis apud Marcum permittit, qua difficultate se nunquam alias expedient viri eruditissimi. Neque video, cur inter ὑποδήματα, & σανδάλια, tantum discrimen Christus statueret, ut hoc calceamenti genus, in quod pes intromittitur, prohiberet, alterum concederet suis discipulis. *Usus delicatioris fuisse calceos, durioris atque utilioris Sandalia,* ut pote cum *Gloss. in jebam. Babyl. fol.* 101. 1. מנעל של עור רך: *calceus esset e corio molliori,* At סנדל של עור קשה: *Sandalium e corio duriori*, adeoque *Christum interdixisse calceis ne morem delicatiorem omnino saperent*, notavit quidem Johannes Lightfotus *in Hor. Hebr. ad Matth.* 10. 10. Eam vero rationem quis non videt esse ineptam? Quasi vero tantum foret in calceamentis discrimen, ut calceos cavos prohiberet Christus, sandalia vero, quæ partem pedis superiorem relinquerent nudam, permitteret? Ita quidem interpretati sunt antiqui in Ægypto Monachi, qui sandalia, velut a domino permissa, gestabant, calceos, veluti interdictos, recusabant, de quibus Cassianus *de Habitu Monach. cap.* 10. *Calceamenta vero velut interdicta Evangelico præcepto recusantes, cum infirmitas corporis, vel matutinus rigor, seu meridiani æstus fervor exegerit, tantummodo caligis suos muniunt pedes, interpretantes usum earum vel dominica permissione signari, ut si in hoc mundo constituti, cura & sollicitudine carnis hujus, omnimodis exuti esse non possumus, nec ab ea penitus prævalemus absolvi, saltem occupatione levi, & implicatione tenui necessitatem corporis explicemus.* Sed hæc frigida profecto ratio est Monachorum acumine ut dignissima, ita Christo Domino omino indigna. Æquæ parum solidum est, quod de discrimine inter ὑποδήματα, & σανδάλια, ex scholis Judaicis se observasse putat vir doctus. Notat ex Jevamoth *cap.* 12. *Hal.* 1. *Extractio calcei (Leviri, Deut.* 25. 9.) *recta est. Sandalii, si adsit ei calx, recta est; sin minus, non recta.* At quis nescit ibi magistros loqui de suis temporibus? Longe post Christi tempora conscriptum esse Talmudicum corpus nemo ignorat, qua tempestate jam, præter sandalia, in usu erant calcei cavi. Hinc invaluerat extractio in causa leviri, vel calcei, vel sandalii, qui mos originem dedit disquisitioni Rabbinicæ. Sed olim non nisi sandalio leviri excalceationem factam ex loco altero, quem adducit, apparet. Est in eo distinctio calcei, & sandalii, ex usu videlicet posteriorum temporum. Quod vero legimus: *Et tamen ut plurimum usitatum est extrahere sandalium, & consuetudo valet contra traditionem*, maxime nostram confirmat opinionem, Hebræos non nisi soleas, sive sandalia, gestasse. Invaluerat usus, ut calceos cavos haberent Judaei, extractio tamen calcei in causa leviri sandalio peragebatur. Scilicet Judæi, patriorum morum tenacissimi, cum veteres non nisi soleas gestassent, & in calcei extractione soleis essent usi, noluerunt relinquere avitam consuetudinem, cum calceorum usus adhuc recens esset. Ita nihil nostræ sententiæ præjudicant, quæ de discrimine τῶν ὑποδημάτων, & σανδαλίων, viri doctissimi notarunt, cum id nullum sit in scriptis Evangelicis, ubi Christus, non ὑποδήματα, sed δύο ὑποδήματα prohibet, h. e. par aliud quam quod gestabant, & σανδάλια permittit, ea videlicet quæ in pedibus habebant, qua ratione, uti quisque videt, optime Matthæus cum Marco conciliatur.

CAPUT VII.

I. *Soleæ habenis teretibus vinctæ apud Romanos, Græcos, Hebræos.* II. *Corrigiam Hebræi eleganter* שרוך *vocant, & Græci LXX.* σφαιρωτῆρα. III. *Verbum* משרכת *Jer.* II. 23. *obscurum, atque interpretum expositiones rejectas.* IV. *Nostra verbi* משרכת, *& totius loci explicatio.* V. *Olim corrigiæ ex corio, & non magni pretii fuerunt, undeque Abrahami dictum Gen.* XIV. 23. *illustratur.* VI. *Locus Jes.* V. 27. *ab interpretibus male acceptus, nostra explicatio.* VII. *Error Balduini, & Glossæ ordinariæ.* VIII. *Vincula calceorum, sive corrigias solvere, vilissimum ministerium apud Græcos, Romanos, Hebræos habitum, &* Jo-

Fig. I.





ROMÆ IN FRONTE DOMUS BASSIANORUM



HERCULES INNUMMUS ÆSCULAPII

Fig. II.



STATUA TOGATA IN ATRIO PALATII VENETI

Fig. III.



STATUA M·AURELII PALLIATA IN ATRIO PALATII VENETI



TZANGA

CAMPAGUS

Fig. IV.



DIRCIS SOLEÆ ROMÆ IN ÆDIBUS FARNESIORUM

APOLLINIS PYTHI SOLEÆ ROMÆ IN HORTIS VATICANIS

Fig. V.

Johannis Baptistæ dictum, οὐκ εἰμὶ λῦσαι ἱκανὸς τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ, *exponitur*.

I. O*Mnia ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixisse* veteres Aulus Gellius docet. *Noct. Attic. lib.* XIII. *cap.* 20. Rectissime soleis dat teretes habenas, quibus pedibus alligari possint. Est enim in soleis plane necessarius vinculorum usus. Apud Romanos quidem hoc adeo tritum fuit, ut sæpe *vincula* pro ipsis *soleis* dicantur. Apud Græcos quoque habenis teretibus ligata calceamenta Homerus *Odyss.* 2. innuit, uti observavit Hieronymus Magius. *lib.* 3. *cap.* 3. Soleas Hebræorum etiam vinculis, sive corrigiis, pedi alligatas fuisse, varia loca Sacri Codicis ostendunt. Abrahamus *Gen.* XIV. 23. se ex præda, in victoriæ præmium, haudquaquam accepturum dicit, מחות ועו שריך נעל, *A filo usque ad corrigiam calceamenti*. Johannes Baptistas quoque se dignum negat λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων *solvere corrigiam calceamentorum Jesu*.

II. Hæc vincula, sive corrigias, Hebræi *Marc.* I. 7. שרוך vocant, ab ambiendo scilicet, quia pedi circumvolvuntur, & Græci LXX. Interpretes σφαιρωτῆρας, a σφαιρόω, *involvo, in orbem conglobo*. Eleganter sane. Corrigiæ apud veteres varia ratione circumvolutæ fuerunt pedibus, uti ex antiquis statuis & nummis apparet. Usitata admodum circumvolvendi ratio ea videtur, quam spectare licet in statua, quam dedit vir Cl. Octavius Ferrarius, *de Re Vest. Part.* I. *pag.* 236. & 26. *P.* 2. *pag.* 204. *P.* I. *pag.* 4. *P.* 2. *pag.* 144. aut qualis apparet in ea, quæ visitur in fronte domus Bassianorum. *Fig.* I. Alia ratione vero circumvolutæ corrigiæ apparent in statua togata, *Fig.* II. quæ visitur in atrio palatii Veneti, quam fortasse Ciceronis, certe oratoris, quod libelli in dextra indicant, & libellorum theca ad pedes statuæ, fuisse, Ferrarius conjecit. Iterum alia in statua M. Aurelii palliata, *Fig.* III. quam videre est in eodem atrio Palatii Veneti. Scilicet veteres etiam hac in re ornatum quæsiverunt. Apparet id maxime in compagis, qui opere reticulato circum pedem habenas extendebant. Itemque tzangis, si modo hæc sit compagorum & tzangarum figura, *Fig.* IV. quam Andræas Frisius ad Balduinum *pag.* 180. & 101. exhibet. Pulcherrimæ vero, ob habenarum præcipue elegantiam fuerunt Dircis & Apollinis Pythii soleæ, *Fig.* V. quarum figuram quoque dedit. Hinc, quia corrigiæ pedibus circumvolvebantur, optime Hebræi easdem שרוך vocarunt, & Græci σφαιρωτῆρας Etenim apud Hebræos non tantum ipsi pedi circumdabantur vincula, verum etiam ad crus se extendebant, plane uti caligas talis & cruri circumvolutas in arcu Constantini & antiquis nummis videmus. Etiam Hebræi varia ratione hæc pedum vincula circumdederunt, vel usus commodioris, vel ornatus gratia. Pulchra atque elegantia sandalia, quibus se Judith X. 3. & XVI. 11. ornavit, & quæ cepisse dicuntur oculos Holofernis, talia fuisse, præter colorem coccineum, propter habenas teretes, quæ eleganti ratione pedem circumdederunt, non sine ratione quis posset suspicari.

III. Apud Jeremiam II. 23. verbum משרכת occurrit, cujus variæ sunt admodum & diversæ interpretationes. Qui optime vertisse videntur, ex significatione vocis שרוך *corrigiæ*, notionem hujus verbi petierunt, Hinc reddunt *implicare*. Sic recentiores: *dromas velox*, vel *camela junior levis, implicans vias suas*. Belgæ: *Gby lichte snelle kemelinne, die hare vvegen verdrayt*. Metaphoram exponunt ut, משרכת, *implicans*, sit, *instar scilicet corrigiæ calcei, quæ iteratis vicibus illi circumligatur*, ut Franciscus Vatablus *ad Jerem.* 2. 23. habet, & prolixius eruditissimi Belgæ: *Het Hebreeusch vvoort alleenlijk hier gevonden, komende van een ander dat een* schoeriem *betekent. God vvil seggen, dat Israel been ende vveder, om ende vvederom liep in afgoderye; gelijk een* schoeriem *been ende vveder gesnoert, gestingert, ingevvikkel, ende verdrayt vvort.* h. e. *Verbum Hebræum hoc loco tantum reperitur, descendens ab alio, quod* corrigiam *notat. Innuit Deus, Israelem & huc & illuc discurrere in idololatria, uti* corrigia *huc & circumligatur, volvitur, implicatur, & contorquetur*. Probant eam significationem præstantissimi Lexicographi, & inter eos Johannes Buxtorfius *in Lex. Hebr.* משרכת inquit, *corrigians, h. e. implicans, ut nodus corrigiæ implicatur constringendo*. Consentit vir summus Johannes Coccejus, *in Lex. Hebr. & Comm. in Jer.* atque hunc sensum elicit: *Propheta ostendit, eos in eodem luto hærere, quia ex animo non sint conversi, sed easdem opiniones retineant, quas habebant, qui in valle filiorum Hinnom liberos suos mactaverant. Ipsos tantum non nihil variare viam, & ad idem tendere per ambages, quod videbantur, reliquisse. Ideo comparat eos cum dromade veloci implicante vias suas*. Ego vero, ut ingenue fatear, hæc non intel-

telligo. Qua ratione quæso de dromade, vel camelo juniore, dici potest, eam vias suas implicare, instar corrigiæ calcei, quæ iteratis vicibus pedi circumligatur? aut quomodo Deus ut hoc innuat, Israelem huc & illuc discurrere ad idola, metaphoram sumeret a juniore camelo, quæ vias suas implicat, ut corrigia circa pedem ligatur, & contorquetur? Si metaphora hæc a camelo desumitur, utique da camelo quid dici necesse est, quod in ipsam quadrat. Implicare vias suas, instar corrigiæ calcei, quæ, iteratis vicibus pedi circumligatur, dici de camelo posse, ego omnino non capio. Tum, quid est implicare vias suas instar corrigiæ calcei? Certe corrigiæ calceis non adhibentur ad implicandos pedes, sed operam plane præstant contrariam. Vir summus Ludovicus de Dieu *ad Jer.* II. 23. aliud excogitavit, ut huic verbo משרכת adferret lucem. Exponit ex lingua Æthiopica, ubi שרך est *vespere*, *sero*, ὀψὲ Matth. 28. 1. Marc. 13. 35. *Unde vertere liceret*, inquit, *quæ serotinat vias suas*, *id est*, *quæ vesperi in tenebris*, *quam plena luce ambulare mavult*, *ea enim dromedariorum*, *ut omnium pene ferarum indoles est*, *& recte id accommodatur populo*, *quem scortationis Spiritualis*, *in modum scorti carnalis depictæ*, *insimulat Propheta*. *Noctu enim amant scorta incedere atque amasios insequi*. *Nisi forte quis malit ad linguam Arabicam hic attendere*, *ubi* שרך *significat* commune reddere, *&* שריך socius, particeps. *Hinc vertas communes reddens vias suas*, *quod scortis optime convenit*, *& passim populo exprobratur*, *quod uno Deo relicto*, *alios multos promiscue admiserint*. Verum nec hoc mihi placet, quod ὁ πάυ habet. *Serotinare vias suas*, si vel maxime ex lingua Æthiopica hæc verba possent significare, non video quomodo quadret in hunc locum. Est quidem omnium pæne ferarum indoles, ut vesperi in tenebris, quam plena luce, ambulare malint, hoc vero nihil ad hujus loci sensum. Quod habet ex lingua Arabica æque parum mihi probatur, cum non intelligam, quid in camelum quadret, *communes reddens vias suas*. Non mirum autem virum doctissimum, cęterosque interpretes, tam varia fingere, cum locus omnino sit obscurissimus, in quo explicando nihil juvant omnes veteres, qui varie admodum reddiderunt. Syrus, & Arabs, ne quidem tentarunt hujus vocis expositionem. Chaldęus vertit per דמקלקלא *quæ depravat*, quasi conveniret cum מסרחת, cum tamen ingens satis appareat discrimen. LXX. Gręci, juxta editionem Francofurtensem, quæ anno superioris seculi XCVII. prodiit, apud Andręę Wecheli hęredes, editionemque sequitur Basileensem anni ejusdem seculi XLV. quę cum Aldino exemplari prorsus congruit, hic habent: ὀψὲ φωνὴ αὐτῆς ὠλόλυξε τὰς ὁδὰς αὐτῆς. *Vesperi vox ejus ejulavit vias suas*. Sed juxta exemplar Romanum, voces τὰς ὁδὰς αὐτῆς, cum sequentibus conjungunt. Ubi, uti hoc mirum imprimis est, quod בכרה vertant ὀψὲ, *vesperi*, cum alibi eam vocem per κάμηλον transferant perbene, ita illud apparet sat evidenter, unde pro קלה, id est, *levis*, habent ἡ φωνὴ αὐτῆς, *vox ejus*. Legerunt scilicet קולה. Vulgatus interpres vertit: *Cursor levis*, *explicans vias suas*. Scilicet ex Aquilæ, Symmachi, vel Theodotionis corruptis exemplaribus, pro *dromade*, est in Vulgato *cursor*. Verterant illi δρομὰς κούφη, pro quo librarii fecere δρομεὺς, uti jam pridem monuerunt viri eruditi. Utinam Samuel Bochartus, *Hierof. p.* x. *pag.* 82. qui tot difficilia loca feliciter explicavit, & tam multa præclara de animalibus nos docuit, hunc locum non reliquisset intactum. Multis quidem ostendit בכרה esse *camelum juniorem*, at quid sit *camelus junior* משרכת דרכיה, nusquam dicit. Tentandum ergo est, an quid afferri possit, quod, si non omnino verum, verisimile tamen sit.

IV. Verbi משרכת, quod semel tantum occurrit, radicem olim usitatam שרך, quę *circumire*, & *discurrere*, notavit, unde שרוך *corrigia* dicta est, ab ambiendo, sive circumeundo, quia pedi circumvolvitur, verisimile admodum est. Hinc *camelus junior* משרכה דרכיה *circumiens vias suas*, est camelus, quæ ęstro libinis percita, notas semitas circumit, & huc illuc vagatur maris potiundi gratia. Inter animantia maxime libidinosa etiam cameli sunt de quibus Aristoteles *Hist. Anim. lib.* v. *cap.* II. refert, quod *toto die coeant*. Inprimis libidine flagrat בכרה, quę est camelus fœmina junior, quę incipit *catulire*, hoc est, ad Venerem incitari. Hinc *camelus junior* משרכת דרכיה *circumiens vias suas*, est camelus, huc illuc discurrens æstu libidinis. Hunc sensum innuere videntur LXX. Interpretes, qui reddiderunt, ὀψὲ φωνὴ αὐτῆς ὠλόλυξε. *Vesperis vox ejus ejulavit*. Verbum ὀλολύζειν quidem *ejulare*, & cum *clamore plorare*, notat: verum etiam de eo ejulatu dicitur, quem emittunt bruta, dum libidine flagrant. *Plin. lib.* XI. *cap.* 37. Hinc ὀλολυγόνες sunt ejulatus, quos emittunt mares ranæ, dum fœminas ad coitum vocant. Neque aliter hoc intellexit, si ve-

ſi vera eſt viri illuſtris Hugonis Grotii *ad Jer.* 2. 23. explicatio, interpres Chaldæus. Is enim habet דמקלקלא ארחתהא *depravans vias ſuas*, h. e. uti exponit vir illuſtris, *a mare ad marem alium diſcurſitans*. Confirmat vir in Hebraicis verſatiſſimus Johannes Buxtorſius, *Lex. Hebr. R.* שרך qui ad hæc verba משרכת דרכיה *implicans vias ſuas*, notavit, *id eſt*, *huc illuc diſcurrens*, *æſtu libidinis*: *ſic tu fervore idololatriæ*. Hic ſenſus optime congruit huic loco. Gentem Judaicam cum meretrice comparat Propheta, quæ ſe cuilibet offert. Sic enim dicit: על כל גבעה גבהה ותחת כל עץ רענן את צעה זנה: *In omni clivo alto*, *&* *ſub omni arbore viridi*, *tu te proſternis*, *meretrix*. *Jer.* II. 20. H. e. inſtar meretricis, quę in lupanari proſtat, & cuilibet ſe proſternit, tu omnibus Diis te poſternis *ſub omni arbore viridi*, *&* *clivo alto*, h. e. iis omnibus ſervis. Ulterius vero, quo magis appareat rei fœditas, comparat cum animantibus maxime libidinoſis. Poſtquam notaſſet jactantiam illorum hominum, qui negabant, ſe eſſe idololatras, & volebant videri Deum colere, ac dicebant, ut meretrices ſolent, לא נטמאתי אחרי הבעלים לא הלכתי *Jer.* II. 23. *non polluta ſum*, *poſt Baalim non ambulavi*, vehementius invehitur, & ראי דרכך בגיא *vide viam tuam in convalle* dicit, Hinnonis nempe, in qua horrenda illa peragebatur Idololatria, ut ipſi parentes traderent liberos ſuos Molocho immolandos: דעי מה עשית בכרה קלה משרכת דרכיה *Cognoſce*, addit, *quid feceris*, *camelus junior*, *quæ vias circumit*. Quaſi dicat: Ne neges te fornicatam eſſe cum Baalim, cum id appareat vel ex valle Hinnonis, & ex eo quod feciſti, tu, quæ inſtar cameli junioris, quæ libidinis æſtro percita huc illuc vagatur, marem quærens, fervore idololatriæ undique diſcurris, Baalim quęrens, quibus te proſternas. Neque contentus, gentem Judaicam *camelum* vocare *catulientem*, pergit porro, & *onagrum Jer.* II. 24. vocat, fœminam nempe, quę ubi eminus olfecit marem, a nemine inhiberi poteſt quominus ad eum currat, imo quę neminem recuſat vel in ipſis menſtruis. Hic enim ſenſus eſt verſus ſequentis, uti prolixe poſſem oſtendere, & evidenter. Hęc de hoc obſcuro & intricato loco non inepte mihi videor animadvertiſſe.

X. Uti calcei, & ſoleæ, apud veteres plerumque ex corio conficiebantur, ita & corrigiæ, ſive teretes habenæ, ex corio fiebant. Legimus quidem vinculis aureis nonnullos olim ſua calceamenta pedibus aptaſſe, uti Athenæus *lib.* XII. *cap.* XI. de Parrhaſio refert, quod χρυσοῖς τε ἀνασπαστοῖς ἐπέσφιγγε τῶν βλαυτῶν τοὺς ἀναγωγέας, *aureis habenis conſtringebat calceorum anſas*: De iis etiam viri doctiſſimi illud Manilii *lib.* v. interpretantur:

> — *Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla*.

Quod tamen de periſcelidibus, ſive catenulis aureis, quas ornatus gratia mulieres circum crura geſtabant, ſequenti capite oſtendam intelligendum. Sed plerumque pariter uti soleæ, ex corio veterum corrigiæ fuerunt. Hinc Iſidorus, *Orig. lib.* XIX. *cap.* 34. a *corio*, *corrigias* vult dictas: *Corrigiæ*, inquit, *a corio vocantur*. Etiam hinc *lora* dicuntur. Juvenalis:

> *Vel nodus tantum*, *&* *ſignum de paupere loro*,

Ad quem locum Scholiaſtes *lorum* exponit *Parthicam corrigiam*. Apud Hebræos etiam corrigias calceamentorum ex corio fuiſſe non dubitandum videtur. Etenim, uti ipſorum ſoleæ ex corio conficiebantur, quod prolixe oſtenſum ſuperius, ita corrigiæ, ſive habenæ teretes, ex corio fuerunt. Hinc Talmudici *Schabbat fol.* 60. *in Miſna.* *&* *Mikvaoth cap. ult.* corrigiam vocaut עור הסנדל, *corium calcei*, & שנץ, quod *lorum* notat, ex corio confectum. Nata hinc eſt inter Hebræos loquendi ratio παροιμιώδης, qua pro re vili, & fere nihil, *calceamenti corrigiam* uſurpant. Nam uti calcei, cum ex corio eſſent, fuerunt viliſſimi, etiam corrigiæ non magni pretii ſunt habitæ. Jam ab antiquiſſimis temporibus hic loquendi modus uſitatus fuit. Abrahamus enim Regi Sodomæorum dicit, ſe ex omnibus quæ ipſius erant, non accepturum מחוט ועד שרוך נעל *a filo uſque ad corrigiam calceamenti*. *Gen.* XIV. 23. Scilicet Abrahamus, cum indicare vellet, ne viliſſimum quid ſe accepturum in præmium pugnæ, hoc eſt, nihil omnino, calceamenti corrigiam appellavit, quaſi nihil vilius tenuiuſque dici poſſet, calceamenti vinculo. In hunc ſenſum jam olim Chryſoſtomus *Hom.* XXV. *in Gen. Delr. Adag. pag.* I. *Num.* 17. hæc verba explicavit, & ex eo Martinus Delrio formulam eſſe adagialem monuit, qua negat Abrahamus ſe *calceamenti corrigiam*, hoc eſt, nihil omnino, ne viliſſimum quidem, ex præda accepturum. Quam mentem eſſe hujus loquendi formulæ etiam nemo interpretum ignorat.

VI. Deſumta eſt ab his corrigiis, ſive vinculis, quæ plane neceſſaria ſunt in

in soleis, alia loquendi apud veteres ratio, qua *vincula demere*, *vinclis pedem exuere*, *vinclis crura resolvere*, pro calceos, sive soleas, exuere usurpant. Ovidius *Metam. lib.* III. *vers.* 168.

Vincla duæ pedibus demunt. ——

Virgilius *lib.* IV. *Æneid. vers.* 518.

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta.

Ovidius *de Arte amandi lib.* III. *vers.* 272.

Arida nec vinclis crura resolve suis.
Etiam detrahere vincula dixerunt.

Tibullus *lib.* I. *Eleg.* V.

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Quod Terentius *Heaut. Act.* I. *Sc.* I. *vers.* 72. dixit *soccos detrahere*, in illo vulgato: *Accurrunt servi, soccos detrahunt.* Similis loquendi ratio apud Jesaiam exstat, quam tamen aliter intellexerunt interpretes. Gentem validam contra Judæos se excitaturum minatur Deus, quæ semper foret in procinctu, atque ad ducum nutum parata *Esai.* v. 27. Verba hæc sunt: אין עיף ואין כושל בו לא ינום ולא יישן ולא נפתח אזור חלציו ולא נתק שרוך נעליו: *Non est lassus, & non est impingens in ea: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, neque detrahetur corrigia calceamentorum ejus.* Verbum נתק hic in *rumpendi* significatione accipiunt interpretes, vertuntque, *nec rumpetur corrigia calceamentorum ejus.* Quemadmodum autem iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti contingit abrumpi, non parvo abruptio illa impedimento est, ita ut iter inceptum retardet, ita hic indicari nullam moram objici ipsorum consilii volunt. Sed hi non videntur observasse, verbum נתק hic accipiendum potius in *detrahendi* significatione, atque hoc dictum non impersonaliter intelligendum esse, sed active, uti vulgo loquuntur. Etenim לא נפתח אזור חלציו ולא נתק שרוך נעליו: *non solvetur zona ejus, aut detrahetur corrigia calceamenti ejus*, idem est ac si dictum sit, *Non solvent zonam, aut detrahent corrigiam calceamenti.* Gentem enim spectat validam quam non tantum prædicat Propheta, *nullum in ea esse defessum aut labantem, nullum qui dormitaret, aut dormiret*, verum etiam, *neminem zonam suam soluturum, aut detracturum corrigiam calceamenti.* Sic non referri potest ad abruptionem corrigiarum, quæ non parvo properantibus impedimento est, sed descriptio est strenuorum hominum, qui *neque zonam solvent, aut detrahent corrigiam calceamenti.* Scilicet Propheta canit, eam gentem, quam contra Judæos excitaret Deus, semper futuram in procinctu, atque ad ducum nutum paratam, ita ut nec zonam solveret, nec calceos suos extraheret unquam. Quod indicare totius narrationis series videtur. Sane לא נפתח אזור חלציו *non solvetur zona ejus*, nulla alia ratione potest intelligi, quam homines futuros semper ad prælium paratos. Unde optime notarunt viri eruditissimi, qui novissimam Belgarum versionem notis illustrarunt: *Sy sullen steeds veerdigh zyn om te stryden, staande gevvapent tot aller ure.* Hoc est, *semper parati erunt ad prælium, omnibus horis armati.* Hinc nec id quod sequitur, לא נתק שרוך נעליו *non detrahetur corrigia calceamenti ejus*, aliter intelligi potest, quam illos nunquam calceos extracturos. Verbum נתק itaque non ea notione sumendum est, qua acceperunt interpretes, sed quam & alias obtinet, cum *detrahere* significat. Locus evidens apud Jeremiam XXII. 24. est, in quo nihil aliud, quam *detrahere*, significare potest. Sic enim Deus de Chonia, Jojakimi filio, Rege Judæ, dicit: כי אם יהיה בניהו בן יהויקים מלך יהודה חותם על יד ימיני כי משם אתקנך: *Quod si esset Chonia, filius Jehojahim, regis Judæ, annulus in manu mea dextera, inde detraherem te.* Ita לא נתק שרוך נעליו *non detrahetur corrigia calceamenti ejus*, nihil aliud notat quam non exuet calceum suum. Est autem hæc admodum eligans strenuorum militum descriptio, qui, ut ad omnia sint parati, nec zonam solvere, nec caligas exuere dicuntur. Quam mire illustrat hic Callimachi *Hymn. in Delum vers.* 231. & *seq.* locus, in quo de Iride canit:

Τῇ ἰκέλη Θαύμαντος ὑπὸ θρόνον ἵζετο κέρη.
Κείνη δ' ἐστέποτε σφετέρης ἐπιλήθεται ἕδρης,
Οὐδ' ὅτε οἱ ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν ὕπνος ἐρείσει.
Α'λλ' αὐτῦ μεγάλοιο ποτὶ γλωχῖνα θρόνοιο
Τυτθὸν ἀποκλίνασα καρήατα, λέχριος εὕδει.
Οὐδέποτε ζώνην ἀναλύεται, ἐδὲ ταχείας
Ε'νδρομίδας. μή οἱ τὶ καὶ αἰφνίδιον ἔπος εἴπη
Δεσπότης.

Huic

Huic similis Thaumantis filia, infra
solium sedebat.
Ipsa autem nunquam suæ obliviscitur
sedis,
Ne quidem quum ei obliviosam alam
somnus infixerit:
Sed ibi magni ad angulum solii,
Parum acclinato capite, oblique dormit.
Nullo quoque tempore zonam solvit,
neque pernices
Calceos: ne sibi quod improvisum verbum dicat
Hera.

VII. Vir doctissimus Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 21. aliter longe hunc locum exponit. Observat veteres, cum calceamenta pedibus inducerent, eaque pressius adstringerent, si quando corrigiam contingeret effringi, malum omen credidisse, adeo ut suscepta negotia desererent, uti diserte testatur Cicero *de Divin. lib.* 2. in Divinatione, ubi sic ait, *Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt observanda &c.* atque illud omnen veteres portendere credidisse, rem susceptam haud feliciter progressuram, aut sinistro aliquo casu impediendam: quemadmodum iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti contingit abrumpi, non parvo abruptio illa impedimento est, ita ut iter inceptum retardet. *Unde*, addit, *qui sacram paginam Glossa, quæ dicitur ordinaria, illustravit, locum illum Jesaiæ*: Non rumpetur corrigia calceamenti ejus: *Apposite sic interpretatur*. Non impedietur in itinere Dominus. *Ut eum significet re nulla retardandum, quin brevi sit in hostes iracundiæ suæ tela, vindice dextra, contorturus*. Sed, præterquam quod ex iis, quæ a nobis observata sunt, satis appareat, non ad omen aliquod hoc pertinere, sed ad militum summam alacritatem, qui ne quidem zonam solverent, vel calceos exuerent, erravit plane Glossæ, quæ dicitur, Ordinariæ compilator, atque in errorem induxit elegantissimum Balduinum. Etenim non de Domino dicitur, *non rumpetur corrigia calceament ejus*, sed de gente valida atque expedita, quam contra Judæos se excitaturum Dominus minatur.

VIII. Prætermittendum haudquaquam est, apud veteres proprium fuisse servorum ministerium, & quidem vilissimum, solvere corrigias, sive vincula calceorum domini, h. e. exuere calceos, uti jam dudum observarunt homines eruditi. Plato *in Symposio* Ὑπολύετε, inquit, παῖδες, Ἀλκιβιάδην, ἵνα κατακέηται. *Solvite calceos, pueri, Alcibiadæ, ut accumbat*. Æschylus *in Agam.*

—— ὑπαί τις ἀρβύλας
Λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός.

Aliquis mihi soleas solvat ocyus, quei itinerantis induebantur pedes. Vulgatum illud est apud Terentium *Heaut. Act.* I. *sc.* I. *Heaut. Act.* I. *sc.* I. *vers.* 72. *Accurrunt servi, soccos detrahunt*. Apud Plautum Dinarchus *Trucul. Act.* II. *sc.* IV. *vers.* 15. & *sc.* V. *vers.* 19. servis imperat:

—— *Deme soleas, cedo, bibam*.

Et Phronesium Ancillæ:

—— *Eho Pithecium,*
Face ut accumbam: accede. Adjutare
sic decet puerperam.
Soleas mihi deme.

De servis Lucilius canit *Sat. lib.* 3.

Cernuus extemplo plantas convestit honestas,
Et pedibus læva sycionia demit honesta.

Hinc Tibullus, *lib.* I. *Eleg.* V. cum vellet exprimere ad omne officium, etiam abjectissimum, pauperem fore præsto, ministerium solvendi calceorum corrigias adjungit:

Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus, & in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ,
Subjicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim perducet amores,
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Apud Hebræos idem etiam habitum fuit ut vilissimum ministerium. Hinc posside- ri servum maxime volebant, si emtor[1] servilia aliqua præstitisset opera, inter quę inprimis memorant, שהתירי מנעל לרבו או הנעילו: *ut solvat domino calceamentum, aut illud induat*. Scilicet inter vilissima ministeria recensebant calceorum vincula solvere, & calceos extrahere, atque hinc cum servum emerent, non alia oppignoratione utebantur, ut constaret eum in alterius domini potestatem migrasse, quam ut calceos ejus solveret, & indueret. Ex Maimonide *in* מכירה *cap.* 2. *ex Gem. Bab.* Kid-

Kidduschim fol. 22. 2., qui ex Talmude hauserat, hoc observavit Johannes Lightfotus *ad Matth.* III. II. Talmudicorum verba hæc sunt, עבר קטן כבהמה דמו תנו רבנן כיצר בחזקה החיר לו מנעלו או הוליך אחריו לביה המרחיץ הפשיטו הרחיצו סכו גררו הלבישו הנעילו הנביהו : *Parvus servus est veluti jumentum, tradunt magistri nostri. Quomodo emitur servus* בחזקה *Solvit ementi calceum, portat post eum quæ ei necessaria ad balneum, devestit eum, lavat, ungit, fricat, revestit, induit calceos, ac a terra levat*. Videri etiam potest Moses Mikotzi *Præc. affir.* 3. *& neg.* 177. Hinc natum est Johannis Baptistæ dictum, qui, ut se quam maxime præ Christo deprimeret, indignum dicit, *λύσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ*, *solvere corrigiam calceamentorum ejus*, uti referunt, Marcus I. 8., Lucas III. 16., Johannes I. 27. *Act.* XIII. 5. & Paulus. Id idem est ac si dixisset, non sum dignus ut hoc vilissimum obeam excalceandi munus. Tradit Rab. Moses ben Maimonid. *in Talmud. Thora cap.* 5. כל המלאכות שהעבר עשה לרבו תלמיד עושה לרבו ואם היה במקום שאין מכירין אותו ואין היה לו תפילין וחש שמא אמרו לו עבר הוא אינו נועל לו מנעלו ואינו חולעו : *Omnia opera, quæ servus præstat Domino suo, discipulus præstat magistro suo. Quod si fuerit in loco in quo non norunt eum, neque sint ipsi Tephillin, & sollicitus sit ne forte dicant ipsi, servus est, non induit ipsi calceum ejus, neque ipsi extrahit*. Ea Maimonides ex Talmude Babylonico *tractatu Cethubbot cap.* II. *fol.* 96. *a.* desumsit. In eo enim legimus. אמר רבי יהושע בן לוי כל מלאכות שהעבר עושה לרבו תלמיד עשה לרוו חוץ מהתרת לו מנעל אמר רבא לא אמרן אלא במקום שאין מכירין אותו אבל במקום שמכירין אותו לית לן בה אמר רב אשי ובמקום שאין מכירין אותו נמי לא אמרן אלא דלא דלא מנח תפילין אבל מנח תפילין לית לן בה : *Dixit Rabbi Josua filius Levi: omnia opera, quæ servus præstat domino suo, discipulus præstat magistro suo, præter solutionem calcei ejus. Dixit Rabba: Non dicimus hoc, nisi in loco in quo non norunt illum: sed in loco in quo norunt illum, non est nobis in eo*, exemtus scilicet a solvendo calceo. *Dixit Rab Asche, etiam in loco, in quo non norunt eum hoc non dicimus, nisi quando sibi non applicuit Tephillin: sed quando applicuit sibi Tephillin, non est nobis in eo* a solvendo calceo exemtus. Admodum sollicite scilicet cavent Rabbini, ut in iis locis magistro suo id officium non præstet discipulus, ubi non satis notum est eum esse discipulum, ne ex ipso opere existimaretur servus, cum alias, ubi notum est ipsum discipulum esse, non vero servum, hoc etiam officium a discipulo præstari suo magistro velint. At Johannes Baptista, quo se magis deprimat, & Christum extolleret, ne ad hoc quidem officium dignum se pronuntiat, ut solvat, & exuat calceos ejus. Dictum Johannis Matthæus III. IX. refert: *οὗ οὐκ εἰμὶ τὰ ὑποδήματα βαςάσαι. Cujus non sum dignus calceamenta portare* Sed de eo loco infra prolixius *lib.* I. *cap.* 8.

CAPUT VIII.

I. *Calceus licet immundissima pedum tutela sit, in eo tamen magnus olim luxus, præcipue fœminarum fuit.* II. *Hebræorum mulieres iis luxuriasse multi observant ex* Jes. III. 18. III. *Multa & diversa istius vocis interpretamenta.* IV. עכסים *ornamentum simile compedi.* V. *Compedes aureas in pedibus, itidem ut armillas in brachiis, olim fœminæ gestarunt, non in oriente tantum, sed apud Græcos etiam, ac Romanos.* VI. *Locus* Jes. III. 16. *exponitur.* VII. *Petronii Satyricon quatuor locis emendatum.*

I. Quamvis calceus *immundissima pedum tutela* sit, ex sententia Tertulliani *Pal. cap.* V. *& ibid. Salm.* ut pote qui pulvere & luto sæpe est sordidus, quod eleganter exprimit Querolus, non Plautinus, apud virum incomparabilem Claudium Salmasium:

> *Sume laneos cothurnos, semper restuos calceos,*
> *Quos pluvia solvat, pulvis compleat, cœnum & sudor glutinet.*
> *Sume calceos humili fluxos tegmine,*
> *Quos terra revocet, fraudet limus concolor.*

Magnus tamen in calceis fuit veterum luxus. Præcipue mulierum, uti hoc genus est ad superbiam proclive, pompa in calceis olim summa fuit. Perstrinxerunt hoc vitium Patres antiquissimi, Tertullianus *de cultu Fœmin. cap.* 7., & Clemens Alexandrinus *Pædag. lib.* II. *c.* II. deque eo multa viri eruditissimi Nicolaus Serrarius *in Judith cap.* 10., Benedictus Balduinus *cap.* 6. & Philippus Rubenius *Elect. lib.* 2. *cap.* 14. notarunt.

II. Si multis sacrorum voluminum interpretibus fides, etiam mulieres Hebrææ, & præcipue virgines, luxum non mediocrem in calceis posuerunt. Perstringit Jesaias III. 18. seculi sui vitia, atque inter alia quæ Deum ablaturum dicit,

cit, תפארת העכסים commemorat, quæ *ornamenta calceorum* interpretantur. Ita Chaldæus habet תושבחת דמסניא quod eſt, uti Vulgatus reddit, *ornamentum calceorum*. Rab. Iſaak Abarbanel *ad h. l.* filias Zion, eo quod eminuiſſe dicantur, altis uſas fuiſſe calceis, ad magnitudinem ſtaturæ corporis conciliandam exiſtimat. Quod etiamnum ſolemne eſſe apud Venetos, atque inde natum dicterium facetum, & ſalſum, viri maximi Julii Cæſaris Scaligeri in Italicas mulieres, & earum maritos, quos *uxorum ſuarum dimidium in lectis genialibus amplecti, altero earum dimidio cum calceis depoſito*, dixit, refert vir elegantiſſimus Benedictus Balduinus *de Cal. Ant. pag.* 147. Imo addit Abarbanel, ex iis quæ in Joma legimus, & Schabbath, *quod calceamentis ſuis indiderint myrrham, & balſamum. Etiam ornamenta calceorum* exponunt plures.

III. Non mirum multos interpretes in hanc ſententiam adductos, cum vox עכסים ſit obſcura, & ab omni tempore varie reddita. LXX. habent: τὴν δόξαν τοῦ ἱματισμοῦ αὐτῶν, *gloriam veſtimenti earum*. Hos Syrus, & Arabs ſequuntur. Monet etiam Abarbanel *ad hoc loc.* filias Zion pedibus ſuis induxiſſe עכסים, quarum agitatione tanto melius audirentur, aut quod portaverint mundum pretioſum in pedibus ſuis, e gemmis ſcilicet aut margaritis, ac motu ſuo pedem pedi alliſerint, ut hac ratione monilium ſonantium perciperetur ſtrepitus. Placuit hoc Kimchio, *ad h. l.* qui עכסים vult fuiſſe *crepitacula tinnientia*, quæ mulieres in pedibus geſtarunt. Hujus ſententiæ meminit Franciſcus Vatablus. *ad h. l. Alii*, inquit, *volunt ornamentum pedum fuiſſe, non abſimile illi, quo utuntur mulieres Hiſpanæ, quæ crepidas geſtant cum tintinnabulis dum ſaltant.* Præter Sancten Paginum, & Valentinum Scindlerum, *in Lex. ad vocem* עכס eam amplectitur vir illuſtris Hugo Grotius. *Grotius ad h. l. R. Levi ad Prov.* 7. 22. *Sed* עכס, inquit, *ut docent nos Hebræi, erant crepitacula in pedibus mulierum, quibus inter ſaltandum utebantur*. R. Levi Ben Gerſon Scribit: העכסים הם כמו תכשטין נושאות איתן ברגליהן כאמר וברגליהן תעכסנה: *Achaſim ſunt ſicut ornamenta, qua geſtant mulieres in pedibus ſuis, ſicut dicitur, & in pedibus ſuis* תעכסנה Alludit ad ea verba, quæ paulo ſuperius occurrunt. *Jeſ.* IIII. 16. Magnus Theologus Franciſcus Junius *ad h. l.* ornamenta vult fuiſſe cruralia, quibus veluti compedibus, utrique cruri alligatis, diſcerent modificare greſſus. Præiverunt viro magno Talmudici, *in Schabbat.* qui hæc ornamenta geſtaſſe Hebræorum puellas volunt, ne paſſus facerent majores, & detrimentum accederet earum virginitati. Belgæ vertunt *het cieraat der couſſebanden*, neſcio quos infelices interpretes ſecuti. *Periſcelides* reddunt viri doctiſſimi Buxtorfius & Coccejus, *in Lex. Hebr. ad vocem* עכס quam interpretationem alii quoque amplectuntur, & inprimis vir ſummus Ludovicus de Dieu. *ad h. l.*

IV. Inter tam varias, atque diſcrepantes, qua veterum, qua recentiorum ſententias, ſola eorum vera eſt, qui עכסים eſſe *compedes*, ſive *periſcelides*, volunt. Evidentibus rationibus enim oſtendi poteſt non difficulter, עכסים nihil aliud quam *compedes*, ſive *periſcelides* eſſe, quas in cruribus mulieres geſtarunt. עכס *compedem* notare dubium haud quaquam eſt. In Salomonis Proverbiis VII. 22. enim occurrit hoc ſignificatu. וכעכס, אל מוסר אויל *& tanquam in compede ad caſtigationem ſtulti*, dicit Rex ſapientiſſimus, ubi eum, qui meretricem ſequitur, cum bove comparat, qui ad macellum ducitur, & cum ſtulto, qui in vincula, ſive compedes, implicat ſe ipſum. A עכס, eſt plurale עכסים, quod nihil aliud quam *campedes* ſignificare poteſt. Sed cum עכסים ſint inter mulierum ornamenta, quid aliud, quam ornamentum, quod ſimilitudinem compedum habet par eſt intelligi? Vidit hoc Aben Ezra, *ad h. l.* qui notavit: העכסים דומים לכבל *Aſchaſim ſimiles compedi*. Neque abludunt Talmudici, *in Schabbat. & in Ge. cap. 6.* qui בכלים appellant, & diſputant an ſit licitum cum eis egredi in Sabbatho. Quid autem ſint כבלים in Gemara traditur: *Catenulæ videlicet aureæ, quibus pedes ligabant puellæ, ne nimis latos facerent paſſus*. Quod etiam in Gloſſa, & in libro ſuo Jad Chazaka, Rabbinorum doctiſſimus Moſes ben Maimon ſcribit. Qna in re, uti vanum atque futile eſt quod de בכלים tradunt Talmudici, eum in finem geſtatas fuiſſe ab Hebræorum puellis, ne paſſus facerent majores, & detrimentum accederet earum virginitati, ita recte notatnm eſt, catenulas aureas, ſive compedes fuiſſe. Quod Maimonides *in Gloſſa ad Tract. Sabbat. cap. 6.* confirmat, qui ornamentum pedum fuiſſe putat, quales armillæ fuerunt brachiorum. Sic enim ſcribit: כבלים עכסים בצורת האצעדה: *Kebalim ſunt Achaſim ad formam armillarum*. Scilicet כבלים, qua voce Talmudici utuntur pro pedum ornamento, cum quo fas non eſt egredi Sabbatho, idem cum עכסים eſſe obſervat, & in modum armillarum fuiſſe. E quibus colligere proclive eſt,

עכסי

עכסים nullum aliud fuiſſe ornamentum, quam compedum aurearum, quas in cruribus geſtabant mulieres.

V. Hoc fiet longe veriſimilius, ex eo veterum more, qui non in Oriente tantum, ſed apud Græcos etiam atque Romanos fuit, ut mulieres aurea vincula, vel compedes, in cruribus geſtarent. In Oriente, uti magnus olim fuit armillarum uſus, qui jam invaluerat ætate Abrahami, *Gen.* XXIV. 20. ita עכסים, hoc eſt, aureas compedes, inſtar armillarum, in pedibus mulieres habuerunt. Quod olim in Oriente tam frequens fuit, ut etiam nunc hic mos obtineat. Monuit id ex ore viri CL. Jacobi Golii vir ſummus Ludovicus de Dieu. *ad h. l.* Poſtquam eorum recitaſſet ſententiam, qui עכסים *periſcelides* volunt, hæc ſubjungit. *His aſſentimur, poſtquam a doctiſſimo viro D. Golio, qui per Orientem peregrinatus eſt, accepimus, uſitatum etiamnum eſſe in Oriente in opulentioribus familiis, ut infantum pedes circa talos laminis aureis unius aut duorum digitorum, interdum & quatuor ubi adultiores ſunt, latitudine, tanquam compedibus concludantur, non ad tinnitum faciendum, neque ad greſſus modulandos, ſed ſolius ornamenti & opulentiæ teſtandæ gratia, ut & Propheta hic vocat* תפארת העכסים *ornamentum compedum. Neque ſunt compedes, quibus pes pedi alligatur, ut cum equi aut muli tollutim incedere docentur, ut volebat D. Junius, ſed ſingula compes ſingulo pedi aptatur ſeorſim, eumque ambit.* Apud Græcos etiam earum uſum frequentem fuiſſe Pollux *lib.* II. *cap.* 16. docet, apud quem ἐν γυναικείῳ κόσμῳ *in mundo muliebri* ponuntur: περισφύρια, περιπεζίδες, περιπέζια & tandem περισκελίδες *Periſcelides* vero ſunt, ut in Gloſſis eſt, *Ornamenta, vel circuli aurei crurum muliebrium*: Omnes enim errant qui *periſcelides* femoralia putant. Inter quos Julius Nigronus. *Nam etſi* σκέλος, *ſit crus, unde periſcelides; tamen non tibialia dicuntur periſcelides, ſed femoralia.* Omnino perperam, cum *periſcelides* nihil aliud ſint quam ornamenta crurum muliebrium. Quomodo & Horatii Scholiaſtes *ad lib.* I. *Ep.* 17. ad hæc verba.

> *Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam*
> *Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis* ——

Periſcelidem interpretatur: *Ornamentum pedis circa crura.* Maximus Salmaſius *ad Lampridii Alex. Sev. cap.* XI. *periſcelidem* deſcribit *vinculum aureum, quod in cruribus geſtabant mulieres ſolæ*, atque hæc verba Senecæ *in Hyp. Act.* I. *verſ.* 321. de *periſcelide* interpretatur, ubi Herculi apud Omphalem agenti tribuitur, quod

> *Crura diſtincto religavit auro*
> *Luteo plantas cohibente ſocco.*

Quæ magnus Caſaubonus, *ad Svet. Aug. cap.* LXXXII. eumque ſecutus Benedictus Balduinus, *de Calc. Ant. cap.* 16. & alii nonnulli, de faſciis cruralibus non recte acceperunt, cum *nunquam annulus, aut vinculum aureum, faſcia dicatur.* Rectiſſime ſane:

> *Crura diſtincto religavit auro,*

non niſi de *periſcelide* capi poteſt, quæ vincula, ſive compedes, ex auro fuerunt, *quibus ſibi mulieres ornamenti gratia crura vinciebant, & armilla cruralis potius diceretur, quam faſcia*, uti monuit ὁ πάνυ: Id enim oſtendunt Senecæ verba præcedentia:

> *Paſſus aptari digitis ſmaragdos,*
> *Et dari legem rudibus capillis.*

Scilicet poſt ornatum digitorum, atque capillorum, addit:

> *Crura diſtincto religavit auro,*

ut ſignificet aureas compedes, ſive *periſcelides*, inter pedum ornamenta fuiſſe. De iiſdem Octavius Ferrarius, *de Re Veſtim. Part.* I. *lib.* 3. *cap.* 17. decus ſui Patavii, hunc locum Plinii *lib.* XXXIII. *cap.* 3. exponit. *Habeant fœminæ in armillis, digitiſque totis, collo, auribus, ſpiris: diſcurrant catenæ circa latera, & inſerta margaritarum pondera e collo dominarum pendeant, ut in ſummo quoque unionum conſcientia adſit: etiamne pedibus induitur, atque inter ſtolam plebemque hunc medium fœminarum equeſtrem ordinem facit!* poſtrema ſcilicet verba de *periſceliis*, & aureis pedum vinculis, interpretatur. Aliter quidem de hoc loco diſputat vir politiſſimus Albertus Rubenius, *de Re Veſt. lib.* I. *cap.* 16. atque hæc pedum vincula anſas, ſive obſtrigilla ſolearum fuiſſe putat, quæ ex auro erant. Sed hæc caſtigavit Octavius Ferrarius, *in Analectic. cap.* 21. maxime cum in re ſimili dicat Plinius: *lib.* XXXIII. *cap.* 12. *Argentum ſuccedit ex re aliquando & auro, luxu fœminarum plebis, compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Quem locum fruſtra doctos viros calceorum orna-

natum explicare contendit, cum de crurum vinculis Plinius loquatur, quæ argentea a plebe gestata innuit, cum jam aurea fastidiri cæpissent. Cui expositioni Octavii Ferrari eo lubentius accedo, quia Plinius hæc ornamenta *compedes* vocat, eodem modo uti Hebræis עכסים appellant, quæ vox eorum lingua *compedem* notat. Cum Ferrario de his *periscelidibus* etiam caperem Petronii, & Manilii loca, quæ Albertus Rubenius itidem de ansis, sive obstrigillis, accepit. Mulierem omnibus simulacris emendatiorem ita Petronius *in Satyr.* describit: *Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor extinxerat.* Sane auri gracile vinculum nihil aliud fuisse quam *periscelidem* puto. Manilius *lib.* v. vero inter alia ornamenta recenset:

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Quem locum non Rubenius tantum, verum etiam alii homines eruditissimi, de ansulis, sive obstrigillis, interpretati sunt. Mihi vero de aureis pedum vinculis sive *periscelidibus* intelligendum esse præcedens versus ostendere videtur.

Perque caput ducti lapides, per colla manusque.

VII. Docere hæc possunt quid sacer vates velit, cum paulo ante in filiabus Zion culpet, וברגליהן תעכסנה *Jes.* III. 16. quæ verba varie reddunt interpretes, ut solet fieri in vocibus quæ tantum semel, aut raro, reperiuntur. Nulli dubium esse potest, cum עכס sit *compes*, h. e. ornamentum instar *compedum*, quod in cruribus mulieres habuerunt, quin verbum inde deductum *compedes gestare*, vel *compedibus vincire*, notet. Ut omnino sit, *& in pedibus compedes gestant.* Quod cum tota orationis serie optime convenit, ac præter viros summos Buxtorfium, & Coccejum, *in Lexic. Hebraic.* de Dieu, *ad h. l. & Belgæ* & complures alios, etiam rectissime monuerunt accuratissimi Belgæ interpretes, quorum hæc est nota: *Maar de meeste en voornaamste verstaan 't van kostelijke bœykens, of vercierselen aan de vœten, hebbende het fatsoen van bœykens.* h. e. *Sed plurimi & præcipui intelligunt de pretiosis compedibus, aut ornamentis pedum, quæ habebant formam compedum.* Quod tamen in versione sua non expresserunt, in qua habent: *En als of hare vœten gebonden vvaren*, hoc est, *& qua pedes earum vincti essent.* Vertendum: *En dragen boeykens aan hare vœten*, hoc est, *gestant compedes in pedibus.*

VIII. Quæ de aureis compedibus, sive pedum ornamentis, quæ *periscelides* vocantur a priscis scriptoribus, disputata sunt, in memoriam mihi revocant *perystilii* vocem, quam non inepte mihi videor Petronio *Satir.* reddidisse, cujus locus vulgo corruptissime legitur. In medio fere Satyrici Lycas somnium suum narrat: *visum sibi esse Priapum secundum quietem dicere, Eucolpion, quem quæris, scito a me in navem tuam esse perductum: Tryphæna vero respondet, putes nos una dormiisse, nam & mihi simulachrum Neptuni, quod * Baistor asylo notaveram, videbatur dicere, in navi Lycæ Gitona invenies.* Viros eruditissimos torquent verba mendosa, *quod * Baistor asylo notaveram.* Illustrissimus Josephus Scaliger legendum censet, *Quod Bais cestro ac stylo notaveram.* Bourdelottius dubitanter, *quod Bais ter asylo notaveram.* Gonsalius, nobilis Hispanus: *Quo Deo nuncupata vota Bais ter stylo notaveram.* Miror profecto tot doctos homines, qui Petronium recensuerunt, latere potuisse, legendum: *Quod Bais in perystylio notaveram. Peristylium* locum esse columnis cinctum, quales solent esse ambitus atriorum in magnatum ædibus, & olim fuerunt omnium templorum, nemo ignorat. Usus ea voce Svetonius *in Aug. cap.* 82. *Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio, saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat.* Quam conjecturam jam dudum probavi viro ingenio & doctrina recondita inprimis hujus seculi conspicuo, Johanni Georgio, Grævio, cujus judicio multum tribuo. Sed & alia, quæ eo tempore in Petronii Satyrico emendabam, magno doctori nostro placuerunt. Non multo post pro eo quod vulgo legitur: *Utinam quidem sufficeret largior scena &c. non mehercules pœnam istam differrem*: Palmerius, Pithæus, Guilhelmius, Fr. Daniel, & Janus Douza legunt, *peram istam differrem. Pera* autem ipsis est Græcorum πεῖρα, *tentamentum* sive *experimentum*, ut *peram istam non differrem*, sit, non differrem experiri. Mihi vero legendum videbatur, *Non mehercules peram istam diu ferrem*, hoc est, cito abjicerem istam peram mendicorum gestamen. Quam conjecturam sequentia confirmant: *Sed continuo vos ad magnas opes ducerem vers.* 33. In elegantissimo carmine de Bello Civili, inter seculi sui luxum recenset, quod.

— *Si-*

——— *Siculo Scarus æquore mersus*
Ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas.

Vir eximius & singularis eruditionis Hadrianus Junius, pro *vendunt*, legit *condunt*. Sed id merito Colladonius improbat, qui tamen inepte retinet *vendunt*, & explicat *pretiosas faciunt*. Neque melius vir plurimæ lectionis Caspar Barthius, qui hæc verba declarat: *Totarum cœnarum pretiis conchylia comparantur*. Mihi legendum videbatur *tendunt*. *Tendunt conchylia cœnas*, est extendunt, diutius protrahunt, scilicet.

Ut renovent per damna famem —

quod mox subjungitur. Vitium quoque mihi deprehendere visus sum, interpretibus non animadversum, non procul ab initio Satyrici. Narrat autor lepidissimus, *Eucolpium cum Aschylto deficiente jam die venisse in forum, raptumque latrocinio pallium detulisse, cujus extremam laciniam cum cœpissent concutere, si quem forte emtorem splendida vestis posset adducere, rusticum quendam accessisse, qui diligentius considerare pallium cœpit. Aschylton vero cum supra humeros rustici contemplationem injecisset, animadvertisse eum ipsum esse, qui tuniculam in solitudine invenerat, eamque adhuc intactis aureis plenam esse, & Eucolpio indicasse thesaurum illum rediisse. Quem cum Eucolpius legibus repetere vellet, Aschylton contra leges timuisse, cum illos eo loco nemo novisset. Itaque Aschylto plane placuisse, ut emerent, cum longe foret consultius parvo ære thesaurum comparare, quam in embiguam litem descendere. Sed cum præter unum dupondium ficilicumque, quibus lupinos destinaverant mercari, nihil ad manum esset, ne interim præda discederet, vel minoris pallium addicere voluisse, ut pretium majoris compendii leviorem faceret jacturam*. In postremis verbis mendum latere mihi visum est, & scribendum: *Ut pretium majoris compendii faceret jactura*. Hoc enim dicit Petronius, *levior illis placuisse pallium minoris addicere*, id est minori pretio quam justum erat vendere, ut *levior jactura*, in pallio, *pretium faceret majoris compendii*, hoc est pecuniam suppeditaret qua majus lucrum facerent, id est illam tuniculam, intactis aureis plenam, possent emere. Sed hæc præter institutum & pensum nostrum, ad quod nos revocamus.

CAPUT IX.

I. *Lunula Patritii calcei apud Romanos ornamentum*. II. *Hebræorum fœminas lunulis calceos ornasse, conjicit Balduinus ex* Jes. 18. III. *Error Balduini, & Vulgati interpretis*. IV. *Frequens in oriente lunularum usus vetustissimis temporibus, ex Lunæ cultu ortus*. V. *Lunulæ, non calceorum, sed colli ornamentum*. VI. *Multorum circa formam lunularum error*. VII. *Nomen* מני, *Meni* Jes. LXV. 11. *Obscurum*. VIII. *A* מנה, *numerare, Lunam notat, quia per Lunas annos, & menses, veteres numerarunt*. IX. *Arabum Idolum Menath* Luna. Μὴνη. XI. *Dea* Mana *apud Romanos*. XII. מני, Meni *idem Numen cum eo, quod* Μὴν *a Græcis dicitur, adeoque* Luna. XIII. LXX. *interpretum versio, non intellecta, explicatur*. XIV. *Ritus vetustissimus Ægyptorum*.

I. Romanos olim lunulas in calceis gestasse, & hoc fuisse summæ nobilitatis argumentum, Senatoresque Patritios lunatos calceos habuisse, ut ab aliis distinguerentur, nemo, qui literis humanioribus vel leviter tinctus est, ignorat. Nam, & plurima occurrunt scriptorum veterum loca, quæ harum lunularum faciunt mentionem, ad quas Poetæ inprimis frequenter alludunt, & in exponendo hoc insigni calceorum ornamento, multum studii operæque posuerunt Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 9. Marcus Zuerius Boxhornius, *ad Quæst. R. Plut.* Claudius Salmasius, *ad Dedic. Statuæ Regilæ*: Albertus Rubenius, *de Re Vest. lib.* 2. *cap.* 4. Octavius Ferrarius, *in Anal. cap.* 35. & alii plures.

II. Sed, non soli fuerunt Romani, qui adsuta lunula Patritiorum calceos ornarunt, id ipsum *etiam factitatum est ab illustribus Hebræorum fœminis*, si fidem habemus viro elegantissimo Benedicto Balduino *de Calceo antiquo cap.* IX. Is enim, cum multa de Patritiorum lunatis calceis disseruisset, idem in Hebræorum mulieribus sibi videtur observasse. *Idem*, inquit, *etiam ab illustribus Hebræorum fœminis olim factitatum, facile est ex Isaia colligere: ille enim mulieribus illis, quod in vestibus calceamentisque nimium essent luxuriosæ, divinam vindictam minitans*, in die illa, *inquit*, auferet Dominus ornamentum calceorum vestrorum, & Lunulas, &c. *Ubi non obscure liquet, Lunulas illas, seu fibulas, (quæ sane vel erant aureæ, vel saltem argenteæ) ad ornamenta cal-*

calceorum pertinuiſſe. Putavit videlicet vir eruditus, *Lunulas*, quas apud Jeſaiam poſt *ornamentum calceorum* enumerari videbat, ad calceos pertinuiſſe apud illuſtres Hebræorum fœminas, uti apud Romanos fuerunt in calceis Patritiorum.

III. Verum erravit hic omnino elegantiſſimus Balduinus, & deceptus eſt ab interprete Vulgato. Tam facile in errores incidunt, qui Hebrææ linguæ ignari, ſolos interpretes conſulere coguntur. Præcedenti capite oſtendi ſat clare תפארת העכסים *ornamenta compedum* eſſe, quas aureas in Oriente mulieres habuerunt, ad ornamentum pedum, Vulgatumque interpretem, qui *ornamenta calceorum* tranſtulit, erraſſe. Sed idem non minus peccavit, cum id quod ſequitur, והשביסים *& lunulas*, reddit. Etenim hæc vox non notat *lunulas*, ſed ea quæ ſequitur והשהרונים, quam etiam *μηνίσκους* Græci interpretes verterunt. Si apud Vulgatum interpretem verbis tranſpoſitis legamus, *& torques*, *& lunulas*, reſpondebunt ea vocibus Hebræis. Sed error Vulgati interpretis in alium pertraxit Benedictum Balduinum. Nam cum legiſſet Deum ablaturum *ornamenta calceorum & lunulas*, putavit, *lunulas* ad ornamentum calceorum pertinere. Quod tamen ſecus eſt. Etenim, licet in Oriente frequens olim fuerit lunularum uſus, nunquam tamen lunulæ ornamenta calceorum fuerunt. De Turcis quidem nonnulli prodiderunt memoriæ, quod calceos habeant lunulis ferreis corniculantibus munitos. Sed vetuſtiſſimis temporibus inter ornamenta mulierum lunulæ aureæ e collo pendentes, non in calceis, fuerunt.

IV. In Oriente fuiſſe frequentem lunularum uſum liber Judicum oſtendit, in quo inter ornatum Regum Midianitarum שהרונים memorantur, quod ornamentum fuit lunularum in modum concinnatum. ענקיא *torques* vertit quidem Jonathan, & Vulgatus, tum *bullas*, tum *ornamenta*. Sed, qui ad Hebræam vocem adtenderunt diligentius, *lunulas* reddunt. Μηνίσκους habent LXX. interpretes. Niſi quod uno in loco in Veneta, & Complutenſi editione, legatur, *πλὴν τῶν σηρώνων*, quod eſt ipſum Hebræum שהרונים, unde *σηρώνων*, uti ex חבה factum eſt θήβη, vel θίβη, ex גיורא *γειῶρα proſelytus*, & ſexcenta alia, de quibus eruditi monuerunt, ubi tamen in editione Romana eſt, *πλὴν μηνίσκων*. Apud Chaldæos pariter, qui Lunam סהרא vocant, סהרנין ſunt *lunulæ*, ornamenti genus, a Lunæ ſimilitudine dictum, uti videre eſt in magno opere doctiſſimi Buxtorfii *Lex. Talm. ad eam vocem*, *pag.* 1444. Conſentiunt Judæorum magiſtri, qui vocem שהרונים exponunt, חלי כדמות ירח, *ornamenta ad ſimilitudinem Lunæ*. Quam ſignificationem plerique eruditi Hebrææ Linguæ interpretes exprimunt. Rectiſſime ſane. שהרונים enim nihil aliud fuerunt quam ornamenta aurea, ad Lunæ ſimilitudinem concinnata, qualia non tantum Midianitarum Reges, verum etiam ipſorum cameli geſtarunt, eodem modo uti in Parthenopæi equo apud Statium *lib.* IX. *Thebaid. verſ.* 689.

Jactantur niveo lunata monilia dente.

Eodem ornamento uti conſueverunt Arabes, & ab Arabibus ad Turcas propagata eſt hæc religio. Cujus rei origo non eſt obſcura. Primam gentium Idololatriam a Solis, atque Lunæ, & Cœleſtis machinæ cultu cœpiſſe jam diu animadverſum eſt a viris doctiſſimis. Videri poſſant quæ Johannes Seldenus, Angliæ ſuæ decus, & Gerhardus Johannes Voſſius, Bataviæ noſtræ magnum ornamentum, docuerunt. Inprimis inter Arabum, & Saracenorum, & aliorum Orientalium Deos, Luna fuit in ſummo honore. Hæ gentes enim a vetuſtiſſimis temporibus, Lunæ cultu perquam deditæ fuerunt. Hinc in honorem ejus habuerunt aurea monilia, quæ concinnata erant ad ſimilitudinem Lunæ. Plane uti etiam hodie, qui Eccleſiæ Romanæ nomen dederunt, inter monilia, cruces aureas, in honorem crucis, habent. Johannes Seldenus *de Diſ. Syris Syntagm.* 2. *cap.* 4. originem inde arceſſit moris Muhammedanorum, qui ſummis turrium & Moſchitarum faſtigiis lunulas imponunt, ut cruces Chriſtiani, quod in honorem Lunæ, a Muhammede, vetuſtioribus Hagarenis atque Saracenis, factum putat, a quo antiquiſſimo ritu excepere Muhammedani, contra ac vult vir illuſtriſſimus Joſephus Scaliger, *de Emend. Temp. lib.* 2. *&* 3. *Canon. Iſagog.* qui id fieri in Hegiræ Muhammedanæ, hoc eſt, fugæ Muhammedis ex Mecca memoriam, quæ biduo poſt verum Lunæ coitum, in initio nempe Menſis Muharam, & anni Arabici lunaris, corniculante jam Luna, accidit. Ab illo Orientalium more, cum Lunæ cultu, etiam aurea monilia, in Lunæ formam concinnata, habuerunt Hebræi.

V. Uti conſtat frequentem in Oriente fuiſſe lunularum, & quidem aurearum uſum, ita etiam certum eſt, colli ornamentum fuiſſe. Dubitare nos hac de re non ſinit liber Judicum. In eo enim hæ lunulæ pependiſſe dicuntur de camelorum col-

collis. Eodem modo, uti in Parthenopæi equo,

—— Nemorisque notæ sub pectore primo
Jactantur, niveo lunata monilia dente.

Animadvertisse hoc videtur Jonathan, qui ענקיא transtulit, quæ vox apud Chaldæos *torquem* notat, uti ab eadem *collum* עונקא vocant. Vulgatus interpres quoque, qui *bullas* reddit. *Bullas* enim apud Romanos fuisse globulos auro conflatos, quos pueri ingenui de collo suspensos gestabant, vel illi noverunt, qui Romanas antiquitates a limine tantum salutarunt. Quod Hieronymus confirmat, qui *ornamenta, & bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent*, exponit. Id omnes recentiores interpretes suo calculo probant. Neque id latuit Belgas, *ad Jud.* VIII. 21. qui, cum vocem שהרונים in libro Judicum optime reddidissent *maankens*, hac nota explicarunt: *Die goudene hals çierselen, die in 't Hebr. haren naam hebben van de Mane:* hoc est, *aurea colli ornamenta, quæ Hebraice nomen habent a Luna*. Hi tamen, nescio qua ratione inducti, cum apud Jesaiam eandem vocem recte vertissent *maankens*, *lunulas*, & addidissent: *Dit vvas een çieraat als maankens*, hoc est, *hoc erat ornamentum instar lunularum*, adjiciunt: *Heden ten dage dragen ook eenige in de oorlapkens kleyne maankens van goud, silver, of eenigh gesteente, of peerlen*, hoc est, *Etiam hodie nonnulli in lobis aurium gestant parvas lunulas aureas, argenteas, aut monilia, aut gemmas*, quasi loco inaurium hæ lunulæ fuissent, cum ornamenta fuerint, quæ e collo pependerunt, & pectus ornarunt, plane uti cruces aureas e collo pendentes gestant, quæ Romanam religionem amplectuntur, mulieres.

VI. Castigandus hic est multorum interpretum error, quem circa formam harum lunularum commiserunt. Lunulas nomen habuisse observant, quia rotundæ fuerunt instar Lunæ plenæ. Ita Franciscus Forerius *ad Jes.* III. 18. שהרונים *quoque sunt bullæ in modum lunæ rotundæ, quæ adbibebantur ornatus causa. Et quidem* סיהרא *Chaldæis Luna dicitur a rotunditate, &* סהר *rotunditas est Hebræis. Cant.* 7. Et Johannes Drusius *ibid. Cæterum οἱ ὁ hic ediderunt μηνίσκους, ut Lat. interpres, qui a* vulgo *nomen habet*, lunulas. *Sic Jud.* 8. 21. שהרונים *idem* μηνίσκους *lunulas. Qua voce usus est Plautus* Epidico,

Lunulam atque anellum aureolum in digitum.

Exponunt lapillum, sive gemmam rotundam, instar Lunæ. Alii, μηνίσκοι *sunt monilia ad Lunæ similitudinem in rotundum formata*. Consentiunt interpretes Belgæ *ad Jud.* VIII. 21. Neque abludunt Lexicographi, qui שהרונים, a סהר, *rotunditas*, derivant, ad quam radicem etiam retulerunt viri doctissimi Buxtorfius, & Coccejus *in Lex. Hebr.* Sed, quod pace tantorum virorum dixerim, falluntur. Veteres, Lunæ formam expressuri, eam mediam, vel corniculantem, exhibent. Lunula in calceis Romanorum, formam habuit Lunæ mediæ, vel corniculantis, unde Philostratus, *lib. de vit. Soph.* ἐπισφύελον ἐλεφάντινον μηνοειδὲς, vocavit, uti eleganter docuit vir politissimi ingenii Albertus Rubenius *de Re Vest. lib. cap.* 4. Id quam clarissime ex eo apparet, quod Isidorus effigiem numeri centenarii vult expressisse lunulam in calceis Romanorum. Verba Isidori sunt: *Luna autem in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio Patritii Senatores centum fuerint*. Non disputo hic quam bene Isidorum eo deflectat lunulæ formam, ut nota sit numeri centenarii, quot nimirum fuerunt primis Reipublicæ temporibus Senatores. Ex eo tamen constat, lunulas, Lunæ corniculantis effigie, fuisse in calceis Patritiorum. Nam cum



Lunam significare vult notam numeri centenarii, quid aliud indicat, quam fuisse

ſe lunulam corniculantem, quæ notam referret C. *Bald. de Calc. Ant. cap.* 9. Muhammedani quoque, qui ſummis turrium & Moſchearum faſtigiis, ex ritu, quem accepiſſe videntur ab antiquiſſimis Saracenis, ſive Iſmaelitis, Lunæ figuram imponunt, eam ſemper exhibent corniculantem. Turcarum calceos etiam, Lunis mediis, ſive corniculantibus, munitos deſcribunt, qui eas terras luſtrarunt. Nihil tritius eſt noſtris moribus, quam Lunam exprimere corniculantem. *Herbert. Itiner. pag.* 123. Lunulas, quas in auribus geſtant noſtra hac ætate mulieres, nemo ignorat ſemper corniculantes eſſe. Lunulæ quoque, quibus ditiores equorum ſuorum frontem ornant, ex flavo ære conflatæ, non niſi corniculantes ſunt. Profecto, quis dicet unquam, quales illæ ſint lunulæ, quæ rotundæ ſunt inſtar lunæ plenæ? Ornamentum enim quod rotundum eſt inſtar Lunæ plenæ, quidvis potius referret quam Lunam, neque *lunula* diceretur, a rotunditate ſcilicet, qua Lunæ ſimile eſt plenæ. Ornamentum contra, quod refert Lunam mediam, ſive corniculantem, recte *lunula* dicitur, a ſimilitudine Lunæ. A סהר quidem, quod *rotunditatem* notat: vocem שהרונים Lexicographi derivant, & ex eo petunt vocabuli ſignificatum. Sed quam recte eam Radicem, uti vocant, conſtituant, & inde velint deſumendam hujus vocabuli notionem, non diſputo prolixe, quia nemo ignorat, quam multa perperam ab ipſis dicta ſint, cum rudera tantum, & veſtigia priſcæ Hebræorum Linguæ ſuperſint. Ut minime ſolidum ſit quod tam futili nititur fundamento.

VII. Uti circa formam lunularum errarunt interpretes, ita circa ipſam Lunam non minus lapſi ſunt, cujus nomen, non adeo tritum, nemo videtur intellexiſſe. Obſcurus eſt apud Jeſaiam LXV. 11. locus, in quo putidam idololatriam in Judæis contumacibus carpit: *Et vos derelinquentes Dominum*, inquit, *obliviſcentes montis ſanctitatis meæ*, העקכים לגר שלחן והממלאים למני ממסך: *parantes menſam τῷ Gad, & implentes libamen τῷ Meni*. Deorum, ſive idolorum nomina eſſe *Gad*, & *Meni*, inter omnes conſtat. At quales fuerint, ingens lis eſt. Vel τὸ *Meni* quam varie reddiderunt? Munſterus transfert *planetas*. Ab hac ſententia ſtant Rabbini, qui ſtellarum numerum, & quidem ſeptenarium, intelligunt, ut R. David Kimchi *in Rad. & ad h. l. Vatab. ad h. l.* docet. Cum his & Vatablus conſentit. Oſorius, Mercerus, Cornelius a Lapide, *fatum* intelligi ajunt. Jonathan להחלחהון *idolis ſuis*, pro למני, habet. Vetuſta verſio Arabica in Bibliotheca Arundelliana, apud virum Clar. Johannem Seldenum *de Diis Syr. Synt.* 1. *cap.* 1. *pocula* tranſtulit. Tremellius vertit *numeris*, Johannes Coccejus *numero*, & Belgæ, *dat getal*. Cum illis faciunt R. Aben Ezra *ad h. l.* & plurimi Hebræorum, Buxtorfius item & Schindlerus *in Lex.*, niſi quod Schindlerus addat, intelligere *alios numerationis Deum Mercurium*. Quæ ſententia Forerio *ad h. l.* placuit. LXX. Interpretes reddunt τῇ τύχῃ, id eſt, *fortunæ*. Ad eandem etiam refert Syrus. Symmachus, Hieronymi teſtimonio, legit *Minni*, hoc eſt, *abſque me*. Vulgatus habet, *ſuper eam*. Lutherus Hebræam vocem retinuit. Idem Interlinearis Verſio, & Leo Judas fecit. Viro Illuſtri Petro Danieli Huetio *ad Origenis comment. Obſ. & Not. pag.* 108. *&c., veriſimile ſit, Solem, qui Mens eſt, & Dæmon, ſeu genius, voce Meni ſignificari*, idque multis adſtruere conatur. *Solem* etiam intelligit diffuſæ admodum eruditionis Theologus Stephanus Le Moyne *in Not. & obſerv. ad Barnabæ Epiſtolam pag.* 637. *Non video*, inquit, *quid poſſit impedire, quo minus hic* Μνεῦιν *intelligamus. Hoc ſuadet vocum affinitas. Nam* Μνεῦις, *&* מני, *fere idem ſunt, & in* Μνεῦις *abundant tantum ſ. vel is, quod eſt terminatio vocum Ægyptiacarum.* Μνεῦ *ergo, &* מני, *ſunt eædem literæ. Deinde* Μνεῦις *ab Ægyptiis Heliopolitanis etiam colebatur. Et quod magis eſt ſingulis annis menſæ parabantur, & libationes fundebantur, in honorem Solis, propter anni præteriti commodas tempeſtates, vel in ſpem futuri melioris.* Plures aliæ ſunt diverſæ ſententiæ, quas colligere non eſt noſtri otii, cum ex his abunde conſtet, quam miſere fatigaverit interpretes τὸ *Meni*. Ego, uti *Gad* eſſe *Solem*, quod optime animadvertit vir doctiſſimus Nicolaus Fullerus *Miſc. lib.* 5. *cap.* 17. ac loco mox laudato ſentit Stephanus Le Moyne, multis argumentis poſſem aſſerere, ita *Meni* puto non niſi *Lunam* eſſe. Contra ac vir Illuſtris Petrus Daniel Huetius *loc. cit.* exiſtimat, qui נר, *Gad Lunam* eſſe, מני, *Meni*, vero *Solem* contendit. Quod, quia res meretur, demoſtrandum accuratius eſt.

VIII. A מנה, quod *numerare* ſignificat, hoc numen dictum מני, interpretes & lexicographi agnoſcunt. Hinc natæ ſunt eorum ſententiæ, qui ſtellas intelligunt, vel planetas, vel Mercurium numerationis Deum. Etiam Petro Danieli Huetio *loc. cit.* cui plurimum in hoc ſtudiorum genere tribuendum eſt, *veriſimile ſit Solem, qui Mens eſt, & Dæmon, ſeu Genius, voce Meni ſignificari, ex origine*

מנה,

מנה, *quod est* numerare, *quia Sol temporibus numerandis & dividendis præ-est*. At quanto facilius intelligitur *Luna*, per quam veteres, & annum, & menses numerarunt? Certe veteres per Lunas computasse sua tempora, res admodum nota est, & quam plurimis animadversa. Juxta הראיה, φάσιν lunarem, suos menses numerare solitos Hebræos etiam docuerunt permulti. Quid ergo verisimilius, quam *Lunam*, a מנה, quod *numerare* notat, esse dictam מני. Eodem modo ac *calendarium*, cum Arabico articulo *Al*, vocare solemus *Almanah*, quasi observationem dicas omnium totius anni Lunarum. De qua re plura videri possunt apud maximum virum Claudium Salmasium *Prolegom. in Solinum*.

IX. Id ex eo longe fiet verisimilius, si observemus hoc Lunæ nomen apud plerosque populos mansisse. Ne dicam de lingua Belgica, qua *Luna*, *de Mane*, & mensis, qui secundum ejus cursum numerari solet, *een maand* vocatur, id ipsum videre est in lingua Arabica, Græca, Latina. Vir Cl. Edvvardus Pocokius *in Specim. pag. 92.*, ex Arabica lingua τὸ *Meni* dijudicans, Idoli nomen esse vult, cui affine, si non plane idem, sit Arabum *Menath*, quod occurrit in Alcorano: *An non vidistis Allath, & Alozza, & Menath?* Idem Petro Danieli Huetio *loc. cit.* videtur. *Existimari quoque potest*, inquit, *Deum quendam ab Arabibus cultum, cujus mentio habetur in Alcorano sur. 63. hunc ipsum esse* Meni. Utique hoc verissimum est. Sed quid *Menath* sit non constat. Neque id nos docent viri longe eruditissimi Johannes Seldenus *de Diis Syr. Syntag. 2. cap. 2.* & Johannes Henricus Hottingerus *Histor. Orient. lib. 1. 7.*, qui de his idolis observarunt non pauca. Juxta sententiam Petri Danielis Huetii *Menath* nihil aliud quam *Sol* est. Ego vero *Lunam* fuisse suspicor. Hoc arguit etymologia vocis *Menath*, quam ex Samhaschari Hottingerus habet. Radicem ille ponit, vel מנא, id est, קטע *scidit, abscidit, eradicavit*. ואנהם כאנוא ירבחון ענרהא אלקראבין: *huic illi sacrificabant sacrificia*: Vel נו, quod *sidus est ad occasum vergens*, כאנהם יסתמטרון באלאנוא ענרהא הברכא בהא: *propterea quod pluviam ad occasum sideris ab eo petunt, ut benedictionem ab ea consequantur*. Etenim illis verbis Lunam describi conjicio, quam, ob vicinitatem, plusquam aliud quodvis astrum in hæc inferiora agere, res est nota, quæque ad occasum vergens pluviam facere est credita. Id certe videtur longe verisimilius, quam quod alii *constellationem*, vel *stellas*, vel *planetas* exponunt. Quid si *Allath Venerem*, *Alozza Luciferum*, *Menath Lunam* dicamus? Sane hæc tria Numina olim ab Arabibus sunt culta. De Venere, & Lucifero, ex Euthymio Zygabeno id observarunt multi ita enim ille in Panoplia. Οἱ Σαρακηνοὶ μέχει τ̃ Ἡρακλέος τῦ βασιλέως χρόνον εἰδωλολάτρυν. προσκυνῦντες τῷ Ἑωσφόρῳ ἄστρῳ. κ̀ τῇ Ἀφροδίτῃ ἥ δὲ κ̀ χάβαρ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομαζῦσι γλωττῃ, δηλοῖ δὲ ἡ λέξις αὐτὴ τὴν μεγάλην. Hoc est: *Saraceni usque ad Heraclii imperatoris tempora idolis dediti fuerunt, adorantes* Luciferum, *&* Venerem, *quam &* Cabar *sua nominant lingua*. Cabar *autem* Magnam *interpretatur*. Et in Catechesi Saracenorum. Ἀναθεματίζω τῦς τῷ πρωινῷ προσκυνῦ τας ἄστρῳ ἤγυν τῷ Ἑωσφόρῳ κ̀ τῇ Ἀφροδίτῃ, ἣν κατὰ τὴν Ἀράβων γλῶσσαν χαβάρ ὀνομάζῦσι, τυτέστι μεγάλην. Hoc est: *Anathematizo eos qui matutinum sidus* Luciferum *adorant*, *&* Venerem, *quam Arabum lingua* Chabar *vocant*, *id est*, Magnam. De Luna nihil est tritius, quam olim Arabes adeo coluerunt, ut insignia corniculantis Lunæ reciperent, quæ ex veteri ritu etiamnum sunt residua, licet Lunam hodie non colant amplius. Videant sane eruditiores an hæc numina non debeant sic distingui.

X. Apud Græcos *Luna* est μήνη. Suidas. Μηνη, ἡ Σελήνη. Optime hoc docent elegantes Orphei versus, quibus Lunam describit ut aliam terram, quomodo inter doctiores Philosophos non minus terra, quam planeta, habita fuit, quam sententiam secuti sunt Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Heraclides, Ocellus, & Heraclitus.

> Μήσατο δ', inquit, ἄλλην γαῖαν ἀπείρατον, ἥνδε Σελήνην
> Ἀθάνατοι κλήσυσιν ἐπιχθόνιοι δὲ Μενήνην,
> Ἡ πολλ' ὄρε ἔχει, πολλ' ἄστεα, πολλὰ μέλαθρα.

Molitus vero est aliam terram infinitam, quam Selenen immortales vocant, homines vero Meenen, quæ multos montes habet, multas urbes, multas domus. Idem Orpheus Μήνη *Lunam* vocavit, in his versibus, qui apud Cyrillum *adversus Julian. lib. 1.* leguntur:

> Φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐςὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβηλοῖς
> Πᾶσιν ὁμῶς, σὺ δ' ἄκυε φαεσφόρυ ἔκγονε Μήνης
> Μυσαῖ, ἐξερέω γὰρ ἀληθέα.

Eloquar, quibus fas est audire, ostia vero claudite profanis omnibus: Tu vero audi ni-

nitentis progenies Lunæ Muſae, *canam enim vera*. Sed eam vocem cum non intelligeret interpres Œcolampadius, *μνήμης* legendum putavit, &, pro *Luna*, *memoriam* vertit. Utique perperam. Nam, ne dicam nihil omnino eſſe *φαεσφόρε μνήμης*, minime mutari *μήνης* debet. Docere id non tantum poſſunt Juſtinus Martyr *in cohortatione ad Græcos*, *&* *in libro de Monarchia Dei*, Clemens Alexandrinus *in admonitione ad Gentes*, atque Euſebius *Præpar. Evang. lib.* XIII. *cap.* XII. *Jun. Animadverſ. lib.* I. *cap.* 18., qui omnes citant hos verſus Orphei, ut Μήνης habeant, non *μνήμης*, licet apud Euſebium paulo aliter legantur:

> Φθέγζομαι οἷς θέμις ἐςὶ, θύρας δ' ἐπιθέοτε βέβηλοι
> Φεύγοντες δικαίων θεσμȣ̀ς θείοιο πεθέντος
> Πᾶσι νόμȣ συδ' ἄκȣε φαισφόρȣ ἔκγονε Μήνης
> Μούσαῖ. ἐξερέω γὰρ ἀληλθεα.

Id eſt, Franciſco Vigero Rothomagenſi interprete.

> *Fas quibus eſt narrabo: fores claudunto profani,*
> *Queis ſanctæ leges odio, quas omnibus autor*
> *Ipſe tulit poſuitque Deus. Tu vero micantis*
> *O Lunæ Muſae nepos, hæc auribus hauri.*
> *Namque ego vera canam.*

verum etiam, uti pulchre obſervavit vir elegantis doctrinæ, cui Batavia noſtra multum debet, Hadrianus Junius, Hermeſionax Colophonius, ubi de Muſæi amica loquitur:

> Οὐ μὴν ὑιὸς μήνος ἀγέραςον ἔρηκεν
> Μȣσαῖος χαελτῶν ἤρανος Ἀντιόπην.

> *Delitiæ charitum, ſoboles Muſæ micantis*
> *Lunæ, non tacitam liqueris Antiopen.*

Et Proclus Diodochus, qui Muſæum Lunarem, veluti Lunæ progeniem, dixit: Ἐπέπηρ, inquit, καὶ ἀπὸ Μȣσαίȣ τȣ̃ σεληνιακȣ̃ τὸ γένος τοῖς ἐν Ἐλευσῖνι τῶν μυςηείων ἡγȣμένοις εἶναι φησὶ. *Quandoquidem & a Muſæo illo lunari ſacerdotibus in Eleuſine ſacrorum præfectis genus eſſe dicit*. A Μήνη Græci *menſem* vocarunt Μὴν. Scilicet quia menſis ſecundum Lunæ curſum numerabatur *cap.* I. §. VI. Quod invicte docui in libro de Natali Jeſu Chriſti priore. Ex *Meni Hebraico prodiiſſe Græcum* μὴν, *Dæmon*, *ſeu Genius*, *qui & Sol*, atque *hinc dictos μῆνες*, *Menſes*, *quos curriculis ſuis Sol determinat*, *quaſi ſint varii Soles*, *& Sol puta Januarii alius ſic a Sole Junii*, aſſerit quidem Petrus Daniel Huetius *loc. cit.* Sed nihil excogitari poteſt alienum magis. Certe a Græcis non ſunt *dicti μῆνες*, *Menſes*, *quos curriculis ſuis Sol*, ſed quos Luna, *determinat*. Menſes enim ſuos juxta lunam agere propoſitum antiquis Græcis fuit. Quod hæc verba Gemini *iu Iſagoge cap.* VI. *ſive περὶ μηνῶν*, *de menſibus* oſtendunt evidenter. Τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν νόμων καὶ τῶν χρησμῶν παραγγελλόμενον τὸ θύειν κατὰ γ'. ἤȣν τὰ πάτεια, μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτούς. τοῦτο διέλαβον ἅπαντες οἱ Ἕλληνες τῷ τȣ̀ς μὲν ἐνιαυτȣ̀ς συμφώνως ἄγειν τῷ ἡλίῳ, τὰς δὲ ἡμέρας, καὶ τȣ̀ς μῆνας, τῇ σελήνῃ. *Quod enim a legibus & oraculis præcipiebatur*, *ut ſacrificarent ſecundum tria*, *ſive patria*, *menſes*, *dies*, *annos: hoc acceperunt omnes Græci*, *ut annos congruenter agerent juxta Solem*, *dies vero*, *& menſes*, *juxta Lunam*. Etiam Græci LXX. Interpretes Hebræam vocem שהרנים, quæ *lunulas* notat, *μηνίσκȣς* vertunt, quia videlicet *μήνη* eſt *Luna*. Pariter voce *μηνίσκων* pro *ſpeciebus lunatis* Ariſtoteles eſt uſus. Legimus & apud Euſebium verbum *μηναγυρτέω*, quod eſt magicis artibus alicui illudere. Scilicet quia magi, vel venefici, carminibus ſuis vel cœlo deducere Lunam credebantur. *Meniana* quoque *dicta* Μήνη, *a Luna*, *quaſi Lunatica*, *ac Lunaria*, *ac Seleniaca*, ἀπὸ τῆς σελήνης, Stephanus Le Moyne *in Proleg. ad Varia Sacra* 18. *putat*. *Sic ſcilicet* Μηνιακὰ, *vel Meniana*, ἀπὸ τῆς Μήνης dicta ſunt, *quia exſtructa erant ut poſt ſolis occaſum*, *ac ad plurimam noctem*, *ibi vel ſomnos captarent*, *vel liberiorem & frigidiorem aerem ſpirarent*, *ac haurirent*, *& alio quocumque modo degerent & deliciarentur*, *poſt intolerabiles*, *& urentes dierum longiorum æſtus & ardores*. Ab eadem origine manavit vox *Menis*, qua uſus Auſonius *de Profeſſoribus Burdigalenſibus in Coronide* eſt:

> *Quos legis a prima deductos menide libri,*
> *Doctores patriæ ſcito fuiſſe meæ.*

De ea ſic Hadrianus Turnebus *Adverſ. lib.* XLII. *cap.* X. *Veteres ut in calce librorum coronidem appingebant*, *ita*, *ut ſuſpicor*, *in fronte lunulam ad ornatum deſignabant*. Menis *autem* lunula eſt, *quæ cum corniculata ſit*, *idcirco &* cornua *Latini ea ornamenta librorum vocavere*. Manavit vox & *manacus*, quę apud Vitruvium *lib.* IX. *cap.* VIII. exſtat. *Cireinatio circuli menſtrui agatur*, *qui* Ma-

Manacus dicitur. Maxime si *omnino legendum* qui Menacus dicitur, *id est*, μηνάιος, ut Claudius Salmasius *in Proleg. ad Solin.* contendit.

XI. Apud Latinos idem nomen observare in Dea *Mena*, vel *Mana*, quam fœminarum menstruis præfecerunt, quæ Græci μῆνες vocant. Præter Aurelium Augustinum *de civ. Dei lib.* IV. *cap.* IX. apud quem *Mena* vocatur, ejus Deæ meminit Plinius *Histor. Natur. lib.* XXIX. *cap.* IV., verum illius locus corruptissime vulgo legitur. *Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur his. Genito mane catulo res divina fit, & in cœnis Deum etiamnum ponitur catulina*. Sed insigne mendum jam pridem sustulit singularis acuminis & doctrinæ vir Justus Lipsius *Elect. lib.* II. *cap.* 8. qui, pro *genito mane catulo*, legendum monuit, *Genitæ Manæ catulo res divina fit. Genita Mana* enim nomen Deæ fuit, cui res divina catulo fiebat. Id ex Plutarcho *Quæst. Rom.* LII. constat, dum quæstionem movet: διὰ τί καλουμένῃ Γενέτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι: *cur, quæ vocatur Genita Mana, canem immolant*.

XII. Præter hæc מני *Meni* idem Numen cum eo esse, quod Μὴν a Græcis dicitur, qui judicare de his optime potuit, Claudius Salmasius *in Prolegomen. in Solin.* pronuntiat. *Omnino*, inquit, *is Deus est, quem Græci eadem plane voce appellarunt* Μῆνα, *cui templa in Phrygia, Armenia, & aliis locis. Meminit Strabo* Μηνὸς *cognomento* Φαρνάκου, *cui templum in Armenia: item* Μηνὸς *cognomento* Κάρου *cui fanum in Phrygia. Jamblichus in vita Pythagoræ tradit ex sententia illius Philosophi gallum gallinaceum sacrum haberi* τῷ Μηνί. Idem Hugoni Grotio *ad Jes.* LXV. II., & Ægidio Menagio *in Observ. ad Diog. Laert. lib.* VIII. *Segm.* 34. videtur. Et profecto credibilius nihil est, cum nominum affinitas tanta sit. Sic autem מני *Meni* omnino *Luna* est. Μὴν enim & Σελήνη idem Numen. Ita jam dudum censuit Isaacus Casaubonus ad hæc verba Ælii Spartiani *in Antonino Caracalla cap.* VII. & *ibid. Casaubonus*. *Quoniam dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque a Carrenis præcipue haberi, utqui Lunam fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat: at vero qui marem deum esse crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur insidias*. Postquam enim dixisset: *Omissis frivolis, putamus nos cur hoc numen alii pro Deo, alii pro dea habuerint, ejusque nomen quidam masculino, quidam fœminino genere extulerint, causam ejus varietatis esse, quod Lunæ nomina & virilis & fœminei generis in linguis Orientis habeantur*, idque probasset exemplis, pergit in hunc modum: *Strabo vero homo Cappadox masculum hunc Deum aliter Græce extulit: non enim dixit* ΣΕΛΗΝΟΝ, *verum* ΜΗΝΑ: *commemorans libro duodecimo varia loca, ubi essent* MENIS *hujus templa. Sciebat Strabo vocem quam vertebat utrumque significare;* & σελήνην & μῆνα. *Sic Hebræis* ירח & *luna est & mensis. Menem alium non esse a Luna, declarat Strabo cum ait* ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερόν. Visum quidem aliter Claudio Salmasio est. Nam *doctissimum virum*, inquit, *falli puto, qui* Μῆνα *masculum hunc Deum extulisse autumat Strabonem authorem eruditissimum. Tribus locis quantum memini apud Strabonem* Μηνὸς *mentio & templorum ejusdem Dei; sed illis omnibus tribus locis* Μῆνα & *Lunam sive* σελήνην *esse diversos, ita verum est, ut verius nihil esse censeam. Primum nunquam* Μηνὸς ἱερὸν *sine adjecto ponit, sed semper aut* Μηνὸς φαρνάκου, Μηνὸς Κάρου, *aut* Μηνὸς ἀρχαίου: *quibus locis quis Lunam sub illis cognominibus dictam putet? Menem autem alium esse a Luna manifesto ostendit idem Strabo, cum scribit:* ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς σελήνης ἱερόν: *ibi enim, nisi fallor, mentionem facit Menes Pharnacæ vocati, & ejus templi quod* ἱερὸν *non solum* Μηνὸς, *sed etiam* σελήνης *esse ait. Quibus verbis non potuit apertius declarare aliam esse ac diversam,* τὴν σελήνην ἀπὸ τοῦ Μηνός. *Totus igitur ille orbis &* περίοδος, *quem Luna modulationibus menstruis, ut loquitur Tertullianus, variat,* Μὴν, *ut notum est, vocatur a Græcis, Latinis vero mensis: & ut detur apud stultam gentilitatem Dei nomen emeruisse. Inde Diogenes in Pythagora, gallum gallinaceum* τοῦ Μηνὸς ἱερὸν *fuisse scribit, ex scito ejusdem Pythagoræ. Plinius vertit*, Mensi sacrum, *cujus etiam rei meminit Jamblichus in vita Pythagoræ lib.* I. *cap.* XVIII. Μηδὲ ἀλεκτρυόνα λευκὸν, ἱκέτης γὰρ καὶ ἱερὸς τοῦ Μηνός. διὸ καὶ σημαίνουσιν ὥραν. *Sic enim legendum*. Etiam Petrus Daniel Huetius *loc. cit.* Μῆνα, *Solem*, non *Lunam*, esse, probare nititur prolixe. *Conjecturam nostram*, inquit, *penitus firmat Strabo. lib.* 12. *cum ait Cabiris, quæ urbs caput est Armeniæ, esse* τὸ ἱερὸν μηνὸς φαρνάκου καλούμενον. Templum quod Menis Pharnacis appellatur, *tam religiose cultum*, ὥστε τὸν βασιλικὸν καλούμενον ὅρκον τοῦτον ἀπέφηναν, τύχην βασιλέως, καὶ μῆνα φαρνάκου. Ut pro juramento, quod regium appellatur, haberi voluerint Fortunam Regis, & Mena

na Pharnacis. *Atqui id Templum Lunæ quoque consecratum erat*: ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς σελήνης τὸ ἱερὸν, καθάπερ τὸ ἐν ἀλβανοῖς, καὶ τὸ ἐν φρυγίᾳ, τό, δὲ τοῦ μηνὸς ἐν τῷ ὁμωνύμῳ τόπῳ, καὶ τὸ τοῦ ἀσκαίου τὸ πρὸς τῇ ἀντιοχείᾳ τῇ πρὸς πισιδίαν, καὶ τὸ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν ἀντιοχέων. Est autem hoc quoque Templum Lunæ, quemadmodum & illud quod est in Albanis, & quod in Phrygia, & illud Menis, quod est in loco cognomine: & illud Ascæi apud Antiochiam quę est ad Pisidiam, & illud quod est in regione Antiochenorum. *De templo illo quod est in Albanis disserit Strabo lib.* 11. *In calce vero libri* 12. *Sic ille de templo Phrygio Menis*: μεταξὺ δὲ τῆς λαοδικείας, καὶ τῶν καρούρων ἱερὸν ἐστὶ μηνὸς κάρου καλούμενον. Inter Laodiceam & Carura templum est, quod Menis Cari appellatur. *Athenæus libr.* 12. *pagum quendam Phrygiæ* μηνὸς κώμην *appellat*, Pagum Menis, *ubi nempe templum Menis, si quid conjectura valeo. De templo vero Ascæi hæc Strabo libro eodem* 12. ἦν δὲ ἐνταῦθα καὶ ἱερωσύνη τις μηνὸς ἀσκαίου. Erat autem illic sacerdotium Menis Ascæi. *Nihil his locis intellexerunt interpretes*[1]. *Vides templum illud quod erat Cabiris, consecratum fuisse Meni, & Lunæ. Atqui petita ex eo jurisjurandi formula exprimit* τύχην βασιλέως, Fortunam Regis, *cujus sors Lunæ adscribebatur; &* μῆνα φαρνάκου, *id est, si recte intelligo, Genium, seu Dæmonem Pharnacis, cujus sors ad Solem pertinebat. Templum itidem illud Albanorum, & illud Ascæi, & aliud Phrygium, non Meni solum, sed & Lunæ fuerunt dicata: nec aliter enim accipi possunt ista Strabonis*. Ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς σελήνης τὸ ἱερὸν, καθάπερ τὸ ἐν ἀλβανοῖς, καὶ τὸ ἐν φρυγίᾳ, τότε τοῦ μηνὸς ἐν τῷ ὁμωνύμῳ τόπῳ, καὶ τὸ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν ἀντιοχέων. *De Albanis sic Strabo lib.* 11. θεοὺς δὲ τιμῶσιν, ἥλιον, καὶ δία, καὶ σελήνην. διαφερόντως δὲ σελήνην. ἔστι δὲ αὐτῆς τὸ ἱερὸν τῆς Ἰβηρίας πλησίον. Deos autem colunt, Solem, & Jovem, & Lunam maxime vero Lunam. Est autem ejus templum Iberiæ proximum. *Solem ait illos, & Lunam venerari, quos templum Meni, & Lunæ posuisse alibi significat. Nempe Solis est men. Templum igitur illud apud Armenos Genio, & Fortunæ Pharnacis consecratum erat. Ita Romanis Genium Principis adjurare solitum erat, nec non & ejusdem Fortunam, quæ ipsa quoque Dæmon esse censebatur: Origenes lib.* 8. *contr. Celf.* εἴτι καὶ, ὥς ποτιν ἔδοξεν ἐπεὶ τι τῶν ῥωμαίων βασιλέως τὸν δαίμονα ὀμνῦσιν οἱ τὴν τύχην αὐτοῦ ὀμνύοντες. δαιμόνιον ἐστὶ, ἡ ὀνομαζομένη τύχη τοῦ βασιλέως. *Sed Dæmonis nomine Genius frequentius compellabatur. De Genio, & Fortuna eleganter Cebes in Tabula. Eos autem sæpe simul cultos, atque iisdem religionibus placatos reperias. Plurima apud Gruterum marmora videre est in honorem utriusque erecta & incisa. Consecratum itidem soli, & Lunæ, dici poterat Armeniacum illud Templum, non absolute, sed quatenus Genio, & Fortunæ Pharnacis Sol, & Luna præerant. Porro lingua & moribus multum habuisse cum Syris cognationis Armenos idem Strabo libro primo prodidit. Quid si ab eodem Mene nomen dicamus Armeniam traxisse? Jeremias cap.* 21. *verf.* 57. *hæc scribit*: Annuntiate contra illam (*Babylonem*) regibus Ararat, Menni, & Ascenaz. LXX. *Sixtinæ editionis*: παραγγείλατε ἐπ᾽ αὐτὴν βασιλεῦς ἄρατε παρ᾽ ἐμοῦ, καὶ τοῖς ἀσχαναζέοις. *Lege*: βασιλεῦς ἀραρατ παρ᾽ ἐμοῦ, καὶ τοῖς ἀσχαναζέοις. *Ubi Hebraicum* מני *redditum est* παρ᾽ ἐμοῦ: *quasi id non sit nomen proprium; Idem peccavit Arabs. At Paraphrastes Chaldæus Menni reddit* חורמיני, *quæ vox alias scribitur*, חרמיני: *utrobique vitiose: scribendum siquidem* הר·מיני Mons Meni, *uti habent Baal Aruch, Jarchi, Kimchi, aliique Hebræi proceres, qui &* Armeniam *exponunt. Ex Menni ergo nomen ipsam traxisse erudite sane, & luculenter ostendit vir præstantissimus Samuel Bochartus in Phaleg lib.* 3. *cap.* 3. *Equidem non aliud esse censuerim* הר·מני, Montem Meni, *quam montem consecratum Deo illi, qui ab Isaia* מני, *appellatur*, Μὴν *a Strabone, & Autore Prædicationis Petri, quam laudat Origenes. Hic amplius gallum album comedi vetabat Pythagoras, quod esset Meni sacer, hoc est Soli, ut exponunt Pythagorici. Jamblichus lib.* 1. *de vita Pythagoræ, postquam censuisse illum dixit gallum album Meni consecratum esse; altero libri ejusdem loco subjungit*: ἱερὸν ἡγεῖτο εἶναι τὸν ἀλεκτρυόνα ἡλίῳ. Sacrum existimabat esse gallum Soli. *Laertius in vita ejusdem inter ipsius effata hoc posuit*: ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ, ὅτι ἱερὸς τοῦ μηνὸς καὶ ἱκέτης, σημαίνει γὰρ τὰς ὥρας. Gallum album penitus non attingere, quod sacer sit Meni & supplex; quippe qui horas significet. *Id exponit Suidas in* πυθαγόρα. ὡς ἱερὸς τοῦ ἡλίου, ut Soli Sacer. Μῆνα tamen non Solem, sed *Lunam* esse, ex iis patet admodum evidenter, quæ docte pariter & ingeniose disserit Vir illustris Gisbertus Cuperus, *in suo Harpocrate, pag.* 16. & 17. Daventriæ noster Consul, & consessui Potentissimorum Ordinum Belgicæ Fœderatæ, qui Hagæ Comitum est, adscriptus. *Pythagoras*, scribit, *albo gallo vesci prohibuit, quia sacer erat Lunæ & Soli: Diog. Laertius prius docet; utrumque vero Jamblichus: & illius quidem verba*

ba sunt: Ἀλεκτρύονος μὴ ἅπτεσθαι λευκȣ͂, ὅτι ἱερὸς τȣ͂ Μηνὸς καὶ ἱκέτης: Gallo autem gallinaceo vesci prohibuisse, quia lunæ & sacer est & supplex. *Doctissimus Casaubonus rescribit* τȣ͂ Διός, *eumque sequitur Schefferus in erudito libello de natura Philosophiæ Italicæ; sed vulgatam probam esse observat Galliæ decus Ægidius Menagius; quia Jamblichus etiam memoriæ mandat gallum* Μηνὶ sacratum fuisse. *Neque tamen putem* Μῆνα *aut* Mensem *Deum hic intelligi debere, aut eundem esse cum Sole. Nam Suidas quidem in v.* πυθαγόρας *nec non Jamblichus lib.* 1. *cap.* 28. *illi sideri avem hanc sacram faciunt; sed ultimus lib.* 2. *exponens Symbolum Philosophi Octavum decimum* Μῆνα *&* Ἥλιον *disertis verbis distinguit;* Ἀλεκτρύονα τρέφε μὲν, μὴ θύε δὲ, Μηνὶ γὰρ καὶ Ἡλίῳ καθιέρωται. *Et hinc mibi suspicio oborta, Lunam, non autem mensem significari; Lunæque gallum sacrari,* διότι σημαίνειν τὴν ὥραν, *ut Jamblichus & Diogenes loquuntur, canendo scilicet Luna & Sole exorientibus, quemadmodum docet Ælianus lib.* 4. *cap.* 29. *Anim. Nec obstat Strabonem Menem Deum &* Σελήνην, *uti observat Magnus Salmasius ad Histor. Augustam, distinguere; & lib.* 12. *in urbe Diospoli scribere* Μηνὸς *cerni templum, illudque etiam dicatum esse Lunæ*: Ἔστι δὲ καὶ τȣ͂το τῆς Σελήνης τὸ ἱερὸν, est autem hoc quoque templum Lunæ. *Nam* Μὴν *&* Σελήνη *idem numen, sed ille ut mas, hæc ut mulier colebatur, uti su: superque patet ex noto Spartiani in Caracalla loco; & nummis, in quibus Lunus deus occurit habitu virili circa tergum lunam corniculantem gerens; uti patet ex Valeriani apud Seguinum, & Caracallæ apud Patinum, viros, Antiquariæ rei peritissimos, numismatibus; quorum in altero, quod notandum diligenter, gallus etiam Dei* παρεδρός *Et ita Ægyptii Lunam masculino genere exprimebant, ipsaque esse putabatur* ἀῤῥενόθηλυς, *quam naturam certe* Μὴν *&* Σελήνη *commode exprimebant: locus hanc in rem elegans apud Ammon. in lib. Aristot. de Interpret.* Καὶ γὰρ ἀρσενικῶς Αἰγύπτιοι τὴν σελήνην ὀνομάζειν εἰώθασιν: ἀλλ' ὡς πρὸς τὴν γῆν οἶμαι αὐτὴν παραβάλλοντες, ȣ̓χ ὑπὸ Ἡλίȣ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπ' ἀπ' αὐτῆς φωτιζομένην, διὸ καὶ ὁ ἐν τῷ συμποσίῳ τȣ͂ Ἀριστοφάνȣς λόγος, τὸ μὲν ἄῤῥεν τῷ Ἡλίῳ προσήκειν ἔφη, τὸ δὲ θῆλυ τῇ γῇ, τῇ δὲ Σελήνῃ τὸ ἀῤῥενόθηλυ. Lunam masculino genere appellare solent, respectu, ut opinor, terræ, quippe quæ non solum a Sole, verum etiam ab ipsa illuminetur: inde & Aristophanes in Symposio dicit, masculum Soli convenire, fœmineum terræ, Lunæ vero masculum & fœmineum genus. *Et hanc arbitror ob rationem Strabonem scribere templum Menis etiam sacrum esse Lunæ, non autem quia hæc numina plane diversa erant, & nibil habebant commune. Nam Luna proprie* Μὴν *vocatur, quando corniculata est; Cleomenes lib.* 2. *Meteor.* Μὴν δὲ καλεῖται κατὰ τέσσερα σημαινόμενα; καὶ γὰρ ἡ Σελήνη, ὅταν ᾖ σιγμοειδὴς τῷ σχήματι μὴν καλεῖται: Μὴν vero vocatur ab quatuor significata. Etenim Luna, cum figuram literæ sigma refert, Μὴν appellatur: *nam hæc eadem cum corniculata, quia figura literæ illius apud antiquos fuit, C. Et hæc quidem mea de* Menis *cultu sententia; quanquam fatear valde eam labefactari per Plinium, qui, teste Salmasio, Symbolum Pythagoræ vertit*, mensi sacrum; *quæ tamen verba nec dum mibi, non secus ac eruditissimo Menagio reperta sunt; ut & per nummum Antonini Pii apud Patinum, in quo cernitur Lunus Deus cum gallo, ut videtur, & hæc inscriptio*: MENSIS COL. CÆS. ANTIOCH. *nisi sit error, id quod etiam doctissimus editor suspicatur, scalptoris, scribique debeat* Col. Cæsarea Antiochensis. Hæc ita placuerunt Ægidio Menagio, *in Observ. ad Diog. Laert. lib.* VIII. *Seg.* 34. ut consensum suum testatus publice sit. Scripserat ipse: Μηνὸς *Dei, ejusque templorum, mentio non semel apud Strabonem. Sed quis ille* Μὴν, *aut mensis, Deus? idem ac* Ἥλιος. *Jamblichus dicto libro* 1. *cap.* 28. ἱερὸν ἡγεῖτο εἶναι τὸν ἀλεκτρυόνα ἡλίῳ. *Et lib.* 11. *in Expositione Symbolo* XVIII. ἀλεκτρυόνα τρέφε μὲν, μὴ θύε δὲ. Μήνη γὰρ καὶ ἡλίῳ καθιέρωται. (*Corrige obiter* Μηνὶ γὰρ καὶ Ἡλίῳ) *Etiam Suidas in* Πυθαγόρας: μήτε λευκὸν ἀλεκτρυόνα ἐσθίειν, ὡς ἱερὸν τȣ͂ Ἡλίȣ, καὶ τὰς ὥρας μηνύοντα. *Adde quod ex* Μὴν *factum est* Μήνη, *quemadmodum* Ζανὸ *ex* Ζεῦς. *Apud Esaiam cap.* 65. *vers.* 11. *legitur*: Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis Montem Sanctum meum: qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam. *Ita Vulgata Hieronymi. Sed eo loco Græci* LXX. Qui paratis Dæmoni mensam, & impletis Fortunæ potionem. Fortunæ, *id est,* τῇ τύχῃ. *pro quo illos scripsisse* τῷ Μηνὶ, *magnus Bochartus existimabat*: *quia Hebraice legitur*, Et implentes למני, τῷ Μηνὶ, libamen. *Et videtur idem ille Deus significari, de quo Strabo lib.* XII. Sed cum legisset, quæ totius Patriæ, & nostrum decus, Gisbertus Cuperus scripsit, eadem omnia, in novissima editione, suæ notæ subjunxit, atque ita pergit. *Hactenus amplissimus Cuperus: Cujus sententiæ non invitus accedo. Etiam doctissimus Harduinus in nummo Antonini Pii, pro* ANTIOCH. MENSIS, *emendabat*

AN-

ANTIOCHENSIS. *Sed nihil mutandum. Docet hoc Septimii Severi imperatoris numiſma, nec dum publici juris factum, quod mecum, quæ ſua eſt humanitas, communicavit Johannes Valens, Numiſmatum, ſi quis alius, peritiſſimus;*

ΑΥΤ. ΚΑΟΣ. ΛΟΥΚ. ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ. ΣΕΒ.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΠΡΟΣ. ΛΙΒΑΝΩ. ΜΗΝ.

Etenim MHN *illud, Menſis, ſive Lunus Deus: qui in averſa nummi Antonini Pii, cum pileo Phrygio in capite, & corniculata luna dorſo impoſita, conſpicitur. Dextra, equum capiſtro retinet: ſiniſtra, facem gerit. Ad verba, Plinio à Salmaſio tributa quod attinet, ea in Plinio non reperiri, affirmavit mihi, qui nuper Plinium edidit, Harduinus.*

XIII. Etiam מני *Meni*, non *Solem*, ſed *Lunam* eſſe, innuere videntur Græci LXX. Interpretes, qui hunc locum reddiderunt, Ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. *Parantes Dæmoni menſam, & implentes Fortunæ potionem*. Notat Hieronymus *ad Jeſ.* LXV. quod LXX. *tranſtulerunt*, τῷ δαιμονίῳ, *id eſt, dæmoni, in Hebraico habere* מני, adeoque τὸ *Gad*, non τὸ *Meni*, ſeniores *fortunam* reddidiſſe, & Latina eorum apud eum verſio habet: *Paratis* fortunæ *menſam, & impletis* dæmoni *potionem*, ordine alio, quam in codicibus excuſis Græca verba leguntur. Hinc Petrus Daniel Huetius, *loc. cit. manifeſtum eſſe* pronuntiat, *corruptam eſſe vulgatam loci hujus lectionem*, ac reponendum, ἑτοιμάζοντες τῇ τύχῃ τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῷ δαιμονίῳ κέρασμα. Cumque *Meni* ſic *juxta* τοὺς ό *eſt* δαιμόνιον, concludit Solem ea voce ſignificari, quoniam *ſors Dæmonis ſeu Genii*, cujus in tutela ut quiſque natus eſt vivit, *ut ait Cenſorinus, cap.* 3. *Horat. lib.* 2. *Epiſt.* 2. & natale comes qui temperat aſtrum, *ut loquitur Horatius, tribuebatur Soli ab antiquis aſtronomicæ diſciplinæ magiſtris: & Sol ipſe Dæmon appellabatur*. Ego vero non recedendum a vulgata lectione exiſtimo, & mendum fuiſſe eo in exemplari, e quo Hieronymus hoc refert. Certe vulgatam tuentur, non modo editio Complutenſis, & Veneta, & Romana, ſed MS. etiam Alexandrinum, & Marchali vetuſtiſſimum, niſi quod in Complutenſi editione, & codice Marchali δαίμονι legitur, pro δαιμονίῳ. Quod rectius videtur. Sic autem מני *Meni*, *Luna* omnino eſt. Scilicet, uti ad ſignificandum *Solem*, ſortem Soli deputatam, τὸν δαίμονα, *Dæmonem*, poſuerunt, Græci interpretes, ita pro *Luna*, ſortem ipſi tributam τὴν τύχην, *Fortunam*. Olim quippe ſors *Solis* Δαίμων, *Lunæ* vero τύχη fuit. Locus ad hanc rem inſignis eſt apud Macrobium, qui refert Ægyptios genituræ præſides & olim habuiſſe δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην, *dæmonem, fortunam, amorem, neceſſitatem*, & δαίμονα *Solem*, τύχην *Lunam* fuiſſe. Verba Macrobii *Saturn. lib.* 1. *cap.* 19. ſunt: *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum, quæ geneſis appellatur, Ægyptii protendunt, Deos præſtites homini naſcenti quatuor adeſſe memorantes*, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην: *& duo priores Solem, & Lunam intelligi volunt, quod Sol autor Spiritus, caloris, ac luminis, humanæ vitæ genitor & cuſtos eſt, & ideo naſcentis dæmon, id eſt, Deus creditur. Luna* τύχη: *quia corporum præſul eſt, quæ fortuitorum varietate jactantur. Amor, oſculo ſignificatur. Neceſſitas nodo*. Plura de his ſortibus obſervata ſunt viro undequaque doctiſſimo Johanni Seldeno, *de Diis Syris Syntagm.* 1. *cap.* 1. qui ex Vettii Valentis Antiocheni, vetuſtiſſimi Aſtrologi, MSS. codice, prolixum ſatis locum exhibet, & illum alibi non ſemel, neglectis fere omnino Amoris, & Neceſſitatis, ſeu fati, id eſt, Veneris & Mercurii ſortibus, binas illas Dæmonis & Fortunæ, ut omnium potentiſſimas vitæ præſides ac gubernatrices amplecti, & huic corpus, illi animam, hanc Lunæ, illam Soli tribuere, obſervat. Κλῆροι, inquit τῆς τύχης καὶ τοῦ δαίμονος σημαίνουσιν Ἥλιόν τε καὶ Σελήνην: *Sortes fortunæ & dæmonis ſignificant Solem & Lunam*. Locus omnino meretur apud Seldenum *ad Marm. Arundel. pap.* 129. legi, itemque quæ in notis ad Marmora Arundelliana ex eodem Vettio Valente habet, ubi plura de fortunæ ſorte ac dæmonis monet.

XIV. Hæc omnia confirmare videtur ritus vetuſtiſſimus quem Hieronymus *ad Iſai.* LXV. notavit. *Eſt autem*, inquit, *in cunctis urbibus, & maxime in Ægypto, & in Alexandria, idololatriæ vetus conſuetudo: ut ultimo die anni, & menſis ejus qui extremus eſt, ponant menſam refertam varii generis epulis, & poculum mulſo miſtum: vel præteriti anni, vel futuri, fertilitatem auſpicantes. Hoc autem faciebant & Iſraelitæ, omnium ſimulacrorum portenta venerantes: & nequaquam altari victimas, ſed hujuſcemodi menſæ liba fundebant*. Quid proclivius eſt ſuſpicari quam in Solis atque Lunæ honorem hoc factum, quorum vis magna eſt ad anni proventum. Sed hæc nimis prolixe forſan diſcuſſi. Oblata tamen occaſione pro corollario libuit addere, quia in hac voce hærent interpretes, & doctorum virorum commentaria fruſtra conſuluntur.

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

I. *Cur Paſcha comedendum calceatis pedibus*, Exod. XII. II. *Variæ ſententiæ*. II. *Refellitur prima, quæ vult viatorum calceos, a vulgaribus distinctos, præcipi*. III. *Secunda, quæ alludi putat ad morem veterum, qui cœnabant diſcalceati, proponitur*. IV. *Ab ea diſſenſum*. V. *Samuelis Bocharti conjectura*. VI. *Rejicitur non uno argumento*. VII. *Genuina inſtituti illius ratio*. VIII. *Is ritus imperatus tantum, pro illo tempore, in Ægypto, fuit, ac Chriſtus, more ævi ſui, ſine calceis accumbere ſolitus, eum non obſervavit*.

I. DE Calceorum origine, materia, forma, abunde, ni fallor, ſuperiori libro diſputavi. Nunc ritus quoſdam perſequi juvat, qui obſervati olim apud Hebræos fuerunt, & alia ſingularia exponere, quæ in ſacris voluminibus leguntur. Inter alia, quæ in Ægypto circa Agnum Paſchalem præcipit ſummum Numen, illud omnino peculiare fuit, quod voluerit ut agnum comedentes haberent lumbos ſuccinctos, calceatos pedes, & baculos in manu. Verba Legis ſunt: וככה תאכלו אתו מתניכם חגרים נעליכם ברגליכם ומקלכם בידכם ואכלתם אתו בחפזון פסח הוא ליהוה *Exod.* XII. II. *Sic autem comedetis illum, lumbi veſtri erunt ſuccincti, calceamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculi veſtri in manibus veſtris, & comedetis illum feſtinanter, Peſach eſt Domini*. Inquiſiverunt diu viri eruditiſſimi, quænam ratio fuerit hujus præcepti, atque, ut fieri amat, dum conjecturis quiſque indulget, in varias ac multiplices diviſi ſententias abjerunt.

II. Quorundam opinio eſt, voluiſſe Deum, ut Iſraelitæ, longum atque difficile iter ingreſſuri, viatorum ſumerent calceos, & pedibus induerent, cum Paſcha primum eſſent comeſuri. Comminiſcuntur enim viatorum calceos fuiſſe a vulgaribus diverſos, ſicuti & hodie multi in itinere calceos induunt alios, quam in uſu quotidiano. Hoc vero commentum ego ſane neſcio qua ratione potuerit eruditis hominibus placere. Nam quod conjiciunt de viatorum calceis a vulgaribus diverſis, id teſtimonio probant plane nullo. Neque quidquam occurrit in hac tota lege, quod ſententiam adſtruat. Nihil aliud enim Numen ſupremum jubet, quam ut Paſchalem agnum calceati comedant, de viatorum calceis autem præſcribit omnino nihil.

III. Referunt alii ad eum veterum morem, quo calceos deponebant dum cænarent, ne lectuli, in quibus diſcumbebant, iis inquinarentur. Volunt nimirum præcepiſſe Deum, ut Paſchale convivium a reliquis etiam in eo differret, ut calceos ſuos non deponerent pro more. Horum opinio longe doctior priori eſt. Veteres, cum cænaturi eſſent, ſuas ſoleas deponere ſolitos, poſt cœnam vero repoſcere, atque reſumere, res certiſſima eſt notiſſimaque. Romanis id factitaſſe demonſtrarunt politiſſimi viri Petrus Ciacconus atque Fulvius Urſinus, *in Appendice* qui omnem Triclinii rationem expoſuerunt eleganter, tabulaſque marmoreas, in quibus pueri viſuntur, qui calceos cœnaturis detrahunt, & convivæ nudis pedibus accumbunt, exhibuerunt. Apud Judæos eundem morem viguiſſe ex Evangelica hiſtoria, in qua Servator, & ipſius Apoſtoli, more Romanorum illius ævi accumbunt, obſervarunt idem Petrus Ciacconus, Hieronymus Mercurialis, *de arte Gymn. lib.* 1. *cap.* 2. Johannes Baptiſta Villalpandus, *in Ezech.* XXIII. & complures alii, quos adduxit Julius Nigronus *de Caliga cap.* 11. Quibus addi merentur, quæ collegit ex Rabbinorum monumentis, vir in iis verſatiſſimus Johannes Lightfotus *Hor. Hebr. in Matt.* XXVI. 20. non inepte homines eruditi ad hunc morem retulerunt hoc ſummi Nummis præceptum, quo Iſraelitas Paſcha comedere juſſit calceatos, ut hac in re Paſchale convivium etiam a reliquis differret, ne calceos deponerent, quod pranſuri, aut cœnaturi, ſolebant.

IV. Mihi tamen hæc non videtur hujus præcepti ratio. Poſterioribus ſeculis apud

apud Judæos hunc morem fuisse, ut mensæ accumberent, & calceos deponerent, ne lectulos inquinarent, constat satis. Sed mos ille tam antiquis temporibus apud Judæos nondum viguit, cum Deus ter optimus traderet hoc præceptum. Vetustissimis temporibus enim sederunt ad mensam, non accubuerunt Hebræi. Post seculi nostri grande decus Samuelem Bochartum, *Hier. Part.* 1. *pag.* 598. id prolixe docui in libro de morte Jesu Christi priore, atque ex S. Codice collegi testimonia sat multa, e quibus plane certum est Hebræos ad mensam sedisse. Eodem modo uti apud Homerum, Καθέζονται ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ Ἥρωες, οὐ κατακέκλινται, *sedent in conviviis Heroes, non accumbunt. Athen. lib.* 1. *cap.* 14. Moris accumbendi apud Hebræos primam mentionem magnus Casaubonus *Exerc. Antibar.* 16. *cap.* 22. apud Amosum 11. 8. observavit. Et sane ante ea tempora non videtur usitatus. Exemplum vetustius apud Autorem Cantici 1. 12. inveniri, conjecit quidem vir illustris Hugo Grotius, ubi מסב κατάκλισιν, vertunt Græci. Sed ipse id dubitanter asserit, & res se aliter habere videtur. *Matth.* XXVI. 20. Quare etiam optime monuit vir illustris *accubitum in lectis haud dubie serius cœpisse, Assyriorum, ut credibile est, exemplo, Græcorum, ac postremo Romanorum consuetudine increbuisse.* Hinc cum ea tempestate, more posterioris ævi, in lectulis nondum accumberent Hebræi, ex recepta ea consuetudine hoc a Deo præceptum haud quaquam est, quasi voluerit Paschale convivium etiam hac in parte a reliquis differre.

V. Samuel Bochartus, *Hier. P.* 1. *pag.* 499. qui Hebræorum ac reliquarum gentium literis instructissimus, opus de Animalibus perfecit, quo non tantum omnium, qui ea in re aliquid conati sunt, industriam vicit, sed longo intervallo post se reliquit, aliam conjecit esse hujus mandati rationem. *Hoc unum quod respondeat* ad quæstionem propositam, se dicit *habere, Judæos non semper fuisse calceatos.* Ad eam rem cum attulisset varia τῆς ἀνυποδησίας exempla, *Judæorum plurimos conjectat in Ægypto fuisse excalceatos.* Hoc ut adstruat, *tria* monet *hic observanda.* I. *Ægyptum esse in fervida plaga, fere sub sidere Cancri, ac proinde ejus incolas posse calceis carere facilius. Ut hodieque non paucos Afros, sub eodem cum* Ægypto *parallelo, magna anni parte, nudis pedibus incedere nescit.* II. Judæos *in* Ægypto *sub jugo miseræ servitutis pressos, ac pæne oppressos: in quo statu valde credibile est illis multa defuisse, quæ ad vitam commode degendam requisita sunt.* III. Judæorum ἀνυποδησίας *etiam in ipsa* Judæa, *rebus illorum maxime florentibus, vestigia superfuisse.* Hinc concludit, *cum in* Ægypto Judæis ἀνυποδησία *minus fuisset periculosa, iisdem longum asperum, & senticosum iter jam aggressuris, voluisse* Deum *de calceis prospici: quin, ut religio quoque eos ad rei tam necessariæ curam adigeret, sanciisse, ut nonnisi calceati* Pascha *manducarent. Neque passum esse calceos, quos ad hoc solemne festum sibi comparaverant, per annos quadraginta deteri.*

VI. Hæc conjectura viri summi pariter mihi non probatur. Ἀνυποδησίαν, qualis olim obtinuit apud plerasque nationes, apud Hebræos in usu non fuisse, atque illos non nisi ob religionem, aut certum aliquem ritum, fuisse discalceatos, cum alias forent calceati semper, superius ostendi sat evidenter *Lib.* 1. *cap.* 1. Judæos etiam in Ægypto, fervida licet plaga, in qua oppressi fuerunt Ægyptiorum tyrannide, excalceatos fuisse, adeo ut necesse fuerit eos, vel religione, ad calceorum curam adigere, cum iter longum, asperum, & senticosum jam aggressuri essent, credi potest admodum difficulter. De calceis enim lex divina loquitur, non quos ad festum sibi compararent tam solemne, sed quos habebant. Certe Deus haudquaquam de calceis, quos non habebant, prospexit, sed calceos induere jussit, quos habebant. Pariter, nec hoc verisimile est calceorum curam adeo neglexisse Hebræos, aut tam dira fuisse servitute pressos, ut calceis caruerint, Deoque fuerit opus vel religione eos adigere, ut de calceis sibi prospicerent ad iter durum, atque senticosum. Hoc quoque non omnino verum est, *Deum neque passum esse calceos, qaos ad hoc solemne festum sibi comparaverant, per annos quadraginta deteri.* Innuere id quidem videntur hæc verba quæ in Deuteronomio leguntur. ואולך אתכם ארבעים שנה במדבר לא בלו שלמתיכם מעליכם ונעלך לא בלתה מעל רגלך: *Duxi vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta.* Sed longe aliam esse horum verborum mentem, neque miraculum in eo fuisse, quod ipsi calcei, quibus induti fuerant in solemni festo, cum Pascha comederent in Ægypto, non fuerint derriti, sed in mirabili Dei providentia, qua in Arabiæ desertis, horridis illis, & incul-

cultis, & omnium egenis, prospexit, ut nunquam calcei ipsis defuerint, inferius ostendam copiose *cap.* IX.

VII. Subiit mirari eruditos homines tam varia divinasse, cum rationem istius ritus indicet Deus ipse *Exod.* XII. 11. 12. Verba hæc sunt, וככה תאכלו אתו מתניכם חגרים נעליכם ברגליכם ומקלכם בידכם ואכלתם אתו בחפזון פסח הוא ליהוה ועברתי בארץ מצרים בלילה הזה והכיתי כל בכור בארץ מצרים מאדם ועד בהמה: *Sic autem comedetis illum* (agnum.) *Lumbi vestri erunt accincti, calceamenta vestra in pedibus vestris, & baculi vestri in manibus vestris & comedetis illum festinanter: Pesach est Jehovæ. Et transibo per terram Ægypti nocte hac, & percutiam omnes primogenitos in terra Ægypti ab homine usque ad jumenta.* Res nota est, & narrata fusius, post magnas clades, quibus Ægyptios affecerat Deus; ut ex ditione sua dimitterent Hebræos, ultimam ea nocte voluisse experiri, ac tot hominum & jumentorum mortibus universam Ægyptum reddere funestam, ut hac ratione Ægyptii nihil magis cuperent, quam ut citissime exirent Hebræi. Prævidebat, quod & factum est, ut tanta strage territi Ægyptii, magis expellerent eos, quam dimitterent tranquille. Volebat ergo, dum eam noctem agerent quasi festam, ut ad iter accincti, tamen & parati essent, utque lumbos suos haberent succinctos, & calceamenta in pedibus suis, ac baculos in manibus, qui habitus eorum, qui iter difficile, & operosum aggrediebantur, in Oriente fuit. Calceos enim olim in itineribus inter alia usitatos fuisse, Gibeonitæ, qui ex נעלות מטלאות Ios. IX. 5. 13. *calceis diversi solorum frustis suppactis*, fidem facere voluerunt, se longo itinere ad Israelitatarum castra contendisse, ostendunt. Omnia scilicet voluit parata, quæ ad iter suscipiendum requirebantur, ne si festinanter ab Ægyptiis expellerentur, de re aliqua forent solliciti. Quare & hoc præcipit, ut agnum בחפזון *in festinatione* comederent, ne cœna media peracta tantum excedere cogerentur. Rationem autem horum omnium hanc subjungit: פסח הוא ליהוה ועברתי בארץ מצרים בלילה הזה והכיתי כל בכור בארץ מצרים מאדם ועד בהמה *Pesach est Jehovæ, & transibo hac nocte per terram Ægypti, & percutiam omnes primogenitos in terra Ægypti ab homine usque ad jumenta.* Hæc verba certe manifestam continet eorum rituum rationem, quos præcepit Deus: Quasi dicat, omnibus rebus oportet vos instructos, quæ ad iter aggrediendum requiruntur, ut quod solent viatores, & lumbos succinctos, & calceos in pedibus, & baculos in manibus habeatis, & agnum edatis festinanter. Est enim Pesach, sive transitus Jehovæ, & ego hac nocte omnium primogenitorum diro interitu universam Ægyptum reddam funestam, unde vos Ægyptii, tot mortibus territi, coacturi sunt ad celerem exitum, imo finibus suis ejecturi. Quare nullam in vobis moræ causam volo, ut vel lumbos succingere, vel calceos induere, vel baculum capere sit necesse. Hanc esse genuinam rationem hujus instituti, ex eo confirmari potest, quod ad primum Pascha, in Ægypto celebratum, Judæorum magistri tantum volunt pertinuisse. Quorum opinio nequaquam caret evidenti ratione. Non pertinuisse enim hæc ad religionem festi, sed symbola fuisse instantis itineris, persuadent non pauca. Inter quæ & hoc est, quod hi ritus nunquam in legibus de Paschate repetuntur. Sunt videlicet, ut & sanguinis aspersio, pro illo tantum tempore imperati. Quare & a Judæis, dum Pascha suum celebrant, non observantur, ut videre est ex Paschatis celebrandi ratione, quam magnus Buxtorfius *Syn. Jud. cap.* 18. describit, nec non Johannes Leusdenius, *Phil. Mixt. Dissert.* vir diligentissimus, cui Hebræorum literæ propter indefessum eas promovendi studium plurimum debent, & ego multis nominibus me agnosco divinctum, cum meos in Hebraicis conatus singulari cura adjuvarit semper, & summa humanitate ac benevolentia sit complexus.

VIII. Hinc videre est, cur Servator noster, qui accumbebat more illius ævi, calceatus non fuerit cum Pascha suum ultimum comederet cum suis discipulis. Christum, more illius temporis, mensæ accubuisse discalceatum, prout Romani, atque Græci, soleis depositis cum cœnatum irent, nudis pedibus accumbebant. viri doctissimi monuerunt jam dudum, Qui non leve argumentum petunt ex Historia istius mulieris, quæ ipsius pedes lacrymis rigavit, capillis abstersit, & unguento unxit, quam Lucas VII. 38. refert: στᾶσα, inquit, παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω, κλαίουσα ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ τοῖς δάκρυσι, καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσε, καὶ κατεφίλει τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ: *Stans apud pedes ejus retro, flens lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & ungebat unguento.* Ex eo loco colligunt enim, Christum nudis pedibus accubuisse, cum hoc

hoc beneficium in mensa præstare mulier non potuisset, nisi depositis soleis, sive sandaliis, peracta cœna resumendis, accubuisset. At cum dici possit, eam mulierem, & ungere, & osculari, & lacrymis rigare, & abstergere Christi pedes potuisse, licet nudis pedibus non accumberet mensæ, cum nudi fuerint in parte superna, quia sandaliis, sive soleis, quæ plantam tantum pedis, non pedem integrum tegebant, ex more gentis utebatur: Respondent, non fuisse partem supernam prorsus nudam, cum soleæ corrigiis pedi alligarentur, ut patet ex forma caligæ, quam dedi superius. Observari deinde volunt mulierem Christo a tergo stetisse, uti claris verbis Lucas refert, στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω, *stans apud pedes ejus retro*, adeoque Christum, in latus recumbentem, more Romanorum, plantas potius soleatas obvertisse, quam partem supernam seminudam. Adderem ego, in quo fortasse plus est virium, haudquaquam mulierem Christi pedes soleatos unxisse, quod tamen diserte Lucas, καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ, *& ungebat unguento*. Nunquam enim pedes, quorum frequens unctio apud plerosque populos fuit, cum soleis ungebantur. Ipsi Indi, uti refert Curtius *lib.* VIII. *cap.* 9. *demtis soleis odoribus illinunt pedes*. Quare expedita est difficultatis omnis evitandæ ratio, si dicamus Servatorem, dum accumberet mensæ, soleas deposuisse, ac pro more istius temporis nudis pedibus cœnasse. Id ipsum observare est, cum Johannes refert, Christum lavasse Apostolorum pedes: *Joh.* XIII. 4. 5. Ἐγείρεται, inquit, ἐκ τοῦ δείπνου, καὶ τίθησι τὰ ἱμάτια, καὶ λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτόν. Εἶτα βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, καὶ ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάσσειν τῷ λεντίῳ, ᾧ ἦν διεζωσμένος. *Surgit a cœna & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus*. Lavit hic Christus Apostolorum pedes, dum mensæ accumberent, pedibus post se protensis. Pedes Apostolorum nudos fuisse necesse est; cum pedes soleati, neque aqua lavari, neque linteo possint abstergi. Apostoli ergo soleas, sive sandalia, jam ante exuerant, more accumbentium istius ævi, ne stragula lectorum, mensas ambientium, pulvere aut luto conspurcarent. Neque enim de demtis prius a Christo soleis vel minima suspicio est, cum id non prætermisisset scriptor diligentissimus, qui omnes circumstantias annotavit tam accurate. Sicut autem Apostolorum, una cum Christo accubentium pedes fuerunt nudi, ita & Christi ipsius fuisse par est colligere, quem nihil ab aliis singulare deprehendimus observasse. Cum Christus nudis pedibus cum suis Apostolis accubuerit semper, statuere necesse est idem factitasse, dum convivium ageret Paschale. Ritum ergo priscum, in Ægypto mandatum, & ab omni populo tunc temporis observandum, non usurpavit. Scilicet ritus ille symbolum tantum fuit instantis itineris, adeoque non semper, & ubique, retinendus. Quomodo, sanguinem postibus aspergere non observatum etiam seculis posterioribus est, quia imperatum tantum pro illo tempore in Ægypto fuit. Quod his verbis Rabbinorum maximus Moses ben Maimon *in fine libri de Paschate* agnoscit. שילקח הפסח מבעשור ושהוא טעון הגעת דם באגודת אזוב למשקוף ולשתי המזוזות ושיאכל בחפזון אין הדברים נוהגות לדורות ולא נעשו אלא בפסח מצרים בלבד: *Quod sumendus Paschalis agnus decima die, quodque aspergendus sanguis ejus fasciculo hyssopi ad superliminare & duos postes, & comedendus in festinatione, non sunt ree usurpatæ sequentibus generationibus, neque factæ nisi in Paschate Ægypti solum*.

CAPUT II.

I. Religio nudis pedibus templa intrandi apud varias gentes. II. Obtinuit etiam apud Hebræos. III. Moses, & Josua, cur jussi calceos exuere? Exod. III. 5. *& Jos.* v. 15. *IV. De Mosis calceis lepida commenta. V. Unde apud Hebræos circa loca sacra religio manavit, ut ea calceatum intrare ducerent nefas?*

I. MAgna fuit, apud veteres, magna etiam hodie apud multos populos erga loca saccra, & Deorum delubra, religio est, atque cultus, quæ nudos pedes exigere olim putarunt, & etiam nunc existimant. Vetustis temporibus, & etiam nostris, apud multas nationes piaculum habitum est, & grande nefas, templorum pavimenta calceato pede calcasse. Usurpatum fuisse morem hunc a variis gentibus, ut calceos suos exuerent, cum fana ingrederentur, Justinus *Apol.* 2. Martyr narrat. A Græcis id sæpius factum ex Callimacho, *Hymn. in Cerer. vers.* 125. & Valerio Flacco, *lib.* 2. *Solin. cap.* XVII. discimus. Apud Cretenses, quia Dianam religiosissime venerabantur *Ædem numinis, præterquam nudus vestigia, nullus licite ingrediebatur*, *ut*, Solinus refert. Apud Romanos, ædes Vestæ Deæ nudis pedi-

di-

dibus matronæ adibant, ut ex Ovidio *Faſtor. lib.* VI. ſcimus. Turcas Moſcheas ſuas non intrare, niſi calceamenta exuerint, jam dudum, ex Bartholomæo Giorgiometa, obſervavit Johannes Druſius, *ad Joſ.* v. 15. ac narrant, qui terras illas luſtrarunt diligenter, Georgio Douza, Adamus Olearius, Petrus della Valle, & alii plures. Legatus Chriſtianorum Æthiopum, apud Damianum Goenſem, de patris moribus loquens: *Nobis*, inquit, *non datur poteſtas templum adeundi, niſi nudis pedibus*. Indorum Bramanes Templa ſua, quæ *Pagoda* vocant, non intrare niſi calceis detractis, apud Rogerium *de Rit. & Rellig. Bram. lib.* 2. *cap.* 10. legimus.

II. Apud Hebræos etiam erga loca ſacra, & inprimis Templum, religio ſumma, idque cum calceis ingredi vetitum fuit. Cautum fuiſſe, ut qui intrare vellent Templi montem, eſſent diſcalceati, docet Miſna in Maſſecheth Berachoth, *cap.* 9. his verbis: לא יכנס להר הבית במקלו ובמנעלו ובפונדתו ובאבק שעל רגליו ולא יעשא קפנדריא ורקיקה: *Nemo intrabit montem templi cum baculo ſuo, aut calceo ſuo, aut marſupio ſuo, aut pulvere ſuper pedes ſuos, nec brevioris viæ gratia, nec ſputo inquinabit illum*. Pæne eadem ſunt quæ traduntur in Gemara Babylonica, Jevamoth, & in Gemara Berachoth, *cap.* 1. & *Berach. cap.* 9. ex qua iſta tranſcripſit Rabbinorum doctiſſimus Moſes Ben Maimon. *in Halach. Beth. Habbechira cap.* 7. לא יכנס אדם להר הבית במקלו או במנעל שברגליו או באפנדתו ובמעות חצרורין לו בסרינו *Nemo in montem Templi veniat cum baculo, ut calceamentis pedum, neque cum mantica, aut pecuniis linteo involutis*. Quod jam dudum obſervatum eſt a viro ſummæ eruditionis & acerrimi judicii Petro Cunæo, *de Rep. Hebr. lib.* 2. *cap.* 12. cujus extant libri de Hebræorum Republica, docti pariter, & ingenioſi. Petitum hinc eſt, quod etiam noſtro tempore præ Synagogarum foribus ferrum habeant muro impactum, quo ſinguli Judæi calceos ſuos, ſi lutum contraxerint, repurgare debent, quodque crepidas, ſi eas geſtent inquinatas, omnino exuant, uti refert peritiſſimus rituum Judaicorum Johannes Buxtorfius *Syn. Jud. cap.* 10.

III. Quod hunc honorem locis ſacris, & Templo, habueruit Hebræi, ab altiori origine petendum eſt. Olim Moſi, cum ad rubum ardentem proprius accederet, calceos extrahere præcepit Deus. Idem Joſuæ mandavit, qui ſe principem exercitus Dei dixit. Utrobique eadem adjungitur ratio: כי המקום אשר אתה עליו אדמה קדש הוא *quia locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Voluit nempe Deus, ut præſentiæ ſuæ opinio utriuſque animum magna religione perfunderet, atque obligaret, quo non ſolum ad ea, quæ mox moniturus erat, mentem acrius intenderent, verum etiam memoria auguſtiſſimi illius oſtenti, ſe ipſos impoſterum ſubinde confirmarent. Hinc locum, in quo ſtabant, ſanctum dixit. Quod ad præſentiam Numinis divini ſpectat. Non enim terra illa ſanctior reliquis terræ partibus fuit, ſed ſancta ob ſingularem Dei præſentiam vocatur. Eam enim ipſe præſentia ſua revera conſecrabat. Ad oſtendendam autem aliquo ſigno venerationem ſuam, voluit ut calceos ſuos exuerent, dum ſtarent eo in loco, quem præſentia ſua dignabatur.

IV. Hæc cum vera ſit hujus cerimoniæ ratio, cur Moſi Calceos exuere ſupremum Numen præceperit, vehementer miratus ſum fingi alias, quæ frivolæ prorſus ſunt, & ineptæ. Refert vir doctiſſimus Benedictus Balduinus *de cal. Ant. cap.* 3. expoſitionem lepidam, quam *viro inſigniter & curioſe docto concionante, ſe aliquando didiciſſe* dicit: *In Ægypto* (dixerat vir ingenioſus) *natus, educatuſque Moſes, cum oves ſoceri ſui paſceret, paſtorum Ægyptiorum more, ut credere par eſt, induebatur. Huic ad rubum ardentem, ut Exodi ſacra monumenta teſtantur, accedenti, ut propius ſtupendum illud flammarum non comburentium oſtentum agnoſceret; Dominus Deus ſtatim edixit:* ſolve calceamentum de pedibus tuis. *Quod igitur erat illud calceamentum? Id enim ſacræ tacent literæ. Ut quid etiam Moſes eo calceatus ad rubum prohibetur accedere? uno brevique verborum contextu, ut bipartitæ quæſtioni fiat ſatis, pro Ægyptiorum paſtorum more, Calceamenta Moſis erant ex junco marino contexta: Ideoque Dominus Deus præſciens filium ſuum aliquando factum hominem, inter cæteras ſuppliciorum acerbitates, corona ex ejuſmodi junco marino compacta coronandum, vult ea calceamenta tolli; quod indignum videretur, ſervum in pedibus calcare, quo ipſius Dominus aliquando eſſet coronandus*. Meruit certe hujus commenti auctor, ut, non laurea, ſed ex ejuſmodi junco compacta corona ipſi decernerentur, quæ ornaret lepidum profecto capnt. Æquæ inſulſum eſt quod alii excogitarunt, Moſis calcos ſtramineos, ſive junceos, fuiſſe, & ideo deponendos, ne forte igne, quem accedebat, conſumerentur. Sane in eo commento tantum frigus eſt, ut ſtramineos Moſis calceos extinguere poſſet, ſi arderent.

V.

V. Ex eo autem, quod Moses, itemque Josua, pedes excalceare, ad majorem Numinis præsentis venerationem jussi sunt, origo manavit illius ritus, quo locis sacris ea reverentia semper habita fuit, ut illa non intrarint calceati. Hebræi enim, cum scirent Deum ea loca in quibus Moses atque Josua steterunt sacra, ob singularem suam præsentiam, habuisse, utque calceos suos exuerent jussisse tam expresse, Templum, in quo Deus præsentiam suam augustiori modo manifestabat, ac בית המקדש, *Domus sanctitatis* vocatum est, habebatque קדש הקדשים: *sanctum sanctorum*, in quo Deus habitabat, inter Cherubinos multo sanctius esse rati sunt, adeoque illud nulli ingredi fas esse calceato. Hanc ipsam Hebræorum magistri præcipuam dant rationem, cur templum sit sine calceis intrandum. In Gemara Babylonica, ad ea verba Massechoth Berachoth, quæ adducta superius sunt, post alia, quæ in templo vetita disputant, de calceo tandem concludunt. ומה מנעל בו דרך בזיון אמרה תורה של נעליך מעל רגליך *Sed quid de oalceamentis, cum in iis nullus sit contemtus? dixit lex: solve calceamenta de pedibus tuis*. Nicolaus de Lyra *ad Exod.* III. 5. notat: *Hinc antiqui, & specialiter Hebræi, sancta loca pedibus calceatis non ingrediebantur*. Eadem ratio Christianos Æthiopes permovit, ut templa non adeant nisi discalceati. Ita refert eorum Legatus, apud Damianum Goensem. *Nobis non datur potestas templum adeundi nisi nudis pedibus, neque nobis licet in ipso ridere, loqui, ambulare, quia templa similia sunt monti Sinai, ubi dominus Mosi dixit: solve calceamentum, &c.*

C A P U T III.

I. Gentilium sacerdotes, licet aliquando discalceati, tamen ut plurimum calceati rem divinam fecerunt. II. Sacerdotes Hebræorum non nisi nudipedes sacra peregisse, ex lege de sacris vestibus Exod. XXVIII. *in qua calcei non memorantur, Ostenditur. III. Idem ex eo confirmatur, quod Sacerdotes pluribus vestibus non induebantur, quam Deus præceperat. IV. Pariter evincitur ex eorum lotionibus in atrio. V. Gemina illius instituti ratio. VI. Sculptorum, a quibus Aaron cum calceis exhibetur in tabulis quibusdam, & Plutarchi error, qui Pontificem Hebræorum* κοθόρνοις *sacra fecisse tradit, refellitur.*

I. Ἀνυπόδητος θῦε καὶ προσκύνει, *Nudis pedibus sacrificia & adora*, olim fuisse Pythagoræ Symbolum ex Jamblicho *de vita Pyth. Symb.* 3. discimus. Putavit nempe, vir Deorum observantissimus, exigere sacrorum religionem, ut nudis pedibus res fiat divina. Id tamen a sacerdotibus gentilium non ita semper observatum fuit. Nam licet sæpius sacra fecerint discalceati, tamen ut plurimum calceati sacrificarunt. Strabo *lib.* 7. quidem Germanorum sacerdotes γυμνοπόδας tradit, & Silius Italicus *de bel. Pun. lib.* 3. Sacerdotes Herculis *nudipedes* describit, Druidasque, ex vetustissimo templi cujusdem saxo, nudis pedibus Gunradus Celtes *in Norim. cap.* 3. sistit, & alios sacerdotes in antiquis marmoribus reperimus. Sacerdotes tamen Phœnicum calceis lineis usos ex Herodiano, *lib.* 5. *de Sacrif. Eliogabali*, & Ægyptios gestasse: ὑποδήματα βύβλινα, *calceos papyraceos*, ex Herodoto *lib.* 1. *cap.* III. discimus, ac complures Sacerdotes calceati in antiquis nummis, & marmoribus, visuntur. Qua de re plura jam dudum monuerunt viri eruditissimi, & nuperrime Johannes Braunius, in eximio opere de vestitu sacerdotum Hebræorum *lib.* 1. *cap.* III.

II. Apud Hebræos summa religione observatum fuit, ut nudipedes rem divinam peragerent sacerdotes. Ejus rei non leve argumentum est, quod inter vestes, quibus indui Sacerdotes suos supremum Numen præcepit, calcei non numerantur. Extat lex de vestibus sacris, quibus Deus indui voluit, tum summum Pontificem, tum reliquos saceedotes, cum sacris operarentur. Vestes illæ fuerunt *Ephod*, *Pectorale*, *Pallium*, *Aurea lamina*, *Tunica*, *Cidaris*, *Balteus*, *Feminalia*. Sed qui sacerdotibus vestiendi modum præscripsit Deus, calceos iis non indulsit. Quod ostendit Hebræorum sacerdotes calceis caruisse, quia cum vestibus sacris memorantur nusquam. Id jam dudum etiam observavit Gregorius Nyssenus *in Caut. Homil.* II. Sacerdotes Hebræorum enim nudis pedibus templum ingredi solitos ex eo animadvertit, quia cum Dominus, in antiqua lege, cunctis membris sacerdotalibus ornamenta pulcherrima præscripsisset conficienda, nullam tamen de pedum calceamentis fecerit mentionem. Οὐδένα, inquit, τοῖς ποσὶ κόσμον ἐπετεχνήσατο, ἀλλ' καλλωπισμὸς τοῦ ἱερατικοῦ ποδὸς τὸ γυμνὸν εἶναι πάσης περιβολῆς, καὶ ἐλεύτερον· χρὴ γὰρ ἱερέα πάντως ἐπὶ τῆς ἁγίας βεβηκέναι γῆς, ἧς μετὰ νεκρῶν δερμάτων ἐπιβατεύειν οὐ θέμις. *Nullum pedibus ornatum fabricatus est, volens hoc ipsum pedi sacerdotali cultus pulcherrimi loco esse, quod ab omni tegumento nudus esset, ac immunis. Oportet enim sacerdotem semper su-*

ſuper ſanctam terram incedere, quam cum mortuis pellibus calcare nefas.

III. Hoc ex eo confirmatur, quia plura veſtimenta, quam præceperat Deus, inter miniſtrandum induere, nefas fuit. Obſervant plurima Judæorum magiſtri de ſacerdote, quem vocant מחוסר בגדים *deficientem veſtibus*, & יותר בגדים *qui redundat veſtibus*, & utrumque a ſacris volunt arcendum. Sacerdotium nempe putant illegitimum, cum ſacerdos miniſterium obit ſine quadam ex illis veſtibus, quas mandavit Deus, puta feminalibus, aut balteo, aut cidari, aut tunica, itemque, cum aliquo veſtimento duplici eſt indutus, puta duabus tunicis, aut balteis. Quin adeo ſolliciti ſunt Judæorum magiſtri, ne quis ſacerdotio fungeretur pluribus veſtibus amictus, quam lex divina poſtulabat, ut inter veſtes ſuperfluas, quibus miniſtrare nefas, minutiſſima quæque reputent, *emplaſtra* ſcilicet, & *ligamenta* in digitis, aut alia aliqua corporis parte. Videri poſſunt quæ ex Maſſecheth Zebachim in Gemara, itemque Barthenora, & Moſe Maimonide, prolixius obſervavit vir eruditiſſimus Johannes Braunius. *de Veſt. Sac. Heb. lib.* I. *cap.* 3. Imo Sacerdotibus nudis pedibus ſuper pavimento ſtandum volunt, ut ſi quis inter miniſtrandum forte ſtetiſſet, vel ſuper veſtem aliquam, vel aliud inſtrumentum, quod forte jacebat, aut ſuper beſtiam, aut agnum, imo vel ſuper pedes ſocii, totum ſacrificium illegitimum fuiſſet, uti ex eodem codice Zebachim, & Moſe Maimonide, Johannes Braunius notavit. Hæc quidem ſuperſtitioſe a verpis obſervata ſunt. Magiſtri ſcilicet ineptiſſimi multa comminiſcuntur, quibus oſtendunt ſe τ̃ κώνωπα διυλίζειν. Tamen, cum hæc caveant tam ſollicite Rabbini, ſacerdotes olim non niſi nudipedes ſacris miniſtraſſe, & nullis calceis, aut pedum integumentis, in templo uſos, conſtare poteſt non obſcure.

IV. Idem docent Sacerdotum lotiones, quæ in Atrio fiebant. Scilicet Sacerdotibus, cum tabernaculum ingreſſuri eſſent aut templum, ubi Thymiama Domino in alari offerendum, in mari æneo pedes lavare lex divina præcepit. Ita enim legimus. ורחצו אהרן ובניו ממנו את ידיהם ואת רגליהם בבאם אל אהל מועד ורחצו מים ולא ימתו או בגשתם אל המזבח לשרת להקטיר אשה ליהוה *Et lavabunt in eo* (mari nempe æneo) *Aaron & filii ejus, manus ſuas ac pedes ſuos quando ingreſſuri ſunt tabernaculum conventus, lavabunt ſe aquis, & non morientur: vel quando acceſſuri ſunt ad altare ad miniſtrandum, ut offerant Thymiama Domino.* Fit quidem ſolius lotionis mentio, ad quam ſacerdotes, ſacris perficiendis ſeſe accingentes, tenebantur. Inde tamen concludi ſat evidenter poteſt, ſacerdotes, ſacris operantes, diſcalceatos fuiſſe. Quis neſcit, lotionem tam ſolemnem, niſi calceamentis, ſiquidem illis uterentur, prius exutis, peragi non potuiſſe? Sane ante lavandum, *immundiſſimam pedum tutelam*, removere ſacerdotes decuit. Quis credat ſacerdotes, poſtquam loti fuerunt, calceamenta pedibus ſuis induiſſe, & non potius ſibi perſuadeat, diſcalceatos, & ſacrificaſſe, & alia munia ſacra perfeciſſe, præſertim cum inter eorum veſtitum, quem ipſe Deus præſcripſit, nuſquam calcei appareant, & Hebræi omnes templum non adirent niſi diſcalceati? Hoc ex eo robur accipit, quod Talmudici referunt, olim conclave fuiſſe peculiare, in quo ſacerdotes, qui non niſi nudipedes in templo verſabantur, hyberno præſertim tempore, calefieri poterant citius, pavimento calefacto inambulantes. Videri poteſt Codex Middoth, *cap.* I. §. 6. *& ad eum l' Emper.* in quo deſcribitur בירה המוקד *locus incendii*, ſive *focarium*, de quo notavit hæc vir nobiliſſimus & eximius Conſtantinus l' Empereur. *Ab ardendo nomen habet hæc ſtructura, quod ibi perpetuo lignorum ſtrues arderet, idque in uſum ſacerdotum, quo paratum ſemper haberent ignem, quandoquidem diſcalceatis pedibus in loco ſancto verſari tenebantur.* Idem ex eo quoque fit veriſimilius, quod delecti fuerunt olim, qui publice valetudinem curarent ſacerdotum. At cauſa vel præcipua morborum fuit, quod nudis pedibus in pavimento ſtarent. Ita Barthenora inter varias cauſas, unde ſacerdotes dolore viſcerum laborarent, vel primam ponit: לפי שהכהנים הולכים יחפים על הרצפה *quod ſacerdotes incederent diſcalceati ſuper pavimentum.*

V. Neque ratio obſcura eſt, cur pedes ſacerdotum calceis non muniverit Deus, & ſacerdotes in templo verſati ſint diſcalceati. Voluit enim hoc Deus ob eandem rationem, ob quam Moſi, atque Joſuæ juſſit, ut calceos extraherent, quia locus, in quo ſtabant, ob ſingularem ipſius præſentiam, ſacer erat. Quam rationem R. Moſes Bar Nachman Gerundenſis *in antiquiſſimo opere Schemoth Rabboth Paraſch.* 11. annotavit. Ejus verba hæc ſunt: כל מקום שהשכינה נגלית אסור בנעלת הסנדל וכן ביהושע של נעלך וכן הכהנים לא שמרו במקדש אלא יחפים: *Omnis locus, in quo divina majeſtas ſe patefecit, probibet uſum ſandalii, & ſic in*

Jo-

Joſua dicitur, *ſolve calceamentum tuum. Et ſic ſacerdotes non miniſtrant in Templo, niſi diſcalceati*. Huic adſtipulatur Theodoretus *in Exod. quæſt.* VII. Quærit ille cur Moſes calceamenta ſua ſolvere ſit juſſus, rejectiſque quorundam opinionibus, ſuam tandem ita exponit ſententiam. Δύο τοίνυν ἡγοῦμαι διὰ τοῦτο δηλοῦσθαι: πρῶτον μὲν εὐλαβέστερον αὐτὸν τῷ λόγῳ καθίστησιν, ὥστε μετὰ δέους τῶν προσταττομένων ἀκοῦσαι; ἔπειτα προπαιδεύεται: πῶς χρὴ τοὺς ἱερέας ἐν τῇ σκηνῇ λειτουργεῖν: γυμνοῖς γὰρ κἀκεῖνοι ποσὶ τὰς λειτουργίας ἐπετέλουν καὶ τὰς θυσίας. *Primum quidem religioſiorem illum hac ratione reddit, ut cum metu audiret quæ imperabantur; Deinde prædocetur, quomodo oporteret Sacerdotes in Tabernaculo ſacra miniſteria obire: Nudis enim illi pedibus officiis ſacris fungebantur, & victimas mactabant*. Sane ea veriſſima eſt, & unica hujus inſtituti cauſa. Nam exploſa eſt eorum opinio, qui putant ſacerdotibus calceos fuiſſe prohibitos, quia ex cadaverum pellibus conſtabant, quæ ſecundum legem immundæ haberi poterant, quod præter Gregorium Nyſſenum, alioſque plures, innuere videtur vir doctiſſimus Guilhelmus Stukkius *Ant. concivit. lib. 2. cap.* 27., cum non neceſſe ſit ut ſacerdotes calceos haberent ex animalium pellibus, & pelles animalium minime immundæ ſecundum legem fuerint, uti vel ex eo conſtat quod ipſum Tabernaculum, & omnia ipſius vaſa, olim pellibus tegebantur. Videri poſſunt, quæ notavi ſuperius de pellibus תחשים quibus Tabernaculum tectum fuit, quæque ſuper arcam, & menſam, & candelabrum, & altare æneum, & omnia vaſa ejus, expandi jubentur. Niſi cadavera de morticinis intelligantur. Ex quorum pellibus utique non neceſſe fuit ut calcei conficerentur, cum alia materia ſuppeteret abunde. Pariter non placet quod alii dicunt, *nullos fuiſſe calceos ſacerdotibus, ut in templo moram & abſtinentiam ab extraneis negotiis ſic imperatam ſcirent, quoniam domeſtica opera nudis pedibus, forenſia calceati curabant, quam rationem ſe non omnino improbare poſſe* vir pereruditus Johannes Braunius *de Veſt. Sac. Hebr. lib.* 1. *cap.* 3. dicit. Hoc enim nimis longe petitum, & allegoricum eſt. *Sacerdotes quamdiu in Templo occupati erant, reputari domi eſſe, & rem patris cœleſtis curare, unde etiam Chriſtus, qui in Templo inter doctores ſedebat, dixit* ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με, *adeoque calceos geſtare non debuiſſe, ut nulli alii negotio intricati*, vir doctus quidem monet. Sed hæc iſtius ritus ratio, nimis profecto jejuna foret, &, ut vere dicam, frigida. Nam quod addit: *Hinc non tantum calceos deponere jubentur, ſed & baculum, quo inter perigrinandum per vias uterentur, nec pecuniam, nec crumenam, aut linteum, quo pecuniam involverent, ſecum ferre licebat, his enim uti ſolebant iter facientes, & ii qui negotiis urbanis inhærebant* eam rationem nihil omnino juvat. Quis quæſo! ſibi perſuadebit hæc eam ob cauſam vel inſtituta, vel ab Hebræorum ſacerdotibus obſervata, ut homines referrent, qui domi munia ſua diſcalceati obeunt, aut ſine baculis, crumena, aut linteo, incedunt? Quaſi vero, quia caleamentis, vel baculo, iter facientes, & qui negotiis urbanis inhærebant, utebantur, hæc ſacerdotibus Hebræorum fuiſſent vetita, qui, cum in templo munia ſua perficiunt, reputantur domi eſſe? Quod vero ſubjecit, *inde etiam Chriſtum diſcipulis ſuis, poſtquam eos per totum terrarum orbem, ad prædicandum Evangelium miſiſſet, vetuiſſe more ſolito favere*: Μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. *Ne poſſideatis aurum, aut argentum, neque æs in zonis veſtris, neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceos, neque baculum. Utpote, qui eodem habitu eos accinctos voluit, quaſi ituros ad templum, rem divinam facturos, quia revera totus orbis, ſi officium ſpectes, iis quaſi domus Dei, atque ſanctiſſimum aliquod templum fuit, & ubique locorum ſupremi* δεσπότου *Chriſti æternitatis patris, rem faciebant*, in eo vehementer fallitur. Calceos enim ſuis diſcipulis Chriſtus non prohibuit, & longe alia fuit iſtius præcepti ratio, uti ſuperius docui ſat copioſe. Neque *hæc fortaſſis etiam cauſa fuit, ob quam verpulorum magiſtri tam expreſſe vetuerint populo, templum ingredi*: במקלו ובמנעלו ובפונדתו ובארק שעל רגליו ולא יעשה קפנדריא ולא במעות הערוריך לו בסדינו: *cum baculo, aut calceo, aut marſupio, aut pulvere ſuper pedes, nec compendii cauſa, nec cum pecunia ligata in linteo*. Id enim ob ſanctitatem loci factum. Quæ ſane vera eſt & unica ratio, cur, & ii qui Templum adibant, eſſent diſcalceati, & ſacerdotes non niſi nudipedes ſua munia obirent.

VI. Hoc cum jam dudum a viris doctis obſervatum ſit, Hebræorum ſacerdotes diſcalceatos fuiſſe, dum rem divinam facerent, neſcio cur Aaron cum calceis ſæpe repræſentetur. Occupavit hic error vulgares tabulas, quæ Belgicis Bibliis inſeruntur. Videatur tabula peregrinationis Iſraelitarum in deſerto, &, quod mireris, Moſis pedes in ea nudi, Aaronis ali-

quo involuti integumento apparebunt. In tractatu Hieronymi Magii *de Tintin.pag.* 45. quem de Tintinnabulis conscripsit, Pontifici Hebræorum, Thymiamata facienti, etiam calcei appinguntur. Excusari hæc possunt, quia, uti *poetis*, ita & *pictoribus*, *Horat. de arte Poetica*, vers. 10.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

At Plutarchi insigne erratum est, qui Pontificem Hebræorum festis diebus κοθόρνοις sacra fecisse tradit. Est in eo totus scriptor gravissimus, ut Bacchum a Judæis cultum ostendat. Probare hoc aggreditur ex eorum Pontifice: πρῶτον μὲν, inquit, ὁ ἀρχιερεὺς ἐλέγχει μιτροφόρος τε προϊὼν ἐν ταῖς ἑορταῖς, καὶ νεβρίδα χρυσόπαστον ἐνημμένος χιτῶνα δὲ ποδήρη φορῶν καὶ κοθόρνους: *Primum enim Pontifex hoc arguit, mitratus ingrediens diebus festis, & hinnuli pellem auro contectam indutus, tunicamque talarem gestans & cothurnos.* Sed Plutarchus *Sympos. lib.* IV. vehementer fallitur, cum Hebræorum Pontifici, quæ aliena ab eorum institutis sunt, affingit. Falsum enim est, diebus festis Pontificem Hebræorum cothurnos gestasse, qui cum reliquis sacerdotibus semper nudipes sacra peragebat. Nam quemadmodum omnes sacerdotes, cum sacra munia obirent, nudis pedibus fuisse constat, ita Pontificem diebus festis fuisse nudipedem, res certissima est, & indubitata, cum inter ejus vestes nulli quoque calcei memorentur. Sed hęc Plutarchum, scriptorem alias gravem, & cum primis eruditum, tradidisse, nemo mirabitur, qui meminerit eum plurima in Symposiacis adversus Judæos futilia scripsisse. Quale est quod serio asserere non dubitat, eos τιμᾶν τὸν ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος, *colere asinum, qui iis monstraverit aquæ fontem.* Quod commentum, ab aliis etiam proditum, jam dudum explosum est. Scilicet Plutarchus, & alii scriptores, qui de Judæorum institutis aliquid memoriæ prodiderunt, eorum religionis fuerunt minime intelligentes, atque inde plurima narrant, vel ipsi fingunt in contumeliam gentis, que prorsus ridicula sunt, & se ipsa destruunt.

CAPUT IV.

I. *Varia humilis coram Deo animi indicia apud veteres Hebræos.* II. *Incessisse nudipedes, ut animum coram Deo humilem ostenderent & abjectum, male colligitur ex exemplo Achabi* 1. Reg. XXI. 27. III. *Judæi in festo expiationis nudipedes.* IV. *Etiam in Tischa Be-Ab.* V. *Nudipedalium origo non ex Judæorum Jejuniis & γυμνοποδίᾳ petenda.* VI. *Vota nudis pedibus soluta.* VII. *Juvenalis locus explicatur, atque ipsius, & aliorum, error ostenditur.*

I. APud Hebræos olim varia fuerunt humilis animi coram Deo & abjecti signa. Indicebant jejunii dies. In iis jacebant in sacco, & cinere, & squalidi obambulabant. Ita Achabus יקרע בגדיו וישם שק על בשרו ויצום וישכב בשק ויהלך אט: *scidit vestes suas, & sacco corpus suum operuit, & jejunavit, & jacuit in sacco, & ambulavit pedetentim.* Quod non alienum ab aliorum Orientalium moribus fuit. Nam Rex Ninive, cum audivisset imminens exitium, quod minabatur Jonas III. 6. 9. non tantum ipse *vestes regias deposuit, & induit se sacco, & sedit in cinere*, verum etiam edicto sanxit, *ut & homines, & jumenta, saccis operirentur, & nec homines, nec jumenta, nec boves, nec oves, quidquam gustarent aut pascerent, aut aquam biberent.*

II. Hebræos etiam olim incessisse discalceatos, ut coram Deo humilem & abjectum animum ostenderent, ex Achabi exemplo posse colligi videtur. Multi interpretes enim vocem אט vertunt *discalceatum*. Ita habent Chaldæus, Syrus, & Arabs, cum quibus faciunt R. Salomon Jarchi, & vir suo seculo Hebraice doctissimus Sebastianus Munsterus. Neque aliter accepit Flavius Josephus *Antiquit. Jud. lib.* VIII. *cap.* 7. Sic enim ille de Achabo scribit: Ἀχάβῳ δὲ λύπη τῶν πεπραγμένων εἰσῆλθε, καὶ μετάμελος, καὶ σακκίον ἐνδυσάμενος: γυμνὸς τοῖς ποσὶ διῆγεν, οὐχ ἁπτόμενος τροφῆς, ἀνομολογούμενος δὲ τὰ ἡμαρτημένα, καὶ τὸν Θεὸν οὕτως ἐξευμενίζων. *Achabum autem dolor factorum subiit & pœnitentia, & indutus saccum, nudis pedibus incessit, abstinens a cibo, confitens autem peccata, & Deum ita studens placare.* Sed vox אט pro *discalceato* in Hebræorum lingua ponitur nunquam. Contra non aliud significat, quam *leniter*, *sensim*, *pedetentim*. Hoc inter alios optime docuerunt viri magni Samuel Bochartus *Hieros. part.* 1. *pag.* 600., & Johannes Coccejus *Lex. Hebr.* Notionem illam etiam complures in-

interpretes agnoscunt. Conjecit quoque Samuel Bochartus, *fortasse ab illo* אט, *at*, *quod proprie gressus tarditatem*, & *lentitudinem*, *sonat*, אטא *atta*, *primo Punice*, *deinde etiam Latine*, *dictum esse*, *qui propter crurum vitium non nisi lente incedit*: Festus: *Attæ appellantur*, *qui propter vitium crurum*, *aut pedum*, *plantis insistunt*, & *attingunt magis terram*, *quam ambulant*, *quod cognomen Quintio Poetæ adhæsit*. Glossæ, ὁ τοῖς ποσὶν ἀρχόμενος περιπατεῖν. Quare, cum אט in Hebræorum lingua non notat *discalceatum*, sed *sensim*, *pedetentim*, *lente*, neutiquam Achabus *discalceatus*, sed *lente*, tanquam præ mœrore languens, incessit. Quo sensu optime acceperunt R. David Kimchi, & R. Levi ben Gersom *ad* 1. *Reg.* XXI. 27.

III. Licet vero non doceat Achabi exemplum Hebræos olim, in signum humilis & abjecti animi, incessisse nudipedes, tamen aliunde id abunde discimus. Præter Sacerdotes, totum populum discalceatum incessisse in magno expiationis die, quem κατ' ἐξοχὴν יומא vocant, id est *diem*, vel etiam יום הכפורים *diem expiationis*, ex Massecheth Joma *cap.* VIII. §. 1. constat. Verba hæc sunt: יום הכפורים אסור באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה ובנעילת הסנדל ובתשמיש המטה והמלך והכלה ירחצו את פניהם והחיה תנעול את הסנדיל דברי רבי אלעזר וחכמים אוסרין: *In die expiationis probibitum est in cibo*, & *in potu*, & *in lotione*, & *in unctione*, & *in inductione sandalii*, & *in ministerio lecti*. *Rex vero*, & *sponsa*, *lavant facies suas*, & *puerpera sandalia induit*. *Verba R. Elieseris*. *Sed sapientes probibent*. Eadem ferme habet Jonathan *ad Lev.* XVI. 29. ad locum Levitici, in quo præceptum Dei de festo expiationis legitur. Ita enim παραφράζει. תענון ית נפשתיכון מן מיכלא ומן משתיא ומן דוויית מני וחמרוקא ומסנא ותשמיש ערסא: *Affligetis animas vestras*, abstinendo *a cibo*, & *potu*, & *a procreatione liberorum*, & *ab abstersionibus*, & *calceamentis*, & *ab usu lecti*. His similia ex Hiskuni profert Johannes Drusius ad eundem locum: *Ut die Cippurim vetitum est comedere* & *bibere*, *ita quoque vetitum est lavare*, & *ungere*, & *induere sandalia*, & *coire in lecto*, *eo quod hæc omnia vocantur afflictio animæ*. Paria Jonathan habet ad *Lev.* XXIII. 27. & ad *Num.* XXIX. 7. Gemina in Baal Hatturim *ad Lev.* XXIII. 7. leguntur: חמשה עינוים הם איכלא ושתיה ורחצה וסיכה ונעילת הסנדל ותשמיש המטה: *Quinque afflictiones bic imperatæ sunt*: Nimirum abstinentia *a cibo*, & *potu*, & *lotione*, & *unctione*, & *indutione sandalii*, & *coitu*. Etiam R. Isaak Karo *in Schulchan Aruch P.* 1. *Tract. de die* כפורים *Tit.* 6. quæ interdicta eo die sunt, sic recenset: מלאכה אכילה שתייה רחצי סיכה נעלת הסנדל ותשמיש המטה: *operatio*, *cibus*, *potus*, *lotio*, *unctio*, *usus sandalii*, & *coitus*. Et adeo quidem necessarium putant Magistri sine calceis incedere eo die, ut non modo R. Moses ben Maimon *in Jad Chazaka Tract. de die expiationis cap.* III. §. 7. dicat אסור מנעל הסנדל אפילו הברגלו אחד: *probibitum est induere sandalia etiam pede uno*: Sed etiam non excludat infantes: התינוקות אף על פי שהן מותרין באכילה ובשתיה ורחיצה וסיכה מוכעין אותן ממנעל הסנדל: *infantes*, *quamvis illi liberi sint* ab abstinentia *a cibo*, & *potu*, & *lotione*, & *unctione*, *tenentur tamen exuere sandalia*. Cæterum, quod ad sandalia, sive calceos, vir doctissimus Robertus Sheringhamius, *ad Joma cap.* VIII. §. X. qui tractatum, Talmudicum Joma latinum dedit, observavit, *hoc intelligendum esse de calceis coriaceis*, quoniam *poterant soccis ex panno*, *aut quavis alia materia confectis*, *uti*, atque id probat ex Arba Turim, in Hilcoth Jom. Hakkippurim: מותר לילך באנפלאות של בגד לא-שנא בבית הא שנא ברשית הרבים: *Licitum est* (in die expiationis) *incedere impiliis*, *nibil interest*, *sive privatim*, *sive publice*. Scilicet אנפלאות *impilia*, id est, soccos ex panno, aut aliqua alia materia confectos, uti vocem hanc significare, quæ viros maximos exercuit, prolixe docet vir summus Johannes Seldenus, *in Uxor. Hebr. lib.* 1. *cap.* 14. permittunt Magistri, cum perinde hoc sit ac si aliquis incedat discalceatus. Idem confirmat ex Menasseh Ben Israel, in Thesauro dos dinim cap. 98. Gemina in Synagoga Judaica magnus Buxtorfius annotavit. *Nemo calceos*, *ne quidem uni pedi induere debet*; *Sic qui pede uno mutilus est*, *ei non licet fulcrum seu pedem factitium alligare aut applicare*, *inprimis si sit ex corio*: *quia ex his commodum* & *delectationem capit bomo*: *Senes vero*, & *debiles*, *quodam morbo aut plaga laborantes*, *aut ii quibus frigus nocet*, *soccos laneos induere possunt*, *vel in schola in pulvillum stare*. *Si quis etiam sit in loco*, *ubi a scorpionibus est periculum*, *licet ei* & *coriaceos calceos inducere*. Sed coriaceis calceis præterea infirmos, & vulneratos, uti posse, refert Menasse Ben Israel, celebris ille nuper Archisynagogus Amstelodamensis.

IV. Id ipsum fiebat in illo jejunio, quod quinto mense, qui אב, *Ab*, dicitur, celebrabatur, unde & communiter, תשעה באב, *tischa Be-Ab*, vocatur. Videri de hoc jejunio potest vir Cl. Johannes

nes Buxtorfius *de Syn. Jud. cap.* 30. Eo die Judæos esse nudipedes, neque fas esse calceis uti, etiam observavit Johannes Braunius *de Vest. Sacr. lib.* 1. *cap.* 3. Inprimis memorabile est quod Buxtorfius narrat, inter ea quæ decenter ad ejus celebrationem præparandam faciunt, ex quo Mensem *Ab* sunt ingressi, ab ipsis Calendis, usque ad Nonas: *Calceos*, inquit, *nullus sutor facere debet, ne quidem aliis pro mercede: calceos novos, vel ullum aliud vestimentum novum, nemo induet*. De ipsa vero solemni celebratione notat: *Prima vespera calceos exuunt, & nudis pedibus in scholam eunt*.

V. Ab hoc ritu originem petierunt viri eruditi sacrorum Nudipedalium, quæ apud Græcos, Romanos, Barbaros, celebrata fuerunt, ad impetrandos de cœlo imbres. De his Tertullianus *Apolog. cap.* 4. *Denique cum ab imbribus æstiva biberna suspendunt, & annus in cura est, quidam quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denunciatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso Deo & cœlo*. Cujus moris specimen aliquod in variis Galliæ locis hodieque retineri, & ad eliciendas aquas nudis pedibus loca sacra homines supplices adire, Petrus Daniel Huetius, *Dem. Evang. Prop.* 4. *cap.* 11. magnum literarum, & omnis eruditionis ornamentum, refert. Sed & alias id factum ex Plinio *lib.* XVII. *cap.* 28. discimus: *Privatim autem*, inquit, *contra erucas ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis nudis pedibus recincta*. Christianos veteres etiam in supplicationibus incessisse nudipedes, multis ostendit vir doctissimus Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 23. Quomodo & Cardinalis Borromæus, cum pestis Mediolani grassaretur, indicta sæpe publica supplicatione, nudis pedibus incessit, & plures ad ejus exemplum, uti narrat vir doctissimus Martinus Gejerus *de Luct. Hebr. pag.* 299. Sed Nudipedalia aliunde originem habere quam a solemnibus jejuniorum diebus, qui inter Judæos in magnis calamitatibus observati sunt, ego suspicor. Nudipedalia proprium fuisse Judaici populi festum, omnino perperam Thomas Dempsterus *ad Ros. pag.* 439. notavit, ex Josephi loco, quem mox adducam. Pro ratione quidem, & necessitate temporis, sæpe jejunia instituta sunt quæ nudis pedibus a Judæis peragebantur, non tamen nudipedalia proprium festum Judaici populi fuerunt. Uti enim hodie Judæi, ingruentibus in civitatem aliquam calamitatibus publicis, peste puta grassante, aut uredine, aut rubigine, frumentum invadente, item propter pluviarum, vel defectum, vel nimiam abundantiam, indicunt jejunia, ita olim etiam a sanctis patribus institutum fuit. Ea jejunia variis signis humilis animi observarunt, uti hæc hominibus quasi innata religio est, externis indiciis declarare abjectum suum & humilem animum, ut eo magis divinum sibi concilient favorem. Pariter Nudipedalia urgentibus necessitatibus inter gentiles instituta sunt, ut divinum favorem in se elicerent, non Judæorum exemplo, sed instinctu humani ingenii, quod ad talia est admodum proclive. Putarunt enim se hac ratione Deos sibi reddituros magis propitios. Quamvis a Judęis ad Christianos veteres, & inde ad superstitiosos in Gallia hęc religio pervenisse videri possit, ad quam tamen plurimum contulit hominum ad talia non parva proclivitas.

VI. Etiam vota nudipedes solverunt. Illustre est Berenices exemplum, quod Flavius Josephus *de Bell. Jud. lib.* II. *cap.* 15. refert: Ἐπεδήμει δὲ, inquit, ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, εὐχὴν ἐκτελοῦσα τῷ Θεῷ. Τοῖς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένοις, ἢ τισὶν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας. ἃ δὴ τότε τελοῦσα Βερνίκη, γυμνόπους τε πρὸ τοῦ βήματος ἱκέτευσε τὸν φρῶρον: *Degebat autem Hierosolymis, ut vota Deo solveret. His enim qui morbo, vel aliis necessitatibus, implicantur, mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias, abstinere quoque vino, & capillos radere. Quem morem Bernice illis diebus exercens, nudipedes etiam ante tribunal deprecata est Florum*. De eadem Bernice Hegesippus: *lib.* 2. *cap.* 8. *In conspectu Berenices, quæ soror Agrippæ regis ad templum religionis causa venerat, acerbissima cæde in populum desæviebat: nec obsecranti deferendum arbitratus, cum inservientem religioni nudis pedibus adstantem videret*.

VII. Hujus historiæ notitia ad Juvenalem *sat.* VI. *vers.* 155. *&c.* pervenisse videtur, qui de Berenice canit:

> —— *Deinde adamas notissimus, & Berenices*
> *In digito factus pretiosior: hunc dedit olim*
> *Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,*
> *Observant ubi festa mero pede Sabbata Reges*
> *Et vetus indulget senibus clementia porcis*.

Ve-

Vetus Juvenalis Scholiastes hęc de Agrippa Augusti nepote, & sorore ejus Julia, intelligit. Sed optime observarunt viri pereruditi, hoc omniuo capiendum de Berenice Agrippę Regis sorore, quę nudo pede ad Flori tribunal accessit. Erravit tamen Juvenalis, cum Judęos dicit sua Sabbata *mero*, hoc est nudo, *pede observasse*. Nemo enim putet hoc unquam a Judęis factum. Est enim, & semper fuit, ab eorum moribus alienissimum. Quantopere a γυμνοποδίᾳ absit Sabbati superstitiosa observatio, videre est in Synagoga Judaica magni Buxtorfii, e qua patet Judęos potius, quam ut incedant nudipedes, omnibus vestibus sabbatinis se induere, ut Sabbatum vel vestium luxu honorent. Sed erroris hujus origo facile indagari potest. Apud Judęos olim fuerunt varii jejuniorum dies. Prętor diem expiationis, qui singulis annis, ex lege Mosis, jejunio celebrabatur, quatuor publica jejunia, singulis annis indici solita, ex Zacharię VIII. 19. vaticiniis colligi potest. Verba hęc sunt: צום הרביעי וצום החמישי וצום השביעי וצום העשירי יהיה לבית יהודה לששון ולשמחה ולמעדים טובים *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi*, mensis, *erit domui Judæ, in gaudium, & in lætitiam, & in solennitates præclaras*. Ex eo loco enim etiamnum Judęi quatuor jejunia publica, & solennia, propter calamitates, & afflictiones, quę illis diebus olim ipsorum patribus contigerunt, celebrare solent. Videri de his potest Synagoga Judaica magni Buxtorfii, qui de singulis agit prolixe. Sed pręter ea jejunia, quę singulis annis, stato tempore, recurrebant, alia adhuc sępe indicta, pro re nata, sunt. Iis temporibus, quibus solenniter jejunabant, nudis pedibus incedebant Judęi. Hinc Juvenalis, cum accepisset, nudo pede ad Flori tribunal accessisse Berenicen, quoniam in usu apud Judęos erat, ut jejunii tempore incederent nudipedes, errore sui ęvi, Sabbata ab ipsis regibus mero pede, id est nudo, observari cecinit. Scilicet, cum Judęi, non ipsis Sabbatis, hoc est septimo quoque die, quem religiose colebant, sed jejunii diebus, nudis pedibus incederent, id accepit Juvenalis perinde, ac si Sabbatis id ipsum observarent. Eadem ratione, qua errorem alium a veteribus commissum scimus, qui Sabbatum jejunio celebrari a Judęis volunt. Hanc communem quondam opinionem fuisse, non inepte quis colligat ex his Justini *lib.* 36. *cap.* 2. verbis: *Moses, Damascena antiqua patria repetita, montem Synan occupat, quo septem dierum jejunio, per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem more gentis* Sabbatum *appellatum, in omne ævum jejunio sacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat*. Eundem errorem passim Poetæ, qui Judaicam gentem exagitant, errarunt. Petronius, in Epigrammate quo Judæos proscindit.

Et non jejuna Sabbata lege premet.

Martialis *lib.* IV. *Epigr.* 4.

Quod jejunia Sabbatariorum:

h. e. Judæorum, qui Sabbata jejunio celebrant. Idem ipse Augustus apud Svetonium *in vita Aug. cap.* 67. putavit: *Ne Judæus quidem*, scribit, *mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi, qui in balineo demum post horam primam noctis duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem*. Sed nihil a Judæorum moribus magis alienum est, quam Sabbatum jejunio celebrare. Diserte Maimonides *in Hilc. Schabbath. cap.* XXX. *n.* 11. אסור להתענות בשבת: *Probibitum est jejunare in Sabbato*. Imo in Judæorum ritualibus, etiam hoc nostro tempore, legitur, genio indulgendum Sabbati die. Jucundas quoque aliquot historias, hoc est, ridiculas fabellas, quales nempe dignæ sunt cerebro Rabbinorum, in Talmude suo habent, quibus voluptas & deliciæ summus Sabbati honor esse probantur. Videri potest Tractatus Talmudicis שבת, sive *de Sabbato*, quem Sebastianus Schmidius Latinum dedit, itemque quæ observata sunt in Synagoga Judaica magno Buxtorfio *cap.* 15. Juxta hæc instituta R. David Kimchi *ad Jes.* LVIII. 13. dicit: מצות עשה לענג הגוף ביום השבת באכלים עובים וטובים שמחוך שישגהור משא ימים לטוב: *Præceptum affirmativum est pascere corpus die Sabbati, cibis dulcibus & bonis se exhilarare, ut discrimen sit inter reliquos dies & festum*. Quare nunquam Judæi Sabbata sua jejunio celebrarunt. Unde, neque in sacris monumentis, neque in Judæorum commentariis, ullum hujus moris vestigium occurrit. Sed & hujus erroris origo patet. Veteres, cum a Judæis crebra jejunia servari viderent, etiam putarunt ipsum Sabbatum, id est, septimum diem, quem religiose colebant, jejunio celebrari. Optime hoc observavit Magnus Casaubonus *ad Svet. Aug. cap.* 75. *Romani*, inquit, *qui norant crebra ab iis usurpari jejunia, cum præcipua castimonia Sabbatum ab iisdem celebrari viderent, ignari morum ejus gentis, id sibi temere* per-

persuaserunt. Uti vero ex crebris Judæorum jejuniis putarunt Romani etiam Sabbata jejunio celebrari, ita Juvenalis, qui sciebat Judæos diebus jejunii nudis pedibus incedere, id etiam de Sabbato sibi persuasit. Hinc, cum historiam de Bernice referret, quæ nudis pedibus coram tribunali Florum deprecata est, cecinit:

Observant ubi festa mero pede Sabbata reges.

Hæc cum sint certissima, nescio cur vir Doctissimus Johannes Braunius Juvenalem defendere, ac si a Criticis sine causa inscitiæ accusatus esset, voluerit, & Sabbata apud Juvenalem de jejuniis explicarit. Postquam monuisset, Judæos *in die expiationum*, itemque *tischa be Ab*, nudis pedibus incedere, & ad hæc sibi videri Juvenalem respexisse: *Ergo nudo pede*, inquit, *observant* Sabbata, *id est*, jejunia. *Præsertim diem expiationum, qui vocatur* שבת שבתון, *quasi diceres*, Sabbatum quietis. *Levit. cap.* XVI. *Quod velim Criticos observasse, ne Juvenalem imposterum inscitiæ accusarent, quasi per Sabbata intellexisset, diem illum, qui singulis hebdomadibus recurrit, id est, diem Saturni, quo die sane non jejunabant, nec etiam nudo pede incedebant.* Sane Juvenalem *Sabbata* dixisse *jejunia*, non credo facile probaturum esse quenquam. Vocant quidem Judæi *diem expiationum* שבת שבתון sed tam doctum fuisse Juvenalem qua ratione quis adstruet? Cum Augustum, Justinum, Petronium, aliosque plures, in illo errore fuisse, Judæos Sabbatum, id est, septimum diem observasse, ut diem jejunii, ignoret nemo, nescio cur sibi quis persuadere conetur, aliter putasse Juvenalem, quam Judæos *Sabbata*, id est, septimum diem, qui singulis hebdomadibus recurrit, nudo pede observare. Nam, uti alii errarunt, qui Judæos Sabbatis jejunia servare existimarunt, ita Juvenalis erravit, qui festa Sabbata mero pede observare Reges dixit, quod optime Chritici monuerunt.

CAPUT V.

I. *Luctus & dolor variis signis proditus*. II. *Hebræi in luctu incesserunt nudis pedibus*. III. *In loco* Mich. I. 8. *duplex peccatum Græcorum interpretum*. IV. *Calceis captivos spoliare veteres soliti*. V. *Obscurum locum* Jer. II. 25. *male quidam ex hac consuetudine exponunt*. VI. *Nostra istius loci explicatio*. VII. *Ob luctum mortui nudis pedibus incesserunt Hebræi*. VIII. *De eodem ritu ex Maimonide plura*. IX. *Ex Svetonio, morem fuisse apud Romanos, ut in funeribus essent discalceati, observarunt quidam non recte.*

I. Ingens mœror, qui animo concipitur, vel ex Reipublicæ calamitate, vel ex ejus, qui nobis charus erat, acerbo interitu, sicut vultu proditur, & aspectu, ita externo quodam ritu, ac signo, ostensus semper fuit. In privato, itemque publico luctu, videre est priscos, passis crinibus, coma discerpta, intonsa barba, scissis vestibus, cinere conspersos, passim incedere, ut dolorem, qui ipsos coquebat, & versabat sub pectore fixus, externo squalore indicarent. Pleni sunt de his ritibus lugentium omnes libri, plena omnium monumenta, ex quibus multa jam dudum collegerunt viri eruditissimi, & inprimis, qui de luctu & ritibus legentium librum singularem edidit, vir celeberrimus Martinus Gejerus.

II. Calceos etiam neglexerunt Hebræi, & nudis pedibus iverunt, cum aut Rempublicam gravior quædam calamitas opprimeret, aut ereptos sibi charos lugerent. Illustre est Davidis exemplum, qui in magno mœrore, fugiens arma filii sui Absalomi, *ascendit montem olivarum*, בוכה וראש לו חפוי והוא הולך יחף: *flens, capite operto, & ipse vadens discalceatus.* Scilicet, Hierosolyma pulsus a rebelli filio, cum signis variis dolorem animi, ex prisco more, indicaret, etiam יחף *discalceatus* fuit, licet per viam arduam, & asperam, se reciperet in desertum. Eodem modo ac apud Florum *lib.* I. *cap.* 13. ob imminens a Gallis periculum, *Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur*. Equidem scio viros longe eruditissimos Isaacum Casaubonum *ad Svet. Aug. cap.* 100. Benedictum Balduinum *de Calc. Antiq. cap.* 23. Johannem Braunium *de Vest. Sac. pag.* 64. & complures alios, ad religionem referre nudos Vestalium pedes, & ex hoc loco colligere, Virgines Vestales nudis pedibus sacrificasse. Hoc utique certum haberem, & indubitatum, si aliunde constaret nudis pedibus Vestales Virgines sacra fecisse. Exhibuit nummos Guilhelmus Choulius *de la relig. des Anc. Rom. pag.* 217. qui Religionem veterum Romanorum sermone Gallico descripsit, unum Lucillæ, alterum Faustinæ, in quibus visuntur Virgines Vestales sacra facientes, qualem etiam dedit vir omni elegantis doctrinæ genere politissimus, meus, quod mihi duco gloriæ, quondam doctor, Johannes Georgins Grævius *ad Flor. loc. cit.* qui ex nummis, & monumentis antiquis, Flo-

Florum illustravit, ex quibus, licet non evidenter videri possit an sacra sua peregerint nudipedes, colligere tamen est proclivius eas nudo pede non sacrificasse. De Vestæ Æde quidem canit Ovidius *Fast. lib.* IV.

Huc pede matronam nudò discurrere vidi.

Sed id ad certum religionis, aut superstitionis ritum, referendum omnino est. Quare Virgines e sacerdotio Vestæ, non quod alias solerent esse nudipedes, aut nudis pedibus sacrificarent, sed ob luctum & summum periculum, quod a Gallis urbi imminebat, qui fuso exercitu jam mœnibus appropinquabant, *nudo pede fugientia sacra comitasse* videntur, plane uti olivarum montem rex David discalceatus ascendit.

III. Si Græcos sequimur interpretes, aliud exemplum de nudis pedibus ob luctum publicum occurret apud Micheam I. 8. Commemorat ille Dei judicia, quæ Samariæ imminebant, dititque: על זאת אספדה ואילילה אילכה שילל וערום: *Propterea plangam, & ejulabo, vadam spoliatus, & nudus*. Ea verba vero interpretes Græci reddiderunt: Ἕνεκεν τούτου κόψεται, καὶ θρηνήσει, πορεύσεται ἀνυπόδητος, καὶ γυμνή. *Propter hoc planget, & lamentabitur, ibit discalceata, & nuda*. Scilicet pro שולל, quod in Hebræo est, & *spoliatum* notat, habent ἀνυπόδητος, *discalceata*. Ad quod verbum notavit Cyrillus: Ἡ δὲ γυμνότης, καὶ ἀνυποδησία, τὸ τῶν αἰχμαλώτων σχῆμα δεικνύει: *Nuditas autem, & discalceatio, captivorum habitum designat*. Sed duo in hoc loco Græci interpretes peccarunt. Primum, quod hæc verba referunt ad Samariam, quasi ea plangeret, & ejularet, & incederet nuda, cum verba Prophetæ sint, qui hæc commemorat de se ipso. Alterum, quod Hebræam vocem שולל vertunt ἀνυπόδητον, cum proprie *spoliatum* notet, ac de laceris, & scissis vestibus, dicatur. Nisi cui magis placeat Prophetam dicere se incedere מולל, hoc est *expertem consilii*, præ animi dolore. Quo sensu apud Jobum XII. 17. & 19. ea vox usurpatur, dum dicitur: *qui consultos incedere* שולל, hoc est, *absque mente, expertes consilii, facit*.

IV. Recte tamen notavit Cyrillus, ἀνυποδησίαν τὸ τῶν αἰχμαλώτων σχῆμα δεικνύειν, *discalceationem captivorum habitum ostendere*. Soliti enim sunt veteres, non tantum vestibus, verum etiam calceis, spoliare captivos. Docet hoc illustris locus, qui in Annalibus legitur. Pekak, Remaliæ filius, Rex Samariæ Judæorum centum & viginti millia ceciderat uno die, & ducenta millia captivos abduxerat, & spoliarat. Hos captivos, non tantum vestibus, sed etiam calceis, spoliatos ex evidere est, quod, ubi monitu Prophetæ Oded reducerentur, diserte dicitur: ויקמו האנשים אשר נקבו בשמות ויהזיקו בשביה וכל מערמיהם הלבישו מן השלל וילבשום וינעלום *Et surrexerunt viri, quorum nomina sunt expressa, & acceperunt captivos, atque ex præda vestiverunt omnes nudos, & calcearunt*. Æque clare id ostendit hic insignis apud Jesaiam locus. Dicit illi Deus: לך ופתחת השק מעל מתניך ונעלך תחלץ מעל רגלך *Vade, & solve saccum a lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis*. Huic mandato paruit non invitus. Itaque יעש כן הלך ערום *fecit sic, eundo nudus*. Hoc vero signum esset Ægyptiis, atque Cuschæis, similis discalceationis, cum captivi abducerentur ab Assyriæ Rege. Ita enim explicat, & mysterium pandit ipse Dens. כאשר הלך עבידי ישעיהו ערום ויחף שלש שנים אות ומופת על מצרים ועל כוש כן ינרג מלך אשור את שבי מצרים ואת גלות כוש נערים וזקנים ערום ויחף *Quemadmodum ambulavit servus meus Jesaias, nudus, & discalceatus, tribus annis, signum & portentum super Ægypto & Cuschæis: sic ducet Rex Assyriæ captivos Ægypti, & exules Cuscæorum, pueros & senes, nudos, & discalceatos*. Jam Abrahami ævo eum morem usitatum, non absurde quis colligat ex ipsius dicto ad Regem Sodomæorum, quod negat *se ex omni præda accepturum*, מחוט ועד שרוך נעל *a filo usque corrigiam calcei*.

V. Ex hac veterum consuetudine exponunt viri eruditissimi obscurum quendam apud Jeremiam locum. In eo graviter populum increpat Propheta, quod a Deo defecerint, a quo tam multis tamque variis beneficiis fuerant cumulati. Tandem vero hoc monitum subjungit: מנעי רגלך מיחף וגורנך מצמאה *Arce pedem tuum a discalceatione, & guttur tuum a siti*. Captivitatem prædici putant docti interpretes, in quam nudipedes abducerentur. Ita Sebastianus Castalio: *ad h. l. Cave ut committas, ut tibi in captivitatem nudis pedibus procul eundum sit*. Et Magnus Coccejus: *ad h. l. & in Lex. Heb. Monet imminere deportationem, ut nudipedes, & in siti, deducantur in aliam terram*. Ego vero non video hanc genuinam esse Prophetæ mentem. Persistere Prophetam in Metaphora cameli, & onagri fœminæ, extra dubium omne est.

Hinc

Hinc necesse est, ut hoc monitum pariter sit metaphoricum, a re simili desumtum, quo deterret Israëlitas, & *eos avocat ab impudenti libidine*, prout ad hæc verba optime notarunt Belgæ *ad h. l.* interpretes. Quod confirmat responsio, quæ subjungitur: ותאמרי נואש לוא כי אהבתי זרים ואחריהם אלך: *Et dixisti, desperatum est, Non: nam diligo alios, & eos sequar.* Quasi dicant: frustra mones, & laterem lavas, id nunquam præstabimus, diligimus enim alios. Hoc itaque monitum est, non quo captivitas prædicitur, in quam nudis pedibus, & in siti, procul eundum esset, sed quo a fœda libidine, hoc est Idololatria, populum deterret vates.

VI. Hunc sensum miror non vidisse tot interpretes, qui abeunt in alia omnia, quorum sententias neque referre, neque examinare libet. Superiori libro, duorum commatum, quæ præcedunt, sensum dedi, ut quidem opinor, verisimillimum. *Camelum juniorem*, משרכת דרכיה, *quæ circumit vias suas*, Camelum fœminam esse, quæ catulire incipit, & œstro libidinis percita huc illuc vagatur, maris potiundi gratia, docuit prolixe Scilicet Propheta qui cum meretrice comparaverat Judaicam gentem, quæ in lupanari prostat, & cuilibet se prosternit, quo magis appareat rei fœditas, eam comparat cum camelo juniore, quæ libidine flagrans quærit marem. Sed ea metaphora non contentus, etiam onagrum vocat populum ad Idololatriam proclivem, quæ ubi eminus olfecit marem, a nemine inhiberi potest, quo minus ad eum currat, imo quæ neminem recusat, vel in ipsis menstruis. In eadem metaphora pergit Propheta, atque ex Dei nomine monet: מנעי רגלך מיחף וגורנך מצמאה *prohibe pedem tuum a discalceatione, & guttur tuum a siti.* Scilicet Israëlitas avocat ab impudenti libidine, qua omnium gentium Idola colebant. Apud veteres, uti matronæ, & puellæ pudicæ, non tantum velatæ erant, verum etiam pedes stola, & calceis tegebant: ita, quæ licentiam stupri vulgaverant, non cervice modo, & humeris, atque lacertis conspicuis, ac seminudis erant, prout Ovidius *de Arte Am. lib.* III. *vers.* 307. canit:

> *Pars humeri tamen ima tui pars summa lacerti*
> *Nuda sit a læva conspicienda manu.*
> *Hoc vos præcipue niveæ decet: hoc ubi vidi,*
> *Oscula ferre humero qua patet usque libet,*

verum etiam pedes discalceatos & nudos ostendebant, nisi forte quid vitii subesset, quo facit hoc ejusdem monitum,

> *Pes malus in nivea semper celetur aluta,*
> *Arida nec vinclis crura resolve tuis,*

quo puellam, quæ amare, & amari cupit, instruit, ut pedem malum celet, ne ejus deformitas appareat, quam calcei, qui a pede per tibiam protenduntur, ac crus medium obligant, tegunt, si nunquam resolvantur, unde & apud Tertullianum *Pallio cap.* 3. leno, meretricum *impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Cum enim, ut apud Horatium est,

> *Matronæ præter faciem nil cernere possis,*
> *Cætera, ni catia est, demissa veste tegentis,*

contra meretricum cervix non solum nuda, & ima pars humeri, & summa lacerti, in amatorum oculos incurrebat, verum etiam pedes nudi, & discalceati. Ita mulier, omnibus simulacris emendatior, in lupanari describitur, cervice, & pedibus nudis, apud Petronium: *Jam mentum*, inquit, *jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor extinxerat.* Eleganter Prudentius: *lib.* II: *in Symmach vers.* 35.

> *Vincendi quæris dominam? sua cuique dextra est,*
> *Et Deus Omnipotens: non pexo crine virago,*
> *Nec nudo suspensa pede, strophioque revincta,*
> *Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.*

Atque uti mulieres, libidine percitæ, pedes nudabant, ita & vinum amabant, quum scirent *sine Cerere & Libero Venerem frigere.* Habet enim vinum ad incitandam libidinem summas vires, ut vel Lothi exemplum ostendit, cui, seni admodum, vinum apposuerunt filiæ; ut cum ipsis coiret, quo victus vir sanctissimus, horrendum nefas commisit. Usque adeo verum est quod vulgo dici solet:

> *Nox & amor vinumque nihil moderabile suadent.*

Hinc meretrices, ut vini avidæ, sæpe describuntur. Apud Terentium conqueritur

tur ſenex, in cujus domum Bachis erat introducta, *ſe releviſſe omnia dolia, omnes ſerias*, & tandem ſubjungit: *Pitiſſando mihi quid vini abſumſit*. Monuit hinc Propheta: מנעי רגלך מיחף וגורנך מצמאה *Probibe pedem tuum a diſcalceatione, & guttur tuum a ſiti*. Hoc eſt, ne amplius, more meretricum, nudos pedes tuos oſtende, & guttur tuum ne ſitiat vinum, quod libidinem incitat. Hanc ſententiam verba ſequentia optime confirmant, quibus obſtinatus populus introducitur reſpondere: נואש לוא כי אהבתי זרים ואחריהם אלך *deſperatum eſt, non: nam diligo alios, & eos ſequar*. Quaſi dicat, hæc fruſtra mones, abſtinere enim nequo, cum amaſios diligam, & eos ſequi velim. Hæc mea de hoc loco ſententia. Vir illuſtris Hugo Grotius *ad Jer.* 2. 25. etiam vidit ad compeſcendam libidinem hoc monitum pertinere, ſed non recte mihi videtur id expoſuiſſe. *Probibe*, inquit, *pedem tuum a nuditate, i. e. ſi quis tibi dicat (id enim hic ſupplendum) Noli denudare partes muliebres. Eas enim Hebræi, ut & alii, honeſte pedum vocant nomine. Vide Gen.* 49. 10. *Et guttur tuum a ſiti Nova translatio in ipſa comparatione: nam ſitim intelligit libidinem. Guttur quid ſit intelliges ex Prov.* 30. 16. 20. Quod monet pedes ſæpe pro pudendis poni veriſſimum utique eſt. Sed, cum verbum יחף proprie notet *diſcalceatum*, *pes* pro *pudendo* hic ſumi omnino nequit. Pariter huc non quadrat, quod de ſiti, & gutture ſubjungit.

VII. Obſervatum qnoque apud Hebræos, ut qui mortuum lugerent incederent nudipedes, jam dudum, præter Flaccium Illyricum, *clavi Script. pag.* 1. complures viri eruditiſſimi, ex loco apud Ezechielem XXIV. 16. 17. inſigni, collegerunt, ubi Propheta a Numine jubetur, contra morem, in uxoris funere, cuncta retinere lætitiæ ſigna. Verba Dei ſunt: בן אדם הנני לקח ממך את מחמד עיניך במגפה ולא תספד ולא תבכה ולוא תבוא דמעתך האנק דם מתים אבל לא תעשה פארך חבוש עליך ונעליך תשים ברגליך ולא תעטה על שפם ולחם אנשים לא תאכל: *Fili hominis, ecce ego eripiam tibi deſiderium oculorum tuorum per plagam: tu tamen non planges, neque flebis, neque ullas lacrymas emittes: Clamare deſiſte, non facies luctum funebrem, tiaram tuam alliga tibi, & calceos tuos pone in pedibus tuis, & ne obnubas myſtacem, & panem hominum ne comedas*: Fuerunt hæc omnia illis temporibus luctus indicia. Nam plangebant, flebant, leſſum faciebant funebrem, nudabant caput, vel obvolvebant, deponebant calceos, obnubebant myſtacem, & panem comedebant ab aliis allatum. Hæc Prophetam vetat Deus. Quod Judæi, cum tanquam inſolens, & a vulgatis moribus alienum, mirarentur, prædicit futurum, ut ipſi quoque, liberis gladio ſublatis, idem facerent, quod ab ipſo fieri videbant, nec ullum luctus ſui ederent ſignum. Manifeſtum inde eſt certumque, in mortuorum luctu, olim inter Hebræos eum morem fuiſſe, ut calceos exuerent, quod ſecus in lætitia fiebat.

VIII. Meminit hujus ritus omnium Rabbinorum doctiſſimus Moſes Ben Maimon, *in Ebel. cap.* 5. §. 1. qui titulo peculiari, quem אבל *de luctu* inſcripſit, omnia quæ ad luctum pertinent, egregie recenſet: *Illæ ſunt res*, inquit, *quæ lugenti probibentur, die quidem primo ex ſententia Legis, diebus autem reliquis ex traditione majorum, nimirum tonderi, lavare veſtes, balneo corpus recreare, ungi oleo, cum uxore conſueſcere, calceos induere, facere negotium, legere in libro legis, ventilare lectum, nudare caput ſuum, ſalutare*. Quod vero inter lugentium ritus, tanquam prohibitum, recenſet, *induere calceos*, ex Ezechielis exemplo petit: *Unde*, inquit, *eſt, quod lugenti probibita Sandaliorum aſſumtio? Eo quod Ezechieli dictum fuerit, calceum tuum appones pedi tuo: unde generatim cuivis probibitos fuiſſe elicitur*. Scilicet ex eo quod, contra morem, Ezechieli Deus mandavit, ut nullum luctus ſignum edat, quodque alias inſolens, calceos induat, colligit doctiſſimus Maimonides, fieri ſolitum, ut in luctu ſandalia exuerentur. Hunc morem etiamnum obſervari apud Judæos, ut in funeribus diſcalceari oporteat lugentes, monuerunt viri ad miraculum in lingua & ritibus eorum eruditi, Paulus Fagius, *ad Deu.* 14. 1. & Johannes Buxtorfius, *Syn. Jud. cap.* 49. & poſt eos vir celeberrimus Martinus Gejerus, *de Luct. Hebr. cap.* 15. qui ex Minhagim Germanicis adduxit hæc præcepta. *Wenu das meth (verſtorbne) noch nit zu* Keſura (*Grab*) *iſt kommen, darf der* afel (*leid tragende*) *nicht die Schuh aus thun* hoc eſt, *Quando mortuus nondum delatus eſt ad ſepulturam, non opus eſt ut lugens calceos exuat*. Poſtmodum inchoato ſemel luctu, *mus er die Schuh auſthun, und ſol ſein Weib ſteben laſſen*, hoc eſt, *debet calceos exuere, & ab uxorem abſtinere*. Quibus ſimilia leguntur in Maſſechet Semachoth: *Sem. cap.* 1. אין קורעין ואין חולצין וכו׳ עד שעת שימות *Non lacerabunt veſtes, nec calceos extrahente &c. antequam objerit*. Quod obſervavit vir doctiſſimus, Johannes Braunius *de Veſt. Sac. Hebr. p.* 61.

IX. Ex Svetonio, *in Aug. cap.* 100. qui in funebri Auguſti pompa refert: *Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis, tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis, ac in Mauſoleo condiderunt*, obſervatum fuiſſe a Romanis, ut in funeribus nudis pedibus incederent, notavit vir elegantiſſimus Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 23. Paria habent alii, & nuperrime id monuit Johannes Braunius. Ego vero non video ex hoc loco poſſe colligi, Romanorum hunc ritum fuiſſe, ut diſcalceati luctum funebrem teſtarentur. Nam quod in pompa funebri Auguſti factum, plane ſingulare eſt, & alias inſolitum. Hæc enim indicia reverentiæ, & ταπεινοφροσύνης, vel, ut loquitur Tertullianus, ταπεινοφρονήσεως fuerunt, atque hic honor Auguſto habitus, ut qui jam major homine, & inter Divos eſſet. Non mihi latet magnum Caſaubonum *ad Svet. loc. cit.* notaſſe. *Falluntur, quod peculiarem Auguſto habitum hunc honorem cenſent, ut a diſcinctis reliquiæ ejus legerentur. Nam in aliorum quoque funeribus idem ſanctitatum, Tibullus,*

> *Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa*
> *Incinctæ nigra candida veſte legunt.*

Imo vero in pleriſque religionis ſuperſtitioniſve ritibus obeundis calceos ponebant. Quod prolixius docet. Mihi tamen neutiquam vir magnus perſuadet, eos falli, qui peculiarem Auguſto habitum hunc honorem volunt, ut nudis pedibus ipſius oſſa legerentur. Nam uti omnino ſingulare fuit, quod primores equeſtris ordinis, tunicati, & diſcincti, legerunt Auguſti reliquias, ita quoque peculiare fuiſſe, quod nudis pedibus obierunt hoc munus, patere puto ſat evidenter. Neque video quorſum vir magnus notet, *in pleriſque religionis, aut ſuperſtitionis ritibus obeundis, calceos olim poſitos*. Quid enim illud ad funebrem luctum facit? Sane, quæcumque vir magnus obſervavit, minime oſtendunt id in funeribus olim uſitatum. Quod ſi ex religione, aut ſuperſtitione, Auguſti reliquias primores equeſtris ordinis nudis pedibus legerunt, nimirum quoniam Auguſtus ab iis jam divus habebatur, neceſſe eſt ut ritus fuerit omnino peculiaris, in aliorum funeribus non obſervatus. Si enim hoc ideo factum eſt, ut pedibus nudis Auguſtum venerarentur, & hunc haberent honorem, prout calceos, in pleriſque religionis, aut ſuperſtitionis ritibus, ponebant, omnino ritus non obſervatus in aliorum funeribus fuit. Tum ſi vel maxime nudis pedibus reliquiæ lectæ apud Romanos fuiſſent, alius hic ritus foret, quam quem veteres Hebræi uſurparunt, atque etiamnum Judæi obſervant. Lugentium enim hic ritus fuit, ut diſcalceati & nudis pedibus luctus tempore ſederent: *Qui principes funus deducunt*, verba ſunt doctiſſimi Buxtorfii *Syn. Jud. cap.* 49. *ſive filii ſint, ſive proximi agnati, domum reverſi per ſeptem dies humi nudis pedibus ſedent*. Qui ritus longe alius, eſt, quam Romani obſervaſſent, ſi nudis pedibus reliquiæ fuiſſent lectæ. Etiam, ſingulare fuiſſe in Auguſti funere, ut nudis pedibus reliquiæ legerentur, animadverti virum doctiſſimum Johannem Kirchmannum *de Fun. Rom. lib.* III. *cap.* 6. monuiſſe. *Quod autem pedibus nudis dicit, id reverentiæ & ταπεινοφροσύνης fuit indicium, nam in pleriſque religionis & ſuperſtitionis ritibus obeundis calceos ponebant. Non igitur in reliquiis funebribus uſurpatum*. Quare, inter tot habitus & mores lugentium, qui vel lacrymis, & fletu, & planctu, dolorem oſtendebant, vel lacertos, & pectora, & genas, & vultum lacerabant, vel querelis Deos ſuos onerabant, quod ab illis aſpectu chårorum ſuorum eſſent privati, vel capillos evellebant, pulvere ac cinere conſpurcabant, tondebant, radebant, & ſuper pectora mortuorum, vel tumulos, parentandi gratia imponebant, capita velabant, veſtem funebrem induebant, multaque alia habebant luctus indicia, nihil habet de calceis in luctu depoſitis, qualem morem Hebræi & olim habuerunt, & etiamnum obſervant.

CAPUT VI.

I. *Lex apud Hebræos ſingularis, qua frater uxorem fratris, ſine liberis mortui, ducere jubebatur, ut ſemen fratri ſuſcitaret*, Deuter. xxv. 5. 6. II. *In ea mirandum, quod qui id recuſabat, a vidua conſpuebatur, & calceus ipſi extrahebatur*, verſ. 7. 8. 9. 10. III. *Balduini ratio, cur calceus potiſſimum adhibitus, examinatur.* IV. *Noſtra opinio.* V. *Balduini circa hunc ritum lapſus.* VI. *Error Thomæ Dempſteri, & Cypriani.*

I. INter ſingularia veterum Hebræorum inſtituta, quæ aliena atque diverſa ab aliarum gentium moribus fuerunt, legem referre licet, qua ſummum Numen juſſit, ut frater uxorem fratris ſui, ſine liberis mortui, matrimonio ſibi jungeret, & ſemen ſuſcitaret fratri defuncto. Verba legis ſunt. כי ישבו אחים יחדו

יחדו ומת אחד מהם ובן אין לו לא תהיה אשת המת החוצה לאיש זר יבמה יבא עליה ולקחה לו לאשה ויבמה והיה הבכור אשר תלד יקום על שם אחיו המת ולא ימחה שמו מישראל: *Si habitaverint fratres ſimul, & mortuus fuerit unus ex illis, & filius non ſit ei, non nubet uxor defuncti foris*, id eſt, extra mariti ſui familiam, *viro extraneo: Levir ejus ingredietur ad illam, & ſumet eam ſibi uxorem, & præſtabit ei officium leviri. Erit autem, primogenitus quem pepererit, ſtabit nomine fratris ſui defuncti, & non delebitur nomen ejus ex Iſraele*. Quod lex præcipit de officio leviri, jam antea videtur obtinuiſſe, cum exemplum vetuſtius in hiſtoria Judæ occurrat, qui, Ere primogenito ſuo ſine liberis defuncto, alteri filio Onan dixit, ut ingrederetur ad viduam fratris ſui, & ſemen illi excitaret, eoque etiam, nullis ex ſe relictis liberis, morte ſublato, conjugium Selæ, filii ſui tertii, qui ſolus ſupererat, quum primum adoleviſſet, ſuæ nurui promiſit. Conſuetudinem legi reſpondiſſe illuſtre documentum habemus in nota illa hiſtoria, quam Chriſto objectam a Sadducæis legimus, de ſeptem fratribus, qui unam eandemque duxerunt uxorem. De hac lege, & leviratus jure, integer exſtat Tractatus Talmudicus Jevamoth, & præter Maimonidem, Rabbinoſque alios, multa monuerunt viri magni, Buxtorfius *Syn. Jud. cap.* 41. *& in Diſſert. de ſponſal.* & Seldenus *uxor Hebr. lib.* I. *cap.* 12. *&c.*

II. Sed in hac lege illud omnino mirandum eſt, non potuiſſe a leviro hoc officium prætermitti, ſine quadam infamia, qua notabatur a defuncti fratris uxore, quæ calceum ipſius exuebat, & ſpuebat in faciem, coram urbis Senatu. Nam cum fieri poſſet, ut leviro non placeret fratris defuncti conjux, & matrimonium illius recuſaret, liberum quidem ipſi ex lege erat, eandem vel ducere, vel renuntiare: ſed, ſi renuntiaret, hac infamia notabatur. Sic enim porro lex præcipit: ואם לא יחפץ האיש לקחת את יבמתו ועלתה יבמתו השערה אל הזקנים ואמרה מאן יבמי להקים לאחיו שם בישראל לא אבה יבמי וקראו לו זקני עירו ודברו אליו ועמד ואמר לא חפצתי לקחתה ונגשה יבמתו אליו לעיני הזקנים וחלצה נעלו מעל רגלו וירקה בפניו וענתה ואמרה ככה יעשה לאיש אשר לא יבנה את בית אחיו ונקרא שמו בישראל בית חלוץ הנעל: *Si vero vir ille noluerit ducere uxorem fratris ſui, aſcendet uxor fratris ejus ad portam, ad ſeniores, dicetque: recuſat levir meus ſuſcitare fratri ſuo nomen in Iſraele, non vult mihi præſtare officium leviri. Et vocabunt eum ſeniores urbis ſuæ, & loquentur cum eo: ſi perſeveraverit, & dixerit, non placet mihi eam ducere: Accedet uxor fratris ejus ad eum in conſpectu ſeniorum, & detrahet Calceamentum de pede ejus, & ſpuet in faciem ejus: & obteſtabitur, & dicet: Sic fiet viro, qui non ædificabit domum fratris ſui, Et vocabitur nomen ejus in Iſraele: Domus ejus, cui exutus eſt calceus*.

III. De hoc ritu plura diſputant Talmudici, & prolixe docent Judæorum ritualia, qua ratione debuerit peragi, diſtinctiones item de calceo, qui adhibendus eſt, habent admodum ſubtiles. Sed ea hic non tango, tum, quia occupata ſunt a viris doctiſſimis Paulo Fagio *ad Deuter.* 25. Johanne Buxtorfio *Syn. Jud. cap.* 41. & imprimis Johanne Seldeno *ux. Hebr. lib.* I. *cap.* 24., tum, quia ſunt Rabbinica, hoc eſt, frivola, & ſuperſtitioſa. Rationem ingenioſam, cur calceus potiſſimum ad hanc cerimoniam fuerit adhibitus, dedit vir elegantiſſimus Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap.* 24. *Quid aptius*, inquit, *ſignificando matrimonio quam calceus? calceum plerumque pedi gravem & moleſtum eſſe nemo ignorat. Idem etiam ſæpius in matrimonio contingere teſtari poſſunt, qui ſuo malo ſunt experti. Scitum occurrit hac in re Senatoris Romani dictum, qui rogantibus amicis, cur uxorem præſtanti forma inſignem, & in qua nihil apparebat conjugio indignum, repudiaret, pede protenſo calceum oſtendens: Hic, inquit, pulcher eſt, & elegans, neſcitis tamen qua parte pedem meum premat. Unde qui calceum ſibi detrahi volens patiebatur, is non inepte ſic uxoris ducendæ curam abjicere ſe demonſtrat*. Sed ea non videtur hujus ceremoniæ ratio. Nam, qui calceum ſibi detrahi patiebatur, non demonſtrabat ſe abjicere uxoris ducendæ curam, ſed non placere ſibi viduam fratris. Hic ritus enim non eam ob cauſam adhibebatur, quia matrimonium recuſabat, quod cum moleſtia & tædio ſæpe conjunctum, cui ſignificando calceus eſt aptiſſimus, ſed ut palam fieret viduam fratris poſthac ſui juris eſſe, & nubere poſſe cuilibet alteri.

IV. Mihi hæc viſa eſt hujus ritus ratio. Pedibus calcare, ſymbolum olim fuit dominii, & poteſtatis. Hinc Deus, terræ Canaan poſſeſſionem promittens, dicit: כל מקום אשר תדרך כף רגלכם בו לכם נתתיו: *omnem locum, quam calcabit planta pedis veſtri, dedi vobis*. Calebo quoque: לו אתן את הארץ אשר דרך בה *dabo ipſi terram, quam calcavit*. Abrahamo mandavit ob eandem cauſam, ut terram perambularet in longitudine, & latitudine, quam ipſi daturus erat דרך על במותי ארץ:

ארץ: *Celſa terræ calcare*, apud Michæam I. 3. eſt munimenta terræ habere in poteſtate. Moſes, cum Iſraelitico populo futurum prædiceret, ut hoſtium munitas urbes redigeret in poteſtatem, ita cecinit: אשריך ישראל מי כמוך עם נושע ביהוה מגן עזרך ואשר חרב גאותך ויכחשו איביך לך ואתה על במותימו תדרך: *Beatus es tu, Iſrael: Quis ſimilis tibi? populus es ſervatus per Dominum, qui clypeus auxilii tui, & gladius dignitatis tuæ. Mentientur idcirco tibi hoſtes tui, & tu illorum excelſa calcabis*. Hinc, in ſubjectionis ſignum, Joſua X. 24. Regum Cananæorum cervices conculcandas tribunis militum dedit. Qualem triumphi ſpeciem, quamvis ſuperbam nimis, & inhumanam, in Valerianum Imperatorem Romanum, a Sapore Perſa, *Oroſ. lib. 7. cap. 22. Fulgos Memor. lib. 9. cap. 5. Egnat. de Imp. Roman. lib. 2.* in Romanum Diogenem a Belpheco, & in Bajazethem a Tamarlane Schyta, legimus uſurpatam. Ex hoc ritu illuſtranda ſunt multa ſacri codicis loca: Qualis ille: עד אשית איביך הדם לרגליך: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Et ille: עסותם רשעים כי יהיו אפר תחת כפות רגליכם: *Conculcabiris impios: erunt enim cinis ſub pedibus tuis*: & rurſus ille: על שחל ופתן תדרך תרמס כפיר ותנין: *ſuper leonem & aſpidem calcabis, conculcabis leunculum & draconem*. Et ille, in quo Chriſtus, cum ſuis diſcipulis dominationem ſummam in Satanam ſe conceſſiſſe vellet ſignificare, dixit: Ἰδοὺ, δίδωμι ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων, καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ. *En, do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, atque ſuper omnes vires adverſarii*. Cum pedibus calcare olim ſymbolum dominii fuerit & poteſtatis, etiam calceus, qui incedentium & calcantium uſibus inſervit, ſignum dominii, & poteſtatis fuit. Unde, ubi juris, ſive dominii ceſſio, ſignificanda foret, calceamenti ſolutio, & extractio, ſymbolicῶs uſurpata eſt. Prout id olim ingenioſe expreſſit, uti obſervavit Benedictus Balduinus *de Calc. Ant. cap. 24.*, quiſquis amoris effigiem pinxit, ſiniſtra manu calceum gerentem, altera vero titulum hunc, *Jus meum alteri trado*. Patet hoc admodum luculenter ex veteri more, quo olim apud Hebreos, qui jure ſuo cedebat, & dominium alicujus rei transferebat in alium, calceum extrahebat, in ſignum, atque teſtimonium, ſe cedere jure calcandi fundum, & poſſeſſionem, de qua antiquiſſima conſuetudine plura diſputantur capite ſequenti. Hinc illi, qui nuptias uxoris fratris demortui recuſabat, calceus a vidua extractus eſt, in ſignum, atque teſtimonium, eum privari omni jure ſuo, quod in eam habebat. Quæ etiam Simeonis de Muis *Varia Sacra ad Deut.* XXV. opinio eſt. In ea cerimonia autem hoc ad ignominiam pertinuit, quod ipſe non ſolvebat atque exuebat calceum, ſed vidua fratris, cum in translatione dominii, ubi aberat omnis infamia, qui jus ſuum alteri tradebat, calceum ſuum exuerit ipſe.

V. Circa hunc ritum lapſus eſt Benedictus Balduinus: *Qui fratris viduam*, inquit, *ducere recuſabat, primum ſui calcei corrigiam ſolvebat, quo nimirum oſtenderet, ſe jure cedere calcandi fundum, ſive poſſeſſionem, quam cum vidua erat aditurus. Deinde mulier ultionis demortui gratia, calceum recuſantis auferebat, ut ſic eum infamem denotaret*. In eo aſſerto enim illud omnino falſum eſt, fratrem ipſum *primum ſui calcei corrigiam ſolvere*, cum vidua, & ſolveret, & extraheret calceum: illud vero perperam dictum, hoc ab eo factum, *ut oſtenderet ſe jure cedere calcandi fundum, quem cum vidua erat aditurus*. Ea cerimonia enim adhibebatur, ut palam fieret mulierem, quæ calceum extrahebat, poſthac ſui juris eſſe, & habere poteſtatem nubendi cuilibet, levirumque non *jure calcandi fundum, quem cum vidua aditurus erat, cedere*, ſed omni jure privari, quod in ipſam viduam habebat.

VI. Sed gravius peccavit Thomas Dempſterus *ad Roſ. pag.* 439. *Quod*, inquit, *conſuetudinis Judæorum, apud quos, qui nuptias recuſabant, nudis pedibus incedere cogebantur, puto, ut carentia prolis plecteretur, D. Cyprian. lib. 2. in Judæos*. Putat vir doctus eam Judæorum conſuetudinem fuiſſe, ut qui nuptias recuſarent, nudis pedibus incederent, idque ex Cypriano probat. Verba Cypriani *adverſ. Jud. lib.* II. *cap.* 19., quæ innuere videtur, hæc ſunt: *Erat enim in lege, ut quiſquis nuptias recuſaret, calciamentum deponeret, calcearetur vero ille, qui ſponſus futurus eſſet*. Sed plane erravit, Cyprianus. Calceus in lege quidem extrahebatur a defuncti vidua, quam levir ducere recuſabat, non vero omnes, qui nuptias recuſabant deponebant calceamenta, uti nec illud in Judæorum moribus fuit, ut calcearetur qui ſponſus futurus erat, quod unde Cyprianus hauſerit ego profecto neſcio. Longe vero ineptiora ſunt quæ Dempſterus notavit. Leviro quidem calceus extrahebatur, quando recuſabat viduam ducere defuncti fratris, ſed non illi qui nuptias recuſabant nudis pedibus incedere cogebantur. Etiam levir ipſe non ſemper nudis pedibus inceſſit. Nam, & calceus

ceus

ceus dextri pedis tantum extrahebatur, & calceatus incedere postmodum potuit, quoniam ea cerimonia tantum pertinuit ad judicii tempus. Neque id factum est, ut carentia prolis plecteretur, sed ut signum esset, eum privari omni jure quod in viduam habebat. Quare hoc omnino Judæorum ingratiis Dempsterus dixit.

CAPUT VII.

I. *Apud Hebræos non nisi aliqua formula, sive cerimonia adhibita, fiebant contractus.* II. *Antiquissimus ritus* Ruth. IV. 7. III. *Calceum exuere Rabbini tradunt fuisse formulam traditionis, sive acquirendi dominii.* IV. *Flavius Josephus ad legem de leviratu refert.* V. *Non unum Josephi erratum detegitur.* VI. *Etiam alii cum lege de calceo leviro extrahendo confundunt: eorumque sententia ex Abarbanele refutatur.* VII. *Nihil in hoc ritu esse quod cum lege in Deuteronomio conveniat variis rationibus ostenditur, & Hugonis Grotii argumentis fit satis.* VIII. *Objectio non contemnenda, qua ratione Rutha ducenda esset, si non ex jure de leviratu hæc agerentur, solvitur.* IX. *Ex redemptionis jure id fieri prolixe demonstratur.* X. *Dissensus interpretum quisnam calceum extraxerit, an vindex, an Boozus.* XI. *Qui jure suo cedebat calceum exuisse, adeoque vindicem, multis adstruitur.*

I. Apud Hebræos, cum alicujus rei dominium acquireretur, sive transferretur in alium, in usu olim variæ cerimoniæ, sive formulæ, fuerunt. Ex nudo verborum contractu nihil omnino transigebatur, solenne quiddam accedere necesse fuit, quod rem faceret ratam. Omnium enim contractuum, sive emtionum, & venditionum, & cessionum de jure, aut dominio alicujus rei, vim atque obligationem a formulis solennibus pendere volebant, ut his prætermissis cuncta irrita & plane nihili essent. Præclare hoc docuit, ex Talmudicorum scitis, Johannes Seldenus *de I. N. & G. lib.* 6. *cap.* 5. & varias istiusmodi formulas, quę in usu quondam fuerunt, notavit.

II. Ab antiquissimis temporibus in redemtione, & permutatione, cum quis cederet suo jure quod in rem aliquam habebat, ceremonia solennis fuit, ut exueret calceum, & alteri daret. Meminit hujus ritus vetustissimi historia Ruthæ. Verba hæc sunt: וזאת לפנים בישראל על הגאלה ועל התמורה לקים כל דבר שלף איש נעלו ונתן לרעהו וזאת התעודה בישראל ויאמר הגאל לבעז קנה לך וישלף נעלו ויאמר בעז לזקנים וכל העם עדים אתם היום כי קניתי את כל אשר לאלימלך: *Obtinuit olim in Israel, in redemtione, & in permutatione, firmaretur ut omne negotium, extrahebat homo calceum suum, & dabat proximo suo, eratque hoc testimonium in Israel: dixit igitur redemtor ad Boaz, posside tu, & extraxit calceum. Et dixit Boaz ad seniores, & cunctum populum, testes vos estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelechi, &c.*

III. Agnoscunt hunc ritum Judæorum magistri, & veterem, ac solennem traditionis, seu acquirendi dominii, formulam fuisse volunt. Ita censet Rab. Isaak Abarbanel *in Deut.* XXV., qui prolixus est ut ostendat ad venditionem, & jus redimendi, vel retrahendi patrimonium venditum, hanc extractionem calcei pertinuisse. Paria legere est in Midrasch Ruth *fol.* 42. *col.* 2., ubi hæc de solenni, quæ inoleverat, traditionis, seu acquirendi dominii formula, exponuntur. Quæ confirmat R. Salomon Jarchi *h. l.* qui pro hoc ritu, jam abolito, in more esse dicit, ut contrahant per pannum, qui vulgo סודר, sive *sudarium* dicitur, unde *emtio sudar*, quam *linteatam* non male voces, in jure Hebræorum. Ita enim notavit de calceo: זהו קניין כמו שאנו קונין בסודר במקום נעל: *inde acquisitio, quemadmodum & nos acquirimus*, seu emimus, *sudario*, sivé linteo, *loco calcei*. Scilicet emtionem, sive acquisionem, quæ olim calceo fiebat, nunc בסודר, sive *sudario*, fieri existimat. Quod visum etiam Eliæ Levitæ *in Thisbite suo ad vocem* קנה est. Sic enim in Thisbite suo: בדברי רבותינו זכרנם לברכה קבול קנין וקנין סודר והוא במקום מה שאומר הפסוק וזאת לפנים בישראל על הגאולה ועל התמורה לקיים כל דבר שלף איש נעלו וכולי כן אנחנו קונין עתה סודר שהוא הבגד וזה שלוקחין שני עדים ובבארים לפניהם דברי תנאיהם וכל אחד מהעדים פושט כנף בגדו והמקבלים עליהם לקיים כל דבר נוגעים כנפי בגדיהם וזה נקרא קנין סודר: Id est, Paulo Fagio interprete. *Rabbini dicunt, Acceptio possessionis. Item, possessio pallii. Sic vocant consuetudinem, quæ successit in locum ejus, quæ olim in Israel erat, de qua mentio fit Ruth* IV. *Hæc autem consuetudo olim erat in Israel, in commutatione propinquitatis, cum roborare quis vellet negotium, extrahebat calciamentum suum. Ea est apud nos hodie, quod dum emimus, vel contrahimus aliquid, adhibemus in hunc usum vestem, quam* סודר *appellant, Hanc apprehendunt duo testes, & diserte explicant coram his, qui contrahunt, verba conditionis eorum, quorum testium quisque expandit oram vestimenti sui, & qui recipiunt,*

piunt, se confirmaturos quamlibet rem, attingunt oras vestimentorum illorum. Et hoc ipsum vocatur קנין סודר quasi dicas, *Emtio, acquisitio, possessio per sudar.*

IV. Sed in alia omnia Flavius Josephus *Ant. Jud. lib.* v. *cap.* 11. abit, qui hanc historiam ad eum ritum refert, quo leviro a vidua calceus detrahebatur. Verba præstantissimi scriptoris sunt. Κἀκεῖνος (Boaz scil.) ἤδη μεσούσης τῆς ἡμέρας κατελθὼν εἰς τὴν πόλιν, τήν τε γερουσίαν συνῆγεν, καὶ μεταπεμψάμενος Ῥούθην, ἐκάλει καὶ τὸν συγγενῆ. καὶ παραγενομένου φησὶν, Ἀβιμολέχου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ κλήρων κρατεῖς; ὁμολογήσαντος δὲ συγχωρούντων τῶν νόμων κατὰ τὴν ἀγχιστείαν: οὐκ οὖν, φησὶν ὁ Βόοζος, ἐξ ἡμισείας δεῖ μεμνῆσθαι τῶν νόμων, ἀλλὰ πάντα ποιεῖν κατ' αὐτοὺς μᾶλλον, ἰδοὺ γὰρ δεῦρ' ἥκει γύναιον, ὅπερ, εἰ θέλεις τῶν ἀγρῶν κρατεῖν, γαμεῖν σε δεῖ κατὰ τοὺς νόμους. ὁ δὲ Βοόζῳ καὶ τοῦ κλήρου καὶ τῆς γυναικὸς παραχωρεῖ, συγγενεῖ μὲν ὄντι καὶ αὐτῷ τῶν τετελευτηκότων. εἶναι δὲ καὶ γυναῖκα λέγων αὐτῷ καὶ παῖδας ἤδη. μαρτυράμενος οὖν ὁ Βόοζος τὴν γερουσίαν ἐκέλευσε τῇ γυναικὶ ὑπολῦσαι αὐτὸν προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ τύπτειν εἰς τὸ πρόσωπον, καὶ γενομένου τούτου, Βόοζος γαμεῖ τὴν Ῥούθην. *Ille vero circa meridiem reversus in oppidum, senatum coire fecit: ac mox Rutham & propinquum illum accivit. Qui postquam venit, Abimelechi, inquit Boosus, & filiorum ejus sortem possides. Fassus est alter possidere se, idque secundum legem de jure propinquitatis. Tum Boozus, haudquaquam ex parte tantum legum meminisse oportet, sed omnia juxta præscriptum earum facere. Ecce adest mulier, quam, si vis possessionem agrorum retinere, lex te ducere jubet. At ille Boozo & sortem & mulierem cessit, quandoquidem & ipse defunctorum esset cognatus. Sibi enim jam uxorem esse dicens, & liberos. Tunc Boozus contestatus senatum, jussit mulierem ad illum accedere, & juxta legem illi calceum detrahere, & in faciem incutere. Quo facto Boozus duxit Rutham.*

V. Verum non unum erratum Josephi hic licet animadvartere. Fallitur enim cum refert Boozum ad τὸν δεῖνα, qui ipsi propinquior erat, dixisse: Ἀβιμελέχου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ Κλήρων Κρατεῖς; *Abimelechi & filiorum sortes possides tu*, τὸν δεῖνα vero hoc fassum esse, sed συγχωρούντων τῶν νόμων κατὰ ἀγχιστείαν, *indultu legum de propinquitate*, Boozum autem etiam ursisse alteram legis partem, qua cavebatur, si possessionem agrorum vellet retinere, Rutham esse ducendam, sed τὸν δεῖνα, una cum agro, mulierem cessisse. Id enim minime convenit cum ea narratione, quæ legitur in historia Ruthæ. Errat quoque cum addit mulierem solvisse calceum τοῦ δεῖνα. Id enim aliter se habet. Etenim ὁ δεῖνα calceum suum ipse exstraxit. Imo ne quidem verisimile est ipsam Rutham adfuisse. Sane nulla Ruthæ fit mentio, ac Naomi diserte præcipit, ut quiesceret, ac totum negotium committere Boozo. Unde colligere multo proclivius est, Rutham fuisse absentem, ac calceum τοῦ δεῖνα nequaquam exuisse. Peccavit etiam, idque gravissime, cum mulierem refert jussam esse, τύπτειν εἰς πρόσωπων, hoc est, *incutere in faciem*, ut habet versio recentior. Sed tam immanem errorem a Josepho *Antiq. Jud. lib.* IV. *cap.* 8. legum patriarum non ignaro, commissum esse credibile haudquaquam est, præsertim cum eam legem alibi exhibeat sat recte: ὑπελύσασα δὲ αὐτὸν ἡ γυνὴ τοῦ ἀδελφοῦ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύουσα εἰς τὸ πρόσωπον. *Solvens autem uxor fratris ipsius sandalia, & spuens in faciem.* Quare mihi visi sunt homines eruditissimi optime animadvertisse, corruptos esse hoc loco Josephi codices, & vel πτύοσειν legendum, vel πτύειν, quorum prius Johanni Drusio *Quæst. Hebr. lib.* x. *Quæst.* 46. posterius Hugoni Grotio *ad Ruth.* 4. 5. & Johanni Seldeno *de Suc. in bona de funct. cap.* 15. placet. Id quod Ruffinum, Josephi interpres vetustior, confirmat, qui vertit, *ut in faciem ejus exspueret*, ea ratione ostendens se vel πτύοσειν, vel πτύειν, legisse, cum tam diversis circumstantiis historiam sacram expresserit Josephus, non mirum si erraverit etiam circa ritum de calceo detracto, atque eundem voluerit esse cum ea ceremonia, quam in lege de leviratu præcepit Deus, cum plane fuerit diversus. Hanc historiam enim referens, ac si hoc actum esset ex lege de leviratu, non potuit non meminisse illius ritus, qui in Deuteronomio imperatur. Nam si hoc contigisset ea ratione, qua a Josepho proditum est, jam etiam necesse esset ut idem fuerit ritus, qui diversus tamen ab eo est, qui in Deuteronomio legitur.

VI. Multi tamen, pariter ac Josephus, cum ea lege, quam de calceo leviro extrahendo, qui fratris viduam ducere recusabat, sanxit Deus, hunc ritum confuderunt, & inter eos homines eruditissimi, qui ad novissimam Belgarum *Ruth.* 4. 8. *Grotius ibid.* versionem notas adjecerunt, itemque vir illustris Hugo Grotius. Sed horum omnium sententiam optime refutavit Isaacus Abarbanel *in Deut.* XXV. cujus verba, quia magna argumenta continent, quæ demonstrant hæc neutiquam pendere ex lege de leviratu, atque aliam esse extractionem calcei, quam quæ a Deo imperatur, hic placet inse-

re-

rere, & quia prolixiora sunt, tantum Latine. *Existimarunt quidam*, inquit, *historiam (nuptiarum) Boazi & Ruthæ quoque fuisse ex vi juris leviratus, & detractionem calcei, quæ illic legitur, fuisse illam ipsam* החליצה *Exutionem calcei, de qua Lex in hac lege præcipit: adeoque hinc etiam docuerunt, filium primogenitum, quem pareret fratria, non vocatum fuisse nomine defuncti, sicut nimirum filius, quem Rutha peperit Boozo, non vocatus fuit Macklon, sed Oded. Sed hæc revera sententia perniciosa est, & erronea. Nam Macklon non fuit frater Boazi, ut obligatus fuisset ducere fratris sui defuncti uxorem. Et quamvis ad Seniores, qui in porta erant, dixerit:* Partem agri, quæ erat fratri nostro Elimelecho, vendidit Naomi, quæ reversa est e regione Moab; *non alia de causa vocat eum fratrem, nisi quia fuit de familia ipsius, non vero quod frater ejus germanus & verus fuerit. Nam scriptura dicit diserte.* Et Naomi habebat מורע cognatum ex marito, virum fortem, & strenuum, de familia Elimelechi, & nomen ejus erat Boaz. *Quin & ipsamet dicit:* Propinquus noster est vir ille, de cognatis nostris est, *non vero dicit, quod frater Elimelechi, multo minus Machlonis, fuerit. Et licet fuisset frater Elimelechi, sicut dicit supra; tamen non obligatus fuisset ducere Rutham, uxorem Machlonis, filii Elimelechi. Quin & detractio illa calcei, non est detractio illa, cujus lex in hoc loco Deuteronomii meminit. Nam Ruth non venit ad Seniores in portam, ad exuendum calceum de pede vindicis, aut leviri: Hoc autem ipsi facere omnino incubuisset, & dicere;* Non vult leviratus jure ducere me, & inspuere in faciem ipsius, ac dicere, sic fiet viro, &c. *eorum vero nihil commemoratur in historia Boazi. Insuper, vera extat traditio, si duo fratres fuerint defuncto, & primogenitus illorum noluerit uxorem viduam ducere, minor natu non potuerit id facere. Itaque si vindex ille, cujus meminit Boaz, fuit vindex propinquior, de jure non potuit Boaz leviri jus præstare, quia non ita propinquus fuit. Hæc omnia docent nullum hic fuisse leviratus jus vel officium.*

VII. Quæ disputat R. Isaak Abarbanel sane præclara sunt ad destruendam eorum opinionem, qui hæc agi ex lege, quæ in Deuteronomio legitur, existimant. Machlonem non fuisse fratrem Boazi optime observavit. Nam Boazum non fuisse fratrem defuncti Machlonis res ipsa docet. Etiam τὸν δεῖνα non fuisse Machlonis fratrem constat satis. Neuter ergo ex lege de jure leviratus Rutham ducere tenebatur. Qua ratione igitur quis putabit, hæc ex lege agi, quæ in Deuteronomio legitur, cum neque ὁ δεῖνα, neque Boazus, fuerint defuncti fratres? Non mihi latet virum illustrem Hugonem Grotium *ad Ruth.* 4. 5. notasse *autore consuetudine hanc legem a fratribus productam esse ad propinquos alios, idque se ad eum locum dicere.* Sed ad locum in Deuteronomio nihil aliud habet vir illustris, *quam morem idem produxisse ad alios propinquos, ubi fratres non extabant*, citatque in testimonium hunc ipsum Ruthæ locum, addens: *Hoc* גאל *dici* ἀγχιστεύειν, *non* יבם ἐπιγαμβρεύειν. Hoc ipsum vero est, quod probandum erat viro illustri, an ea consuetudo etiam abierit ad propinquos. Quod fieri non posse existimo. Etenim legem hanc de ducenda uxore, ac sobole defuncto fratri excitanda, etiam ad cæteros agnatos, aut gentiles, productam fuisse, quo argumento adstruet, cum in ea *fratres* tantum, & nominentur, & intelligantur? Cum etiam frater, tum istic, tum alibi, proprio vocabulo vocetur יבם, & גאל notet *redemtorem*, unde constabit de agnato גאל, de fratre יבם, dici? Conjectura enim viri illustris est nullo testimonio probata. Illud quoque verissime animadvertit Abarbanel, detractionem hanc calcei, non esse detractionem illam, cujus lex in Deuteronomio meminit, cum Rutha ipsa neque venerit in portam, neque exuerit calceum, aut inspuerit in faciem τοῦ δεῖνα. Rogat quidem vir illustris Hugo Grotius: *Excalceatio nonne hic plane ut in Deuteronomio?* Sed mirum admodum est, unde viro illustri hoc venerit in mentem, cum omnia sint diversissima. In Deuteronomio enim vidua defuncti jubetur leviro, qui nuptias recusabat, exuere calceum coram urbis senatu. Hic ipse ὁ δεῖνα calceum exuit. Imo Rutham non exuisse calceum τοῦ δεῖνα, vel ex eo manifestum est, quod in eo judicio non adfuisse videtur. Quare alius plane ritus est, quam qui in Deuteronomio legitur. Nam qui recusabat demortui fratris uxorem ducere, id non testabatur exuendo calceo, sed ipsa mulier hac ignominia eum efficiebat. Id Deuteronomio etiam *inspuere in faciem* lex viduam jubet. At hic ignominia illa non affectus legitur ὁ δεῖνα. Quare longe alium ritum debemus agnoscere. Fingere enim, quod nonnullis placet, constitutum fuisse, ut mitius in hoc negotio cum agnato ageretur, quam cum fratre, quia jure naturæ, & vinculo, ac necessitudine sanguinis, frater magis fratri obligatus est ad præstanda officia, quam agnatus agnato, frivolum omnino est, & nul-

nullo ideo nititur fundamento. His addo nihil in tota historia narrari de leviratu. Non enim hic agitur de fratre, qui ducit, vel respuit, defuncti fratris uxorem, sed de propinquo, cui jus, aut cujus officium erat, redimete hæreditatem. Manifeste id innuit narrationis series, quæ non agit de renuntiatione personæ, sed de acquisitione rei. Etiam calcei, quæ memoratur solutio, alia longe ratione refertur, quam ut pertineat ad illam legem. Ritum enim fuisse dicitur solennem, qui ab antiquis temporibus inoleverat, quo veluti formula cessionis de jure, & traditionis, aut acquirendi dominii utebantur. Quid aliud enim indicant hæc verba? זאת לפנים בישראל על הגאלה ועל התמורה לקים כל דבר שלף איש ונתן לרעהו וזאת התעודה בישראל: *Obtinuit olim in Israel, in redemtione, & in permutatione, ut firmaretur omne negotium, extrahebat homo calceum suum, & dabat proximo suo, eratque hoc testimonium in Israel*. Post quæ statim sequitur: ויאמר הגאל לבעז קנה לך וישלף נעלו: *Dixit igitur redemtor ad Boaz, posside tu, & extraxit calceum*. Sane hæc verba, non ad cerimoniam, in Deuteronomio imperatam, hanc calcei extractionem referendam esse, sed ad veterem quandam, & solennem, traditionis seu acquirendi dominii formulam, ostendunt satis. Unde quoque multi viri eruditissimi animadververterunt, de eo ritu, qui in Deuteronomio legitur, Ruthæ historiam nihil meminisse, & detractionem calcei spectasse ad solennia contractus, signumque fuisse quo alteri dominium cedebatur, & jus dabatur adeundæ possessionis. Quasi quis dicat, trado tibi calceum, quo hactenus jus habui calcandi agrum, & possessionem, quod nunc tibi cedo, ut calcare tu eundem possis. Præter Alphonsum Tostatum Episcopum Abulensem, Nicolaum Serarium, Jacobum Bonfrerium, Tirinum, Johannem Piscatorem & complures alios, qui commentariis, vel Pentateuchum, vel Ruthæ libellum, illustrarunt, sunt in ea sententia viri longe doctissimi Johannes Drusius & Johannes Seldenus. Innuit id ipsum Johannes Buxtorfius, qui, de emptione per sudarium cum monuisset, subjungit. *Olim fiebat id calcei extracti & traditi cerimonia, ut testatur historia Ruth*. Neque aliud in animo habuit Chaldæus interpres, qui pro calceo *chirothecam* substituit. Sic enim παραφράσει: טלע גבר נרתק יד ימיניה ושושט ביה קנין לחבריה: *exuebat homo chirothecam manus suæ dextræ, & emtionis causa proximo porrigebat*. Et paulo post: אושיט ידך לקנינא וקני לך וטלע בועז ית נרתק ימיניה וקני ליה: *Extenende manum tuam emtionis causa, & eme tibi. Et exuit Boaz chirothecam dexteræ suæ, & emit sibi*. Sane cum non *calceum* hic habeat, sed *chirothecam*, manifestum est eum putasse non hic agi de ea cerimonia, quæ in Deuteronomio legitur, sed de alia, quæ in emtione, locum habebat, pro qua, cum suo tempore jam inolevisset, aliam substituit, quæ tunc in usu fuit.

VIII. Sed his opponi potest, quod sane non contemnendum est, si hæc non agerentur ex lege de leviratur, neutiquam intelligi posse, qua ratione Rutha fuerit ducenda. Etenim in redemptione non necesse erat, ot גאל, qui agrum, sive possessionem, redimebat, viduam duceret, si quæ esset. At hic Boozus diserte dicit: ביום קנותך השדה מיד נעמי ומאת רות המואביה אשת המת קניתי להקים שם המת על נחלתו: *Quo die redemeris agrum illum e manu Naomi, etiam a Rutha* IV. 5. *Moabitide, uxore defuncti, redimes, ad suscitandum nomen defuncti super hæreditatem ejus*. Quod non necesse erat ex jure redemtionis, ut quidem ex illo jure, quod leviro præscripsit Deus. Unde rogat vir illustris Hugo Grotius: *At quæ igitur connexio, si agrum habere vis, debes & viduam habere?* Verum hic observandum est, jus redemtionis apud veteres Hebræos eo usque extensum fuisse, ut qui succederet in omne jus defuncti; etiam viduam acciperet ut fierit uxor, ac Boazum ex hoc jure stipulatum esse, ut quo die redemtor acquisivisset agrum e manu Naomi, etiam a Rutha Moabitide, uxore defuncti, eum acquireret, ut nomen defuncti super hæreditatem suscitaret. Quod, quia non recte animadvertisse videntur homines eruditissimi, hic ostendendum accuratius est.

IX. De redemptione possessionum lex in Levitico legitur. Ex ea lege proximus agnatus tenebatur redimere eas possessiones, quas frater, qui ad paupertatem redactus erat, vendidisset. Ex vi legis, ad nihil aliud quidem obstrictus erat, quam ut redimeret fratris possessionem. Id vero, ex interpretatione, eo usque extensum, apud Hebræos veteres fuit, ut qui redimeret possessionem defuncti, eo ipso viduam acciperet, ut fieret uxor. Nam, uti, ex hoc jure quis in demortui possessionem universam succedebat, ut omnia quæ defuncti fuerant fierent ipsius, ita & viduam accipiebat in potestatem. Id enim cavisse videntur Hebræi veteres, cum a propinquo redimeretur alicujus demortui hæreditas: ut etiam

etiam viduam duceret uxorem, ne neglecta maneret, & desolata. Uxorem demortui, ex redemtionis jure, illius fieri, qui admittebat, accipiebatque, illud indicare videtur ea stipulatio, quam adhibuit Boozus. ביום קנותך השדה מיד נעמי ומאת רות המואבית אשת המת קניתי להקים שם המת על נחלתו: *Quo die redemeris agrum illum e manu Naomi, etiam a Rutha Moabitide, uxore defuncti, redimes, ad excitandum nomen defuncti super hæreditatem ejus*. Hoc enim dicit Boozus: Illo ipso momento, quo, ex redemtionis jure, agrum, a Naomi alienatum, te vindicaturum constitueris, etiam, ex eodem illo jure, tibi asseres omnia, quæ Ruthæ Moabitidis sunt, ut ea in potestatem tuam veniat, eamque ducas uxorem. In hunc sensum hæc verba jam dudum interpretatus est vir doctissimus Cornelius Bertramus, *Lucubr. Frauktal. cap. 6*. Certe, non ex ea lege, quæ in Deuteronomio legitur, eam stipulationem adhibuit Boozus, sed ex jure redemtionis, quod ita interpretati sunt veteres Hebræi, ut, una cum hæreditate, uxor demortui in potestatem veniret redemtoris, & ipsius fieret uxor. Hoc ipsum Rutha III. 9. innuere videtur, cum ad Boozum dixit פרשת כנפך על אמתך כי גאל אתה: *Expande pallium tuum super famulam tuam, quoniam tu es redemptor*. Nam perinde est, ac si diceret, sub tutelam tuam me, ut maritus, suscipe; quoniam tu es redemtor, sive proximus agnatus. Petit scilicet his verbis honeste, ut se uxorem ducat. Sensus enim est: duc me ancillam tuam in matrimonium, quia tu es, qui jure redemtionis me in potestatem tuam debes accipere. Cautum fuisse apud Hebræos, ut in eadem familia, uti possessiones debebant manere, matrimonia contraherentur, notissimum est, certissimumque. Hinc, uti redimendi jus proximo agnato erat, viduam illi ducendam voluerunt, ut restitueretur in familia mariti defuncti nomen, quod morte ipsius, cum prolem masculam relinqueret nullam, extinctum omnino erat. Huc optime retulit R. Salomon Jarchi, *ad Ruth. III. 9.* qui notavit hæc ex lege dici, quæ in Levitico legitur: *Et veniat redemtor ejus, qui propinquus ei, & redimat*. Sic enim ille וחמותי ואני צריכות למכור נחלתינו ועתה עליך לקנות קנה גם אותי עמה שיזכר שם המת על נחלתו כשאבא על השדה יאמרו זות אשת מחלון: *Nam socrui meæ, & mihi, necesse est, ut vendamus hæreditatem nostram. Et nunc, cum acquires, acquire etiam me cum ea, ut in memoria habeatur nomen defuncti propter hæreditatem ejus, ut, cum veniam in agrum, dicant, hæc uxor Machloni*. Sane, si jus redemtionis non extensum eo usque fuisset apud Hebræos, nimis impudens fuisset Ruthæ postulatum, neque Boozus eam laudasset, quod neminem alium fuerit secuta, sed illis, quibus debebatur ex jure redemtionis, se obtulerit, ut nomen defuncti in ipsa familia restitueretur. Hæc cofirmat totius historiæ series, quæ ostendit ex jure redemtionis fieri hic cuncta. Quare omnino agitur de eo ritu, sive cerimonia, quæ olim adhibebatur in redemtione aut permutatione rerum, qua quis, in signum se cedere suo jure, calceum extrahebat, non vero de calcei detractione, quæ locum habebat, cum viduam fratris sui ducere recusabat levir.

X. Sed hic non levis controversia est inter viros doctissimos, an ipse Boozus extraxerit suum calceum, & dederit τῷ δεῖνα, an vero ὁ δεῖνα calceum suum exuerit, & dederit Boozo. Alii enim sacri textus verba, וישלף נעלו, *exuit calceum suum*, referunt ad Boozum, alii ad τὸν δεῖνα. Chaldæus interpres Jonathan de Boozo intellexit. Sic enim παραφράζει. ושלע בועז ית נרתק יד ימיניה וקני ליה *Et exuit Boaz chirothecam dextræ suæ, & emit sibi*. Pariter celebris ille R. Aben Ezra censet, Boozum exuisse calceum suum, & dedisse propinquo, tanquam pro hæreditate. Sed Vulgatus interpres eo sensu accepit, ac si propinquus extraxerit calceum, & dederit Boozo. Ita enim vertit: *Dixit ergo propinquo suo Boaz, tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo*. Idem placuit interpretibus Græcis. Non tantum juris interpretes, verum ipsi Hebraicæ literaturæ principes, hac in re sunt dubii. Censuit olim Johannes Drusius, *Quæst. Hebr. lib. I. Quæst. 46.* verbum *exuit* referendum ad Boozum. *Constat enim*, inquit, *hunc morem servatum fuisse olim etiam in commutationibus, cujus rei testis ille ipse locus. Porro ut sit commutatio, necesse est, ut qui aliquid accipit, idem aliquid det. Hoc veteres declarabant verbo Halaph, quo usi sunt in hac re. Dabatur autem calceus dicis causa, sive pro forma, ut ita loquar*. At in commentariis in Ruthæ historiam, quæ postea conscripsit, aliter ipsi visum fuit. *Quanqnam incertum*, inquit, *quo hæc pertineant, tamen quia sequitur, & dixit Boaz, videtur non absurde posse referri ad vindicem, qui calceum suum exuerit, ac dederit Boozo. Sed fuit tempus cum existimarem hæc referenda potius ad Boozum*. Johannes Seldenus, *de I. N. & G. lib. 6. cap. 5.* qui

hanc controverſiam paucis attingit, etiam nihil definit.

XI. Non quidem adeo facile eſt componere has lites. Puto tamen detractionem calcei ad vindicem referendam. Signum enim fuit, eum cedere ſuo jure, quod in poſſeſſionem, quæ redimenda erat, habebat. Calceum fuiſſe ſignum dominii, & juris, quod quis in rem aliquam habebat; atque inde natam eam conſuetudinem, ut, ubi juris, ſive dominii ceſſio, ſignificanda eſſet, calceus extraheretur, oſtenſum ſuperius eſt. Hinc neceſſe eſt, ut qui jure ſuo cedebat, & dominium ſuum transferebat in alium, calceum ſuum exueret ipſe. Non itaque hoc ad Boozum, ſed ad vindicem referendum eſt, qui, ex conſuetudine in redemtionibus, & permutationibus, uſitata, calceum ſuum exuit, ut conſtaret ſe omne jus ſuum transferre in Boozum. Eum vero, qui jure ſuo cedebat, calceum exuiſſe, confirmare videntur hæc verba. ואת לפנים בישראל על הגאלה ועל התמורה לקים כל דבר שלף איש נעלו ונתן לרעהו וזאת התעודה בישראל: *Obtinuit olim in Iſrael, in redemtione, & in permutatione, ut firmaretur omne negotium, extrahebat homo calceum ſuum, & dabat proximo ſuo, eratque hoc teſtimonium in Iſrael.* Optime mihi notaſſe videntur Belgæ *ad Ruth.* 4. 7. interpretes, per *proximum* eum intelligendum eſſe: *Dien hy ſijn recht overdrœgh, en daar mede van het ſelve in tœkomende tijden verſteken vvas*: hoc eſt, *in quem jus ſuum transferebat, quoe hac ratione ſequentibus temporibus erat privatus*, & per ea verba, *eratque hoc teſtimonium in Iſrael*, illud denotari: *Dat imant het rechet van eenigh landt, of erfgoet, als ſijn eygen te betreden, ende te beſitten, aan een anderen overdrœgh*: hoc eſt, *aliquem jus alicujus agri, aut hæreditatis, tanquam propriam calcandi, & poſſidendi, in alium tranferre*. Sane innuere videtur conſuetudinis ratio, ut, qui jure ſuo cederet, & alicujus rei dominium in alium transferret, calceum ſuum exueret, in teſtimonium, atque ſignum, ſe impoſterum privatum eſſe omni poteſtate, quam in rem illam habebat. Quare non ipſe Boozus calceum ſuum exuit, ſed vindex, qui ſuum redimendi jus Boozo cedebat. Quod etiam indicare videntur hæc verba: ויאמר הגאל לבעז קנה לך וישלף נעלו *Et dixit redemtor ad Boozum: redime tu, & extraxit calceum*. Videtur enim veriſimilius hoc tia capiendum eſſe, ut vindex, cum Boozo dixiſſet, ut ſuo loco redimeret, etiam in ſignum ſe cedere ſuo jure, quod ad redimendum habebat, calceum extraxerit. Ea ratione ſi hæc facta intelliguntur, optime reſpondebunt verba ſequentia. ויאמר בעז לזקנים וכל העם עדים אתם היום לי קניתי את כל אשר לאלימלך ואת כל אשר לכליון ומחלון מיד נעמי: *Et dixit Boozus ſenioribus, & omni populo: vos eſtis hodie teſtes, me redemiſſe omnia quæ Elimelechi, & omnia quæ Machlonis & Chilzonis fuerunt, a manu Noami.* Sicilicet Boozus, cum extractum calceum a vindice accepiſſet, qua cerimonia in ipſum translatum erat jus redimendi, teſtes vocavit ſeniores populi, & omnes qui aderant præſentes, ſe redimeare quæcumque fuerant Elimelechi. Boazi nomen, quod hic occurrit, oſtendere videtur ad eum non pertinere verba præcedentia, quæ de calcei extractione loquuntur. Nam ſi Boozus calceum ſuum extraxiſſet, ita concipienda fuiſſe ſacra verba videntur: וישלף בעז נעלו ויאמר לזקנים: *Et extraxit Boaz calceum ſuum, & dixit ſenioribus.* Nunc cum ea verba, וישלף נעלו *& extraxit calceum ſuum*, cum ſermone conjungantur, quem ad Boozum vindex habuir, colligere proclivius eſt ad vindicem pertinere calcei extractionem. Ita comma octavum refert, quid Boozo dixerit vindex, quid item fecerit: comma vero nonum, quid factum ſit a Boozo, qui, cum extractum calceum accepiſſet, ſeniores teſtes vocavit, ſe cuncta redimere quæ Elimelechi fuerunt. Hunc ſenſum expreſſerunt LXX. Interpretes, qui, evitandæ ambiguitatis cauſa, quæ in codice Hebræo eſt, ea ſupplerunt, quæ omnem tollunt dubitationem. Sic enim habent: Καὶ τῦτο τὸ δικαίωμα ἔμπροσθεν ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἐπὶ τὴν ἀγχιστείαν, καὶ ἐπὶ τὸ ἀντάλλαγμα, τῦ στῆσαι πάντα λόγον. Καὶ ὑπελύετο ἀνὴρ τὸ ὑπόδημα αὐτῦ, καὶ ἐδίδυ τῷ πλησίον αὐτῦ, τῷ ἀγχιστείαν αὐτῦ, καὶ τῦτο τὸ μαρτύριον ἐν Ἰσραήλ. Καὶ εἶπεν ὁ ἀγχιστεὺς τῷ Βοόζ. Κτῆσαι σεαυτῷ τὴν ἀγχιστείαν μου. Καὶ ὑπελύσατο τὸ ὑπόδημα αὐτῦ, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. *Et hoc jus antea in Iſrael, ſuper redemtione, & ſuper permutatione, ad firmandum omne verbum. Et ſolvebat vir calceum ſuum, & dabat proximo ſuo redimenti redemtionem ejus. Et hoc teſtimonium in Iſrael. Et dixit redemtor Boozo. Acquire tibi redemtionem meam. Et ſolvit calceum ſuum, & dedit ei.*

CA-

CAPUT VIII.

I. De loco Pſ. LX. 10. *&* CVIII. 10. *variæ interpretum ſententiæ. II. Molleri, & Junii expoſitio. III. Ab ea receſſum. IV. Vatabli, Balduini, & aliorum explicatio. V. Omnium error. VI. Alia Balduini expoſitio. VII. Quæ pariter non probatur. VIII. Buceri, & Arnoldi Botii ſententia. IX. Confutata. X. Hugonis Grotii, Johannis Coccji, & Thomæ Gatakeri opinio. XI. Noſtra ſententia.*

I. CUM victoriam, quam de Syris, atque Edomeis, reportaverat, quos cum vicinis gentibus redegerat in poteſtatem, celebraret David, & ſubjectos ditioni ſuæ populos, ac quam late paterent imperii fines recenſeret, de Edomo dixit, על אדום אשליך נעלי, *ſuper Edom projiciam calceum meum*. Ea verba eruditos interpretes torſerunt vehementer. Ex ritu priſco eruendum eſſe eorum ſenſum agnoſcunt omnes, videntque clariſſime, ſed in eo aſſignando in varia ſunt atque multiplici differentia. Quare præcipuas primum, & magis probabiles, exponam ſententias, iiſque diligenter excuſſis, ſubjecturus ſum noſtram.

II. *Calceos in aliquem projicere*, ſunt qui putant idem eſſe quod contumelioſe tractare, & alludi ad morem veterum, quo contemtus, atque ludibrii, & contumeliæ res habebatur, vel calceo cædere, vel ſoleam alicui impingere. Ut, על אדום אשליך נעלי, *ſuper Edom projiciam calceamentum meum*, fit, Edomæos habiturus ſum contumelioſe, calceum in os eorum, vel caput, impingendo. Ita Henricus Mollerus, *ad Pſalm.* LX. 10. qui ſuperiori ſeculo accuratum dedit in Pſalmos commentarium, exiſtimat. Ejus verba hæc ſunt: *Idumæos non ſubjiciam tantum, ſed etiam cum contumelia quadam ipſorum miſerias aliis oſtentabo, ut cum quis alicui ſuperbe inſultans, calceum inter feriendum in eum projicit: ſignificans ſe hunc non tantum contemnere, ſed etiam ludibrio habere.* Non multum abit Franciſcus Junius *ad eundem Pſalm.* qui inter optimos ſcriptnræ interpretes ſuo merito eſt cenſendus, dum, אשליך נעלי, *projiciam calceum meum*, idem eſſe vult, quod *audaciter conculcabo*.

III. Illud quidem certiſſimum eſt, ſolea, ſive calceo, aliquem cædere, olim contemtus, atque contumeliæ rem fuiſſe habitam, quod varia ſcriptorum veterum loca oſtendent, quæ eruditi homines jam collegerunt. Videri poſſunt, quæ obſervavit Anglus doctiſſimus Thomas Gatakerus. *Cinno lib.* 2. *cap.* 19. Pariter certum eſt, longe fuiſſe contumelioſius, ſi inter cædendum quis alicui ſuum calceum in faciem projiceret. Quod docere poteſt puellæ cujuſdam pauperculæ facinus, quæ parva adhuc, & parentibus orba, cum annonam a Rege ſuo in fame petiiſſet, ille vero eam objurgaſſet calceo, & in faciem projeciſſet, probrum ferre non potuit, ſed ſui ſuſpendio voluit expiare, uti ex Plutarcho retulit doctiſſimus Gatakerus. *loc. cit.* Ad hunc morem tamen alludi a Davide, aut de contumelia, & contemtu, quo Idumæos affecturus erat, ejus verba capienda haudquaquam ſunt. Populos enim ditioni ſuæ ſubjectos recenſet. אחלקה שכם ועמקי ככות אמדד לי גלעד ולי מנשה ואפרים מעוז ראשי יהודה מחקקי מואב סיר רחצי על אדום אשליך נעלי עלי פלשת התרועעי: *Diſtribuam Sichem, & vallem Succoth metiar; Mea Gileaditis, meus Manaſſe, & Ephraim arx capitis mea. Judah legiſtator meus. Moab pollubrum meum, ſuper Edomum projiciam calceum meum: ſuper me, o Palæſtina, jubila.* Quaſi dicat; totus Iſrael me Regem agnoſcit, & mihi paret: Moabitæ quoque, & Edomæi, bello ſubacti, ſerviunt mihi. Sic de populis ſubjugatis quidem triumphat, illoſque viliſſimum ſibi præſtare miniſterium prædicat, de contumelia vero, & ludibrio, quo habiturus erat gentes devictas, dicit omnino nihil.

IV. Franciſcus Vatablus, *ad. Pſ.* 10. vir Hebraice doctiſſimus, אשליך נעלי, *projiciam calceamentum meum*, putat eſſe *Phraſin Hebraicam, pro, immittere pedem; q. d. calcabo Edom, tanquam mihi ſubjectam*. Conſentit vir elegantiſſimus Benedictus Balduinus, *de Calc. Ant. pag.* 242. qui, cum notaſſet *calceamento dominium, ſive jus aliquod in rem aliquam, denotari*, inde dictum putat: *In Edom extendam calceamentum meum*, h. e. *eam mihi ſubjieiam*. Johannes Druſius, *in Quæſt. Hebraic. lib.* I. *cap.* XLVI. eo in loco, in quo in Ruthæ hiſtoria *verbum* exuit *referendum cenſet ad Booz*, ita pergit. *Porro ad veterem illum morem capiendum videtur Davidis illud*, Ad Edom projiciam calceum meum, *Pſalm.* 107. 10. *Vult dicere, faciam Edom mei juris, redigam in meam poteſtatem.* Eum ſequuntur noſtri Belgæ *ad Pſ.* x. 10. interpretes, quorum hæc eſt notat. *Ik ſalſe onderbrangen, beſitten, erven, en als onder mijn voeten leggen, vergel. Ruth.* 4. *op verſ.* 7. h. e. *ſubjugabo, poſſidebo, hæreditario jure acquiram, & quaſi pedibus ſubjiciam, confer Ruth.* 4. 7. Idem fere vo-

volunt doctissimi Rabbini David Kimchi, & Aben Ezra, *ad Ps.* LX. 10. qui *in Edom projiciam calceum meum*, explicant: *conculcabit eos pes meus, eruntque instar scabelli pedum meorum.* Hoc ipsum innuit Chaldæus paraphrastes, qui habet. על פרקת קדל נברי ארום טלקית מסני *Super juncturam cervicis Ireniorum* Idumæorum projiciam *calceum*. In eandem mentem Brentius, *ad Ps.* LX. 10. qui על ארום אשליך נעלי vertit, *super Edom proferam calceamentum meum: Subjectionis*, iuquit, *est descriptio: proferre enim calceamentum est proferre imperium, & subjicere sibi terram, quam pedibus tuis calcaveris.*

V. Hæc virorum doctissimorum opinio absurda haudquaquam est. Pedibus calcare aliquam regionem, aut terram, signum usitatum possessionis, & dominii fuisse, hostiumque cervices, in subjectionis signum, olim calcatas, superius observavi prolixe. Multa tamen sunt, quæ me acquiescere in eorum sententia non sinunt. *Projicere calceum*, pro *immittere pedem*, phrasi Hebraica dici notat quidem Franciscus Vatablus. Id vero non puto eum cuiquam facile persuasurum. Nam nimis dura foret hæc loquendi ratio, pro *immittere pedem* in terram aliquam, vel regionem, dicere, calceum projicere in aliquam terram, ut denotetur, calcabo eam terram tanquam mihi subjectam. *In Edom extendam calceamentum meum*, h. e. *subjiciam*, exponit quidem Benedictus Balduinus, quomodo & Brentius, *proferre calceamentum*, voluit esse, *proferre imperium, & subjicere sibi terram, quam pedibus calcaveris.* Sed verbum שלח *extendere*, vel *proferre*, notat nusquam. Habent quidem interpretes Græci: ἐπὶ τὴν Ἰδȣμαίαν ἐκτενῶ τὸ ὑπόδημα μȣ; & eos sequtus Vulgatus, *in Idumæam extendam calceamentum meum.* Sed Hebræum vocabulum *mittere, projicere*, non *extendere*, significat. Unde recte iidem Græci interpretes reddiderunt altero in loco. ἐπὶ τὴν Ἰδȣμαίαν ἐκτενῶ τὸ ὑπόδημα μȣ, *in Idumæam injiciam calceamentum meum.* Dein, *extendere*, vel, *proferre calceamentum*, qui sit, omnino non capio. Qui enim terram aliquam calcat, & cum calceis incedit, viam quidem conficit, sed hinc *extendere*, vel, *proferre calceamentum*, in signum subjectionis, & extendendi fines imperii, dici potest haudquaquam. Etiam *calceum projicere*, non *subjugare* est, *vel pedibus subjicere, & hæreditario jure possidere*, uti, post Johannem Drusium, Belgæ interpretes notarunt. Neque id probat locus, qui in historia Ruthæ legitur. Nam, cum ipsi observaverint, *extrahere calceum* signum fuisse cessionis de jure, omnino contrarius hinc eliciendus esset sensus in Davidis dicto. Neque enim David indicaret, *subjugabo, & hæreditario jure possidebo Edomum, & pedibus meis subjiciam*, sed cedam omni jure, & dominio, quod in Edomæos habeo, uti is, qui extrahebat calceum, & proximo dabat, eo ipso ostendebat, se cedere omni jure, sive dominio, calcandi fundum, & possessionem, atque in alium conferre, quæ verissima sententia est de antiquissima ceremonia, quæ in Ruthæ historia legitur, uti superiori capite ostendi prolixe. Rabbini celebres, David Kimchi & Aben Ezra, mihi quoque non placent. Nam *in Edom projiciam calceum meum*, aliud quid est, quam *Edomum conculcabit pes meus*, uti cervices hostium devictorum calcantur, quod Chaldæus innuit. Ad tam figuratam loquendi rationem enim confugere non est opus.

VI. Doctissimus Balduinus *de Calc. Ant. pag.* 244. *&c.* etiam alium refert veterum morem, ex quo sensum hujus dicti exponit. Postquam observasset, *apud Arabes, calceum sibi detractum in alium jacere, servatæ, servandæque fidei signum, & æqui pignus esse certissimum*, atque *ei rei firmandæ* adduxisset exemplum, *quod, referente clarissimo Lipsio* in Monitis & exemplis polit. cap. 17. *Lusitanicæ narrant historiæ, de Rabo quodam Benxamutio, viro inter Arabum duces insigni, qui cum in Marochiensi agro castra, & de more familiam haberet, irruentibus Lusitanorum copiis, cum se imparem videret, dolens mœstusque primum uxorem patiebatur abduci, mox vero, cum ab ea indignabunda illi ignavia & perfidia exprobaretur, acrioribus incitatus stimulis, statim, ut in more gentis erat, calceum sibi detractum in illam jecit, & simul equites, quos ad septuaginta raptim collegerat, animose cohortatus, tanto impetu in Lusitanos irruit, ut hi tandem, amisso duce, dissipataque acie, cæsi plerique aut capti fuerint, Rabus vero uxorem receperit*, addit: *Et certe, non inepta uxoris recipiendæ propositi, per calceum in eam conjectum, significatio; cum, ut observavit* Rabbi Immanuel in Psalmos, *ubi Reges olim urbem aliquam obsidebant, in eam projicere chirothecam solerent, signum, se statuisse obsidionem non solvere, donec urbe potirentur. Nam quod hic per chirothecam factum ait, alii per calceamentum malunt, eoque Psalmistam spectasse volunt, ubi cecinit.* In Idumæam extendam calceamentum meum. *Ac si dicat, in Idumæam belli signum conjiciam, cui finem dare non est propositum, nisi prius eam in potestatem meam redegero.*

ro. Cui interpretationi favet ea versio, quæ ubi communis subjungit: Mihi alienigenæ amici facti sunt, *habet*, subditi sunt. *Unde etiam de subjiciendis alienigenis hoc loco agi, doctiores historici sensus interpretes arbitrantur*.

VII. Verum & illa, quæ observavit elegantissimus Balduinus, se mihi non probant. An mos iste obtinuerit apud Hebræos veteres, ut Reges, cum urbem aliquam obsiderent, calceum in eam projicerent, in signum pertinacis propositi non solvendæ obsidionis, priusquam urbs sit redacta in potestatem, omnino non liquet. De chirotheca quoque non memini me quicquam legisse. Tum si vel maxime olim viguisset hæc consuetudo, non tamen ex ea exponendum videretur hoc Davidis dictum. Etenim de proposito sibi subjiciendi universam Idumæam haudquaquam loquitur, sed de Idumæa jam devicta triumphat.

VIII. Doctissimus Gatakerus *loc. cit.* postquam recitasset Martini Buceri opinionem, qui sic παραφράζει: *Edom erit ut locus, in quem abjiciam calceamentum meum*, etiam refert viri eruditissimi Arnoldi Botii sententiam, quam de hoc loco, per epistolam sciscitanti sibi aperuit: *Quia pedes loturi homines, calceos cœno, aut pulvere infectos, non in medio pavimento destituere, sed in obscuriorem aliquem, ac sordidiorem angulum, conjicere solent, ideo Edomitas itidem sibi spretos, cum loco ejusmodi vili comparavit, sicuti contra* Jes. 22. 24. *vir honoratus, atque amplæ dignitatis, paxillo fixo in loco selectiore, atque e quo pretiosa quæque suspenduntur, confertur*. Ad confirmandam hanc sententiam notavit Gatakerus, calceos, pulvere conspersos, vel luto contaminatos, & veteres quam maxime jam atritos, in locum sordidissimum quemvis temere abjici, juxta illud Luciani *de Merc. Conductis*. Τὰ καινὰ τῶν ὑποδημάτων ἐν ἐπιμελείᾳ ἐςίν ἐπειδὰν δὲ πατηθῆ πολλάκις, καὶ ὑπὸ τοῦ πηλοῦ ἀναπλασθῆ, ὑπὸ τῇ κλίνῃ ῥίπτοῦι. *Calcei, novi dum sunt, in æstimatione curaque sunt aliqua, at ubi sæpius calcati lutoque deformati fuerint, sub lectum alicubi projiciuntur*.

IX. Sed nec hæc mihi arridet sententia. Etenim David hic loqui videtur de vilibus ministeriis, quæ ipsi præstare Moabitæ, & Idumæi, bello devicti, tenentur. Nam, cum Moabum dicit *esse suum pollubrum*, non id dicit, se non pluris æstimare Moabum, quam in domo opulenta æstimari solet podoniptron, uti putavit eruditissimus Botius, sed Moabum, vel pollubri vicem sibi præstare. Pariter, cum de Edomo dicit, *se in eum calceum projecturum*, non id dicit, se Edomum habere tanquam vilem aliquem locum, in quem calcei sordidi, & veteres, conjiciuntur, sed Edomum se habere tanquam servum, cujus opera est in curandis calceis occupata.

X. Vir illustris Hugo Grotius *ad Matth.* III. *vers.* II. *David*, inquit, *Idumæo ait se objecturum soleas, nimirum ut exutas auferat. Hoc est enim quod* βαςάσαι τὸ ὑπόδημα *Matthæus dixit. Quod idem ministerium denotat* τὸ λῦσαι τὸ ὑπόδημα, *Act.* 13. 15. *Sive* τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων. *Marc.* 1. 7. *Luc.* 3. 16. *&* *Job.* 1. 27. *ministerium scilicet servis vilissimis mandari solitum*. Paria notavit vir illustris ad verba Davidis: *Idumæo extendam calceum meum, nempe ut eum mihi detrahat, ut viles servuli solent*. Ex eodem more hæc verba exposuit doctissimus interpres Johannes Coccejus: *In Edomum conjicio calceos meos*. h. e. *Sic mihi serviunt, ut mediastini, in quos conjicio calceos, ut eos excipiant & auferant. Sic Johannes Baptista fatetur se indignum, qui calceos domini asportet*, h. e. *mediastini officium illi exhibeat*. Eam sententiam & alii probarunt, & vir eruditissimus Johannes Braunius *de Vest. Sacerd. Hebr. pag.* 59. *Gatak. loc. cit.* Sed Thomas Gatakerus mavult ulterius, abjectiusque quiddam, ea formula insinuari, nimirum, quemadmodum infimæ prorsus sortis servi calceos pulvere conspersos, sive luto conspurcatos, emundabant, & extergebant, Davidem dicere, se ad hoc, cæteroquin omnium vilissimum abjectissimumque ministerium, Idumæorum opera abusurum, ut eos quasi pro *peniculo* habeat, quo calcei sui extergeantur.

XI. Ego ad servilem aliquem morem Davidem allusisse dubito nullus. Cecinit enim hunc Psalmum, ut inscriptio docet, cum Johabus, imperator exercitus, Edumæorum octodecim millia cecidisset, post quam pugnam plane sunt domiti, & in Davidis potestatem, servitutemque redacti, uti narrat historia, quæ in libris Samueli legitur. וישם באדום נצבים בכל אדום שם נצבים ויהו כל אדום עבדים לדוד: *Et locavit præsidia in Edom, in tota Edomæa præsidia locavit, & omnes Edumæi facti sunt Davidis servi*. Servos olim hoc ministerio functos, non apud Hebræos tantum, verum Græcos etiam, & Romanos, ut dominorum gestarent sandalia, res notissima est, certissimaque. Hinc Plautus *in Aulul. Act.* 3. *sc.* 5. servos appellavit *sandaligerulos*, si vera est Jani Douzæ, viri nobilissimi, qui tamen plus ingenio quam natalibus debet, emendatio, qua pro *salutigerulos pueros*, legit *san-*

ſandaligerulos, hoc eſt, ſervos qui ſandalia geſtant, ſicuti ancillas vocavit Plautus *Trinum. Act.* 2. *ſc.* 1. *ſandaligerulas*, quæ ſandalia dominarum ſervabant, & gerebant. Ex eo veterum more videri poſſunt viri eruditiſſimi optime explicaſſe hæc Davidis verba על ארום אשליך נעלי: *ſuper Edom projiciam calceum meum*, quaſi dicat, tanquam vilibus ſervis, calceos projiciam Edomæis, ut eos geſtent, quod miniſterium ſervorum eſt. Prout ex hac conſuetudine expoſuerunt Johannis Baptiſtæ dictum, qui, dum ſe Chriſto comparat, dicit: ὂ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαςάσαι *Cujus non ſum dignus ut calceos portem*. Nam, ut recte obſervarunt, idem eſt quod λῦσαι τὰ ὑποδήματα, vel λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδεμάτων, *ſolvere calceos*, vel *ſolvere corrigiam calceamentorum*, cum, qui calceos portabant, iidem ſolverent, & qui calceos ſolvebant, iidem exutos auferrent, & curarent, miniſteriumque notat viliſſimum, ſervis demandari ſolitum. Sed cum præceſſerit, מואב סיר רחצי: *Moab eſt lavacrum meum*, optime puto judicaſſe doctiſſimum Gatakerum Davidem dixiſſe, על ארום אשליך נעלי: *ſuper Edom projiciam calceum meum*, nempe ut Edumæi abſtergant pulverem atque lutum, & ſint pro peniculo, quo calcei extergeantur. Ita enim ſcite admodum dicit, Moabum, pro lavacro, & & pelvi ſe habere, in quo pedes ſuos proluat, Edomum vero pro peniculo futurum ſibi, utpote cui calceos extergendos ſit projecturus. Apud veteres nihil vilius fuit habitum, quam calceamenta, luto conſpurcata, extergere. Itaque viliſſimis ſervis ea cura mandabatur. In ſervis enim hic ordo erat, ut alii lautiores eſſent, alii inferiore loco, ut ex iis patet, quæ obſervata ſunt Laurentio Pignorio, in erudito commentario, quem de ſervis dedit. Non niſi viliſſimis vero mandabatur calceos purgare. Hinc, ſicuti *calceos ſolvere*, pro vili miniſterio uſurpatur, quomodo Tibullus, cum vellet dicere ad omnia officia, etiam abjectiſſima, pauperem fore præſto, cecinit:

> *Vinclaque de niveo detrahet ipſe pede*,

calceos extergere pro viliſſimo miniſterio veteres dixerunt. Apud Ariſtophanem ſenex ille Philocleon, cum oſtendere vellet vel Theorum, hominem magni nominis, ad ſordidiſſima quæque ſibi præſtanda paratum eſſe, dixit:

> Ἀλλὰ Θέωρος, ὃς τοι ἐςὶν ἀνὴρ Εὐφημίου οὐδὲν ἐλάττων,
> Τὸν σπόγγον ἔχων ἐκ τῆς λεκάνης τὰμβάδι ἡμῶν περιχωνεῖ.

Vel ipſe Theorus, licet vir ſit Euphemio nihil minor, ſpongiam habens ex pelvi, crepidas nobis exterget. Ita David dixit, על ארום אשליך נעלי, *ſuper Edomum projiciam calceos meos*, nempe abſtergendos, ut notet Edomæos ad tantam ſervitutem redactos, ut obirent hoc viliſſimum & ſordidiſſimum calceos detergendi munus, & eſſent tanquam *peniculus quo extergentur baxeæ*, ut Plauti verbis utar.

CAPUT IX.

I. *Hebrææ genti, cum in Arabiæ deſertis obambularet, de victu, & veſtitu, proſpexit Deus, Deut.* VIII. 3. 4. *& Neh.* IX. 20. 21. II. *Quorundam interpretum de iis locis ſententia*. III. *Aliorum, & noſtra opinio*. IV. *Singulare Dei beneficium* Deut. XXIX. 5. *circa veſtes, & calceos Hebræorum*. V. *Communis ſententia calceos, quibus ex Ægypto diſceſſerant Judæi, per annos quadraginta integros ſervatos*. VI. *Ab ea diſſenſum*. VII. *Viri docti opinio probatur, qui hoc beneficium ſitum putat in admirabili Dei providentia, qua Hebræis de calceis proſpexit, ut ubi veteres defeciſſent, haberent novos*. VIII. *Moſis verba in hanc ſententiam expoſita, & locus* Jeſ. XLVIII. 22. *explicatus*. IX. *Varia divinæ providentiæ circa veſtes & calceos documenta*.

I. Gens Hebræa, quam a dura, qua Pharaonis tyrannide preſſa fuerat, ſervitute, liberavit Deus, poſtquam plurima in Ægypto micacula patraſſet, ſingularem gratiam, & favorem Numinis, experta fuit per quadraginta annos, quibus eam per deſerta Arabiæ circumduxit. Nam in deſerto, omnium egeno, & inculto, tam quæ ad victum, quam ad veſtitum, erant neceſſaria proſpexit. Cum fame laborarent, Manna de Cœlo pluit. Cum ſiti premerentur, aquam proſilire vel ex ipſa petra juſſit. Cum carnes appeterent, magnam vim coturnicum in caſtra immiſit. Circa veſtes quoque ſingularis cura & providentia fuit. Prædicat hæc beneficia Moſes, commemoratque ingrato populo his verbis. אכלך את המן אשר לא ידעת ולא ידעון אבתיך למען הודיעך כי לא על הלחם לברו יחיה הארם כי על כל מוצא פי יהוה יחיה הארם שמלתך לא בלתה מעליך ורגלך לא בצקח זה ארבעים שנה: *Dedit tibi in cibum Manna, quam ignorabas, & non cognoverunt patres tui, ut oſtenderet tibi, quod non ſolo pane vivit homo, ſed omni illo quod egreditur ex ore Domini. Veſtimentum tuum vetuſtate non defecit tibi neque pes tuus in-*

intumuit, *bis quadraginta annis*. Repetuntur hæc apud Nehemiam, in illa ſolenni populi confeſſione, qua Dei beneficia, patribus præſtita, recenſentur prolixe. Verba hæc ſunt: מנך לא·מנעת מפיהם ומים נתחה להם לצמאם וארבעים שנה כלכלתם במדבר לא חסרו שלמתיהם לא בלו ורגלוהם לא בצקו: *Manna tuum non probibuiſti ab ore eorum, aquam dediſti eis in ſiti. Et quadraginta annis paviſti eos in deſerto, nihil illis defuit. Veſtimenta eorum non ſunt vetuſtate conſumta, & pedes eorum non intumuerunt.*

II. Si multos ſequimur interpretes, Hebræa verba, quæ in Deuteronomio leguntur, רגלך לא בצקה *pes tuus non intumuit*, itemque, quæ apud Nehemiam ſunt, רגליהם לא בצקו, *pedes eorum non intumuerunt*, verti debent, *pes tuus non fuit diſcalceatus*, vel, *pedes eorum non fuerunt diſcalceati*. In editione Romana LXX. Interpretum & celebri Ms. Alexandrino, apud Moſen legitur: Τά ὑποδήματα σȣ ȣ̓ ἤκατετρίβη ἀπὸ σȣ̃, οἱ πόδες σȣ ȣ̓κ ἐτυλώθησαν, *calcei tui non detriti ſunt a te, pedes tui non occalluerunt*. In editione vero Veneta, & Complutenſi, & Oxonienſi libro Ms. Coll. Univerſit. Octoteuche dicto, e quo variæ lectiones exhibentur in Polyglottis Londinenſibus, hæc verba non leguntur, τὰ ὑποδήματα σȣ ȣ̓ κατετρίβη ἀπὸ σȣ̃, *calcei tui non ſunt detriti a te*. Et ſane alterutrum gloſſema eſt. Apud Nehemiam in editione Romana eſt, καὶ πόδες αὐτῶν ȣ̓ διεῤῥάγησαν, *& pedes eorum non ſunt diſrupti*. Sed in editione reneta, & Complutenſi, & Ms. Alexandrino, καὶ ὑποδήματα αὐτῶν ȣ̓ διεῤῥάλησαν, *& calcei eonum non ſunt diſrupti*. Jonathan quoque παραφράζει apud Moſen, ריגליכון לא הליכן מייחפין: *pedes veſtri non iverunt diſcalceati*, & Onkelos, מסנך לא יחיפו, *calcei tui non fuerunt diſcalceati*. Rabbi David Kimchi *in lib. Rad.* interpretatur, *pes tuus non fuit diſcalceatus abſque calceo*, & originem verbi Hebræi a בצק, *conſperſio*, aut *maſſa*, deducit, quaſi eam ob rationem hic uſurpetur, quia conſumto calceo conſpergitur pes luto. Notavit pariter vir illuſtris Hugo Grotius *ad Deut.* 8. 4. לא בצקה, *non conſperſus fuit pes tuus*, i. *non fuit diſcalceatus*. Et apud Nehemiam, vir Hebraice Doctiſſimus Franciſcus Vatablus *ad Neh.* 9. 21. *More ſcilicet conſperſionis, ſive paſtæ fermentatæ. Vel*, non fuerunt inquinati, contaminati, fœdati, *Sub.* luto, *ut inquinari ſolent digiti ejus qui farinam ſubigit*, *q. d.* impaſtati, *h. e. calcei eorum non fuerunt pertuſi, attriti, aut vetuſtate conſumti*. His alii conſentiunt.

III. Tot interpretibus licet viſum fuerit τὸ בצק *diſcalceatum* ſignificare, non paucioribus tamen placuit, ut *intumeſcere* notet. Ita, præter complures interpretes, & Belgas noſtros, expoſuerunt præſtantiſſimi lexicographi, &, qui inter illos eminent, Buxtorfius, & Coccejus *in Lex. Hebr. R.* בצק. Inter Judæorum magiſtros doctor non incelebris Abraham Aben Ezra notavit, *moris eſſe ut pes viatoris, qui viam ivit, inſletur & intumeſcat, Deum autem dediſſe illis vires, aut duxiſſe leniter*. Conſentit R. Salomo Jarchi Pariter Moſes Bar Nachman Gerundenſis בצק exponit, *intumuit, ut farina aqua macerata, & ſubacta*, & hic dici vult, *tumorem, aut inflammationem, in pede ipſorum non fuiſſe*. Horum ſententia mihi præ altera probatur. Tὸ בצק enim proprie notare videtur maſſæ elevationem, quæ a fermento eſt. Hic itaque notat tumores, quos noſtra vernacula *blaren*, *bleinen*, vocamus. Sane eſt ab hac voce, בצק, *maſſa*, qualis nempe fermento intumuit. Sic inter alia beneficia commemorat Moſes, *pedes eorum non intumuiſſe*, quod longis, & aſperis itineribus, fieri conſuevit.

IV. Unde vero tot interpretes ad hanc ſententiam delapſi ſint, ut ea verba, רגלך לא בצקה: vertenda putarint, *pes tuus non fuit diſcalceatus*, obſcurum haudquaquam eſt. Moſes enim, in eodem Deuteronomio XXIX. 5. ad ipſos calceos Dei beneficium extendit verba hæc ſunt: אולך אתכם ארבעים שנה במדבר לא בלו שלמתיכם מעליכם ונעלך לא בלתה מעל רגלך: *Duxi vox quadraginta annos per deſertum, non inveteraverun veſtimenta veſtra a vobis, & calceamentuum tuum non inveteravit a pedibus veſtris*. Putarunt videlicet etiam in illo loco Moſen dixiſſe, *pedes non fuiſſe diſcalceatos*, cum hic commemoret, *calceos non fuiſſe conſumtos vetuſtate*. Sed duplex beneficium fuit, quod in illam gentem contulit Deus. Non tantum enim pedes ſervavit a tumoribus illæſos, verum etiam calceos iis non paſſus eſt deeſſe, ut per viam aſperam, & difficilem, in Arabiæ deſertis, incedere tuto poſſent.

V. Sed hæc verba nequaquam recte intellexiſſe videntur Judæorum magiſtri, & Chriſtiani quamplurimi. In hunc ſenſum enim interpretantur, ac ſi narrarent hanc ſingularem Dei curam atque providentiam fuiſſe, ut ea ipſa veſtimenta, quibus induti fuerant, cum ex Ægypto diſcederent veteres Hebræi, non paſſus ſit deteri, & ipſos calceos, licet iter arduum atque difficile conficerent, per quadraginta annos, ſervaverit illæſos. Scilicet in eo miraculum hoc collocant, ut, cum cal-

calcei longo itinere atterantur, quod legati Gibeonitarum argumentum habent maximum, quo perſuadeant ſe ex longinqua regione venire, rerum geſtarum fama exciti, Deus Iſraelitarum calceos ſervaverit integros. Jam olim Juſtinus Martyr *in Dial. cum Triphone Judæo, prope finem:* Ὧν καὶ οἱ ἱμάντες τῶν ὑποδημάτων οὐκ ἐῤῥάγησαν: οὐδὲ καὐτὰ τὰ ὑποδήματα ἐπαλαιώθη. *Quorum corrigiæ calceamentorum non ruptæ ſunt, neque ipſa calceamenta inveteraverunt.* Et Tertullianus *in lib. de Trinit. cap.* VIII. *Cujus etiam cura & providentia Iſraelitarum non ſivit, nec veſtes conſumi, nec viliſſima in pedibus calceamenta deteri, ſed nec ipſorum poſtremo adoleſcentium captiva ſarabara comburi.* Et Aurelius Auguſtinus *de peccatorum meritis & remiſſione lib.* I. *cap.* III. *Si enim Deus Iſraelitarum veſtimentis & calceamentis præſtitit, quod per tot annos non ſunt obtrita, quid mirum ſi obedienti homini ejuſdem potentia præſtaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam ſtatum, quo ſine defectu eſſet annoſum, tempore quo Deus vellet mortalitate ad immortalitatem, ſine media morte venturus?* Ne de Chryſoſtomo *Homil.* IX. *in Philip.*, Hieronymo *ad Pammach. adv. errores Joh. Hieroſ.*, Ambroſio *lib.* II. *de Fide ad. Grat. cap.* I., & aliis pluribus dicam. Hoc tempore quoque ea Vulgata opinio eſt, ipſos calceos, quibus induti fuerant Hebræi, cum ex Ægypto egrederentur, a Deo conſervatos, ut annorum quadraginta ſpatio manſerint incorruti. Ipſum Samuelem Bochartum *Hieroz. part.* I. *pag.* 600. virum ſummæ eruditionis, qui in omni doctrinæ genere primas tenet, jam ſuperius vidimus obſervaſſe, *Deum Judæis, longum, aſperum, & ſenticoſum iter jam ingreſſuris, de calceis proſpici voluiſſe, & ut religio quoque eos ad rei tam neceſſariæ curam adigeret, ſanciiſſe, ut non niſi calceati Paſcha manducarent, neque paſſum eſſe calceos, quos ad hoc ſolenne feſtum ſibi comparaverant, per annos quadraginta deteri.*

VI. Ego vero, ut ingenue fatear, in hac Vulgata opinione acquievi nunquam. Ad hoc miraculum, enim non illud tantum concurrere neceſſe fuit, ut Deus virtutem incorruptam calceis inderet, quod quidem a Deo, cui πάντα δυνατὰ, non difficulter potuit præſtari, verum illud etiam, cum in magno iſto Iſraelitarum numero, & parvuli fuerint, & matura nondum ætate adoleſcentes, ut latentis incrementi facultatem daret, & calcei, quos primum induiſſent, & pueri, & adoleſcentes, cum ex Ægypto virtute Numinis educerentur, illis creſcentibus, etiam creſcerent cum illis. Id enim aliter fieri non potuit, niſi puerorum, & adoleſcentium, calcei cum ipſis pedibus creviſſent. Non mihi latet, quid vir illuſtris Hugo Grotius *ad Deuter.* VIII. 4. notarit: *Non tantum non attrita fuiſſe, ſed & cum ſtatura creviſſe veſtimenta, tradunt Hebræi.* Id verum eſt, tradere Hebræos, cum ipſis pueris, & adoleſcentibus, &, veſtimenta, & calceos creviſſe, uti Midraſch *in Cant.* IV. II. in hæc verba Canticici: ריח שלמתיך כריח לבנון: *Odor veſtium tuarum ſicut odor Libani*, pluribus agit de Iſraelitarum veſtibus in deſerto, & ad eam quæſtionem, an pueris, & adoleſcentibus veſtes quoque ſimul creverint, reſpondet: צא ולמד מן החלזון שכל זמן שהוא גדל נרתיקו גדל עמו: *Egredere, & diſce a chilzon*, h. e. cochlea, *quod quamdiu creſcit, etiam theca ejus creſcit cum eo*, quaſi eadem ratione una cum pueris, & adoleſcentibus, & veſtes, & calcei creviſſent, uti cum cochleis conchæ, quod non tantum in terreſtribus videmus, verum etiam in marinis, & in cochlea purpurea maxime, quarum incrementum ſingulis annis per orbes patet, ita ut, cum ſex aut ſeptem annos vivat, tot orbes habeat quot annos agit, uti referunt Ariſtoteles *Hiſt. Animal. lib.* V. *cap.* 15., & Plinius *lib.* IX. *cap.* 36. Certe, hoc qui credit, etiam illud credet non difficulter, cibum, quo uſi Iſraelitæ ſunt, totis illis quadraginta annis, quibus errarunt in Arabiæ deſertis, omnem in eorum viſceribus abſumtum, atque egerendum reliquiſſe omnino nihil, ne alvum dejicere haberent opus. Quod proditum ab ipſo R. Iſaaco Abarbanele *in legem fol.* CCCLXXXI., traditionibus iſtiuſmodi alioquin minus addicto, eſt. Sic enim iile: הלא תראה שספק הקב״ה מזונם כל ימי היותם באהלים במדבר במזון הנבלע באברים כדי שלא ישקצו את מחניהם בהוצאת המותרות ולא נצטרכו ליד ויתר ויתר לפי שאין הנשים יכולות לעמוד על הענין ההוא מה שלא היה כן במחנה המלחמה כי כלם אנשים: *Annon vides, quod Sanctus benedictus, omnibus diebus, quibus in tentoriis degerunt in deſerto, cibum intra membra abſumtum ſuppeditarit, ne abominanda redderent caſtra ſua ejectione reliquiarum, & non indigerent certo loco, & paxillo, eo quod mulieres non poſſent ſatisfacere huic inſtituto. Id quod ſic non eſt in caſtris bellicis, quoniam omnes viri ſunt.* Sed, quis non videt merum hoc eſſe ſomnium, qualia multa fingunt nugaces magiſtri, de quo Horatius *lib.* I. *ſat.* V. *verſ.* 100.

— *Credat Judæus apella;*
Non ego. —

Quis

Quis quæſo ſibi perſuadebit, niſi vim faciat ſuo ingenio, judicioque, cum pueris, & adoleſcentibus, & veſtes, & calceos creviſſe, uti cum cochleis conchæ? Etiam ſcio Juſtinum Martyrem *in Dial. cum trybone Judæo, prope finem* ſcripſiſſe jam olim, quod Iſraelitarum, ὐδὲ τὰ ἐνδύματα κατετρίβη, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν νεωτέρων συνηύξανε, *neque veſtes attritæ ſunt, ſed juniorum quoque una cum ipſis creverunt*. A vetulis hæc narrari poſſunt pueris, ut eos trahant in admirationem, a viris merito exſibilantur. Profecto neminem reperiri arbitror hominem non putidum, qui hæc non damnet modo, ſed commenti tam inepti autores, tanquam fatuos, & nullius judicii homines, irrideat. Ut mirer virum illuſtrem Hugonem Grotium has futiles nænias ſuis Annotationibus inſeruiſſe: Sed id factum arbitror, non quod vir ille, vere magnus, fidem adhibuerit huic magiſtrorum figmento, verum ut appareret ſe hoc non ignorare. Præſertim, cum diſſentiant ex ipſis Judæorum magiſtris, qui paulo ſaniores ſunt, quam ut ipſis placeant talia deliramenta. Aben Ezra *ad Deut.* VIII. 4. certe, qui ſæpe a vulgatis verporum opinionibus diſcedit, & aliquando plus veri videt, quam cæteri ſuæ gentis magiſtelli, cenſet Judæos, ex Ægypto, multas veſtes, multoſque calceos ſecum tuliſſe, ita ut nunquam iis defecerint in deſerto. Cujus ſententia, licet non omnino mihi poſſit probari, cum non ſit veriſimile tam multos calceos ſecum ex Ægypto tuliſſe Judæos, ut per quadraginta annos, quibus erraverunt in Arabiæ deſertis, nunquam deficerent: tamen oſtendit, Rabbinum illum celebrem neutiquam abreptum communi gentis opinione fuiſſe, quæ vult, & calceis inditam virtutem incorrutam ut non deterentur, & ipſos una cum pedibus infantum, & puerorum, & adoleſcentum, creviſſe, uti cum cochleis conchæ. Præterea & hoc certiſſimum eſt, nunquam, niſi cum ſumma id exigeret neceſſitas, a Deo patrata miracula fuiſſe. Cum Manna de cœlo plueret, aut aqua ex petra profiliret, fame fere conficiebantur Hebræi, & ſiti premebantur intolerabili, nihilque erat in vaſtis illis Arabiæ deſertis quo famem compeſcerent, & ſitim ſedarent, niſi ipſe Deus, & cibum, & potum, extra conſuetas naturæ leges, præberet. Talis neceſſitas nunquam fuit, ut, vel de veſtimentis, vel de calceis, tam inſigni miraculo, Hebræis proſpiceret ſupremum Numen. Nam oſtendam, ut opinor, clariſſime, aliis rationibus hoc potuiſſe præſtari, ut non neceſſe fuerit, vel vim incorruptam calceis indere, vel creſcendi facultatem, ut cum pedibus infantum creſcerent, uti cum cochleis conchæ. Tum illud quoque obſervandum eſt, in ſumma fame, & ſiti, Deum, & famem, & ſitim non ſedaſſe, nullo cibo, nulloque potu, vel cibo, quem mittebat de cœlo, & potui, quem præbebat petra, eam indidiſſe virtutem, ut in poſterum neque eſurirent, neque ſitirent, quale propemodum miraculum in Elia deprehenditur, qui virtute cibi, & potus, iter per quadraginta dies confecit, ſed panem ſingulis diebus miſiſſe, & aquam ex petra ipſos juſſiſſe ſequi. Quis ergo credet vim incorrutam fuiſſe calceis inditam, aut creſcendi facultatem, ut iiſdem calceamentis, quibus induti fuerant in Ægypto, per quadraginta annos errarent in Arabiæ deſertis, cum Deus, ne quidem hac in re, naturam rerum mutaverit, ut ſine cibo, & potu, vitam ducerent, aut virtute cibi per aliquot dies ſaltem vagarentur, quod Eliæ contigit? Quare de Vulgata hac opinione dubitavi, ſemper, & aliter ſacram hiſtoriam cenſui interpretandam.

VII. Memini me, cum hæc animo volverem, ſermonem aliquando habuiſſe cum magno doctore meo Johanne Georgio Grævio, qui affirmabat, ſibi videri virum doctum verum vidiſſe, qui hoc beneficium, quod Moſes commemorat, ſitum fuiſſe putat in admirabili illa Dei providentia, qua Iſraelitas, quadraginta annos, per deſerta inculta, & horrida, & omnium egena, duxit, ut nunquam tamen ipſis, aut veſtes, aut calcei defecerint, aut materia defuerit, qua veſtiri potuerunt & calceari. Ut hæc verba nequaquam indicent, vim incorrutam calceis inditam, aut una cum infantum & puerorum pedibus creviſſe, ſed nunquam defuiſſe, vel calceos, vel materiam, unde conſuerentur. Placebat mihi eo tempore hæc opinio, & quidem eo magis, cum viderem virum optimum, ſubactique judicii, meum in ſacris literis doctorem, Franciſcum Burmannum *ad Deut.* VIII. 5. illam ſuo calculo probare. Nunc vero, ubi omnia perpendi paulo diligentius, plane in ea acquieſco, cum evidenter demonſtrari poſſit, verba Moſis nihil aliud indicare, & oſtendi, qua ratione de novis calceis Hebræis proſpexerit ſupremum Numen.

VIII. Verba Moſis non eſſe intelligenda, quaſi eaſdem ſemper veſtes geſtaſſent Judæi, eoſdemque calceos, qui vetuſtate non conſumti forent per quadraginta annos, ſed nihil, ne in veſtibus quidem, & calceis, per quadraginta annos, ipſis defuiſſe, quia non ſivit Deus, ut indige-

gerent vestimento, & calceatu, quod substituerent vetustate detrito, ostendere potest hic apud Jesaiam XLVIII. 21. locus. Verba Prophetæ sunt: ולא צמאו בחרבות הוליכם *Et non sitierunt, cum ipsos per desertum duceret*. Sitiisse Judæos cum in deserto errarent, quis nescit? Massa, & Meriba, & alia loca, testimonium sunt evidentissimum. Vel ad ipsas gentes hujus rei memoria manavit. Notissima fabula est Judæos asinum coluisse, quam tot prodiderunt scriptores veteres, quorum testimonia collegit vir summus Samuel Bochartus *Hier. pag.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. Hujus vero cultus, tam alieni, nullam aliam causam adferunt, quam quod asinus monstraverit aquæ fontem. Ita expresse Tacitus. *Hist. lib.* V. *cap.* III. *Nihil æque* (*Judæos* in deserto) *quam inopia aquæ fatigabat. Iamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit.* Et paulo post: *Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere.* Quare sitiverint necesse est in deserto Judæi. Et tamen non sitiisse, cum Deus ter optimus ipsos duceret per desertum, affirmat Propheta. Quod profecto non alia ratione intelligendum est, quam quia Deus abunde suppeditabat, unde sitim potuerint explere. Potuisset Deus, cui nihil ἀδύνατον, id præstare, ut non sitirent Judæi. Hoc vero nuncquam fecit, sed illis, vel ex ipsa petra, suppeditavit aquæ venas, ad sedandam sitim. Quare Prophetæ verba non alio sensu possunt intelligi, quam quod Deus minime passus sit, ut ipsis aqua deficeret in siti. Quomodo mox subjungit. מים מצור הזיל למו ויבקע צור ויזבו מים: *Aquam e petra fluere fecit eis: & scidit petram, & fluxerunt aquæ*. Eodem sensu, quo Jesaias dixit, non sitivisse Judæos in deserto, Mosen dixisse arbitror, *non attrita fuisse vestimenta*, aut *calceos fuisse vestutate consumtos*. Calcei attriti fuerunt, & vetustate consumti, uti in deserto sitiverunt Judæi. Attritos non fuisse narrat Moses, uti Propheta refert non sitiisse Judæos. Potuit scilicet atteri vestimentum, & calceamentum, sed non deficere vetustate, adeo ut, & calcei, & vestibus, indigerent Judæi. Pariter uti sitire potuerunt Judæi, non extingui siti. Potuit quidem Deus etiam id præstare, ut non attererentur, & vestes, & calceis, uti præstare potuit, non prestitit ut non sitirent Judæi. Sed uti non sitirent Judæi, sed aquam ipsis suppeditavit in siti, ita non præstitit ut non attererentur, & vestes & calcei, utque iisdem vestibus & calceis, per annos quadraginta, incederent in deserto: sed admirabili sua providentia id effecit, ut neque materia vestium deficeret, neque sine calceis cogerentur incedere, cum abunde suppeditaret, quæ ad vestes, & calceos, requirerentur. Non sitiisse Judæos utique credi posset non difficulter, si nuspiam extaret Deum aquas ipsis præbuisse in siti. Non attrita fuisse vestimenta, & calceos Hebræorum, per quadraginta annos, sed Deum vim incorruptam, & vestibus, & calceis, indidisse, & cum parvulis, & pueris, & infantibus, crevisse, uti cum cochleis conthæ, etiam credi posset admodum facile, nisi aliunde constaret, qua ratione Deus defectum, & vestium, & calceorum, expleverit, ut alias vestes, & alia calceamenta, sibi comparare potuerint, ubi veteres defecissent.

IX. Singularis hæc Dei erga populum illum cura & providentia fuit, ut, antequam Ægypto discederent, Ægyptiorum opibus, & vestimentis, locupletaret. Præceptum Dei in Exodo XI. 2. 3. legitur, quo jussit, ut jam jam Ægypti finibus egressuri, aurea, & argentea vasa ab Ægyptiis peterent, promittitque se gratiam Ægyptiorum, ut nihil denegarent ipsis, conciliaturum. Id ipsum factum ab Hebræis est, *qui ab Ægyptiis petierunt argentea, & aurea vasa, & vestimenta, cum Deus daret ipsis gratiam in oculis Ægyptiorum, adeo ut spoliarent Ægyptios.* Hinc constat, etiam vestibus, præter illas quas induerant, onustos fuisse, cum ex Ægypto discederent, Hebræos. Hoc in animo habuisse Aben Ezra videtur, qui Judæos multas vestes, multosque calceos, ex Ægypto secum tulisse censet. Sane hinc tot habuerunt ornamenta, & tam amplam vestium materiam, quam conferre ad Tabernaculi structuram, & Sacerdotum vestitum, potuerunt. Hinc, ad aliquod tempus, vestiri potuerunt iis vestibus, & calceis, quos ex Ægydto secum sumserant Judæi. Non multo post, quam egressi ex Ægypto sunt, Rex Amalekitarum, cum exercitu ipsis occurrit, de quo magnam vectoriam, & spolia ampla, reportarunt. Provida hæc deinde fuit Dei cura, ut eos aliquando duceret per regiones amœnas, & fertiles, in quibus cibum, & potum, pecunia emere, & de vestibus sibi prospicere potuerunt, quales fuerunt fines Moabitarum, & Ammonitarum, quod in Deuteronomio II. 28. 29. legimus. Quarum rerum usu cum interdiceret Sihon Rex Hesbon, *percusserunt eum cum filiis ejus, & omni* po-

populo, & occuparunt omnes urbes ejus, & devoverunt omnes urbes, viros, & fœminas, & pueros, & neminem ſervarunt vivum, & pecudes ſolas ſibi ſpoliarunt, & ſpolia urbium, quas occuparunt. Eadem ratione Ogum regem Baſanis deleverunt, *& occuparunt ſexaginta urbes, & pecudes, & earum urbium ſpolia ſibi ſumſerunt*. Quis dubitabit inter ſpolia, quæ ex tot urbibus retulerunt, fuiſſe veſtes, & calceos, & magnam materiam, unde & veſtes, & calceos, conficere potuerunt? Præſertim cum cogitet ipſos ſimul pecudum gregibus locupletatos, e quarum lana veſtes, & ex pellibus calceos, ſibi parare potuerunt. Omnino ergo hoc referendum ed ſingularem illam Dei providentiam eſt, qua Judæis, & de calceis proſpexit, non vero fingendum tam magnum miraculum, ac ſi eorum veſtes, & calcei, per quadraginta annos durarint, aut cum infantibus, & pueris, creverint, uti cum cochleis conchę, cum verba Moſis nihil aliud indicent, quam per quadraginta annos ipſis, neque veſtes, neque calceos defuiſſe, cum detritis veteribus, & veſtibus, & calceis, vel alios haberent, quos induerent, vel novos. Quod nos Belgæ diceremus eleganter: *Gy zijt in veertigh jaar, noch uit uvve hleederen, noch uvve ſchoenen geraakt*.

CAPUT X.

I. *Miraculum ſingulare Dan.* III. 21. 27. *quo Deus, in ardenti fornace, veſtes trium virorum ſervavit illæſas*. II. *Voces*, סרבלין, פטישין, כרבלין, *&* לבושין, *multi interpretes ita exponunt, ut nullam mentionem faciant calceorum, alii vero calceos agnoſcunt, ſed ſunt in multiplici differentia circa vocem, quæ calceos notaret*. III. *Noſtra ſententia*. IV. סרבלין *eſt veſtis exterior, fluxa, & talaris, qualis ſtola matronarum, non* femoralia, *vel* fibialia. V. פטיש calceus *eſt, non* bracca. VI. כרבלה *tiara, ut Græcum* Κυρβασία *ornamentum capitis, inſtar criſtæ galli*. VII. לבוש *veſtimenta interiora*. VIII. *Operis concluſio*.

I. Singularem Dei curam, atque providentiam, qua Hebræis, cum in Arabiæ deſertis obambularent, per annos quadraginta, variis modis de calceis proſpexit, ita ut nunquam ipſis defuerint, licet minime calceis, quibus induti fuerant, cum ex Ægypto diſcederent, virtutem indiderit incorruptam, aut creſcendi facultatem, ut cum puerorum, & adoleſcentum pedibus creſcerent, ſicuti cum cochleis conchæ, ſuperiori capite expoſui, & futilem exploſi errorem. Nunc verum miraculum illuſtrandum eſt, quod Sadracho, Meſacho, & Abednegoni contigit, qui, cum captivi Babylonem abducti eſſent, & imaginem auream, quam Nebucadnezar coli præceperat, adorare nollent, in fornacem ardentem cum veſtimentis ſuis conjecti ſunt: ſed Deus ita ſervavit illæſos, ut tutas ipſas etiam veſtes a vi ignis præſtiterit. Ita refert hiſtoria, quæ, ex Babyloniorum archivis Chaldaice relata, inter Danielis III. 21. vaticinia legitur. באדין גבריא אילך כפתו סרבליהון פטישיהון וכרבלתהון ולבשיהון ורמיו לגוא אתון נורא יקדתא *Tunc viri hi ligati ſunt cum ſarabaris ſuis, calceis ſuis, tiaris ſuis, & veſtibus ſuis, & conjecti ſunt in medium fornacis ignis ardentis*. Et paulo poſt: ומתכנשין אחשדרפניא סגניא ופחותא והדברי מלכא חזין לגבריא אלך די לא שלט נורא בגשמהון ושער ראשהון לא התחרך וסרבליהון לא שנו וריח נור לא עדת בהון: *Et congregati ſunt ſatrapæ, magiſtratus, duces, & conſiliarii regis, intuentes viros iſtos, quoniam non dominatus fuerat ignis in corporibus eorum, & capillus capitum eorum non erat aduſtus, & ſarabara eorum non mutata, & odor ignis non tranſierat in eos*.

II. Nonnulli interpretes hæc quatior vocabula, סרבלין, פטישון, כרבלון, & לבושין, de quorum diſtincta notione vix quicquam certi noverunt, ita reddunt, ut nulla fiat calceorum mentio. Inter hos ſunt Belgæ noſtri, qui verterunt: *Doe vvierden die mannen gebonden in hare maneels, hare broeken, ende hare hoeden, ende hare* andre *klederen:* hoc eſt, *tunc viri hi ligati ſunt cum palliis ſuis, & braccis ſuis, & pileis, &* aliis *veſtibus ſuis*. Conſentit vir eximius Johannes Coccejus, in ea verſione. quam in Obſervationibus ſuis ad Danielem dedit. Sic enim habet: *Tunc viri hi ligati ſunt cum chlamydibus ſuis, femoralibus ſuis, pileis ſuis*. Etiam vir illuſtrius Hugo Grotius *in h. l.* nullam harum vocum de calceis explicavit. Magnus Buxtorfius *in Lex. Hebr.* quoque nullam horum vocabulorum ſignificationem dedit calceorum: סרבלין enim dicit eſſe, *chlamydes, pallia*, פטיש *ſubligaculum, femorale*, כרבלה *paludamentum, tegumentum*, לביש *indumentum, veſtimentum*. Ubi illud omnino mirandum eſt, quod vir magnus, qui סרבלין *chlamydes, pallia*, notare dixit, כרבלה vult eſſe *paludamentum*. Id enim ſi verum foret, hi viri veſtiti fuiſſent *clamydibus, femoralibus, & paludamentis*. Sed alii inverpretes etiam de calceis cogitarunt. Hi tero ſunt in varia atque multiplici diffe-

rentia, quodnam vocabulum *calceos* notet. סרבלין quibusdam ſignificant נעילים, *calceos*, ut obſervat Saadias. Rabbinos pedum tegumenta velle notatum etiam ab Elia Levita eſt *in Thiſbite*, *ad vocem* סרבל. Sic enim ille ברברי רבותנו זכרונם לברכה בכרבלוהון אילו הסרבלין שברגליהם *Rabbini noſtri beatæ memoriæ dicunt*, סרבלין *veſtes fuiſſe, quibus veſtiti fuerunt eorum pedes*. Tradit Hieronymus *Comment. in Dan.* Symmachum vertiſſe ἀναξυρίδες. Ea voce Theſaurus linguæ Græcæ multis autoribus probat *braccas*, & *femoralia*, ſignificari, quomodo, & apud Suidam, & Heſychium, ſynonyma ſunt ἀναξυρίδες, φιμινάλια, βράκια. *Calceos* tamen etiam deſignat. Sic enim diſerte Heſychius: Ἀναξυρίδες, φημινάλια, βρακία βαρβαρικά, ἔνδυμα ποδῶν, ὑποδήματα βαθέα, ἢ βασιλικά. Ἀναξυρίδες, *femoralia*, *braccæ barbaricæ*, *veſtimentum pedum*, *calcei cavi*, *aut regii*. Scilicet ἀναξυρίδες, quæ *femoralia*, & *braccæ* ſunt, *calceamenta* quoque facit, & quidem βαθεά, *cava*, ut a ſoleis, quæ plantis pedum ſuppoſitæ, diſtinguat. Pollux *lib.* VII. *cap.* 22. quoque: Τὰ δὲ πέλυντρα, εἶδος ὑποδήματος, ὥσπερ αὐτοπόδια, ὢ ταῦτα ἦν ταῖς ἀναξυρίσιν, ἃς σκελέας ἔνιοι ὀνομάζουσι. *Pelyntra autem, ſpecies ſunt calcei, ſicut aut apodia, quæ idem ſunt quod anaxurides, quas ocreas nonnulli vocant*. Lutherus פטשין, *ſchuben*, *calceos* vertit. Eum ſecutus eſt, in ſua Expoſitione vocum Chaldaicarum, vir ſummus Johannes Coccejus, licet *femoralia* reddiderit in ea verſione, quam in Obſervationibus ad Danielem dedit. Theodotion vero, cujus eſt Danielis Græca interpretatio, כרבלין exponit περικνημῖδας, & Vulgatus, *calceamenta*. Ea diverſitas dubium omnino reddit, & incertum, quodnam ex his vocabulis *calceos* ſignificet.

III. Ego, & illos errare arbitror, qui nulli horum vocabulorum ſignificationem *calcei* tribuerunt, & pleroſque eorum, qui, ut in re incerta, conjectantes, vel hoc, vel illud, ea notione ſumſerunt, haſque voces non alia ratione diſtinguendas, quam ut סרבלין, ſint *Sarabara*, פטיש *calceus*, כרבלה *tiara*, לבוש *veſtis interior*. Sic reddidiſſet Theodotion, σὺν τοῖς σαραβάροις αὐτῶν καὶ τιάραις, καὶ περικνημῖσι, καὶ ἐνδύμασιν αὐτῶν, ſi vera eſt viri longe eruditiſſimi Johannis Druſii *in Dan.* III. 21. conjectura, qui legi mavult, ordine inverſo, καὶ περικνημῖσι, καὶ τιάραις, ut פטשין ſint περικνημῖδες, & כרבלין τιάραι. Non multum abit ὁ πάνυ Johannes Coccejus, *in Expoſ. Diction. Chaldaic.* Lutherum ſecutus. *Igitur non dubito*, inquit, quin סרבלין *notet togas, aut pallia*: פטשין περικνημῖδες, & לבושין כרבלין *tiaras*: *interiores veſtes, quibus corpus texerant. Habebimus veſtem corporis exteriorem, & interiorem, tegmen capitis, & pedum. Luth. In ihren mantelen, ſchuben, huten, und anderen kleideren*. Sed quia a nemimine aliquid certi de his vocabulis eſt traditum, operæ pretium eſt hoc accuratius adſtruere.

IV. סרבלין notare veſtem exteriorem, quæ ſtatim in oculos incurrit, ex eo certiſſimum videtur, quod cum Sadrach, Meſach, & Abednego, ex fornace ardenti educuntur, סרבליהון *Sarabala ipſorum non mutata* dicantur. *Sarabala* enim nihil aliud fuiſſe quam veſtimentum exterius, quod ſtatim conſpiſitur, vel ex eo manifeſtum eſt, quia omnium loco nominatur, ut conſtet nihil in eorum veſtibus mutatum. Quid enim aliud proclivius eſt intelligere, quam veſtimentum aliquod externum, cujus ſplendor, cum non fuerit mutatus, omnia incorrupta, & illæſa cognoſcantur? Sane aptiſſimum eſt dicere *Sarabala non eſſe mutata*, hoc eſt, veſtimentum exterius, ut ſignificetur nihil in veſtibus igne conſumtum, quia hoc, cum non arſerit, miraculum reddidit evidentius. Animadvertiſſe hoc illi videntur, qui סרבלין, vel *togam*, vel *pallium*, volunt. Ita Jachiades, qui Danielem *ad Dan.* III. 21. Paraphraſi illuſtravit, veſtem intelligit exteriorem, quæ corpus operit, quale pallum, vel ſimile quid. Sic enim ſcribit: בסרבליהון והם הלבושים אשר יכסו כל הגוף בצאת האיש מביתו ללכת בשוקים ורחובות ובלע׳ מאנטילו או דומ׳ לו: *Cum ſarabalis ſuis, h. e. cum veſtimentis, quæ totum obtegunt corpus, ubi quis e domo ſua prodit in publicum, ſive forum ac plateas, & barbare* Mantilo, *aut quid ſimile ei*. R. Nathan Juſtus, in Lexico juris Hebraici, laudat doctores Babylonios, qui affirmant fuiſſe veſtem quandam ſuperiorem, quam *Talith* nuncupant, id eſt, *togam*, aut *pallium*. Aben Ezra quoque veſtem ſignificare ſuperiorem ſcribit, ab obtegendo dictam, quæ nulla alia quam toga, vel pallium eſt. Hanc ſententiam ſequuntur recentiores Judæi, apud quos *Sarabara*, ut celebris ille Elias Levita *in Tisbite ſuo, ad vocem* סרבל ait, in vulgari uſu eſt pro *pallio*. Verba ejus hæc ſunt: אנחנו קורין למלביש העליון סרבל בלשון אשכנז וגם בלעז מנטיל: *Nos vocamus veſtem ſuperiorem*, סרבל, *Sarbel*, *quæ in lingua Germanica, & Italica, vocatur*, מנטיל, *mantil*. Eadem ſignificatione & apud Talmudicos legitur. Sic enim illi in Menachoth *fol.* XLI. I. *Angelus invenit Rab Ketina amictum ſindone, & dixit*

xit ei : *O Ketina*, *Ketina*, סדינא לקנטא וסרבלא לסתוא, *Sidon convenit æſtati*, *ſaraballum hyemi*. Veſtem ſuperiorem eſſe, quæ totum corpus tegebat, confirmat vocis hujus origo. סרבלין eſt a סרבל, quod Chaldæis non modo, verum etiam Arabibus, eſt *tegere*, *operire*. Hinc optime סרבלין veſtimentum exterius dicitur, quod corpus hominis obtegit, quomodo *toga*, a tegendo, Romanis eſt appellata. Ita tamen ut סרבלין non quidem ſint, aut togæ, aut pallia, qualis nempe toga Romanis fuit, aut pallium Græcis, aut qualibus nos hodie utimur, ſed σαράβαρα, vel σαράβαλα, uti hanc vocem reddidit Theodotion, hoc eſt, veſtis fluxa, & talaris, quales ſtolæ matronarum. Neque aliter Aquila vertit. Habuit enim, æque ac Theodotion, σαράβαλα, uti Hieronymus *Comment. in Dan.* eſt autor, qui ita legi etiam poſtulat. Sic enim ſcribit: *Pro braccis*, *quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus eſt* : *Aquila & Theodotion ſaraballa dixerunt*, *& non ut corrupte legitur ſarabara*. Sed hoc neceſſe haudquaquam eſt. Σαράβαρα enim, æque ut σαράβαλα, rectum eſt, cum literæ R. & L. facillime permutentur, uti jam dudum plurimis exemplis eruditi homines oſtenderunt. Equidem ſcio aliter σαράβαλα, atque Heſychio, explicari. Suidas enim σαράβαρα ἐσθὴν περσικὴν, *veſtem Perſicam* facit, quam ἔνιοι λέγουσι βρακία, *quam nonnulli braccas vocant*, & Heſychius *in* Σαράβαρα, *&* *in* σκελίαι Sarabara vult eſſe περὶ τὰς κνημῖδας (vel ut alii, cum Stephano, legunt, κνήμας, quæ vox *tibias*, *ſuras* ſignificat) ἐνδύματα, hoc eſt *crurum indumenta*, quomodo & alibi habet. Σκέλιαι τὰ τῶν σκελῶν σκεπάσματα, πάρθοι σαράβαρα. Etiam non latet mihi exponere Scholia Græca: τίνες σαράβαρα εἰρήκασι τὰ μὲν παρὰ τῶν πολλῶν λεγόμενα Μώκια, παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν ἀναξυρίδες προσαγορευόμενα, &, pro Μώκια, forſan legendum Βράκια, jam dudum monuiſſe virum præſtantiſſimum Johannem Druſium *in Fragm. Vet. ad Dan.* Sed hos omnes errare tam certum eſt mihi, quam ipſum Hieronymum, *Comment. in Dan.* omnium patrum doctiſſimum, qui notavit: *Lingua Chaldæorum ſaraballa crura hominum vocari*, *& tibias*, *&* ὁμονύμως *etiam braccas*, *quibus crura teguntur*, *& tibiæ*, *quaſi crurales & tibiales appellatas eſſe*. Quod ſane unde hauſerit omnino neſcio. Etenim *ſaraballa* lingua Chaldæorum crura hominum vocari non credo Hieronymum ullo teſtimonio poſſe confirmare. Sed omnes decepit vox peregrina, quam non intellexerunt, unde & aliis impoſuerunt viris noſtro ſeculo doctiſſimis, qui σαράβαρα, vel *braccas* eſſe conjecerunt, vel tibiarum indumenta, uti videre eſt apud Julium Nigronum *de calig. pag.* 12. *Braun. de Veſt. Sac. Hebr. pag.* 454. qui hic vehementer eſt ambiguus, itemque Johannem Braunium, imo ipſum Samuelem Bochartum, *Phalegh. l.* 1. *c.* 6. qui, סרבל *Sarbel*, σαραβάλλον, *ſaraballum exponimus*, inquit, *cum Aquila*, *Theodotione*, *& Hieronymo Dan.* 3. 21. *Proprie femoralia ſignificat*, *ut Arabice* סראויל *ſaravilo*, *& græce* σαράβαλα, vel permutatis literis, R. & L. σαράβαρα, vox ſit a סרבלין deducta, quæ a סרבל, quod *tegere* ſignificat, veſtimentum notat exterius, quod corpus tegebat, qualis ſtola matronarum. Braccas ſane hic intelligere eſſet invenuſtum. Omnium enim inſtar nominare braccas, ut teſtimonium ſint veſtes a vi ignis manſiſſe illæſas, quis non videt eſſe ineptum? Quare Σαράβαρα veſtis fluxa, & talaris, qualis ſtola matronarum, fuit. Ita Iſidorus *Orig. lib.* XIX. *cap.* 23. *Quibuſdam autem nationibus*, inquit, *ſua cuique propria veſtis eſt*, *ut Parthis ſarabaræ*. Et ſtatim poſt: *Sarabaræ ſunt fluxa & ſinuoſa veſtimenta*, *de quibus legitur in Daniele* : *Et ſarabaræ eorum non ſunt immutatæ*, *& Publius*. *Ut quid ergo in ventre tuo Parthi ſarabara ſuſpenderunt*. Clarius autem adhuc Tertullianu *Pal. cap.* 4. *Vicerat*, de Alexandro M. loquitur, *Medicam gentem*, *& victus eſt Medica veſte*. *Triumphalem cataphractam amolitus*, *in captiva ſarabara deceſſit*, hoc eſt aſſumſit captivæ, ac victæ gentis veſtem, pro ſuo habitu triumphali. *Sarabara* hic minime *braccas* notare, oppoſitio *triumphalis cataphractæ* oſtendit, quæ loricam ex ferro notat. Idem & ea docent quæ ſequuntur. *Pectus ſquammarum ſignaculis diſculptum*, *textu pellucido tegendo nudavit*, *& anhelum adhuc ab opere belli*, *ut mollius*, *ventilante ſerico extingit*. Sane patet ex his luculenter *ſarabara* non niſi de ſtola Medica accepiſſe Tertullianum. Stolam autem Medicam fuiſſe veſtem fluxam & talarem, quales ſtolæ matronarum, Xenophon *Hiſtor. lib.* VIII. oſtendit, qui eam a Medis ad Perſas tranſtuliſſe Cyrum refert his verbis: Στολήν τε γοῦν εἵλετο τὴν Μηδικὴν αὐτός τε φορεῖν, καὶ τοὺς κοινώνας ταύτῃ ἔπεισεν ἐνδύεσθαι. Αὕτη γὰρ αὐτῷ συγκρύπτειν ἐδόκει εἴπερ τι ἐν τῷ σώματι ἐνδεὲς ἔχοι, καὶ καλλίστους καὶ μεγίστους ἐπιδεικνύναι τοὺς φοροῦντας. *Stolam itaque elegit Medicam & ipſe ferre*, *& ut familiares ea induerentur perſuaſit*. *Hæc enim illi occultare viſa ſi quis defectum aliquem haberet in corpore* (quod fluxa nimirum, & talaris) *atque illa indutos pulcherrimos &*

ma-

maximos conſpici. Eodem modo ſcilicet Cyrus id veſtimenti genus a Medis tranſtulit ad Perſas, quo ad Medos, cum imperio, tranſierat ab Aſſyriis, qui hunc morem veſtis tenuerunt, a Semiramide edocti, uti Juſtinus *lib.* I. *cap.* II. refert. *Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri jubet: quem morem veſtis exinde gens univerſa tenet*. Scilicet Semiramis, quæ ſe, pro uxore Nini, filium, pro fœmina, puerum ſimulabat, ut ſexum facilius mentiretur, nec fraus deprehendi poſſet, tunicam longam, & manuleatam induit, quæ non modo pectus, & humeros, ſed etiam brachia, & crura velaret, qualem veſtem Aſſyrii, & poſtea Medi, ac deinde Perſæ geſtarunt, & ϛολὴν βαρβαρικὴν, στολὴν Μηδικὴν, & στολὴν Περσικὴν vocant priſci ſcriptores. Sollicitavit quidem hunc Juſtini locum maximus Salmaſius *ad Ælii Lampr. Alex. Sev. cap.* 40. &, pro *velamentis*, ex fide MSS. codicum, repoſuit *calceamentis*, & explicavit *faſcias crurales, & fœminales*. Sed ὁ πάνυ hic mihi lapſus videtur. Eſt enim retinenda vulgata lectio, neque de faſciis cruralibus exponendus locus. *Velamenta* Juſtinus *lib.* II. *cap.* I. alibi pro *veſte* dixit. *Priuſquam*, inquit, *adverſus calorem vel frigus velamenta corporis invenirentur*, hoc eſt, *veſtes*. Eodem ſenſu de Semiramide narravit, quod *brachia & crura velamentis texit*, hoc eſt, veſte quæ brachia & crura velaret. Quæ vero alia hæc fuit quam tunica longa, & talaris, qua non ſolum pectus, & humeri, ſed brachia quoque ad manus uſque, & crura velarentur, quam proinde στολὴν Σεμιράμιδος Diodorus Siculus *Biblioth. lib.* I. dixit? Juſtinum ſane hoc ipſum voluiſſe, illius verba ſequentia oſtendunt: *quem morem veſtis exinde gens univerſa tenet*. Utique eum morem veſtis tenuit gens univerſa, *ut brachia ac crura velamentis tegeret*, h. e. tunicis uteretur laxis, & talaribus, & manuleatis, quas στόλας veteres vocarunt, & olim Aſſyrii geſtarunt, & Poſtea Medi, ac deinde Perſæ. Etiam non poteſt intelligi, cur, ut ſexum mentiretur, faſciis cruralibus, & fœminalibus, crura velaſſet Semiramis, uti contra cernitur non difficulter, cur eam ob cauſam uſa fuerit, ſtola, ſive tunica longa, & talari, & manuleata, quæ totum corpus tegebat, & celabat etiam eam pectoris partem, quæ fraudem facile detexiſſet. Sane non intelligendas eſſe faſcias crurales, & fœminales, uti exponit ὁ μέγας Salmaſius, vel id oſtendit quod de brachiis Juſtinus refert. Id enim non niſi de tunica manuleata, quæ brachia ad manum uſque velaret, intelligendum. Profecto mirum eſt, maximum Salmaſium de faſciis cruralibus hic cogitaſſe, cum de brachiis æque, ac de cruris, Juſtinus dicat, ea Semiramidem velamentis texiſſe. Talem tunicam, ſive ϛολὴν Μηδικὴν, vel Περσικὴν, vel βαρβαρικὴν, ego *ſarabara* fuiſſe puto, uti optime interpretatus eſt Iſidorus, & accepit Tertullianus. Scilicet Sadrach, & Meſach, & Abednego, uti captivorum reliquorum numero exemti erant, ut Regi Nebucadnezari miniſtrarent, & præfecti negotiis provinciæ Babel, ita & in *ſarabara* deceſſerant, hoc eſt, aſſumſerant victoris populi veſtem, quam eleganter Tertullianus *in libro de Trinit. captiva ſarabara* vocavit, cum dicit Dei *curam & providentiam non ſiviſſe, ipſorum captiva ſarabara comburi*. Quod alibi dixit: *Qui Babylonii ignes trium fratrum nec tiaras, nec ſarabaras, quanquam Judæis alienas, læſerunt*.

V. פטיש eſſe *braccas*, olim mihi placebat. Etenim licet in veſtitu Hebræorum, Græcorum, & Romanorum, illud fuerit a noſtris moribus alienum, quod braccarum uſum ignoraverint, quomodo nos vocamus illud veſtimenti genus quod femora tegit, uti prolixe docuerunt Iſaacus Caſaubonus *ad Svet. Aug. cap.* 82. Julius Nigronus *de Caliga pagin.* 9. *&c.* Gaſpar Sanctius, *in Cant.* 5., & nonnulli alii, noveram tamen & Gallos, qui provinciam Narbonenſem incolebant, braccas olim geſtaſſe, atque inde *braccatos* dictos, & Perſas, de quorum braccis Ovidius *lib.* 4. *Triſt.*

> *Hos quoque qui geniti Graja creduntur ab urbe*
> *Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.*

& Thraces, uti de Orpheo Philoſtratus *lib.* I. *de vita Apollon. cap.* 18. χαίρουσι γάρ δη τῷ Ὀρφεῖ, πάρεαν ἴσως καὶ ἀναξυρίδα τιμῶντες, οὐ γάρ μουσικὴν γε οὐδε ᾠδὰς αἷς ἔθελγεν: *Plurimum namque Orpheo gaudebant incolæ, tiaram forſan & braccas admirati, non ſane Muſicam, aut carmina, quibus demulcebat homines*. Qui propterea in marmoreis antiquorum monumentis cum tiara & braccis cernitur, uti videre eſt apud Antonium Boſium *in Roma ſubterranea*. Addi & Parthi poſſunt, quorum regis ſtatua braccata conſpicitur, quam, olim a Cavallerio editam, exhibet vir eximius Octavius Ferrarius *de Re Veſt. pag.* 2. *lib.* x. *cap.* 8. Ea vero opinio mihi nunc non probatur. Præterquam enim quod nullo argumento confirmari poſ-

possit פטשין esse *braccas*, sive *femoralia*, puto *braccas*, & si quid aliud vestimenti genus sub sarabaris gestarunt, includi voce לבוש, quam vestes interiores, quas sub sarabaris induere solebant, significare, ostendam inferius: itaque existimo per פטישין potius indicari pedum tegumentum, quod tiaris, capitis ornamento, opponitur, uti etiam hanc vocem intellexit Theodotion, ex cujus interpretatione Danielem legi Hieronymus *Proem. in Dan.* docet. Reddidit enim περικνημίδας, uti pro τιάραις καὶ περικνημῖσι, inverso ordine legi mavult, καὶ περικνημῖσι καὶ τιάραις, vir magnus Johannes Drusius. περικνημῖδες autem sunt ocreæ pedum & crurum tegumenta, quomodo Persarum calcei olim forte fuerunt, quales Turcarum hodie sunt, medio crure tenus, ita ut non solum imos pedes, sed etiam mediam tibiarum partem circum circa velarent, quales etiam fere fuerunt, quibus ante non multos annos in fœderata Belgica nostra ditiores usi sunt ex corio Hispanico. פטיש autem esse pedum tegumentum, etiam argumento est, quod Johannes Buxtorfius cujus merita erga Hebræam linguam & sacram literaturam nulla tacebit ætas, in magno illo opere triginta annorum, *Lex. Talm. R.* פשש vocem פשש habet, quam *soccum*, *pedilium*, exponit, & exemplum adducit, quod sic Baal Aruch ex Medrasch Echa *cap.* I. *vers.* I. citat: חמיתי בחלמא דלית ברגלי פשוש: *vidi in somnio, quod non esset in pedibus meis soccus*, ubi tamen in suo exemplari legi פטיש addit, quod Glossator monet esse ex significatione פטשיהון, in hoc Danielis loco. Recte sane legitur, פטיש & ex significatione פטשהון esse, monet Glossator. *Soccum* quidem, & *pedilium* exponit Buxtorfius, potest tamen ut sit *calceus*. Quod si verum non est, illud tamen est certissimum non braccas esse, uti פטשין volunt, sed pedum tegumentum.

VI. כרבלה *tiaram* esse non multum laborandum est ut demonstrem. Ita enim exponit maxima pars Rabbinorum. Jachiades *in Paraphr. ad Dan.* הם הבגדים המכסי הראש ככובע וזולתו: *Hæ sunt vestes, quæ obtegunt caput, ut galea & similes*. R. Saadiah: קסידין שבראשן כמין כובעים: *Cassides, quæ in capite instar galearum*. Elias *in Thisb.* Levita: מלבוש של ראש: *vestis capitis*. Consentiunt David Kimchi, Baal Aruch, & complures etiam vernaculi interpretes. Jam olim Hieronymus *Comment. in Daniel.* notavit esse *Genus pileoli, quo Persarum, Chaldæorumque gens utitur*. Horum verissimam esse sententiam ex eo confirmari potest, quod verisimile admodum est in harum vestium descriptione *tiaras* nominari, quoniam eas semper gestarunt Chaldæi, Persæ, Parthi, quemadmodum innumera veterum scriptorum loca ostendunt, & ad hunc usque diem in usu sunt per totum fere Orientem. Idem ex eo fit credibilius, quod ab hac voce כרבלה apud Græcos deducta videri possit vox Κυρβασία, quæ idem capitis ornamentum significat. Pollux *lib.* VII. *cap.* 13. Περσῶν μὲν ἴδια, κανδὺς, καὶ ἀναξυρίς, ἣν καὶ κυρβασίαν, καὶ κίδαριν, καὶ πῖλον καλοῦσι. *Persarum propria, kandys, & anaxyris, quam & kyrbasiam, & cidarim, & pileum vocant*. Hesychius *in* τιάρα: Τιάρα, ἡ λεγομένη κυρβασία. Ταύτῃ δὲ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνῃ ἐχρῶντο ὀρθῇ, οἱ δὲ στρατηγοὶ ὑποκεκλιμένῃ, *Tiara, quæ vocatur kyrbasia: qua Persarum Reges soli recta utuntur, præfecti autem inclinata*. Suidas *in* κύρβασις: Κύρβασις: ἔνιοι μὲν τιάραν, ᾗ οἱ βασιλεῖς τῶν περσῶν ὀρθῇ ἐχρῶντο, οἱ δὲ στρατηγοὶ ἐπικεκλιμένῃ. *Kurbasis, quidam tiaram vocant, qua Persarum Reges recta utuntur præfecti autem inclinata*. Hanc ad rem omnino observandum, quod in magno opere notavit ὁ θαυμάσιος Johannes Buxtorfius *Lex. Talm. pag.* 1084. vocem כרבלא (quam miror iterum *tegumentum*, *paludamentum*, virum maximum exponere, & nullam mentionem facere istius sententiæ, quam tot Rabbini habent, quos adduxi, quæ capitis vestem, esse instar galeæ, contendit) Aruch scribere fuisse vestimentum rubrum, כגון כרבלתא דתרנגולא: *instar cristæ galli*. Utique hoc ipsum est quod de κυρβασίᾳ veteres prodiderunt, licet id tantum dicant de ea quæ recta est, & Regi Persarum propria. Præter loca, quæ ex Hesychio, atque Suida, citata superius sunt, unde id patet admodum luculenter, alibi sic idem Hesychius *in* κυρβασία: Κυρβασία, ὀρθὴ τιάρα. Ταύτῃ δὲ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο, καὶ κορυφὴ ἀλέκτορος. *Κυρβασία est recta tiara. Hac autem Persarum Reges soli utuntur: & crista galli*. Hinc inprimis elegans est Aristophanis *in avibus* locus, qui Gallum Persis imperitasse quondam ex eo probat, quod etiamnum illius crista recta sit, ut recta tiara.

> Αὐτίκα δ' ὑμῖν πρῶτ' ἐπιδείξω τὸν Ἀλεκτρυόν' ὡς ἐτυράννει.
>
> Ἦρχέ τε Περσῶν πρῶτον Δαρείου καὶ Μεγαβύζου.
>
> Ὥς τε καλεῖται Περσικὸς ὄρνις, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔτ' ἐκείνης
>
> Διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων καὶ νῦν, ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας διαβάσκει,
>
> Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν, τῶν ὀρνίθων μόνος, ὀρθήν.

Sta-

Statim autem vobis primum oſtendam, Gallum quod, regnabat, imperabatque Perſis priuſquam Darius, & Megabyzus. Quare vocatur Perſicus avis, a dominatione adhuc illa, propter hæc habens & nunc, ſicut rex magnus incedit, in capite Kyrbaſiam, avium ſolus, rectam. Feſtiviſſime jocatur gallum Perſarum Regem fuiſſe, quia etiamnum ſolus avium criſtam erectam, uti Perſarum Rex *κυρβασίαν ὀρθὴν*, habet. Unde patet clariſſime, *κυρασιάν* idem eſſe quod כרבלא, *tiaram* nempe, qualem olim Perſæ, Chaldæi, & alii Orientis populi geſtarunt.

VII. לבושין eſſe *veſtes interiores*, quas ub ſarabaris habebant, voluit Jachiades *Paraph. in Dan.* Sic enim ille: הם המלבושים חחולרי על הבגדים הראשונים מתחת הסרבלים: *Hæc ſunt veſtimenta, quæ induebantur præter veſtes priores, infra ſarabara.* Hujus ſententia mihi veriſſima videtur. לבש *veſtis*, attamen hic ſumitur pro'iis veſtibus, quas ſub ſtolis habuerunt, quales braccæ, & ſi quid aliud. in uſu fuit veſtimenti genus. Ita apparet, quomodo veſtiti fuerint Sadrach, Meſach, & Abednego, ſtola nempe Medica, calceamentis, tiara, braccis, aut veſtibus aliis, quas ſub ſarabaris habuerunt. Ita vero ſingularis Dei cura, atque providentia illuxit, ut non tantum ipſorum corpora a vi ignis illæſa ſervaverit, verum etiam ipſas veſtes. Nam, cum ex fornace ignis ardentis eſſent educti, שער ראשהון לא התהרך וסרבליהון לא שנו וריח נור לא עדת בהין: *pili capitis ipſorum non erant aduſti, neque ſarabara mutata neque odor ignis tranſierat in eos.*

VIII. Ita defunctus ſum omni labore, qui circa calceos Hebræorum impendendus fuit. Nemo enim a me expectet, ut de calceo myſtico prolixe diſputem, quod quidem fecit Benedictus Balduinus. Tertiam ille partem ſui libelli de Calceo antiquo implevit, ut, Patrum plurimorum ductum ſecutus, multa ex calceis myſteria venaretur, atque ex iis, tum Chriſti incarnationem, tum prædicationem Evangelii, tum neſcio quæ alia oſtenderet. Fuit hoc antiquorum Eccleſiæ doctorum magnum ſtudium, ut a ſenſu, quem vocant literali, atque hiſtorico, ad myſticum aſcenderent. Quæ interpretandi ratio ab Origine potiſſimum cæpta, qui ingenio, quo fuit acri, nihil magis ſcrutabatur quam ſenſum, quem vocabat ſpiritualem, cum ſenſus, qui dicitur literalis, nimis humilis ipſi, & ſimplex videretur, ita ad reliquos omnes pervaſit, ut vix aliquis in veteri Eccleſia ab hoc ſtudio fuerit immunis. Ipſe Hyeronimus, *in Epiſt. ad Pammachium de optimo genere interpretandi* licet juſte de Origine ſit conqueſtus, *quod ita allegorizet, ut hiſtoriæ auferat veritatem*, quiddam exceſſus hic pati videtur, itemque Auguſtinus, ne de Ambroſio, Hilario, Gregorio, ac pluribus aliis dicam. Horum exemplo, & ex horum ſcriptis, Benedictus Balduinus, de Calceo Myſtico diſſeruit prolixe Mihi. vero id peſſimo fieri inſtituto videtur. Quid enim aliud agunt hi homines, quam ut ſibi fingant myſteria, & allegorias, quas pro lubitu, etiam invito Spiritu S. magno labore probare conantur? Non diffiteor hæc ſpecie ingenii, & novitatis, blandiri, quæ maxime homines inflammare ſolet, ad aliquid quod ſupra vulgi captum ſit, nihilque plebeum præ ſe ferat, moliendum. Etiam ſcio quo quis audacius, & ineptius, aliquid ſit commentus, modo non ſit dictum populariter, tanto facilius arripi ab iis hominibus, qui ſibi in his argumentiis, & ventoſis acuminibus placent, uti ſemper ſunt iſtorum portentorum admiratores, qui, cum judicio non valeant, nec dijudicare poſſint quid diſtent æra lupinis, facile in hæc vitia incidunt, in quibus ſibi delicias faciant. Mihi tamen nulli majori cachinno digni videntur quam iſtiuſmodi homines, qui ſic ſibi placent in exponendis myſteriis, & allegoriis. Etenim licet quam maxime ſibi videantur ſapere, culpam tamen & notam laſcivientis ingenii effugere non poſſunt, & incurrunt cenſuram hominum non putidorum, qui hæc non damnant modo, ſed etiam irrident. Ego quidem nunquam committam, ut carbones ejuſmodi, pro theſauris, aut ipſe arripiam, aut lectoribus venditem. Ea juvant quæ ſunt vera, ſolida, & nullis ineptiis obnoxia, præ illis miris, & inauditis, quæ vani homines conſectantur. Quare, miſſis tricis iſtiuſmodi, hic gradum ſiſto, & Deo Ter Optimo Maximo gratias ingentes ago, quod vitam & valetudinem conceſſerit, ut hæc perficere potuerim, quæ eum in finem a me elaborata ſunt, ut nonnulla ſacrarum litterarum loca tenebricoſa aliqua luce perfunderem.

AN-

ANDREÆ PLATHNERI DISSERTATIO DE SANDALIGERULIS HEBRÆORUM

CONSPECTUS.

I. *Antiquitatum Sacrarum studium laudatur, ejusque utilitas ostenditur.* II. *Quam in rem insigne servorum, apud Hebræos calceamenta portantium, exemplum affertur.* III. *Qui Plautino Sandaligerulorum nomine appellantur.* IV. *Eorum officia, utrique sexui præstita, describuntur.* V. *Sandalia olim apud Ethnicos muliebris luxuriæ instrumenta fuisse dicuntur.* VI. *Christianorum quoque mulieres a Patribus ex hoc capite notantur.* VII. *Sandaliorum Abusum non tollere Usum, monetur.* VIII. *Usus eorum, viris Judæorum frequens, memoratur.* IX. *Rabbinorum de Sandaliis testimonia laudantur.* X. *Ac nominatim ex Talmude proferuntur.* XI. *Sandalia, Leviris detracta, recensentur.* XII. *Idumæi in Sandaligerulorum numerum a Davide relati feruntur.* XIII. *Proverbium, a servis Sandaligerulis ortum, percensetur.* XIV. *Qui contumelioso Cananæorum nomine a Judæis appellantur.* XV. *Israelitas Sandaligerulorum partes explere, per legem divinam fas non fuisse, traditur.* XVI. *Cujus rei ratio, a calceorum contemtione petita, subjungitur.* XVII. *Excalceandi ministerium, a liberis hominibus præstitum, ignominiosum haud fuisse, docetur.* XVIII. *A filiis parentibus præstitum laudatur.* XIX. *A discipulis Præceptoribus exhibitum commendatur,* XX. *Exemplum Parallelum ex Historia Ecclesiastica affertur.* XXI. *Johannes Baptista, pari erga Christum reverentia ductus, memoratur.* XXII. *Utrum cum Servis Cananæis, an vero cum Hebræorum Discipulis se comparatis, disquiritur?* XXIII. *Indignum se vocantem, qui Christi Sandaligerulus esset, non hyperbolice loqui, submonetur.* XXIV. *Christum calceamentis instructum fuisse, probatur.* XXV. *Quorum diversa a sandaliis successorum ejus, ut videri volunt, conditio subjicitur.* XXVI. *Jus Campagos gestandi, quibus in Clero Romano permissum sit, exponitur.* XXVII. *Sandaligerulorum apud Judæos varius usus enarratur.* XXVIII. (1) *In Sacris peragendis.* XXXIX. (2) *In Epulis celebrandis.* XXX. (3) *In Balneis frequentandis.* XXXI. (4) *In Itineribus suscipiendis.* XXXII. *Sandalothecæ coronidis loco commemorantur.*

I. Quum grave, multisque difficultatibus impeditum, opus esse videatur, eas literas, atque artes, excolere, quæ ab antiquitate nomen, & famam, sortiuntur; mea sententia laudandi inprimis, & maximopere prædicandi sunt, qui in eo versantur, operamque, & studium, ponunt, ut veterum ritus, atque instituta, e tenebris, & caligine eruantur, ac nostræ ætatis luci restituantur. Quod non solum jucundum est, ac voluptatem pariter maximam; sed fructu quoque suo non destituitur, variaque, & multiplicia, in omni doctrinæ genere, commoda affert. Atque hoc de Antiquitatibus Sacris præcipue intellectum volo: quippe ex quarum accuratiori, & diligentiori, consideratione non parum lucis δυσνοήτοις plurimis locis, in sanctiori, atque a viris, divina incitatione actis, conscripto codice, exstantibus, conciliari posse, omnes norunt, qui delicias hasce primoribus, quod ajunt, labris gustarunt. Speciatim vero Antiquitatum Hebraicarum cognitio, & contemplatio, severiori, ac sanctiori, disciplinæ deditis, inprimisque futuris diviniorum literarum interpretibus, non tam utilis, quam necessaria videtur. Etenim nemo facile dubitaverit, in divinis *Pandectis* quam plurima, intellectu difficillima, reperiri, quæ sola sæpe rituum, ac consuetudinum, apud veterem Judæorum gentem receptarum, notitia, ad consilium evocata, expediri, atque in lucem proferri possunt. Ac de *Veteri* quidem, quod vocamus *Testamento* res manifesta, atque in medio posita est, quum in exponendo, ac rectius intelligendo, ante longius progredi vix queamus, quam inte-

teriores quosdam, & reconditos, Hebræorum ritus cognitos, perspectosque, nobis reddiderimus. Neque vero causam video, quare idem de *Novo Instrumento* nequeat affirmari. Sacri enim scriptores, *Evangelistarum*, atque *Apostolorum*, nomina indepti, ad Judæorum ritus, atque instituta, semel, iterumque, & sæpius, animum intenderunt, ac variarum rerum meminerunt, quæ non aliunde, quam per Hebræorum magistros, commodum sciuntur. Quorum nonnulli quum in Antiquitatibus patriis multo versatissimi fuerint, non pauca, observatu longe dignissima, quæ vel a majoribus acceperunt, vel longo usu, atque experientia, didicerunt, divinioris scientiæ studiosos, omnia, in sanctioribus literis obvia, diligentius investigare, & perscrutari volentes, optime edocebunt.

II. Documento, in præsenti, sit Divi Johannis, Baptistæ cognomine insignis, commemorabile dictum, quo indignum se esse, qui Servatori Optimo Maximo a portandis calceis foret, aut corrigias calceamenti ejus solveret, clara voce pronunciavit. Operæ autem pretium fuerit, ipsos Annalium *Evangelicorum* conditores, qui hanc rem memoriæ, ac literis, mandarunt, audivisse. Quos inter principe loco prodeat *Matthæus*, qui *Johannem* nostrum sic loquentem introducit. Ὁ δὲ ὀπίσω μȣ ἐρχόμενος ἰσχυρότερός μȣ ἐςὶν, ȣ̃ ȣ̓κ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαςάσαι. *Cap.* III. 11. *Marcus* autem, de eodem argumento loquutus: Οὗ ȣ̓κ εἰμὶ ἄξιος, inquit, κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτȣ̃. *Cap.* I. 7. Eadem ferme repetiit *Lucas*, qui ita scribit: Οὗ ȣ̓κ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτȣ̃. *Cap.* III. 16. Sive, ut alibi loquitur: Οὗ ȣ̓κ εἰμὶ ἄξιος ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι. *Act.* XIII. 25. Denique *Johannes*, *Marco*, & *Lucæ*, prorsus gemina tradidit, quum ait: Οὗ ἐγὼ ȣ̓κ εἰμὶ ἄξιος, ἵνα λύσω αὐτȣ̃ τὸν ἱμάντα τȣ̃ ὑποδήματος. *Cap.* I. 17. Illi, enim ad unum omnes, singulare istud, atque observatu dignissimum, Johannis Baptistæ effatum diviniorum literarum monimentis consignarunt, ut admirandæ divini, atque omnium hominum, ipsius Christi judicio, maximi viri, modestiæ, ac summæ, qua Sospitatorem suum multo suavissimum prosequebatur, venerationi illustre, atque ad omnem Christianæ posteritatis memoriam insigne, testimonium perhiberent. Quum vero nemo facile dubitaverit, portandorum, aut solvendorum, calceorum ministerium quovis loco, ac tempore, servorum proprium, perpetuumque fuisse; tamen nihilominus juvabit exquirere, atque accuratius paullo investigare, quodnam istorum genus a divino antecursore, comparationem quandam se inter, ac Servatorem, instituente, fuerit intellectum. Atque hoc fere erit, quod, ad partes, dicendamque sententiam, evocatis Hebræorum magistris eruditissimis, &, in eruendis vetustioribus gentis suę ritibus, sępe numero felicissimis, ita apertum, & manifestum, efficere studebo, ut simul Divum Johannem de vilissimo, atque abjectissimo, infimæque sortis, & conditionis, mancipio, cogitationem animo præcepisse, palam appareat, atque idoneis antiquitatis Judaicæ præsidiis confirmetur.

III. Istud vero servorum genus apto, & ad exprimendam ministerii rationem, accommodato, nomine insignire cupienti commodum incidit *Sandaligerulorum* vox, quam apud M. A. Plautum, non infacetum Latinitatis autorem, me legisse, recordor. Compara ejus *Trinummum* Act. II. Sc. I. 22. ubi ancillas, quæ sandalia dominabus suis ferre solebant, *Sandaligerulas* diserte nominavit. Veteres autem non solum hujusmodi ancillas, sed servos quoque *Sandaligerulos* habuisse, dubio carere puto. Quanquam, cum *Jano Douza*, Salutigerulorum vocem, qua *Plautus* noster in *Aulularia* Act. III. Sc. v. 28. usus est, a vetustissimo Latinorum Comico abjudicare & cum *Sandaligerulorum* vocabulo commutare nolim. Ille enim in eruditis, quibus *Plautum* illustrare, & locupletare, studuit, Animadversionibus, *Sandaligerulos*, quam *Salutigerulos* pueros, legere maluit, illamque vocem, præ hac, pro restituenda vera, germanaque, lectione Plautina, retinendam, tuendamque esse, frustra contendit, quum optimorum Codicum fides, atque autoritas, pro *Salutigerulis*, in *Aulularia* Comœdia reponendis, ac servandis, non mediocriter propugnet. Cui sententiæ pondus afferat *Apulejus*, magnus Plautinæ dictionis admirator, qui *Salutigeros*, sive *Salutigerulos*, quorum in libro suo, de Deo Socratis inscripto, mentionem injecit, a *Plauto*, quem sæpius ad imitationem sibi proposuit, accepisse videtur. Cujus autoritas *Justum Lipsium*, Criticorum non postremum, facile permovit, ut veterem illam, atque usitatam, Plautinam *Salutigerulorum* lectionem suffragio suo firmaret, & a præposteris nonnullorum emendationibus vindicaret. Vid. Epist. Quæst. lib. II. Ep. XXII. quæ exstat in Operibus Criticis, pag. 286. Edit. Lugdun. Bat. A. CIↃ IↃ XCVI. Ille enim, in simili argumento, vocabulum hoc non inelegans adhibuit, idemque satis, superque, autoritate sua comprobavit. Quod eo lubentius ab *elegantiæ in verbis Latinæ principe* quo elogio ipsum mactavit *A. Gellius*, apud

apud *Guilelmum Saldenum*, de Libr. Uſu, & Abuſu. pag. 389. mutuatus ſum, quo magis inſtituto meo inſervire videtur. Utar autem poſt alio ſi invenero melius; quod quidem in præſenti mihi non occurrit.

IV. *Sandaligerulos* itaque pueros voco, qui herorum ſuorum ſandalia gerebant, horumque pedibus mox aptabant, mox detrahebant. Quorum in veteri populo Hebræo uſus exſtitit frequentiſſimus, & ab utroque, tam fortiori, quam elegantiori, ſexu receptus. Ac de illo quidem plenius hic agendum erit, totaque hæc diſputatio priſcis Hebræis *Sandaligerulos* ſervos de induſtria vindicabit. Non autem diſpar, ac diſſimilis, ratio habenda honoratiorum in eadem gente feminarum; quippe de quibus aſſeverare non dubito, quin *Sandaligerularum* ſervarum opera fuerint uſæ. Quæ enim de ſervilis conditionis hominibus, apud utrumque ſexum munus ſuum obeuntibus, generatim pronunciavit divinus, ac regius, vates, huc trahi, atque ad *famulam Sandaligerulorum cohortem* non immerito accommodari poſſe, videntur Quorſum ſpectant, quæ leguntur *Pſ.* CXXIII. 2. כעיני עבדים אל יד ארוניהם כעיני שפחה אל יד גברתה כן עיננו אל יהוה אלהנו *Sicuti oculi ſervorum ad manus dominorum ſuorum, & oculi ancillæ ad manus heræ ſuæ; ſic oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*. Supplendum autem vel Hebræum נשא, ſuſtulit, quod verſu antecedente habetur; vel, ad abſoluendam ſententiam, cum Autore Targum, per עיני מודיקין *oculi defixi*, reddendum. Conferatur omnino celeberrimus *Buxtorfius*, Lex. Talmud. v. דוק. Res vero eodem redit, unumque per alterum pulcherrime explicatur. Aperto enim, elevatoque oculo opus habet, qui paullo intentius quid intueri velit. Quum igitur ſervi herorum imperia ſumma cum animi alacritate exequi ſtudent, oculos ad eorum manus directos, intentoſque habere, Hebræis dicuntur. Vocem enim יד dominium ſæpiſſime exprimere, omnes, Hebræi ſermonis vel mediocriter gnari, noverunt. Exempli loco eſſe poterit phraſis יד יהוה, quæ vel ſexcenties in S. Scriptura occurrit, atque imperii notionem tuetur. Cujus frequentia *Lutherum* noſtrum permoviſſe etiam videtur, ut verba ליד המלך apud *Nehemiam* cap. XI. 24. exſtantia, vernaculo ſermone per Befehlhaber de Koenigs recte, & prorſus ad mentem ſcriptoris, divinitus concitati, reddere non dubitarit. Eadem loquutio Eſt h. II. 3. 8. 14. & I. Chron. XXIII. 28. aliiſque compluribus locis, hoc ſenſu reperitur. Paullo aliter tamen ſuperiora Davidis verba *R. David Kimchi*, egregius inter ſuos magiſter, interpretatur. Vid. apud *Joh. Buxtorfium*, Bibl. Rabb. ad h. l.

V. Equidem apud profanos ſcriptores deprehendo, ſandalia quondam mulierum propria fuiſſe, atque ancillas tantum, quarum curæ, ac cuſtodiæ, illa commiſſa erant, *Sandaligerularum* cognomen inueniſſe Σανδάλιον γυναικεῖον ὑπόδημα eſſe, teſtatur *Heſychius*, apud G. I. Voſſium, T. I. Opp. pag. 516. *Menandrum* quoque, & omnes Comicos, itemque alios ſcriptores, hac una voce uti, docet *Julius Pollux*, Oonomaſt. lib. VII. cap. 22. pag. 748. Editionis optimæ Amſtelædamenſis, paucis ante annis, cura eruditiſſimorum virorum, *Johannis Henrici Lederlini*, & *Tiberii Hemſterhuiſii*, adornatæ, feliciterque abſolutæ A. CIƆ IƆ CC VI. Conf. lib. X. cap. II. pag. 1202. ſq. ibique Cl. *Hemſterhuiſius* ad hæc *Pollucis verba*: Θεόπομπος ὁ Κωμικὸς ἐν Παμφίλῃ καὶ σανδάλια εἴρηκεν, ἀλλ' ἐπὶ γυναικός. *Quod Theopompus, inquit ille*, σανδάλια *mulieri adſcripſerit, non eſt, ut adeo miremur; nam ſæpius mulieres ſandaliis, ſeu ſoleis, indutas, memini: in meretricularum ornatu* ἐπίχρυσα σανδάλια *Lucianus enumerat: & mellitiſſimus Bion Venerem, canit, interfecti Adonidis dolore percuſſam, per aſpera montium, & agrorum* ἀσάνδαλον *errare: ſane quam & Heſychius* Σανδάλια *exponit* γυναικεῖα ὑποδήματα, *quæ &* βλαυτία *dicantur, uti recte emendarunt eruditiſſimi viri; ſed in re nota morari non lubet. Conſiderent vero viri docti*, an non σανδάλιον ἀπὸ τῶν σανίδων *ſit derivandum*, a tabulis, *quas homines vetuſtiſſimi, corio nondum utilius in hunc uſum invento, pedibus ſuis ſubligabant: ſed id jam, his ſcriptis, Camerario placuiſſe video*. Sigillatim vero obſervandum eſt, antiquas mulieres, luxu diffluentes, ſandalia, pedibus ſubligata, geſtaſſe. Atque hæc etiam cauſa fuit, quamobrem hoc calceorum genus ſimpliciter, ac ſingulari modo, in inſtrumento, ac ſupellectile, muliebris luxuriæ fuerit numeratum. Quam in ſententiam perquirendus eſt *Cl. Ælianus*, qui, luxurioſarum mulierum mores perſtringens, inter alia retulit, quod τὰς πόδας σανδάλοις ὑπεδοῦντο. Var. Hiſt. lib. I. cap. XVIII. pag. 28. Ad quem locum clariſſimus, doctiſſimuſque vir, *Jacobus Perizonius*, præclare obſervavit, mulieres libidinoſas, ac luxui deditas, ſandaliis delectatas fuiſſe: quod luculento Judithæ, certo, atque univerſo Judæorum populo ſalutari, conſilio, laſcivarum muliercularum in morem veſtitæ, exemplo comprobavit. Cujus verba digna ſunt, quæ hic adſcribantur:

tur: *Sicuti hic Sandalia (apud Ælianum ad luxuriam referuntur; ſic in libro Judithæ* C. X. 4. *itidem inter ornamenta luxurioſarum, laſcivarumque, mulerum memorantur, dum illa dicitur, depoſito viduæ habitu,* λαβεῖν σανδάλια εἰς τοὺς πόδας αὐτῆς, καὶ περιθέσθαι πάντα τὸν κόσμον αὐτῆς καὶ καλλωπίσασθαι εἰς ἀπάτησιν ὀφθαλμῶν ἀνδρῶν. Comment. in *Ælian.* l. c. Argumento ſint opulentiores apud Græcos fœminæ, quæ ſandaliorum uſum præ reliquis ſibi reſervatum volebant, quum non ſolum plebejæ omnes, ſed & matronæ, modeſtiæ cauſa cumprimis ductæ, iiſdem, quibus viri, calceis uterentur. Quo nomine cenſeri merentur pleræque veterum Romanorum mulieres: quippe quibus laudi datum eſt, quod eoſdem, ac viri adſueti erant, calceos, ratione formæ, atque ornatus, uſurparint. Conf. *Ælianus* V. H. lib. VII. cap. XI. pag. 454. ibique laudatus *Perizonius* in Notis. E contraria autem parte mollibus, & delicatis in more poſitum fuit, ut, quoties in publicum prodirent, ancillæ *Sandaligerulæ* eas plerumque inſequerentur. Quibus id negotii dabatur, ut Dominarum, ſuas, vel alienas ædes intrantium, ſandalia, ſordibus inquinata, cum purioribus, ubicunque opus fuerat, commutarent.

VI. Neque vero ſolis antiquis mulieribus, extra Cœtum Dei conſtitutis, vitio quondam verſum fuit, quod ſandaliis, concinne, ac pretioſe adornatis, ſuperbirent. Etenim ſequioribus temporibus fœminæ, Chriſti ſacris initiatæ, profanarum morem ſequutæ eſſe, & ſandaliis elegantibus, miraque arte elaboratis, pedes exornare conſueviſſe, perhibentur. Nominatim vero eo mollitiei, ac luxus, Chryſoſtomi temporibus, progreſſæ fuiſſe, videntur, ut calceos, multo elegantiſſimos, ſibi confici, omnique ex parte exquiſiti ornatus varietate, qua in componenda alioquin facie uti ſolebant, diſtingui curarint. Quo nomine diſertiſſimus antiſtes, in corruptos, perverſoſque, ſæculi ſui mores graviter invectus, Antiochenas mulierculas, voluptariarum nomine paſſim celebratas, acerrime perſtrinxit. Intolerabilem enim, hujuſmodi calceos utendi, conſuetudinem vehementiſſimis verbis improbavit, animæquæ impuræ, ac depravatæ, manifeſtum indicium, & perditæ mentis argumentum eſſe, pro roſtris ſanctioribus, aperte, ac palam, exclamavit. Vid. Homil. habita Calendis, quum non veniſſet Epiſcopus Antiochiæ *Flavianus*, Tom. V. Opp. pag. 830. Editionit Ducæanæ. Ante *Chryſoſtomum Baſilius Magnus* monuit, hortatuſque eſt, ut Chriſtiani homines, præſertim mulieres, περιεργίαν, ut in omni ornatu, ſic in calceis quoque, vitarent, ac modeſtiæ ſtudentes, ſoli uſui hos inſervire paterentur. Εἶναι τινὰ καὶ Χριστιανοῦ ἰδιότητα καὶ ἀπὸ τῆς ἐσθῆτος εὐπρεπὲς καὶ ἀκόλουθον, σώζουσαν τὸν ἀπὸ τοῦ Ἀποστόλου παραδεδομένην κοσμιότητα. Ποτὲ μὲν τὸν Ἐπίσκοπον κόσμιον εἶναι διοριζομένου, ποτὲ δὲ τὰς γυναῖκας ἐν καταστολῇ κοσμίῳ εἶναι διατασσομένου. Τοῦ κοσμίου δηλονότι κατὰ τὸν ἴδιον τοῦ Χριστιανοῦ σκόπον νοουμένου. Ὁ αὐτὸς δὲ μοι λόγος καὶ περὶ ὑποδημάτων ἐστίν. Ὥστε τὸ ἀπερίεργον, καὶ εὐπορώτερον, καὶ πρὸς τὸν σκόπον τῆς χρείας ἀρκοῦν, τοῦτο αἱρετὸν εἶναι ἐν ἑκάστῳ καιρῷ. Quæſt. Aſcet. XXI. Confer. *Petrus Faber*, Agoniſt. lib. II. cap. 34. apud *Gronovium* T. VIII. Antiquit. Græc. pag. 2100. Ceterum omni Sandaliorum uſu Chriſtianorum fœminis penitus interdixiſſe videtur *Clemens Alexandrinus*. In elegantiſſimo enim libro, quem Pædagogum nuncupavit, indecens, atque indecorum, mulieribus eſſe, ut nudis pedibus incedant, pronunciavit. Γυναιξὶ τὰ πολλά, inquit, ὑποδήμασι χρηστέον· οὐ γὰρ ἁρμόζει γυμνὸν ὑποδείκνυσθαι τὸν πόδα. ἄλλως τε καὶ εὐαίσθητον εἰς βλάβην ἡ γυνή. Lib. II. cap. II. περὶ Ὑποδέσεως. pag. 205. in Opp.

VII. Ubi tamen obſervare par erit, ſandalia, a fœminis uſurpata, ſi generatim, & ſimpliciter, conſiderentur, veteribus haud diſplicuiſſe, ſed luxum duntaxat in illis, immoderatumque uſum, ægre eos tuliſſe. Tantum enim abeſt, ut matronæ, ſandaliis adſuetæ, infamiæ notam apud Romanos incurrerint, ut hæc vitæ, domi actæ, ſignum vehementer laudarentur, atque in nuptiis, ſymboli loco, quo οἰκουρίαν, ſive cuſtodiam domus, ac rerum domeſticarum curam, exprimere ſolebant, ſolemni ritu adhiberentur. Vid. *Plutarchus* in Quæſt. Rom. apud *Grævium* Tom. V. Antiquit. Rom. pag. 1002. ibique *Boxhornius* in Notis, qui addit, ſandalia proprie fuiſſe id calceamenti genus, quod Batavi vulgo *Muylen* nominent, ac plantas pedum duntaxat texiſſe, monet. Quam ob rem ſandaliorum legitimus, ac temperatus *Uſus* ab eorum *Abuſu*, quem vocant, diligenter ſejungi, ac ſeparari meretur. *Uſum* vero nominaverim, quum raro, ac plerumque fere in ædibus ſuis, hoc calceamenti genere uterentur, nec ad alendum faſtum, aut pompam, referrent. E contraria autem partem *Abuſum* arguit, quum ad elegantiam, ac delicias, unice comparata ſunt, ac mirum, in iis perpoliendis, auroque, & gemmis pretioſiſſimis, ornandis, ſtudium, atque artes, facile deprehenduntur. Quorſum ſpectant,

quæ

quæ laudatus *Clemens Alexandrinus*, de Sandaliorum fuga, Chriſtianos docuit, & ſedulo inculcavit. Χαίρειν, inquit, ἐατέον τοὺς ἐπιχρύσους καὶ διαλίθους τῶν σανδαλίων ματαιοτεχνίας, loc. cit. Quibus gemina ſunt iſta: Αἰσχρὰ γοῦν ἀληθῶς τὰ σανδάλια ἐκεῖνα, ἐφ' οἷς ἐστι τὰ χρυσᾶ ἀναθέματα, ibid. Non alia autem intelligere videtur, quam quæ mulier, antea dives, nunc inops, in Cephiſodori Comici Trophonio adverſam fortunam conqueſta, appellavit

—— Σανδάλιά τε τῶν λεπτοχιδῶν,
Ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταῦτ' ἔπεστιν ἄνθεμα,

Apud *Pollucem*, loc. cit. lib. VII. cap. 22. pag. 749. Cujuſmodi ſandaliis ornatæ id præcipue agere credebantur, ut viris inſidias ſtruerent, eorumque amorem ſibi conciliarent; quod Judithæ exemplo, antea allato, colligere licet. De hac enim hiſtoriæ Scriptor memoriæ prodidit, quod, ſi ab aliis externis voluptatis illecebris diſceſſero, ſandaliis ſuis Aſſyriorum imperatorem in ſui amorem pertraxerit. Τὸ Σανδάλιον αὐτῆς ἥρπασεν ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. (Ὀλοφέρνου) *cap.* XVI. 9. Omni autem exceptione majus erit graviſſimum, luculentiſſimumque, *Clementis Alexandrini*, cujus autoritate, in hac quidem re, lubens acquieſco, teſtimonium: quippe qui ſingulare, atque obſervatu dignum, fœminarum, cœco amore captarum, artificium, quo amaſiis voluntatem ſuam perquam ingenioſe, ac ſubtiliter, ſignificarunt, commemoravit. Tradit enim, mulieres quaſdam certa ſigna, & characteres, in ſandaliorum ſoleis efformare ſtuduiſſe, quibus, juſto ordine diſpoſitis, terræque molliori, aut arenoſæ, impreſſis, latentes animi ſenſus, & cogitationes amatorias, cum depereuntibus ſeſe communicarint. Græca ſic habent: Πολλαὶ δὲ καὶ ἐρωτικοὺς ἀσπασμοὺς ἐγχαράττουσιν αὐτοῖς, ὡς ἂν ἐκ τῆς ἐπιβάσεως ῥυθμίζουσαι τὴν γῆν, καὶ τὸ ἑταιρικὸν τοῦ φρονήματος ἐκ τοῦ βαδίσματος ἐναποσφραγίσωνται loc. cit.

VIII. Redeo autem in viam, a qua paullo ante digreſſus ſum, ac, ſuo loco relictis mulierum ſandaliis, inſtitutum meum perſequor, viros in gente Hebræa iiſdem uſos fuiſſe, oſtenſurus. Quæ quum non eundem cultum, atque elegantiam, ac fœminarum ſandalia, haberent, non memini, eorum uſum, ut probrum aliquod, ipſis objectatum fuiſſe. Quid? quod haud infrequentiorem eorundem, quam calceorum, uſum apud Judæos exſtitiſſe, prorſus mihi perſuadeam. Etenim hoc vel ex eo colligere poterimus, quod non ſolum *Paraphraſtæ* Chaldæi, *Jonathan*, interpres non incelebris; ſed etiam Scriptor incertus *Targum Hieroſolymitani*, Hebręorum vocem נעל, omnia calceorum genera generatim complexam, plerumque fere per ſuum סנדלא reddi, atque exponi, curarint. Septuaginta etiam interpretes a voce Σανδάλιον non prorſus ſeſe abſtinuerunt, eademque Hebræum נעל, ap. Jeſaiam *cap.* XX. 20. exſtans, exprimere non dubitarunt. Accedit, quod Servator noſter diſcipulis ſuis, quos ὑποδήματα βαστάζειν, *calceos portare*, nolebat, *ſandaliorum* uſum diſerte permiſit. *Matth.* X. 10. *Marc.* VI. 9. *Conf. Act.* XII. 8. Ceterum apud Romanos, quod diſſimulare nolo, in mollis, & effœminati, animi indiciis, haud fallentibus, habitum fuit, ſi quis, ſandaliis, aut ſoleis, crepidiſque indutus, in publicum prodiret. Quo nomine *Tullius* Verrem accerrime perſtrinxit, atque, ut accuſationis vehementiam ex indecoro habitu intenderet, *Prætorem populi Romani* Soleatum *ſtetiſſe*, pronunciavit. Or. IV. in Verr. cap. 33. Similem in modum *Svetonius in Caligulam*, quod *modo in crepidis*, *modo in ſpeculatoria caliga*, *nonnunquam in ſocco muliebri*, *conſpectus fuerit*, haud obſcure eſt invectus, cap. 52. Denique *Livius*, & *Tacitus* Publium Scipionem Africanum, & Germanicum Cæſarem fortiſſimos Romanorum Imperatores, reprehenſos eſſe memorarunt, propterea, quod hic *pedibus intectis inceſſerit*; ille autem *cum crepidis in Gymnaſio ambularit*. Vid. LIV. Hiſt. lib. XXIX. Tac. Annal. lib. II. *cap.* 59. Longe ſecus vero a Nabathæis, Arabiæ felicis incolis, atque a Romanis, ſandalia culta, & æſtimata, fuerunt. Illi enim omnes, nemine excepto, non alio calceamenti genere uti voluiſſe, teſte *Strabone*, perhibentur. Geogr. lib. XVII.

IX. Antiquiores igitur Judæos non modo calceos, atque ſandalia, promiſcua habuiſſe, ſed hoc quoque calceamenti genus ſigillatim viris uſitatum, ac durioris, & minus delicati, loco habitum fuiſſe, haud difficulter comprobari poteſt. Quodſi enim Rabbinorum autoritate, ac teſtimonio, ſtandum nobis erit, Judæorum ſandalia a Græcorum ſandaliis nitidiſſimis, ac fœminarum fere propriis, perpetuiſque, diverſiſſima exſtiterunt, eademque duritia, & mole, longe, multumque, ſuperarunt. Non autem video cauſam, quamobrem, in hac quidem re, temere rejiciantur, omniaque, quæ prodiderunt, anilibus fabulis, atque ineptiis, aut otioſorum hominum ſomniis, ſimpliciter, atque indiſcriminatim, annumerentur. Licet enim ultro confitear, Judæorum magiſtros facile omnes, in Hiſtoricis, Chronologicis, Geographicis, & Genea-

nealogicis argumentis, exiguam, aut nullam, fidem promereri, lepidaque, & fœcunda, ingenii ſui commenta, tanquam veriſſima oracula, nobis vulgo obtrudere huc ſpectat elegans celeberrimi, atque eruditiſſimi viri, *Thomæ Gatakeri*, judicium: *Hoc hominum genere Rabinulis, & doctorculis Judaicis, nihil nugacius eſt, quorum autoritate nec farferi folia leviora exiſtunt*, Opp. Crit. pag. 239. certum tamen, exploratumque, mihi eſt, in conſignandis, & commemorandis, interioribus, & reconditis, gentis ſuæ ritibus, illos diligentiſſimos fuiſſe, atque ex iis ſapere debere, qui accuratiorem, ac pleniorem, harum rerum notitiam ſibi comparare voluerint. Recte, & prorſus ad mentem meam, ſummum totius Galliæ ornamentum *Petrus Daniel Huetius*: *Exſtant*, inquiens, *apud Judæos pulchra Judaicæ antiquitatis veſtigia, quæ viri docti, & cordati, agnoſcere ſciunt, & ad Librorum Sanctorum explicationem utiliter conferre*. Dem. Evang. pag. 539. Quibus gemina ſunt, quæ *Hugo Grotius*, honos ille Bataviæ, de utilitate, quam Rabbinorum ſcripta, cum judicio lecta, præſtant, non contemnenda annotavit. Ait enim: *In explicandis, ac rectius intelligendis, ſacris Scripturis ſunt adhibendi, eaque propter commemorandi*, de Jure B. & P. pag*in*. 38. 39. Quocirca non audiendum eſſe puto V. Cl. *Johannem Clericum*, quando Rabbinorum lectionem *exiguum, imo nullum, uſum præſtare, illoſque adeo non æſtimandos eſſe*, non ex æquo, & vero, pronunciaſſe videtur, Art. Crit. part. I. pag. 136.

X. Rabbini autem, data occaſione, & loco, creberrimam Sandaliorum mentionem injecerunt, eorumque conficiendi rationem paſſim in Talmude ſuo per partes ſuppeditarunt. Tradunt enim, ea ſic comparata fuiſſe, ut utrique pedum admoveri, facileque inverti, atque inter ſe permutari potuerint, nihilque interfuerit, utrum pars antica digitis pedum, & poſtica calcibus aptaretur; an vero, immutato, & prorſus converſo, modo pedes iis induerentur. Quam in ſententiam legi, & conferri, poteſt Gloſſator ad *Maſſech. Schabb.* fol. 60. a. ubi inter alia ad Phraſin בהפר סנדלו שיש לו שתי פיותת notat אבל ניכר מי ויוכל לנועלו מב׳ צדדין: הוא לפנים ומי הוא לאחו׳ ובשנועלו זה הפור נראה הנכנס כאילו הוא יוצא וניכר מקומו בקרקע: Quæ V. Cl. *Johannes Lightfootus* ita reddidit: *Induit forte quidam ex iis ſandalia ſua inverſo modo, nam utrinque aperta fuerunt ſandalia, ita, ut pedem ingerere poſſit, vel a parte ante, vel a parte poſt. Illo autem ſua inverſe induente, veſtigia egredientis viſa ſunt, ut ingredientis*. Hor. Hebr. & Talm. in *Matth.* X. 10. Vol. II. Opp. pag. 315. Quæ ad crepidas noſtras, quibus hodieque utimur, quodammodo acceſſiſſe, vel ex eo intelligere poſſumus, quod obſtragulo quodam ornata, ac contecta, fuiſſe perhibeantur. *Compara Gloſſam ad loc. cit. Cod. Schabb. fol. 60. a.* סנדל המסומר של עץ הוא ותוחבין מסמרות למעלה לחזק התחתון עם העליון העץ עם העור של מעלה המנו: *Sandalium clavatum ligneum eſt, in quod ſuperne clavos infigunt, ad arctius conjungendum partem inferiorem cum ſuperiore, lignum ſcil. cum corio, quod illud tegit*. Quum vero obſtragulum, propter corii duritiem, paruitatemque, commodum tractari, ac, pro conditione pedis, vel coarctari, vel dilatari, & explicari, vix poſſet, vinculi cujuſdam, corrigiæ vice fungentis, ope munitum, colligatumque fuit. Teſtem ejus rei laudo R. *Salomonem Iſaacidem*, celebrem univerſi fere Talmudis interpretem, vulgo *Gloſſatorem*, qui de ſandaliis, ad ductum Miſchnæ, loquutus: inquit, סנדל והוא של עור קשה: *Sandalia erant e corio duriori*. Atque hæc a calceis, e corio molliori confectis, diſerte diſtinguit, ad Miſc. cap. XII. Θ I. Cod. Jevam. Idem quoque alibi ligandi ſandalia rationem ita exponit: סנדל אין קושרין וכופלין רצועות של אזניו שהרי קשה הוא ואין הרצועה דוחקתו אבל בשפת פיו יש כמין קשר לקצר את פיו: Quæ Latine a me reddita, ſic habent: *Sandalium non ligant, nec corrigias in anſis ejus duplicant, quum durius ſit, quam ut corrigia illud poſſit conſtringere: ſed in orificio ejus extremo vinculum quoddam habet, quo comprimatur*. E contraria autem parte corrigias calceorum ita duplicari, ſcribit, ut, alteræ alteri impoſita, duo veluti calcei efficiantur. Gloſſ. ad Gemaram Cod. Jevam fol. 102. a. Quæ quum ita ſint, Rabbinos ipſos aut non legiſſe, aut non intellexiſſe, mihi videtur *Johannes Fredericus Nilant*, qui durioris, & utilioris uſus, apud Judæos, ſandalia in Rabbinorum cerebro nata fuiſſe, perperam judicavit. Faceſſat ergo, inquit, *ſtatim calcei delicatior uſus, vel delicatius tegumentum, & durioris uſus ſandalia, quæ Rabbinorum ſomnia ſunt*. *Not. in B. Balduini* cap. XII. de Calc. Ant. pag. 105. quem una cum *Julio Nigrono*, de Calig. Vet. &c. elegantiſſimis figuris, juxta ac doctiſſimis obſervationibus a ſe auctum, & illuſtratum, noviſſime in lucem emitti curavit, Lugduni Bat. Ann. CIƆ. IƆCCXI.

XI. Commodum vero hic incidit, quod Sandalia Judæorum *Leviris* ſolenni ritu de-

detracta fuiſſe, perhibeantur. Etenim Judæis quondam in more poſitum fuit, ut, ſi quis ſine liberis decederet, frater germanus viduam ejus matrimonio ſibi jungeret, &, procreata ex hac maſcula ſobole, defuncti genus conſervaret, ejuſque memoriam ab interitu vindicaret. Quod quum facere recuſaret, in jus ducebatur, ac, dextro ejus pedi calceo, a demortui fratris uxore, coram teſtibus quibuſdam detracto, ſumma cum ignominia dimittebatur. De quo Excalceandi Ritu legi merentur *Johannes Seldenus* Vx. Hebr. lib. I. cap. 13. pag. *96.* & *Leo Mutinenſis* de Cerem. & Conſuetud. Jud. *part.* IV. *cap.* 8. *pag.* 121. ne plures, in re manifeſta, commemorans, charta male uti voluiſſe, videar. Qua in re Judæos Sandalia, quam calceos, antiquitus adhibere maluiſſe, atque ab illorum uſu, in peragenda excalceandi ceremonia, nunquam fere receſſiſſe, ipſorum doctores in *Miſchna* pariter, ac *Gemara*, ſcriptum reliquerunt. Verba Miſchnæ, huc ſpectantia, ſubjungo: חלצה במנעל חליצתה כשרה באנפיליא חליצתה פסולה בסנדל שיש לו עקב כשר כשאין לו עקב פסול מן הארכובה ולמטה חליצה כשירה מן הארכובה ולמעלה חליצה פסולה: *Si* (Glos Levirum) *excalceatura, calceum adhibuerit, actio hæc legitima eſt; ſi Empilia, irrita eſt; ſi ſandalium, parte poſtica præditum, legitima eſt; quæ ſi non adſuerit, irrita eſt. Si infra genu* (lora ejus ligata fuerint) *legitima eſt; ſi autem ſupra genu lora* juncta ſint, *irrita eſt*. Confer omnino R. *Obadiam de Bartenora* ad h. l. Conſule etiam *Maimonidem* Hilc. Iibbum Vachaliza cap. III. §. 18. Tom. II. pag. *98.* b. In Gemara autem paullo dilucidius, ſequentem in modum, exponuntur: אמר רבא אמר רב כהנא אמר רב אם יבא אליהו ויאמר חולצין במנעל שומעין לו אין חולצין בסנדל אין שומעי לו שכבר נהנו העם בסנלל: id eſt *Referebat Rabba, dixiſſe: Rabb Cabana, ex ſententia Rabb: ſi venerit Elias, & præceperit, ut calceum detrahant;* (fratriæ Leviris) *obediendum ipſi eſt: ſin autem ſandalium adhibere prohibuerit, audiendus non eſt, propterea, quod populus ſandaliis dudum ſit adſuetus*. Cod. *Jevamoth.* fol. 102. a. lib. *6.* ſeqq. Conſulatur etiam Talmud Hieroſolym. Tractat. *Jevam* fol. 12. col. I. Add. Rab. *Moſes Mikkozenſis*, Sepher Mizuot Gadol, Præc. Affirm. 52.

XII. Verum enim vero de Hebræorum Sandaliis actum, ut opinor, ſatis eſt: nunc ad ſervos, quibus eorum cura demandata erat, progrediendum. Eos itaque vetuſtiſſimis Hebræorum non incognitos fuiſſe, hinc efficitur, quod David, inſigni victoria ab Idumæis reportata, *calceum ſuum in Edom ſe conjicere*, diviniore animi ſententia, pronunciarit. Audiamus divinum Vatem, ſua lingua loquentem: מואב סיר רחצי על אדום אשליך נעלי: *Pſal.* LX. 10. CVIII. 10. *Conf.* II. *Sam.* VIII. 14. I. Chron. XIX. 13. Quum enim in calamitate Iſraelitis ſæpius inſultaſſent, eorum ſuperbiam David coercuit, ſibique tributarios fecit, atque eo redegit, ut cum viliſſimis ſervis, qui ab induendis, & exuendis, calceis ſibi forent, æquare, & conferre, non dubitarit. Licet autem, in explanandis hiſce verbis, in diverſas partes diſcedant interpretes; plerique tamen, *literalem*, quem vocant, *ſenſum* ſervare cupientes, fatentur, ſervile jugum, ſub quod Idumæi a Davide miſſi erant, contumelioſa iſta loquendi ratione expreſſum fuiſſe. Quam in ſententiam perquirendus eſt *Raſchi*, qui laudata Davidis verba Pſ. CVIII. 10. exſtantia, ita illuſtrat: עבודתו שיהי מלכיהם נועלים מנעלי ברגל: Quæ ita expono: (Ædom eſt) *mancipium meum: quare reges ipſorum calceis me induunt*. Audiendum quoque hic eſſe cenſeo celeberrimum, & ſanctioris literaturæ multo peritiſſimum virum, *Jacobum Guſſetium*: Edom inquientem, *ſervitutem mihi ſerviet, idque tanquam calceorum inquinatorum purgator, quos in eum finem projiciam ad eum, ejus curæ illos committens* (*quam commiſſionem curæ notat* על) *nec eum tanto bonore, quanto Moabum dignans, quippe ad me minus accedere concedens*. Comment. lib. Hebr. v. נעל pag. 520. Videndus inſuper eſt illuſtris *Grotius*, qui, Davidem *Idumæo objicere ſoleas voluiſſe, ut exutas auferret*, erudite obſervat. Annot. in Nov. Teſt. ad *Matth.* III. 11. apud *Calovium* Bibl. Illuſtr. Nov. Teſt. tom. I. pag. *162.* Huic adde *Johannem Braunium*, virum doctiſſimum, & rerum Judaicarum apprime gnarum, cujus verba ſubjicere placet. *Patet, quod calceos in aliquem projicere ſit ſignum extremi contemtus. Hinc* Pſal. LX. verſ. 10. ſuper Edomæum projiciam calceum meum. *Id eſt nihili eum facio, calceum meum ei projiciam, ut vili ſervo, quem mihi, ut domino ſuo, curet, & cuſtodiat, atque ſic ſub poteſtate mea erit ſervus, & ego ipſius dominus, & herus, ero*. Lib. I. de Veſt. Sac. Hebr. cap. III. §. 10. *pag.* 59. Qua de re hoc minus dubitandum eſt, quo apertius, ac planius, cetera Davidis verba, de Moabi progenie prolata, quæ ſuperiora, ad Idumæos pertinentia, proxime antecedunt, hanc ſententiam firmant, juxta corroborantque. Dum enim dictionem סיר רחצי Græce ποδονιπτῆρα, & ποδόνιπτρον, ſive

ſive pelluvium, de iis adhibuit, ſe ſervili illorum opera, in lavandis pedibus ſuis, uſurum eſſe, haud obſcure ſignificavit. Evolvere, ac legere, hic juvabit, quæ variæ, atque immenſæ lectionis vir, *Thomas Gatakerus*, habet Cinn. cap. XIX. pag. 336. ſeqq. Quo cum conjungas velim *Sixtinum Amamam*, Anti-Barb. Bibl. lib. III. pag. 784. 941.

XIII. Vero autem ſit ſimile, magnum ſervorum *Sandaligerulorum* copiam apud Judæos quondam fuiſſe, neque inter opulentiores facile quempiam exſtitiſſe, qui non illorum opera uteretur. Quum enim frequentes *ablutiones*, communes pariter, atque ſacræ, longo uſu, ac conſuetudine, apud eos receptæ eſſent, ſervos ſuos alebant, quibus id præcipue muneris injunctum fuit, ut heros perpetuo inſequerentur, calceoſque portarent, & quotieſcunque opus erat, eorum corrigias ſolverent juxta, conſtringerentque. Qua de re contuliſſe, ac legiſſe, non pigebit *Fridericum Spanhemium* Patrem, *Dub. Evang. P.* III. *pag.* 140. *ſeq.* Quod ſervorum genus, longe deſpicatiſſimum, contemtiſſimumque, durius ſervitutis jugum ſubire cogebatur. Atque hinc vetus, ac vulgatum, Judæorum proverbium, ortum traxit, quo hominem, quem pro nihilo putabant, *Sandaligeruli* nomine appellare conſueverunt. Speciatim vero Servatoris noſtri, mortalium conſuetudine fruentis, ætate omnium ſermone tritum fuit, & de miſeræ, abjectæque ſortis hominibus vulgo uſurpatum, ſervilemque adeo conditionem, qua major inveniri haud poterat, luculentiſſime deſignavit.

XIV. Cujus ratio, atque indoles, ut eo rectius intelligatur, operæ pretium me facturum eſſe puto, ſi de ſervis ipſis, qui *Sandaligerulorum* partes apud Judæos expleverunt, paullo ſtudioſius inquiram. Eum itaque in finem pervolutatis optimorum in hac gente ſcriptorum monimentis, deprehendo, non alios fere, ac Cananæos, & extra Cœtum Dei poſitos, veteribus Hebræis conſtitutos fuiſſe, quibus ſordidum tractandi, curandique, calceamenti miniſterium proprium, perpetuumque, eſſe juſſerunt. Sigillatim vero in Judæorum *Pandectis*, & *Traditionum* rudi, indigeſtaque mole, Cananæis mancipiis illud diſerte adſcribitur, & magno, Rabbinorum conſenſu confirmatur. Etenim tam vile, & illiberale, habitum fuit, ut in variis, iiſdemque præcipuis ſervum acquirendi, & conſtituendi, aut *initiandi*, modis, in *Talmude* exſtantibus, numeraretur. Illuſtris eam in rem locus habetur in Miſchna Maſſech. Kidduſchim cap. I. עבר כנעני הרי הוא בקרקע ונקנה בכסף או לקנייה: *ſervus* id eſt בשטר או בחזקה: *ratione emtionis eodem ſe proſus modo, ac fundus, habet. Acquiritur enim* (pacis tempore) *aut pecunia, aut chirographo, aut jure poſſeſſorio.* Quibus nonnulli addunt חליפין ומשיכה id eſt *permutationem, & ſucceſſionem.* Vid. Gemara ad h. l. Inprimis autem conferri meretur *Maimonides*, Hilc. Auadim, C. v. §. 1. Quæ quum ad inſtitutum meum non pertinere videantur, huc tranſcribere nolo: veruntamen inſigniorem ſervum acquirendi modum, quem חזקה vocant, cum B. L. communicabo. Atque hunc e Gemara ad Miſchnam laudatam Maſſ. Kidduſch. fol. 22. b. l. 28. in Hilc. Mechira cap. II. §. 2. ſeq. pag. 65. a. Tom. IV. *Jad Chaſ.* Editionis optimæ Amſtelædamenſis An. CIↃ IↃCCII. egregie deſcribit memoratus *Maimanides*, his verbis uſus: ומה היא החזקה בקניין עבדים שמשתמש בהן כדרך שמשתמשין בעבדים בפני דבר התיר לו מנעלו או שהנעיל לו מנעלו וגו׳: i. e. *Quale autem eſt Jus poſſeſſorium in acquiſitione ſervorum? Reſp. ut opera eorum, præſentibus heris, more ſolito, ac ſervorum proprio, utantur.* (Inſtat) *Quomodo id præſtat? Reſp. Solvit, aut ligat, ementi,* (prout *Raſchi* in Gloſſa Marginali ad Maſſecheth Kidduſch l. c. recte explicat) *calceum.* Doctiſſimum vero *Lightfootum*, qui in exponendo laudato *Maimonidis* loco, principem, de Domino, qui ſervum vendit, præſente, circumſtantiam omiſit, non injuria deferendum cenſeo. Conf. Hor. Hebr. & Talm. pag. 274. Vol. II. Opp. Licet enim ſervus viliſſimum, calceamentum ſolvendi aut ligandi, miniſterium alteri, hero abſente, præſtiterit: hic tamen cogi nequit, ut ſervum illius arbitrio permittat, juxta atque cedat. Quod comparatio, ſervum inter, & fundum, a Doctoribus Talmudicis, ac nominatim *Maimonide*, aperte, ac palam inſtituta, ſatis ſuperque evincit. Vid. *Maimon.* Hilc. Mechira cap. I. §. 3. & 8. pag. 63. & 64. a. Ubi curſim monere velim, Judæos omnes ſuis ritibus non addictos, ſive Chriſtiani, ſive non-Chriſtiani, & *Gentiles* fuerint, communi, ac probroſo, Cananæorum nomino inſignire ſolitos eſſe, propterea, quod Canaani diras imprecatus Noachus avus, ſervum ſervorum omnium, fratribus ſuis ſervientium, eum fore, pronunciavit. Quod copioſius perſequi, & teſtimoniis comprobare, ſuperſedeo, quum res manifeſta ſit, ac nemini non, in Judæorum ſcriptis vel mediocriter verſato, cognita, atque perſpecta.

XV. Quum igitur *Deus*, in *Lege Moſaica*, quam apertiſſime, planiſſimeque, præ-

præceperit, ne quis fratrem ſuum, qui, ad inopiam redactus, ſemet ipſum alteri vendiderit ſervum, mancipii loco habeat, ac duriorem ſervitutis conditionem ſubire patiatur, celebriores Judæorum interpretes, facile omnes, præceptum iſtud vetans de ſervo, gente, ac civitate Hebræo, quem ſummus rerum humanarum arbiter benignius tractari juſſerit, miro conſenſu interpretantur. Exſtat *Lev.* xxv. 39. atque ita habet: וכי ימוך אחיך עמך ונמכר לך לא תעבד בו עבדת עבד: In numerum autem ſervilium operum, a popularibus ſuis, originiſque Judaicæ hominibus, non exigendorum, diſerte referunt ſordidum calceorum afferendorum, & auferendorum, miniſterium, illoſque ab hoc immunes eſſe volunt. Quod celeberrimorum Rabbinorum, *Raſchii*, veterum ſcrinia compilare ſoliti, & *Rambamii*, Judæorum doctiſſimi, autoritate, ac fide, haud difficulter confirmatur. Vid. *R. Sal. Iſaacides*, Comment. ad Levit. xxv. 39. ubi phraſin Moſaicam, לא תעבד בו עבדת עבד explicaturus: של גנאי שיהא עבודה יוליך, inquit, ניכר בה כעבד שלא כליו אחריו לבית המרחץ ולא ינעיל לו מנעלו: h. e. *famulatus ſordidus, quo mancipium dignoſcitur. Ne itaque veſtimenta ejus* (Domini) *geſtet ad balneum, neque ipſum calceis induat.* Compara etiam *Moſen Maimonidem*, qui ſervorum miniſteria, ab *Iſaacide* memorara, repetiit, ac pluribus Maſſech. Kidduſch. fol. 10. comprehenſis, locupletavit. Cujus verba, longiora quidem, ſed obſervatu digniſſima, atque ad rem præſentem cumprimis accommodata, in medium attuliſſe juvabit. כל עבד עברי אסור לישראל שקנהו להעבירו בדברים שהם מיוחדים לעשות העבדים כגון שיוליך אחריו כליו לבית המרחץ או יחלוץ לו מנעליו שנאמר לא תעבוד בו עבודת עבד אינו נוהג בו אלא כשכיר שנאמר כשכיר כתושב יהיה עמך ומותר לספר לו שערו ולכבס לו כסותו ולאפות לו עיסתו אבל לא יעשה אותו בלן לרבים או ספר לרבים או נחתום לרבים: Quæ ſic Latine reddo: *Omni Iſraelitæ, qui ſervum Hebreum acquiſivit, interdictum eſt, ne in rebus ſordidis, & contemtibilibus, ſolorumque mancipiorum propriis, ipſius opera utatur.* e. gr. *ut dominum in balneum euntem, inſequatur, ac vaſa portet, vel calceos ei detrahat. Scriptum enim eſt* (Lev. xxv. 39.) non erit tibi loco mancipii. *Neque aliter eum tractes, ac mercenarium, quoniam dictum eſt* (loc. cit. verſ. 40.) ut mercenarium, & inquilinum, eum conſideres. *Licitum itaque eſt, ut tondeat ipſi* (domino) *capillos, veſtimenta a ſordibus purget, panemque coquat. Non autem faciat ex eo balneatorem, tonſorem, aut piſtorem publicum.* Hilc. Avadim cap. 1. §. 7. pag. 139. b. Ubi, ὡς ἐν παρόδῳ, monere velim, Autorem Diſſertationis, de Servorum Hebræorum Acquiſitione, atque Servitiis, inſcriptæ, quæ Lipſiæ A. CIↃIↃCCIV. lucem adſpexit, in exponendo laudato *Rambamii* loco graviter hallucinatum fuiſſe. Hujus enim verba לספר את שערו per *numerare ſummam ejus*, & ספר per *numeratorem* perperam reddidit, quum per *tondere capillos*, ac *tonſorem*, interpretari ea debuiſſet. Vid. Diſſ. cap. 11. §. 5. De reliquo autem conferri meretur *Rab. Joſephus Karro*, Autor Keſeph Miſchna, ad *Maim.* Hilc. Mechira, cap. 11. §. 2.

XVI. Quemadmodum vero calcei in veſtimentis, hominum uſui inſervientibus, tam vile ſtatuebatur pretium, ut in ſordidiſſimarum, maximeque ignobilium, rerum numero haberentur: ſic omnium fere contemtui expoſiti erant, quorum tenui, ac vili, opera, in illis tractandis, utebantur. Clariſſime hoc comprobat *Tertullianus*, Latinorum Patrum vetuſtiſſimus, qui calceos *immundiſſimam pedum tutelam appellavit*. Legatur ejus lib. de Pallio cap. v. ibique *Salmaſius*, in Notis, quas *Cl. Nilant* Jul. Nigroni de Caliga Diſſertationi, ſuperiori anno Lugd. Bat. recuſæ, ſubjunxit pag. 110. ſeq. Ceterum non ignoro, ornamentis ſuis non deſtitutos fuiſſe antiquorum calceos, ac præſertim illuſtri loco natos, & fœminas, ut antea etiam me monuiſſe, memini, ſumtuoſa eoſdem faſtus, ac luxus, ſui inſtrumenta eſſe juſſiſſe, auroque, argento, gemmis, purpura &c. exornaſſe. Teſtem hujus rei laudo *Bald.* l. c. cap. vi. in quo plurima calceorum argenteorum, aureorum, & gemmatorum exempla, in veterum libris memorata, proferuntur. Atque hinc factum eſſe puto, quod *Deus* iratus in Iſraelitas, egenos minimo calceorum pretio in ſervitutem ſibi addicentes, graviter fuerit invectus. Apud *Amoſum*, cap. 11. 6. & cap. xviii. 6. Conf. omnino *Johannes Braunius* de Veſt. Sacr. Hebr. lib. 1. cap. iii. §. 10. pag. 58. Abrahamus quoque Patriarcha, nullius pretii rem deſcripturus, corrigiarum mentionem peropportune injecit. *Geneſ.* xiv. 23. Quorſum præterea referre poteris, quod *Deus* Moſen ad rubum, in monte Horeb ardentem, propius accedere ante nollet, quam calceis ſe exuiſſet. Locum enim, admiranda, ac ſingulari, *Numinis* præſentia clarum, ac perſanctum, externo hoc reverentiæ ſigno proſequi oportebat. *Exod.* iii. 5. Conf. *Joſ.* v. 15. Cujus exemplum ad imitationem ſibi deinceps propoſuerunt Judæorum ſacerdotes, atque, a pedibus denudati, templum, ad pera-

peragenda sacra sua, ingressi fuerunt. Compara *R. Mosen Gerundensem*, apud *Johann. Lundium*, in Judischen Heiligthumern lib. III. cap. IV. n. 4. seq. itemque *R. Obadiam* de *Bartenora* ad Mischnæ cap. V. Θ. I. Massech. Schekalim, apud *Braun.* loc. cit. pag. 45. 46. Postremo denique observaverim, omnes Judæos, calceis instructos, a monte *Moria*, in quo templum exædificatum erat, conscendendo, in Talmude prohibitos fuisse. Vid Mischna Berachoth cap. IX. Θ. 5. & Gemara ad loc. cit. fol. 62. b. lib. 5. f. & Massech. Jevam. fol. 6. b. l. 4. seq. Verba Mischnæ, huc spectantia, subjungo. לא יכנס (ארם) להר הבית בסקלו ובמנעלו ובפנרתו ובאבק שעל רגליו: *Ne ingrediatur quis montem templi cum baculo suo, nec cum calceis suis, nec cum crumena sua, nec cum pulvere in pedibus suis*, juxta *Cl. Lightfootum* loc. cit. pag. 314. Ex Talmude autem hæc mutuo accepit, atque iisdem verbis repetiit *Maimonides*: in Hilc. Beth-Habbech. cap. VII. §. 2. Tom. III. pag. 152. b.

XVII. Quamvis igitur infimæ sortis servorum proprium esset, ut apud Hebræos, heris suis a portandis, pedibusque aptandis, aut detrahendis, calceis essent, eorumque populares, vel ob angustiam rei familiaris: servilem operam alteri elocantes, vel ex *Addictione Forensi*, ut cum JCtis loquar, in servitutem redacti, despectissimo curandorum calcementorum servitio eximerentur; tamen nihilominus homines, libero loco nati, nullam hujusmodi ministerio, coram non ignotis præstito, existimationis suæ jacturam patiebantur. Causam vero, quare gentiles suos a sordido isthoc opere immunes, ac liberos judicant, haud obscure produnt, dum afflictis non addendam esse afflictionem, profitentur. Signate in hanc rem *Maimonides* loquitur, dum quærit. במה רברים אמורים בעבר עברי מפני שנפשו שפילה במכירה: id est *De quonam hæc* (qui non sit adhibendus ad operas serviles, paulo ante commemoratas) *dicuntur? Resp. de servo Hebræo, propterea, quod perturbato animo ob sui venditionem est*. Hilc. Avad. cap. I. §. 7. pag. 139. b. Tom. IV. Illi enim animo perturbatiore perpetuo esse, servilemque, in quam inciderant, conditionem ægerrime ferre credebantur. Diligenter itaque cavebant, ne, si vilissimo operi manum admovere, eos cogerent, iniquioris fortunæ memoria magis magisque exacerbaretur. Quod quum liberis hominibus pertimescendum non esset, nemo ipsis vitio vertere poterat, si sua sponte, & voluntate, *Sandaligerulorum* munus, sive spe lucri, seu amore, & veneratione, qua alios prosequebantur, ducti, nonnunquam exercerent. Quod ex *Lev.* XXV. 39. elicere post alios conatur Autor libri *Siphra*, existimans, verba: לא תעבור בו עבדת עבד nihil aliud significare, quam אין אתה עובד עבורת עבד אבל עובר אתה כבן חורין עבורת עבד: Quæ hoc modo in Latinum sermonem transfero: *Eo* (servo Hebræo) *non utaris, ut operam servilem* (mancipii instar) *exerceat, sed hanc a libero homine potius exigas*. Parasch. בהר סיני cap. VII. f. 45. col. 3. quibuscum conspirant, quæ *R. Simeon* in *Jalkut* Patasch. ead. f. 194. col. 4. lib. 6. f. affert. Quem si ad partes vocasset Autor Dissertationis Lipsiensis, antea notatus, laudata verba, in *Siphra* exstantia, rectius intellexisset, neque, in iis reddendis, tam insigniter falsus fuisset. Frustra enim illa sic interpretatur: *quia tu ipse non servire coactus es servitutem mancipii. Tu enim servis, sicut filius nobilium, servitutem servi* loc. cit. §. 4. pag. 24. Particula autem כ, quam in כבן, loco τȣ̃ בבן, perperam legit, eum in errorem induxisse videtur. Conf. omnino *R. Meir Rotenburgensis*, in Haggathoth Maimonioth, apud *Maim.* loc. cit. pag. 139. b. lit. נ qui hunc errorem cum *R. Simeone* sustulit, recteque emendavit. Qua in re *Maimonidis*, eruditorum facile principis, sententiæ hoc lubentius subscribo, quo solidiore, ac dilucidiore, qua pro liberis omnibus generatim, & promiscue, propugnatur, ratione eam firmavit. Huc spectant, quæ sequuntur: ישראל שלא נמכר מותר להשתמש בו כעבר שהרי אינו עושה מלאכה זו אלא ברצונו ומרעת עצמו: id est *Licet Judæo non vendito, æque, ac servo, uti, quum iste hoc opus non faciat, nisi voluntarie, suaque sponte*. l. c. Quamobrem non audiendos esse puto antiquissimorum, summæque apud Judæos fidei, librorum *Siphra*, & *Mechilta*, scriptores, qui filios solummodo, ac discipulos, hic intelligendos esse, affirmarunt. Teste, ac judice *R. Josepho Karro*, in Keseph Mischna ad *Maim.* Hilc. Avad. cap. I. §. 7. Tom. IV. pag. 139. b. גם זה שם אבל בבנו ותלמירו רשאי וכתב רבי' שהוא הרין לשאר כל ארם שאינו עבר ונתן טעם לרבר: *Etiam hoc* (de liberis hominibus, pro servis usurpandis) *ibi* (in Mechilta, & Torath Cohanim) *docetur, sed filiis tantum, ac discipulis, licitum esse dicitur. Doctor vero noster* (Maimonides) *ad omnem hominem, non servuum, accommodat, suæque sententiæ rationem subjungit*.

XVIII. Sigillatim vero calceorum applicandorum, & detrahendorum, ministerium,

rium, aliis præstitum, in certissimis amoris, ac reverentiæ, erga superiores testificande, signis, atque indiciis, apud veteres Judæos numeratum fuisse, videtur. Etenim filiis laudi datur, quod parentibus suis calceos attulerint pariter, atque exuerint, eodemque opere singulare in eos studium, & obsequium, comprobarint. Cujus rei diserte meminit *R. Josephus Karro*, ac luculentis testimoniis, ex Libris *Siphra*, & *Mechilta*, prolatis, de quibus jam dictum fuit, confirmat.

XIX. Alterum, ac magis commemorabile, exemplum hic suppeditare possunt Judæorum discipuli, qui summo, & prorsus singulari, honorts, atque observantię, cultu doctores, & magistros suos, affecerunt. Apprime ad statum præsentem convenienter loquitur *Maimonides*: אין לך כבוד גדול׳ מכבוד הרב ולא מורא ממורא הרב: *Neque honor, neque reverentia, major datur, ea, quam Præceptori debes*. Hilc. Talmud Thora cap. v. §. 1. lib. 12. Hujus autem illustre, atque in omnium oculos incurrens, documentum edituri, easdem, ad quas servi alioquin obligati erant, operas ipsis præstare, atque inter has calceos etiam detrahere, non dubitarunt. Quum enim majora Præceptorum, quam Parentum, in se exstare merita, firmiter sibi persuaderent, religiosiori quoque affectu illos complectendos esse, existimarunt. Hoc iterum docet laudatus *Maimonides*, dum memoratum cap. v. ita orditur: כשם שאדם מצווה בכבוד אביו ובוראתו כך הוא חייב בכבוד רבו ויראתו יותר מאביו שאביו מביאו לחיי העולם הזה ורבו שלמדו חכמה מביאו לחיי העולם הבא: *Sicuti homini honor, atque reverentia, erga patrem injungitur; ita ad multo majorem, adversus Præceptorem suum adhibendam, est obstrictus, quum parens tantum hanc vitam det; Præceptor vero, sapientiam ipsum docens, ad vitam futuram ducat*. Atenimvero hoc ita intelligendum est, ut ista tantum lege, & conditione, hoc ministerio perfuncti sint, ne fraudi sibi esset, neque ab aliis, qui in eo occupatos forte fortuna illos viderent, pro servis, ac mancipiis, agnoscerentur. In quam suspicionem venire haud poterant, quando vel *Phylacteriis*, sive membranis memorialibus, in fronte, ac brachiis, gestari solitis, instructi erant, vel in conspectu eorum, qui propius eos noverant, doctores suos calceis induebant. Illo enim signo, Hebræorum proprio, omnibus innotescebat, discipulos eos esse, nec cum servis Cananæis confundendos. Vid. *Glossa* ad Mass. *Ketubboth* fol. 96. a. l. 11. אין דרך עבדים להניח תפילין *Non est moris, ut servi apponant Phylacteria*. Quod si vero spectatores de illis non satis informati erant, ita, ut, ob solos, aliis detractos, calceos, Cananæis servis annumerare potuissent, ab isto officio liberati fuerunt. Quod apertissime, juxta ac planissime *Maimonides*, ut solet, expedivit, his verbis usus: כל מלאכות שהעבד עושה לרבו תלמיד עושה לרבו ואם היה במקום שאין מכירין אותו ולא היה לו תפילין וחש שמא יאמרו עבד הוא אינו נועל לו מנעלו ואינו חולצו: *Omne genus operis, quod servus præstare debet Domino suo, id discipulus Præceptori suo exhibeat: tamen nihilominus, si in locum inciderit, in quo eum non norunt, nec tamen Phylacteriis est indutus, ut propterea metuendum ipsi sit, ne forte dicant: Hic est servus! neque induat, neque exuat eum calceis*. Consule, si placet, *Joh. Seldenum*, de Jur. Nat. & Gent. sec. Disc. Hebr. lib. vi. cap. 8. Quæ quum ex Talmude desumserit *Maimonides*, operæ pretium me facturum esse puto, si Gemaristas ipsos, ea de re disputantes, hic introducam. אמר רבי יהושע בן לוי כל מלאכות שהעבד עושה לרבו תלמיד עושה לרבו חוץ מהחרת לו מנעל אמר רבא לא אמרן אבל במקום שמכירין אותו לית לן בה אמר רב במקום שאין מכירין אותו נמי לא אמרן אלה דלא מנח תפילין אבל מנח תפילין לית לן בה: *Dixit R. Josua, filius Levi: Omnia opera, quæ servus facit Domino suo, Discipulus præstare tenetur Præceptori suo, sola calceorum solutione excepta. Respondit Rabba: Hoc non generatim, & simpliciter dicimus. Nam si in loco fuerit, in quo omnes eum norint, ne hoc quidem in controversiam vocatur. Pergit Rabb Ischi: Neque de loco, in quo nemo eum novit, nrbis sermo est; sed tantum si Phylacteria in eo non conspiciuntur: sin autem iisdem instructus sit, res dubio caret*. Vid Gem. Mass. *Ketubboth* fol. 96. a. l. 11. seqq. Quem Gemaræ locum Latine redditurus Autor Dissertationis Lipsiensis, cujus semel, iterumque, memini, non satis assequutus est, sola, ut videtur, *Buxtorfiani* Lexici ope infeliciter usus. Misere enim illum depravavit, bonisque Rabbinis affinxit, quæ nunquam iis in mentem venerunt. Vid. loc. cit. §. x. p. 30.

XX. Ceterum non apud Judæos solum auditores magistros suos tanta veneratione prosequuti esse leguntur; sed veterum quoque Christianorum discipuli doctoribus, bene de se meritis, suam in omni genere observantiam, atque obsequii religionem, confirmarunt. Inter illustria autem ejus rei testimonia, instar omnium, referri meretur, quod vilissima, atque a servis tantummodo exigi solita, ministeria sibi imponi, haud fuerint gravati, Ar-

Argumento sit Diuus Polycarpus, Smyrnensium Antistes, quem nunquam calceamenta sibimetipsi detraxisse, sed discipulos, certatis, pro sua, qua in optimum, sanctissimumque, *Patrem* ferebantur, reverentia, ad ipsum accedentes, id ministerii sibi vindicasse, in *Epistola*, Smyrnensis *Ecclesiæ* nomine de Polycarpo, ejusque *martyrio*, ad Ponticas *Ecclesias* perscripta, haud obscure refertur. Exstat celebratissimum istud antiquitatis Ecclesiasticæ monimentum apud *Eusebium Pamphili*, Hist. Eccles. lib. IV. cap. XV. pag. 128. seqq. cujus verba, huc spectantia, digna judicio, quæ locum hic inveniant. Ὅτε ἡ πυρὰ ἡτοιμάσθη, ἀποθέμενος ἑαυτῷ πάντα τὰ ἱμάτια, καὶ λύσας τὴν ζώνην, ἐπειρᾶτο καὶ ἀπολύειν ἑαυτόν. Μὴ πρότερον τοῦτο ποιῶν διὰ τὸ ἀεὶ ἕκαστον τῶν πιστῶν σπουδάζειν, ὅς τις τάχιον τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ ἐφάψηται. Ἐν παντὶ γὰρ ἀγαθῆς ἕνεκεν πολιτείας καὶ πρὸ τῆς πολιᾶς ἐκεκόσμητο. *Extructo rogo*, interpetre *Valesio*, *Polycarpus, omni veste deposita, ac soluto cingulo, calceos etiam sibi ipse detrahere tentabat: quod quidem ante facere minime consueverat. Quippe quum singuli fidelium quotidie inter se ambitiose certarent quisnam prior corporis ipsius cutem contingeret. Semper enim, etiam ante canitiem, ob sanctioris vitæ honestatem, ab omnibus cultus fuerat*. pag. 133. loc. cit. Quam gratissimorum auditorum pietatem, tantum abest, ut culparint Historiæ *Ecclesiasticæ* conditores, ut in Annales suos eam retulerint, &, pro eo, ac par est, maximopere posteritati commendarint. Inprimis vero *Episcopis*, atque *Confessoribus*, viris videlicet, vita, more, & religionis Christianæ instituto, sanctis, ac testium divinæ veritatis lauream adeptis, hic honos habitus fuit, ut antiquiores Christiani calceos ipsis detrahendi officio ultro, lubenterque, perfungi consuevisse, perhibeantur. Compara Acta Perpessionis Fructuosi Episcopi, in quibus hæc leguntur: *Quum venisset ad Amphitheatrum, statim ad eum accessit Augustalis nomine, lector ejusdem, cum fletibus deprecans, ut cum excalcearet*. Vid. *Henricus Valesius*, Annot. in *Euseb.* Hist. Eccl. lib. IV. *pag.* 72.

XXI. Simillimum autem, & maxime geminum, exemplum suppeditat Johannes Baptista, divinus vir, & omnium mortalium maximus, qui, summi, quo Servatorem suum amantissimum complectebatur, amoris, obsequiique, testimonium exstare cupiens, ne quidem dignum se esse, qui ipsius *Sandaligerulus* nominetur, publica prædicatione testatur. Quum enim immineret tempus salutiferum, quo *Filius Dei*, qui nuper, nostra carne vestitus, ad mortales venerat, ut, quod perditum erat, humanum genus instauraret, Judæis monstrandus erat, ad divinum istud opus, ex decreto *Dei* perficiendum, adhibitus fuit legatus, divinitus, ac singulari more, missus, ut *Messiam* proxime prægrederetur, eique, jam adventanti, viam præpararet, & *Baptismo* suo manifestaret. *Jo.* I. 20. 31. Conf. *Es.* XL. 3. Inde novum, *præcusoris*, *antecursoris*, & quasi *anteambulonis* cognomen in Ecclesia natum fuit. *Tertulliano* enim audit *antecursor*, *& præparator viarum Domini*, lib. IV. adu. Marc. cap. XXXVI. *Augustinus* autem *præcursorem*, *& demonstratorem* appellavit Ep. LVII. ad Dardanum. Populus itaque, animis in hanc exspectationem erectis, post acceptum a Johanne *Baptismum*, apud eum ad Jordanem fluvium permansit, solemniori, quam pollicitus fuerat, *Christi* patefactioni interfuturus. Quem quum non continuo videret, ingenti ejus desiderio accensus, moræque impatiens, Baptistam ipsum pro *Messia* habere cœpit. Vidd. *Luc.* III. 15. & Act. XVI. 25. Ille vero auditores suos, recens initiatos, meliora edocturus, ab errore confestim revocavit, atque humani generis Servatorem, qui mox venturus esset, longissimo sese intervallo superare, luculenter est testificatus. Quod illius de *Christo* testimonium tanti merito fecerunt Historiæ *Evangelicæ* conditores, ut omnes in divinioribus suis annalibus ejus diserte meminerint, ac paulo penitius considerandum nobis propinarint. A vero autem non absimile est, Johannem Baptistam, in solitudine, loco, a celebritate quidem hominum remoto, non tamen prorsus sterili, aut ominibus destituto, verba ista semel, iterumque, & sæpius, repetiisse, omnibusque ipsum audientibus, sedulo, diligenterque, inculcasse. Compara *Augustinum*, de Consensu Evangelist. lib. II. apud *Spanhem.* Dub. Evang. Part. III. pag. 140. Add. *Chemnitius*, Harm. Evang. lib. I. cap. XVI. pagin. 224. Quod ex variatione, quæ apud Scriptores Sacros, eadem de re loquutos, occurrit, haud difficulter intelligi potest. Matthæus enim τὸ βαστάζειν habet, factaque portandorum calceorum mentione, docet, Johannem se indignum reputasse, qui calceorum *Christi* curam gereret, eos purgaret, reponeret, mutaret, redderet, ex Domini, modo induentis, modo exuentis, voluntate, eoque foras prodeunte, portaret, si forte illos, quacunque de causa, ponere, aut cum aliis commutare vellet. Ceteri vero omnes utuntur verbo

λύειν,

λύειν, Johannemque, dignum se esse, negasse, qui corrigiam calceamenti *Messiæ* solveret, confitentur. Res autem eodem recidit, neque ulla ratione qualiscunque hæc, in modo loquendi, diversitas sanctissimis, ac divinitus ad scribendum concitatis, viris fraudi esse potest. Quod illis cumprimis dictum esse volo, qui sæpe nodos, quos, in diviniorum literarum explanatione, ipsi nectere solent, secare, quam solvere malunt, atque *Evangelistas*, Historiam, & vitam, *Christi* memoriæ, & literis, mandaturos, in varia, & diversa, Acta, & Commentarios rerum gestarum, incidisse, temerario, & nefario ausu, criminantur. Quorum in numerum referri meretur *Johannes Clericus*, vir in omni quidem doctrinæ genere versatissimus, sed hoc maxime sibi sapere visus, quod sanctioris Codicis integritatem, atque autoritatem, convellere, & labefactare didicerit. Speciatim vero Historiæ Evangelicæ, a quatuorviris, Matthæo, Marco, Luca, & Johanne, consignatæ, Θεοπνευςίαν impugnaturus, illo ex monimentis, ab aliis jam confectis, scripta sua, quæ possidemus, composuisse, & compilasse, persuadere nobis conatur. Quum itaque unus ea tradat, quæ a ceteris prætermissa, aut non tam copiose pertractata sint, id inde factum esse, quod alia documenta coram oculis habuerint, imprudenter, & parum pie, profitetur. Ne vero injuriam illi fecisse videar, locum, quo dictis fidem facere possum, ex *Bibliotheca Selecta* huc transscribam. *La ressemblance*, inquit ille, *de ces deux Evangelistes* (Matthæi, & Marci) *vient de ce qu' ils avoient eu de semblables Memoires pour les discours de Jesus Christ, & pour les Histoires qu' ils mettent l' un, & l' autre; autrement ils se seroient plutot accordez dans les choses, que dans les mots; & je croirois facilement, que ces Memoires etoient entres les mains des Apotres, & de Disciples de Jesus-Christ, de le commencement en Hebreu, & qu' on les traduisit en Grec, en faveur des Hellenistes. &c.* Paucis autem interjectis, eadem ferme de *Luca* repetuntur. Tom. XIV. pag. 371. & 373. Quorum, in dubia reddenda, & convellenda, Evangeliorum origine, atque autoritate, amicissime consentiunt, & conspirant, *Henricus Dedvvellus*, Diss. I. in Irenæum, pag. 62. & *Richardus Simonus*, in Hist. Crit. N. T. Quos solide repressos, & profligatos, vide apud *Fridericum Spanhemium*, Filium, Tom. II. Opp. pag. 266. itemque *Johannem Meyerum*, Seder Olam. pag. 188. seq. inpr. p. 201.

XXII. Tantum igitur abest, ut Johannes Baptista divinum Chisti honorem, a populo, maximopere eum suspiciente, ultro deferendum, sumere sibi, atque arrogare voluerit, ut multo se *Messia* inferiorem, minimeque dignum, ἐχ ἱκανὸν, ἐκ ἄξιον, esse, qui servilem, eandemque vilissimam, operam ipsi præstaret, publice fuerit professus. (Ita ex æquo, & vero, de eo judicat summus, atque immortalium in Cœtum nostrum, qua meliorum partium est, meritorum gloria illustris Theologus Rostochiensis, *Johannes Fechtius*, Philocal. Sacr. pag. 17.) Quam ut explicate, ac distincte magis describat, variis dictionibus, v. gr. βαστάσαι τὰ ὑποδήματα, *portare calceos*, λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων itemque τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν, *solvere corrigiam calceorum*, & *calceamentum pedum*; usus est, quæ contemtum, abjectumque, pedes curandi ministerium mirifice exprimunt, & declarant. Gestus quoque meminit Marcus, dum verbum κύπτειν, *incurvare se*, addidit, ac Johannem, inclinante corporis habitu istud famuli, domino calceos detrahentis, opus peragere voluisse, scripsit. Quemadmodum vero nemo facile dubitaverit, non hic agi, quam aptus sit Johannes Baptista ad hoc officium præstandum, sed quam dignus sit, qui cum Christo comparetur; ita major sese apud nonnullos exerit difficultas, dum quærunt, utrum servorum Cananæorum, & vilissimorum mancipiorum, an vero discipulorum, magistros suos servili etiam opera colentium, conditio, atque status, verba ista proferenti ante oculos fuerit obversatus? Quum igitur apud Judæos *Prophetarum* discipuli iis sæpe ministrorum loco essent, ac necessaria ministeria ultro, lubenterque, obirent, inde colligunt, Johannem, pro singulari sua modestia, semetipsum indignum reputasse, qui horum ordini adscriberetur. Quam opinionem præ ceteris *Henricus Hammondus*, inexhaustæ doctrinæ vir, *doctissimusque Scripturarum, quanquam nonnunquam curiosior, rimator*, ornandam, tuendamque suscepit. Adscribam verba illius: *Apud Judæos* prophetarum *discipuli iis ministrorum loco erant*, ut Josua Mosi, *Exod.* XXIV. 12. & Joseph. lib. I. *Elisæus Eliæ*, I. *Reg.* XIX. 2. fundens aquam in manus ejus, *quod inter officia discipulorum recensetur in Constitutionibus Judaicis. Sic Christus, quum ait se inter eos fuisse* ὡς ὁ διακονῶν, *Luc.* XXII. 27. *respicit ad officium dicipulorum. Ita etiam quum discipuli vocabantur* Filii Prophetarum, *innuebant, eos esse prophetarum ministros, pro more Hebræorum, apud quos* παῖδες, & ὑπηρέται, *unum idemque sunt*. Vid. Annotationes ejus in Nov. Test.

Test. *πολυμαθείας* refertissimæ, ad *Matth.* III. 11. pag. 15. Alii autem pro solis servis, vere, proprieque dictis, propugnant, ad Johannem, *Christum* infinito se præstare, ostensurum, efficacissima similitudine, de his peropportune desumta, usum fuisse, contendunt. In quam sententiam propendisse video viros, in omni eruditionis genere summos, *Johannem Seldenum*, & *Hugonem Grotium*, hosque sequutos, qui non contemnendis eam rationibus confirmarunt. *Conf. Selden.* de I. N. & G. sec. disc. Hebr. lib. VI. cap. VIII. *Grot.* Annot. in Nov. Test. ad h. l. Quam dissensionem tantam non esse puto, ut altera alteram infringat, aut evertat sententiam, quum pulchre inter se consentiant, ac pene conspirent, facillimeque in concordiam redigantur. Johannes enim, dignitatem, & autoritatem *Christi*, sua infinito majorem, *emphatico*, ac pleno roboris, sermone expressurus, se haud dignum nominavit, qui vilissima ministeria, quale esset ferendi calceos, *Messiæ* præstaret. Illud autem non raro quidem discipuli, amoris, & reverentiæ, erga Doctores suos, causa, sibi imponi passi sunt: communiter tamen ab infimæ sortis servulis, necessitate, & parendi lege, obstrictis, requisitum, peractumque, fuit. Quod si interim meam qualemcunque hic interponere sententiam licuerit, existimaverim, Johannem ad Cananæos servos digitum præcipue intendisse, propterea, quod ille apud Hebræos ad hujusmodi opera, prorsus servilia, vulgo adhibebantur. Consentit mecum *Seldenus*, cujus verba, quæ sequuntur, omnino notari merentur. *Quod de solutione calcei hic* (apud *Johannem* cap. I. 27.) *dicitur*, *intelligitur itidem de calceo*, *sive exuendo*, *sive induendo*. *De servis Cananæis* (*quo nomine ceteros id genus denotant*) *diserte Lex.* (*Lev.* XXV. 44. *seq.*) Servus tuus, & ancilla tua, sint tibi de nationibus, quæ in circuitu vesto sunt. Ex his acquiretis servum, & ancillam, & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, & de familia eorum, qui vobiscum sunt, vel qui ex his nati sunt in terra vestra. Hos habebitis in possessionem, & hæreditario jure transmittetis ad posteros, ut succedant in possessionem. In perpetuum, veluti servos, eos habebitis. *Ex hisce scilicet*, *non ex servis Hebræis*, *exigenda erant opera mere servilia* l. c.

XXIII. Atque hæc publica, & admiranda, tenuitatis suæ professio, quam Græci *ταπείνωσιν*, & *ἐλάττωσιν* appellare solent, tantum abest, ut veritatis fidem excesserit, aut infra viri maximi dignitatem fuerit, ut omnem laudem, & commendationem mereatur. Quamvis enim Johannes Baptista *μείζονος ἐν γεννητοῖς γυναικῶν Προφήτȣ* elogio a Servatore suo ornatus, & ad summum, hunc Jordanis flumine tingendi, munus adhibitus, atque, in utero materno adhuc degens, *Spiritu S.* repletus fuerit; nihilominus tamen *Christus* illum maximo post se intervallo reliquit, neque solum *personæ*, sed *officii* quoque ratione, longe, multumque, superavit. Quanto itaque intervallo *Deus* ab homine distat, tanto etiam *Messiam* majestate, & dignitate *ἰσχυρότερον*, ut diserte apud Matthæum, Marcum, & Lucam legitur, superiorem esse, demississime, atque subjectissime, Johannes exponit. Vid. *Chemnitius* loc. cit. pag. 225. qui vocem Ἰσχυρȣ̃ *Deo* Opt. Max. in diviniori Codice tribui, monet, atque ex *Neh.* IX. 32. & Apoc. XVIII. 21. commonstrat. Quocum jungendus est *Daniel Heinsius*, vir Græce doctissimus, de vocabulo hoc erudite, ut solet, ita scribens: Ἰσχυρότερός μȣ ἐςὶ, *recentior interpres*, validior me est. *Vetus* fortior, *ad verbum*. *Quum de potentia*, *aut magnitudine agatur*. *Ut sit* δυνατώτερος. *Quomodo τὸ* חזק *Hellenistæ expresserunt*. *Ut omittam*, *non semel τὸν ἰσχυρὸν dici*, *qui ὁ Κύριος alias*, *quum de Deo loquuntur*. *Ut in illo*, *κ̀* εἶπας, τί ἔγνω ὁ ἰσχυρός. *Job* XXII. 13. *Item*, ἰδȣ̀ ταῦτα πάντα ἐργᾶται ὁ ἰσχυρός. *In quibus locis τὸ* אל *habes*, *hoc est Deus*: *qui & δυνατὸς Hellenistis*. *Quare* potentior *malim*. *Quo spectat & quod sequitur*, ȣ̃ ȣ̓κ εἰμὶ ἄξιος τὰ ὑποδήματα βαςάσαι, *quod potentiori*, *& qui dignitate major est*, *defertur*. Exerc. Sacr. ad N. T. pag. 21. Ceterum singularem hanc Baptistæ extenuationem sui omnium optime explicat, & tuetur, *Frid. Spanhemius*, magni nominis, inter Reformati ritus sectatores, Theologus, quem ea de re consuluisse, neminem pigebit. Verba autem ejus copiosiora huc transferre nolo, quum melius de B. L. si hunc ad illum remisero, mereri me posse confidam. Vid. Dub. Evang. part. 3. p. 141. seq.

XXIV. Atenimvero alia hic oritur difficultas, quæ non nullius momenti esse videtur. Quæri enim solet, utrum Christus, in his terris degens, ab omni calceorum usu se prorsus abstinuerit; an vero pedum tegumenta usurparit? Dubitandi autem causam ipse suppeditavit, dum *Apostolos*, ad obeundum munus suum a se dimissos, sine calceis iter suum ingredi jussit. *Matth.* x. 10. *Luc.* XXII. 35. Conf. *Marc.* VI. 8. Act. XII. 8. Quoniam igitur hoc vestimenti genere illis interdixit, vero fit simile, magistrum discipulis exemplum, quod imitando expri-

me-

merent, in hac etiam re prodere voluisse. Enimvero, e priscis *Ecclesiæ* Doctoribus, Divus Hieronymus tanto huic argumento vim tribuit, ut, Christum nudis pedibus incessisse, nec calceamenta, quibus *Apostolos* uti, vetuerat, ipsum usurpasse, nec militibus ea, quæ dividerent, reliquisse, plus vice simplici asseveret. Illustris eam in rem locus est, qui Epist. XXII. ad Eustochium de Cust. Virg. habetur: *Milites vestimentis Jesu, sorte divisis, caligas non habuere, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod probibuerat servis*. Quibuscum jungenda sunt, quæ paullo ante in hunc modum scripsit: *Moyses, & Jesu Nave, nudis in terram sanctam pedibus jubentur incedere: & discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium, ad prædicationem novi Evangelii destinantur*. Quem deinceps sequuti sunt Abulensis, Dionysius Carthusianus, Bonaventura, Nicolaus de Lyra, & complures alii, qui Christum calceis destitutum fuisse, itidem existimarunt. Ex contraria autem parte alii cum Chrysostomo, atque Augustino, Christo, æque ac discipulis ejus, calceamentorum usum vindicarunt, nec contemnendis rationibus sententiæ suæ fidem fecerunt. Leg. *Chrysostom.* Hom. LX. ad Pop. Antioch. *Aug.* Serm. XLII. de Sanct. cap. *6*. Cui eo lubentius adstipulor, quo faciliorem Matthæum cum Marco conciliandi viam, a *Polycarpo Lysero*, in divina *Evangelistarum Harmonia* monstratam, deprehendo. Quum enim ille ὑποδήματα *Apostolis* vetita memoret, hic σανδάλια iisdem permissa scribit; non *contraria*, sed *diversa*, memoriæ produnt, quæ utraque *Christus* discipulis suis mandavit. Iter itaque ingredientibus concessit, ut sandaliis pedes munirent; iter autem ingressis interdixit, ne gemina calceamenta, commutandi causa, sibi compararent. In quam sententiam, ante *Lyserum*, descenderunt *Thomas Aquinas*, *Cajetanus*, ac *Ægidius Hunnius*, nostras, teste *Calovio* loc. cit. pag. *267*. seq. Eandem quoque tuetur *Hammondus*, his verbis usus: *Apud* Marcum *licet Apostolis iter facere* ὑποδεδεμένοις σανδάλια, indutis sandaliis: at *vetantur apud* Matthæum κτήσασθαι ὑποδήματα, parare calceos, *hoc est*, *alios*, *præter eos*, *quibus induti erant*, *quo anxietatem circa futurum tempus aliquam denotabat*. Annot. ad Matth. X. *9*. pag. *46*. Demus autem eruditissimo *Heinsio*, loquutionem Johanneam παροιμιώδως, & proverbii in modum, prolatam fuisse; nihilo tamen minus eadem pro *Christo*, calceis instructo, non mediocriter propugnat. Calcei enim non in arcis servati, aut e parietibus pendentes, sed hominum pedibus aptati, occasionem proverbio dedisse videntur. Enimvero quum Judæi calceamentis plerumque uterentur, neque iisdem carerent *Apostoli*, credere omnino par est, Servatorem ab illo more, atque instituto, non recessisse. Loquatur pro me Illustris *Grotius*: *Judæos*, inquiens, *plerumque sua habuisse* ὑποδήματα, *passim nos docet Mosis historia*, *ut* Exod. III. 5. XII. II. Deut. XXV. 10. Ruth. IV. 7. & Luc. XV. 22. *neque discessisse Christum ab eo more, satis manifestum est ex verbis Baptistæ* Matth. III. II. & *supra* Marc. I. 7. *Apostolos itidem fuisse* ὑποδεδεμένους *tum hic locus evincit*, *tum alter de Petro* Act. XII. 8. Annot. in *Marc.* cap. VI. *9*. apud *Calovium* loc. cit. pag. *495*. Quorsum etiam spectat, quod captivi Judæi, ab Israelitis manumissi, inter cetera vestimenta, calceis quoque donati fuisse, perhibentur? I. *Chron.* XXVIII. 15. Pæne omiseram Hieronymi scrupulum, ac quandam dubitationem, de Christi calceis, inter milites non divisis, nonnullorum forte animis injectam, evellere, ac dissipare. Nulla enim *argumenti* hujus *negantis* vis est, quum plurima in Historia Christi scriptores sacri prætermiserint, quæ novisse, nostra non magnopere interesat, neque ad salutem spectabant, aut insigniorem aliquem usum afferebant. Rem acu tetigisse videtur doctissimus *Nilant*, qui pro ajente sententia, tanquam veriore, cum *Balduino* suo propugnans: *Quæ sequitur dubitatio*, inquit, *cur Evangelistæ, Servatore jam in crucem sublato, calceorum, inter reliqua vestimenta, non meminerint, & inde tracta suspicio, quasi Servator nudipes adductus sit, levi fundamento nituntur. Quis enim non agnoscit, ab Spiritu Sancto ea tantum momenta in historia passionis memoriæ tradita esse, quæ ad oraculorum, quæ prisci prophetæ cecinerant, illustrationem, & complementum, inservirent? In his autem, quoniam nulla calceorum mentio obvia est, de iis nimis sollicitos esse minime nos decet*. Observat. in *Bald.* cap. XXVI. de Calc. Antiq. pag. *229*. Quæ quum ita sint, *Johannes Fridericus Mayerus*, Theologus summus, magnoque incommodo, ac dolore *Ecclesiæ* nostræ, rebus humanis hoc anno ereptus, Christum calceatum incessisse, recte existimavit, atque idoneis, *Hieronymi Sopranis* præcipue, rationibus, commodum laudatis, contra Romano-Catholicos, diversum plerumque sentientes, haud infeliciter defendit. Compara Eclog. ad Evang. Dom. IV. Adu. Quæst. III. Add. *Sopranes*, de Re Vest. Jud. Digress. I. §. 2. fol. 378.

XXV.

XXV. Quemadmodum vero Servatorem nostrum satis commode calceatum fuisse, confiteor: ita ab omni luxu, & exquisitiori ornatu, in iisdem adhibendis, abstinuisse, non minori asseveratione affirmo. A quorum ornatu, nimio videlicet, ac sumtuoso, quum non alieniores sint principes Sacerdotes Christum, cujus veros, germanosque, successores se esse, gloriantur, ea quidem in re imitando exprimere noluerunt. Speciatim vero, si a *Pontificibus* discesserimus, Romanæ sedes Purpurati *Patres*, vulgo *Cardinales* dicti, atque *Episcopi*, pretiosissima, auroque, & gemmis, atque purpura, distincta sandalia, quæ recentior, ac barbara ætas *Campagos* nominavit, gestandi summo, ac singulari, jure frui feruntur. In quo eligendo vestitu ipsis Imperatoribus, ac sæculi Principibus, non inferiores esse voluisse, atque honori, autoritati, ac dignitati suæ, amplificandæ *Campagos* hosce non parum inservire, existimasse, videntur. In hunc igitur ipsorum fastum, graviter invectus est *Petrus Faber*, quem evolvisse, diligenterque legisse, nemini, mea quidem sententia, molestum, aut pœnitendum, erit. Agonist. lib. II. cap. 34. apud *Gronov.* Antiq. Græc. Tom. VIII. pag. 2100.

XXVI. Neque tamen solis *Cardinalibus*, & *Episcopis*, *Campagis* uti licuit, integrumque fuit; sed *Diaconi* quoque, Romani præcipue, eosdem gestandi libertate gavisi esse feruntur. *Campagi*, (verba Papiæ recito, *calceamenti genus, quo utebantur Diaconi Romani, vel quibus a Pontifice concessum est*. Vid. *Alb. Rubenius* de Re Vest. lib. II. cap. 5. apud *Grævium*, Tom. VI. Antiq. Rom. p. 1013. In Sicilia enim Messinensibus *Diaconis*, Sandaliis, sive *Campagis*, se induendi privilegium Romani Præsules irrogarunt, quo ceteri omnes totius insulæ privati fuerunt. Quod beneficium quum temere sibi vindicarent Catanenses, Gregorius M. P. R. ex hoc capite in eos animadvertendum duxit. Cujus rei testis ipse locuples sit, ita scribens: *Pervenit ad nos, Diaconos Ecclesiæ Catanensis, calceatos campagis, procedere præsumsisse. Quod quia nullis hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo Diaconis Ecclesiæ Messanensis, quibus olim a prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolitis*. Conf. *Albertus Puciolus* de Antiq. Jur. Eccl. Sic. *cap.* ult. apud *Rubenium* loc. cit. Illum vero, tam splendidos *Campagos* gestandi, morem, in *Ecclesia* Romana frequentatum, inde a temporibus Constantini Magni repetere solent. Hic enim Senatoriorum calceorum, sive Sandaliorum, cum Patriciis florentis Imperii calceis non confundendorum, usum Romanis *Clericis*, in *Donatione* sua, si credere fas est, permisisse, perhibetur. Illi tamen *Campagi* a *Tzangis*, sive Sandaliis, purpureo colore insignibus, & Imperatorum Romanorum propriis, diversi fuisse, videntur. Quam in rem hæc vulgo proferuntur: *Et sicut noster Senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustratis*: (Græce ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια λευκὰ δὶ ὀθονίων) *sic utantur & Clerici*. Vid. *Rubenius* loc. cit. Quod si enim Arcadium, & Honorium, Impp. fratres, audire velimus, hi *Tzangarum* usu subditis omnibus interdixerunt, graviterque in delinquentes animadvertere cœperunt, neque exilio solum mulctarunt, sed bona etiam, fortunas, possessionesque, ipsis ademtas, lege publica, hodieque servata, fisco suo addixerunt. Exstat illa Cod. Theodos. lib. XIV. tit. X. lib. 2.

XXVII. Ante vero, quam Dissertationi finem imponam, ab instituto meo non alienum esse puto, si *Sandaligerulorum* apud Hebræos historiam longius persequar, & de vario, ac multiplici, illorum usu quædam subjungam. Observo igitur, hos dominos suos perpetuo fere comitatos esse, multamque, & utilem, operam, in portandis, & exuendis, purgandisque, calceamentis ipsis navasse. Sigillatim vero in peragendis in Templo Sacris suis, celebrandis Epulis, frequentandis Balneis, atque suscipiendis denique Itineribus, heros suos insequi, iisdemque a calceis esse, jussi fuerunt.

XXVIII. Principio igitur Hebræos, Sacris publicis interfuturos, detractis sibi calceis, Templum ingressos fuisse inter omnes constat. Quum enim in divinarum literarum Codice legerent, Mosen, & Josuam, exutis calceis, coram præpotente *Deo* comparere, jussos esse, ac Sacerdotes etiam sine calceis Sacra facere debuisse; horum exempla, rei divinæ operaturi, imitando exprimere censuerunt. Plura de celebri hoc apud Judæos, sine calceis sacris vacandi, ritu habentur apud *Braunium* de Vest. Sacerd. Hebr. lib. I. cap. III. §. 3. seq. Conf. Mischna, & Gemamara Mass. *Berach.* locis supra ad §. XVI. allatis. Detractos autem, atque ante Gentium atrium positos, calceos servis suis adstantibus custodiendos, si quid conjectura assequi valeo, reliquerunt, ac, Templo egressi, eosdem sibi reddi, fecerunt. Cujusmodi, sacras Ædes nudis pedibus intrandi, morem etiamnum non modo apud barbaras gentes, Turcas, at-

atque Indos, tritum, ac pervulgatum; ſed in Cœtu quoque Romano non inauditum eſſe, ac ſigillatim Romæ, Epiſcopis cum Pontifice Sacellum, ad adorandam *crucem*, ingredientibus, perfamiliarem eſſe, diligentiſſimus harum rerum ſcrutator, *Johannes Braunius*, docuit, & comprobavit. l. c. pag. *66*. De Indorum Brachmanibus, ante fanorum ſuorum, vulgo *Pagodarum* fores calceos ponere ſolitis, ex inſtituto egit *Rogerius*, Offene Thur zu dem verborgenen Heidenthum P. II. cap. 10. apud *Lundium* l. c. pag. 378. num. 21.

XXIX. Deinde autem a vero non abhorret, Judæos, convivia celebrantes, ſervorum, calceos ſibi, ad menſam acceſſuris, detrahentium, ac finitis epulis, eoſdem offerentium, opera, ne lectorum ſtragula pulvere, aut luto, commacularent, uſos fuiſſe. Quem in lectis convivandi morem a Romanis, a quibus Græci, & barbari omnes populi, eundem acceperint, mutuo ſumſiſſe, poſt Philonem Judæum, erudiſſimo Viro, Petro Ciaccono, videntur libr. de Triclinio, teſte *Nigrono*, l. c. pag. *56*. Verum jacendi, decumbendique, in capiendo cibo, conſuetudinem vetuſtiſſimis temporibus cognitam fuiſſe, ac cum ipſis fere hominibus cepiſſe, variis argumentis, tam ex ratione quam Hiſtoria petitis ὁ πάνυ *Caſaubonus*, perſpicue, ac ſolide, oſtendit. Speciatim vero contra Philonem, Romanos neque ſolos, neque primos, ſed antiquiſſimis Sæculis Græcos, Medos, Perſas, Celtas, Indos, alioſque populos, inter prandendum, cœnandumque, accubuiſſe, egregie diſputavit. Quos inter numerandos quoque cenſuit Judæos, eoſdemque, priſcum inter epulas jacendi morem retinuiſſe certis, ac ſole meridiano clarioribus, teſtimoniis, quæ partim diviniores literæ, partim vero Rabbinorum ſcripta illi facile ſuppeditarunt, luculenter confirmavit. Compara ejus Exerc. Anti-Baron. XVI. cap. 22. ubi fuſius hoc argumentum perſequitur. Documentum vero, omni exceptione majus, Servator noſter optimus ſubminiſtrabit: quippe quem in accumbendo ſandalia, ſive alia quævis calceamenta, depoſuiſſe, commemorabilis de Maria, ſorore Lazari, pedes ejus lavante, atque oleo pretioſiſſimo ungente, hiſtoria, ſatis ſuperque commonſtrat. Vid. *Luc.* VII. 38. Jo. XII. 3. Conf. *Matth.* XXVI. 7. *Marc.* XIV. 3. Add. *Lightfoot*, l. c. pag. 653. Quod igitur ſervorum munus erat, ut dominorum, ac hoſpitum, epulis, & convivio, aſſidere volentium, pedes, demtis ſoleis, ſæpe lavarent illo miniſterio ſumma alacritate perfuncta eſt fœmina, Servatoris ſui ſtudioſiſſima, atque ingenti lacrymarum, quibus delictis graviſſimis veniam precata, Chriſti pedes irrigabat, & aquæ loco abluebat, copia profuſa, ſuo quodam jure meruit, ut ipſius *Sandaligerulæ* cognomine inſigniatur. Licet autem non inficias eam, Chriſtum ſandalia ſua ante poſuiſſe, quam illa ad pedes ejus provolveretur: ſervarum tamen *Sandaligerularum* numero vel ex hoc capite adſcribi poteſt, quod, quæ pedes lavandi partes explebant, ſandalia quoque ſervare, &, prout res ferebat, vel offerre, vel auferre ſolebant. Quod quum Petrus, Chriſti diſcipulus, facere neglexiſſet, neque magiſtri ad ſe venientis, pedes aqua, lavare ſtuduiſſet, egregium, atque ad omnem poſteritatis Chriſtianæ memoriam futurum, pientiſſimæ Mariæ, Magdalenæ cognomine inſignis, exemplum ad animum ipſi revocavit, atque in pudorem datum officii ſui commonefecit. Conf. *Luc.* VII. 44.

XXX. Porro ſtatuere in proclivi eſt, Hebræos, lavationum ſtudioſiſſimos, balnea multum, diligenterque, frequentaſſe, & opibus inprimis abundantes, in corporibus, a ſordibus purgandis, ſervorum opera plerumque adjutos fuiſſe. Huc ſpectat elegans Talmudis locus qui exſtat in Maſſ. Kidduſchin fol. 22. b. כיצד בחזקה התיר לו מנעלו או הוליך כליו אחריו לבית המרחץ הפשיטו הרחצו סכו גרדו הלבישו הנעילו הגביהו: *Quomodo per jus poſſeſſorium?* (acquiritur ſervus Cananæus) *Reſp.* d ementi *ſoluit calceos, aut eum in balneum ſequutus, veſtes detrahit, lavat, ungit, fricat, veſtimentis, calceiſque, rurſus induit, & e balneo extractum in terra collocat.* Compara etiam *Maimonidem* Hilc. Mechira cap. 11. §. 2. Add. *Raſchius* ad Lev. XXV. 39. Quo vero commodius in balneis lavarentur, ſandaliis, quæ facili negotio & exui, & indui poterant, fere delectati eſſe videntur. Quæ quum ſervorum curæ tradi, & committi, vulgo ſolerent, ut heris ea demerent, ſervarent, redderentque, illorum uſum, ut paratior eſſet lavatio, magnum, ac ferme neceſſarium, exſtitiſſe, ultro intelligitur. Interea vero, dum Dominis a lavationibus erant, detracta horum ſandalia ſuo loco potius poſuerunt, quam in manibus retinuerunt, contra atque ancilla, meretricem, lavationi operantem, ſectata, cujus meminit *Pignorius*, faciendum putavit. Quam rem in medio relinquere, quam confidentius definire malo. Vix enim operæ pretium fecerim, ſi *minutius, & ſcrupuloſius*, ut Quintiliani dictione utar, *omnia ſcrutari* vellem.

XXXI. Denique antiquiores Judæos aliquo profecturos, servos, qui calceos, quorum ingens, in longioribus præcipue itineribus, futurus erat usus, sibi portarent, secum duxisse, penitus mihi persuadeo. Ut igitur ad iter commode, celeriterque, conficiendum parati, & expediti essent, alterum calceorum sive sandaliorum par quod suo loco, & tempore, cum sordidis, aut usu detritis, commutare possent, in promtu habuisse, ac per servos sibi servari curasse, videntur. Eandem calceos in via gestandi operam doctoribus suis præstiterunt discipuli, eosque hoc onere premi, minime permiserunt. Leg. *Hammondus* ad *Matth.* III. II. loco paullo ante commemorato. Hebræos autem, iter ingressos, in portandis calceis, servorum *Sandaligerulorum* ministerio usos esse, vel e solo Novi instrumenti, Codice, diligentius paullo pervolutato, colligitur, & comprobatur. Quum enim scriptores sacri verbum βαστάζειν in hoc argumento plus vice simplici adhibuerint, quod onera humeris subeuntium alioquin proprium est, documento id esse poterit, heros, suscepto itinere, sarcinas servis, ipsos comitantibus, imponere, ac sarcinis calcementa quoque includere solitos fuisse. Cui sententiæ pondus afferat Interpres Syrus, verba Lucæ: Μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδὸν, per מדם לא חשקלון לאורחו *nil bajulaveritis ad iter*, bene sciteque interpretatus. Vid. *Luc.* IX. 3. *Marc.* VI. 8. quod Galli *faire provision*, nostrates autem *nichts mit auff den Weg nehmen* dicere consueverunt. Neque vero temere existimandum est, Judæos nudis pedibus incessisse, ac priscos Christianos, illos imitatos, eundem morem servasse. Equidem non diffiteor, *Clementem Alexandrinum*, ac *Tertullianum*, calceorum usum religionis suæ hominibus haud obscure dissuasisse, nudosque pedes magis, quam calceis ornatos, decere viros, conceptis verbis professos esse. Quorsum refero sequentia *Clementis* verba: Ἀνδρὶ εὖ μάλα ἁρμόδιον ἡ ἀνυποδησία. *Tertullianus* autem: *Pedes*, inquit, *nudi viriles magis quam in calceis*, ll. cc. Verum enim vero ea in re Christiani doctores Philosophos potius, ac nominatim Platonicos, quibus, calceamenta omnia respuentibus, non solum in gestando pallio, sed in nulla quoque, sive frugalitatis, sive fortitudinis parte, cedere volebant, imitando expressisse, quam veteri instituto, atque exemplo Hebræorum, calceis usi esse, videntur. Conf. *Grotius* ad Marc. VI. 9. Hi enim calceis, aut sandaliis, plerumque instructos fuisse, hominemque, iis destitutum, summæ inopiæ argumentum præbuisse, supra dilucide, ni fallor, comprobatum dedi.

XXXII. Ad extremum vero non omnino reticendæ hic sunt *Sandalothecæ*, in quibus Græcarum quondam mulierum sandalia, multo pretiosissima, servata fuerunt. Diserte enim earum meminit Menander apud Pollucem, & celeberrimus *Peirzonius* illas ad pompam comparatas, atque ab ancillis, dominas suas in urbe comitantibus, gestatas fuisse, confirmat loc. cit. Sed enimvero quum Hebræos sandalia, auro, & gemmis ornata, usurpare consuevisse, nullibi reperiam, in parandis quoque *Sandalothecis*, in quibus custodienda illa servis traderent, non multum solliciti fuisse videntur. Itaque operosius de illis inquirendi labore jam supersedebo, atque in pietatis erga Deum Opt. Max. significatione conquiescam, toto pectore illum precatus, ut institutum meum volens, propitiusque, fortunet, & dux, comesque itineris, me protegat, defendat, potenterque tueatur.

JOH.

JOH. GOTTLOB CARPZOVII

DISCALCEATIO RELIGIOSA IN LOCO SACRO

Ex *Exod.* III. 5. & *Jos.* V. 15.

PROOEMIUM

TAnta eruditæ rituum priſcorum indaginis copia eſt & ubertas, nihil ut in veterum inſtitutis & moribus adeo videatur abjectum & exile, quod non, rite explicatum, ſuiſque accommodatum locis, aliquam, & ſæpe inſignem, afferat utilitatem. Quid vilius videri poterat, calceorum vel uſu, vel ornatu, vel neglectu, in quo fuſe declarando operam ponere, haud aliud fuerit, quam ingenio & otio ſuo abuti? iſtud tamen argumentum duumviri, judicio, autoritate & doctrina præſtantes, Benedict. Balduinus, Ambienſis *de Calceo antiquo & myſtico*, & Anton. Bynæus, Belga *de Calcis Hebræorum*, Lugd. Bat. 4. 1724. poſt Hieron. Sopranem *in Davide, digreſſ.* I. *de re veſtiaria Judæor. cap.* VI. *pag.* 380. *ſeq.* perſona ſua adeo non cenſuerunt indignum, ut juſtis potius commentariis illuſtrarint. Viciſſim ἀνυποδησίαν, ſive calcei extractionem, tantum abeſt ut neglectim habeamus, ut in doctrinæ apparatu haud poſtremum illa teneat locum. Uſu nimirum recepta erat. I. In denegata juris Levirorum obſervantia, ubi divino auſpicio & juſſu, *Deut.* XXV. 9. 10. mulier ſpretæ injuriam formæ ita vindicabat, ut Leviri ſolveret calceamentum, qui poſteritatem fratri, nominiſque memoriam excitare recuſaſſet, & in eum exſpueret, quod extremæ ignominiæ ſymbolum erat & teſtificatio, quem ritum copioſe tradiderunt doctores Talmud. *Maſſ.* יבמות *cap.* XII. Maimonides *P.* II. יד חזקה *Hilcoth* יבום וחליצה *cap.* IV. & R. Iſaac Karo *in Arba Thurim P.* III. *cap.* 69. *fol.* 40. *ſeq.* e Chriſtianis Seldenus *de uxore Hebræa lib.* I. *cap.* XIV. *pag.* 96. Hinc inofficioſi ejuſmodi fratris ædibus quædam velut infamiæ nota inurebatur, illa ut ſummo cum opprobrio בית חלוץ הנעל *domus viri, cui calceus extractus fuit*, poſthæc audiret. Huic affinis erat II. Uſu receptus inter Iſraelitas, in emtionibus & venditionibus, tradendi & poſſeſſionem cedendi modus, ut vir calceum ſuum ſolveret, daretque emtori, quo ſigno rata judicabatur illa juris in alterum translatio, cujus rei exemplum legimus *Ruth.* IV. 7. quem, a præcedente caute diſtinxit, & uberius delineavit, ritum, b. D. Joh. Bened. Carpzovius *coll. Rabbin. in Ruth pag.* 191. *ſeq.* Porro etiam III. Ad publicam luctus ſpectabat teſtificationem, diſcalceatum foras prodire, ut charorum & neceſſariorum funera deflentes, velut veſtibus ruptis nudum pectus, ita ſepoſitis calceis nudatos pedes oſtentarent: quod ex *Exech.* XXIV.

17. 23. viri docti demonstrare satagunt. B. Gejerus *de luctu Hebræor. lib.* I. *cap.* XIV. Unde quoque inter externa seriæ pœnitentiæ documenta referebatur, nudis pedibus incedere, quod ex Chaldaica paraphrasi I. *Reg.* XXI. 27. & ex Josephi testimonio *lib.* VIII. *Antiq. cap.* VII. evinci consuevit. Hinc etiam. IV. Captivi & victi, vel in exilium migrantes, tam ad inopiam suam, quam ad miseriam & calamitatem demonstrandam, calceis destituti & nudipedes viam carpebant, 2. *Sam.* XV. 30. *Jes.* XX. 2: 3. Denique. V. Reverentiæ symbolum erat, divinis omnino auspiciis susceptum, ut in locum sanctum delati, vel ad visibilem Numinis supremi præsentiam, calceos detraherent, nudisque consisterent pedibus. Qui postremus, missis jam superioribus, ritus nostram nunc exercebit industriam: in quo ita versabimur argumento, ut *sectione* I. *textuali* oracula sacra, quibus ille sua debet incunabula, Philologicis observationibus illustremus, *sectione* autem II. *rituali*, ex antiquitate Hebræa huc accersamus, quæ ad eundem rite pernoscendum spectare videntur. Faxit Deus feliciter!

SECTIO I. TEXTUALIS.

Illustria duo præsto sunt scripturæ testimonia, quibus calceorum extractionem, ab ipso imperatam Numine fuisse legimus, alterum, quo Mosi, *Exod.* III. 5. alterum quo Josuæ, *cap.* V. 15. religiosa isthæc injungebatur ceremonia. De utroque seorsim agemus.

Postquam nimirum Moses, *μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν, τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ χειστοῦ*, aulæ regiæ turbis & pompæ se subduxisset, & quadraginta fere annorum moram, in otio & secessu, apud Jethronem socerum suum, sacerdotem Midianis, traxisset, rei pastoritiæ & familiari operam navans, tandem aliquando, non sine provida Numinis directione, cum grege suo ad montem altissimum, Horeb, defertur, ibique vocationem suam, & jussa divina de liberando populo Israelitico capessit. Quod cum mirabili prorsus ac inusitata conjunctum fuit visione. Rubum enim lucidissimis flammis ardere, neque tamen detrimenti quid ex igne capere cernit, hinc spectaculi novitate in admirationem raptus, apud se constituit, propius accedere, & quicquid istius rei esset, coram contemplari. Verum istud a Deo 5. ubi prohibitus legitur: *Exod.* III. 4. facere verba ita habent. וירא יהוה כיסר לראות: *vidit vero Jehova, quod secederet ad videndum*) Verbum ראם amplissimam *videndi*, cum compositis, notionem obtinet, & ubi de hominibus usurpatur, p. visionem sensualem, quæ fit oculis corporis, p. mentalem, qualis Prophetis perquam erat familiaris, qui inde quoque ראים *videntes* audiebant, p. experimentalem notat, quo sensu idem est, ac percipere, frui, experiri. Deo vero, non nisi *ἀνθρωποπαθῶς* tribuitur, ejusque: I. Curatam, fallique nesciam, rerum omnium notitiam, *Exod.* XXXII. 9. II. Gratiosam approbationem, *Genes.* I. 4. 10. 12. 18. *&c. cap.* VII. I. III. Actuosam providentiam & curam circa homines, vel res creatas *Gen.* XVI. 13. XXII. 8. IV. Favorem ac miserationem, indeque promanantem opem & liberationem *Exod.* III. 7. *Psalm.* IX. 14. X. 14. &c. V. Cum affectu opposito, iram & vindictam divinam, designat *Ezech.* XVI. 50. *Hab.* III. 6. Hic prima verbi vis locum habet, conjuncta cum quarta, qua interiora mentis verba & animi recessus scrutabatur in Mose, cumque ille apud animum suum dixisset vers. 3. *vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*, omniscius cordium scrutator, cum perspectissima hæc sibi habuit, juxta *Psalm.* CXXXIX. 2. tum, ut accessus ille cum debita animi reverentia fieret, curavit, & saluberrimo Mosen monito instruxit & præparavit. Ut adeo hæc Dei visio, p. exactam propositi & cogitationum Mosis cognitionem, p. gratiosam, ne irreverenter ac improvide ad hoc mysterium irrueret, sibique sua culpa damnum aliquod accerseret, curam involvat. Porro, quando in

in eodem commate recurrit hoc verbum de Moſe, ſeceſſuro לראוא *ad videndum*, hinc ocularem ignis hujus miraculoſi luſtrationem, hinc curioſam, in modum cauſaſque ejus, inquiſitionem involvit, qua inſcrutabilia ſcrutari Moſes aggrediebatur. Nomen *τετραγράμματον* & *ἀνεκφώνητον* יהוה, quod copioſam, & ad rem noſtram nihil nunc facientem poſtulat tractationem, non diſcutiemus, ad Buxtorffium, Lud. Cappellum, b. Joh. Bened. Carpzovium, alioſque complures, qui multo cum eruditionis apparatu, & integris tractationibus, abunde id præſtiterunt, remiſiſſe contenti. Velut autem illud Deo vero eſſentiale, eique cum nulla creatura commune eſt, quod contra Socinianos, H. Grotium, Clericum & Reformatos quoſdam, dudum ſolide evictum dederunt Theologi noſtrates, ita hoc loco perſonaliter Filium Dei, Moſi ſe hoc ſchemate viſibili revelantem, deſignat. Denique verb. סור *recedere*, *declinare*, *divertere*, interdum ad animum refertur, eumque, ubi affirmatur, plerumque refractarium & rebellem notat, & paria facit cum cognato verbo סרר, proprie autem & primario motum de loco ad locum indicat; & hic quidem, tam de Moſis propoſito ac intentione, v. præc. 3. quam de actu, propioris verſus rubum acceſſus, adhibetur. Si ad terminum a quo referas, Moſen a loco paſturæ ſuæ, & a grege diſcedentem, ad rubum ardentem, gradum promoviſſe innuet: Velut R. Sal. Jarchi ad verſ. 3. interpretatur: מכאן להתקרב שם *hinc ad propius accedendum illuc*: quanquam uſus verbi quoque ferat, ut ſimpliciter capias, eum verſus rubum, mentem greſſuſque ſuos intendiſſe.

ויקרא אליו אלהים מתוך הסנה *& vocavit eum Deus de medio rubi.*) Verbum קרא in genere, *φωνεῖν*, *vocare*, *clamare* notat, determinate autem, pro ratione circumſtantiarum, modum & adjuncta vocationis ſ. clamoris involvit, atque, ut taceamus reliqua, partim clara & ſonora voce, præconis ad inſtar, proclamare, velut vox clamantis in deſerto *Jeſ.* XL. 3. & *cap.* LVIII. 1. publica & ſonora peccatorum increpatio deſcribitur, partim nomine quem compellare, *Ruth.* I. 24. 21. I. *Sam.* III. 4. 6. 8. 10. partim imperare, & cum autoritate aliquid edicere. *Eſdr.* VIII. 21. *Jer.* XXXVI. 9. ſignificat. Eaque tria connotata emphaſin verbi h. l. conſtituunt, ut Deum indicet, & clare ac ſonore, & diſerto nomine, & cum imperio acclamaſſe Moſen, eumque vocaſſe. Socinizat autem hic Clericus, quando *Comm. ad hoc loco* clamandi verbo addit: *organo angeli*. Qui enim apparebat in rubo, idem quoque ex rubo clamabat. Cum ergo יהוה & אלהים apparuiſſe, a Moſe perhibeatur, fruſtra miniſterium angeli ingeritur. סנה rubus, *dumetum*, ab exoleta rad. כנה, cujus propago ſupereſt apud Arabes سنا *ſiccitatem*, *ſterilitatem pati*, unde Arabici montis *Sinai* ortum trahit nomen, vel a rubi copia, qua abundat, vel quod lapides in eo inventi, expreſſam rubi figuram præferrent, adeo quidem, ut etiam in fragmentis lapidum iſtorum figuræ rubi appareant, confirmante Ephodæo, qui teſtem *αὐτόπτην* ſe jactat, apud Buxtorff. *in Lex. Hebr. b. v.* Deſcriptionem Filii Dei Moſes ab hoc rubo petit *Deut.* XXXIII. 16. ubi שוכני סנה *habitatorem rubi* appellat. Non abſurde Franc. Moncæjus *in Hiſtor. apparition. cap.* III. non rubum aliquem unicum & ſolitarium hic notari perhibet, verum rubetum totum, aut potius fruticetum, rubis, dumis, & id genus ſtirpibus affinibus, permixtim conſertum: quod ex phraſi: *de medio rubi* probat, frutice tam gracili nullum, conſideratione aliqua dignum quod ſit, ſi ſolus ſpectetur, medium habente. De fruticeto itaque condenſo aliquo fuerit intelligendum. Vocab. תוך *medium*, ſæpe tamen laxiori ſenſu, *in*, *intra* notat, nec præciſe centrum, ſ. medium, ab utroque extremo æqualiter diſtans deſignat, quin & interdum redundat, vel integro ſenſu e verſione exulare poteſt, obſervante b. Glaſſio *Philol. Sac. lib.* III. *Tr.* I. *can.* 38. *pag. marg.* 149. Quod hic locum habere cenſeo. Intra rubum Filius Dei gratioſæ præſentiæ ſuæ ſymbolum reddebat conſpicuum, adeoque ex rubo, ex hoc ſymbolo, proclamabat. Simul etiam hoc vocabulum falſitatis arguit Artapanum, qui apud Euſeb. *de præparat. Evang. lib.* IX. *cap.* 27. hanc apparitionem ita factam fuiſſe tradit, *ut repente ſuccenſus e terra ignis erumperet, qui, tametſi locus, ab omni ligno, aliaque materia igni paſcendo apta, vacuus eſſet, ardere tamen non deſineret. Quo prodigio Moſes, cum exterritus fugeret, voce divinitus immiſſa admonitus fuerit, ut in Ægyptum expeditione ſuſcepta, Judæos liberaret &c.* Quæ cum fide hiſtriæ ſacræ non uno modo pugnant.

ויאמר משה משה *& dixit, Moſe, Moſe.*) Ita nimirum, quid Dominus e rubo proclamaverit, ediſſeritur. Nomine Moſen compellat, ut attentum & dicto audientem faciat; nomenque repetit, ut ſiſteret ille gradum, nec pergeret eundo, donec divina excepiſſet juſſa. Ita nimirum fert genius linguæ ſanctæ, ut ex

Gen.

Gen. XXII. II. I. *Sam.* III. 10. &c. liquet. Christian. Schotanus *Biblioth. s. Hist. Sac. Vet. Test. tom.* II. *pag.* 17. de iterata hac Mosis compellatione ita habet: *inclamat eum Deus suo nomine bis: id ut animum perturbatum confirmaret, ut quidam volunt: potius, ut pro imperio, obsequii necessitatem indicaret: & ut ad discendum attentior sit, tanquam ad Dei tribunal citatus*. Nomen autem Mosis, unde dictum sit, & quid notet, nostrum nunc non est persequi, de quo qui plura cupit, adeat Abarbenelem in *Exod.* II. 10. *fol.* קכ: quam ejus dissertationem Latine versam exhibet Buxtorff. Fil. *Dissertationum ex Abarbenele versarum sexta*, *pag.* 486. b. Calovium *Comment. in Gen. prolegom. pag.* 108. *seq.* & *Bibl. Illustr. tom.* I. *pag.* 208. Beyerum *additament. ad Seldeni de Dis Syris pag.* 20. *seq.* Huetium *Demonstr. Evangel. Propos.* IV. *cap.* XIII. §. 4. *pag.* 288. Clericum *Comment. in Exod.* II. 10. & *Dissert. de lingua Hebraica* §. II.

ויאמר הנני *qui respondit: en adsum!* est promtitudinis, attentionis & obsequii formula, ut *Gen.* XXII. II. XXXI. II. *Jes.* VI. 8. Confer b. *Philol. lib.* III. *Tr.* V. *can.* 15. *pag.* 466. *seq.* Job. Tarnov. *in cap.* LIII. *Esaiæ pag.* 413. Nec abs re abit Rivetus *in h. l. tom.* I. *Opp. fol.* 768. indicari hac responsione animum præsentem & imperterritum. Nam cum stupenda esset visio, e medio ardentis rubi vocem audire, res fuit per se, quæ potuit terrorem incutere. Pauci sane fuerunt inter sanctos, qui audita Dei voce in visione aliqua, perterriti non fuerint. Itaque necessarium fuit, extraordinario modo Mosen fuisse præparatum a Deo, ut in tali occasione, & tali loco non fuerit expavefactus. Confer *Dan.* X. 9. *vers.* V. ויאמר אל-תקרב הלם *cui dixit* (Dominus:) *ne appropinques huc* ne propius accedas. קרב *appropinquavit*, *accessit*, accessum tam localem, eumque mox amicum, *num.* XXXI. 41. mox hostilem *Ps.* XXVII. 2. *Deut.* XX. 10. quam mentalem designat, *Zeph.* III. 2. hic autem simplicem & intransitivam, propius accedendi, vim habet, quod ex addito Adverbio locali הלם *hic*, *huc*, intelligitur, ut *Ruth.* II. 14. גשי הלם *accede huc*. Nec verba difficultate quadam laborant. De sensu autem quæritur: num absolute hęc appropinquandi prohibitio capienda sit, ne omnino accederet, sed ibi pedem figeret, ubi nunc consistebat: an conditionate, ut arceatur solum ab accessu propiore, donec solvisset calceamenta, quibus depositis integrum sit, propius accedere? Rivetus absolute intelligendam esse pronunciat denunciationem, ne appropinquaret, nempe propius, quam tum erat. Voluisse enim Deum, ut sisteret gradum, in eo loco, in quo non tam procul esset, quin videre posset vel audire, id enim ipsi necessarium erat: sed nec tam prope etiam, ut videretur velle scrutari curiosius majestatem. In eundem sensum Aben Esra exponit: הטעם עמוד במקומך ואל תקרב אל הסנה ששם האש: *sensus est: subsiste in loco tuo, nec accede ad rubum, quia ibi ignis est*. Clericus inter utramque fluctuat, & in versione conditionalem sectatur: *ne huc ita accedas, sed exue e pedibus calceos*, in Commentario absolutam: *ne huc veneris, sta in eo loco, in quo es, & calceos etiam exue, atque a te abjicito*. Nobis Adverbium locale additum, rem expedire videtur. הלום enim locum præsentem, quem quis tenet, ac pede premit, significat, ab הלם *contudit*, *obtudit*, unde Mercero dicitur הלם *quasi ubi consistit pedis percussio*. Istud autem, in sermone apparentis Domini, haud dubie locum rubi, quem symbolum divinæ majestatis collustrabat, non autem locum remotiorem, quem gradu suo tum tenebat Moses, quadam adhuc intercapedine a rubo sejunctus, designat. Ibi ergo locorum, ubi tum gradum fixerat ad vocem Domini Moses, calceos exuere jubetur, quia, quo pergeret propius ad locum apparitionis, eo sanctior sit ipsi censenda regio. Ast sepositis calceis, non in ipsum quidem dumetum se ingerere, a quo flammis & igne prohibebatur, prope tamen rubum venire & consistere par erat, ut coram velut, nec de longinquo, cum Deo colloqui, & singula exacte percipere posset. Non ergo a propiore accessu simpliciter, sed hinc a calceato incessu, hinc a dumeto ipso ärcebatur, dum integrum tamen ei esset, haud longe ab illo consistere, & visionem illam cominus conspicari.

של-נעליך מעל רגליך, *exue calceamenta tua de pedibus tuis* נשל *exuit*, *extraxit*, *decussit*, *ejecit*, remotionem & avulsionem violentam personæ vel rei, e loco suo notat, adeoque de expulsione gentium e sedibus suis *Deut.* VII. I. 22. imo & Judæorum 2. *Reg.* XVI. 6. de excussione frugum maturarum, v. g. olivarum ab arbore *Deut.* XXVIII. 40. de excussione ferri a ligno manubrii, in securi *Deuter.* XIX. 5. denique de extractione calcei h. l. & *Jos.* V. 15. usurpatur: nec est, quam hic requiras, peculiaris quædam emphasis. Porro, a נעל *clausit*, *obseravit*, *calceavit*, est nomen נעל *calceus*, pl. נעלים & נעלות ut *Jos.* IX. 5. נעלות בלות

cal-

calcei inveterati ſ. detriti. Ab eadem radice quoque מנעל dicitur, & *Deut.* XXXIII. 25. legitur: ברזל ונחשת מנעלך *ferrum & æs, calceus tuus*. Vir multæ lectionis Ant. Bynæus *de calceis Hebr. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *ſeq.* vocem נעל primo ac proprie *ſoleam* notare, ex duplici contendit ratione, I. ex origine נעל, quæ *peſſulo*, vel *ſera claudere* ſignificet, unde מנעל *ſera*, *peſſulus* fit. Idem quoque verbum *vinculo conſtringere* atque *calceare* notat, quia olim ſoleæ vinculis circa pedem ligabantur: hinc vocem נעל pro ſolea uſurpari, quaſi vinculum dicas, quod conſtringit pedem, ut quod in ſoleis præcipuum eſt, pedem vinculis conſtringere, ipſo nomine notarent: II. ex interpretum expoſitione, cum apud Jonathanem in Legem, & interpretem Hieroſolymitanum, τῷ נעל reſpondeat voc. סנדל vel סנדלא, quam ipſiſſimum eſſe Græcorum vocabulum σανδάλιον, & *ſoleam* deſignare, ex Buxtorffii *Lex. Talm.* & R. Dav. Cohen de Lara conſtet. Utut vero ad primum viri docti argumentum regeri poſſit, idem in calceum quadrare, qui corrigiis ac vinculis ſuis æque conſtringitur, ac ſolea; ad alterum, vocis סנדל notionem, apud Chaldæos & Talmudicos, communem tam ſandaliis eſſe, quam calceis, unde LXX. quoque pro voce נעל nunc σανδάλιον legunt, nunc ὑπόδημα, promiſcuum utriuſque uſum ſatis ita prodentes: certe ex uſu de vocis genuina notione æſtimandum venit, *quem penes arbitrium, eſt, & vis & norma loquendi*. Uſus vero, *calceamenti* notionem, apud Hebræos, voci נעל adeo aſſeruit, ut haud aliam præter hanc norint, qua calceum reddant. Quod enim Jeſ. III. 18. occurrit voc. עכס pl. עכסים, quod vernacula Bibliorum verſio *calceos pretioſos* reddit, ornamenta potius muliebria pedum, ſ. compedes ſunt, ut viri docti in commentariis docuerunt. Si ergo firma ſint viri docti argumenta, quibus adſtruere laborat, calceos Hebræorum ſoleas fuiſſe, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cum cetera prope nuda & teretibus habenis juncta eſſent, iſta quoque vocis notio hoc ipſo erit evicta. Sed de reipſa in *ſect.* II. videbimus. Nunc tritæ *calcei* notionis inſiſtamus. רגל a rad. רגל *obtrectavit*, *calumniatus eſt*, cum in translata & impropria acceptione varie ſignificet, hic primam & propriam *pedis* notationem retinet, tanquam ſubjecti, cui calceus ordinarie induitur & adhæret. Particula compoſita מעל *de-ſuper*, haud obſcure calceum inſinuat, cum ſi ſolea intelligenda foret, quæ infra pedem plantæ ejus ſupponitur, potius מתחת רגליך dicendum fuiſſet. Compoſitæ autem particulæ מעל ea vis eſt, ut & ſitum calcei ordinarium, quo pedem ambit, & undecunque *ſuperius* tegit, & ſitus hujus mutationem, calceique extractionem *de* pedibus, involvat.

כי המקום אשר אתה עומד עליו אדמת קדש הוא: *quia locus ille, cui tu inſiſtis, terra ſanctitatis eſt*. A rad. קום *ſtare*, *ſubſiſtere*, it. *inſurgere*, *exſurgere*, eſt nomen מקום *locus*, in quo quid ſubſiſtit, *ſpacium*, quod tenet & occupat perſona vel res, ibi locata; quæ communis ac prima vocis ſignificatio huc ita quadrat, ut proximam totam, circa rubum pariter ac circa Moſen, regionem includat. Quod loco Dei, apud Rabbinos ſæpius voc. מקום ponatur, quia loca omnia, præſentia, potentia & providentia ſua complectitur, aliunde conſtat, nec huc pertinet. Partic. עומד a rad. עמד *ſtetit*, *perſtitit*, *permanſit*, primam & propriam retinet ſignificationem, & ſitum Moſis præſentem deſcribit. Qui, ad rubum progrediens, voceque ex rubo edita, ulterius procedere prohibitus, & miraculo rei attonitus, gradum ſiſtebat, & immotus ſtabat, ad vocem acclamantem, rubumque ardentem unice intentus. אדמה *terra humus*, ab אדם *rubuit*, it. *nituit*, *pulcher fuit*, unde quoque dictus eſt אדם *homo*, quia ex terra rubicunda primum a Deo formatus eſt. Quanquam Vir πολυμαθέστατος, & Æthiopicæ literaturæ in Germania ſtator, Jobus Ludolfus in *Hiſt. Æthiop. lib.* 1. *cap.* XV. *num.* 16. *ſeqq.* accitis ex lingua Æthiopica ſubſidiis, evincere allaboret, neque *terram*, cujus minima ſit pars, quæ rubet, neque *hominem*, a rubedine denominari, ſed a perfecta & abſoluta elegantia, ceu opus creatoris abſolutiſſimum. Quæ idem *in Commentario in h. l. not.* 107. *pag.* 207. *ſeq.* copioſius perſequitur, & teſtimonio Talmudico, ex *Baba Mezia* confirmat. Unde quoque Bochartus rad. אדם de nitore, ſplendore, & candore exponit, & verba *Thr.* IV. 7. אדמו עצם מפנינים quæ alias verti ſolent, *rubuerunt oſſa præ margaritis*, ita transfert: *lucidiores corpore erant præ margaritis*. Velut autem non negaverim, verbum אדם, in & cum ſuis derivatis, notionem pulchritudinis & nitoris habere, quod ex affinibus linguis conſtat, ita viciſſim rubedinis ſignificatio, ex *Gen.* XXV. 30. *Jeſ.* I. 18. &c. in aprico eſt, ut quæ ex utriſque connotatio in derivatis prævaleat, citra omne dubium nondum ſatis fuerit demonſtratum. אדמת-קדש autem, *terra ſanctitatis*, in ſtatu conſtructo ex genio linguæ S. eadem vi ac notione dicitur, *ac terra ſancta*,

vel

vel ut *Lev.* VI. 20. מקום קדוש *locus sanctus*. Radix קדש & קדש *consecratus fuit*, *sanctus est*, & in Pi. קדש *sanctificavit*, *ad usum sacrum præparavit & segregavit*, varia complectitur momenta, sigillatim I. ab usu communi, & a reliquis sui similibus segregationem, ut de agno paschali, e grege seligendo, de vasis ad usus sacros dicatis, de primogenitis, e reliquorum sui similium censu eximendis, usurpatur: II. ad usum sacrum ac sublimiorem, mancipationem & destinationem, v. g. in sanctificatione Sabbathi, donariorum & votivorum sacrorum, & cumprimis sacerdotum: III. peculiarem ad cultum aut servitium Dei præparationem, velut quando populus *Ex.* XIX. 10. lustrationibus, pœnitentia & abstinentia sanctificari, h. e. ad rite excipiendum Dominum præparari jubetur. Quo referas, quando *Joel.* II. 15. sanctificari jejunium, h. e. non modo edici & proclamari, sed & populus rite ad illud præparari dicitur. Inde nec eodem ubivis sensu, קדוש *sanctus* & קדש *sanctitas*, *res consecrata* vel *sancta*, dicitur. Est nimirum sanctitas *alia* inhærens, quæ *vel* absoluta est, & numeris omnibus perfecta, qualis in Deo, vel in suo genere talis, ut angelorum & beatarum mentium, ex creatione, confirmatione, ac dono divino, *vel* inchoata, multumque adhuc imperfecta, quæ hominum piorum est & justificatorum, ut in scholis Theologorum copiosius docetur: *alia* σχετικὴ ac relativa, quo sensu חול *commune s. profanum*, & קדוש *sanctum*, sibi mutuo opponuntur, habito nimirum respectu, vel ad separationem e communi grege sui similium, ut populus Israeliticus, sanctus *Exod.* XIX. 6. *Deut.* VII. 7. & sanctitas Dei Ps. CXIV. 2. dicitur, quia divino beneficio, a gentibus aliis delectus & separatus, Deoque mancipatus & ejus cultui dicatus erat, vel ad destinationem ad usus sacros, prout sacerdotes, vasa sanctuarii &c. hoc elogio mactantur; vel denique ab adjuncto, quod ad loca sacra spectat. Nullus quippe locus ex se, & natura sua sanctus est, sed gratiosa Numinis electione, ad cultum destinatione, vel revelatione. Ista vero omnis vel ordinaria est, in iis scilicet locis, quæ ordinario Dei cultui dicata & consecrata erant, quo pacto Deus *terram sanctam*, in hæreditatem populi peculii, sibique ipsi asseruerat Zach. II. 12. Lev. XXV. 23. *urbem sanctam* in sedem cultus sui delegerat Dan. IX. 24. *montem sanctum* in locum quietis & commorationis suæ destinaverat *Psal.* XV. 1. XLIII. 3. XLVIII. 2. *Joel.* II. 1. Ez. XX. 40. *tabernaculum & templum sanctum* in habitaculum suum & domicilium præparaverat *Ex.* XXVIII. 29. 35. *Lev.* XVI. 2. 3. 1. *Reg.* VI. 16. VII. 50. &c. unde קדש קדשים *sanctum sanctorum* axioma suum, nomenque traxit: vel extraordinaria, quando Numen clementissimum, ad certum & breve tempus, visibili quodam præsentiæ & gratiæ suæ signo vel manifestatione, illustriorem locum reddidit, qualis Bethelis *Genes.* XXVIII. 17. montis Horeb h. l. & illius regionis, in qua ante urbem Jericho princeps exercitus Dei Josuæ apparebat *Jos.* V. 15. sanctitas erat. In summam itaque ut contrahamus, quæ dicta sunt, sensus verborum huc redit: hic ipse, quem pedibus calcas, locus, & circumjecta regio vicina, per illustrem hanc & plane singularem apparitionem & manifestationem divinam, terra sancta redditur, quæ attentionem mentisque reverentiam, Domino sese revelanti exhibendam, externis quoque venerationis signis, manifestari cupit. Andr. Masius *ad seq. loc. Josuæ* ita hæc verba edisserit, quasi diceret Dominus: *memineris, te coram Deo ipso stare, iisque, quæ & vides, & porro audies, consilium voluntatemque summi Numinis tibi declarari.*

Alter, quem huc spectare diximus, locus est Jos. V. 13. sq. Postquam enim Josua, cum universo exercitu, Jordanem miraculo exsiccatum trajecisset, gentem præputiatam solenni circumcisionis ritu, Deo initiasset, atque nunc in eo esset, ut Jerichuntem, urbem Cananææ principem, obsidione cingeret, Filius Dei, in ipso rerum gerendarum initio, oblata perquam augusta visione, simul eum & certa fiducia firmare, & ab insolente arrogantia prohibere, demum & docere volebat, non suis viribus, suaque prudentia nitendum ei esse, sed Numinis solum consilio, robore ac virtute. Is ergo cum esset ביריחו *in Jerichunte*, non certe intra urbem, quæ clausis portis, custodiisque ac præsidio munita, neminem admittebat, sed in agro Jerichuntino, æque ut *cap.* X. 10. hostes cecidisse legitur Josuæ בגבעון *in Gibeone*, h. e. in agro Gibeonitico, & oppugnandæ urbi locum opportunum ivisset forte speculatum, aut alioqui in agro suburbano versaretur, augustæ formæ heros, strictum manu ensem tenens, videndum se ipsi obtulit, & nihil tale cogitanti obviam stitit. Insolito hoc spectaculo nihil perterritus, præsentis & infracti animi imperator, audacter ad ipsum pergit, & in hæc verba, quæ aut pugnam, aut amicitiam plane decernant, eum compellat: *num noster es, an adversariorum?* Ad quæ ar-

armatus populi sui moderator respondet: *non*, vel neuter sum, quem tu existimas, nec Hebræus, neque Cananæus, imo ne homo quidem, *sed ut princeps exercitus Dei huc accessi*. Tum religione perculsus Josua, in terram venerabundus procidit, religiosumque ipsi exhibens honorem, ejus sibi jussa humillime expetit, dicens *vers.* 14. מה אדני שדבר אל-עבדו *quid* est, quod *Dominus meus loquitur ad servum suum*? Ab inusitata rad. ארן, quæ ex derivatn nom. ארן *basis*, *fundamentum*, notasse æstimatur *fulcivit*, *sustentavit*, est ארון *Dominus*, quasi sustentator & columen dictus; quod nomen frequentissime in Scripturis, cum Deo, tum hominibus, vel honoris causa, vel dominii & possessionis jure, tributum legitur. Evolvantur Lexica & Concordantiæ, quæ conferta manu loca subministrant. Hic ergo, ubi Filius Dei Josuæ se patefecerat, & quocum ipsi colloquium ac res esset, exposuerat, ipse quoque Josua religiosæ adorationis ritu jam prosecutus eum fuerat, *Domini* compellatio haud dubie, & agnitæ a Josua divinæ personæ majestatem, & honorem supremo exercitus cœlestis Duci habitum iuvolvit, humillimæque venerationis, ac obsequii symbolum, præbet. Huic Domino, apposita perquam χάριν, se submittit, tanquam עבדו *servum ejus*. Ab עבר *servivit*, *servitutem exegit*, *servire fecit*, it. *coluit*, *operatus est &c* descendit עבר *servus*, quod ubi de homine prædicatur, s. servum Dei, s. servum hominum designat, quin & improprie, demissionis & humilitatis symbolum est 1. *Reg.* XII. 7. Josua vero principis exercitus Dei servum se pronunciat, p. ratione cultus, quem fide, amore & adoratione ei deferat, p. ratione officii, quod bella Domini sub hoc imperatore strenue gerendo, se impigre executurum spondebat, p. ratione promtissimæ voluntatis, ad parendum divinis jussis, p. ratione auxilii & adjutorii divini, quod servus ipse a Domino suo, in subigenda, suisque distribuenda terra promissa, se consecuturum sperabat. Quando vero interrogat: מה מדבר *quid loquens* est, s. *quid edicit* Dominus meus? non curiose rimatur arcana Domini consilia, nec ad colloquium Messiam provocat, sed informari se ac institui cupit, in iis, quæ divinis auspiciis agere ipse debeat. דבר enim, & in Piel דבר *locutus est*, non simplicem tantum loquelam, sed cum variis interdum connotatis, & hic quidem, *cum imperio*, & *pro autoritate edicere* notat, prout par est, principem exercitus supremum imperare. Ita Gen. XII. 4. *migravit Abram* ex patria sua, כאשר דבר אליו יהוה *pro eo*, *ac ipsi præceperat Dominus:* idem *cap.* XVII. 23. post acceptum de circumcisione mandatum, mares omnes, qui ipsi erant, eopse circumcidebat die כאשר דבר אתו אלהים *quemadmodum edixerat ei Deus*: *Ex.* I. 17. timebant obstetrices Deum, nec faciebant, כאשר דבר אליהן מלך מצרים *quemadmodum præceperat ipsis rex Ægypti*: *cap.* XIX. 8. postquam Moses Israelitis omnia Dei mandata exposuisset, una omnes voce respondebant: כל אשר דבר יהוה נעשה *quicquid præcepit Dominus*, *faciemus*, *conf. Lev.* X. 5. *Num.* V. 4. 1. *Sam.* XVI. 4. &c. Eodem sensu Josua divina sibi expetit jussa, edicat Dominus quid sibi observandum, agendumve sit, quo demandata rite defungatur provincia, & voluntatem Dei exequatur. Sibi jussa capessere, & promtissimum præstare obsequium mandatis ejus constitutum esse, modo ex ipso intelligat, quid fieri velit. Quo sensu alias, 1. Sam. III. 9. 10. *Domini loqui*, & *servi audire*, relative oppununtur.

Vers. XV. ויאמר שר-צבא יהוה אל-יהושע *tum respondit princeps exercitus Domini Josuæ*. Tres sunt radices cognatæ, significatu convenientes, שור, שרה, & שרר *principatum tenere* vel *gerere*, *de principatu contendere*, unde descendit שר *princeps*, qui cum imperio & autoritate inter suos versatur, & supra alios eminet. Hinc & Deo tributum legitur, cum primis Messiæ, qui Dan. VIII. 11. שר-הצבא השמים *princeps exercitus cœlorum*, & hic, princeps exercitus Domini, salutatur. צבא enim *exercitum*, *militiam*, it. *tempus militiæ* notat, & in plur. צבאות nominibus Dei sæpissime jungitur, ipsum vero vocab. seorsim ac absolute positum, nomen Dei non constituit, quod contra Origenem ac Hieronymum Buxtorffius egregie docuit *Dissert.* V. *de nominib. Dei Hebraic.* §. 56. *seq.* Duplex autem cum detur, pro diversitate ecclesiæ militantis & triumphantis, exercitus Dei, vel ipsis testibus Judæis, qui inter צבאות מעלה *exercitus superiores*, & צבאות מטה *exercitus inferiores*, solicite distinguuntur; nihil obstat, quo minus de utroque, Christo subjecto, ejusque signa sequente intelligamus: ita tamen ut h. l. potissimum ad exercitum in terris militantem, & cumprimis ad ecclesiam Israeliticam respiciatur. Ita enim Israelitæ olim, *exercitus Dei* diserte appellabantur *Exod.* XII. 41. & VIII. 4. Unde Andr. Masius ad vers. præc. commode παραφράζει *summus populi Dei Imperator*, *cujus nutu & moderatione istæ*, *quas tu ducis*, *copiæ reguntur & gubernantur:* In quo sanius judicat Joh. Clerico,

co, qui hic, æque ac *Exod.* XXXIII. 34. & XXXIII. 14. creatum, & inferioris quidem ordinis aut poteſtatis angelum intelligendum eſſe cenſet, nec videre ſe perhibet, cur angelo, nomine Dei venienti, adorationis honor exhiberi non potuerit, modo ne quaſi Deus coleretur. Unde quoque ab Euſebio, *Hiſt. Eccleſ. lib.* I. *cap.* 2. hunc principem exercitus Dei τὸν λόγον eſſe contendente, in diverſum diſcedit. Velut autem angelum, Iſraelis ductorem, qui præivit caſtris, unigenitum Dei Filium, ipſumque τὸν Λόγον eſſe, data opera & copioſe evicit e Reformatis D. Joh. Jac. Cramerus *Theologiæ Iſraelis P.* II. *Diſp.* I. *in Exod.* XXIII. 20. *ſeq. pag.* I. *ſeq. pag.* I. *ſeq.* & *Diſp.* IV. *in Ex.* XXXIII. *&* XXIV. 5. *ſeq. pag.* 247. idque ipſis Judæorum ſuffragiis ita munivit, ut quid ſub veri quadam ſpecie reponi poſſit, non videam: ita ſuccinctas hujus loci, ſed ſolidas omnino adornavit vindicias b. Calovius *To.* IV. *Syſtem. Theol. pag.* 128. *&* 252. eumque divini exercitus principem, Filium Dei eſſe demonſtravit, Dominum exercituum, quem omnes angeli, ceu ducem ac Dominum ſuum venerantur *Pſ.* XCVII. 7. *Hebr.* I. 7. Perquam autem abſurde, ex his ipſis verbis probare ſatagit Maimonides *in More Nevochim P.* II. *cap.* 42. iſtud omne, quod hic de Joſua narratur, *in viſione prophetiæ ipſi contigiſſe, quia in fine negotii dicitur, quod fuerit princeps exercitus Domini.* Hoc ſane ipſum eſt, unde contrarium intelligas. Nemo enim, ex creatorum angelorum ordine ac cenſu, princeps dici poteſt univerſi exercitus Domini, qui ſub nullius, præterquam τῷ λόγῳ ſignis militat. Et falſum omnino eſt, quod ibidem ſupponit, ac edocere nititur toto iſto cap. Maimonides, quod quando alicui angelus revera apparuiſſe vel locutus eſſe dicitur, iſtud omne de viſione prophetiæ intelligendum veniat. Sæpiſſimt namque angelum fœderis increatum Mal. III. I. in V. T. apparuiſſe, nec in phantaſia hominum piorum, ſed viſibili ſpecie ac ſchemate indutum oculis ipſorum ſe exhibuiſſe ac objeciſſe, ex curata liquet diſcuſſione locorum, quæ tales viſiones exponunt. Equidem R. Levi ben Gerſom *Comm. in b. l.* idem cum Maimonide tenet, iſtud omne in viſione prophetica Joſuæ oſtenſum, non autem revera & actu ita fuiſſe geſtum, ut hic deſcribitur: ſed ex alia longe ratione, quam prolixe huc arceſſere & profligare, ab inſtituto noſtro eſt alienum.

Reliqua textus verba, cum ſuperiori Exodi dicto, ex aſſe conveniunt, niſi quod illic אדמת-קדש dicitur, hic ſimpliciter legatur קדש הוא *ſanctitas eſt*, & qui illic omittitur, hic adjiciatur eventus, his verbis:

ויעש יהושע כן: *fecitque Joſua ſic* עשה amplisſimum *faciendi*, *parandi*, *acquirendi*, *curandi*, *aptandi* &c. notionem habens, exactam hic relationem involvit, ad præcedens Domini mandatum, & Joſuæ obſeqnium, Domini juſſis curate ac impigre reſpondens, deſignat. Quod confirmatur Adverbio comparativo כן addito, quod a rad. כון *aptare*, *formare*, *diſponere*, derivatum, quando adverbialiter uſurpatur, vel præcedenti particulæ כ, כמו, כאשר &c. προτάσεως, ἀπόδοσιν reddit, *tale*, *ſic*, *ita*, *ſimiliter* &c. vel abſolute poſitum, ad univerſam refertur præcedentem narrationem. Quod hic loci obtinet, ut ſenſus ſit: quæcunque Dominus juſſerat, ea promte ac alacriter ita executus eſt Joſua, ut obſequium, quantum quidem humanæ datum eſt fragilitati, hero ſuo probaret. Complectitur ergo hæc phraſis. I. Joſuæ ad obſequendum promtiſſimam voluntatem, qua nihil moratus, quid ogganniret cœca ratio, nec in ritus demandati cauſas ſcrupuloſe inquirens, ad extrahendos calceos, e veſtigio ſe accinxerit. II. Factum ipſum, ad juſſum Imperatoris ſupremi compoſitum. III. Junctam externæ actioni reverentiam animi, qua religione viſionis motus, humillimum Domino præſenti atque conſpicuum ſemet reddenti, cultum exhibuit: IV. ſeque totum imperio ſupremi exercitus duci mancipavit, ut quæcunque poſt hæc expedienda ſibi gerendaque forent, non niſi divino nutu, auſpiciis ac virtute ageret.

Ita quidem diſcuſſis, quæ ad literam textuum intelligendam faciunt, ſuccedit.

SECTIO II. RITUALIS.

I. **M**Oſen & Joſuam, ordinarie calceatos inceſſiſſe, ex his locis patet, quibus calceos exuere & deponere, cum nihil tale antea cogitaſſent, nec eum in finem calceos induere potuerint, jubentur. Idque ex recepto apud Judæos more, quibus Græcorum & Romanorum poſthæc reſpondit conſuetudo, ut paſſim in communi vita, calceos induti, egrederentur. Accedit, quod prior in itinere, poſterior præterea in expeditione bellica verſaretur, quæ utraque ratio calceos denuo requirebat. Iter enim facientes, pedes adverſus aſpera viarum calceis muniebant, quod ex *Exod.* XII. II. *Deut.* XXIX. 9. *Joſ.* IX. 5. 13. patet. Et caſtra ſequentes, ſive expeditionem ſu-

fuſcipientes, pedum ſecuritati calceis æque proſpiciebant, ut ex I. *Reg.* II. 5. ex *Jeſ.* V. 27. ubi exercitus armatus, & calceis inſtructus deſcribitur, & ex cit. Joſuæ loco, intelligitur. Quod enim Scipioni, Catoni, Germanico, & Phocioni, apud Plutarchum & Tacitum, laudi datum eſt, quod etiam in caſtris, retectis pedibus eſſent, id ad Hebræorum mores nihil facit, & inter ſuos quoque, tanquam inſolitum & ſingulare, fuit obſervatum. Sed & in communi vita, quod dixi, calceorum uſus in populo Dei paſſim obtinuit. Jeſaias enim a Deo jubetur, in ſignum, quod omnes admirentur, & portentum futuræ calamitatis, excalceatus incedere *cap.* XX. 2. quod neminem in admirationem rapuiſſet, niſi novum & inſolitum fuiſſet, pedibus nudis ambulare. Et Amoſi VI. 8. pauperes pro calceamentis ſuam vendidiſſe libertatem non legerentur, niſi quotidiano in uſu, etiam apud egenos, fuiſſent calceamenta: quo etiam facit *Syr.* XLVI. 22. Quin & univerſus ille ritus, *Ruth.* IV. 7. memotus & perantiquus, ad confirmationem contractus ſive in redemtione, ſive in permutatione, ut vir extraheret calceum ſuum, daretque alteri, locum habere non potuiſſet, niſi calceis promiſcue ac ordinarie Hebræi fuiſſent uſi.

II. Verum autem hic vellicat ſupra laudatus doctiſſimus Bynæus inficiatus omnino, calceos geſtaſſe Hebræos, nudas ipſi ſoleas relinquens. Ut fidem ſententiæ conciliet. I. Vocab. Hebræum נעל urget, quod aptiſſime in ſoleam quadrat, a ligando & vinculis conſtringendo dictum. II. promiſcuum apud LXX. & Joſephum, uſum vocum, τὸ ὑπόδημα & σανδάλιον. III. morem pervetuſtum, ad menſam accubituris, maxime hoſpitibus, pedes lavare, aut ad hos uſus, aquam præbere *Gen.* XVIII. 4. XIX. 2. *Luc.* VII. 44. cujus moris origio ex ſoleis Hebræorum ſit arceſſenda. Scilicet, cum ſoleis uterentur priſci Hebræi, quæ plantam pedis ſolummodo tegerent, cum reliqua pars nuda eſſet, & teretibus juncta, fieri vix potuit, quin pulvere atque luto macularentur pedes, quos lavare primum officium fuit. Ut autem ſpecioſe iſta dicantur, tanti tamen non ſunt, ut in aſſenſum nos rapiant. Vocem quippe נעל calceum non minus, quam ſoleam notare poſſe, paulo ante obſervavimus, quod illa, vi etymologiæ ſuæ, non prolixos lororum nodos, tereteſque requirat habenas, quas ex hypotheſi toties inculcat Bynæus, ſed clauſum quid deſignet, a נעל *clauſit*, quocunque inſtrumento, ſ. ſera, ſ. peſſulo, ſ. corrigia. Unde *Jud.* III. 23. & 2. *Sam.* XIII. 18. de clauſis & obſeratis foribus, *Cant.* IV. 12. de horto clauſo legitur; & מנעל *ſera* eſt, ubi fruſtra lora ſomniaveris & habenas. Calcei ergo cum claudantur corrigia, quæ in proverbium rei viliſſimæ, & exigui admodum pretii, Abrahami jam ætate abjerat, *Gen.* XIV. 23. & poſthæc quoque in uſu erat *Jeſ.* V. 27. nulla prorſus neceſſitas cogit, quæ ſoleas, earumque lora evincat. Nec ſecus ſe res habet cum vocabulis ὑποδήματος & σανδάλιϛ, quæ promiſcue uſurpantur, & nunc de ſoleis, nunc de calceis cavis adhibentur, quod vir doctiſ. ipſe *eod. cap.* 9. *ſeqq.* propugnat, & lectio tam Novi Fœderis, quam profanorum ſcriptorum confirmat. Nec σανδάλιον ſ. σάνδαλον præciſe ſoleam notat, quod Bynæus contendit, ſed teſte Heſychio, calceamentum muliebre, unde ap. Lucianum Hercules legitur παίεσθαι τῷ σανδαλίῳ ab Omphale: hinc ad virorum quoque habitum translatum eſt: & ὑπόδημα, licet ab ὑποδέω, *ſubligo*, *ſubtus ligo*, derivetur, calceamentum tamen æque ac ſoleam deſignat, & ὑποδέσθαι paria facit cum Hebræorum verbo נעל, calceare ſe, ſ. calceari. Nihil ergo hinc ſolidi ac firmi elicueris, ad evincendas Hebræorum ſoleas: maxime cum Joſephus & LXX. interpretes, ad quos provocat Bynæus, his vocibus eo uterentur ſenſu, quo paſſim ſuo ævo veniebant; ubi calcei cavi jam in uſu erant. Unde ſi tempus & operam ludere, animus eſſet, hoc ipſum ex Græcis translatorum vocabulis depromtum argumentum, contra ſententiam Bynæi, eodem vigore intorquere poſſem, quo ab ipſo pro ſua hypotheſi urgetur. Denique circa rationem tertiam, ex more lavandi pedes, ante epulas, committitur elenchus non cauſæ, ut cauſæ ſi cum Philoſophis loquamur. Copioſe hunc morem perſequitur, & exemplis ex omni antiquitate, tam ſacra quam profana, illuſtrat Joh. Guil. Stuckius *Antiquit. Convivial. lib.* II. *cap.* XXXIII. ejus tamen originem ad ſoleas, ab Hebræis geſtari tantum ſolitas, nullo indicio refert. Sed duplex fuit cauſa, cur pedes lavarent accubituri, idque humanitatis officium præſtarent hoſpitibus, cumprimis peregre venientibus: altera refectionis, altera munditiei. Cum enim in Aſia, totoque Oriente, ex inſigni calore pedes dolerent, & æſtu inflammarentur iis, qui in aprico inceſſerant, aut iter fecerant, in refectionis parte habebatur, frigida perluere pedes, itineris labore laſſos & calidos, æſtumque temperare, ne inter epulandum, dum cibo reficeretur corpus, & ſalibus ac feſtivis colloquiis paſce-

ſceretur animus, dolore vel æſtu pedum cruciaretur hoſpes. Præterea in accumbendi ritu, non abditos ſub triclinio pedes habebant, ut nobis moris eſt, qui ad altiores aſſidemus menſas, verum expoſitos, & in propatulo jacentes. Ne ergo vel nauſeam moverent cibum capientibus ſordidati calcei, vel inquinarent luto aut pulvere adhærente ſive accumbentes, ſive miniſtros, exuebant eos ac ſeponebant, pedibuſque nudis, iiſque puris ac bene lotis, quin & interdum unguento delibutis, accumbebant: unde in promtu erat peccatrici Luc. VII. 38. Chriſti pedes, utpote nudos, lacrymis rigare, & crinibus ſuis abſtergere. Quod de Romanis certe, egregie probatum dedit Ben. Balduinus *de calceo antiq. cap.* II. edit. Amſtel. A. 1667. *pag.* 105. *ſeq.* Tantum itaque abeſt, ut pedilavii ante menſam conſuetudo ſoleas evincat, ut circa utrumque potius calceamenti genus, tam quod plantam tantum, quam quod integrum muniret pedem, locum habuerit.

III. Quamvis itaque omnem ſolearum uſum Hebræis veteribus denegare nolimus, præter illas tamen, calceos quoque cavos geſtaſſe, qui pedem ſuperius tegerent, firmiter habemus perſuaſum. Ea equidem nobis non ſuppetunt, ſive ex nummis, ſive ex gemmis, ſive ex marmoribus & ſtatuis, antiquitatis ſubſidia, quæ calcei Hebræi figuram, rationem ac modum, plane edoceant, qualia Græcorum ac Romanorum præſto ſunt monumenta, cum tot iteratæ gentis Judaicæ clades, quibus in homines non modo, verum in omnem etiam ipſorum ſupellectilem, imo & in memoriam ſævitum fuit, illa ætatem ferre, & ad noſtra perdurare tempora prohibuerint: res ipſa tamen rationibus haud contemnendis demonſtrari poſſe videtur. Quarum *prima* ex pervetuſta calceorum ad pedem applicatione de prompta eſt. Verbum שלף enim, *extraxit*, *detraxit*, *ſtrinxit*, proprie extractionem e theca cava, ſive receptaculo, quo undique claudebatur & tegebatur, ſignificat. Sic adhibetur de gladio, qui e vagina extrahitur *Jud.* III. 22. VIII. 10. 20. XX. 2. 15. 1. *Sam.* XVII. 51. &c. item, de jaculatore ſagittam extrahente e pharetra *Job.* XX. 25. Hinc חרב שלופה eſt *gladius evaginatus* ſ. ſtrictus, *Num.* XXII. 23. Hoc itaque verbum, calceo exuendo appropriatum, extractionem pedis e receptaculo ſuo, quaſi e vagina, hoc eſt ex calceo, ſuperius ac inferius pedem ambiente & tegente involvit, nec nudas ſoleas, ſed calceos cavos plenoſque neceſſario ſupponit, ac requirit, quando *Ruth.* IV. 7. legitur: *mos autem iſte erat olim in Iſraele, in redemtione, & in permutatione, ad confirmandum omne negotium,* שלף איש נעלו ונתן לרעהו *ut extraheret vir calceum ſuum, & daret alteri &c.* id quod eodem verbo cognatus Elimelechi verſ. 8. feciſſe legitur. Fruſtra id applicueris ad ſoleam, cui nec immittitur pes, nec effertur vel extrahitur, ſed quæ ſolutis habenis ultro a planta pedis decidit. Eadem fere vis verbi חלץ eſt, quod *extrahere*, *eruere*, *exuere*, ſonat, & ſive proprie, ſive figurate pro liberatione ex periculis & ærumnis, accipiatur, extractionem tamen ex eo, quod undique cingebat, innuit, v. g. lapidis ex muro, *Lev.* XIV. 40. 43. animæ ex mortis faucibus, *Pſ.* CXVI. 8. Hinc חליצה pl. חליצות *exuviæ*, 2. *Sam.* II. 21. *Jud.* XIV. 19. מחלצות *veſtes mutatoriæ Jeſ.* III. 22. *Zach.* III. 4. *Pedem* ergo calceo, ex omni parte ambienti, inſertum & velut incluſum, *extrahere* notat, quando de exuendo calceo *Deut.* XXV. 9. 10. *Jeſ.* XX. 2. uſurpatur; quod denuo de ſolea commode vix dicere queas. Quæ facili negotio uberius declarari & pingi poſſet ratio, niſi ſua ſtatim radiaret luce. *Alteram* Chaldæorum & Rabbinorum ſuppeditat explicatio. Quamvis enim in utroque textu noſtro, Targum vocem סין adhibeat, a סין & סין vel סאן *lutum*, *cœnum* deſcendentem, quæ munimen pedis, quo lutum platearum calcamus, *calceum quemvis* deſignat, nihil tamen Rabbinis frequentius, eſt quam בית הרגלים *domum pedum* pro calceo dicere, quia pes in calceo, velut herus in domo ſua habitat & commoratur, quod in ſoleam nudam plane non quadrat; & Talmudici, ex Chaldæorum dialecto אפנתא h. e. *obſtragulum*, *ſuperiorem partem calcei*, per Synecdochen partis, pro calceo integro ponunt, quando eod. *Taanith. fol.* 12. *col.* 2. legitur כי מסיימי אפנתא *cum eſſent induti calceis &c.* quod locum haberc omnino nequit, niſi ſuperius quoque tectum Hebrææ genti calceum vindices. Chaldæus itaque paraphraſtes, quando *Ruth.* IV. 7. 8. pro Hebræo נעל habet נרתיק יד ימיניה *vaginam* vel *chirothecam manus ſuæ dexteræ*, manifeſtum quidem in eo committit errorem, quod manum in pedem, calceum in chirothecam, tranſmutat, cum tamen manui nuſpiam, ſemper autem pedi, נעל quotieſcunque occurrit in Scriptura, applicari legatur: in eum tamen errorem, ſimilitudine officii & formæ utriuſque, inductus, videtur, quod qualis eſt נרתיק vagina, vel theca manibus, talem pedibus præſtet calceus, undique ſcilicet pedem ambiens, & ſuperius inferiuſque, ut

ut manum chirotheca, tegens & claudens. נרתיק enim, Buxtorffio *in Lex. Targum* interprete, est *theca*, *vagina*, *arca*, *res qualibet cui aliquid includitur*, calceo cavo, non soleæ designandæ respondens. *Tertia* provocamus ad I. *Reg.* II. 5. ubi David indignabundus de Joabo memorat, quod Abnerum filium Ner, & Amasam filium Jether occiderit, effuderitque sanguines belli tempore pacis, & posuerit sanguines belli in cingulo suo, quod circa lumbos ejus, ובנעלו אשר ברגליו *& in calceo suo, qui in pedibus ejus erat.* Conspersisse vult, sanguine occisorum, tam balteum & vestimenta sua, quam calceos pedum, & in utrisque cruenta cædis indicia secum circumtulisse. Pone hic soleas, & nihil vel salsum dixerit David, cum solearum ultra plantam tantam tanta non promineret crepido, quæ maculas sanguinis recipere, & cruentas ostentare posset cædis notas: calceum autem cavum diserte locus evincit, cujus obstragulum s. partem superiorem, sanguis occisorum large perfuderat, iisque maculis sicarium prodiderat. *Quarto* urgemus *Jes.* XI. 15. ubi Deus pollicetur, se ita exsiccaturum Euphratem, והדריך בנעלים *ut calcet eum* quilibet *calceis*, h. e. simplice & intransitiva significatione, ut calcari calceis & vado transiri possit, tanquam vel totus, vel majorem partem exsiccatur. Hujus nec loci est, nec instituti, sensum vaticinii operose eruere & tradere, quem qui cupit, adeat commentatores: nobis nunc sufficit observasse, phrasin illam de calceis cavis, non de soleis exponi posse. Ubi enim exsiccatur flumen, tam grande quidem atque limosum, quale Euphrates, udum manet solum, & paludosa humus, ut soleis transiri non possit, sicco pede, bene autem calceis cavis, qui pedem muniunt, ne aquis vel sordibus inquinetur. Plura, præsertim ex Novo Instrumento addere argumenta, supersedemus, cum & hæc æquis lectioribus satisfactura censeamus, & Christi ac Apostolorum tempora, a Mosis vel Josuę ętate, nimis grandi temporum intercapedine & hiatu disjungantur, ut parum ad rem nostram, quę ad ultimam spectat antiquitatem, facere videantur.

IV. Homines ergo Hebræi, qui calceorum usui erant adsueti, quando calceos exuere, & discalceati consistere vel incedere jubebantur, peculiarem eamque sonticam subesse oportuit causam. Quæ quidem in utroque textu nostro in sanctitate loci ponitur, quæ calceorum sordes respuat, nudosque & puros requirat pedes. Quicquid est istius rei, magni nominis apud Hebræos interpres, Don Isaac Abarbanel, *Comment. in Exod. fol.* קל *col.* 4. in meras transmutat allegorias, quasi Deus demandata calcei extractione, tam Mosen quam Josuam docere voluerit, frustra utrumque esse, cum carnalibus suis consiliis & cogitationibus, quas ille de liberanda & educenda ex Ægypto gente sua, hic de capienda urbe Jerichuntis, virtute humana & naturali modo, secum volverent: Quin imo exuendas esse & deponendas curas istas, *quia locus iste sanctus, s. terra sancta est*, h. e. negotium, quod uterque intendat, ענין אלדי ומושגח הוא: *est opus divinum, & a providentia divina perficiendum.* Istud tamen quam coactum, & longe sit quæsitum, ac ideo a textus historici simplicitate alienum, nemini non patet. Paulo exactius Rab. Bechai in ביאור על התורה *fol.* סה *col.* I. *fin. &* 2. pericopam Exodi exponere gestiens, triplicem copiose edisserit sententiam, ita ut juxta sensum literalem admoneatur Moses, de exuendis calceis, propter sanctimoniam loci, & ne leviter vel arroganter attollat caput suum coram majestate divina, juxta id, quod infra ipsi dicitur *Ex.* XXIII. 21. porro, ut secundum sensum mysticum & spiritualem admoneatur, ut exuat & a se deponat החומריות *materialia s. corporalia*, & quicquid ad animalem pertinet hominem, quo capax fiat prophetiæ, & lumen intellectus consequatur: demum secundum sensum Cabbalisticum, ut innuatur, majestatem divinam duplici modo revelari, in igne nigro & in igne albo, eo quod complectitur illa tam judicium, quam misericordiam &c. Præterea hoc pacto Mosi declarari, quod in loco isto promulganda olim lex sit, scripta igne nigro in superficie alba, unde verba illa אדמת קדש idem velle ac אדמת שמוכה לקדש: *terram, quæ propinqua sit sanctitati*, eamque esse montem Sinai, de quo scriptum legitur *Psal.* LXVIII. 18. *Dominus in illis*, (Deus) *Sinai in sanctuario.* Hæc ille, qui licet in sensu literali sat prope accedat ad scopum, in ceteris tamen longius deflectit. Apud R. Salomonem, & R. D. Kimchium, quin & in *Jalkut Schimeoni* frustra requires, quæ ad rem nostram faciant. Philo Judæus περὶ φυγάδων *pagin.* 370. ab Abarbanelis commentis haud procul abit, prohibitum Mosis accessum interpretatus, ac si dixerit Dominus: μὴ πρόσιθι τοιαύτῃ διασκέψει, *ne accedas ad talem cogitationem*, ut rerum causas, humano intellectu eruere & scrutari te posse confidas: περιεργείας γὰρ καὶ φιλοπραγμοσύνης μείζονος ἢ κατ' ἀνθρωπίνην δύναμιν τὸ ἔργον, *nam huic curiositati*

sa-

satagenti humanæ vires non sufficiunt; porro, locus, in quo stas, sanctus est: ποῖος τόπος; ἢ δῆλον ὅτι ὁ αἰτιολογικὸς, ὃν μόνον ταῖς θείαις ἀνῆψε φύσεσιν, ἄνθρωπον οὐδένα νομίσας ἱκανὸν εἶναι αἰτιολογίας ἐφάψασθαι κ. τ. λ. *qualis locus? nimirum ad rationes causarum pertinens, qui tantum divinarum naturarum est, quod Deus neminem mortalem dignetur causarum notitia &c.* Pariter Josephus Ἀρχαιολογ. *lib.* II. *cap.* XII. rem gestam omnem eo refert, quasi Deus curiositatem Mosis hoc velut symbolo reprimere, & ne ulterius scrutaretur, prohibere voluerit, novum addens, de loci sanctitate commentum, quod mons ille celsissimus, licet pascuis esset commodissimus, herbis utpote optimis & saluberrimis abundans, inaccessus tamen manserit, nunquam ante depastus, διὰ τὸ δόξαν ἔχειν, ἐνδιατρίβειν αὐτῷ τὸν θεὸν, οὐ τολμώντων ἐμβατεύειν εἰς αὐτὸ τῶν ποιμένων, *quod vulgo persuasum haberent, Dei numen ibi habitare, unde religio fuerit pastoribus, in illum ascendere*. Unde & Deus, τὸ τε θάρσος αὐτοῦ, τολμήσαντος παρελθεῖν εἰς χωρίον, εἰς ὃ μηδεὶς ἀνθρώπων πρότερον ἀφῖκτο, διὰ τὸ εἶναι θεῖον, ἐσήμαινε, καὶ συνεβούλευεν, τῆς φλογὸς ὡς πορρωτάτω χωρεῖν, καὶ ἀρκεῖσθαι μὲν οἷς ἑώρακεν, ἀγαθὸν ὄντα καὶ μεγάλων ἀνδρῶν ἔκγονον, πολυπραγμονεῖν δὲ μηδὲν τούτοις περισσότερον, *& temeritatem ejus reprehendit, qui non sit veritus, locum sacrum, adeoque hominibus hactenus inaccessum calcare, & consuluit, ut quam longissime a flammis abscederet, & sibimet quidem hac visione satisfaceret, non indignus ea, propter suam ac majorum suorum virtutem, habitus, ceterum ulterius nihil curiose inquireret*. Franc. Moncæjus *loco supra cit.* hanc Josephi, de sanctitate montis, traditionem sub examen vocans, bene observat, *eum propius ethnicorum sensui & moribus accommodare se voluisse, utpote quibus Græce antiquitatum suarum libros peculiariter scriberet*. Sic etenim ethnicos sensisse & locutos fuisse de plerisque suis montibus & lucis: imo & visa sylva aliqua, situ & vetustate paulo horridiore, & præter modum opaca, religione fere tactos fuisse, Dei alicujus domicilium esse, conjecturam hinc ducentes: quod veterum Poetarum testimoniis confirmat, Josephi autem additamentum illud ex ipsis sacris literis refellit.

V. Ita quidem Judæorum Magistri, de discalceatione injuncta, locique sanctitate, & quæ imperii hujus causa sit, commentantur. Christianorum nunc audire juvat sententias, quas in compendium missas, Christ. Schotani *loc. cit. pag.* 17. verbis exhibemus: *quod autem calceamenta exuere jubetur, id varie accipiunt interpretes. Nam primo, inferiores affectus subjici debere rationi. Hos scilicet ad terram & terrestria depressos esse. Secundo, mortua opera deponenda esse, quia calceamenta fiunt e pellibus animalium, quamvis Hebræi Mosis calceamenta, quibus in solitudine utebatur pastor, straminea s. juncea fuisse velint, uti notat D. Rivetus. Tertio, significari vincula cupiditatum terrenarum, quia calceamenta corrigiis vinciuntur. Quarto, argumentorum formulas & syllogismos, quos ratio humana torquet adversus doctrinæ cœlestis veritatem. Quinto, quiescendum esse in tractatione rerum cœlestium, illique indormiendum. Nam cubitum euntes, calceos deponunt. Sexto, juri suo eum cedere debere, seque totum Deo tradere, qui ad eum accedit: quemadmodum calceum tradebat, qui cognati uxorem & hæreditatem cedebat alteri. Septimo, puritatem animi corporisque requiri in eo, qui Deo appropinquat. Nam calceamentis sordes & pulvis inhærescunt. Octavo, quod Theodoretus etiam de quorundam opinione refert,* ἵνα γυμνοῖς τοῖς ποσὶν ἁγιάσῃ τὴν γῆν. *Ultimo, notari, quod in cultu Mosaico & templo nudis pedibus ministrandum esset.* Ipse paulo post mentem suam ita expromit Schotanus, ut Mosen, pedem nudare, & nudo pede terræ insistere, jussum existimet, *ob loci reverentiam & Dei. -- Subjectio simul fuit, & summæ humilitatis demissio: unde se composuit in eum morem, quo solebant sacra facturi*. Verum, sacra facientes, ea quidem tempestate calceos deposuisse nudosque incessisse, nunquam probabit Schotanus. Andr. Masius, Josuam calceamentum exuere, nudisque pedibus insistere, jussum tradit, *ut ipsius mens religione percellatur, promoveaturque etiam atque etiam præsentiæ majestatis divinæ opinione, ac proinde attentior sit ad visionem, tanquam rem divinam expendendam cogitatione, & secum diligenter pertractandam, tum verba, sicut Dei oracula, penitus percipienda, & ut verissima certissimaque amplectenda; quæ alioqui vanissimis somniis similia videri, & proinde neglecta excidere facile potuissent*. Ita pariter Jacobus Salianus *Annal. Vet. Test. ad A. O. cap.* 25. 43. *num.* XXXVIII. *tom.* II. *pag.* 35. ad attentionem & venerationem Mosis excitandam, id omne accommodat: *monebat ergo*, inquiens, *Dominus Mosen, ne curiose, aut parum religiose, ad divinum miraculum perscrutandum accederet, sed persuasum haberet, arcanum quiddam, ac divinis plenum mysteriis apparari, quæ summam reverentiam ac venerationem exigerent*. Ceteri Pontificii passim, ut Isidor. Clarius, Guil. Estius, Joh. Menochius, Jacob. Tirinus, mandatum de exuendis

cal-

calceis ita intelligunt, ut majori veneratione Moses ad illum accederet locum, quem Deus jam sua præsentia sanctificaret: addit quoque Tirinus, ex Nazianzeno, Epiphanio, Nysseno, Procopio & Bernardo, moralem aliquam significationem, *eum, qui per orationem, vel contemplationem, vult accedere ad Deum, debere & maxima reverentia id facere, & carnales omnes curas cogitationesque, ac mundi affectus, seponere.* Ab his vero, cur in diversum discedat, idoneam satisque prægnantem se reperisse causam, credit Didacus del Castillo & Artiga, *de ornatu & vestibus Aaronis, in* cap. XXVIII. Exod. vers. 37. illat. 261. pag. 433. b. hunc injiciens scrupulum, cur Deus, licet toties posthæc Mosi apparuisset, nunquam tamen, perinde ut hic loci, servo suo præcepisse inveniatur, pedes exuere calceis? Hinc urget: si calceamenta deponere, cultus & religionis exhibebat signum, cur idem Deus, cum e rubo loquitur, cultum ei præcepit, & religionem exegit, quam non postulavit, cum in cacumine montis Sinai Mosi apparere, dignatur? *utrobique idem est Deus: ergo idem cultus & veneratio ei debetur? Quare ergo in rubo, majori cultu venerari, quam in monte, desiderat Deus?* Quod ipse dubium ita solvit: *quia Deus in medio rubi apparens, divinum verbum intra semper Virginis Mariæ claustra, cujus erat typus, præsignabat. Ut ergo, quanti Dei Filius sacratissimam matrem faceret, ostenderet; majorem cultum in rubo existens exegit, quam in vertice montis, quando legem populo sanciebat: quia rubus typus erat Mariæ, & ubi Maria adhuc figurate est præsens, majori reverentia venerari vult Deus, quam si ea abesset. In montis vertice, quamvis tonitrua, fulgura, & ignis, Dei majestatem tremendam exprimerent; illic tamen Deus erat sine matre. Quid ergo mirum, quod tremendus appareat, & quod ritum deponendi calceos, non intimet in signum venerationis & cultus? at cum in rubo divinitatis fulgeret celsitudo, saltem in typo aderat Maria: merito ergo religiosior cultus, ferventior devotio, & sacratior reverentia exigitur. Quia ubi Verbum matris gaudet consortio, majorem petit reverentiam, etsi in figura, & in umbra mater sit, quam si solus esset.* Hæc Complutensis Doctor Theologus, Chlamyde Malacitana condecoratus; primarius liberalium artium publicus Professor, & S. Theologiæ sæpe publicus Regens: tum in alma Abulensi Ecclesia S. Scripturæ Canonicus Magistralis, sanctæ Inquisitionis fidei Censor: tandem Carthaginensis primo, deinde Truxillensis Ecclesiæ, in partibus Indiarum, Antistes: qui unus inter suos tam fuit oculatus, ut Mosen, ob majorem typi Mariæ reverentiam, calceos exuere jussum perspiceret. Sane, quod alii, per calumniam suæ impingi Ecclesiæ, clamitant Romano-Catholici Doctores, ac si pari, cum Deo, vel religiosiori etiam cultu prosequantur Mariam, ejus confessum hic habemus reum. Nimirum, ubi Deo, vel in figura saltem ac in typo, adest Maria, ibi *merito religiosior cultus, ferventior devotio, & sacratior reverentia exigitur,* quam ubi solus apparet. Etsi vero me non fugit, esse in Patribus, qui rubum ardentem, ceu typum ac figuram, ad incarnationem Christi transtulerint, quæ tamen inde emergit consequentia: *ergo Verbum ibi matris gaudet consortio, & majorem petit reverentiam, quam si solus esset?* Num enim tum adfuit τῷ λόγῳ Mater ejus? non sane αὐτοπροσώπως, quia multis demum seculis post, mundum conspexit: sed nec in figura & umbra, quia istæc accommodatio typica nullo scripturæ testimonio, nec divina gaudet autoritate, sed privato tantum ac proprio doctorum quorundam veterum ingenio nititur, & est ἰδίας ἐπιλύσεως 2. *Petr.* I. 20. Ergo nec aliter τῷ Λόγῳ in ista apparitione adfuit Mater ejus in typo & figura, nisi in cerebro privatorum doctorum, qui repræsentationem illam typicam excogitarunt. Quid autem fiet de discalceatione, Josuę iisdem fere verbis demandata, ubi typi Mariæ nulla subesse potuit ratio? Hanc enim sub viri armati schemate adumbrari, non nisi absurde dixeris: ast eandem reverentiæ & cultus testificationem exigit ab eo Filius Dei. Hinc studioso silentio hunc locum, ex asse parallelum, premit Mariolatra, ne propria cædere cogatur vineta. Huic nihilominus tam lubrico fundamento tanta superstruitur hujus cultus moles, ut Mariam vel supra Dei Filium, benedictum in secula, extollant, vel majorem cultui τῦ Λόγυ reverentiam & religionem addant, si vel in umbra Filio suo adfuerit Maria, quam ubi ille est solus. Judicent hinc, quibus Dei honos, & reverentia oraculorum scripturæ, *Jes.* XLII. 8. XLVIII. 11. *Philip.* II. 9. 10. 11. curæ cordique est: nos autem in orbitam redeamus.

VI. Ex variis istis, tam Judæorum, quam Christianorum sententiis liquet, in enucleando discalceationis imperatæ ritu, geminam doctores iniisse viam, literalem aliam, quæ verbis textus pressius inhæret, aliam mysticam, qua, ex demandato actu, intelligendum aliquod sive mysterium, sive monitum esse, edocerent.

Quid

Quid autem obſtat, quo minus utramque jungamus, & Moſen æque ac Joſuam, calceos exuere juſſum dicamus, *primo*, ut cum reverentia & animi humilitate, non tanquam ad naturale quoddam ſpectaculum, ſed ut ad Deum, ſibi manifeſtatum & loquentem, accedere diſcerent locumque propter hanc patefactionem divinam, & quoad illa duraret, ſanctum reputarent, qui externis ſymbolis conſpicuum ac perceptibile redderet Numen, nec mente profana vel oſcitante, ſed animo ad cultum & venerationem Numinis compoſito, velit adiri. Ante nimirum, quam compellaretur ex igne Moſes, nihil ille cogitabat divini, ſed igne elementari forte correptum autumans dumetum, ſuo indulgebat ingenio, cumque miraculi quid ſubeſſe ſuſpicaretur, ſuæ ſolum ſatisfacere curioſitati ſtudebat. Pariter Joſua heroem conſpicatus armatum, ſibique tantum non imminentem, ultra humanam ſortem eum non æſtimabat, ſed intrepide accedens, quærenſque, quibus ille partibus ſit addictus, hoſtiumne, an Iſraelitarum? vel dextram jungere, vel manus cum illo conſerere inſtituit. Nunc autem divinitus uterque admonitus, aliam induit mentem, & cogitationibus ad præſens Numen converſis, cum ſancto adſtat horrore, Deum cogitans ignem eſſe conſumentem, quem nemo mortalium prælio vincat; cum humili obſequii promtitudine, vocanti hero & imperatori ad nutum ſe ſiſtens paratum; cum religioſa denique attentione, qua juſſa & ſermones Domini recte percipere nitebatur. Hæc prima eſt & ſimpliciſſima ratio, ex hiſtoriæ circumſtantiis, & mandati divini verbis, ultro elucens. *Secundo* docebantur hoc ritu, toti a Deo pendere, nec ſuæ quicquam dare ſapientiæ, fortitudini, aut rerum gerendarum peritiæ, verum ita ſe tradere Domino, ut qui mancipati, non aliud cuperent, inſtituerent, cogitarent vel agerent, quam quod ex ore Dei haurientes, edocerentur. Hoc ſcite nonnulli eliciunt ex eo, quod, qui olim juri ſuo renunciabant, idque cedebant alteri, perantiquo ritu calcei exuti, alterique traditi, teſtatum facerent, per *Ruth.* IV. 7. Hoc itaque mandato, tam Moſi, quam Joſuæ, ſignificaſſe Dominum, ut jure ſuo velut cedant, & ſemet ipſos abnegent, totoſque divinæ voluntati & vocationi permittant. Satis erudite, ſed vereor, quod æque ſatis tuto. De forenſi enim ritu illo demonſtrari ſolide nequit, vel iſta ætate, & ante νομοθεσίαν eum jam obtinuiſſe, vel ſi apud alias forte locum habuerit gentes, Moſi ſic de eo conſtitiſſe, ut hanc Dei mentem ex hoc ſymbolo ſtatim aſſequeretur. Potius ita ſtatuo, cum inſignia prorſus molimina utrique eſſent ſuſcipienda, humanis conſiliis æque ac viribus longe ſuperiora, Deus ſtatim in limine rerum gerendarum, hoc velut ſpecimine, docere ipſos voluiſſe, quomodo obſequii tantum gloriam ſibi relictam cenſere deberent, cum talem ipſis imperaret ritum, cui ante non adſueti, & cujus cauſas vix alias modo perſpicerent, niſi divinam præſentiam & voluntatem. Huic morem gerere ipſos oportebat, ȣ̓δὲν προσαναπίθεσθαι σαρκὶ καὶ ἅιματι, neque ſcrupuloſius in rationes inquirere; unde cognoſcerent, eadem obſequii & ſubjugandæ rationis promtitudine ac ſinceritate, in tantis negotiis gerendis, quæ mox Deus ipſis demandaturus erat, fore verſandum, ſatis habentibus, ſi de divina conſtaret voluntate & aſſiſtentia, quicquid demum humanæ videretur rationi. Quicquid enim iſtius eſt mandati, non ad præſens modo apparitionis myſterium, ſed & ad inſecuturam ſpectaſſe exiſtimo vocationem & functionem, in qua perpetim primæ iſtius revelationis divinæ, ipſos meminiſſe decebat. Hæc plana ſunt & ſimplicia, quæ facili negotio aſſequi poterant tunc temporis Moſes & Joſua, cum ceteræ diſcalceationis demandatæ rationes, quas comminiſcuntur interpretes, duumviris iſtis in mentem vix potuerint venire. Qualis eſt, quando v. g. Suidas *in voce* ὑπόδημα, ſenſu allegorico notari ait τὸ σαρκικὸν φρόνημα τȣ̃ ἰδίȣ θελήματος, *carnalem ſenſum propriæ voluntatis*, atque in hanc ſententiam textum Exodi illuſtrat: quando Bernhardus *ſerm. de Virgine Deipara, in Apoc.* XII. *ſignum magnum &c. Tom.* II. *Opp. f.* 124. *b.* ſenſu ſpirituali ita exponit, qui velit ſacra myſteria rimari, debere prius cunctis ſe terrenarum & carnalium curarum deſideriis exuere: *merito quidem*, inquiens, *admiraris Moſes ſancte, & curioſius deſideras intueri: veruntamen ſolve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, ſi accedere concupiſcis:* in quam ſententiam alias complures Patrum interpretationes cumulat Mart. del Rio *Adagial. Sacr. V. T. num.* LX. *pag.* 55. quando Theodoretus *quæſt. 6. in Joſ. Tom.* I. *Opp. f.* 200. Joſuam hoc mandatum accepiſſe perhibet, ut vera eſſe crederet promiſſa Domini, ſibi facta: *quemadmodum fui cum Moſe, etiam ero tecum*, τȣ́τȣ χάριν, ὧν ἤκȣσεν ἐκεῖνος, ἀκȣ́ει καὶ ȣ̃τος, ἵνα θαρσαλεώτερος γένηται, ὡς τῆς αὐτῆς ἀξίας τετυχηκώς, *propterea, quæ audierat Moſes, audit & iſte, ut confidentior evadat, velut eandem dignitatem aſſecutus:* demum, quando ex re-

recentioribus, Andr. Rivetus *Comm. in Ex. loc. cit.* istud omne ex more illustrat veterum, quo mancipia, seu servi ad herum suum accedentes, nudis pedibus incedebant, ut testarentur subjectionem suam, reverentiam & timorem, unde sit, quod *nudare pedes*, signum sit servitutis & reverentiæ; voluisse ergo Deum, Mosen ad se accedentem, induere animum humilem, & ad omnia Domini vocantis mandata paratum: & quæ aliæ id genus sunt explicationes, satis ingenii, at veritatis parum complexæ.

VII. In ceteris discalceationis hujus, a Deo injunctæ, causis, hanc etiam vult esse Theodoretus, ut in ritum perennem cultus Levitici, & in exemplum abiret futurorum sacerdotum. Ita nimirum ille *quæst.* VII. *in Exod. Tom.* I. *Opp. f.* 79. προπαιδεύεται, πῶς χρὴ, τοὺς ἱερέας ἐν τῇ σκηνῇ λειτουργεῖν. γυμνοῖς γὰρ κἀκεῖνοι ποσὶ τὰς λειτουργίας ἐπετέλουν, καὶ τὰς θυσίας: *prædocetur* hoc mandato divino, *qua ratione oporteat sacerdotes in tabernaculo deservire. Nudis enim pedibus illi ministeria divina peragebant, & sacrificia.* Inde quæstio emergit ardua & anceps: an pedibus nudis, ministerio sacro, in tabernaculo & templo functi fuerint sacerdotes, nec ne? Quam citra hæsitationem affirmat Tirinus, quando *Comm. in Ex. cit. loc. hinc verisimiliter*, inquit, *mos ille ad Judæos, aliasque gentes emanavit, pedes excalceandi, in ingressu templi. Quod de sacerdotibus Judæorum certo constat, ex cap.* 30. *&* 40. *Exodi*. Idem confidenter ex Tirino exscribit Didacus del Castillo *loc. cit. pag.* 473. *num.* 4. Ex recentioribus Doctoribus idem, sed ampliori cum eruditionis apparatu, confirmat Bernh. Lamz *lib.* VII. *de templo Hierosolym. Sect.* III. *pag.* 1119. Et Hebræorum quidem magistri omnino tuentur, sacerdotes nudis pedibus super pavimento stetisse, & sacris operatos fuisse, adeo quidem, ut si quis inter ministrandum, vel super vestem aliquam aut aliud instrumentum, quod casu ibi jacebat, aut super bestiam, aut super agnum, imo vel super pedes socii, forte constitisset, totum sacrificium eapropter illegitimum censeretur. Hinc cum eveniret, ut viscerum doloribus, ex algore pedum, crebro laborarent sacerdotes, peculiarem habebant ממונה על החולים *præfectum ægrotorum*, s. Medicum, qui valetudinis ipsorum ageret curam. Testimonia ex Talmudis cod. *Sebhachim*, & Maimonide, in asserti utriusque fidem, protulit miræ vir industriæ Joh. Braunius *de vestitu sacerd. Hebr. lib.* I. *cap.* III. §. 3. *pag.* 44. *seq.* quæ huc transcribere merito supersedemus. Idemque e Reformatis tenent, quotquot Judæorum hic sectantur autoritatem, laudatus Braunius, Bynæus *de calc. Heb. Hebr. lib.* II. *cap.* 3. §. *seq. pag.* 171. Melch. Leydekkerus *de republ. Hebræor. lib.* X. *cap.* III. §. IV. *pag.* 591. *a.* & alii. Nec contemnendis plane utuntur rationibus, calceos sacerdotibus denegantes, ita ut in eorum sententiam pedibus ire, nec nos defugiamus. I. Enim, ubi vestes sacerdotum Hebræorum memorantur in scripturis, *Exod.* XXVIII. & XXXIX. altum de calceis est silentium. Non me præterit, in rebus facti & Historicis, a silentio Scripturæ firma non duci argumenta. At secus se habet, in præceptis & mandatis, ubi præcise verbo Domini inhærendum, neque quicquam illi vel addendum est vel detrahendum *Deut.* IV. 2. quod circa universum cultus Levitici apparatum, adeoque & circa vestitum sacerdotum, locum habere nullus dubito, per *Exod.* XXXIX. 43. Si enim calceatos Deus voluisset sacerdotes, pedum munimenta, æque ac fœminalia, commemorasset. Nec tacuisset illa Moses, ad icona sc. typum, in monte sibi visum, componere singula jussus *Ex.* XXV. 40. si tale quid monstratum sibi meminisset. Hinc, juxta Hebræorum disciplinam, יותר בגדים *redundans vestibus* fuerit sacerdos, irritumque reddiderit ministerium suum, si calceis indutus, præter legis præscriptum, illud obiisset. II. Pedilavium sacerdotibus imperatum, idem evincere videtur. Eum enim in finem mare æneum in atrio sanctuarii repositum *Ex.* XXX. 19. 20. memoratur, *ut Aaron & filii ejus manus suas ac pedes suos lavent, quando ingressuri sunt tabernaculum conventus, ne moriantur: vel quando accessuri sunt ad altare ad ministrandum, ut offerant thymiama Domino.* Si calceati incessissent, nec opus pedilavio, nec metus fuisset, ne inquinarent sanctum. Suffecisset enim, mundos habuisse pedes, cum tegumentis eos munirent, & calceos probe abstersisse, aut bene perpurgatos servasse. Nudi quippe pedes, non calcei lavantur aquis. Verum, quia mactantes victimas, facile conspergbantur pedes sangvine, aut in atrio diseursitantes, nudis pedibus sordes colligebant, lege Deus cavit, ne ἀνίπτοις χερσὶ καὶ ποσὶ, ad se appropinquarent. Velut itaque nudos lavabant pedes, non tectos, manibusque nudis peragebant ministerium sacrum, sic ἀνυπόδητοι quoque obambulabant in tabernaculo & templo. Quod ex eo quoque firmatur, quod Talmudici cod. *Middoth cap.* I. §. 6. pecu-

liare memorant conclave in templo, בית המוקד *focarium* dictum, quo sacerdotes, contra frigus hybernum, nudos solabantur pedes. *Ab ardendo nomen habet hæc structura*, doctissimus ad h. l. glossatur Constantinus l'Empereur *pag.* 22. שמדורות דולקים בה תמיד: *quod ibi perpetuo lignorum strues arderet: idque in usum sacerdotum, quo paratum semper haberent ignem, quandoquidem discalceatis pedibus in loco sancto versari tenebantur*. Accedit III. constans totius antiquitatis Judaicæ suffragium, quæ uno ore ἀνυποδησίας sacerdotum in templo affirmat, & in rebus & quæstionibus ritualibus, non est omnino nihili. Testimonia vide a Braunio & Bynæo collecta, suisque digesta locis. Derivant autem hunc ritum ex utroque textu nostro: non quasi Deus mandato, de exuendis calceis, Mosi & Josuæ dato, idem sacerdotum institutum sanxerit, quæ Theodoreti mens fuit, sed argumento מקל וחומר *a minori ad majus* ducto, inde elicientes. Si enim ista loca, in quibus stabant Moses & Josua, sancta fuerunt, ob præsentiam Dei, ad breve saltem tempus, & uno vel altero solum documento manifestatam, quid non de tabernaculo & templo dicendum, ubi Deus sedem velut suam & domicilium fixerat, & gratiosam præsentiam ac majestatem suam augustiori longe modo manifestaverat? Jussus ergo Moses calceos extrahere, ob loci sanctitatem in eandem humilitatis ac reverentiæ significationem facile pertraxit sacerdotes. Vid. Gemaram babylon. *Beracoth cap.* IX. *fol.* 62. *b.* Hinc in antiquissimo Commentario שמות רבה s. *glossa magna in Exod. sub fin. Par.* 2. regula generalis hinc struitur כל מקום שהשכינה נגלית אסור בנעילת הסנדל: *omnis locus, in quo divina majestas se patefecit, prohibet usum sandalii* vel calcei, idque quia Mosi & Josuæ dictum est של נעלך, & additur: וכן הכהנים לא שמשו במקדש אלא יחפים: *& sic sacerdotes non ministrant in templo, nisi discalceati*. Atque ista quidem sufficere posse arbitror, ad evincendum ἀνυποδησίας sacerdotalis in templo ritum, cum quæ a Braunio §. XI. *pag.* 60. additur ratio: discalceatum incedere apud Hebræos, signum fuisse humilitatis & abjectissimi animi coram Deo, unde totus populus discalceatus comparebat coram Domino, diebus jejunii, cumprimis magno illo expiationum festo, יום הכפורים sive יומא dicto: non tam ab eruditione, quam a pondere, & concludendi nervo destituatur, & vix in topicis locum habere possit argumentis. Pari enim valore hinc confeceris, vestitu etiam sordido, cilicio & sacco sacerdotibus fuisse utendum, quia is pœnitentium & humilium coram Deo habitus erat: cum tamen ministros suos, maxime Pontificem, splendide ornatos cuperet Deus. Verum non est, ut his diutius immoremur. Istud tamen silentio prætermittendum non est, Talmudistas ulterius progressos, nefas pronunciasse, si quis unquam, quisquis ille fuerit, munito pede pavimentum premeret atriorum. Scita eorum in codd. *Beracoth* & *Jevammoth* leguntur, citata Braunio §. 4. *pag.* 47. quæ in compendium ita misit Maimonides: לא יכנס אדם להר הבית במקלו או במנעל שברגליו או באפנדתו ובמעות הצרורין לו בסנדינו: *Nemo in montem templi veniat cum baculo, aut calceamentis pedum, neque cum mantica, aut pecuniis linteo involutis; Hilcoth* בית הבכירה *cap.* 7.

VIII. Ast hic interpellat Jac. Gussetius, haud obscurum inter Philologos nomen, *Comment. Ling. Hebr. voc.* שלל *pag.* 861. *C.* discalceationem sive sacerdotibus, sive Israelitis ceteris, in templo observatam fuisse negans. Rationes quidem pro calceorum usu nullos plane allegat, satis habens, eorum destruxisse argumenta, qui ἀνυποδησίαν tuentur. Hinc (α) eam ex textibus nostris perperam colligi tradit ideo, quod hic ea locorum sanctitas designetur, qua *Filius Dei Deus ibi præsentiam personæ suæ sistebat, ut cum servo suo ore ad os loqueretur. Tale quid*, pergit, *non convenit tabernaculo vel templo, ejusve atriis, ubi mera umbra & typus erat prærogativa præ aliis locis. Quare inepte Rabbini, eorumque nimis creduli lectores, hinc deducunt, pedes nudandos fuisse in templo, tum e sacerdote, tum a Laico*. Qui vero minus conveniret tabernaculo, ubi pariter Filius Dei, Deus, præsentiam personæ suæ sistebat, ut cum servo suo, ore ad os loqueretur? Num latere potuit Gussetium, quod toties ῥητῶς asseritur, ut ex *Lev.* I. 1. *num.* I. 1. XII. 5. XIV. 10. *Deut.* XXXI. 15. *&c.* patet? Et annon ordinarie in tabernaculo sua edebat oracula Dominus ex propitiatorio, tanquam e solio majestatis suæ? Annon sistebat in templo Salomonis præsentiam suam, cum impleret gloria Domini universam ædem? 1. *Reg.* VIII. 10. 11. Quin amplior tabernaculi & templi sanctitas, præ sanctitate locorum, ubi Deus semel tantum apparuit, facile intelligitur ex eo, quod utrumque templum, tam portatile quam fixum, memoriæ nominis sui consecrasset, ubi descensurum ad populum, eique benedictionem largiturum, pollicitus fuerat *Exod.* XX. 24. ubi sedem velut fixerat, ut habitaret, ubi constans & perpetuum super

pro-

propitiatorio ſymbolum præſentiæ ſuæ exhibebat, ubi non uni Moſi vel Joſuæ, ſed acceſſuris omnibus præſentem ſe ſiſtebat. Unde quoque utrumque, operoſo & ſolenni ritu, inaugurari & conſecrari voluit, quæ omnia, de illis apparitionum ſingularium locis, fruſtra affirmaveris. Ad alterum illud, ex ſilentio Scripturæ, argumentum (β) regerit: *at primo, nihil ergo ad Laicos hoc ſpectat.* Nec ſane de Iſraelitis, ſed de ſacerdotibus & Levitis ſermo eſt, quando diſcalceatio ex hoc ſilentio demonſtratur. *Deinde ad rem quod attinet, ſi calceos non requiſivit*, ait, *etiam non vetuit: liberi manent igitur, ut is qui vellet, uteretur aut abſtineret. Porro ſupponendum eſt, calceatos fuiſſe alibi ſacerdotes: nam Iſraelitæ vulgo calceati erant. Jam vero id Deus non prohibet in ſacris, relinquit ergo eis calceos ſuos. Silentium enim eſt pro conſenſu, & nihil mutat in ſtatu rerum.* Enimvero, quis nervus argumenti hujus, a ſilentio legis petiti, & quæ vis concludendi ſit, ſupra docuimus §. præced. unde liquet, Deum non liberum reliquiſſe calceorum uſum ſacerdotibus, quibus exacte præſcripſerat, qualia veſtimenta induere, & quibus carere deberent, cum miniſterio fungerentur ſacro, quando calceos ſiluit. Pluribus enim veſtibus, aut aliis ſacerdotes, in officii ſui partibus obeundis, non utebantur, quam Deus juſſerat. Omnino autem inepta eſt illa Guſſetii illatio, a veſtitu ſacerdotum communi ad ſacrum inſtituta. Maimonides enim *Hilcoth* כלי המקדש *cap.* X. ſacerdotes extra miniſterium, veſtitos inceſſiſſe innuit כזרים *inſtar Laicorum.* Diſcrimen itaque inter veſtes ſacerdotum ſacras & vulgares didiciſſe poterat ex laudati Braunii *Lib.* II. *de veſt. ſacerdot. Hebr. cap.* XXV. ubi vir doctiſſimus, ſtatim §. I. *pag.* 842. inquit: *Ad miniſterium tantum in templo ſoli ſacerdotes veſtibus ſacris utebantur, non alibi, nec alio tempore. Domi foriſque, in Synedrio, in conſiliis, & ubique locorum extra templum, incedebant veſtibus vulgaribus, cum ſummus tum reliqui Pontifices, unuſquiſque pro lubitu ſuo & pro opibus, ut a reliquis hominibus diſcerni neutiquam potuerint. Inde factum eſt, ut etiam Paulus Apoſtolus, Pontificem maximum non noverit* Act. cap. XXIII. *quod ex veſtibus, a reliquis judicibus, diſcerni non potuerit. Idem etiam innuitur* Ezech. XLII. 14. & XLIV. 17. 18. 19. *ubi expreſſe mandatur, ut ſacerdotes finito miniſterio, cum vellent exire ad populum, veſtes ibi relinquerent, & vulgaribus veſtirentur.* Quod, nonnullis interjectis, ex Joſepho etiam demonſtrat, ſacerdotes τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα ſolum adhibuiſſe in liturgia ſ. miniſterio ſacro, extra vero illud ἐσθήσεσιν ἰδιωτικαῖς *veſtibus plebejis* uſos fuiſſe, perhibente. Hinc etiam veſtes ſacras in templo aſſervatas fuiſſe, *cap.* XXIV. §. 10. *ſeq.* Braunius copioſe ediſſerit, & *veſtiarium templi* §. 13. *pag.* 837. deſcribit. Quæ haud parum impingere Guſſetium edocent, quando ſacerdotes calceatos fuiſſe perhibet in templo, quod ita incederent in vita communi & extra templum. Denique, quod argutatur ille, ſilentium non eſſe pro conſenſu, in rebus præcepti, ex eo liquet, quod præceptis nihil addendum, nihil detrahendum, toties diſerte inculcat ſcriptura. Tandem etiam (γ) traditionem Rabbinorum, de morbis viſcerum, quos ex pavimenti frigore ſibi ſæpius contraxerint nudipedes ſacerdotes, falſitatis poſtulare nullus erubeſcit. *Id enim, quod Oſeas cap.* VI. *6. ait, Deum velle miſericordiam, & non ſacrificium, ſemper verum fuit: &, ut ex eo Chriſtus* Matth. XII. 7. *potuit probare jus, vellendi ſpicas ab eſuriente, die Sabbathi, eadem facilitate inde colligimus, licuiſſe neceſſaria ad ſanitatem veſtimenta ſumere. Heic, ſodes, hyemis rigores cogita.* Bella profecto ratio hiſtorica eludendi, ſi legalia iis opponas dicta Scripturæ. Hoc argumento pariter negaveris, Davidem, urgente fame ac inopia, panes propoſitionis, lege ſibi interdictos, popoſciſſe & manducaſſe, quod tamen hiſtoricus ſacer 1. *Sam.* XXI. 6. & Chriſtus ipſe, teſtantur, quia ſcilicet contra legem. At enim vero plura ſunt, quæ hic caſtigari merentur. Factum enim diſcipulorum, ſpicas vellentium & comedentium, extraordinarium erat & ſingulare quod Chriſtus excuſat: quid vero hoc, ad ordinarium & ſolennem vel calceorum uſum, vel ἀνυποδησίας ritum in templo? Nec omnino ex oraculo Prophetico Oſeæ, Salvator, jus evellendi ſpicas ab eſuriente, demonſtrat, ſed diſcipulorum fami conſulentium factum quidem, alio extraordinario ejuſmodi exemplo, quod de Davide modo allegavimus, excuſat ac tuetur, & utroque docet, neceſſitatem ad legem non adſtringi: verba Prophetæ autem procacitati Phariſæorum, in condemnandis inſontibus diſcipulis, opponit, ut loci docet inſpectio. Fidem præterea Miſchnicarum traditionum, ex templi adhuc ſtantis ætate ac diſciplina promanantium, ſimplice ac mera negatione evertere nunquam valebit Guſſetius, utut Gemaricos doctores, ætate multo ſequiores, fabulas aniles adſperſiſſe complures, non negaverim. His vero accenſendam eſſe traditionem illam, de ſacerdotum mor-

morbis, & constituto illis Medico, quam Mischna Cod. שקלים *cap.* v. ad nos propagavit, rationibus validis adstruxisse oportebat Gussetium, si fidem ille, negans factum, impetrare cupiat, contra Judæorum magistros, id affirmantes. Et omnino misericordiæ opus erat, juxta *Os.* VI. 6. Medicum præficere sacerdotibus, qui valetudinis ipsorum curam ageret, cum gravi perquam ministerio illi defungerentur. Porro, contra hyemis rigores paratum erat remedium, בירה המוקד, cujus paulo ante mentionem fecimus. Sed ista sufficiant, cum quæ sit ratiocinationis Gussetianæ imbecillitas, satis sit in aprico. Quas denique ineptias prodidit Plutarchus *lib.* IV. *Symposiακῶν*, habitum summi Pontificis apud Hebræos ad modum sacrificulorum Bacchi componens, eique *κοθόρνους crepidas*, *s. cothurnos* tribuens, dudum a Braunio *lib.* I. *cap.* III. §. 4. *&* 13. *pag.* 67. & a Bynæo *lib.* II. *cap.* III. §. 6. *pag.* 178. copiose fuit monitum & profligatum, ut in iis repetendis non censeam opus esse prolixitate.

IX. Superest, ut de κακοζηλίᾳ, cum gentilium, tum religiosorum in Ecclesia, aliorumque, qui de ecclesia censeri voluerunt, pauca subjiciamus. Jam inter Pythagorę symbola, apud Jamblichum *de vita Pythag. symb.* 3. locum habet illud: ἀνυπόδητος θύε, καὶ προσκύνει, *discalceatus sacrifica & adora*. Virgines Vestales Romę nudis pedibus sacrificasse, ex Flori *lib.* I. *cap.* 13. intelligitur: quod & matronas Romanas, ad ędem Vestę tendentes observasse, Ovidius *lib.* IV. *Fastor.* testatur. Dianę porro sacra nudis pedibus peracta, memorat Solinus Polyhistor *cap.* XVII. Idem a Gręcis sępius factum, ex Callimacho *hym. in Cererem* VI. 25. & Valerio Flacco *lib.* II. discimus. Cumprimis spectant huc *nudipedalia* sacra, festum apud Gręcos, Romanos & Barbaros receptum, quod ad obtinendam a Numinibus opem, nudis pedibus incedere oportebat. Quod Tertullianus *Apologet cap.* LX. gentilibus ita exprobrat: *denique, cum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, & annus in cura est, quidam quotidie pasti, statimque pransuri, balneis & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denunciatis*. Quorum quidem multiplicem ac varium usum, Balduinus *de calceo ant. cap.* XXIII. *pag.* 224. copiose edisserit, originem autem a Judæis arcessendam esse negat Sam. Pitiscus *Lex. Antiquit. Roman. h. v. T.* II. *pag.* 82. Sic hodienum apud Turcas crimen esse, morte piandum, si quis calceato pede intraverit Moscheas, Georg. Dousa *itin. Constantinop. pag.* 36. aliique itinerariorum scriptores referunt. Pariter Brachmanes, apud Indos, *pagoda*, i. e. templa aut delubra Deorum suorum, nisi detractis calceis, non ingredi, ob sanctitatem, testis est Rogerius *lib.* II. *de Braminum ritibus & relig. cap.* 10. Ecclesiam turbasse olim hæreticos, mordicus huic superstitioni adhærentes, perhibet Augustinus *de hæres. ad Quodvult Deus*, *T.* VI. *Opp. f.* 27. *n.* 68. *est alia hæresis, nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Moysen vel ad Josue: solve calciamentum de pedibus tuis. Et quod Propheta Esaias nudis pedibus jussus fuerit ambulare. Inde ergo hæresiis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt*. Qui forte iidem cum illis sunt hæreticis, quos Philastrius *Hær.* LXXX. in eandem prorsus sententiam describit & allegat. Sic etiam de Ægyptiis monachis refert Cassianus *lib. de hab. Monach. cap.* 40. hoc factum Mosis in exemplar, sancte sibi imitandum, delegisse. Idem legatur Christianorum Æthiopum, apud Damianum a Goes, de patriis moribus testatur: *nobis nou datur potestas adeundi templum, nisi nudis pedibus, neque nobis licet in ipso ridere, loqui, obambluare, quia templa similia sunt monti Sinai, ubi Dominus dixit Moysi: solve calceamentum*. Denique huc referenda est Monachorum, qui nudis pedibus, Deum sibi debitorem imaginantur. Quos ex merito, hoc nomine perstringit Rivetus *in c. l. Exod. T.* I. *Opp. f.* 769. Attamen Hieron. Sopranes *in Davide digress.* I. *cap.* V. §. 3. *sub fin. pag.* 380. hanc suorum superstitionem probat, quod nudis pedibus, religionis causa, veri Dei cultores incedant in publicis supplicationibus, & exemplo illustrat S. Caroli Borromæi, qui, cum pestis Mediolani grassaretur, indicta sæpe publica supplicatione, nudis ipse pedibus incedebat, & alii plures ad pastoris exemplum. Verum probe observavit, & ex domesticis Romano-Catholicorum testimoniis evicit insignis Theologus, Nicol. Hunnius *Apostas. eccles. Rom.* §. 342. *n.* 1. *pag.* 349. rursusque §. 349. *pag.* 356. & §. 736. *pag.* 735. ex more ethnico, pessimoque veterum hæreticorum exemplo accersivisse, & in sua transtulisse sacra ut p. ad averruncanda pericula & mala, p. in deletionem peccatorum, & acquisitionem sanctitatis, nudis pedibus incedentes.

X Restat, ut a extremum tueamur, quod diximus, ex κακοζηλίᾳ exemplorum sacrorum, quæ tractavimus, hoc institutum

tum promanasse ad gentiles. Dudum hoc observavit Justinus Martyr, qui *Apolog.* II. *circa fin. pag.* 95. τὸ ὑπολύεσθαι, inquit ἐπιβαίνοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς τοὺς θρησκεύοντας κελεύεσθαι ὑπὸ τῶν ἱερατευόντων, ἐκ τῶν συμβάντων Μωσεῖ τῷ, εἰρημένῳ προφήτῃ μαθόντες οἱ Δαίμονες ἐμιμήσαντο, *quod fana eorum ingredientes calceos deponunt, & cultores eorundem idem facere, sacerdotes jubent, per imitationem ejus, quod Mosi Prophetæ, quem diximus, acciderat, instituerunt dæmones.* Indigne hoc dictum fert, & improbat Vir celeberr. Joh. Clericus *Comm. in loc. cit. Exod. pag.* 24. Mosenque more Ægyptio calceos exuisse, persuasum nobis cupit. *Huic ergo mori,* ait, *non a Mose instituto, sed dudum recepto, sese hic adtemperavit Deus, quod & sæpius alia fecit. Ac sane, ut Mosi, Ægyptiis moribus adsueto, reverentia major injiceretur, maxima signa externa reverentiæ huic loco exhibere eum oportuit.* Rursusque, paucis interjectis, pergit: *nec mihi credibile fit, Deum,* qui est, *ut loquitur Christus,* spiritus, *corporeos ejusmodi ritus unquam non modo instituturum, sed ne probaturum quidem institutos fuisse, nisi infirmitati hominum se accommodare voluisset, & erga eos more humane agere Certe ubi primum magis sapere homines cœperunt, temporibus Messiæ, eos omnes abrogarit.* Ista quidem ex Marshami & Spenceri hypothesi, alias quoque Viro docto adamatæ, propullulasse palam est, quam data opera complures confutarunt. Nos satis habemus observasse, I. nullam hic locum habere potuisse συγκατάβασιν, ubi non Mosis ingenio vel consuetudini adtemperat se Deus, sed novam ei ceremoniam imperat. Nec enim Moses more Ægyptiaco claceos ultro extrahit, sed nihil tale cogitans aut molitus, extrahere a Deo jubetur. Nimis perspicue ex verbis ipsis elucet, mandatum Dei eadem complecti, non nudum assensum, vel accommodationem Numinis ad institutum quoddam humanum. Expendatur saltem utriusque loci colloquium, & sole clarius elucescet, quod diximus; Gratis præterea II. asseritur, dudum receptum fuisse hunc morem. Quin imo a moribus ac institutis Ægyptiorum alienum id erat, discalceatum venerari Deos. Sacerdotes enim apud Ægyptios ὑποδήματα βύβλινα *calceos papyraceos* gestasse, testatur Herodotus *lib.* II. *cap.* VII. Phœnicum autem mystas, lineos habuisse, ex Herodiani *lib.* V. *cap.* XIII. constat. Rursus Appianus *de bello civili lib.* V. diserte affirmat, Alexandrinis sacerdotibus ὑπόδημα λευκὸν *calceos albos fuisse,* καὶ καλοῦσι φαικάσιον *quos Phæcasia appellant*: de quibus uberius commentatum lege Balduinum *de calceo ant. cap.* XIV. *pag.* 188. *seq.* Ut frustra sit, qui discalceationis religiosæ ritum ab Ægyptiis arcessit. Denique III. corporeos ejusmodi ritus instituisse Deum, non ut infirmitati hominum se accommodaret, verum ut sub externa ejusmodi παιδαγωγίᾳ spiritualium mysteriorum typos ac umbras exhiberet, Epistola, ad Hebræos ad oculum demonstrat. Eosque temporibus Messiæ non ideo abrogavit, quia tum primum magis sapere homines in spiritualibus & divinis cœperunt, sed quia corpore & substantia exhibita, vel adveniente, par erat, cessare umbram *Col.* II. 17. *Hebr.* X. I. Ut taceam IV. non ritum perennem ac duratum, hoc præcepto Mosi vel Josuæ dato, Deum sancire, vel apud hos homines dudum receptum, ratihabere tamen & adoptare voluisse, verum pro præsentis tantummodo temporis ratione utrique injungere, quid factu sit opus. Nos autem gradum hic sistimus, gratias Deo laudesque decernentes perennes!

JOH.

JOH. CHRIST. WICMANSHAUSEN
DISSERTATIO
DE
CALCEO
IN HEBRÆORUM SACRIS DEPONENDO

Ad illustrandum *Comm.* 5. *Cap.* III. *Exod.*

I. CAlcei usum, *Hebræorum* antiquis, notum satis, & familiarem, fuisse, cum ipsa *necessitas*, teneras, & molles, plantas, contra obvia, ubivis, pedum offendicula, & tempestatum injuriam muniendi, probat; tum Literarum S. *autoritas*, adprime, evincit. Ad cuncta, enim, *Fœderis antiqui*, monimenta ubi paulo curatius, attendemus, & singula ista temporum intervalla, quæ, a miraculosa populi *Israelitici*, ex servitute *Ægyptiaca*, liberatione, ad captivitatem usque *Babylonicam*, effluxere, diligenter, & cum cura excutiamus, sponte liquebit, quod crebra, & expressa, Calceorum mentio in iisdem facta fuerit. Provocare hunc in finem, inprimis poteramus, non, ad *Indices* solummodo *Biblicos*, sed ad ista quoque Sacratiorum Literarum loca quæ pro scopi præsentis ratione inferius commodiori occasione nobis suppeditata, subinde excitabimus. *Abrahami* jam tum ævo calceos usupatos fuisse, vel ex proverbiali ista locutione *Gen.* XIV. v. 23. adducta, per quam ne calceamenti quidem corrigiam ille desiderat, collectu erit facillimum; utut ceteroquin quæ de primo calceorum inventore, origine, aliisque ad interpretationem oraculi istius exactiorem pertinentibus, prolixe disquiri poterant, studiose hic non attingamus. Quare licet annorum forte spatium aliquod intercedat, quod luculentiora, & idonea rei hujus, testimonia non æque nobis subministret: attamen cum tempora & ante & post illud elapsa, hoc super negotio, abunde nos informent; intermedio etiam calceos adhibitos fuisse, eo minus dubitabimus, quoniam tam observata pedes tuendi utilitas, quam consuetudinis insuper non male introductæ ratio, pro asserti quoque veritate depugnat. Atque hoc in causa est, cur hypothesi eorum subscribere nequeamus, qui ἀνυποδησίαν, in *Hebræorum* gente olim obtinuisse, asseverare conati sunt. Tantum, enim abest ut dogma hoc in istis, *S. Codicis* oraculis, quæ *Cel. Bochartus*, (in *Hieroz.* e. g. 2. *Sam.* XV. 30. *Jesai.* XX. 2. *&c.*) hanc in rem potissimum pro se allegat, præsidium aliquod inveniat, ut potius, eadem illa oppositæ opinionis patrocinium aperte in se suscipiant. Pedum sane denudatio, tanquam aliquod singulare, & quod vel religionis ergo vel certum aliud etiam ob casum suscepta ista nonnunquam fuerit ibidem commemoratur, id quod indicium suggerere nobis poterat clarissimum, quod, his circumstantiis exceptis, pedes calceis omnino communiti fuerint. Hanc autem dum nostram facimus sententiam, tantum abest, ut statuminemus quasi promiscue, & omni tempore, & in qualibuscunque aliis privatis etiam negotiis districti, prisci *Hebræi*, pedes solearum vinculis involverint, ut potius ex probabili minimum fundamento conjectemus, quod quoties decentiori vestitu ad pudorem, magis, & modestiam composito, in publicum prodire voluerint, calceorum usum adhibere consueverint.

II. Quemadmodum autem inter mortales olim quoque usu id veniebat, ut, quotiescunque aliis consensum suum, majori certitudine, testari discupiebant; vel vehementioribus affectibus agebantur, vel in aliis etiam negotiis, minus quotidianis, occupati erant, signis quibusdam certis externis animum latentem proderent, & hæc eadem quidem a rebus quibusvis obviis, depromerent; Ita antiquissimo sigillatim *Judæorum* populo simile quid in more positum quoque fuisse apud omnes qui sacras paginas dili-

ligenter evolvunt, in confeſſo eſt. Inter alias autem res huic negotio calceos, imprimis, deſtinabant; utpote quorum vel detractione vel ad tempus etiam depoſitione, variis in caſibus, mentis ſuæ ſenſa exponere ſolebant. Teſtimonium hujus conſuetudinis, omni majus exceptione, Divina inprimis Scriptura nobis ſuppeditat. Ordine enim librorum ſervato, iſtam perluſtrantes edocemur quod ad diſcalceationem *Judæi* priſci, certis in caſibus, ſe recipere conſueverint, & quidem:

1. In *negotio Leviri*, fratris demortui viduam in uxorem ducere recuſantis, quo ſuper argumento *Deuter. cap.* XXV. *verſ.* 5. 15. plenius nos informat. Multum enim omnino intererat reipublicæ *Judaicæ*, ut non integræ modo tribus, ſed & ſingulæ familiæ, quantum fieri poterat, conſervarentur. Provida itaque Numinis ſapientia ſalutariter per *Moſen* conſtituebat, ut ſi quis ſine prole maſcula deceſſiſſet, *Frater Demortui* viduam in matrimonium duceret, & primus ex novo hoc conjugio, prognatus filius *Fratris* extincti memoriam cujus & nomen & hæreditatem accipiebat, legitime conſervaret. Quod ſi autem *Levior* conſtitutioni huic, certas ob cauſas, morem gerere detrectaret, *Vidua* Demortui poſteaquam privatim repulſam tulerat, publico *Seniorum* urbis conſeſſui, deſideriorum ſuorum ſummam exponebat. His ita peractis, *Seniores Levirum*, ad ſe vocatum, rationum pondere in aliam ante omnia quidem pertrahere ſententiam, conati ſunt ita tamen, ut ſi nihilominus pertinaciter iſte propoſito ſuo inſiſteret, eo illum adigerent, ut voluntatem hancce ſuam, quæ in *Fratrem* quam maxime injuria erat, publice manifeſtaret. Atque ſic demum *Vidua Fratri* palam repudiata, Levirum ſuum accedebat, calceum ei detrahebat & in conſpectu *Seniorum*, non abſque inſigni ignominiæ nota, in faciem ejus exſpuebat, additis verbis: *Similiter fiet omni, qui non ædificat domum fratris ſui*. Et ab hocce quidem ritu præcipuo nomen ejus in *Iſrael* vocandum, בירת חלוץ הנעל, *Germanicæ*; ut *Lutherus*, ſcite, autentica vertit: Des Barfüſſers Hauß.

2. In *Redemtionibus rerum immobilium*, quando ſcilicet aliquis jus, & dominium earum in alios conferre ſecum ſtatuerat. Et hanc ſigillatim ad claſſem ritus iſte, qui in libello *Ruth. cap.* IV. 8. 9. depingitur, reducendus eſt. Utut enim prima fronte ritui modo adducto, genuinus noſter hic videri cuidam poſſet: penitius tamen ubi in ipſum introſpexerimus, & ambo invicem debito cum ſtudio contulerimus aliæ haud gravatim & diverſæ admodum hujus a priori, ſeſe nobis objicient circumſtantiæ, ex quibus ſufficienter ſatis colligere poterimus, quod nullum *Leviratus* vel jus, vel officium, hic proponatur. Nam I. *Boas*, & alter ille, גואל קרוב ממנו non Demortui *Fratres* (*cap.* I. *verſ.* I. 2. 11.) ſed ex patris ejus, nempe *Elimelechi* familia oriundi, (*cap.* II. *verſ.* I. 20.) adeoque cognati, ſolummodo erant (*cap.* III. 2. II. Negotium præſens per גאל גואל גואלה: voces non autem per יבם conficitur, & primario inſuper circa redemtionem agri hæreditarii verſatur. III. Non ipſa *Ruth*, Demortui Vidua, ſed *Boas*, univerſæ rei curam in ſe ſuſcipiebat (*cap.* III. *verſ.* 13. 18. IV. Cum negotium hoc coram *Senioribus* expediretur, *Ruth* ne quidem præſens erat, multo minus calceum amico, τῷ גואל קרוב detrahebat, & ſputo faciem ejus excipiebat; ſed ipſe potius calceum alacriori animo exutum, *Boaſo* exhibebat. Accedit, quod evidentiſſima diverſitatis ratio expreſſe in textu, addatur (*cap.* IV. 7.) Antiquis ſcilicet in more fuiſſe poſitum, ut in negotio *redemtionis*, & *permutationis*, ad confirmationem rei, ille, qui jus ſuum, & dominium in alium erat translaturus, Calceum exueret, & proximo in collati dominii teſtimonium offerret. Licet autem *Levitic.* XXV. *verſ.* 25. & 26., ubi nativa quaſi hujus materiæ ſedes eſt, præſens ritus non commemoretur, nihil tamen impedit, quo minus inſequentibus temporibus ejuſmodi quid utiliter conſtitui potuerit, ſimulque pro ævi & reipublicæ conditione ſanciri, ut ille, qui hæreditatem Demortui acceperat, in thoro quoque eidem ſuccederet, ejuſdemque viduam ſibimet aſſociaret. Et hoc ipſum quidem *Boaſi* etiam iſta, quæ in *com.* 5. *cap.* IV. urget, verba inprimis innuere videntur, conf. *Buxtorf.* in *Diſſert.* de *Sponſalibus* & *Divortiis pag.* 27. *ſeq.* Ad *Novi Fœderis* tabulas quantum attinet, vel ex *Matth.* III. II. &c. conjicere licebit, quod ritus iſte, qui a *Judæorum* Doctoribus nobis propinatur, & cujus tenore, in *Servorum oppignoratione*, & *emtione*, quilibet ſervus Domini calceum & ſolvere, & portare, & induere, debebat, firmiori ſuo fundamento non deſtituatur, id quod, præter ceteros, commonſtrare anniſus eſt *Lightfootus*, in *Hor. Hebr. & Thalmud.* ad *Matth.* cap. III. verſ. II. pag. 275. Vol. II. Oper. edit. Franek. de ann. 1699.

III. Præter iſtum autem calceos exuendi,

di actum qui in signum, & testimonium illorum casuum quos strictim, hactenus excussimus adhiberi debebat, status ἀνυπόδετος porro ad tristem, atque miserum vel animi vel corporis vel potius utriusque simul statum denotandum, usurpari solebat. Et generatim quidem ea, quæ de Regum maximo *Davide*, 2. *Samuel.* XV. *vers.* 30. referuntur, ad illustrandum institutum hocce nostrum non parum conferent. In eum enim res *Davidis*, justissimo *Dei*, peccata vindicantis judicio, tum temporis statum deductæ fuerant, ut non majestas solummodo regia, sed & ipsa *Regis* vita, aliorumque fidelium ejus ministrorum, & subditorum, summo in discrimine versarentur. *Absolon* sane optimi patris degener filius, populi animos, verborum lenociniis, munerum blandimentis, calumniosa regiminis paterni detestatione, humanitatis e contra & justitiæ a se exercendæ atque administrandæ propositione, ita demum sibi devinxerat, ut latus ejusdem constipantes, in *Regis* innocentissimi, ejurationem, & exilium, ausu prorsus nefario, conspirarent. *David* itaque posteaquam de furiosis filii conatibus, & rebellis populi consensu certior factus fuisset, ut conjuratorum hominum furorem, impetumque tempestive declinaret, cum suis in fugam, mora haud interposita, semet conjiciebat. Aliquantum autem a regia urbe, anxiis gressibus summotus, in acerbissimi doloris, maximæque angustiæ, argumentum, capite velato ora in lachrymas solvebat, & clivum *Montis Olivarum*, una cum comitibus, ad *Regis*, infelicissimi triste exemplum, animo, & corporis habitu, compositis, יחף, *Discalceatus*, ascendebat. Generaliori autem huic ritus ἀνυποδησίας doctrinæ, specialiorem statim ut subjungamus, res ipsa exigit, cujus vestigia quodammodo luculentiora comparebunt.

1. In *Luctu Demortuorum*, cum *Lugente* arctiori cognationis vinculo conjunctorum, cujus exemplar *Ezechiel*, *cap.* XXIV. *vers.* 17. & 23. nobis potissimum subministrat. Quemadmodum enim longanimis, clementissimi *Numinis*, patientia, gravissimorum denunciatione judiciorum, cum verbis, tum actionibus, inprimis *Prophetarum* factis, contumacem populum efficaciter monere, & ad meliorem revocare frugem, allaborabat; Ita hic quoque locorum, *Ezechiel* in *Chaldæa* constitutus, urbi *Hierosolymæ*, & *Templo*, imminens ferale excidium, durioremque populi captivitatem, tam verbis quam etiam facto ipso, graphice, captivorum auribus exponere jubetur. Cum autem vindex scelerum justissimus, præter cetera, *Prophetæ* hujus ministerio significare vellet, quod calamitati publicæ ultimum quoque hoc miseriæ privatæ accessurum sit, ut nec charissimorum pignorum mortem, nec rerum dulcissimarum amissionem solito planctu absentes prosequi queant: *Ezechiel Propheta*, inflictum sibi desideratissimæ uxoris obitu doloris vulnus, nullo externo signo, vel indicio, pro more gentis prodere debebat. Per expressum potius *Dei* mandatum, idem is instruitur, ut calceos suos induat, & ornamentis vestium sese involvat, populoque insimul, *Israelitico* injungat, ut is quoque in lugubri rerum suarum statu, pro præsenti temporis conditione, methodo huic sese submittat. Et vel ex hoc, quod a contrario depromsimus, argumento, asserti proxime proposit veritas, sat dilucide patescit maxime cum recentiorum quoque *Judæorum* consuetudo, ad quam *Buxtorf.* in *Synag. Jud. cap.* 49. *Gejerus* de *luctu Hebræorum*, item etiam, *Braunius* de *Vest. S. Hebr. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 61. provocant, pro ritu isto similiter depugnet.

2. In *Captivis*, quando calceos suos isti exuere, & in servitutis, & obedientiæ signum, nudis pedibus incedere debebant; quale quid vel ista, quæ, 2. *Chron.* XXVIII. *vers.* 15. & *Jesa.* XX. *vers.* 2. *seq.* prostant exempla nos edocent. Quantum, enim, ad priorem, quem stitimus, attinet locum, *Israelitæ* insigni a fratribus *Judæis* victoria, in iræ divinæ executionem reportata quando captivos, ex mandato *Domini*, libertati restitutos esse significare volebant, calceos istis induebant, ac cibo, & potu refectos, solenniter dimittebant. Per posterius autem suffragium informamur, quod *Esaias Propheta* in signum durissimæ captivitatis, quæ elapso triennio, *Ægypto* & *Æthiopiæ* subeunda erat, calceis depositis, ערום ויחף incedere debuerit.

III. Utut autem præter recensitos alii casus, in quibus ἀνυποδησία *Hebræis* sit adhibita, diserte in *Pandectis S.* non commemorentur; *Judæorum* tamen, D. D. plures istorum enumerant, qui in eo forte omnes conveniunt, quod singularem animi devotionem, *Numinisque* summi reverentiam, ab illis, qui circa sacratiora hujus negotia versantur, exigant. Relatum ita in *Massec. Joma cap.* VIII. 1. legimus, quod *Judæi* in *Die expiationis*, cujus maxima erat sanctitas, discalceati incedere, & cum jejunio,

nio, & omiſſione operum, eundem iſtum tranſigere, atque celebrare; in jejunio, inſuper, ט״ב חשע באב, qui dies exciſi *Templi*, I. & IIdi, (conf. Gemara *Erac. cap.* II. num. 2.) *Judæis* memorialis, atque adeo ad triſtitiam, & humilitatem menti imperandam apprime accommodatus eſt, cum eadem pedum nudatorum facie, comparere debuerint. In votis quoque perſolvendis ſimile quid obtinuiſſe, exemplum *Berenices Agrippæ* I. Regis *Jud.* filiæ, quod *Joſephus* de *Bello Jud. lib.* II. *cap.* 26. vel ſecundum *Selenii Verſionem cap.* 15. allegat, evincere videtur. Inter omnes autem iſtiuſmodi ritus, ἀνυποδησία iſta, quæ in ſacris *Hebræorum* adhibebatur, ſive ad inſtituentis autoritatem, ſive perſonarum ea utentium dignitatem, aut loci ſanctitatem; ſive etiam ipſius negotii præſtantiam, attendamus, prærogativam omnino, ſibimet vindicat. Et hanc quidem cum ad illuſtrandum *Exod. cap.* III. *verſ.* 5. & alia quædam Scripturæ Sacræ oracula, pro inſtituti præſentis ratione, curatius jam nunc excutere nos oporteat, negotium omne, B. C. D. ita informabimus, ut præcipuas ritus hujus circumſtantias, originem, & antiquitatem, rationes item atque ſcopum *Scripturæ Sacræ* inſuper, oracula, eidem iſti, maxime, analoga, atque tandem apertiora, quomodo ille ad gentes exteras, traductus fuerit, veſtigia, *Verbi divinioris*, aliorumque Celeb. *Scriptorum* ope, atque auxilio, in medium hac quidem vice proponamus.

V. Ordine itaque ut procedamus, in ἀνυποδησίας circumſtantias ut ante omnia inquiramus, neceſſum eſt. Ad quatuor autem præcipua momenta cum res omnis ſponte quaſi hic abire videatur, ſingulatim & diſtincte, expendere inſtituemus. (α) *Qua in re*, & negotio, (β) *Quibus in locis*, (γ) A *quibus perſonis*, & denique, (δ) *Qua ratione*, atque *methodo*, ἀνυποδησία, in qua enodanda, operam noſtram præſentem collocamus, diligentius ſemper obſervari debuerit. Primum momentum, ſive *Rem*, & *Negotium*, quod ſuſcipiendum erat, in ipſo *Diſſertationis* themate, per vocem *Sacrorum*, aperte ſatis jam tum inſinuavimus. Quemadmodum enim *Sacrum*, (ſubſtantive, uti etiam h. l. acceptum) in *Latio* non *Sacrificium* tantummodo; ſed inſuper quoque omne illud, quod *Deorum* honori tribuitur, ſignificat: ita apta nata eſt vox illa, ut univerſum veri *Dei* cultum, quem a miniſtris ejus, *Leviticum* nuncupare ſolemus, ambitu ſuo, indigitet. Poſteaquam autem a bono *Interprete*, præter cætera, illud quoque requiritur ut, in enucleandis vocibus, ad eam, potiſſimum linguam recurrat, in qua res ipſa primum concepta eſt: ita ipſa negotii indoles a nobis exigit, ut authenticæ ſive *Hebrææ Linguæ* ſubſidio, in intimiores vocis receſſus penetrare annitamur. Exprimitur autem hæc in iſta, per notionem קודש, ſive potius pluralem קדשים, quæ quoniam a radice קדש deſcendit, ad normam quoque hujus varios, pro objectorum diverſitate ſignificatus, inſimul admittit. Et inter hos ille forſitan quo iſtiuſmodi quid deſignatur, quod ſub ratione quacunque *Deo* dicatur uſitatiſſimus eſt. Solus enim *Deus* vere, & per ſe קדוש eſt omniſque iſtius, quæ in creaturas cadere poteſt, ſanctitatis Autor. Cf. *Levit.* XI. 44. 45. & *cap.* XXI. 8. Atque hinc eſt quod eadem iſta notio קדוש ſpecialius omnia illa quæ ad cultus externi in honorem ſupremi *Numinis* inſtituti exercitium pertinent loca *Tabernaculum*, ſcilicet atque *Templum* item perſonas *Sacerdotes*, nimirum & *Levitas*; porro etiam tempora *Sabbathum* puto atque *Dies feſtos*, nec minus reliqua cuncta quæ cum illis quodammodo connexa ſunt, quo cum *inſtrumentis vaſa*, *veſtes*, & ita porro referimus ſubminiſtret. Specialiſſime demum vocabulum hocce noſtrum *Res* ſive *actiones* præciſe deſignat, per quas ipſemet divinus cultus perficitur atque conſummatur. Prolixiori probatione hæc & his ſimilia, vel eam ob cauſam haud indigent, quoniam teſtimonia aſſertionum harum innumera, ut in univerſo *Codice S.* ita ſpeciatim iis in *Libris* qui cultum externum ſecundum omnes ſuas circumſtantias in ſede quaſi propria deſcribunt, quales ſunt: *Exodus Leviticus Numeri* & *Deuteronomion*, ubivis obvia ſunt. Cum igitur vox *Sacrorum* in præſenti, in ſpecialiſſimo uti par eſt ſignificatu non tamen excluſo ſpeciali nobis adhibeatur, evidens omnino eſt eam noſtro quoque calculo comprobari ſententiam, quod ἀνυποδησία circa omnia ſacra officia in *Tabernaculo* & *Templo*, peragi ſolita *Suffimenti* ſcilicet *accenſionem*, *Lychnuchi adaptationem*, *Victimarum mactationem*, *Sanguinis ſparſionem*, *oblationem*, *Populi benedictionem*, & alia non ita quotidiana ab *Hebræis*, olim religioſe obſervari debuerit.

VI. Quemadmodum autem omnis cultus ſacri ratio non ab hominum ingenio, arbitrioque; ſed a ſolius *Dei* voluntate, quæ *Iſraelitis* per *Moſen* manifeſtabatur, dependebat: ita licitum quoque illis non erat, ut præter eum,

quem ipsemet *Deus*, cultui huic perficiendo assignaverat locum, alium sibi eligerent. Atque hinc est, quod sapientissimum *Numen*, simulac populum suum, *Israelem*, ex *Ægypto*, fornace ista ferrea, exserto brachio, eduxerat, liberumque, hac ratione, religionis exercitium iisdem illis concesserat, super fabricando sibimet מקדש, sive, *Sanctuario*, quod *Tabernaculum Conventus* nuncupatur, cum *Mose* sigillatim, mentem suam fusius, communicat, atque typum istorum omnium, quæ eum in finem conficienda erant, in Monte Isti suppeditat. Et hic sane ναὸς μηταφερόμενος, posteaquam altero ab Exitu anno perfectus esset, cultus sacratioris, publicum locum, eousque exhibebat, donec a *Regum* potentissimo, *Salomone*, jussu, & autoritate ejusdem *Numinis*, in *Hierosolymorum* urbe, splendidissimum *Templi* ædificium extrueretur, absolveretur, ineffabili pompa dedicaretur, & illustri prorsus ratione a Deo demum approbaretur. His ita præmissis, unicuique generatim minimum constabit, quisnam iste locus fuerit, in quo ἀυποδησία, circa cultus sacri exercitium, sub diversis temporum periodis, suscipi debuerit. Utut enim inter ipsos *Judæos*, quidam reperti sint, qui existiment, quasi post extructum *Tabernaculum*, ante *Templi* ædificationem, per aliquot temporum intervalla, ipsa etiam *Excelsa Israelitis* frequentare licuerit, eo, quod *Tabernaculum*, in *Gilgal*, per 14. annos, in *Nob*, & *Gibeon*. per 57. annos, (*conf. Zevach.* XIV. 14. *Midrasch Cobel.* f. 102. *cap.* I.) substiterit: tantum tamen abest, ut sublestæ huic hypothesi frigidam nos suffundamus, ut non sine rigidiori potius censura, ob clarissima S. Scripturæ loca, *Levitic.* XVII. 5. sq. quæ contrarium evincunt, eandem dimittendam esse, arbitremur, Hoc autem fundamento semel subruto, ulterius quærere supervacaneum erit, quænam specialis cultus, in *Excelsis* instituti, ratio fuerit, & utrum ministri ejus ἀνυπόδητοι incesserint? Maxime cum *Judæi*, pro *Excelsis* pronunciantes, ipsimet hoc negent, & omne illud, quod, ibidem peragebatur, ex hominum divinæ voluntati repugnantium protervia dimanaverit. Ceterum cum alia loca, in quibus partes quædam muneris sacri, a *Sacerdotibus*, & *Levitis* peragendæ erant, hucdum supersint, haud præter rem forsan erit, ne *Lector* ambiguus dimittatur, ut hoc quoque super argumento, mentem nostram succincte manifestemus. Et *Primo* quidem *Quæstio* moveri hic poterat: Utrum *Sacerdotes*, & *Levitæ*, quorum erat populum publice docere, quando in *Synagogis*, & *Scholis*, præviis precibus, *Legis*, & *Prophetarum* Sectiones, ab iisdem recitarentur, sacrisque adeo negotiis isti districti essent, ἀνυπόδητοι fuerint, nec ne? Pro affirmativa militare quadantenus poterunt ea, quæ de *Judæis* quibusdam, Cel. *Buxtorfius* in *Synag. Jud. Lib.* x. his verbis commemorat: *Præ foribus Synagogæ ferrum habent, muro impactum, quo singuli calceos suos, si lutum contraxerint, repurgare debent, qui crepidas gestat, illas omnino exuat oportet, si inquinatæ fuerint, ne schola polluatur*. At enim vero, cum ritus, (α) destructo *Templo* II. ubi in *Synagogis*, multa, in *Templo*, alias, peragi solita, peragebantur, demum invaluerit (β) externæ, tantum munditiei rationem ritus, a *Buxtorfio* recensitus, inferret (γ) multum hic ab illo, quem nos exponimus, distinctus sit, pro ἀνυποδησία ista, quæ florente *Republica*, & stante *Templo*, in *Synagogis*, consueta esse poterat, idoneum quoddam argumentum plane nobis ille non subministrat. Quare cum plura, & magis stringentia, testimonia non suppetant: Utrum in *Synagogis* antiquioribus, noster hicce ritus similiter obtinuerit, merito suo dubitamus, imo collatis rationibus, quæ paulo inferius, in rem similem, adducentur, probabilius. *Quæstionis* negativam hic eligendam esse, hariolamur. *Secundo*, ex *Deut.* XXI. v. I. seq. abunde constat, quod invento in agro hominis cadavere, reoque latente, a proximæ Civitatis, *Senioribus* Vitula omnis jugi expers coemenda, & in valle inculta, certis quibusdam sub cerimoniis, decollanda fuerit. Universo autem huic negotio *Sacerdotes* etiam non ut *Testes* solummodo; sed ut *Judices*, quoque interesse debebant. Utut autem speciales quædam munii partes, in textu diserte iisdem non assignentur: tamen ex v. 8. concludi quodammodo poterat, quod ea inprimis verba: *Expia populum tuum* Israelem, *quem redemisti*, Jehova, *& ne impone reatum sanguinis insontis, in medio populi tui*, (*Israelis*,) a *Sacerdotibus* præsentibus prolata, & ab hisce integer etiam actus sacerdotaliter tandem consummatus fuerit. Addimus his, quod ad sacrum quoque munus pertinuerit, ut *Sacerdotes* de omni immunditie, & inprimis etiam de gravissima fere ejusdem specie *Lepra*, cognoscerent, & judicarent. Omnem autem istiusmodi inquisitionem, atque examen, in loco profano, pro re nata, deter-

terminato, a *Sacerdotibus* susceptum fuisse vel ex *Levic. cap.* XIII. & XV. ad oculum patescit. His autem duobus in casibus, & similibus, *Sacerdotes* non ἀνυποδήτους fuisse, per sequentes rationes evincere conabimur. Nam I. In locis profanis qui versabantur, illi communi habitu, ad quem calcei quoque referendi sunt, utebantur. Vestium enim sacrarum usus, ministerio in *Tabernaculo* cui *Templum* successit, peragendo, adstringitur, *Exod. cap.* XXIIX. v. 43. Unde & in *Templo secundo* peculiare quoddam conclave, pro vestibus *Sacerdotum* asservandis, apparatum fuit. II. Caussa ἀνυποδησίας præcipua erat præsentia Dei, modo illustriori, (uti infra probabimus) manifestata. Sed hæc manifestatio, ordinarie, in *Sancto Sanctorum Tabernaculi*, atque *Templi*, peracta fuit III. Negotia, proxime proposita, ita erant comparata, ut ad *Forum* magis, *Politicum*, quam quidem, *Ecclesiasticum*, ista spectarent, minimum ad cultum sacrum quendam constituendum plane non pertinerent. Denique IV. Nulla ritus hujus, his in casibus, adhibiti, vestigia, vel in *Sacra Scriptura*, vel etiam in scriptis *Judæorum* ullibi comparent. Ceterum, quantum ad istum *Sacerdotum* attinet habitum, quo in *Vaccæ rufæ* (*Num. cap.* XIX. 7. *seq.*) combustione, quæ in *Monte Olivarum*, eum in finem, ut ejus cineribus, aqua permixtis, ex contactu mortuorum, polluti aspergerentur, atque mundarentur, peragebatur, uti consueverunt, omnino arbitramur, quod munia *Isti* sua, nudis pedibus ibidem obiverint. Plausum vero hæc sententia, potissimum meretur, quoniam (α) Actio hæc sancta erat, quæ & ipsa, eam ob causam a *Summis Sacerdotibus*, (vid. *Massec. Para.* III.) nonnunquam instituta legitur. Complectebatur enim illa in se sanguinis sparsionem septies e regione *Ædis Sacræ* repetendam, & ad usum insuper plane singularem, qui typi rationem habebat, (*Hebr.* IX. vers. 13.) destinabatur. II. *Sacerdotem*, qui *Vaccam* illam *rufam*, ad *Montem Olivarum*, deducere debebat, per 7. dies, in loco sancto, scilicet, בית אבן, commorari oportuit, ut nimirum, eo facilius, ab omni immunditie, iste se conservaret. III. Processus e *Templo* instituebatur, in quo ipso tamen cum immunda pedum tutela, nemini licitum erat versari. IV. Ipse *Olivarum Mons*, ad orientalem *Templi* plagam situs, ponte, (& arcubus, & fornicibus innixo) *Templo* jungebatur; Unde & hoc in negotio, tanquam continuus quidam *Templi* locus considerandus erit. Circa hasce autem in medium jam nunc propositas rationes, illud adhuc notandum venit, quod omnes junctim accipiendæ, & cum iis, quæ inferius de ritus ἀνυποδησίας caussis, aliisque momentis, recensebuntur, conferendæ sint. Num vero stante *Tabernaculo* inprimis in *Deserto*, idem hicce ritus, in *Vaccæ rufæ* combustione, adhibitus sit, id quidem temere non determinamus.

VII. *Loco* dimisso, ad *Personas*, quæ huncce, ἀνυποδησίας ritum observarunt, progrediendum erit. Et hic quidem, generatim adnotamus, quod etiam illi, qui ut spectatores tantum cultui divino externo intererant, uti a graviori immunditie sibi cavere; ita & calceos, ad montem *Templi* progressuri, deponere debuerint. Testatur hoc *Gemara Babyl.* ad *Misn. Massec. Berac. cap.* IX. cujus verba sequentia sunt. *Nemo intrabit montem Templi, cum baculo suo, aut calceo suo, nec brevioris viæ gratia, nec sputo eum inquinabit.* Eandem hanc observationem *R. Maimonides*, quoque in *Hal. Beth. Habbech. cap.* I. §. 2. non allegat solummodo; sed & illustrare, atque probare, satagit. Ceterum, cum nondum evictum sit; Utrum, scilicet, idem hicce ritus, stante adhuc *Tabernaculo*; usu jam tum obtinuerit, & a *Deo* ita institutus fuerit; insuper etiam & munditiem tantum externam spectasse videatur, operæ pretium non erit, ut negotio huic ulterius immoremur. Majori jure hic introducendi sunt *Levitæ*, utpote qui, excepta *Aaronis* familia, & posteritate, singulari ratione, a reliquis *Israelitis* separati, ad munus suum sacrum, ritibus quibusdam specialioribus, inaugurabantur conf. *Num.* IIX. v. 6. seq. Quamvis autem quamdiu *Tabernaculum* suppetebat, partes illorum præcipuæ essent, ut *Arcam Dei*, & *Vasa sancta* portarent, ac *Sacerdotibus*, quando sacra sua munia peragebant, operam navarent; a *Davide* tamen in XXIV. Classes ita distributi fuerunt, ut variis officiis istos (*Num.* IV. 15. & I. *Chron.* XXIII. v. 28.) perfungi oportuerit: Horum vero nonnulla cum in locis *Templi* sanctioribus peragenda essent, quo præter Cantum instrumentorum, similiter musicorum pulsatio, (2. *Chron.* XX. 19. *Nehem.* IX. v. 4.) ad vini libaminis effusionem, adhiberi solita, sigillatim spectat: dubium non est, quin nudis pedibus, sancta hæc munia isti perfecerint, utut in sequentibus, illorum mentio expresse non injiciatur. Maxime vero attendendum, hic locorum

rum erit, ad *Sacerdotes*, *Aaronis* posteros, quocunque demum in gradu dignitatis sacerdotalis, isti constituti essent. Hos enim inprimis Deus ad sanctissima cultus externi officia obeunda elegerat, & admiranda prorsus ratione jus sacerdotii, dum virga scilicet *Aaronis* virebat, & fructum amygdalarum, una nocte potrudebat, iisdem illis confirmaverat. Primi præterea *Aaron*, scilicet, & *Filii* ejus, oleo sacro המשחה (*Num.* XVII.) ungebantur, & ritibus insuper specialioribus ad sacratiora sua officia expedienda, inaugurabantur. (conf. *Ex.* XXIX. 7. & 21.) In Nuptiis quoque luctu imo in omnibus reliquis actionibus, singularem ut præ se ferrent sanctitatem, necessum erat. Sanctitatis enim quædam prærogativa ab istis requirebatur, qui propius ad *Deum*, ad *Sanctum Sanctorum*, *Arcam* item *Fœderis*, accedere debebant, atque adeo in locis istiusmodi, quæ sine præsentissimo quoque mortis periculo, ab aliis adiri non poterant, quotidie officio suo defungentes, versabantur.

Quoniam, igitur, *Sacerdotes* in præsentiam summi *Dei* se inferebant, non mentem modo omnesque cogitationes, sed & habitum externum, atque gestus, ad humilitatem, devotionem, & reverentiam, componere quam maxime iis conveniebat. Ad habitum autem externum, præter vestes sanctas, pertinebat etiam illorum ἀνυποδησία quam hac quidem vice examinandam suscepimus, quæ *Quomodo*, & *Qua ratione*, ab iisdem peracta fuerit, ulterius ut perpendamus, ordo supra indigitatus, a nobis exigit. Constat autem ex *Exod. cap.* XXIIX. vers. 42. quod præter tunicam, quæ totum corpus involvebat, *Sacerdotes* etiam habuerint, מכנסים *Femoralia*, quæ inferiores corporis partes velabant, & a lumbis ad genua usque pertingebant. Reliquum igitur corporis, pedem, nempe a genu ad plantam nudum plane remansisse, idem illud est, quod voce ἀνυποδησίας utpote quæ, laxius sumta, non calceis modo; sed & tibialibus carere denotat, hic locorum insinuare voluimus. Cum vero extra מקדש, habitum communem, adeoque, tibialia, & calceos usurparent *Sacerdotes*, non videtur a scopo alienum, inquirere, quo præcise in loco communibus depositis, sanctis vestibus isti sese involvere consueverint. Equidem quamdiu *Tabernaculum*, & *Templum* I. extitit, speciatim hoc super argumento scriptum nobis nihil relictum est, siquidem & alia multa ad exquisitiorem eorum notitiam pertinentia, reticentur. Fuisse tamen peculiare aliquod, pro vestibus sanctis recondendis, receptaculum, vero admodum simillimum videtur. In *Secundo* interim *Templo*, Conclave quoddam ad latus, portæ *Nicanoris* sinistrum, si *Rabbinis* fides habenda est, huic usui destinatum fuit, id quod communiter *Pinchasi Vestiarium* nuncupare sueverunt (confer. *L' Empereur* ad *Midd. cap.* I. *sect.* 2.) Erant autem ibi pro numero XXIV. *Ephemeriarum*, & quatuor specierum vestimentorum, (uti R. *Juda Leo Lib.* II. de *Templo cap.* 18. §. 106. affirmat) *96.* distincta *Vestium Sacerdotalium* Reconditoria. Ad illud itaque *Sacerdotes*, quando ad obeundum officium accingere sese isti volebant, deproperantes, sacras vestes cum vulgaribus, commutabant. Utrum vero in eodem illo calcei quoque exuti fuerint, illud quidem locus *Thalmudicus*, antea adductus non determinat, imo potius non levem dubitandi rationem hucdum suppeditat. Quod si enim per loci sanctitatem non licuerit, in Monte *Templi* cum calceis incedere, multo minus cum immunda istiusmodi pedum tutela, se ad locum majori sanctitatis gradu excellentem conferre; concessum fuisse existimamus. Accedit, quod *Sacerdotibus*, a בית מוקד, *Domo foci*, Conclave vestimentorum petentibus, *Sacerdotum*, & *Israelitarum* Atrium, (ut *Lundius*, quoque, docet in Jüdisch. Heiligth. cap. XXIII. §. 18. Libr. II. transeundum esset. Quare si conjecturæ locus hic concedatur, speciose minimum poteramus asseverare, quod intra porticus Montis *Templi* locus quidam deponendis calceis destinatus exstiterit atque adeo *Sacerdotes*, quorum *Ephemeria*, per septimanam ministrabat simul ac vepertino tempore *Sabbathum* præcedente in *Templum* admissi fuissent calceos suos deposuerint, ulteriusque progressi ad בית מוקד se contulerint, unde summo mane ex somno excitati & vestibus sanctis in Conclavi vestimentorum involuti, ad sanctum munus sese accinxerint.

IX. Sed supervacaneum forsan videri poterat specialem ritus præsentis circumstantiam levi quadam conjectura determinare cum dubitare quis hucdum possit; Utrum istiusmodi ritus circa cultum sacrum semper obtinuerit? Quare, ut huic occurramus scrupolo, simulque argumenti nostri veritas atque certitudo plenius patescat, ante omnia *Scripturam Sacram*, dehinc vero *Judæorum* D. D. in subsidium evocabimus. Quemadmodum, autem *Sancta Scriptura* licet fœcundum quod-

quoddam rituum Ecclesiasticorum apud *Israelitas* florentium promtuarium nobis exhibeat; in minutissimis tamen circumstantiis, quæ *Mosis* præsentis cura ordinari potuerunt scrupulosius, enodandis semper non occupata est: Ita *ἀνυποδησίας* ritum quem jam nunc evolvimus, ex aliis nonnullis locis, per pronam consequentiam eruendum nobis reliquit. Sunt autem loca illa, *Exod. cap.* XXIIX. v. 4. seq. & *cap.* XXX. v. 8. seq. *Prior* mandatum divinum, de vestibus sanctis cum pro *Summo Sacerdote Aarone* tum quoque pro reliquis *Sacerdotibus communibus* filiis illius conficiendis *Mosi* in monte *Sinai* datum, complectitur. Istius quidem connumeratis quas cum aliis *Sacerdotibus*, communes habebat octo vestes recensentur. Scilicet I. חושן *Pectorale*, quod spatium quadratum trium palmarum longitudinis, & latitudinis in pectore impiebat & in XII. gemmis per quatuor ordines digestis nomina filiorum *Israelis* exhibebat conf. v. 4. & 15. seq. II. אפוד *Amiculum*, quod ab humeris ultra dimidiam corporis partem dependebat III. מעיל, *Pallium* cujus longitudo utut exacte non sit descripta, ad tibiæ tamen medium istud descendisse cum *B. Lundio* im Jüdisch. Alterth. *Lib.* III. *cap.* V. *num.* 5. nobis verosimillimum videtur. IV. ציץ *Lamina aurea*, cidari prætensa. V. כתונת *Tunica*, quæ corpus immediate a collo ad talos, tegebat. VI. אבנט *Balteus* qui tunicam corpori arcte jungebat. VII. מצנפת *Cidaris*, capitis ornamentum &, denique. מכנסים *Femoralia*, quæ infimas corporis partes ad genua usque involvebant *ib.* v. 42. Ex his, quatuor ista vestimentorum genera quæ ultimo loco recensuimus *Summo Sacerdoti* cum aliis, communia erant, & speciatim quidem *l. c.* v. 40. & 42. enumerantur. Præter has vero octo *Summi Sacerdotis* vestes, quæ distinctionis ergo ob aurum intertextum vel appensum *Aureæ* vocari solent, *Scriptura S.* speciatim *Levitic.* XVI. 4. quatuor aliarum mentionem injicit quarum usus tantummodo in *Die Expiationis*, obtinuit. A colore *Albæ* istæ nuncupabant eandemque cum vestibus quatuor *Sacerdotum Minorum* formam præ se ferebant Cum, igitur (α) in exacta hac *Vestium sacerdotalium* recensione quæ mandati vim habet nulla omnino vel tibialium, vel calceorum mentio fiat (β) vestes proxime pro instituti ratione, descriptæ pedes quidem plurima ex parte tegerent non tamen involverent; (γ) Hoc ipso in loco v. nempe 43. adjiciatur quod *Sacerdotes* ministerio suo defuncturi, enumeratis hisce vestibus indui debeant (δ) In executione hujus mandati non plures vestes pro *Sacerdotibus* paratæ sed omnia, secundum præceptum *Jehovæ*, *Mosi* datum, *Exod.* XXXIX. I. *seq.* & v. 32. peracta esse legantur, (ε) In solenni *Aaronis*, & *Filiorum* ejus ad officium sacrum inauguratione, & unctione non plura, quam antea recensita sunt, vestimenta illis induerentur, (*Exod. cap.* XXIX. v. I. 10.) firmissime, nos exinde concludere posse, arbitramur quod *Sacerdotes* sancto officio suo, nudis pedibus perfuncti fuerint. Quæ enim divinus scriptor *Moses*, de universa lege divina suo ministerio lata *Deut.* IV. v. 2. & *cap.* XII. v. ult. præcipit, quando: *Non addetis*, inquit *ad verbum quod ego præcipio vobis, & non diminuetis de eo ut custodiatis mandata divina Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis*: Illa etiam huic præcise loco, ubi super vestibus sanctis disponitur, accommodari & possunt, & debent. Ipsa, quoque *Synagoga* hoc in negotio, nobiscum sentit, siquidem *Magistri*, ejusdem, Celeb. suis, idem istud suffragiis adprime corroborant. Ita enim *Rab. Bartenora* ad *Misn. Sevach. cap.* II. commentatur: *Deficiens vestibus est sacerdos, qui operatur paucioribus, quam quatuor vestibus; aut Pontifex M. quum operatur paucioribus, octo, & quemadmodum is, qui deficit, illegitimus est, sic & ille, qui plures habet*: Suffragatur huic *Maimonid.* quando in *Kele Hammikd. cap.* X. *hal.* 5. *Quemadmodum is, inquit, qui vestibus caret, reus mortis est, & ministerium illegitimum reddit; ita & ille, qui plures habet*. Quod ad posteriorem locum, *Exod. cap.* XXX. *vers.* 18. 22. *coll. c.* XXXII. *vers.* 8. attinet, instruitur, ibidem, *Moses*, ut, per artifices conficere curet כיור, *Labrum æneum*, basi ænea suffultum, & hoc eum in finem, inter *Tentorium Conventus*, & *Altare Holocausti*, aqua repletum, collocet, ut *Sacerdotes* ad *Tabernaculum* accessuri, officioque sancto, ibidem defuncturi, manus, æque, ac pedes suos in eo, lavent, ne moriantur. Hunc in usum *Salomo* quoque in *Templo* I. (conf. I. *Reg. cap.* VII. *vers.* 23. *seq. coll.* 2. *Chron. cap.* IV. 2.) ים המוצק *Mare*, ex ære fuso, quod ab uno labio ad aliud, decem cubitos latum; in peripheria autem triginta cubitos complectebatur, parari jusserat. Posteaquam, autem hoc ipsum, expugnata, a *Babyloniis*, *Hierosolyma*, & *Templo*, per incendium, deleto, *Babyloniam* delatum, ibidemque confractum esset, (2. *Reg.* XXV. 13. & *Jerem.* LII. 16.) ex captivitate reduces *Templum* II. iterum, כיור,

La-

Labro, inſtruxerunt, &, inter *Pronaon*, & *Altare* exterius in plaga auſtrali, (*conf. Gem. Hieroſ. Jevamoth.* 12. 3.) collocarunt. Imo cum gens *Judaica*, appropinquante temporum plenitudine, ad ſuperſtitionem proclivis, aquas in vaſe remanentes noctu pollui exiſtimaret, machinam ligneam invenit, & labro adaptavit, cujus ope aquæ reſiduæ veſpera dimitti & educi mane, poſſent. Prætera duodecim etiam epiſtomiis illud inſtruxit, ut totidem *Sacerdotes* uno eodemque tempore, (ut, ex *Tamid.* III. 8. *Gem. Joma*, 25. I. *Gem. Zevach.* 21. 2. *Relandus* in *Antiqu.* S.V. *Hebr. Part.* I. *cap.* IX. §. 13. docet,) lotionem peragere poſſent. Ex his ſane oppido liquet, quanta & cura, & ſollicitudine ritum manus, & pedes, lavandi, a *Deo* inſtitutum, *Judæorum* populus integrum ſartumque ſemper conſervare anniſus fuerit. Quod ſi itaque ſupponere velimus, quaſi *Sacerdotes*, cum tibialibus, & calceis, vel ſoleis, miniſterium ſuum peregerint; quare quæſo! tanta diligentia, pedum mundities, tot lotionibus, procuranda erat? Nonne id laboris in abſtergendis calceis potius impendi, atque conſumi, potuiſſet? An, vero tibilia etiam cum calceis, ante ipſam lotionem exui iterumque, pedibus mundis, ſordidi indui vel a pedibus ſeparatim aut cum iis junctim inſimul lavari debuerunt? Anne loti prius ſiccandi vel primis conſpurcatis, recentes continuo induendi fuerunt? Multa ſane prorſus aliena, ſi iſtiuſmodi quid aſſeverare velimus, textui ſacro addenda, inſerenda, & affingenda, erunt cum contraria tamen ſententia apte cum allegatis, & his ſimilibus oraculis conſpiret. Jubentur enim *Sacerdotes* ut manus, & pedes ſuos, aquis abluant, ſiquidem tibialibus, atque calceis plane iſti non involvebantur, ſed ad genua uſque nudi incedebant. Lavare inſuper etiam ſæpius debebant, quoniam ut ſanguine victimarum facile conſpergi; ita minima, imo nulla, fere opera denuo, purgari, atque ſiccari, poterant. Porro vero admodum eſt ſimillimum quod *Sacerdotes*, peracto per ſeptimanam miniſterio, antequam communes veſtes, & cum iiſdem tibialia & calceos induerent, manus & pedes denuo, lavaverint.

X. Perluſtratis igitur Scripturæ Sacr. argumentis hanc in rem præcipue facientibus, ad ea, quæ ſcripta *Judæorum* ſuppeditant, progredimur. Cum vero hæc non unius ejuſdemque generis eſſe, deprehendantur, ut, eo diſtinctius, in excutiendis iſtis, procedamus, expromenda erunt. I. Illa momenta, quæ de ritu præſenti expreſſe teſtantur. II. Quæ conſequentia inde deducta idem confirmant. Prioris generis ſunt.

I. Evidens *R. Moſe*, *Bar Nachman* ſive *Gerundenſis* teſtimonium, quod in *Schem: Rabba Parraſ.* 2. per verba ſequantia effertur: הכוהנים לא שמשו במקרש אלה יחפים: *Sacerdotes non miniſtrant in Sanctuario, niſi diſcalceati*. Adſunt enim hoc in loco omnes circumſtantiæ, quas ſupra quando ritum ἀνυποδησίας præſentem exponebamus annotavimus. Quandoquidem (α) verbum שמש *miniſtrare*, tantæ eſt latitudinis ut omnes ſancti muneris, & officii ſacerdotalis partes complectatur, ſive illæ quotidiə, & diebus *Sabbathi*, atque *Feſtorum*; ſive per intervalla oblata occaſione eſſent ſuſcipiendæ. Cum vero ex his functionibus aliæ in loco ſancto, aliæ autem extra eum in profano, ut ſupra monuimus peragendæ eſſent; hinc in textu additur limitatio quædam voce מקרש inſinuata quæ ſubindicat verbum שמש h. l. non abſolute de omnibus, ſed de iis tantum muneris ſancti partibus interpretandum eſſe quæ in מקרש *Sanctuario*, expediendæ venirent. III. Hæc ipſa vox מקרש, inſimul locum in quo ritus præſens adhibitus eſt: indicat. Originem enim iſtius ſi ſpectes, apta nata illa eſt, ut & *Tabernaculum*, & *Templum* deſignet, unde & de utroque loco ſancto in *Pandectis* S. ſæpius, quoque iſta adhibetur. Accenſuimus quidem ſupra his ipſis *Montem* etiam *Olivarum*, quatenus combuſtioni *Vaccæ rufæ* ille inſerviebat, cui nunquam tamen vox מקרש exſerte tribuitur; At enim vero quoniam ſi conjectura nos non fallit, *Mons Olivarum*, hoc in negotio, ut contiguus *Templo* locus concipi debet, nihil obſtare videtur, quo minus idem iſte ſub voce, מקרש, comprehendi queat. (γ) Vocabulo כוהנים *Perſonæ* indigitantur. Non alios autem quam *Aaronis* poſteros, per iſtam ſignificari notiones adjectæ, ſcil. שמשו במקרש luculenter ſatis evincunt. Nulli enim *Iſraelitarum* Tribui quam *Levitis* (*Num. cap.* VIII. 14. *ſeq. cap.* XVIII. 6. *ſeq.*) ſacrorum officiorum procuratio demandata, nec ulli *Levitarum* familiæ alii quam *Aaronis* ſacerdotii jus *Num. cap.* XVI. a *Deo* conceſſum fuerat. (δ) Verbum ſive adjectivum, יחף ipſum *Ritum*, ejuſque *Modum* propius deſignat cum τὸ יחף, vel per *diſcalceari*, vel per *diſcalceatus*, exponendum ſit. Ceterum cum ſuo loco inſuper docuerimus, & ex *Scriptura* S. ipſa

ipſa probaverimus, quod *Sacerdotes*, ſacra perficientes non calceis ſolummodo; ſed & tibialibus deſtituti fuerint; dubium videri poterat; Utrum *Rabbini* hujus ſuffragium theſin noſtram, quoad omnia momenta roboret: id quod tamen vel inde aſſeverare nos poſſe arbitramur, quoniam (א) Res ipſa luce ſua radiat, & in confeſſo eſt; (ב) *Judæus* a nobis hic allegatus, vel eam etiam ob cauſam idem docere voluiſſe cenſendus ſit, quia alii quoque eidem huic ſententiæ ſubſcribunt, imo Apellæ propemodum omnes in hoc negotio conſpirent. (ג) Nihil obſtat quo minus laxiori in ſenſu, vox hæc accipiatur, atque ita tibialia inſimul etiam includat; maxime cum hoc in ſignificatu, ipſa *Scriptura S. Jeſai. cap.* xx. *verſ.* 2. eandem adhibuiſſe videatur. (ד) Voces arbitrariæ ſignificationis eſſe poſſunt, atque adeo laxius quandoque ſumi, id quod tamen ex ipſo contextu potiſſimum dijudicandum eſt. Et his quidem rationibus communiti ſpecioſe ſatis adſtruere non poſſe judicamus, quod *Rabbini* quoque vocem יחף, in eodem ſignificatu quem nos ſupra voci ἀνυποδησίας aſſignavimus, hic locorum accipiant.

II. Argumentum exhibetur in *Talmude*, rituum *Judaicorum* ſyſtemate, *Cod. Sevach. cap.* II. *Miſn. cap.* I. & ſequentis, quidem illud tenoris eſt: עומד על גבי כילים על גבי בהמה על גבי רגלי חבירו פסל: *Si quis ſteterit ſuper inſtrumenta, aut ſuper beſtiam, aut ſuper pedes alterius, ſive ſocii* (ejus ſacrificium) *eſt illegitimum*. Sigillatim autem circa propoſitionem hanc tenendum erit quod: I. Iſta taliſmodi res, quæ ſacrificium quoddam illegitimum reddunt, ſuppeditet. Quoniam vero ſacrificiorum oblatio pars erat officii ſacerdotalis, quod extra loca ſancta peragi non debebat, generatim hic tum *Perſonas*, tum etiam *Locum* inſimul indigitari admodum probabile eſt. II. Habitum pedum, & potiſſimum plantarum ſuggerat; id quod vel ex voce עמד cui particula על ſtatim ſubjungitur haud gravatim colligere poterimus. III. Omnia re utut diverſiſſima in eo tamen conveniant, quod pedis plantam a pavimento removeant. IV. Uſus vocis כלים tam late apud *Judæos* pateat ut omnia omnino veſtimentorum genera ejus ambitu contineantur, ſiquidem *Veſtes* quoque, *octo Summi Secerdotis*, per τὰ שמונה כלים indigitantur. Quoniam igitur *Rabbinis* in more poſitum eſt, ut quibuſdam ſpecialibus exemplis adductis, generales proponant regulas, & a ſimili ad ſimilem caſum concludant, nulli affirmate dubitamus quin hic quoque locorum, & calcei, & tibialia a miniſterio ſacro excludantur. Firmat hypotheſin noſtram, tum quod alibi inter *Sacerdotis* illegitimi vitia recenſeatur, quando ſolo ita ille inſiſtat, ut inter pedem, & ſolum aliud quidpiam interjectum ſit; (vide hæc recenſentem *Relandum loc. cit. Oart.* II. *cap.* IV. §. 10. inprimis ex *Gem. Cholin.* 24. 2.) tum maxime *R. Moſes ben Maimon.* cujus in *Hal. beth. Habbech. cap.* V. §. 17. verba ſunt ſequentia: כל העוסק בעבודה המקדש צריך שיהיה עומד על הרצפה ואים היה דבר חוצץ בינו וביז הקרקע כגוז שעמד על גבי כלים או בהמה או על רגלי חבירו פסל: *Quicunque miniſterium ſanctuarii præſtat, tenetur in pavimento ſtare; ſi vero aliquid reperiatur quod eum a pavimento ſeparet, veluti ſi ſtet ſuper aliquo inſtrumento, aut ſuper pedibus ſocii ſui; Ejus miniſterium illegitimum eſt*. Nihil ſane clarius, vel ad explicandum locum *Talmudicum*, vel ad comprobandam iſtam, quæ ſupra de ritu ἀνυποδησίας propoſita eſt, ſententiam noſtro, quidem judicio proferri potuiſſet. Non enim omnes tantum ritus hujus circumſtantiæ ad locum *R. Nachman* collatæ, hoc in loco comparent, ſed longe etiam majori luce eadem hic radiare videntur. Quando enim illud quod per vocem כוהנים ille hic per τὰ כל העוסק בעבדה, exprimit, conſtat omnino, quod nec *Levitæ* hic excludendi ſint. Accedit quod vox יחף, hoc in negotio ambigua appoſite hic & diſtincte circumſcribatur.

IX. Plura hanc in rem facientia teſtimonia ex *Judæorum* commentariis, *R. Leonis Judæ* inprimis Libro de *Templo cap.* XIX. excitari huc dum poſſent, niſi modo adducta præcipua fere eſſent, & hanc in ſententiam inſuper omnes citatis quaſi paſſibus abirent. Ne igitur juſto prolixiores non eſſe velle videamur, ad reliqua potius, quæ generis poſterioris ſunt argumenta, quæ ſcilicet idem per conſequentiam evincunt, & ex rituum *Judaicorum* analogia deducta ſunt, jam nunc progredimur.

Sic I. In *Tract. Talm. Middoth cap.* I. *ſect.* 6. in *Templi* II. deſcriptione mentio injicitur loci cujuſdam nomine בית מוקד *Domus foci* deſignati qui ad *Septentrionem Atrii Sacerdotum*, plurima ex parte in חיל *ſpatio antemurali* collocatus fuit. Hic in quatuor angulis ſuis totidem quoque oſtentabat conclavia quorum I. *Panum propoſitionis* erat. II. *Lapidum altaris*. III. *Balnearium* & IV. Tandem *Agnorum*. In intermedio autem ſpatio *Ignis perpetuus* (unde & loci nomen,) hunc in uſum alebatur, ut *Sacerdotes*,

qui

qui nudis pedibus ſupra ſolum *Atriorum* marmoreum incedebant, calido ejus pavimento inambulantes moderato quadantenus calore reficerentur, atque foverentur. Equidem non repugnaret ſi alium etiam igni huic uſum tribuere, eundemque ad calefaciendos quoque *Sacerdotes*, e balneo redeuntes adparatum fuiſſe aſſerere velimus, niſi obſtaret quod locus hic publicus fuerit, atque nudorum pudori minus convenerit; inſuperque etiam peculiare quoddam conclave *Balnearium*, ſcilicet huic negotio deſtinatum fuerit. Atque inde etiam eſt, quod idem hocce Conclave, ut accuratius a בית מוקד, *Loco ardoris* majoris diſtingueretur, לשכת המוקד *Conclave ardoris* nuncupatum fuerit; id quod ex verbis *R. Bartenoræ* a *L' Impereur*, ad *Midd. cit. loc.* adductis potiſſimum quoque eluceſcit.

2. In *Tract. Schekalim* v. I. inter præfectos *Templi* numero quindecim recenſetur quoque ille qui ægris præpoſitus fuerat, ממנה על חולי מעיים, cujus inſtituti cauſam *Maimon.* quando in *Hal. kele Hammikd Sect.* VII. §. 14. ita ſcribit manifeſtat: הכוהנים מפני שהן עומדים על הרצפה תמיד ואכלין בשר הרבה ואין עליהן בגדים בשעת העבודה אלא חלוק אחד הם חולין במעיהן לפיכך מעמידין ממנה אחד שיהיה מבקר אותן ומרפה כל תחלואהן ועוסק בהן תמיד הוא ואנשי שתחת ידו: *Quoniam ſacerdotes perpetuo pavimento* (nudis pedibus) *inſiſterent, & carne multa veſcerentur, præterea tempore miniſterii non niſi tenui tunica induti eſſent, & viſceribus ita ægrotarent, ea propter conſtituerunt peculiarem Præfectum, qui in eos inquireret, & omnes illorum ægritudines ſanaret, ſemperque una cum iis qui illi ſubjecti erant, hoc in negotio occuparetur.* Cum itaque conſequens antecedens tanquam effectus cauſam præſupponat argumenti, ut arbitramur noſtri nexus firmiori, cui innitatur baſi, haud deſtituitur. Quoniam vero hæc argumenta eo tantum collimant, ut probent, quod ſub *Templo* II. ritus ἀνυποδησίας in ſacris fuerit adhibitus meritoque ita pro ſecundariis, & illuſtrantibus modo cenſenda ſunt; ea ne accumulemus res ipſa exigit, utut ceteroquin iſta quæ de veſtium *Sacerdotum* miniſtrantium numero ſuperius adduximus, aliaque non pauca, huc quoque pertineant.

XII. Poſteaquam itaque ritus præſentis circumſtantias præcipuas ſub examen qualecunque revocavimus, ipſamque iſtius exiſtentiam, tum *Scripturæ S.*, tum *Judæorum* quoque teſtimoniis comprobavimus ad originem, & antiquitatem iſtius inveſtigandam; ulterius, ut nos accingamus neceſſum eſt. Hic ſi in partes *Clerici* tranſire volupe nobis eſſet, origo ejuſdem nulla omnino difficultate laboraret. Vir enim *Celeb.* in *Comment.* Philol. in *Pentat.* ſuper *Exod. cap.* III. *verſ.* 5. poſt factam ritus hujus mentionem ſubjicit: *Hæc præ ceteris populis munditiei ſtudioſi Ægyptii factitaſſe videntur. Certe a Pythagora cujus inſtituta pleraque ex Ægyptiis deducta erant, hoc præceptum diſcipulis datur* (ut autor eſt *Jamblicus*, in Vita ejus) θύειν χρὴ ἀνυπόδητον ϗ πρὸς ἱερὰ προσιέναι. *Oportet immolantem calceis carere, & ſic ad ſacra accedere.* Et paucis interjectis pergit: *Huic ergo mori, non a* Moſe *inſtituto, ſed dudum recepto ſeſe hic attemperavit Deus, quod & ſæpius alias fecit.* Sed quis ſponte non percipit quod *Clericus*, ut ſubleſtis ſuis hypotheſibus inſerviat, multa hic ſupponat, quæ ad Autorem ſuum releganda, & prorſus improbanda ſunt? I. Enim dubius licet, quodammodo aſſerit, quod *Ægyptii* in ſacris ſuis ἀνυποδησίας ritum adhibuerint cum tamen, vel ex *Herodoto lib.* II. *cap.* 7. & 27. & ex *Philoſtrato* in *Vita Apollonii cap.* 8. conſtet, quod apud *Ægyptios*, ὑποδήματα βύβλινα, *Calcei* ex implexis papyri tæniis, vel e craſſiore papyri membrana, ſeu cortice compacti, (*Aut. Balduino* in Libr. de *Calceo Antiq. cap.* 3.) in ſacris etiam in uſu fuerint. Rei hujus exemplum ex *Tertulliano* modo laudatus *Balduinus cap.* 3. §. 21. adducit quando iſte, cum Senatori Apoſtatæ ſacra *Iſidis* exprobrare vellet, inter alia ita loquitur:

— Caligaque remota,
Gallica ſit pedibus molli redimita papyro.

Vel ex ipſius *Balduini* emendatione: *Gallica ſit pedibus mollis redimita papyrus.* II. Quando aſſeverat quaſi *Pythagoræ* præceptum ex *Ægyptiis* ſit repetitum, omni plane nexu argumentum deſtituitur. Non enim ſequitur: Pleraque *Pythagoræ* inſtituta *Ægyptiis* originem debebant; Ergo etiam hoc Θύειν χρὴ &c. Prius enim ubi *Viro Cel.* liberaliter largiri velimus, nihil tamen exinde amplius concludi poſſet, quam quod ab iis idem iſte ritus deduci *potuerit*. Cum autem proxime allatum ex *Balduino* teſtimonium aperte nos inſtruat quod *Ægyptii* non plane nudis pedibus ſacris operati fuerint; pronum erit, ut credamus quod *Pythagoras* (ſiquidem morem hunc ab *Ægyptiis* accepiſſet,) vel aliquid in eodem immutaverit, vel aliter quam ut verba ſonant

nant super sententia istius judicandum sit. III. Morem ἀνυποδησίας, dudum receptum fuisse intrepide quidem affirmat, sed idoneum tamen nullum hujus suæ assertionis documentum in medium proponit. Non enim nobis videtur vero esse simile quod *Vir Cel.* vel ad ipsos *Ægyptios*, multo minus ad *Pythagoræ* allatum præceptum respexerit, cum de illis ipsemet hucdum quadantenus dubitet nedum, quod probandum erat solide probet; *Pythagoras* autem a *Mose*, vel per mille minimum annos summovendus sit. Provocat quidem *Anglus* ad testimonia a *Johanne Dougthæo*, in *Analect.* S. *Excurs.* XXXIII. ad L. *Fxod.* III. 5. allegata, sed cum ista ritum ejusmodi apud alias quoque gentes floruisse solummodo commonstrent diversum plane, quid ab eo de quo in præsenti disquiritur, inferunt cum super isto potissimum hic litigetur; Utrum dudum, & quidem ante *Mosis* tempora ritus iste, quod *Clericus* affirmat receptus fuerit? Quod si autem idem ille insuper obvertat quod probati Scriptores *Solinus*, *Valerius Flaccus*, *Silius Italicus*, *Callimachus*, alii de ritu pridem introducto loquantur; nihil tamen roboris, aut præsidii assertum illius inde capiet. Autores enim excitati nimium quantum a seculo *Mosis* distant, neque etiam certum quoddam Tempus, quo præcipue ritus hic nostero a Gentibus illis adhibitus sit, assignant imo nec assignare etiam potuerunt. Atque hinc. IV. Gemina probatione indiget assertum ultimo loco a *Clerico* in medium propositum; *Quasi* scilicet, *Deus mori Gentilium in hoc quoque ritu constituendo sese attemperaverit*. Morem enim ejusmodi inter alias Gentes, ante *Mosis* jam tum tempora floruisse, id sane a *Clerico*, nondum ut ostendimus probatum est, nec post eum ullus alius unquam probabit. Et si hoc etiam quadantenus, & animi caussa *Clerico* elargiremur; ulterius evincere eundem oporteret, quod sapientissimum *Numen* mori huic facto ipso etiam sese attemperaverit. Quod enim addit: *Quasi Deus alias quoque sæpius sese accomodaverit:* id sane eadem parte laborat, uti infra in theseos hujus refutatione uberius demonstrare annitemur.

XIII. Cum itaque cuncta quæ ad stabiliendam sententiam suam Cl. *Vir* allegat argumenta omni prorsus robore destituantur, satis præsidii nobis suppetere arbitramur ut a sententia ejusdem quod hactenus fecimus, non solummodo discedamus sed illam quoque ut falsam atque erroneam, per sequentia pro virili destruamus. Non autem quantum ad statum controversiæ attinet illud h. l. quæritur: I. An nimirum supremum *Numen* si quidem id ei placuisset, Genti cuidam naturali tantum notitia instructæ angustius longe cognitionis suæ salutaris lumen suppeditare ritus, item atque cerimonias quasdam in eadem ista gente, sanæ rationis judicio introductas possit retinere? Nec II. An in gratiam infirmiorum fratrum cum duæ Gentes, quarum ritus & mores diversissimi erant in unam veram religionem & Ecclesiam coalescunt, ritus quosdam ab una adhiberi solitos apud alteram, etiam ad tempus tolerari atque observari tantisper hucdum voluerit? De priori enim summa divinæ voluntatis libertas & arbitraria rituum significatio; de posteriori autem Decretum *Apostolorum* in Concilio *Hierosolymitano*, de *Idolothytis* & *esu sanguinis* Gentilibus, ad *Christianam* religionem conversis vitando factum, neminem dubitare sinunt, (conf. *Actor.* cap. XV. vers. 29.) Quæritur ergo III. An *Numen* sapientissimum in cultu externo & ritibus; Gentis cujusdam vel clarius Populi *Israelitici* veræ religioni, a multis seculis addicti *Ægyptiorum* autem moribus, in quibusdam forte assueti postquam hic in libertatem restitutus fuisset ordinandis Gentilium mori, atque consuetudini revera sese attemperaverit? *Clericus* qui hoc affirmare non dubitat perperam inprimis de hoc temperamento divino ex quarundam cerimoniarum ficta convenientia judicare satagit. Quemadmodum enim omnes ritus & cerimoniæ, quæ cultum externum veri Dei, in V. T. absolvunt, cognationem & nexum inter se habent ac tandem ad unum scopum *Christum*, scilicet cum beneficiis suis adumbrandum collineant: (conf. *Hebr.* VIII. 5. *cap.* IX. I.) ita etiam de omnibus in unum quasi collectis atque junctim sub hoc præcise respectu, judicium ferendum est. Cum autem doctrina de *Christo*, nulli unquam Genti per naturam, cui stultitia videtur innotescere potuerit, satis patet quod ritus convenientes non ante sed post cultum externum ab *Israelitis* adhibitum apud *Gentes* demum invaluerint, præterea etiam umbram tantum & externam quandam similitudinis speciem præseferre potuerint. Quod si igitur umbra corpus species rei veritatem sequitur immerito, sane *Clericus* *Justinum Martyrem* loc. cit. fugillat, quando hic in *Apol.* II. *Ethnicos* furti passim incusat, atque asseverat, quod ex cultu *Hebræorum* nonnulla isti surripuerint, atque adeo illorum quodammodo mores imitati fuerunt. Nos igitur allatam quæstionem negantes urgemus.

1. Quod nulla hujus temperamenti divini caussa appareat. Populus enim *Israeliticus*, (α) non nunc demum ad veram religionem erat convertendus, unde supponi posset quasi *Deus* ne subita & in omnibus indifferentibus etiam ritibus instituta mutatio populum nimis reluctantem redderet quædam per se, non male retinuerit. Dudum enim *Israelitæ* a majoribus suis veram religionem imo & cultus externi, quoad substantiam spectati rationem, edocti fuerant. (β) Posteaquam autem mortuo *Josepho* in *Ægypto*, dura servitute is premeretur eum etiam ad suscipiendos mores istorum idololatricos coactum fuisse; vel ausu spontaneo quædam ex sacris *Ægyptiorum* imitatum esse, illud facilius asserere *Clericus*, quam probare poterat, cum nulla hujus rei in propria sede ejus libro nempe *Exodi* appareant vestigia, utut status *Ecclesiæ* sub afflictione gemens ibidem describatur. (γ) Quod si etiam largiremur *Israelitas*, quando per tot annorum spatium inter *Ægyptios*, ut servi commorabantur morem dominorum in aliquibus sequutos esse; tantum tamen abest, ut ἀυποδησίας ritus, de quo in præsenti potissimum nobis sermo est, ab *Ægyptiis* repetitus fuerit, ut *Pseudo-Critico* nostro id probandum potius incumbat: Utrum prius etiam revera ritus iste, apud *Ægyptios* usu obtinuerit? (δ) omnia denique speciosiora licet, quæ pro divino temperamento pugnare, & ulterius hic adduci potuissent argumenta, vel hoc unico profligantur quod *Deus* externi cultus sui rationem exactam populo, jam in plenariam libertatem asserto præscribere, demum voluerit. Accedit quod hic ritus, non ad tempus vel in gratiam *Ægyptiorum* istorum, qui cum *Hebræis* fortean *Ægyptum* reliquerant; sed perpetuo (durante scilicet V. T. œconomia) hac in gente, in justam reipublicæ formam accrescente, observari debuerit. Quod si igitur quam maxime in sapientiam summi *Numinis* est injurium statuere velle, quasi illud ulla absque causa movente, ut populus ejus mores idololatrarum imitaretur, concedere voluerit rationis nostræ certitudo, ex cordatiorum omnium suffragio merito suo hucdum triumphabit.

2. Quod ad veram in dogmatibus & puriorem doctrinam conservandam, non ultimum afferat momentum, decens rituum ordinatio, ut εὐσχημόνως & κατὰ τάξιν omnia in Ecclesia peragantur. Cum enim Cerimoniæ signa quædam externa sint, certas cogitationes in mentibus humanis excitare apta facile contingere potest, ut cogitationes per ritus corruptos, in perversum abripiantur atque ita sensim & occulte in ipsa doctrina corruptio quædam suboriatur. Exempla sane rei hujus clarissima tum ipsa *Scriptura Sacra* quando cultum *Baaliticum*, a *Jeroboamo* institutum 1. *Reg. cap.* XII. *vers.* 28. *seq.* itemque *Ephod Gideonis*, *Judic.* cap. VIII. vers. 17. introducit; tum etiam *Historia Ecclesiastica* imprimis quando circa ortum Pontificatus rite delineandum, ista occupatur subministrant. Comprobat hoc ipsum *Hoornbeckius*, in *Summa Controv.* lib. IV. pag. 194.

3. Quod *Deus*, cum populus *Israeliticus* adhuc in *Ægyptiorum* potestate esset, noluerit ut idem ille licet Tyrannica prorsus ratione haberetur, in cultu suo *Ægyptios* (*Exod. cap.* VIII. 22.) sequeretur; imo posteaquam liberatus in *Deserto*, is vagaretur ob cultum *Aurei Vituli*, a sacris *Osiridis Ægyptiorum* suam procul dubio originem ducentem, graviter in illum animadverterit. *Ex. c.* XXXII.

4. Denique urgemus quod benignissimum *Numen* populum suum, ab omnibus aliis gentibus ritibus potissimum ac cerimoniis in oculos incurrentibus sollicite admodum distinxerit. Probant hoc loca clarissima *Deut.* IV. 6. *Et custodietis & servabitis*, (præcepta & statuta divina) *quia hæc sapientia & intelligentia vestra, in oculis Gentium, quæ audient omnia statuta hæcce, & dicent: Certe populus sapiens & intelligens, gens magna hæc*; Pariter etiam Psal. CXLVII. vers. 20. inculcatur: *Indicat* (Deus) *Jacobo verbum suum, statuta & judicia sua Israeli, nulli Genti ita facit nec cognoscenda præbet instituta sua*. Utut autem hæ rationes generales & generatim tantum informatæ esse videantur; nobis tamen ob generale *Clerici* effatum ultimo loco adductum itemque argumenta illius generalia aliis in locis excitata, eum in modum similiter istæ concipiendæ erant, maxime cum satis superque illæ etiam ad *Clerici* sententiam, de præsenti præcise ritu destruendam sufficiant. Cum enim nullius in probationibus diserte mentionem injecerimus, ad omnes nos respexisse evidens est.

XIV. Falsa igitur fictaque ritus ἀνυποδησίας, in sacris origine explosa veraque insimul jam tum subindicata atque supposita, ad hujus probationem rite ut nos conferamus instituti, ac bonæ methodi, ratio requirit. Ante omnia autem nobis hic incumbit, ut ad argumenta superius pro existentia ritus hujus ex *Sacris Literis* allata recurramus. Probavimus nempe illum sub mandato divino, partim de numero & usu *Vestium Sacerdota-*

talium; partim de *Lotione Manuum* & *Pedum*, a sacris personis ante ministerium instituenda *Mosi* in monte *Sinai*, juxta cum aliis dato contineri. Prona itaque hinc fluit consequentia, quod ille pariter ac reliqua expresse posita, unam eandemque agnoscat originem, maximaque Domini mandantis autoritate, similiter suffulciatur. Extra omnem enim dubitationis aleam positum illud esse arbitramur, quod ad ritus cujusdam *Ecclesiastici* originem divinam probandam non semper requiratur, ut per explicitum quoddam quod super eo latum sit, mandatum idem iste corroboretur; sed sufficere, quando aliorum ministerio atque ope de divina voluntate certiores reddi poterimus. Occurrit tamen insuper expressum etiam *Dei* mandatum, quod analogice huc reduci omnino merebatur. Legimus enim *Exod.* III. *vers.* 5. quod *Deus* præsentiam suam majestaticam in *Rubo ardente Mosi* manifestans huic eidem admirandam visionem, penitius inspiciendi desiderio propius accedenti jusserit, ut calceos suos deponat. Hujus autem rei rationem ipse *Deus* adjicit quando: *Locus in quo stas*, inquit *terra sancta est*. Si igitur ob loci sanctitatem eminentem *Moses* nudis pedibus solo insistere jubetur; hæc autem sanctitas præsentiam *Numinis* modo singulari manifestatam procul dubio pro caussa agnoscat: pronum omnino est ut credamus, quod idem mandatum hocce ad *Personas*, in *Tabernaculo* & *Templo* ministrantes apte satis atque commode similiter applicari possit. Nulla enim loca sanctitate superabant loca, jam jam memorata utpote quæ illustre istud præsentiæ divinæ symbolum *Columna* nempe *Nubis*, perpetuo inhabitabat; quo super argumento inferius plura commentabimur. Provocamus autem insuper ad *Judæorum*, qui ex adducto *Scripturæ Sacræ* loco, originem hujus ritus arcessunt testimonia, ex quibus excubias quasi agit istud quod in *Tract. Talmud. Seraim*, Massec. *Beracoth. cap.* IX. post factam ritus præsentis mentionem subjicitur: ומה׳ מנעל בו דרך בזיון אמרה תורה של נעליך מעל רגליך: *sed quid de calceamentis? Estne in illis contemtus? dixit Lex: Solve calceamenta de pedibus tuis*. Item R. *Moses Gerundensis* in *Schem Rabba Paras.* 2. scribit: כל מקום שהשכניה נגלית אסור בנעלה דסנדל וכן ביהשע של נעלך וכן הכוהנים לא שמשו במקדש אלא יחפים: *De omni loco in quo præsentia divina revelata est, ut ascendatur sandaliis est interdictum; & ita ad Josuam dicitur: Solve calceamenta tua. Sic etiam sacerdotes non ministrant in Sanctuario nisi discalceati*. Et hæc ultima quidem supra jam tum adducta sunt. Utut enim hoc in loco *Rabbi* excitatus ad dictum ipsum *Exod.* III. expresse non respiciat; ad parallelum tamen negotio huic oraculum scilicet *Jos.* v. 15. iste semet recipit quoniam quoad causam solutionis Calceorum, ultimus cum priori qua rem ipsam exacte convenit. Nobis interim cum circa originem ritus hujus enodandam occupemur & ex probationibus supra adductis pateat, quod ritus hic antequam hæc cum *Josua* agerentur, jam tum a *Sacerdotibus* observatus fuerit, ultimum hocce dictum hic quidem locorum, ex instituto respicere non licebat. Unicum itaque hucdum testimonium, quod priori sigillatim loco, illustrando inservire quadantenus poterat, afferre expediet. In *Pirke Eliezer*, enim *cap.* XL. sequentia latine reddita enarrantur: *Dixit illi* (scil. Mosi) Sanctus Bened. *Moses Moses subsiste in gressu tuo, quia hic daturus sum legem*: Prout dicitur: *Quicunque consistit in loco sancto; illum oportet extrahere calceamentum e pedibus suis*. Sic enim dixit S. B. Mosi: *Exue calceos e pedibus tuis*. Ex hac autem ritus ἀνυποδησίας asserta origine, antiquitas istius insimul quoque derivanda est. Nulli enim affirmare dubitamus, quin hicce etiam ritus quamprimum mandata divina de universo cultu externo *Mosi* exhibita, executioni sunt data, florere itidem inceperit. Factum autem hoc est anno ab *Exitu* ex *Ægypto* altero posteaquam *Tabernaculum* prius erectum dedicatum, & ministri ejus ad sanctum officium præviis ritibus inaugurati essent. Cum igitur secundum computum *B. Strauchii*, in *Comput. Chronol. Tab. Epocharum*, Libro huic præmissa Exodus *Israelitarum* ex *Ægypto* in A. Per. Jul. 3216. sive Mundi 2455. incidat; Excidium autem *Templi* II. (ad quod usque ritum hunc in usu fuisse, ex Testimoniis *Judæorum* constat) ab eodem laudato *Autore*, ad A. P. J. 4782. s. M. 3969. referatur, non antiquissimum modo sed & maxime diuturnum præsentem ritum fuisse in comperto est.

XV. Atque sic quoniam de divina ritus origine constat, nemo temere ut judicamus amplius dubitabit quin sapientissimo consilio idem iste institutus sit. Cum autem omnis sapientiæ ratio in eo consistat, ut cunctis actionibus non modo certus finis præfigatur; sed & omnes fines ita sibi invicem subordinentur, ut unus ad alterum medii rationem habeat, prætereaque media ad finem certo ducentia eligantur; haud præter rem forsan erit

erit ulterius hic inquirere; Quemnam in finem sapientissimum *Numen* ritum ἀνυποδησίας circa cultum externum adhiberi voluerit? Quemadmodum omnes ritus atque cerimonias quæ ad cultum *Leviticum* pertinebant, in duplici differentia constitutas fuisse deprehendimus, dum aliæ cultus ipsius essentiam ingrediebantur; aliæ autem ad exercitium ejus εὐσχημόνως & κατὰ τάξιν suscipiendum ordinatæ erant; ita negotii ipsius indoles insuper quoque requirebat, ut pro naturæ diversitate alius atque alius scopus specialis iisdem præfixus esset. Utut vero super prioribus *Hebr. cap.* XVIII. 5. nos informet; posteriore tamen cum aliquid certi, præter generalia *Hebr.* IX. I. asseverare vix queamus, si ad specialissima rituum singulorum descendere velimus) non exigua sua difficultate, qua momentum hocce hucdum laborare videntur. Rituum enim sacrorum ordinatio a liberrima summi *Numinis* voluntate dependet, quæ ipsa licet caussam impellentem, in ipsa etiam ritus natura fundatam agnoscat, cur nimirum hunc præcise præ aliis similibus elegerit; illa tamen a nobis qui tot, tantisque ignorantiæ tenebris immersi sumus, citra errandi periculum certo determinari non potest. Interim ne sicco prorsus pede elegans hoc argumentum prætermisisse videamur, in eodem tantisper illustrando circumspecte ita versabimur, ut partim ex ipsa ritus præsentis natura supra exposita; partim etiam ex analogia similium desumtas rationes, ultra probabilitatis tamen limites temere non progressuri, in medium proponamus.

XVI. Ut vero institutum eo felicius succedat, ante omnia monemus, quod vulgaris ille canon Philosophorum: *Unius rei plures possunt dari causæ*, in præsenti, quoque negotio locum inprimis inveniat. Si enim ad diversa attendamus objecta, aliæ rationes ad *Personas* & *Locum*; aliæ ad *Deum* in locis illis singulariter præsentem; aliæ ad homines alios, qui cultui divino intererant reducendæ sunt. Has non male forsitan *Mysticas*; illas *Morales*, istas autem *Physicas*, sive *Naturales* nuncupabimus. Ad primam itaque rationum classem referimus.

1. Externam munditiem, tum respectu *Sacerdotum*, tum *Templi* sive *Loci sancti* intuitu, sollicite custodiendam. Illorum, enim munus maxima ex parte circa ejusmodi negotia, a quibus contaminationis ipsi erat periculum posteaquam *Altaria* a cinere, *Lychnos* a sordibus ex olei, & elychniorum conflagratione contractis, liberare novoque oleo, & elychniis instruere: *Victimarum* mactatarum *sanguinem* e calidis venis & palpitantibus arteriis prosilientem excipere, agitare, spargere, effundere debebant, versabatur. Quod si jam supponamus, quod *Sacerdotes*, cum tibialibus & calceis has sustinuerint functiones, sordidi plane coram purissimo *Numine* ministri hi pulvere nempe obsiti, oleo nitentes, sanguine madidi comparuissent. Addimus his quod cum quolibet fere momento calceos & tibialia mutare vel maculata lavare, & siccare in sacris officiis constitutis, minus conveniens esset; insignis etiam inde in ipsum *Templi*, imo *Sancti* pavimentum, nitidissimo marmore adparatum, spurcities derivata fuisset. Utut autem *Deo* qui spiritus est, immundities in se spectata detrimenti nil quicquam afferat; quoniam tamen neglectum quendam eorum quæ aguntur ista præ se fert, & in illorum animis, qui ex specie externa de rebus judicant, contemtum sacrorum (*Clerico* etiam judicante, in *Comment. Philol. in Pentat.* ad L. *Gen.* XXXV. I.) inducere potest, omnem immunditiem e sanctioribus locis curatius omnino summovendam fuisse arbitramur. Hæc autem mundities cum difficulter admodum a *Sacerdotibus* immunda calceorum tutela instructis ob causas modo enarratas asservari posset, nudis pedibus illis ministrandum erat ut statim ac impuritatis aliquid isti contraxissent, iterum aqua expedite mundari potuerint. Et hoc quidem potissimum requirebatur ab iis, qui ab una ad aliam sese functionem digne accingere discupiebant. Luculentum rei hujus exemplum in *Pontifice Summo* reperimus, utpote qui in uno *Expiationis die*, ob negotiorum varietatem, corporis nitorem, manuum & pedum, munditiem vel quinquies corpus suum, manus vero ac pedes decies & sexies, lavare, totidemque vicibus vestes immutare tenebatur. Confer. *Tract. Talm. Joma* & *Levit. cap.* XVI. Spectat, etiam huc quod Cel. *L' Empereur*, ad *Middoth*, *cap.* III. *sect.* 3. aliique annotant; Fuisse scilicet in *Templo* II. fontes subterraneos, quorum ministerio pavimentum, a victimarum sanguine ablui debuerit.

2. Ut *Sacerdotes* eo felicius, & expeditius, sacra sua munia peragere possent. Uti enim omnia corporis membra; quando vestimentis non involuta sunt, magis apte atque expedite officiis suis perfunguntur: ita in pedibus quoque speciatim, hoc ipsum sicubi lædendi eos periculum abest, & consuetudo accedat, animadvertitur. Ceterum utut de impedimento, quod calcei olim afferebant ex for-

forma nostrorum, omni modo judicandum non sit; ex descriptione tamen solearum quæ apud antiquos etiam obtinebant, a variis autoribus inprimis tradita satis apparet, quod non leve ab iis pedes senserint incommodum; posteaquam pedum nervi, in quibus omne robur movendi situm est, vinculis ex corio factis constringebantur. Militat etiam hoc loco pro nobis specialior ratio quædam cur nimirum nudos pedes præ istis, qui soleis instructi erant, expeditiores fuisse, existimemus. *Sacerdotes* enim per læve, & lubricum *Templi* pavimentum sacris carnibus onusti plurimum incedere & segmenta etiam victimarum majora per clivum altaris sensim assurgentem ad focum deferre debebant. Hunc autem clivum, quoniam ob lævitatem soli, a pluviis pinguedine carnis destillante aliisve causis, itroductam pedibus *Sacerdotum* insistendi firmitatem propemodum denegaret, sale conspergendum fuisse *Rabbini* perhibent, *Eruvin cap.* X. *n.* 4. *cit. Relando*, in *Antiq.* P. I. *cap.* IX. §. 9. Atque hinc sane lævigatis usu soleis onustis imprimis, & festinantibus fallente vestigio, gravior casus facile obtingere potuisset, qui tame pedibus nudis extimescendus admodum non erat. Jam vero non minimum intererat ut omnia quæ circa cultum divinum versabantur negotia promte expedirentur. Non enim solummodo peragendorum numerus sæpius quam maxime præter opinionem, accrescebat, sed isti quoque qui cultui huic intererant, quam promta mente, lubentique animo, excusso omni sensuum torpore, *Deum* coli conveniret, admonendi erant. Huic scopo eo facilius obtinendo, omnia *Sacerdotum* vestimenta sive materiam, sive formam sive numerum denique eorum respiciamus, accommodata fuisse prolixius & sine omni negotio, si instituti ratio id pateretur, probare poteramus.

XVII. Altera classis, quæ rationes, ipsum *Deum* concernentes, quas & *Morales* vocavimus, sibimet vendicat, vario ergumento palmario, tamen forsitan uno absolvetur. Utut enim priores sive *Naturales*, sanctissimum *Numen* similiter, respiciant; non tamen hoc fit immediate, quale quid interea de his, tuto affirmare poterimus. Quoniam autem gloriosissimum *Numen* omnia propter se, operatur, hæc potissimum ratio primarium hujus ritus scopum maximopere insinuabit. Hæc itaque ut magis elucescant, sequentem in modum nobis ista concipienda erit. Institutus scilicet & a *Sacerdotibus*, sigillatim ἀνυποδησίας ritus adhibitus fuit, ut maximam suam quam supremo *Numini*, quod *Tabernaculo* & *Templo* subillustri, ac visibili quodam symbolo, præsens erat, debebant reverentiam, testatam isti facerent. *Deum* enim omnes perfectiones quas mente complecti possumus, in eminentissimo gradu possidere id ipsum non ex naturali solummodo sed & imprimis quoque ex verbi divini lumine innotescit. Quod si autem has perfectiones, tam inter se invicem, quam cum omnibus aliis rebus curatius comparare velimus, sponte ac de facili deprehendemus quod *Deus* præ rebus omnibus, perfectione sua ineffabiliter excellat atque adeo omnino super omnia, etiam magnifieri debeat. Et hanc mentis dispositionem, quando ista vel per verba, vel per gestus vel etiam per opera sese exerit, *Numinis* reverentiam nuncupare solemus. Utut autem hæc ipsa reverentia, quæ in cognitione summæ Dei excellentiæ, & majestatis fundata est, semper ac in omnibus actionibus, creaturæ rationali sollicite admodum observanda sit; inprimis tamen quando circa cultnm divinum occupamur, eandem istam præ nobis ferre tenemur. Et sane cum *Sacerdotes*, cultus externi præcipui in V. T. ministri essent, æquum omnino erat ut isti illam maxime cum in locis sacratioribus versarentur, Supremo omnium rerum *Creatori* atque *Domimo* publice declararent. Accedit quod pro temporum illorum œconomia, specialiorem quandam hujus reverentiæ rationem insuper nobis subministret præsentiæ divinæ in dictis locis sacratioribus manifestatio. Deus enim immensus ille spiritus utut omnibus creaturis tum quoad essentiam suam infinitam, tum quoque potentiam efficacem præsens sit, neque etiam totius hujus universi qua late istud patet, adeoque nullius spatii, aut loci ambitu (I. *Reg.* IIX. 27. *Jerem.* XXIII. V. 24.) includi possit, & præterea nullius creaturæ opera indigeat, cum vitam, spiritum & omnia (*Act.* XVII. V. 25.) omnibus dederit, & conservet: eousque tamen pro immensa clementia, & φιλανθρωπία sua sese demittere voluit ut signo quodam visibili, in medio populi *Israelitici* Regis quasi cujusdam personam agens, habitare non dedignatus fuerit. Sedes quasi regia extructo *Templo Hierosolymæ* antea autem locus sive urbs ista, in qua *Tabernaculum* commorabatur extiterunt. Arcem insuper regiam, ipsum *Tabernaculum*, & *Templum* ubi speciatim Conclave regium, *Adytum* sive *Sanctum Sanctorum*; Thronum autem *Arca Fœderis* cum *Cherubinis* cui Regum

gum Rex, majeſtatica prorſus forma ſub ſpecie Columnæ, *Nubis* & *Ignis* perpetuo inſidebat adumbrarunt. Ad hunc ſane locum utpote ſacratiſſimum non niſi intimæ admiſſionis miniſter, *Summus* nempe *Sacerdos*, & ſolummodo ſemel per annum, nec abſque ſumma veneratione (*Levit.* XVI. 2.) ſe recipere debebat. Veſtibulum *Sanctum* ædis erat in quod reliquis etiam miniſtris in eminentiori gradu conſtitutis *Sacerdotibus* puto ingredi permiſſum erat. Aula regia generatim ſpectata, cuncta *Atria*, Montem *Templi* univerſum, omniaque ædificia ibidem extructa ſuo quaſi ambitu ita complectebatur ut ſpeciatim etiam *Archivum*, *Gazophylacium*, *Culinas*, *cellas*, *menſas* & reliqua ad Regis œconomiam pertinentia iſta ſibimet vendicaret. Præſto inſuper Regi huic ſummo Miniſtri erant, dignitatis gradibus diſtincti *Sacerdotes* ſcilicet *Levitæ Nethinæi* (*Eſr.* VIII. 20.) quorum hi officia viliora præſtabant; illi aulæ regiæ cuſtodia, & Muſicæ ratio potiſſimum commiſſa erat; iſti autem menſam Regis dapibus inſtruebant, de illa veſcebantur & ad intimiora præterea conſilia admittebantur, eademque rite exequi debebant. Quotieſcunque igitur exigente officii ſui ratione, propius iſtos ad ipſum Regem accedere oportebat, ſubmiſſo in eum cultu venerarentur, quam maxime conveniebat. Hic autem Cultus, ſive reverentia, quemadmodum pro variarum gentium inſtitutis per diverſa etiam ſigna externa exprimi, & modo per capitum retectionem, modo per corporum inclinationem, nonnunquam etiam proſtrationem ad pedes Regis devolutorum peragi ſolebat; Ita etiam apud *Hebræos* ejuſmodi quid uſu quondam obtinuiſſe (*Exod.* XXXIII. 9. 10.) comperimus. Poſteaquam autem hæc recenſita in Sacerdotes ſtantes, & miniſtrantes minus apte quadrarent; ut in habitu illorum, & potiſſimum in eo quando nudis pedibus incedere debebant ſignum aliquod reverentiæ ſtatuamus, res ipſa exigit. Hanc autem ſententiam noſtram, ut eo firmius corroboremus, e re eſſe arbitramur, ut ad iſtos ſtatim caſus quos ſub initium *Diſſertationis* recenſuimus, & qui vel actualem calcei detractionem, vel ſtatum ἀνυπόδητον *Judæis* adhiberi ſolitum nobis propinabant denuo, hic recurramus. Paulo enim ubi penitius in illos introſpexerimus, in omnibus ſane humile quiddam, & ſubmiſſum hoc ipſo ritu ſignificatum animadvertere licebit. Ad calcei itaque detractionem, quæ in negotio *Leviri*, uſu olim veniebat, quantum attinet illa cum evidenti contemtus ſigno exſpuitione, ſcilicet & nominis ignominioſi a pedis denudatione deducti impoſitione conjungebatur. In *Redemtionibus*, & *Permutationibus* rerum idem iſte ritus uſurpatus, ablatum dominium alterique traditum denotabat. Servi quoque in oppignoratione ſua inter alia ſordida officia etiam futuri domini ſui calceos inprimis ſolvere, atque portare debebant. Ad ſignificandum inſuper animum dolore, ac luctu in calamitatibus gravioribus, vel ob mortem pignorum demiſſum, atque proſtratum eadem calcei depoſitio cum homines iſtiuſmodi caſibus graviter perculſi nudis pedibus incedere ſolebant, ſuſcipiebatur. Jungimus his iſtos, qui in captivitatem erant redacti, ſiquidem etiam hi non armis modo, & veſtium ornamentis; ſed & calceis, & eum quidem in finem privabantur, ut hoc habitu incedentes miſeriam ſuam publice profiterentur, Victoreſque ita pro Dominis ſuis agnoſcerent, ac ſubmiſſe venerarentur. Quoniam itaque in confeſſo eſt, quod *Sacerdotes Dei* miniſtros ſumma cum reverentia in ſacris verſari oportuerit; & vero inſimul ex modo adductis evictum eſt, quod per ἀνυποδησίας habitum iſtiuſmodi quid potiſſimum ſignificatum fuerit; perſuaſi utique ſumus nos ſupra in aſſignanda ritus hujus ratione præcipua, non multum a vero abluſiſſe. Suffragantur præterea ſententiæ huic noſtræ Viri longe celeberrimi *Braunius*, (*Lib.* I. *de* V. S. H. *cap.* III.) *Bynæus*, (*Lib.* II. *cap.* 3. de *Calc. Hebr.*) & inprimis quidem *Joh. Dougthæus*, quando hic mentem ſuam (in *Anal. Excurſ.* XXXIII. in *lib. Exod.* III. 5.) exprimens: *Quanta*, inquit, *cum reverentia adibant loca ſacra primoris ævi homines non ſecus, quam ſi in præſentiam ſupremi Numinis, quod certe faciebant ſe inferrent, vel abunde conſtat ex ipſo habitu geſtuque corporis, quo tunc utebantur.* Inter cætera indicio eſſe poteſt mos iſte diſcalceandi ſemet, quando non audebant, nec quidem permittebantur, ut niſi nudis pedibus ſacratum ſolum inſiſterent. Imo ipſa *Scriptura Sacra*, LL. *Exod.* III. 5. & *Joſ.* V. 15. in quæ infra pluribus inquiremus, hypotheſi huic noſtræ plurimum patrocinatur.

XVIII. Non autem eſt exiſtimandum, ac ſi ſapientiſſimum *Numen* nihil amplius hocce ritu quam quod externa illa reverentiæ ſigna præ ſe ferunt denotare voluerit. In more enim illi eſt poſitum, ut ab externis ad interna, a corporalibus ad ſpiritualia miſeros cœcoſque abducat mortales, cujus rei documentum univerſa cultus *Levitici* œconomia, atque conſtitutio nobis ſubmiſtrat. Spectant huc

huc inprimis, quoque *Cel. Andr. Masii* verba in *Comment.* ad *Jos.* quæ ut hic locorum allegentur digna, omnino esse arbitramur. *Nihil est fateor*, inquit ibidem, *cur Deo nudi pedes, quam calceis circumdati, cur retecta capita, quam aperta, aut omnino alius habitus gestusque corporis præ alio magis placere debeat. Sed tamen nostra causa utiliter ista instituuntur externæ pietatis, ut sic dicam exercitium, ut dum iis propalam utimur, & tanquam rebus divinis operam damus, animum nostrum rerum humanarum despicientia coerceamus, reprimamusque — atque ad pietatem, & religionem convertamus simulque etiam exemplo proximos ad laudandum, prædicandumque Deum vocemus, atque invitemus, Matth.* v. *vers.* 16. His igitur, atque aliis probe perpensis instituti ratio postulare insimul videbatur, ut *Spirituales* quoque sive *mysticas* quasdam ritus præsentis rationes subjungeremus. Atque sic

1. In calceis erat *immunditi*es quædam non quidem *legalis*, uti *Stukius* (in Tr. de *Conviv. lib.* II. *cap.* 27.) censet qui hanc ob causam *Braunii* (*loc. cit. lib.* 1. *cap.* 3.) & *Bynæi* (*loc. cit. lib.* II. *cap.* 3.) censuram sustinet, sed *naturalis* ex pulvere cæno pedum sudore, & aliis etiam causis derivanda. Quando itaque sordida istiusmodi pedum tutela a *Sacerdotibus* in sacris officiis occupatis deponeretur, non absque fructu populus spectator admoneri hoc ipso poterat, quod omnis qui digne, & salutariter rebus divinis, & meditationibus sacris vacare velit, animum inprimis suum a vitiorum sordibus sedulo purgare debeat. Hunc quoque sensum, quoad membrum ultimum excitatus jam *Braunius* suo suffragio approbat, quando loc. cit. ita scribit: *Non rejiciendam puto rationem, quam quidam dant viri docti* Mosen *jussum fuisse* (hic autem Analogon τι) *calceamenta solvere, ut disceret peccata, & mentis inquinamenta esse rejicienda, & mortuis operibus renuntiandum*. Et eleganter *Augustinus, Sermone* XLII. de *Sanct. cap.* 6. *Quid tam terra sancta*, inquit, *quam Ecclesia? in illa ergo stemus, & calceamenta solvamus*, id est *mortuis operibus renuntiemus*. Eodem etiam redit allegoria, quam *Cl. Masius* (*Comment.* in *Josuam*, ad *cap.* v. 15.) ex sua, & aliorum sententia adducit: Quando *Solent plerique*, inquit, *calceamentis significatas esse dicere pravas corporis cupiditates, sive animalem hominis partem, quæ non percipit ea quæ spiritus Dei sunt, ut ait Paulus* 1. Cor. cap. II. v. 14. *semper humi strata terrenisque affixa rebus. Eæ enim perturbationes mentis, quoad ejus fieri potest exuendæ sunt iis, qui divinas res contemplari meditarique volunt*.

2. Annotavimus *Sacerdotes* eam etiam ob causam calceos deponere debuisse, ut eo expeditiores in cultu sacro instituendo invenirentur; Concludi hinc posset promto, atque alacri animo *Deum* esse colendum, & hunc in finem omnia extranea negotia, & peregrinas cogitationes, tanquam maxima, & noxia rerum sacrarum impedimenta, sollicite esse removenda.

3. Ritus præsens, ut percepimus eo potissimum collimabat, ut externa quædam reverentiæ signa summo *Numini* in *Templo præsenti* a ministris suis exhiberentur. Hæc autem signa de mente imprimis honore, atque timore *Dei* referta luculenter testari, & poterant, & debebant. Excitandus enim per ista erat populus, ut supremum *Numen*, quod ubique præsens esse sciebat, licet non externis semper honorum signis; interna tamen mentis reverentia, & timore nunquam non submisse prosequeretur, atque ita omnes actiones suas ad normam divinæ voluntatis sedulo componeret.

4. Nudis plane pedibus *Sacerdotes* in pavimento sancto incedebant in sacris occupati, ut inde populus edoceretur, quod *Deus* in cultu suo non animum hypocriseos velamine involutum, sed apertum potius, atque sincerum requirat. Alia hujus generis passim obvia cum lubrico, quacunque etiam specie incedant, nitantur fundamento studiose, hic non attingimus.

XIX. Et hæ fere rationes istæ sunt, quæ ex ritus hujus natura, & circumstantiis depromi potuerunt. Quemadmodum, autem non parum lucis non illis solummodo, sed universo quoque negotio, ex analogis ritibus affundi posse persuasi sumus; ita vicissim modo exposita clarissimam Scripturæ S. dictis quibusdam, quæ cum ritu hoc adprime consonantia suppeditant, facem præferre apta sunt. Oraculorum autem istorum, *Exod. cap.* III. 4. 5. & *Jos. cap.* v. 15. occurrentium tenor, in Lingua originali, & prioris quidem sequens est: ויקרא אליו אלהים מתוך הסנה ויאמר משה משה ויאמר הנני: ויאמר אל תקרב הלם של נעליך מעל רגליך כי המקום אשר אתה עומד עליו אדמת קורש הוא: Posterius in fontibus, similiter ita fluit. ויאמר שר צבא יהוה אל יהושע של נעלך מעל רגלך כי הסקום אשר אתה עסך עליו קורש הוא ויעש יהושע כן: De his autem locis ut distinctius, quodammodo agamus ad tria potissimum pro præsentis instituti ratione, momenta

quæ

quæ ſe nobis objiciunt, probe ut attendamus, neceſſum eſt, ſcilicet.

1. *Ad Apparitionis divinæ veritatem.*
2. *Ad Mandati divini tenorem.*
3. *Ad Calcei deponendi cauſam.*

Verum itaque ac ſummum *Deum Moſi* in rubo ardente apparuiſſe, eumque allocutum fuiſſe probamus.

1. Ex *Nominibus divinis Angelo* apparenti loc. cit. *Exod.* attributis. Vocatur enim ille v. 4. & 6. אלהים יהוה, quæ nomina, & imprimis *Jehova* ita comparata eſſe, ut creaturæ nulli competere poſſint, ſed ſoli *Deo* eſſentialia ſint, a cordatioribus *Philologis*, æque ac *Theologis* dudum evictum eſt.

2. Ex *Loci*, in quo apparitio facta eſt, *Sanctificatione*. Uti enim ſolus *Deus* per ſe eſt ſanctiſſimus ita etiam ſolus iſte, præſentia ſua Symbolo viſibili declarata locum quendam ſanctificare poteſt quale quid *Jacobi* quoque *Patriarchæ* hiſtoria, *Gen. cap.* XXVIII. v. 16. 17. luculenter ſatis, demonſtrat. Poſteaquam, enim iſte e ſomno excitatus, divinam apparitionem ſibi factam fuiſſe agnoviſſet, in hæc ſtatim verba tremens erumpebat *Quam terriblis, & venerabilis hicce locus eſt, non eſt hic niſi Domus Dei, & hæc porta eſt cœlorum.* Druſius (in *Joſ. cap.* v. 15. c.) poſteaquam hic quæſiviſſet? *An etiam apparitio Angelica locum ſanctificet?* Haud præter rem quidem, ipſemet ſibi reſpondet: *Si pure Angelica*; *non*: ſed dum pergit: *ſin Angelica divina, ut cum Angelus increatus apparet, videtur.* Plane, autem non comprehendimus, cur τὸ *Videtur*, adjecerit, cum apparitio *Dei*, ſub forma humana, qua alias etiam *Angeli* apparere ſolebant, apparitio vere divina ſit, ipſeque *Vir* CL. paulo ante Canonem: *Quod Apparitio divina locum ſanctificet*, proponat.

3. *Ex opere, vere divino*; Liberatione, ſcilicet, populi *Iſraelitici* e ſervitute *Ægyptiaca*. Quam ſtupiendis enim miraculis a ſolo Deo, omnipotente perpetrandis, eadem iſta perfecta ſit, *Exod. cap.* VIII. IX. uſque XIII. abunde, comprobant. Reliqua, vel ſexcenta argumenta, quæ ex integro *Angeli* apparentis ſermone urgeri ulterius hic poſſent, brevitatis ſtudio commemorare ſuperſedemus. Quamvis autem ceteroquin *Apparitio divina* ſub habitu viſibili facta ad eam operum divinorum ſpectet claſſem, quæ circa objectum, quod non eſt *Deus*, verſantur & effectus inſtituta circa hoc objectum operatione productus itidem aliquid ſit extra *Deum*, quæ adeo eſſentialem, & Tribus Deitatis Perſonis communem, potentiam agendique principium agnoſcant: quoniam tamen vox *Angeli* neque Primæ Perſonæ *Patri* neque etiam Tertiæ *Spiritui S.* alias in S. *Literis* ullibi; Secundæ autem ſæpius ut nimirum futura ejus ἐνσάρκωσις indice quaſi digito monſtretur, ibidem tribuitur; pie nos credimus, quod hæc quoque apparitio determinative ſpectata *Filio Dei* propria extiterit. Hic igitur, *Filius Dei* viri habitu hic apparens admirando prorſus ſigno illuſtrem reddebat præſentiam ſuam, ſiquidem flamma ignis e medio rubi relucebat, והסנה איננו אכל *Rubus*, autem *nullatenus* per eandem iſtam *abſumebatur*. Quod enim ignis vis tenues, & exſuccos rubi ramos non accenderet, illud erat quod naturæ curſum penitus ſuperabat. *Moſes* ſane haud procul ab hoc loco oves paſcens admiranda, & illuſtri hac viſione tantopere percellebatur, ut cognoſcendi deſiderio flagrans, propius ad rubum accedere ſecum decerneret. Hoc autem cum minori fortean reverentia, quam ſanctiſſimi *Numinis* præſentia id requirebat, fieret, *Deus* feſtinantem alloquitur inſimulque iſti injungit ut tantiſper ſubſiſtat & calceos, quibus pedes induti erant religioſe deponat אל תקרב הלם . של נעליך מעל רגליך Quantum igitur ad ipſum mandati divini tenorem attinet vero quidem ſimile non videtur, quaſi hoc ita intelligendum ſit, ac ſi *Moſes* ad locum divinæ manifeſtationis propius plane non accedere debuerit, ſed quod eo geſtu tantum, atque habitu in præſentiam ſummi *Numinis* ingerere ſeſe velle prorſus non conveniat. *Moſen* enim calceis denudatum ad rubum propius ſtatim acceſſiſſe, tum familiare prorſus *Dei* cum eo inſtitutum colloquium; tum quoque averſa *Moſis* facies, ne *Deum* intueretur (v. 6.) nos edocent. Ad plenarium itaque ſenſum rite percipiendum non parum forſan conducet, ubi voci של particulam adverſativam addiderimus, & integram mandati propoſitionem ſequentem in modum informemus: *Moſes ne appropinques huc ſed ſolve prius calceamenta tua.* Notionem enim נעל *Hieronymus* ſatis congrue per *calceamenta* vertit licet ceteroquin, ſi *etymologicæ* iſtam examinare velimus præter ſoleas, & plantas calceos inſuper cavos ſuperiorem etiam pedis partem tegentes denotare apta ſit. *Paraphraſtes Chald. Hieroſolym.* per סנדלך *Onkelos*, & *Jonathan* per סינך, iſtam interpretantur. Licet autem utraque vox *Sandalia*, ſive *ſoleas* indigitet: origo tamen, τῶ נעל non obſtat quo minus *cal-*

ceos

eos etiam idem illud ſignificet. *Græcum* quoque, ὑπόδημα, quod plerumque ad τὸ נעל authenticum exprimendum LXX. *Interpretes*, & N. T. *Scriptores*, (Act. VII. verſ. 33.) adhibent, & ab ὑποδέω, ſive ὑποδέομαι, deſcendit; utut ſimiliter *Soleas* proxime inferre videatur: *Calcei* tamen ſignificatum inſimul etiam admittit, quoniam cum *ſolea* in calceorum genere præcipua portio ſit, a potiori denominatio facta eſſe videtur. Ceterum cum magis neceſſarius in *ſoleis*, quam in *Calceis*, ut *Balduini*, (*loc. cit. cap.* XI. *pag.* 98.) verbis utamur vinculorum uſus ſit, argumenta etiam ab antiquitate solearum, & more *Hebræorum*, veterum, quo pedes hoſpitum lavare ſolebant, (*Gen.* XVIII. *verſ.* 2. *&c.*) petita ſi penitius introſpiciantur, haud improbabile videtur, quod *Moſes*, atque ita Antiqui *Hebræi*, ſimiliter *Soleis*, potius quam *Calceis cavis*, uſi fuerint, quam hypotheſin ſuam quoque ſigillatim fecit *Bynæus*, (*loc. cit. lib.* I. *cap.* 6.) eandemque etiam variis coloribus exornare allaborat. Hæc vero inſignem minimum veritatis ſpeciem cuncta, uti præ ſe ferre videantur: ita plane dimittenda iſtorum meditatio eſt, qui ad tibialia hic confugiunt, quoniam ſcilicet & in hoc noſtro, & apud *Joſuam* loco addatur, *Calceum* eſſe detrahendum, מעל רגלים a *ſuperiori* præciſe *pedis parte*; Siquidem particula על cum præfixo ם, ſæpius abundat, & ſimpliciter per *præpoſitionem* a, vel ab optime, atque commode (*conf.* 2. *Reg.* XV. *verſ.* 18. *coll.* v. 8.) reddi poteſt, atque ita de plenaria *Calceorum* a pedibus remotione præſentia verba congrue accipi poſſunt. Quod ſi autem noſtra hæc ἐξήγησις laborare quadantenus hucdum videatut; nihil ſane impedit quo minus vocem על ad ipſa *Solearum* vincula, ſuperiorem etiam pedis partem aliquam involventia extendere queamus. Robur inprimis ſententiæ huic conciliat τοῦ של, additi translatio, utpote quam vocem *Hieronymus* per *ſolve*; LXX. *Interpr.* per λῦσαι, & *Act.* VII. 33. per λῦσον; *Symmachus* autem per ὑπόλυσον, reddunt. Atque eo ipſo haud obſcure ſubinnuunt, quod ad iſtiuſmodi calceamentorum genus index quaſi digitus extendatur, quod teretibus habenis plantis pedum alligabatur. Utut enim authenticum נשל generatim, & proprie remotionem, & abjectionem denotet; adhibetur tamen illud etiam de ejuſmodi remotione, quæ ſolutionem quaſi, & ſenſim factam ſeparationem involvit. Ferrum ita ſecuris a ligno ſcaphi crebris ictibus, (conf. *Deut. cap.* XIX. *verſ.* 5.) & olivæ a fulcris ſuis ventorum, vel pluviarum vi ſeparari, atque excuti deprehendimus (conf. *Deut. cap.* XXVIII. *verſ.* 40.) Utcunque autem res hæc ſeſe habeat certum eſt, quod *Moſi*, antequam propius ad *Deum* in *Rubo*] apparentem accederet injungatur, ut calceos ſuos deponat, nudiſque ita pedibus ſolo inſiſtat. Licet autem expreſſe hic non memoretur, quod *Moſes* mandato huic obtemperaverit, idemque executus fuerit, nihil tamen dubii nobis hic remanebit, ubi in integrum facti nexum tantiſper inquirere, & ad majeſtaticam *Dei* mandantis vocem propiorem ad illum *Moſis* acceſſum, & ad ſuperadditam inſtituti hujus rationem, paulo curatius attendere velimus. Et hæc poſtrema ſigillatim verba ut allegemus ſupra inſinuatus explanationis ordo a nobis exigit. Ita autem iſta habent כי המקום אשר אתה עומד עליו ארמת קודש הוא: *Quoniam locus ſuper quem tu ſtas terra ſanctificata ille*. Hęc autem cum plana omnino ſint, mirari ſatis non poſſumus quod nihilominus tamen reperti fuerint, qui inania potius mentis ſuæ figmenta, quam ſolidam & ab ipſo *Deo* additam rationem, hic urgere non erubeſcunt. In exemplum *Balduinus* loc. cit. *cap.* 3. proponit virum quendam (inſigniter & curioſe doctum) qui pro concione (occaſione loci hujus) intrepide affirmaverit, quod *Moſis* hi *Calcei*, ex eodem junco marino compacti fuerint, ex quo poſtmodum *Chriſti* corona ſpinea facta ſit: Juſſiſſe itaque *Deum Moſi*, ut calceos hic exueret, quoniam ſcilicet indignum plane videretur, ut *Servus* pedibus ſuis illud quo ipſius *Dominus*, aliquando coronandus eſſet calcaret. Hæc vero ſententia cum omni prorſus refutatione indigna ſit, facetam ſolummodo Cl. *Bynæi* epicriſin eidem hucdum ſubjungemus. *Meruit profecto* inquit (lib. II. pag. 258. de *Calc. Hebr.*) *hujus commenti autor, ut non laurea ſed ex ejuſmodi junco compacta corona ipſi decerneretur, quæ ornaret lepidum profecto caput*. Alii ut *Bynæus* loc. cit. porro memorat, eo delapſi ſunt ut conjectarent quaſi *Moſis* hi calcei ſtraminei, ſive juncei fuerint, & eam ob cauſam ab eodem deponendi, ne forte igne ad quem accedebat, iſti conſumerentur. Hic autem laborantis ingenii fœtus ut pari cum priori balneo excipiatur cum dignus omnino videatur a *Bynæo*, etiam merito ſuo exploditur, quando hic ita pergit: *In quo commento tantum frigus eſt, ut vel ſtramineos* Moſis *calceos extinguere poſſet, ſi arderent*. Seduxit fortean homines illos ingenioſos, & antiquitatum helluones, ac nimios amatores quod exiſti-

ſtimarent, *Moſi* æque ac *Ægyptiis* calceos e junco compactos fuiſſe; De *Ægyptiorum* more *Balduinus*, loc. cit. ita ſcribit: *Facile mihi perſuadeo apud Ægyptios, e junco quemadmodum e paypyro, -- calceos in uſu fuiſſe: cum junci quorum feraciſſima eſt Ægyptus, in funes ſtrata corbes atque adeo calceos -- commode compingi, contexique valeant.* Neque etiam Cel. *Clerici* (in *Comment.* in *Pentat.* ad loc. *Exod.* III. 5.) judicium omni abſque cenſura, hic dimittendum erit, quod ita informatum eſt: *Sane ut* Moſi *Ægyptiis moribus aſſueto, reverentia major injiceretur, maxima ſigna externa reverentiæ huic loco exhibere, juberi eum oportuit.* Utut enim *Moſes* ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων cultum, tamen illorum quod Idololatricus fuerit, vel ignoraſſe eum vel ipſo etiam facto approbaſſe, (inprimis cum poſtea aula relicta, cum fratribus ſuis *Judæis* converſaretur & liberationem ſuorum, ſummi Numinis ope perficiendam animo, jam nunc volueret; magna præterea fide *Ægyptum* relinqueret, & quadraginta annorum ſpatio, cum hæc acciderent extra *Ægyptum*, (*Act. c.* VII. verſ. 23. 25. 29. 30. & *Hebr.* XI. verſ. 24.) degiſſet illud quidem ſine omni probabilitatis ſpecie fruſtra aſſeveraretur. Atque hinc tantum abeſt, ut *Moſes* habitu quodam in *Ægyptiorum* cultu idololatrico, (ex mente *Clerici*) uſurpari ſolito, ad majorem *Deo* exhibendam reverentiam, uti hic voluerit; ut in contemtum potius ſanctiſſimi *Numinis*, ceſſiſſet *Moſi* ejuſmodi quid quo falſa *Numina* coli conſueverunt, in ſui reverentiam obſervandum imponere. Hac igitur ratione cum omniſcius *Deus* ſcopo, & intentione ſua plane fruſtratus fuiſſet, *Clerici* ſententia in ſapientiam æque ac omniſcientiam divinam quam maxime eſt injuria. Quare ut majori cum religione, ſuper hac præſentiſſimo *Numini* exhibenda, reverentia judicemus in ipſius *Dei* loquentis autoritate ſubmiſſe & unice acquieſcimus, atque pronunciamus quod *Moſes* calceos in Deſerto exuere debuerit ob inſignem loci ſanctitatem כי מקום אדמת קודש הוא: Licet autem apud *Joſ. cap.* V. *verſ.* 15. hæc ſolummodo extent verba: כי מקום קודש הוא eodem tamen quoad ſenſum ipſum res redit, utut in priori majori emphaſi vox אדמת, inſimul comparere atque indicare videatur, quod non modo illa terræ particula, cui *Moſes* pedibus ſuis inſiſtebat, ſed & reliqua terra rubum ambiens, ad certam nec nobis determinabilem diſtantiam ſancta extiterit. Vox quidem קודש, concretum quoddam eſt, quod præter ſubjectum etiam formam intrinſece denominatam, ſub ſe complectitur adeoque proprie non niſi illi, qui per ſe & ex natura ſua ſanctus eſt *Deo* ſcilicet competit, cum ceteroquin aliis etiam rebus quę derivata quadam ſanctitate gaudent, eadem iſta attribuatur quod quandocunque obtinet, ipſa hæc vox קדש convenientius per *ſanctificari*, quam *ſanctum* eſſe, exponi poſſe videtur. Verba igitur præſentia quoad rem per *Terram ſanctificatam*, potius quam per *Sanctam*, reddimus. Jam vero ſi Terra ſanctificata eſt, merito ſuo quæri poterat ulterius? Quis & qua ratione illam ſanctificaverit? Sanctiſſimum autem *Numen*, ut omnis alius ita hujus quoque ſanctitatis fontem, atque autorem eſſe nemo temere inficiabitur. Quod vero univerſa qua late patet terra, & omnis cælorum ambitus ab immenſo & omnipræſenti *Deo*, ſimilem in modum non ſanctificetur iſtius rei rationem ab illuſtriori & viſibili, iſta methodo qua *Deus* interdum ad manifeſtandam præſentiam ſuam, ex liberrima ſua voluntate, uſus eſt potiſſimum repetendam eſſe exiſtimamus. At enim vero cum in *Sacris Literis*, plurima loca alia de apparitione *Dei*, quod ſingulari ratione & viſibili ſub ſpecie iſta facta fuerit, teſtentur adeoque terra illa non minus ſanctificaretur; ob hanc autem rationem calcei deponi ſimiliter ſemper debuiſſent non leve dubium ſubnaſci nobis hic poterat quare *Deus* aliis etiam hominibus, in pari ut videtur caſu conſtitutis, idem quod hic *Moſi* & *Joſuæ*, æque non injunxerit. Huic ſcrupulo ut tempeſtive occurramus, eundemque pro virium modulo, e medio ſubmoveamus liceat annotare.

1. Quod ante omnia quidem mortalium exigua imo ſi cum *Dei* intellectu comparetur, fere nulla perſpicientia atque acumen plane non ſufficiat, ut ſpecialiſſimas negotii cujuſdam circumſtantias, vel inveſtigare vel iſtas a ſe invicem accurate diſtinguere, vel quoque cum aliis exacte componere, remque adeo in toto nexu ſuo diſtinctius, prout par erat conſiderare queat. Accedit quod alię adhuc rationes ſubeſſe potuerint, in intellectu quidem divino repræſentatæ, nullo autem externo indicio, vel verbis ullibi manifeſtatæ, quas autem determinare velle non temerarium modo, ſed prorſus etiam impoſſibile eſſet.

2. Quod argumentum a *Silentio Scripturæ Sacræ* depromtum, valide ſemper in rebus potiſſimum, quæ facti ſunt non concludat, atque adeo ſequela ſequens nulla ſit: *Scriptura Sacra* Calceos in hoc

vel

vel illo loco fuisse depositos, non commemorat; *Ergo* revera etiam illi iis in locis non sunt depositi.

3. Quod apparitiones nonnullæ factæ fuerint hominibus modo ex somno excitatis vel in domibus suis & privatis negotiis occupatis; quibus & similibus in casibus calceatos eosdem fuisse, non vero est simile, Vid. *Bynæus* loc. cit. *lib.* II. *cap.* I. *pag.* 245.

4. Quod calcei fortean ante *Mosis* tempora non adeo familiares sed certis tantum in casibus utpote in itineribus, bello (*Gen.* XIV. 23.) &c. adhibiti fuerint.

5. Quod speciales insuper in locis *Ex. cap.* III. & *Jos. cap.* V. circumstantiæ, nulli junctim applicandæ facile animadvertantur. Nominis enim *Jehova* singularem revelationem, *Mosis* & *Josuæ* ad maxima officia obeunda vocationem & confirmationem, miraculorum exhibitorum celebritatem eædem istæ suppeditant. Inprimis illud quoque urgeri hic poterat, quod utraque apparitio *Ducibus* totius Populi *Israelitici* facta sit qui non modo de præsentissimo *Dei* omnipotentis auxilio convincendi, sed ad obedientiam quoque & reverentiam summo *Numini* exhibendam, ut eo felicius populo subjecto mandatis & exemplo præirent graviter commonefaciendi erant. Neque etiam a vero admodum abludere videtur, si asseramus *Mosen* sigillatim Calceos ob sanctissimi *Dei* præsentiam majestaticam deponere jussum esse, ut nimirum inde imaginem quandam & argumentum, ritus ἀνυποδησίας qui in locis eadem præsentiæ divinæ manifestatione insigniendis, instituendus erat iste depromeret. Utut enim in *scripturis S.* expressum hoc super ritu mandatum non reperiatur, eum ex voluntate tamen divina institutum sub initium statim cultus *Levitici* obtinuisse, supra jam tum ostendimus. Insignis præterea inter utrumque factum deprehenditur analogia posteaquam *Deus* in *Flamma Ignis*, *Mosi* medio in rubo apparebat; in *Tabernaculo* autem atque *Templo*, in *Columna Nubis* & *Ignis* inter alas *Cherubinorum* conspicuus fuit. Porro quemadmodum ille locus divinæ manifestationis præsentia sanctificabatur ita etiam in his gradualis sanctitas locum similiter inveniebat. Ibi scilicet in rubeto *Deus* nomen sibi proprium *Jehova* revelabat; hic autem nempe in *Tabernaculo* & *Templo*, in solenni populi benedictione *num.* VI. *vers.* 24. *seqq.* idem sanctissimum *Numen* ter alta voce repetebatur. Ibi veracissimum *Numen Mosi* pollicebatur, se populum *Israeliticum* ex servitute *Ægyptiaca* forti manu liberatum esse; Hic omnia sacrificia & peccatorum expiationes indice quasi digito illud quoque typice demonstrabant, quod sanctissima victima *Dominus* noster *Jesus Christus*, in ara crucis eum in finem offerendus sit, ut omnes homines in potestatem diaboli, justissimo Dei judicio, traditos e servitute peccati, imo infernali carcere potentissime liberaret. Et ob has inprimis & hujus generis alias similitudinis rationes *Judæi*; ex hoc loco *Mosaico* ritum ἀνυποδησίας instituendum fuisse, per loca supra a nobis ex parte adducta colligunt. Omnium vero hanc esse sententiam, notat *Guil. Outramus* Anglus, *in* Tract. de *Sacrif. lib.* I. *cap.* 6. *pag.* 75. quando scribit: *Calceatis autem pedibus, ne quidem ingredi in Sanctuarium, nedum ministrare licuisse Judæi omnes ex eo colligunt* quod *Moses*, *Exod.* III. 5. & Josua *cap.* V. 15. quando in locis sacris versabantur, calceos exuere jussi essent. Atque sic haud gravatim ex hisce omnibus apparebit, quod in locis præsentibus nonnullæ quidem diversitatis rationes, per quas a reliquis cunctis istiusmodi locis distingui poterant investigari queant; ita tamen ut quænam ex his iisdem præcipuæ sint & annon aliæ, hucdum quædam causæ moventes sapientissimo *Numini* se objicere potuerint, omnino in medio relinquendum sit. Nobis interim pro instituti ratione annotasse sufficiat, quod *Moses* æque ac *Josua*, ob loci sanctitatem & in præsentissimi *Numinis* reverentiam, calceos deponere debuerint. Quantumvis autem hæc præcipua & ab ipso *Deo* indicata hujus instituti ratio sit, plane tamen non repugnamus, si quis mysticas quasdam rationes, quales simili in casu nos quoque supra adduximus, his adjicere discupiat. Spectant huc *Clerici* ista, quando in *Comm.* ad h. l. ita scribit: *Significat Angelus eo ritu, si quis ad Deum precibus, aut sacris ut ita dicam, accedere velit, vitiis omnibus purgare animum, oraturum aut sacra facturum oportere, quod nisi faciat, irritam omnem esse religionem*. Præcipitur per hoc, ut *Clericus* docet, reverentia & humilitas, quodque nihil mortuum terrenumve divinis rebus permiscendum sit.

XX. Et hæc quidem de duobus hisce locis parallelis junctim dicta sufficere potuissent, nisi in loco *Josuæ* quædam diversa & particularia, quę excutienda erant, occurrerent. Nam quod ad primum momentum apparitionis nempe divinæ veritatem; sive quod verus atque summus *Deus Josuæ* apparuerit, attinet quoniam illud primo intuitu non adeo evidens quam in loco priori esse videtur; partium no-

noſtrarum omnino eſſe arbitramur, ut ſpecialioribus quibuſdam argumentis id ipſum ulterius jam nunc illuſtremus. Præter illud autem, quod a loci ſanctificatione ſupra deduximus, alia quoque in ipſis textus viſceribus ſunt recondita; ſiquidem probe hic tenendum eſt, quod *comma* ultimum *Capitis* v. cum *comm.* ſecundo, *Capitis* VI. ſequentis arctius & immediate connectendum ſit, & verba quæ ſequuntur ſermonem *Angeli*, qui *comm.* 14. *cap.* v. auſpicabatur, continuent, atque, tandem *com.* 1. *Cap.* VI. ad meliorem ſequentium intelligentiam interſeratur. Patet vero nexus hujus ratio potiſſimum exinde quod *comm.* 13. 14. 15. *Angeli* tantum apparitio ejuſdemque a *Joſua* religioſa exceptio deſcribatur; nulla autem apparitionis cauſa inſimul allegetur vel aliude etiam colligi queat. Et ſane ipſe *Angelus* cauſam hanc ſtudioſe eo uſque reticere videtur donec *Joſua* ad ſuſtinendam Majeſtaticam glorioſiſſimi *Numinis* præſentiam digne præparatus fuiſſet. Refert, enim v. 14. אני שר צבא יהוה עתה באתי *Ego, Princeps militiæ Jebovæ modo veni*. Priora verba interrogationem *Joſuæ*, quam ita hic informabat: הלנו אתה אם לצרינו *An nobiſcum, vel cum hoſtibus noſtris facis?* reſpiciunt Angeli vero ultima: עתה באתי, *Nunc veni*: præparationis ergo ad reddendam adventus hujus ſingularis cauſam prolata eſſe videntur, ut ſenſus verborum integer huc fere redeat: *Ego ſum princeps exercitus* Jebovæ, *& nunc quando populus Iſraeliticus pariter atque tu ipſe de occupanda Hierichunte multum ſollicitus eſt; Veni ut præſentiſſimo conſilio, & auxilio vobis gratioſiſſime adſim*. Illum enim qui aderat revera veniſſe ſuper eo *Joſua* amplius informari non debebat; ſed cauſa potius ob quam Princeps hic exercitus Domini veniſſet *Joſuæ* in principatu ſuo modo confirmato & propter dubios rerum eventus ut imbecillitas fert humana multum ſollicito, apertius exponenda erat. Hunc enim in finem *Joſua* ab Angelo ſtatim inſtruebatur ut calceos ſuos deponeret id quod indicio ſat clariſſimo eſſe iſti poterat quod *Angelus* ſimulac veniſſet, ſtatim iterum diſparere nolit ſed quod uberiori potius ſermone ſecum agere is inſtituat. Hunc igitur *cap.* v. cum VI. nexum eſſe ubi rite ita ſuppoſuerimus in confeſſo erit; quod huic Angelo nomen *Jebova*, divina attributa & iſtiuſmodi opera adſcribantur quæ ipſius ſupremi *Numinis* præſentiam clariſſime inſinuare atque arguere debebant. Hæc latius deducere utut hujus loci non ſit, non poſſumus, tamen quin profundiorem doctiſſimi *Maſii* ad h. l. meditationem in apricum adhuc producamus: *Cur ergo non idem ille*, (inquit *Cel. Auctor*,) *qui Moſis principatu præibat populo nunc quoque obtinente imperium* Joſua *ducem ſe præſtare exiſtimetur?* præſertim cum *Moſes* teſtatus ſit, *Exod.* XXXIII. 15. fruſtra fore omnes populi conatus fruſtra progreſſus in terra promiſſa, niſi præeat *Dei* facies. Aut cur non ut in Rubo *Moſi*, ita ſe & hic *Joſuæ*, *Deum* non *Angelum* patefacere credamus? Certe priſcos illos Patres *Dei Angelique* vocabulo juxta uſos eſſe inſigne eſt exemplum in *Jacobi* divinis votis quæ, de nepotibus ſuis *Joſephi* Liberis faciebat *Gen.* XLVIII. 15. 16. & ſeqq. *Angelum* igitur appellavit æternum *Dei Filium* cujus in res humanas ſemper fuiſſe moderationem intelligebat divinus ſenex: Ille ergo idem hic quoque Princeps exercitus divini vocatur; quippe qui eſt non ſolum *Moderator* & *Gubernator Eccleſiæ Dei* ſed etiam univerſi cœleſtis exercitus *Princeps*, & *Dominus* atque adeo Conditor & Effector.

Ad 2. momentum, ſive mandatum divinum delati ſtrictim obſervamus quod licet quædam hic in numero reperiatur diverſitas dum unitatis numerum, נעלך רגלך verba ſuppeditant; quoad rem ipſam tamen nullus plane diſſenſus adſit, quoniam per numeri enallagen ſingularem, & hic locorum pro plurali eſſe adhibitum ex addita & a loci ſanctitate ob quam non unus magis, quam alter calceus erat deponendus petita ratione ſatis pateſcit Quod, autem inſuper & diſerte, h. l. commemoretur, quod *Joſua* mandato divino morem geſſerit (ויעש יהשע כן) idem illud a *Moſe* quoque factum fuiſſe ex textus συναφεία, tantum ſupra probandum nobis erat.

XXI. Quemadmodum autem, (quod ab aliis obſervatum eſt) *Gentilium* Sacrificuli *Sacerdotum Hebræorum* habitum imitati veſtibus candidis ſeſe involverunt: ita etiam præſentis, ἀνυποδησίας ritus in illorum quoque ſacris adhibiti veſtigia paſſim reperiuntur. Excitamus hanc in rem *Juſtinum Martyrem*, qui in *Apol.* II. poſtquam *Gentilium* morem ſeſe abluendi, & adſpergendi cum fana ingrederentur a Baptiſmo derivandum notaſſet, de hoc ritu ſubjungit: Καὶ τὸ ὑπολύεσθαι, ἐπιβάινοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς τοὺς θρησκεύοντας κελεύεσθαι ὑπὸ τῶν ἱερατευόντων, ἐκ τῶν συμβάντων Μωσεῖ τῷ εἰρημένῳ προφήτῃ μαθόντες οἱ δαίμονες ἐμιμήσαντο. *Quod fana eorum ingredientes, calceos deponunt, & cultores eorundem idem facere ſacerdotes jubent, per imitationem ejus quod* Moſi *prophetæ, quem diximus acciderat inſtituerunt*

runt dæmones. Utut autem ultima verba *Clerico* non arrideant, utpote qui tantillam rem facile inveniri potuiſſe exiſtimat, atque ita opus non fuiſſe, ut aut *Dæmones Deum* imitarentur; aut *Deus* eam primum inſtitueret; (quæ *Clerici* ſententia ſupra jam tum notata, & refutata eſt) *Juſtini* tamen opinio, minus quam *Clerici*, (qui *Deum Dæmonas*, ſive *Idololatras*, imitatum eſſe impudenter docet,) periculoſa eſt, nec magna veri etiam ſpecie deſtituitur. *Gentiles* enim *Numina*, non ex arbitrio humano, ſed ſecundum illorum voluntatem colenda eſſe cognoviſſe, illud tum ex frequentibus oraculorum conſultationibus; tum etiam ex fictis cum *Numinibus* colloquiis, ſi quando populo cultus, aut obedientia imperanda veniret, animadvertere licebit. Α'ρχοντα enim τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας (*Eph*. II. 2.) quis neſcit? Eundem autem hunc ritum apud *Cretenſes*, ſigillatim in uſu fuiſſe, *Jul. Solinus*, etiam *memorab. cap*. XIX. teſtatur. Quando *Cretes Dianam*, inquit, *religioſiſſime venerantur*.- *Ædem Numinis, præterquam nudus veſtigio, nullus licito ingreditur*. Præter *Pythagoræ* illa: (conf. *Jamblichus* in Vita ejus *cap*. X. θύειν χρὴ ἀνυπόδητον καὶ πρὸς ἱερὰ προσιέναι, *Cl. Dougthæus*, in *Analect. S. Excurſ*. XXXII. ad (*Exod*. III.) aliorum quoque nonnullorum ſuffragia ita allegat, ut inſimul etiam obſervet, quod hujuſmodi abjectus corporis habitus in publicis etiam calamitatibus fuerit adhibitus, id quod tamen huc præciſe non pertinet. Ad tempora quoque recentiora ſi inſimul cum *Druſio*, (in *Comment*. ad *Joſuam cap*. V. *verſ*. 15.) attendere velimus, *Moſcovitæ*, & aliæ Orientis *Gentes* in piaculo ponunt, ſi quis calceato pede per templorum pavimenta incedere inſtituat. Maxime autem memorandum illud exemplum eſt; quod *Braunius*, de V. S. H. *lib*. I. *cap*. 3.) de *Romano-Catholicis* ſubminiſtrat. Concepta *Aut. Celeb*. verba ſunt ſequentia: *Quis neſcit*, inquit, *id ipſum ad hunc uſque diem aliquando obſervari in Eccleſia Romana? Hinc non tantum maxima pars Monachorum nudis pedibus, aut unica tantum ſolea pedibus alligata incedunt, nec vulgus ſolum in ſacris publicis, quæ Proceſſiones vocant calceos negligunt, ſed & ipſi etiam Epiſcopi, & Antiſtites calceos exuere tenentur, ſi cum Pontifice R. Sacellum ad adorandam crucem intrare velint*. Nos qui hoc negotium aliis dijudicandum relinquimus; verum demum animi timorem, atque reverentiam, ut in ſacris, ita & in omnibus reliquis noſtris inſtitutis omni præſenti *Numini*, ac omniſcio cordium ſcrutatori unice acceptam eſſe aſſeveramus.

G. F.

CAS-

CASPARIS SAGITTARII DISSERTATIO DE NUDIPEDALIBUS VETERUM.

CAPUT PRIMUM.

De Nudipedalium antiquitate, nudisque pedibus venatorum, cursorum, Philosophorum, convivantium, Avarorum, pauperum, servorum, mimorum.

SUMMARIUM.

I. *Nudipedalia longe sunt antiquissima. Protoplasti & ante & post lapsum nudis fuere pedibus. Benedictus Balduinus notatur.* II. *Et primi posterorum Adami forte nudipedes.* III. *Nudipedalia Gentilibus probata. Cultus negligentia valetudini commoda.* IV. *Lycurgus Spartanis pueris nudipedalia præscripsit, & quare.* V. *Oppianus quoque venatoribus. Cretensium pueri nudipedes.* VI. *Lycurgus ipse frequenter excalceus.* VII. *Plato suis commendavit pedum nuditatem.* VIII. *Sic & Musonius, cui inter* calceari, *ac* vinciri *parum discriminis.* IX. *Hemerodromorum & cursorum nudi pedes. Lutatius Statii interpres castigatus. Vespasianus classiarios calcearium petentes excalceatos cursitare voluit.* X. *Clemens Alexandrinus Musonio consentit. Tertulliani* vincipes *a Salmasio restitutus.* Vincula *pro calceis.* Vinctus pes *pro calceato.* XI. *Nudipedalia Philosophorum veterum, Pythagoræorum.* XII. *Cynicorum, præcipue Diogenis. Oenomai liber περὶ κυνισμοῦ deperditus.* XIII. *Socrates nudipedes.* XIV. *Item Ajax, Achilles, Theseus.* XV. *Phocion.* XVI. *M. Cato, frustra id negante Acrone.* XVII. *Prisci Senatores Romani. Germani veteres.* XVIII. *Publ. Scipio non plane nudipes, sed absque calceis Romanis. Quomodo & Nero discalceatus.* XIX. *Discrimen inter* calceos & sandalia *conciliare potest* Matth. x. 10. Luc. x. 4. *cum* Marci VI. 9. *Sandaliis usi Petrus, aliique Apostoli.* Ὑποδήματα *quales calcei.* XX. *An apud Matthæum binarius numerus repetendus.* XXI. *An mandatum Christi in Matthæo temporale.* XXII. *Origenes & Hieronymus omnem calceatum a Christo putant probibitum.* XXIII. *Hieronymus & Pancirollus Christum & Apostolos discalceatos incessisse volunt.* XXIV. *Quidni is calceatus incessisset, cujus corrigiarum calceorum meminit Johannes Baptista? Calcei Christi vulgares. Lotio pedum & unctio non probat Christum semper egisse nudipedem. Calcei a convivantibus depositi, finito convictu repetiti. De calceorum depositione, repetitione ac pedilavio quinam scripserint.* XXV. *Maritialis Epigramma in Cottam ob perditas aliquoties soleas excalceum. Nudipedalia sordidæ avaritiæ signum.* XXVI. *Paupertas nudipedalium causa. Hanc pauperiei speciem an Deus minetur Samariæ* Mich. I. 8. *Naufragi olim nudipedes ad contestandam miseriam circumibant.* XXVII. *Servi venales olim nudipedes. A Dempstero dissensus. Cretati pedes servorum, non calcei. Juvenalis & Propertius expositi. Gypsati pedes. Creta in obsignando adhibita.* XXVIII. *Mimorum nudi pedes. An inde* planipediam *nomen habeant.*

I. NUdipedalia, quæ Græci Ἀνυποδησίαν appellare solent, antiquitate summa sese commendare arbitror. Etenim, cum ex Dei Opt. Max. beneplacito primævi nostri Parentes totum corpus nudi agerent, utique & pedes illorum nullis involucris tectos, aut revinctos fuisse apparet. Scilicet nihil illis inerat deforme, quod curiose vestibus operirent, neque adversus ullam cœli solive injuriam cum reliquo corpore armarent pedes, necessum habuere. Et licet postea peccato jam contaminati tunicas pelliceas ab ipso Deo acceperint; non-

nondum tamen ex eo (quod Benedicto Balduino *de Calcei Veterum cap.* I. viſum) promte ſequitur, ipſum Deum pedibus Adami & Evæ calceamenta induxiſſe. Certe non videtur adeo a vero alienum, ipſos, ſi non per totam vitam, magnam tamen ejus partem egiſſe nudipedes.

II. Gemino autem modo primos poſterorum Adami, prout tempus locuſque id ferebant, non raro nudi pedibus inceſſiſſe conjicio. Hoc enim tempora iſta, a frugalitatis ac parſimoniæ ſtudio inprimis commendata, omnique poſt illa quæ invaluit, luxuriæ inimica perſuadere videntur.

III. In quo quidem inſtituto, vel æmulos, vel conſentientes habuiſſe Gentiles, externis docemur hiſtoriis. Minime enim honeſtum antiqui cenſebant, *veſtitu nimio operire corpus, aut faſciis involvere, aut manus pedeſque circumligatis cujuſcunque generis faſciis, pannis aut lineis quibuſdam molles & languidos reddere, cum morbo non ſint impliciti*: prout Muſonius apud Stobæum præclare diſſerit. Atque hæc durior vivendi ratio quanti ad valetudinem conſervandam momenti habeat, non ignoravit Princeps Philoſophorum Ariſtoteles, eoque non aliter educari voluit beatorum civium liberos, *lib.* VII. *Polit. cap.* XIII. Sane *ſic viget nativus ignis, ſic cibus in ventre, ſic in venis humor omnis quam optime digeritur, unde creſcere corpus & roborari neceſſum eſt*: ceu præclare diſputat Vir ſummus, Hermannus Conringius *de Germanicorum corporum habitus antiqui & novi cauſis*.

IV. Verum enim vero quoniam in præſenti de nudis Antiquorum pedibus ſpeciatim agere animus eſt, primo celeberrimum Græcorum legiſlatorem Lycurgum ſiſtimus, qui pueris Spartanis nudipedalia præſcripſit, ceu inter alia ejus inſtituta Plutarchus *in vita Lycurgi* obſervavit: ex quo procul dubio hauſit Alexander ab Alexandro *Genialium Dierum lib.* V. *cap.* XVIII. Cauſa huic præcepto erat, quo expeditius acclivia loca conſcenderent, & per declivia loca graderentur: ut habet Xenophon *de Republ. Lacedæmoniorum* apud Stobæum in *Eclogis ſerm.* XLII.

V. Et quamquam id fortaſſis mirum alicui videatur propter ſpinas & tribulos, ſerpentes item ac lacertas, a quibus nudipedes vexari & lancinari ſoleant; ſecundum illud Theocriti, ſic latine verſum:

In monte cum ambulas, ne diſcalceatus eas, Batte.
In illo enim rubi & aſpalathi frondent:

Oppianus tamen *Venationum lib.* I. *verſ.* CII. venatores nudis pedibus cubilia ferarum adire juſſit, ne calceorum ſtrepitu maledormientes feras excitent. Græca Poetæ ſic expreſſit Cunradus Rittershuſius:

—— Nudis autum pedibus incedant
Illi quibus veſtigia curæ ſunt obſcura ferarum,
Ut ne forte feris ab oculis ſomnum abigant
Strepitu tritarum pinguibus ſub pedibus ſolearum.

Apud eundem Oppianum *lib.* IV. puella verno tempore

Diſcalceatis pedibus per omnes montes oberrat
Flores quærens.

Sic Nicolaus Damaſcenus apud Stobæum *Serm.* XLII. *de Legibus & moribus* ſcribit, *Cretenſium pueros venationes & curſus arduos conficere, nudis pedibus*. Quin virgo regii ſanguinis Antigone in Sophoclis *Oedipo* deſcribitur *ſæpe in horridis ſylvis jejuna & nudipes oberrans*.

VI. At vero ut Lycurgus *nihil lege ulla in alios ſanxit, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret*: quo nomine illum Juſtinus laudat *lib.* III. *cap.* II. ita Plutarchus in *vita* ejus teſtatur, ipſum non niſi *diebus neceſſariis calceos induiſſe*.

VII. Plato etiam, teſte Hieronymo & Anſelmo in *cap.* X. *Matthæi*, duas corporis ſummitates a diſcipulis velari noluit, nec adſuefieri debere mollitiei capitis & pedum. Idem diſcipulis præcepiſſe dicitur, ne iter ingreſſi pedes operirent. Quod quidem præceptum Hieremias Drexelius paulo curioſius interpretatur in *Prodromo Æternitatis cap.* I. §. XXVI. ubi infit: *Plato tanto aliquem evadere ſapientiorem cenſebat, quanto vivacius conſideraret mortem: ideo diſcipulis ſuis Philoſophiæ ſtudioſis hanc legem dixit, ut iter ingreſſi pedes nunquam operirent. Voluit vir ſapiens hoc ritu ſignificare extremum vitæ aſſidue eſſe cogitandum.*

VIII. Eandem ἀνυποδησίαν Muſonius Philoſophus magnopere commendabat libro *de Veſtimentis*, qui propterea inter ὑποδέεσθαι & τὸ δεδέσθαι, inter *calceari* & *vinciri*, parum ſtatuebat diſcriminis: quemadmodum hæc, alia plurima, excerpſit Stobæus *ſerm.* I. Latina hæc ſunt: *Diſcalceatum incedere præſtantius eſt, quam calceari. Propemodum enim dixerim, calcea-*

cea-

ceatum esse, perinde ac colligatum & vinctum esse. Ceterum nuditas pedum multum facilitatis & agilitatis præbet pedibus si exercitati fueriut. Sicut & hemerodrmos videre est non uti calceis, & certantes cusu non posse sirvare celeritatem, si in calceis currere necessum habeant.

IX. Quæ de HemorodromIs & Cursoribus veterum affert Musonius, utique certa sunt, eoque Plancidius Lutatius (quamvis inepte) pertinere putat illa Statii *lib.* VII. de Atalanta *plantisque ex more solutis*. Putat enim Atalantam *plantas solvisse, seu nudasse pedes, ex eo more quo solita erae cum procis cursu certare*. Ceterum hæc in memoriam mihi revocant Svetonii locum, ubi Vespasianus classiariis, qui remiges erant, seu milites martimi, invitis nudipedalia imposuit. *Classiarios*, inquit Tranquillus *cap.* VIII. *qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constituti aliquid calcearii nomine, quasi parum esset, sine responso abegisse, jussit posthac excalceatos cursitare. Et ex eo ita cursitant.*

X. Priora quædam Musonii luculenter sic expressit Clemens Alexandrinus *lib.* II. *cap.* XI. *Pedagog.* Viro *pulchro convenit nullos habere calceos, præter quam si militet. Calceatum enim esse, non parvam habet affinitatem cum eo, quod est esse ligatum. Optimum exercitationis genus est nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat necessitas.* Quo etiam Tertullianum de *Pallio cap.* v. respexisse putat Salmasius, cum *nudipedem* præstare dixit, quam *vincipedem*. Sic enim emendat Vir maximus, cum antea *uncipedem*, vel *unguipedem* legeretur. *Calceos* (hæc sunt Tertulliani:) *nibil dicimus proprium togæ tormentum* (male alii *termentum*. Videatur Jacobus Rævardus *Variorum lib.* I. *cap.* VIII.) *immundissimam pedum tutelam; verum & falsam. Quem enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem?*

Inde forsan Latinis *Vincula* & *Vincla* pro calceamentis. Sic enim Virgilius l. IV. Æn.

Unum exuta pedem vinclis *in veste recincta.*

Et lib. VIII. Æn.

Tyrrhena vincula sunt *calceamenta Tusca.*

Ovidius:

Arida de vinclis *crura resolve tuis.*

Idem lib. III. Metam.

Vincla *duæ pedibus demunt.*

Sic lib. I. Fast.

Impediunt teneros vincula *nulla pedes.*

Lib. II. Fast.

Scindebant magni vincula *parva pede.*

Lib. III. Fast.

Nec quisquam invita faciet bene vincula *planta.*

Lib. v. Fast.

Habent gemini vincula *nulla pedes.*

Tibullus lib. I. Eleg. IV.

Vinclaque *de niveo detrahet ipse pede.*

Prudentius hymno x. Peristephanon:

Atquin ipse pedes meos resolvam,
Ne vestigia præpedita vinclis
Tardis gressibus irruant in ignem.

Sic *Vinctum pedem* pro calceato iterum dixit Ovidius *lib.* III. de Arte Amandi:

Cum possit solea chartas celare ligatas,
Et vincto *blandas sub pede ferre notas.*

XI. Ut igitur expeditiores obeundis negotiis essent, qui ceteroquin superfluum cultum omnem detestabantur parsimoniæ intenti veteres Philosophi, nudis incedebant pedibus Pythagoræos quidem nullos gestasse calceos declarare videtur Athenęi testimonium *lib.* IV. *cap.* XVII. quod ita de Diodoro Aspendio Philosopho Pythagorico, cujus etiam meminit Jamblichus *lib.* I. *cap.* XXIII. quique temporibus Ptolemæi Lagi floruit: *Cum Pythagoricæ sectæ se videretur tradidisse, Cynicis moribus vestris vixit, capillatus, sordidus sine calceis*. Et putat sane vir celeberrimus Johannes Schefferus in exasciato de *Philosophia Italica* libro, ab ipsis Pythagoræis ad Cynicam sectam hunc morem transisse: qui tamen insimul pro sua, qua in antiquorum monumentis summo cum judicio versatus est, industria, existimat, usum calceorum omnibus Pythagoræis non æque fuisse prohibitum, sed forsan illis solum, qui adhuc probandi viderentur.

XII. De Cynicis res clarior. Licet enim nonnunquam, per hyemem ut puto soccos aut blautias admittererent, plerumque tamen conspicebantur nudipedes. De soccis Plautus Persa I. III.

Cynica esse e gente oportet parasitum probe.
Ampullam, strigilem, scaphiam, soccos, pallium.

At

At βλαῦπα, quæ erant ex ſolearum genere, vetus Epigramma Leonidæ Cynico aſſignat. Quem calceatum etiam antiquos Chriſtianos, qui Philoſophorum veterum abſtinentiam in multis æmulabantur, non omnino autem perferre poterant nudipedalia, admiſiſſe, ex Clemente Alexandrino liquet. Sed de Cynicorum nudis pedibus hic ſumus ſolliciti, eamque in rem occurrit illuſtris locus ex Luciani dialogo, qui inſcribitur *Cynicus*, quo iſtius ſectæ alumnus hæc profatur: *Cultus meus hujuſmodi eſt, ſqualere, hirſutum eſſe, & tritum pallium habere, calceis carere.* Philoſtratus *Epiſt.* XXIII. Sinopenſem Philoſophum (is erat Diogenes) *nudipedem* ſiſtit. De eodem Diogene, Diogenes Laertius in vita: *Nudis pedibus calcabat nivem.* Idem diſcipulos ſuos *ſine tunica & calceis* prodire voluit, eodem Laertio teſte. Theodorus Prodromus Oratione *de Sapientia* a Frederico Morello latine verſa: *Si vis illius Philoſophicæ* (Cynicæ) *ſectæ formam cernere, equidem tibi eam ſermone effictam ob oculos ponam. Abſque calceamentis hic fuit: homo ſine lare & domo ſqualidus.* Sed de his forſan uberius nos docere potuiſſet Œnomaus *libro* περὶ κυνισμοῦ a Suida laudato, niſi temporis injuria eundem orbi erudito invidiſſet.

XIII. Socratem quoque nudipedem ambulaſſe, apparet ex Ariſtophanis *Nubibus*, ubi Pheidippidem ſic loquentem introducit:

> —— Τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις
> Ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ
> χαιρεφῶν.

Ad quæ vide quæ notat Scholiaſtes eruditiſſimus. Alios ex Ariſtophane verſus laudat Laertius *in vita Socratis*, quæ latine ſic habent:

> *Elatus faſtu vias terit, oculiſque innuit,*
> *Et diſcalceatus mala multa tolerat, &*
> *Inter nos vultu gravitatem præſefert.*

XIV. Ajacem item & Achillem nudipedes nobis ſiſtit laudato loco Philoſtratus. Et Theſea Atticum Regem eodem modo introducit Lucianus in *Cynico*: *Ille*, inquit, *voluit nudipes eſſe, & nudus ambulare.*

XV. Sic ex Athenienſibus paulo qui eſſent in ratione vitæ adſtrictiores, aut ſeveriores, non niſi neceſſitate coacti, ad vitandum ſcilicet frigus itinerumque aſperitatem calceis utebantur: cujus exemplum nobis Phocionem exhibet Plutarchus. *Ille* enim, *peregre quidem atque in bello ſine calceis ſemper nuduſque incedebat, niſi gelu immodicum eſſet & intolerabile: ut milites per jocum pro gravis brumæ nota haberent, ubi eſſet veſtibus Phocion opertus.*

XVI. Phocioni in hac tolerantia nequaquam ceſſit M. Cato minor, qui eodem Plutarcho teſte, *crebro ſine calceis & tunica procedebat in publicum a prandio: non, quod gloriam ex hac novitate aucuparetur, ſed quod adſuefaceret ſeſe ob ſolam turpitudinem erubeſcere, & infamias contemnere reliquas.* De eodem Horatius *lib.* I. *Epiſt.* XIX.

> *Quid ſi quis vultu torvo ferus &*
> *pede nudo*
> *Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem?*

Quem imitatur ſuperioris ſeculi vates ad veterum gloriam aſſurgens Michael Hoſpitalius, Galliæ Cancellarius *lib.* IV. *Sermonem.*

> *Treis ſecum ſervos non plures unus*
> *habebat*
> *Exiguæ viliſque togę pręcinctus amictu,*
> *Et pedibus nudis incedens vertice nudo.*

De eodem Alexander Neapolitanus *Genialium Dierum lib.* V. *cap.* XVIII. *Cato Uticenſis mira patientia, ita ut vix cruda hyeme calcearetur.* Quamvis autem id de Catone auſus ſit negare interpres Horatii Helenius Acron, ejus tamen fides tanta non eſt, quæ veterum autoritatem valeat elevare.

XVII. Initio autem naſcentis Reipub. Romanæ ipſi Senatores quidni & plebs promiſcua?) nudis incedebant pedibus. Vetus Scholiaſta Juvenalis ad Satyram I. *Oſtendit plus honoris videri in calceis, quam in perſona. Illo enim tempore necdum Senatores nigris calceis utebantur, ſed nudis pedibus, vel pulverulentis.* Sed & priſcos Germanos nudipedes plerumque egiſſe exiſtimo. Neque enim iſtud familiari gentis rigori defuiſſe credas. Et favere huic aſſerto videtur fidus antiquitatum Germanicarum ſervator Tacitus, dum in *Germania* ſua *cap.* XVII. *Sagum commune omnibus tegumen fibula aut ſpina conſertum* aſſignans, *cetera intectos* vixiſſe memorat.

XVIII. Ceterum Publium Scipionem, ac ad hujus exemplum, Germanicum nudipedes facit idem Hiſtoricus. *Annal.* II. *cap.* LIX. ſcribens: *Multa Germanicus in vulgus grata uſurpavit, ſine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis*

tis amictu . *Publ. Scipionis æmulatione* , *quem eadem factitavisse apud Siciliam* , *quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello* , *accepimus* . Cave tamen hæc de pedibus prorsus nudis accipias , cum de Græcanicis soleis , seu crepidis intelligenda sint . Nimirum nudipes quandoque censebatur, non qui prorsus calceatu, sed qui calceis Romanis carebat. Fere enim pedes nudi, a planta infime , sed non superne tecti . Quo referri debent illa A. Gellii *Noctium Atticar.* lib. XIII. *cap.* XXI. *Omnia ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur* , *cetera prope nuda* , & *teretibus habenis vincta sunt* , *soleas dixere nonnunquam voce Græca crepidulas*. Quod ut facilius credamus , T. Livius facit , qui Scipionem *cum pallio crepidisque* more Græcorum) *in Gymnasio inambulasse* perhibet *lib.* XXIX. Sic etiam ista Svetonii de Nerone interpretor , qui *cap.* LI. illum *plerumque in publicum discalceatum prodisse* narrat . Et Clemens Alexandrinus in *Pædagog.* iis qui plane nudatis pedibus ire nequeant , βλαύταις, ἢ φαικασίοις , quæ erant Græcarum solearum species, utendum suadet : quod jam jam , §. XII. tetigimus.

XIX. Et hac observata distinctione videntur conciliari posse dicta Christi apud Matthæum *cap.* X. *vers.* X. & Lucam *cap.* X. *vers.* IV. cum iis Marci VI. *vers.* IX. quæ alias prima fronte pugnare videntur invicem : quandoquidem hic discipuli jubentur calceati viam carpere ; id quod prioribus locis eis interdicitur . Scilicet ὑποδήματα , hoc est, calcei totum pedem operientes (quod vocabulum apud sanctos Duumviros apparet) a pedibus Apostolorum removentur , suffectis in locum eorum *sandaliis* (hanc vocem diserte usurpavit Marcus) hoc est, solearum specie, non integrum , sed plantam modo pedis tegente. Et vero S. Petrum sandaliis usum Actorum historia *cap.* XII. *vers.* VIII. arguit, ac aliquoties eorundem in Abdiæ *vitis Apostolorum* fit mentio . Quoniam igitur ὑποδήματα, generale alias vocabulum , calceos hic signare videntur lautiorum, multis cum obstragulis, multamque ac sollicitam operam in calceando requirentes, ac ut nonnulli addunt , mollioris corii, sanctissimus Salvator, qui promtos atque expeditos volebat suos , iisdem rejectis , *sandalia* commendavit ; viliora scilicet calceamenta, & pauperiorum ac ex duriori corio, ad usum familiarem accommodata magis. Et hæc quidem plana conciliandi ratio ceteris videtur præferenda : quam licet Maldonatus Jesuita *Commentariis in Matthæum* rejiciat , Jansenii tamen , Salmasii, Lightfooti, aliorumque magnorum virorum calculo comprobatur .

XX. Sunt quidem & alii concordiæ inter Evangelistas stabiliendæ modi, quorum aliquos per saturam quasi afferemus. Quidam enim putant repeti apud Matthæum deberi numerum binarium , ut prohiberi credas non tam calceamenta in universum, sed duo calceamentorum paria, perinde ac duas tunicas . In hunc sensum Anselmus scribit: *Non*, *quod in locis Scythiæ rigentibus glaciali nive debeat esse contentus aliquis una tunica* , *sed ideo hoc præcipit*, *ne aliud vestimentum induti* , *aliud nobis futurorum timore servemus* . *Neque calceamenta duplicia eodem modo*. Sequuntur hanc sententiam Cajetanus , Maldonatus , Vincentius Regius : quæ tamen vel propterea non videtur omnimodo recipienda, quod explicito Matthæi nodo , alium in Luca , qui non habet illud δύο relinquat.

XXI. Martinus Chemnitius *Locorum Comment. part.* I. ad locum Matthæi in genere respondet, mandatum esse temporale , quod ad primam Apostolorum legationem pertineat : quod & Guilielmo Stuckio *Antiquitatum Convivalium lib.* II. *cap.* XXVII. placuit, qui cum Græcis respondet , *hoc certi fuisse temporis* , *non perpetui*.

XXII. Neque tamen defuerunt ex veteribus, qui omnem calceorum usum plene planeque a Domino prohibitum crederent : in quibus fuit Origenes (male Heraclæ Presbytero id tribuunt alii) de quo Eusebius *Histor. Eccles. lib.* VI. *cap.* III. sic scribit : *Maxime vero Evangelica illo Servatoris nostri præcepta observanda esse ducebat* , *quibus monemur* , *tum* , *ne duas tunicas habeamus* , *neve calceamentis utamur* ; *tum ne de crastino nimium solliciti nosmetipsos excruciemus* . *Sed* & *majore* , *quam ætas ferebat*, *animi ardore*, *in frigore ac nuditate perstans* , & *ad summum Evangelicæ paupertatis culmen evectus familiares suos ingenti admiratione perculit*. Et paucis interjectis : *Multos item per annos nudis vestigiis ambulasse dicitur*, *nullo penitus calceamento usus*, (μηδενὶ μηδαμῶς κεχρημένος ὑποδήματι.) Etiam Hieronymum huic opinioni addictum deprehendimus, tum *lib.* II. *contra Pelagium cap.* V. tum in aliquot Epistolis. Pelagium inter reliqua deliria asserentem facillima Dei mandata, hominique, modo vellet, absque peccato vivere , integrum esse; inter alia hoc argumento eludit: Si facilia sunt præcepta divina , cur ergo Petrus illud de assumendis calceamentis non servavit ? Sed en ipsa Hieronymi : *Nolite*, *inquit*, *possidere aurum*, *neque argen-*

gentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, non panem neque duas tunicas, neque virgam. Hæc, inquies, præcepta Apostolica sunt. Et certe Petrus amplius caligas habuisse narratur, dicente ad eum Angelo: Præcinge te, & calcea te caligis tuis. Nempe existimat Hieronymus, penitus a Christo prohibita calceamenta, & Petrum humanitus aliquid passum adversus Christi mandatum assumsisse. Unde & Epistola ad Geruntiam: *Apostoli toto orbe peregrini non æs in Zona, non virgam in manibus, non habuerunt in pedibus caligam.* Idem ad Eustochium virginem, de custodia virginitatis: *Et Moyses & Jesus Nave nudis in sanctam terram pedibus jubentur incedere. Et discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem novi Evangelii destinantur. Et milites vestimentis Jesu sorte divisis caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat servis.*

XXIII. Hieronymum ergo si sequimur, & Apostoli & Apostolorum magister nudipedes egerunt. Ex recentioribus huic sententiæ subscripsit celebris Jureconsultus ac Philologus Italus Guido Pancirollus libro *de rebus deperditis tit, XLIV.* his verbis: *Dio refert, Senatores olim discalceatos fuisse, præterquam si publice convenissent. Multo magis igitur & alii absque calceis incesserunt. De quo vel propterea dubitandum minus, quod ipsum etiam Salvatorem Nostrum maximam vitæ suæ partem discalceatum fuisse constat. Indeque est, quod ingresso ipsi Simonis leprosi ædes Magdalena pedes cum lachrumis lavit, & capillis siccavit: siquidem Simon lotionem istam omiserat, quæ tamen administrari solebat hospitibus: qui, quoniam absque calceis ingrediebantur lotione ea quam maxime indigebant.* Ad quæ sic commentatur Henricus Salmuth: *Idemque & Apostolis præcepit Christus, ne calceamentum pedibus inducerent.*

XXIV. At vero nisi Pancirollus fortius argumentum pro nudipedalibus Christi attulerit, quam hoc Simonis convivium, valde vereor ne causa cadat. Et quidni caderet? Num enim is calceamentis caruerit, de quo Johannes Baptista affirmat, se indignum esse *cujus*, vel *portet calceos*? ut est Matth. III. v. II. vel *cujus calceamentorum solveret corrigiam*? quomodo idem Johannes Marc. I. v. VII. loquitur. Quamobrem bene Augustinus Serm. XLII. de sanctis. *Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me ipse Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Johannes diceret: Non sum dignus, qui solvam corrigiam calceamenti ejus.* Hos autem Christi calceos non fuisse preciosos, sed simplices ac vulgares, facile crediderim Clementi Alexandrino, cujus hæc sunt latine versa. *Tenuis ac simplicis calceaturæ testis sufficit Johannes, qui dicebat, se non dignum esse, solvere corrigiam calceamentorum Domini. Non enim curiosos aut superfluos is habebat calceos, qui veræ Phylosophiæ typum Hebræis ostendebat.* Neque ex eo quod lavarentur pedes convivarum, prono fluit alveo nudis pedibus incessisse. Lyrani quidem & hoc est commentum *in cap.* VII. *Lucæ*: Dabatur *aqua peregre venientibus, quibus pedes fessis ad dolentes ex dolore itineris, & lutosi seu pulverisati; eo quod sine calceamentis incedebant.* Sed & pulverulenti pedes redditi, quamvis sandalia seu soleas, quarum creber erat usus induerentur. Hinc aqua discubituris, ne triclinia commacularent, præbita, ipsæque ante prandium & cœnam depositæ soleæ, a surgentibus repetitæ. Quo spectant tabulæ marmoreæ e ruderibus Romanis atque aliunde erutæ, in quibus pueri soleas cœnaturis detrahentes conspiciuntur. Plautus ritum hunc confirmat Trucul. II. IV.

> *Jam redit animus, deme soleas: cedo! bibam.*

Et scena sequenti:

> *Soleas mihi deme.*

Terentius Heautontimorum. I. I.

> *Adsido: accurtunt servi: soccos detrahunt,*
> *Video alios festinare, lectos sternere,*
> *Cœnam apparare.*

Martialis:

> *Deposui soleas, affertur protinus ingens,*
> *Inter lactucas oxygarumque liber.*

De hac solearum depositione, itemque pedilavio Veterum non pauca jam collecta sunt a viris celeberimis, quos hic laudare visum. Consulantur scilicet Benedictus Balduinus *do Calceo antiqui cap* XI. XXI. & XXVI. Caspar Barthius *Adversarior. lib.* VI. *cap.* XI. Philippus Caroli *Gustu Philologiæ Sacræ dialogismo* I. Petrus Ciacconius *de Triclinio*, Daniel Clasenius *Exercitation. Sacrar. in Passionem Christi lib.* I. *cap.* IV. Joh. Conradus Dietericus *apud Dilberrum tom.* I. *Desputat. pag.* 230. item *Antiquitatum Sacrarum lib.* I. & II. Johanes Drusius *in Exodi cap.* XII. V. XI. Martinus Gejerus *Dissertatione Philologico Historica de Vete-*

rum Hebræorum ratione cœnandi, Jacobus Gretzerus *in Pedilavio*, Nicolaus Heinſius *Exercitat. Sacrar. in Nonnum cap.* III. Juſtus Lipſius *Antiquarum Lection lib.* III. Hieronymus Mercurialis *lib.* I. *de Arte Gymnaſtica cap.* XI. Laurentius Pignorius *de Servis*, Martinus Raderus *Commentar. ad Martial. lib.* III. *Ep.* L. Laurentius Ramirez de Prado *Pentecontarchi cap.* XII. & *ad Martialem Commentar.* Joſephus Scaliger *de Emendatione Temporum fol.* 534. & in *Elencho Tribæreſii*, Thomas Stegerus *de Lotionibus Veterum cap.* VII. Guilielmus Stuckius *Antiquitatum Convivalium lib.* II. *cap.* XXVII. Fridericus Taubmannus *ad Plauti Trucul.* II. IV. *&* V. Levinus Torrentius *ad Horat. lib.* II. *Sat.* VIII. Hadrianus Turnebus *Adverſarior. lib.* XXX. *cap.* XXXVIII. Fulvius Urſinus in *Additamentis ad Ciacconium de Triclinio*, Chriſtianus Waſevvitzius in *Turture Johannes ſive Commentario de vita Baptiſtæ cap.* LVIII.

XXV. Hæc ſolearum depoſitio in memoriam mihi revocat lepidum epigramma Martialis, quo Cottam quendam ridet, quod perditis aliquoties ſoleis excalceus denique ad cœnam iret. Habetur id *lib.* X. *num.* LXXXIX.

> *Bis Cotta ſoleas perdidiſſe queſtus,*
> *Dum negligentem ducit ad pedes vernam,*
> *Qui ſolus inopi præſtat, & facit turbam:*
> *Excogitavit homo ſagax & aſtutus,*
> *Ne facere poſſet tale ſæpius damnum:*
> *Excalceatus ire cœpit ad cœnam.*

Hæc ſcilicet nudipedalia nimiæ ſordidæque parſimoniæ characterem repræſentarunt. Sic Theophraſtus inter μικρολογίας ſigna refert *calceos medio die exuere*. Quo neſcio annon & hoc pertineat Senecæ, quando Epiſt. LXXXVIII. *erubuiſſe ſe ait mulionem excalceatum non propter æſtatem.*

XXVI. Longe aliter cum illis erat comparatum, quos extrema pauperies a calceorum uſu arcebat: quod perditus ille nepos, quem Chriſtus depingit Lucæ XV. & Phanium virgo, cui *nihil erat adjumenti ad pulchritudinem, ſed capillus paſſus, nudus pes, veſtitus turpis*, apud Terentium Phorm. I. II. & cum illis innumeri alii ſunt experti. Huc refero illud Martiani Capellæ de vera & germana παιδείας agentis: *Plerumque adhæſit pauperibus, magiſque illis, quos aut pedibus nudos aut intonſo crine hiſpidos aut ſordenti conſpexit pallio ſemitectos.* Hanc ἀνυποδησίαν, ſi Seniores ſequimur, Samariæ minatur Deus Mich. I. VIII. πορεύσεται ἀνυπόδητος καὶ γυμνή. Ad quæ Cyrillus: *Nuditas & excalceatio captivorum habitum ſignificant.* Quanquam ſi Hebræa inſpicimus, non de Samaria, ſed de ſe ipſo loquitur Propheta: *Ibo ſpoliatus & nudus.* Ad hæc inopum nudipedalia refero, quod olim naufragi ad extremam, quam perpeſſi, conteſtandam miſeriam nudipedes circumirent. Ita enim colligo ex Paulini Epiſcopi Nolani carmine ad Cythereum de Martiniani naufragio:

> *Caligis tamen vilibus donatus eſt,*
> *Ne nautico erraret pede,*
> *Qui maluiſſet confoveri excalceus,*
> *Quam calceari frigidus.*

Quo & hæc Alciphronis referenda *Epiſt.* III. Etenim *cum aliquando piſces vendere inſtituiſſem, audivi quendam ex his, qui in Pœcile verſantur, diſcalceatum & lurido colore præditum: qui carmen recitabat, quo navigantium deſperatio decantabatur.*

XXVII. In pauperum nudipedum ſorte merito & ſervos veterum venales locamus. Nam hos intectis fuiſſe pedibus demonſtrabimus. Juvenalis, ubi de Cappadocibus & Bithynis Romam venum ductis *Sat.* VII.

> *Altera quos nudo traducit Gallia talo.*

Neque enim nobis ſe probat Vir magni quantumvis nominis, Thomas Dempſterus, qui *cretatos* ſervorum venalium pedes ac calceos nota cretacea inſignitos refert: quod & Balduino *de calceo antiquo cap.* XXIII. diſplicuit. Nunquam enim calceorum in hac cauſa, ſemper pedum meminere Veteres. Juvenalis *Sat.* I.

> *Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.*

Albos appellat, utpote inſignitos nota cretacea: quæ (ſi Dalechampio & Scaligero ex Xenophonte id eruenti credimus) heri ſigillo imprimebatur, quando privati hominis mancipium foret; cum publicum, Reipublicæ Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XVII. *Eſt & viliſſima creta, qua Circum producere ad Victoriæ notam, pedeſque venalium trans mare advectorum denotare inſtituerunt majores. Talemque Publium mimicæ ſectæ conditorem & Aſtrologicæ conſobrinum ejus Manlium Antiochum, item Grammaticæ Taberium Erotem eadem nave advectos videre proavi.* Et *cap. ſeq.* Claudii *Cæſaris libertos vidimus cum laureatis faſcibus illo remitti, unde creatis pedibus adveniſſent.* Sic Propertius:

Aut

Aut quorum titulus per barbara col-
la pependit
Cretati medio cum salire foro.

Ubi tamen alii, nec inepte forsan, legunt *Cælati*, ut respiciat Poeta ad stigmata servorum seu cælaturas in fronte, vel alia corporis parte. *Gypsati pedes* audiunt Ovidio & Tribullo.

Illi *lib.* I. malæ artis:

Nec tu si quis erit capitis mercede
redemtus,
Despice gypsati nomen inane pedis.

Huic *lib.* II. Eleg. III.

Nota loquor, regnum ipse tenet, quem
sæpe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Cretam autem in obsignationibus adhiberi solitam, ex Cicerone, Servio aliisque clarum: quos etiam hoc nomine laudant Petrus Victorius *Variarum Lectionum lib.* XIV. *cap.* IV. Johannes Kirchmanus *de Annulis cap.* VII. Johannes Saubertus *de Sacrificiis cap.* XVIII.

XXVIII. Hac creta obsignassemus præsens caput, nisi mimorum excalcei in mentem venissent pedes nimirum mimos olim nudis egisse pedibus, vel exin probare nonnulli cupiunt, quod *planipedes* sint dicti, & fabula *planipedia*. Unde Diomedes lib. III. *Planipes Græce dicitur Mimus. Ideo autem Latine planipes, quod actores planis pedibus, id est, nudis, proscenium introirent; non, ut Tragici actores, cum cothurnis, neque ut Comici, cum soccis.* Donatus, sive potius Evanthius, prolegomenis in Terentium: *Planipedia dicta ob humilitate argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco, utuntur in scena; sed plano pede.* Ubi oppositio satis docet, *planum pedem* dicere, qui expers sit cothurni ac socci; utpote nudus. Eleganter ad hos nudos mimorum pedes respiciens Seneca *Epist.* VIII. ad Lucilium scribit: *Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacent? quam multa Publii non* excalceatis *sed cothurnatis dicenda sunt.* Certum igitur mimorum nudos fuisse pedes: attamen non æque certum, an ob id *planipedes* dicti, eorumque fabula *planipedia*. Nempe alia denominationis adest ratio: quod scilicet mimi primitus non admitterentur in orchestram, sed plano agerent pede, sive in plano atque humili loco. Affert & id etymi Diomedes his verbis: *Sive quod olim non in suggestu scenæ, sed in plano orchestræ, positi instrumentis mimicis, actitabant.* Ac Evantius quoque: *Vel ideo, quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt; sed in plano & humili loco.* Et huic quidem sententiæ favet Vossius *Institution. Poeticar. lib.* II. *cap.* XXXII. Planipedis meminit & Gellius *Noctium Atticarum l.* I. cap. XI. *Quid enim foret ea re ineptius, sicut* planipedi *saltanti, in Graccho concionanti numeros & modos, & frequentamenta quædam vasia tibicen incineret?*

CAPUT II.

De Nudipedalibus Religiosis.

SUMMARIUM.

I. *Religiosa Nudipedalia describuntur. Moyses ac Josua in Sanctis locis jussi se sistere nudipedes, & quare. Hi non sanctificarunt eo ritu terram, quæ jam Sancta erat.* II. *Mystica hujus excalceationis significatio Patrum dictis confirmata.* III. *Theodoretus Moysen eo putat præfigurasse nudos sacrificantium pedes.* IV. *Q. An sacerdotes excalcei sacra fecerint? Probabile videtur ob lotionem. Hypocaustum sacerdotum quo hyeme pedes calefacerent.* V. *An & reliqui Judæi nudis egerint pedibus. Juvenalis illustratus. Berenice coram Floro nudipes, & qua de causa.* VI. κακοζηλίαι *Gentilium in Nudipedalibus. Pythagoras sacrificantibus nudipedalia præscripsit. Quinam Symbola Pythagoræ illustrarint. Christianus Florens notatus. Pythagoras hoc præceptum ex Moyse hausit; sicut pleraque symbulorum: quippe qui & genus ad Judæos referat. Pythagoras circumcisus. Hierophantæ nudipedes.* VII. *Lacedæmoniorum sacra nudipedalia. Proverbium:* γυμνοποδίας χαίρει. VIII. *Matronæ Græcorum in honorem Cereris discalceatæ.* IX *Cretenses Dianæ ædem non nisi nudipedes ingrediebantur. Atalanta eum ritum cur servarit.* X. *Romanæ mulieres ædem Vestæ nudis pedibus ingressæ.* XI. *Imaginem Magnæ Matris Deum proceres Romani nudipedes comitabantur.* XII. *Et alias in publicis supplicationibus hæc religio obtinuit.* XIII. *In sacris magicis veneficæ nudæ pedem.* XIV. *Christianorum religiosa Nudipedalia. Baptizandi ad Exorcistam nudipedes venere. Processio nudipedalis ob terræ motum Constantinopoli & Antiochiæ. Concilium Moguntiacum in litaniis nudipedalia præscribit. Heraclius receptam a Persis S.*

cru-

crucem nudipes pristino loco restituit. In Festo Exaltatæ crucis hic ritus observatus. Processiones Constantinopolitanæ in nudis pedibus. Nudipedalia in translatione Vallerslebianæ Ecclesiæ Magdeburgum Ottonis III. *Gnesnensem Archiepiscopatum fundaturi. Egidonis Misnensis Episcopi.* Henrici III. Leonis IX. *Monachorum Hirschfeldensium. Annonis Coloniensis Archiepiscopi. Christianorum Hierosolymam obsidentium, & occupantium. Clemangis locus insignis de Nudipedalibus.* XV. *Saraceni non nisi detractis calceis ingrediuntur Moschæas.* Mesth. *interiores Turcarum soleæ. Monachi Turcici nudipedes. Persæ ac Æthiopes templa ingressuri calceos deponunt. Judæi hodierni Synagogam ingredientes aut purgant calceos, aut exuunt.* XVI. *Nudipedes inter hæreticos relati.* XVII. *Franciscani Pontificii nudipedes male audiunt.*

I. Religiosa appellamus Nudipedalia, quæ partem aliquam divini religiosique cultus, sive jam ille genuinus, sive superstitiosus fuerit, complectebantur. Ad priorem classem, sinceræ scilicet veræque religionis, merito suo referenda sunt Moysis ac Josuæ Nudipedalia a Deo ipso jussa. Nimirum quando supremum Numen per flammantem rubum se conspiciendum daret Mosi, is ipse ad considerationem miraculi propius accedens monitus est a Deo, ut *calceamentum solveret de pedibus, quod locus in quo staret, terra esset sancta*. Exodi cap. III. v. IV. Atque idem postea Israelitarum Duci Josuæ in ipso promissæ terræ aditu geminis verbis imperatum cap. V. vers. XV. In causas horum præceptorum si inquiras, præcipue hoc externo symbolo sunt admoniti, quanta divinæ majestatis, quæ præsentiam inibi declararet suam, foret excellentia, cumque ea humilitatem ac conditionis suæ vilitatem componentes, ingenti submissione animi ac reverentia ad percipienda responsa accederent. Neque vero existimandum, vel Moysen, vel Josuam sua pedum nuditate sanctiorem reddidisse terram, quæ jam per præsentiam divinam sanctificata. Theodoretus *Quæst. in Exodum* VII. recte scribit: *Alii dicunt, id fuisse imperatum Mosi, ut nuditate pedum suorum sanctificaret terram illam. Quod mihi non probatur, Moses enim tunc necdum Pontifex, neque Propheta creatus fuerat: & Deus locum illum per suam præsentiam jam sanctificaverat, ideoque terram illam sanctam esse dixerat. Non igitur Moses nuditate pedum suorum sanctificaturus erat locum illum.*

II. Per allegoriam vero hac ipsa calceorum depositione Doctori ac Ducibus populi Judaici videtur significatum, ut sollicitudines ac curas seculares ab officio suo alienas ac mortali vitæ adhærentes seponerent prorsus, iisdemque abjectis superna ac cœlestia unice cogitarent. Quam in rem iterum Theodoretus d. l. *Quare jussus est Moses calceamentum solvere; Dicunt nonnulli, ea re significasse Deum, ut sollicitudines seculares abjiceret huic mortali vitæ adhærentes. Nam pelles unde conficiuntur calceamenta, mortuæ sunt.* Quo forte etiam respexit Gregorius Nazianzenus *Orat.* II. *de Pascha* cujus græca sic vertit Billius: *Jam qui terram sanctam & vestigiis divinis impressam contacturus est, calceamenta solvat: quemadmodum & Moses ille in monte, ut nihil mortuum ferat, nec inter Deum atque homines intermedium.* Certe Nicetas paraphrasi sua hæc ita elucidat: *Quæ verba hoc nobis significant, eum, qui animum ad contemplationem adjiciat (hæc enim terra sancta est, in qua Deus per imaginem apparet) mundanas curas, ut mortuas & infrugiferas, atque aditum ad Deum intersepientes abjicere debere.* Gregorii Nysseni cogitationes hæ sunt: *Moses accedens ad Deum in rubo, calceos solvit, ut disceret, nil earum rerum, quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente, præter supremam essentiam quæ omnium causa est, & e qua omnia pendent, vere subsistere.* Ambrosius lib. II. *de Pœnitentia* cap. ult. *Didicimus ergo & agendam pœnitentiam, & in captivitate peccati positos reverentiores nos, non usurpatores esse debere. Nam si Moysi propius accedere gestienti, dicitur: Solve calceamentum pedum tuorum; quanto magis nos animæ nostræ pedes exuere vinculis corporalibus, & gressus omnes mundi istius nexu debemus absolvere.* Hieronymus ad Marcellam, de exitu Leæ: *Quapropter moneo, & flens gemensque contestor, ut dum hujus mundi vitam currimus, non duabus tunicis, id est, duplici vestiamur fide: non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus prægravemur.* Idem Commentar. in Esaiæ cap. XX. *Neque in terra Sancta, ad quam ire festinat, sacco vestitus, & opertis pelle pedibus vel stare poterat, vel ambulare: dicente Domino: Solve calceamentum de pedibus tuis.* Augustinus Serm. XLII. de Sanctis: *Calceamenta, quibus utimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo jubemur renunciare mortus operibus. Hoc in figura Moses admonebatur, quando Dominus loquens ait, Solve calceamenta de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Quid tam in terra sancta,*

quam

quam in Dei Ecclesia? in illa ergo stemus, calceamenta solvamus, id est, mortuis operibus renunciemus. Isidorus Hispalensis libro Procemiorum: *Nullus digne consistere, vel Deum videre potest, nisi qui cuncta terrena & mortalia despexerit vitia: quod significabant illa calceamenta deposita*. Bernhardus Serm. de B. Maria super illud Apocal. XII. *Signum magnum*: Merito *quidem admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri. Veruntamen solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis*.

III. Theodoretus autem aliam quoque hujus mandati in Moyse affert rationem; quasi is eo ipso nudos Sacerdotum sacrificantium pedes præfigurare habuerit. *Duo igitur arbitror*, inquit, *per hoc significari: primum quidem, ut religiosiorem hac ratione Mosen redderet; deinde vero ut prædoceret eum, qua ratione oportet sacerdotes in tabernaculo deservire. Nudis enim pedibus illi sacrificia peragebant*.

IV. Non immerito igitur hoc loco quæras, an etiam, quod putat Theodoretus nudis pedibus Judæorum sacerdotes sacra fecerint. Diserte quidem ea de re in Lege Mosaica cautum nihil: at vero quia tabernaculum ingressuri jubentur lavare pedes, probabile admodum videtur, nudis postea pedibus sacris operatos. Sic enim habetur Exodi XXX. vers. XIX. *Locutus est Dominum ad Moysen, dicens: Facies & labium æneum cum basi sua ad lavandum, poneque illud inter tabernaculum testimonii & altare. Et missa aqua lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Deo, ne forte moriantur*. Et Exod. XL. vers. XXX. *Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii & altare, implens illud aqua. Laveruntque Moyses & Aaron ac filii ejus manus suas & pedes, cum ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi*. Præceptum tamen hæc de re Sacerdotibus datum singulare annotavit R. Moses Bar Nachman Gerundensi Excellentissimo Sauberto *de Sacrificiis cap.* IX. laudatus. Ceterum ne hyberno tempore nuditas pedum Sacerdotum infestaret valetudinem, conclave tum habebant, quod calefieri poterat, eoque pavimento calefacto inambulabant. Videatur Codex Middoth *cap.* I. §. VI. cum notis Constantini L'Empereur.

V. De Judæorum ergo Sacerdotibus certum, in celebrandis sacris incessisse nudis pedibus. Sed sunt qui idem velint de reliquo populo, allegantes sequentia Juvenalis e satira VI.

> —— *Deinde adamas notissimus, & Berenices*
> *In digito factus pretiosior. Hunc dedit olim*
> *Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori*
> *Observant ubi festa mero pede sabbata Reges*.

Mero pede, hoc est, *nudo*, ut omnes interpretantur: ad cujus imitationem Prudentius dixisse videtur *calcem meram* Peristeph. hymn X.

> *Vix hæc ediderat, relaxat ipse*
> *Indumenta pedum, velut Moyses*
> *Quondam fecerat ad rubum propinquans.*
> *Non calcare sacram cremationem,*
> *Aut adstare Deo prius licebat.*
> *Quam vestigia pura figerentur.*
> *Stabat calce mera*.

Neque tamen illud Satyrici plus probat, quam festis diebus, ac Sabbato inprimis religiosa Judæorum Reges celebrasse nudipedalia. Et forte finxit hæc, qui Judaica tantopere risit Juvenalis: nisi malis dicere singularem Berenices historiam hic indigitari, quam Josephus *de Bello Judaico lib.* II. *cap.* XV. consignavit. *Venerat Hierosolymam*, inquit ille, *ut vota Deo solveret. His enim, qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque vino & capillos radere. Quem morem Berenice regina illis exercens diebus, nudipes* (γυμνόπους) *ante tribunal stetit, deprecans Florum. Sed præter quod nihil honoris habitum, etiam de vita sua periclitata est*. Egesippus *de Urbis Hierosolymitanæ excidio lib.* II. *cap.* VIII. *Florus in conspectu Berenices, quæ soror Agrippæ Regis, ad templum religionis causa venerat, acerbissima cæde in populum sæviebat: nec obsecranti deferendum arbitratus, cum inservientem religioni nudis pedibus adstantem cerneret*. Jacobus Bonfrerius *Commentariis in Exodum* hanc de Berenice historiam ad votum Nazaræatus refert: quod libens admitterem, modo vel Bonfrerius, vel alii ex sinceris Judæorum antiquitatibus demonstrassent, Nazaræis una cum aliis ritibus recepta quoque fuisse nudipedalia: quod nondum memini me legere. Quamobrem rectius computaverim nudipedalibus Judæorum inter cetera jejunii solemnia usurpatis: quæ & D. Leo tangit Serm. IV. de Jeju-

Junio: *Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa jejunia*. Sed de his aliisque Judæorum Nudipedalibus capite sequenti dispiciemus.

VI. A Judæis vero proculdubio superstitiosa Nudipedalia sua mutuati sunt Gentiles, apud quos occurrit primo Pythagoras in symbolis suis, illud ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει, *Nudipes sacrifica & adora*, apud Jamblichum imperans: quod mystice sic nonnuli interpretantur, quod sacra animo casto, & a libidinibus expiato tractanda sint. Quo de, cum Androcydæ, Anximandri Milesii junioris, & Alexandri Polyhistoris in Symbolis Pythagoricis operam temporum injuria sustulerit, Philippus Beroaldus, Johannes Reuchlinus, Erasmus Roterodamus, Lilius Gregorius Gyraldus & Claudius Minos legendi. Quo autem fundamento Christianus Florens in *Vespas Aristophanis* hoc Pythagoricum ad unum tantum pedem determinaverit, nescio. Ceterum ex historia Mosaica illud petitum aperte fatetur Ambrosius lib. I. Ep. VI. scribens: *Legerat Pythagoras in Exodo, Moysi divino præceptum esse oraculo, Solve calceamentum pedum tuorum. Id etiam præceptum Jesu Nave, ut detritæ & popularis viæ deponeret pulverem, qui viam Domini ambulare perseveraret*. Enim vero non est dubium, quin Pythagoras pleraque symbolorum & dogmatum suorum ex Israeliticis fontibus hauserit. Unde Josephus *lib. I. contra Apionem:* Pythagoras *Samius cum sit antiquus quidem ætate, sapientia vero & divina pietate Philosophos omnes excellens, non solum quæ nostra sunt agnovisse manifestum est, sed etiam æmulatus ea ex multis apparet*. Mox id Josephus confirmat testimonio Hermippi, ex cujus lib. I. de Pythagora & hæc affert: *Hæc autem agebat, Judæorum & Thracum opiniones imitatus, ac transferens in semetipsum. Dicitur enim vere, quod ille vir multas Judæorum leges in suam transtulit Philosophiam*. Quo cum consentit Origenes *lib. I. contra Celsum* scribens: *Fertur & Hermippus in primo de legislatoribus prodidisse, Pythagoram suam Philosophiam a Judæis traduxisse in Græciam*. Quid? quod ex populo Judaico genus duxisse Pythagoram quorundam sit opinio. Ambrosius *lib. I. Epist. VI. Nam cum ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit Pythagoras, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta*. Quid? quod circumcisum tradat Clemens Alexandrinus Stromatum lib. I. *Pythagoras cum Ægyptiorum Prophetis congressus est, propter quos etiam fuit circumcisus, ut adyta ingrediens Ægyptiorum, mysticam disceret Philosophiam, & cum Chaldeorum & Magorum versatus est præstantissimis*. Sed quia hic Ægyptiorum meminimus, simul succurrit animo, Hierophantas eorum nudipedes incessisse. De his enim Silius Italicus *lib.* III.

> Pes nudus, *longæque comæ castumque cubile*.

VII. Porro Lacedæmonii, ut Eusebius in Chronicis refert, regnante Romæ Tullio Hostilio sacra nudipedalia instituerunt. De iisdem Olymp. XXVII. Marianus Scotus: *Nudipedalia primum acta in Lacedæmone*. Alia tamen ab his forsan fuere Nudipedalia, quando pueri Spartani hymnis Deos concelebrantes, nudis pedibus incedebant in honorem Spartiatorum, qui in Thyræis ceciderant. Unde proverbium natum est γυμνοποδίαις χαίρει: cus meminit Apostolius *Proverbiorum Græcorum centur.* VI. LVI. Videatur Plutarchus in *Lycurgo*. Quamquam hoc adagium non ex instituto Lycurgi, sed aliunde derivet Pantinus *Notis ad Apostolium*.

VIII. Præterea matronæ Græcorum in honorem Cereris discalceatæ pererrabant urbem; teste Callimacho *hymno in Cererem:*

> *Et quemadmodum discalceatæ & vittis exutæ urbem perambulamus;*
> *Sic pedes & capita omnis prorsus damni expertia habeamus*.

Ad quæ Nicodemus Frischlinus: *Discalceatæ nimirum, apertisque seu nudis incedebant capitibus, ut hoc ritu monerent, homines beneficio Cereris & pedes, caput etiam sine tegumentis salva habere, potiusque amictu, quam victu carere posse*.

IX. Cretes *quoque Dianam religiosissime venerantes* βριτόμαρτιν *generaliter nominantes, quod sermone nostro sonat virginem dulcem. Ædem Virginis præterquam nudus vestigia nullus licito ingreditur*. Solinus Polyhistor *cap.* XVI. Et ad hujus Dianæ ædem cum properaret Atalanta Parthenopæi mater, postquam mortem filii in somnis præviderat, infausta illa somnia vivo flumine detersura nudis ibat pedibus, ut canit Statius lib. IX. Thebaid.

> *Tristibus interea somni turbata figuris.*
> *Torva sagittiferi mater Tegeatis ephebi*
> *Crine dato passim*, plantisque ex more solutis,

Ante

> *Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas,*
> *Purgatura malum fluvio vivente soporem.*

Ubi Glossæ Barthianæ: *Sacrificantium more nudaverat plantas*. Ineptam autem Lutatii interpretationem censet Caspar Gevartius *Electorum lib.* II. *cap.* XII. qui propterea Atalantam plantam solvisse censet *ex eo more, quo solita erat cum procis cursu certare*: uti jam proximo capite monitum. Gevartius autem, & nos cum eo, ad Nudipedalia religiosa, seu potius superstitiosa referimus. Scaliger quidem *Notis ad Ceirin* ritum exin deducit, quia *Diana nudis pedibus* erat, *cum fugeret Minoen.* Sed Christophorus Adamus Rupertus *Observat. ad Flori lib.* I. *cap.* XIII. inquit: *Imo vero quia id honoris plerumque tribuerant iis, quos volebant religiosissime cultos.*

X. Ita matronæ Romanæ ubi vota Deæ Vestæ concipiebant, ejus ædem nudis pedibus adibant. Ovidius Fastor. lib. VI.

> *Huc* pede *matronam* nudo *descendere vidi.*

Et mox:

> *Et pede velato non adeunda palus.*

Velato, id est, *calceato*.

Sic *Virgines ex sacerdotio Vestæ*, Gallis Urbi imminentibus, *nudo pede fugientia sacra comitabantur*, teste Floro *lib.* I. *cap.* XIII.

XI. Sic etiam quando sacra Magnæ Deum celebrarentur, ejusque statua per plateas & vicos circumferretur, nec Romani proceres nudipedes eam comitari dedignabantur. Prudentius *Peristeph. hymno* XIV.

> *Nudare plantas ante carpentum scio*
> *Proceres togatos Matris Ideæ sacris.*
> *Lapis nigellus evehendus essedo*
> *Muliebris oris clausus argento sedet.*
> *Quem dum ad lavacrum praeundo ducitis*
> *Pedes remotis atterentes calceis*
> *Almonis usque pervenitis rivulum.*

XII. Idem quoque passim a Romanis observatum, quotiescunque stupente cœlo & arente solo pluviæ publicis supplicationibus a Diis exposcebantur. Tertullianus *lib. de Jejunio* Sed *& omnem* ταπεινοφρόνησιν *Ethnici agnoscunt. Cum stupet cœlum, & aret annus, Nudipedalia enunciant.* Idem *Apologetici cap.* XL. *Aquileia* (hæc erant sacrificia pro impetrandis imbribus) *Jovi immolatis, Nudipedalia populo denunciatis.*

XIII. Sed ut illa gentilium κακοζηλία eo poteat magis, non immerito observandum, quod in sacris magicis veneficæ conspiciebantur nudis pedibus: quamquam sint, qui unum modo pedem repræsentent nudum, alterum vero tectum. Hoc pacto Virgilius lib. IX. Æn.

> *Unum* exuta pedem *vinclis, in veste recincta.*

Et Ovidius lib. VII. Metamorph. de Medea:

> *Egreditur tectis vestes induta recinctas.*
> Nuda pedem, *nudos humeris infusa capillos.*

Et de eadem, Seneca Medeæ II. II.

> *Tibi more gentis vinculo solvens comam,*
> *Secreta* nuda *nemora lustravi* pede.

Horatius tamen Canidiam utrumque pedem nudam inducit *lib.* I. *Sat.* VIII.

> *Vidi egomet nigra succinctam vadere pallam*
> *Canidium* pedibus nudis, *passoque capillo.*

Et nescio quid magici sapiat illud Plinii *lib.* XVII. *cap.* XXVIII. *Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis*, nudis pedibus, *recincta*.

XVI. Noli tamen credere externos fuisse solos, quibus hæc nudipedalia in deliciis. Etiam Christianis veteribus quandoque placuerunt. Ut enim taceam, baptizandos ad Exorcistam nudis accessisse pedibus, teste Chrysostomo *Homilia ad baptizandes*; in solemnibus supplicationibus interdum nudipedes processisse docemur. Sic Michael Glycas *part.* IV. *Annalium* Theodosium Juniorem & Proclum Patriarcham Constantinopolitanum discalceatos tradit prodisse in processionibus, quæ Constantinopoli indictæ, cum urbs gravi & diuturno terræ motu concuteretur: de quo terræ motu legendi etiam Paulus Diaconus *lib.* XIV. Nicephorus *Histor. Ecclesiast. lib.* XIV. *cap.* XLVI. Jamjam laudatus quoque Diaconus autor est, Justiniano imperante concussa terra horribili motu, Antiochenos cives qui remanserant, discalceatos omnes litanias fecisse, clamantes Κύριε ἐλέησον. Et Concili-

cilium Moguntiacum an. ɪɔcccxɪɪ. celebratum *can.* ɪv. Christianis in litaniis nudipedalia præscribit. *Placuit nobis, ut Litania major observanda sit a cunctis Christianis, diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sancti Patres nostri instituerunt: non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinereque & cilicio induti, nisi infirmitas impedieret.* Ubi quidam respexisse volunt Concilii Patres ad Imp. Heraclii memorabile factum, qui post receptam e manibus Persicis crucem Domini, volens gratias & preces Deo offerre, vestitu omni pretioso exuto, nudis pedibus, suis humeris Dominicam crucem in locum Calvariæ reportavit anno ɪɔcxxvɪɪɪ. Unde Festum Exaltatæ Crucis & mos annuus cœpit, ut adoraturi crucem discalceati incederent, teste Blondo *lib.* ɪx. *Dec.* ɪ. Ejusmodi processiones in imperio Constantinopolitano diu perseverasse, vel ex Luithprandi Cremonensis Episcopi Sec. x. *ad Nicephorum Imp.* pro Ottonibus Augg. *legatione* ab Henrico Canisio edita apparet. *Secunda inquit Nicephorus, hora jam transiit: προέλευσις, id est processio nobis est celebranda. -- Non pigeat me προέλευσιν ipsam describere, & Dominos meos audire. Negotiatorum multitudo copiosa ignobiliumque personarum, ea solennitate collecta, ad susceptionem & laudem Nicephori, a palatio usque ad Sanctam Sophiam, quasi pro muris, viæ margines tenuit, clypeolis tenibus satis & spiculis vilibus dedecorata. Accessit & ad dedecoris hujus augmentum, quod vulgi ipsius potior pars, ad laudem ipsius, nudis processerat pedibus. Credo sic eos putasse, sanctam ipsam potius exornare προέλευσιν. Sed & optimates sui, qui cum ipso per plebejam & discalceatam multitudinem ipsam transierant, magnis & nimia vetustate rimatis tunicis erant induti.* Ottone I. in Germania regnante, Ecclesia Vallerslebiensis translata Magdeburgum. In hujus translationis memoriam *per multos annos in vigilia beati Laurentii, qua emigrarunt* fratres, *nudis pedibus Ecclesiam suam votis constricti repetiverunt.* Krantzius *Saxon. lib.* ɪv. *cap.* xɪv. Otto ɪɪɪ. cum Archiepiscopatum Gnesnensem in Polonia instituturus religiosum eo iter susciperet, *videns a longe urbem desideratam*, nudis pedibus *suppliciter advenit, & ab Episcopi ejusdem Ungero venerabiliter susceptus, Ecclesiam introducitur, & ad Christi gratiam sibi impetrandam, Martyris Christi intercessio profusis lacrymis invitatur.* Ditmarus Episcopus Mersburg. lib. ɪv. Idem eodem libro de Ludolpho Abbate Corbejensi: *Pius abbas ad oratorium speciale suimet rebus anxius asylum*, nudis pedibus *venit, & more solito in se de altis humanam fragilitatem deflens, placavit Dominum.* Idem lib. vɪɪ. de Eid. Episcopo Misnensis Ecclesiæ: Crebro a *suis pœne desperatus in stuba vix recreabatur, corpus suum nimiis afflixit jejuniis, plus* nudis pedibus, *quam equo laborans.* Heinricus ɪɪɪ. victo fugatoque Ungrorum Rege Aba, *ut meritas Deo gratias ageret, deposito paludamento, sumtoque cilicio, item* nudis pedibus *porrecto humi pectore ac profusis coram legionibus lachrymis ante sacrosanctum & salutare crucis signum procidit, immortalem divinæ benignitati gloriam retulit.* Antonius Bonfinius *Rer. Ungaricarum Dec.* ɪ. *lib.* ɪɪ. Sub eodem Henrico III. floruit Leo IX. Pontifex de quo Sigonius *Regno Italiæ lib.* vɪɪɪ. *ad ann.* ᴍʟɪv. *Inter cetera sanctitatis viventis ejus argumenta hoc quoque numeratur, quod, dum Romæ ageret, tertio quoque die a Laterano in Vaticanum* nudis pedibus *tribus tantum clericis comitatus, silentio noctis procedere psallendo atque orando solitus fuerit.* Anno ᴄɪɔʟxɪv. *Werherus Comes villam monasterii* Hirschfeldensis, *quæ dicitur Kirchberg, inconsulto Abbate ab* Henrico IV. Germaniæ *Rege petit & impetravit. Pro qua recipienda diuturnum agonem desudarunt* monachi, *demicantes adversus tanti hostis sævitiam, non armis carnalibus, sed jejuniis & crebris orationibus. Unde ille mendaciter magis, quam facete jocari solebat, magno munere dignum se esse apud Regem, qui monachos ejus languidos prius in opere Dei & tepidos, novis facibus adhibitus exsuscitasset, invitosque ad jejunia* & nudipedalia *coegisset.* Lambertus Schafnaburgensis. Idem ad annum ᴄɪɔʟxxv. de Annone Coloniensis Archiepiscopo: *Crebris jejuniis corpus suum macerabat, & in servitutem redigebat, pernoctabat plerumque in orationibus, & per Ecclesias, uno tantum puero contentus comite,* nudis pedibus *discurrebat.* Idem eod. anno: *Cum nulla usquam humani auxilii spes eluceret; statuunt unanimiter, a Deo sibi deinceps quærendum esse subsidium, qui solus tam obstinatam Regis ferocitatem mollire & rem implicitam expedire queat. Jubent ergo, ut per totam Saxoniam & Thuringiam depositis cultioribus indumentis, sacco & laneis vestiantur; cibo & potu statutis diebus abstineant; sumtus in pauperes pro sua quisque re familitari conferant, & per Ecclesias* nudis pedibus *discurrentes Deum communi lamentatione deprecentur, ut manum suam quæ ubique humano cessante adjutorio sola jam possit opitulari, undique conclusis ad ereptionem eorum extendat.* Exeunte seculo xɪ. Hierosolyma a Christianis obsidione cingebatur.

tur. *Die igitur ſtatuta de publico decreto indicta ſunt univerſo populo Letaniæ, & aſſumtis crucibus & ſanctorum patrociniis, Epiſcopi & clerus univerſus induti ſacerdotalibus & leviticis indumentis*, nudis pedibus, *& cum multa devotione populum ſubſequentem, uſque ad montem Oliveti præceſſerunt*. Guilielmus Tyrius *Belli Sacri lib.* VIII. *cap.* XI. Otto Friſingenſis *Chronic. lib.* VII. *cap.* IV. *Civitatem ſanctam obſidione clauſam cum capere non poſſent, habito conſilio, humilitatis Magiſtrum imitantes* nudis *eam* pedibus *circuire diſponunt*. Dodechinus Appendice ad Marianum Scotum ad ann. MC. *Cumque in obſidione multum exercitus laboraret, maxime propter inopiam aquæ, habito concilio Epiſcopi & Principes circumeundam eſſe civitatem* nudis pedibus *prædicaverunt, ut ille, qui pro nobis humiliter eam ingreſſus eſt, per humilitatem noſtram pro ſe ad judicium de ſuis hoſtibus faciendum nobis eam aperiret*. Iiſdem prope verbis utitur Conradus a Lichtenaw, Abbas Urſpergenſis in *Chronico ad ann.* M. Et tangit quoque Engelhuſius in *Chronico*. Idem poſtea factum capta urbe, ut iterum Tyrius ejuſdem libri *cap.* XXI. *Tandem vero urbe ad hunc modum ordinata, armis depoſitis, in ſpiritu humilitatis & animo contrito*, nudis veſtigiis, *lotis manibus, & ſumtis mundioribus indumentis, cum gemitu & lacrymis loca venerabilia, quæ Salvator propria voluit illuſtrare & ſanctificare præſentia cœperunt cum omni devotione circuire, & cum intimis deoſculari ſuſpiriis*. Et nonnullis interjectis: *Illi flexis* nudiſque genibus, *cum ſingultibus & præcordialibus ſuſpiriis loca circuibant venerabilia*. Ejuſdem ritus mentio iterum fit apud laudatum Abbatem Urſpergenſem: *Summo autem mane*, inquit, *cum letaniis a ſepulchro Domini* nudi pedes *proceſſimus*. Item apud Autorem Tractatus *de Revelatione Capitis B. Johannis Baptiſtæ*: Igitur *conſilio inventum eſt, ut exutis veſtibus & calceamentis ſuis in itinere, & cilicio* nudis plantis *incedentes, ſicuti oraculo divino admonitus fuerat, obviam famulis Dei procederent*. De ſacris ejuſmodi Nudipedalibus locus etiam exſtat Epiſtola CII. Nicolai de Clemangiis: *Et inſuper antiquo Patrum more jejunia illis & abſtinentias atque afflictiones alias imponere, atque ita ſordibus peccatorum, quantum fragilitas humana patitur, generaliter emundatis, ſolennes tunc proceſſiones ad cœleſtem iram placandam miſericordiamque implorandam indicere, quibus in jejunio & fletu, in cinere & cilicio, aut* pedum nuditate, *ad dandum alteris exemplum intereſſent miniſtri*. Et hæc de Chriſtianorum religioſis nudipedalibus ſufficiant: quorum partem laudes, partem propter ἐθελοθρησκείαν ac ſuperſtitionem iis mixtam vituperes.

XV. Interea peculiariter hoc obſervandum, quod Saracenorum Nudipedalia in templis omnino ſapere videantur ſacram originem, ſed in ſuperſtitioſum cultum converſam. Nunquam enim Moſchæas ſuas ingrediuntur, niſi detractis calceis; & loca quæ Chriſtus præſentia ſua conſecravit, non adeunt ipſi, neque adire patiuntur Chriſtianos, niſi excalceatos. Lyranus ad Exodi cap. III. hoc de more ſic ſcribit: *Hinc modus erat antiquorum, & ſpecialis Hebræorum, non ingredi ſacra loca pedibus calceatis. Et inde quoque Sacraceni non audent intrare locum orationis, niſi diſcalceati*. Bellonius ita *Obſervat. lib.* III. *cap.* XXXI. *Meridie templum ut primum ingrediuntur; ſed lotis prius pedibus. Manibus, obſcœniſque membris anterioribus & poſterioribus, itemque aqua capiti inſperſa:* nudis *item* pedibus *templum intrant, & calceos ad templi fores relinquunt. Si vero dum peregere proficiſcuntur, in loca incidant aquæ expertia, Mahumetus illis concedit caput, manus atque calceos terræ pulvere adſpergere*. Gemina teſtatur Johannes Baptiſta Montalbanus Bononienſis *Rerum Turcicarum* Commentario: *Ingredientibus templa*, ait, *deponendæ ſunt exteriores ſoleæ, interioribus tantum retentis*. Has interiores ſoleas a Turcis *Meſth* vocari, Bartholomæus Georgewitz *Epitome de Turcarum moribus* autor eſt. Præterea apud Turcos monachi quidam nudis incedunt pedibus, magnam præ ſe ferentes patientiam. Videatur Septemcaſtro *de Relation. Turcicis* & Richerius *de moribus l. l.* Quod apud Perſas item ſacrata loca non niſi nudis pedibus viſitentur, obſervat Nobiliſſimus Adamus Olearius *Itinerarii Moſcovitico Perſici lib.* IV. *cap.* XXV. Chriſtiani Æthiopes, qui multa Judaica admiſerunt, morem hunc ſervant quoque, ut teſtis eſt apud Damianum Goenſem Æthiopiæ legatus, hoc ſermone: *Nobis non datur poteſtas adeundi templum, niſi* nudis pedibus, *neque nobis licet in ipſo templo ridere, obambulare, aut de rebus profanis loqui, nec ſpuere aut ſcreare in ipſo templo. Quia Eccleſiæ Æthiopicæ ſimiles ſunt monti Sinai, ubi Dominus locutus eſt Moſis dicens: Moſes, Moſes, exue calceamenta tua, quoniam terra, quam pedes tui premunt, ſancta eſt*. Exinde etiam petitum, quod hodieque præ ſynagogæ foribus Judæi ferrum habeant muro impactum, quo ſinguli calceos ſuos, ſi lutum contraxerint, repurgare debent, vel crepidas, ſi eas

eas gestent inquinatas, omnino exuunt, referente Buxtorfio *Synagogæ Judaicæ* c. v.

XVI. Denique inepti erant Moysis ac Josuæ imitatores, qui mandatum de exuendis calceis ad hos Duumviros sigillatim pertinens tam laxe interpretabantur, ut ipsi exemplum inde capientes nudipedes incederent. In hæreticorum catalogum hujus farinæ homines retulere Augustinus & Philastrius: quamvis eorum institutum non tam hæresin, quam vanam quandam superstitionem saperet. Sed en ipsa Ecclesiæ Doctorum verba. Et Augustini quidem *lib. de hæresibus cap.* LXVIII. sic habent: *Est alia hæresis nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Mosem, vel ad Josue: Solve calceamentum de pedibus tuis. Et quod Propheta Esaias nudis pedibus jussus fuerit ambulare. Inde ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt.* Philastrii vero hunc in modum, hæresi LXXX. *Excalceatorum est hæresis, quæ excalceatos ambulare debere homines asserit, quod sub Mose, inquiunt, dictum est: Solve calceamenta tua. Et quod Esaias ita ambulaverit tribus annis, quæ magis humanæ ac vanæ superstitionis sunt, non traditionis sanctorum ac Domini nostri* Jesu Christi *jussionis, & imperii, ejusque potestatis.* Tangunt eosdem sectarios Honorius Augustodunensis fine libelli *de hæresibus*, & Isidorus Hispalensis *Origin. lib.* VIII. *cap.* V.

CAPUT III.

De Nudipedalibus Lugentium ac Pœnitentium.

SUMMARIUM.

I. *Propositio capitis*. II. *Discalceatio apud Judæos mœroris signum. David nudipes* II. *Samuel.* XV. *vers.* 30. *Achab.* II. *Reg.* XXI. *vers.* 27. *An & Esaias cap.* XX. *vers.* 2. 3. *Recentiorum Judæorum in luctu nudipedalia*. III. *Discalceato olim usurpata in funeribus Judæorum. Ezech.* XXVII. 17. *illustratus. Quid hodie apud Judæos moris*. IV. *Balduinus de Romanorum funeribus idem affirmans rejicitur*. V. *Judæorum Nudipedalia in festo Expiationis*. VI. *An & Græci in luctu nudipedes*. VII. *In Ecclasia antiquitus lugentes ac pœnitentes nudis pedibus*. VIII. *Pluribus exemplis id ex Historia Germanica probatur, de Henrico Ottonis M. fratre, de ejusdem filio Ludolpho, de Thiedrico, Esicone & Wirinbario Comitibus de aliis sub Henrico II. de seditiosis Ravennatensibus, Romanis & Coloniensibus, de Proceribus Saxonicis sub Henrico IV. de excommunicatis ab Hildebrando Papa. De ipso Henrico IV. de Friderico Bojariæ Duce, de Monachis Sereni-Montis, de Henrico de Rekkin, de Wildebrando Præposito Biverrano* IX. *Nec hodie is mos plane desiit.*

I. POstquam de religiosis Veterum Nudipedalibus actum, nunc ad considerationem eorum nos convertimus, qui ad significandum luctum pœnitentiamque publicam egerunt nudipedes. Quamvis autem & his non raro videatur aliqua subesse religio, malumus tamen peculiari sectione hanc operam expedire.

II. Nimirum apud Judæos discalceatum in publicum prodire signum aliquando fuit mœroris & luctus ingentis. Hinc & David exul incedebat *nudis pedibus & operto capite* II. *Samuel.* XV. *vers.* XXX. quem Davidis habitum Salvianus graphice describit, lib. II. de Providentia: *Jam si addenda est*, inquit, *ipsius fugæ facies, quale illud fuit, cum tantus, & ex tanti nominis cunctis Regibus altior, mundo major, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, in comparatione sui egestuosus, in comparatione sui solus, fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu, operto, inquit Scriptura, capite, &* nudis pedibus *incedens; super istis status a seipso exulans, pene jam post se vivens, dejectus usque in servorum suorum, vel quod grave est, contumeliam; vel quod gravius, misericordiam: ut vel sibi compateretur, vel maledicere publice conniveret.* Achab quoque metu perculsus ac pœnitens, ex mente Chaldæi paraphrastæ incessit nudipes I. Reg. XXI. vers. XXVII. quo cum faciens Josephus *Antiquitat. Judaic. lib.* VIII. *fine cap.* VII. inquit: *Tum demum Achabum ejus facinoris pœnitentia subiit, & indutus saccum,* nudisque pedibus *a cibo abstinuit, peccatum confitens, & Deum ita placare cupiens.* Nec id B. Chemnicio improbatur *part.* IV. *Examinis Concilii Tridentini* ita commentanti: *Achab jejunans scindit vestimenta sua, operit carnem suam sacco, & dormit in sacco, & incedit miserabiliter, vel lento gradu, vel* nudis pedibus, *vel capite velato. Hæc enim omnia significat vocabulum* אט. Referunt huc nonnulli Prophetam Esaiam ex mandato Dei discalceatum *cap.* XX. *vers.* II. III. Verba Prophetæ ita habent ex versione Vulgati: *In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade & solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus &* dis-

discalceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias, nudus, & discalceatus, trium annorum signum & portentum erit super Æthiopiam. Veruntamen id egestatem potius præsignificare debuit, quam mœrorem. *Quamquam* (ut optime monet Dn. Martinus Gejerus *de Hebræorum luctu cap.* xv. §. IV. *si conjunxeris utrumque, fortasse non aberraveris.* Judæis certe veteribus ita fuisse in more positum, monuit Hieronymus Consolatoria ad Paulam de Blæsillæ obitu. *Flentesque hodie Judæi, &* nudatis pedibus *in pulvere volutati sacco incubant, ac ne quid desit superstitioni, ex ritu vanissimo Pharisæorum, primum cibum lentis accipiunt, videlicet ostendentes, quali edulio, primogenita perdiderint.* Ex recentioribus Judæis ritum hunc confirmat Rabbi Moses Maimonides eleganti opere, quod Jad Chasaka inscripsit cap. v. §. I. *Illæ sunt res quæ lugenti probibentur die quidem primo, ex sententia Legis, diebus autem reliquis ex traditione majorum: nimirum* I. *tonderi,* II. *lavare vestes,* III. *baineare corpus,* IV. *ungi oleo,* V. *maritaliter cohabitare,* VI. Calceos induere, VII. *facere negotium,* VIII. *legere in libro Legis,* IX. *erigere* (vel ventilare) *lectum,* X. *nudare caput suum,* XI. *Salutare.* Idem §. VI. *Unde est, quod lugenti probibita sandaliorum assumtio? Eo quod Ezechieli* (ad dissimulandum luctum) *dictum fuerit: Calceum tuum appones pedi tuo. Unde generatim cuivis* (calceos in luctu) *probibitos fuisse elicitur. Si iter quis faciat, calceos induit, ac abit; at cum in urbem se recipit, eosdem rursus deponit.*

III. Inprimis autem hæc Nudipedalia in funeribus videntur usurpata: id quod ex Ezechielis XXIV. vers. 17. apparet, ubi jubetur Propheta nec in summo luctu ob uxorem demortuam ponere calceos. Quamobrem Matthias Flacius hoc adductus loco, *parte* I. *Clavis S. Scripturæ* sic commentatur: *In funebri luctu soliti sunt non uti coriaceis calceamentis diebus* XXX. *nudis pedibus efferre & comitari funus, flebantque & lamentabantur, suam miseriam deplorantes, & mortuum celebrantes clara voce.* Nec plane istiusmodi Nudipedalia apud hodiernos Judæos desiisse, testatur Buxtorfius *Synagogæ Judaicæ cap.* XXXV. *Qui Principis funus deducunt, sive filii, sive proximi agnati per* VII. *dies bumi nudis pedibus sedere debent.* Et Paulus Fagius ad Deu. teron. XIV. l. *Nudis pedibus sequuntur funus.* Nec abit Minhagim. cap. ult. vebis a Dn. Gejero laudato loco allatis: Denn das Meth (verstorbene) noch nicht zu Kefura (Grab ist kommen, darff der afel (Leidtragende) nicht die Schuh austhun. Postmodum inchoato semel luctu, musser die Schuh aus thun, und soll sein Leib stehen lassen.

IV. Idem in Romanis funeribus usu fuisse receptum, ex Svetonio probare conatur Balduinus de *Calceo antiquo cap.* XXIII. Sic enim Scriptor Historiæ Augustæ cap. C. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti,* pedibusque nudis, *ac in Mausoleo condiderunt.* Verum equidem id pro reverentiæ potius ac ταπεινοφροσύνης indicio habuerim cum Kirchmanno *lib.* III. *de Funeribus Romanor. cap.* VI. quando id in aliis funeribus usurpatum non inveniamus.

V. Præterea Judæi hunc morem observarunt in solemni illa atque annua criminum deploratione in festo Expiationis: quemadmodum ex libro Talmudico *Joma cap.* VIII. §. I. constat. *In die expiationis interdicitur manducatio, bibitio, lotio, unctio, sandalii induitio, debitum conjugale. Rex tamen & sponsa lavant facies suas, & puerpera sandalia vel calceos induit, secundum sententiam Rab. Eliezer quamquam Sapientes probibeant.* Attamen Robertus Sheringham in *Notis* ad hunc locum id de coriaceis intelligit. Poterant enim impiliis vel soccis ex panno aut quavis alia materia confectis uti, cum perinde hoc sit, ac si aliquis discalceatus incederet: id quod ex Arba turim & Menasse Ben Israel comprobat. Eadem quæ in Misna leguntur, habet ferme & Jonathan Paraphrastes ad Levit. XVI. XXIX. *Affligetis animas vestras, abstinendo a cibo, & potu, item a procreatione liberorum, & ab abstersionibus, & a calceamentis.*

VI. An & Græcis solenne fuerit in luctu agere nudipedes, nondum certo ausim affirmare. Apud Nonnum tamen in Dionysiacis *lib.* v. Autonoe Actæona filium plangens inducitur:

> —— *materni affectus dolore*
> Discalceata, *sine vitta.* (Νήλιπος ἀκρήδεμνος.)

Ac iterum:

> *Vagantibus vero pedibus pertransiens dorsum sylvæ*
> *Asperi pede calcavit difficilia aditu dorsa montis,*
> *Soluta tunica,* sine calceis. (Ἀυσιχίτων, ἀπέδιλος.)

Apud eundem lib. x.

> —— *In arborea domo*
> *Rbyndacis aquam portans* sine sandaliis *gemebat puella.*
> *Najades vero flebant:*

Mor-

Mortem ſcilicet Hymni a Nicæa interemti.

VII. Ex Synagoga Judaica, ut puto, hic ritus tranſivit in Eccleſiam, qua in lugentes ac pœnitentes quandoque conſpicimus nudipedes. Et de pœnitentibus quidem diſerte ita cautum Concilio Agathenſi: *In capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti*, nudis pedibus, *vultibus in terram demiſſis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proteſtantes*. Habentur hæc in Jure Canonico Diſtinct. L. Can. LXIV. & citant ex Agathenſi Burchardus Wormatienſis *lib.* XIX. *cap.* XXVI. *Decretor.* Ivo Carnotenſis *part.* XV. *cap.* XLV. Rebaldus Cardinalis libro *de pœnitentia publice non iteranda*, Regino Prumienſis *lib.* I. *de Diſciplina Eccleſiaſtica cap.* CCXCI.

VIII. Non dubium eſt plura hujus moris in Patrum ſcriptis exſtare veſtigia, quæ tamen noſtrum nondum fuit excutere. Interim in hiſtoria Germanica non pauca obſervavimus exempla, quorum cognitionem benevolo lectori non ingratam fore exiſtimamus. Seculo X. Ottoni I. rebellabat Henricus frater. Tandem vero exſtinctis ſociis ad frugem reverſus, *quum aliud quid faceret ignoraret, aſſumtis ſecum, quorum auxilio juvaretur, quibuſdam Epiſcopis, die quadam* nudis pedibus *Regis ad pedes ignorante ipſo pervenit, ſupplexque miſericordiam imploravit*; Luithprandus *Hiſtoriar. lib.* IV. *cap.* XIX. Eidem Ottoni rebellis erat Ludolphus filius. At demum interventu Principum pacem obtinuit. *Exercitandi gratia venationem agens Rex in loco qui dicitur Suveldum* (forte *Salfeldium*) *filius Patri* nudatis plantis *proſternitur, intima tactus pœnitentia, oratione flebili, Patris primum, deinde omnium præſentium lacrymas extorquet. Amore itaque paterno ſuſceptus in gratiam, ſpondet ſe obtemperaturum, conſenſurumque omni paternæ voluntati*. Witichindus *Anal. lib.* III. quem ſequitur Conradus Urſpergenſis. Ditmarus licet omittat nudipedalia, in ſumma tamn rei conſentit his verbis: *Poſthæc Luidolphus cum Hugone pœnitentia ductus, patris pedibus advolvitur, de præteritis veniam, & de præſentibus poſcit emendationem, de futuris quoque cautelam ſpopondit*. Apud Ditmarum Epiſcopum Merſburgenſem aliquoties illuſtres viros veniam delictorum petentes nudipedes deprehendimus. Sic initio *lib.* IV. Henricus Dux Bojariæ *ad Corbejam venit, ibique Thiedricum & Eſiconem Comites ac confratres* nudis pedibus *veniam poſtulantes dedignatur ſuſcipere. Quod hi ægre ferentes abierunt, cognatos ſuimet amicos a Ducis miniſterio toto mentis niſu amovere ſtudentes*. Factum hoc anno IↃCCCCLXXXIV. Eodem libro agitur de Wirinhario Lutharii Comitis filio, qui Eccardi I. filiam Luidgerdam rapuit, indignante admodum Mathilda Quedlinburgenſis Abbatiſſa. Quæ cum hoc nomine conventum indixiſſet Magdeburgi, *confluente maxima illuc multitudine, Wirinharius cum ſuis cooperatoribus* nudis *provolvitur* pedibus, *uxorem reddit, veniam de commiſſis ſibi ſuiſque auxilio Principum promiſſa emendatione promeruit*. Lib. VII. agit de legato Boleslai Poloni Sbigneo ab Hermanno Miſniæ Marchione ad Henricum II. Cæſarem deducto. In hac narratione ſequentia, quamvis obſcuriora, legas. *Interea Herimanus Marchio Paſcha duxit cum ſocero, & inde vix ſolutus ad Imperatorem cum nuncio ejuſdem diu exſpectatus venit. Idem legatus mentiri ſemper ſolitus, ad Cæſarem in occidentali parte plus ad perturbandum, quam ut ſimulaverat, ad pacificandum, ab inſtabili Seniore ſuo miſſus eſt. Quem cum conſociis ſuimet Imperator ſuis familiaribus committens, generos ſuos gratiam ejuſdem* nudis pedibus *quærentes miſericorditer ſuſcepit, & tunc demum Sbigneum ut hæc cerneret, præſentari juſſit, & publice Domino ejus reſpondit*. Seculi undecimi anno XXVI. Ravennatenſes ſeditionem moverunt contra Conradum II. Germaniæ Regem, quæ tamen brevi virtute militum compreſſa. *Mane autem facto Ravennates qui remanſerant, in cilicio &* nudis pedibus, *atque exertis gladiis, ut lex eorum præcipit, dictis civibus, ante Regem venientes, ſicut ipſe præcepit, omnibus modis ſatisfaciebant*. Wippo presbyter *in vita Conradi*. Idem ad an. CIↃXXVII. *Poſtera die Romani, qui ſeditionem commoverant, ad Imperatorem venientes*, nudatis pedibus, *liberi cum nudis gladiis, ſervi cum torquibus vimineis circa collum quaſi ad ſuſpenſionem præparati ut Imperator juſſit, ſatisfaciebant*. Sub Henrico IV. anno CIↃLXXIV. ingens ſeditio Coloniam Agrippinam turbavit, quam cum armis compeſcuiſſet Anno II. Archiepiſcopus, complices *protinus omnes* nudis pedibus *laneis ad carnem induti proceſſerunt vix & ægre impetrata pace multitudinis, quæ circa Epiſcopum erat, ut hoc tuto facere ſinerentur*. Lambertus Schafnaburgenſis. Anno ſequenti fervente Henrici cum Saxonibus bello, Proceres Saxoniæ inter alia Regi reſponderunt: *Quod ſi obſtinatum adverſus omnes preces & ſupplicationes animum gereret, ſe deinceps contra eum nec arma laturos, nec aciem inſtru-*

Ctu-

ctturos, *sed* nudis pedibus *venienti obviam processuros*, *& sententiam quamcunque vel iratus dictasset*, *porrecto jugulo excepturos*. Idem Lamberus. Anno CIↃLXXVII. ut iterum narrat Lambertus, *Episcopi & laici*, *quos Papa excommunicaverat*, *quosque Rex* (Henricus IV.) *hujus rei gratia a latere suo extrema necessitate compulsus amoverat*, *elusis custodibus*, *qui clusas obsidebant*, *in Italiam illæsi pervenerunt*, *repertoque Papa in Canusio*, *veniam præsumtæ rebellionis*, *atque ut excommunicatione absolverentur*, nudis pedibus, *& laneis ad carnem induti suppliciter postulabant*. Mox ipse Henricus Rex Canusium *venit*, *ut jussum fuerat*, *& cum castellum illud triplici muro septum esset*, *intra secundum murorum ambitum receptus*, *foris derelicto omni comitatu suo*, *deposito cultu regio*, *nihil præferens regium*, *nihil ostentans pompaticum*, *nudis pedibus*, *jejunus mane usque ad vesperam perstabat*, *Romani Pontificis sententiam præstolando*. Bruno monachus in *Historia belli Saxonici* Heinricus *laneis indutus*, nudis pedibus *ad Apostolicum venit*, *dicens se plus amare regnum cœleste*, *quam terrenum*, *& ideo pœnitentiam quamcunque sibi vellet imponere*, *se humiliter suscepturum*. Atque Hildebrandus in Epistola quadam ad Germaniæ Proceres ita scripsit, Regem *per triduum ante portam castri*, *deposito omni regali cultu*, *miserabiliter*, *utpote* discalceatum *& laneis indutum perstitisse*. Idem Domnizo Poetaster talibus contestatur versiculis.

> *Ante suam faciem concessit Papa venire*
> *Regem cum* plantis nudis *a frigore captis*
> *In cruce se jactans Papæ*, *sæpissime clamans*.
> *Parce Beate Pater*.

Fridericus Dux Bojariæ, postquam invito Lothario Rege Ulmam muniverat, & cives in Dominum armaverat, a sociis derelictus, ut amissam gratiam recuperaret, nudis pedibus eundem adire coactus est. Sic enim Autor Chronici Montis Sereni a Cl. Madero editus ad anno CIↃCXXXIV. *Dux a pluribus sibi faventibus derelictus*, *necessitate coactus*, nudis pedibus *Imperatorem adiit*, *& per Imperatricem gratiam ipsius obtinuit*. Anno CIↃCCX. amici Tiderici præposituræ Sereni Montis inhiantes *tandem ad preces convertuntur*, *primo quidem hoc obtinere volentes*, *ut absolute & sine pœna qualibet reciperentur*, *& Tiderico Hospitalis officium redderetur*. *Quod cum penitus impetrare non possent*, *tandem eo contenti fuerunt*, *ut ceteris cum disciplina debita receptis Tidericus tantum* nudis pedibus *& habitu nigro veniam petens*, *nihil pœnæ alterius sustineret*: ut iterum habet Autor ejusdem Chronici. Idem tamen Tidericus per vim & fraudes grassatus est ad Præposituram. Huic cum aliis adversatus fuerat Henricus de Rekkin Canonicus. Eo quidem ex captivitate Wernigerodana *cum pace redeunte*, *Præpositus ab ingressu claustri probibere conatus est*. *Quod cum implere non posset*, *eo quod plures de fratribus ei faverent*, *districte eum præcepit ab omnibus evitari*. *Cujus motum ille mitigare cupiens*, nudis pedibus *in veste nigra scopam ferens*, *cum Priore & quodam alio fratre*, *pedibus ejus prostratus petebat*, *ut si quid peccasse ostensus fuisset*, *de hoc eum in claustro pœnitentiam agere pateretur*. Idem ad annum MCCXIII. Alius porro Tidericus antea parochianus Capellæ veteris, post Hospitalis, a Tiderico Præposito læsus cum socio quodam ad Pontificem profectus, Præpositum accusat graviter. Interea legati a Marchione veniunt, *qui suadebant fratribus*, *ut litigandi intentione deposita appellationis consensui renunciarent*, *& ipsis mediantibus se concordari cum Præposito paterentur*. *His vero ad compositionem quidem faciendam eorum voluntati acquiescentibus*, *ut saltem usque ad duorum*, *profecti erant*, *reditum a vexatione Præpositi respirarent*, *sed verbo renunciandi omnino contradicentibus illi ipsum verbum*, *ne impedimentum eorum intentioni faceret*, *dissimulantes*, *eisque ut* nudis pedibus *scopas ferentes*, *coram Præposito veniam peterent*, *injungentes*, *& e diverso*, *ut Præpositus hac satisfactione contentus*, *eis reconciliaretur decernentes*, *illam visi sunt discordiam terminasse*. Videatur laudati Chronicis annus CIↃCCXIX. Sic ad annum CIↃCCXXV. memorat idem autor, quomodo Wildebrando Præposito Biverrano, quod Pontificium legatum contumelia gravi affecerat, *vix ab Archiepiscopo Magdeburgensi*, *& ceteris qui aderant Episcopis venia impetrata sit*, *cum prius ipse* discalceatus *& scopam ferens legati se pedibus prostravisset*.

X. Hunc veterum morem etiamnum alicubi observari certum. Et refert Caspar Finckius *Quæstion. illust. Theologic. sect.* II. *quæst.* XXXI. non fuisse quondam ad sacram synaxin admissos blasphematores, nisi solis tibialibus. Sic perjurum quendam Altenburgi nudipedem publice pœnituisse memini.

CA-

CAPUT IV.

De ritu Excalceandi in jure leviratus & contractibus veterum Judæorum.

SUMMARIUM.

I. *Sedes prioris excalceationis* Deuteron. xxv. 5. seqq. II. *Tractatus in Misna* de jure leviratus. *Rambam* de levitatu & discalceatione. *Quale calceamentum adhibitum. Jus leviratus abolitum manente excalceatione.* III. *Discalceatio illa ignominiosa quid denotarit.* IV. *Sedes posterioris* Ruth. IV. 7. V. *Quidam hos ritus confundunt, ac ipse Josephus, cujus lectio emendatur.* VI. *Boozus non fuit frater mariti* Ruth. VII. *Duodecim notæ ex Serrario, quibus differunt hi ritus. Abarbenel laudatus.* VIII. *Posterior ritus in majoris momenti contractibus locum habens quid disignarit.* IX. *Q. uter contrahentium exuerit calceum. Drusii & Seldeni fluctuatio. Cœlibes apud Judæos an discalceati. Probabilius est cedentem alteri porrexisse calceum. Clodii dissertatio de hoc ritu laudatur.*

I. Super illa, quæ hactenus in considerationem venere variorum populorum Nudipedalia, duo alia in sacro codice occurrunt, quorum altera in solenni renunciatione de non ducenda defuncti fratris uxore, altera in contractibus, præcipue connubialibus populi Judaici erant recepta. Priora fundamentum habent Deuteronomii xxv. vers. v. seqq. posteriora in libello Ruth. cap. IV. vers. VII. Et ut de priori titu primo dicamus, juxta legem forensem levir cum fratris sine mascula prole exstincti uxore nuptias inire debebat, ne nomen fratris sui prorsus interiter in familia. Quod si recusaret, coram judicio publico pes ejus a fratria excalceabatur, consputa simul facie, additoque cognomine Discalceati. Concepta legis verba latine ita habent: *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Sin autem noluerit recipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in conjugium sumere. Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit, Nolo eam uxorem accipere; accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius & dicet: Sic fiet, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel domus Discalceati.*

II. De hoc jure fratriam ducendi Talmudici integrum in Misna tractatum protruserunt sub titulo יבמות *Leviratuo*, & Rabbi Moses Ben Maimon conscripsit dissertationes *de Leviratu & Discalceatione*. Et in illo quidem cap. XVII. prolixe exponitur, quodnam calceamenti genus hic fuerit requisitum. Buxtorfius autem *Synagogæ Judaicæ cap.* XXX. calceum auriculis, ligulis, fibulis, peculiari modo compactum afferri dicit, quem dextro pede nudo indutum a leviro recusante, fratria dextra manu solvat. Ceterum quomodo sequiori ævo decreverint Rabbini, neminem amplius fratris mortui uxorem ducturum, sed separationem per excalceationem fieri debere, & qua ratione glos a leviro fuerit separata, idem describit Buxtorfius. Quod attinet *libellum Excalceationis* testimonii loco, quod libere alii nubere possit, a leviro recusante concessum, ejus formulam exhibet Maimonides, una cum *Instrumento pactorum dotalitiorum*.

III. Inde collectu facile, ignominiosam fuisse hanc excalceationem, & quidem dum alter ipsi (secundum Judæos, dexter) exuebatur calceus, tanquam domus pedis, innuebatur injuria in fratrem: quippe quod suæ familiæ nimium studiosus fratris domum ædificare renueret: imo dum summa & ima pars corporis ignominia notabatur, eum totum, quantus quantus sit, a capite ad calcem probris atque conviciis quibusvis dignum esse. Videantur Vatablus, Menochius, Bonfrerius & Interpretes alii ad hunc locum, itemque Schindlerus in *Lexico* sub voce בעל Delrio *Adagior. Sacror. tom.* I. cap. LXXIII. Seldenus *de Uxore Hebræa*, lib. I. cap. XIII.

IV. Ab hac excalceatione omnino differebat excalceandi ritus in cessione solemni usitatus, inque libello Ruth sequenti contextu expressus. *Hic erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel. Dixit ergo propinquo suo Booz, Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo.*

V. At enim non desunt, qui ritum excal-

calceandi utrobique usitatum confundentes differentiam in summa rei non agnoscunt. Quem in lapidem jam olim impegit Josephus *Antiquitatum Judaicarum libro* v. *cap.* XI. scribens: *Ille Bozo & sortem & mulierem cessit, quandoquidem & ipse defunctorum esset cognatus. Sibi enim jam & uxorem esse & liberos. Id Bozus apud Senatum contestatus, jussit mulierem accedere illum, & juxta legem calceum ei detractum in faciem inspuere*, καὶ πτύειν εἰς τὸ πρόσωπον. Ita enim legendum hic pro τύπτειν, quod mendose in editionibus habetur, non vero πτύσσειν, quod Drusio *lib.* I. *Quæstion. & Respons. Hebr.* XLVI. placet. Nam procul dubio Josephus respicit ad legem illam Deuteron. XXV. Et Ruffinus antiquus Josephi interpres per latinum *exspuere* expressit. Ipse tamen Drusius hac in causa fluctuans, *Commentariis in historiam Ruth* scribit: *An in vindiciis eadem consuetudo fuerit, ac in jure ducendi superstitem fratris, quod vocant Ibbum, nescio*. Et paucis interjectis: *De hac re qui volent, & quibus otium est, diligentius inquirent*.

VI. Ceterum diversa jura, diversosque excalceandi ritus fuisse, nunc paucis comprobabimus. Et ante omnia quidem hic supponendum, ex jure fratriæ ducendæ non nisi obligatum fuisse fratrem, proprie & stricte sic dictum. Quod si jam Boozum, Machlonis denati pridem Ruthæ mariti fratrem non fuisse dixerimus, diversitas elucet. Unde recte Abarbenel apud Buxtorfium *Dissert.* III. *de Sponsalibus & divortio*: Machlon *non fuit frater Boozi, ut obligatus fuisset ducere fratris sui defuncti uxorem*. Et Seldenus *de successione ad leges Hebr. in bona defunctorum cap.* XV. *Neque Machloni defuncto Ruthæ marito erat frater Boozus. Neque de propinquo aut fratre qui fratriam duceret, verba fiunt ibi. Sed diserte propinquo, cui jus aut officium erat redimendi patrimonium venditum ex lata Lev.* XXV. 25. *lege, de qua consulas Maimonidem Halach semita vejubal. cap.* IX. & XII. *Nec exutus hic calceus ritus est, qui ad fratriæ nuptias attinere potest. Neque nuptiarum renunciatio, sed contra ipsæ nuptiæ fiunt*. Et licet cap. IV. vers. III. Boozus coram Senioribus se profiteatur fratrem Elimelechi, non tamen id nisi de cognatione intelligendum: quod satis patet ex cap. II. vers. I. & XX. Et quidsi etiam Elimelechi fuisset frater? Nam non de illius, sed de Machlonis, qui Elimelechi erat filius, fratre quæritur. Quod probe agnovit Abarbanel in hæc erumpens: *Non alia de causa vocant eum fratrem, nisi quia fuit de familia ipsius, non vero quod frater ipsius germanus & verus fuerit*. Et mox: *Et licet fuisset frater Elimelechi, sicut dixit supra, non tamen obligatus fuisset ducere Rutham, uxorem Machlonis, filii Elimelechi*.

VII. Ut igitur illa rituum differentia pateat clarius, duodecim notas, quibus invicem discerni queant, ex Serrario Jesuita, qui eadem *Commentariis in librum Ruth* ex Alphonso Testato repetiit, in medium afferemus. Nimirum in jure ducendæ fratriæ solvebat viro fraternam posteritatis excitationem recusanti mulier ipsa calceum; in contractus vero confirmationem, Vir. II. Illa excalceatio in opprobium & dedecus fiebat; ista non: III. Illa ex legis præcepto fiebat; ista ex consuetudine. IV. Illa inter solos defuncti alicujus fratres locum habuit; ista inter cognatos etiam imo & inter omnes, qui in rebus gravioribus aliquem contractum inirent. V. In illa nulli dabatur, cui extractus erat calceus; in ista dabatur contrahentium alteri. VI. Ante illam nulla, ut exueret quis calceum, præibat petitio, sed invito etiam detrahebatur; in hac secus. VII. Detrahebatur vero calceus etiam invito coram judicibus; hic sponte coram quibuscunque idoneis testibus. VIII. Illa in sola suscitandi fraterni seminis recusatione adhibebatur, hæc in majoribus quibus cunque contractibus. IX. Illi calcei detractioni jungebatur consputatio; huic alteri nulla. X. Illi addebatur præterea mulieris acclamatio: *Sic fiet viro &c.* in hac vero clamor nullus. XI. Qui priori modo excalceabatur, ei hoc veluti perpetuum inurebatur dedecus, ut ejus domus vocaretur Discalceati, nullum vero posteriori excalceato dedecus erat. XII. Prior excalceatio tantum fiebat, cum nollet quis fratri semen excitare, posterior vero cum jus aliquod suum cederet cuipiam quispiam. Has igitur differentiarum notas si respicimus, optime iterum scripsisse censendus est Abarbanel, cujus hæc sunt latine versa: *Existimarunt quidam historiam (nuptiarum) Boazi & Ruthæ quoque fuisse ex vi juris Leviratus, & detractionem calcei, de qua lex in hac lege præcepit. Sed hæc sententia revera est perniciosa ac erronea*.

VIII. Fuit ergo hic ritus contractuum majoris momenti firmatorius; perinde ut nostris moribus claves traduntur, potius præbentur, & id genus symbola alia adhibentur, quæ corporalem rerum possessionem ac contractus initos confirmant. Et sicuti possessio apud Jurisconsultos dicitur quasi pedum positio, quod multarum rerum possessio adeatur pedum positione & calceatione; ita videtur hæc calcei porre-

rectio ſymbolica fuiſſe, qua alteri dominium cedebatur, & jus adeundæ poſſeſſionis dabatur: quaſi diceret: En trado tibi calceum quo hactenus calcavi (aut certe jus habeo calcandi) agrum illum, quem nunc tibi cedo, ut in eum calces.

IX. At enim in controverſiam venit, uter contrahentium exuerit calceum; num cedens acquirenti dederit, an acquirens cedenti. Rabbi Aben Eſra *Commentar. ad Ruth*, acquirenti tribuit, ſeu ei qui jus in bona accipiebat. Unde Boozum introducit nudipedem, qui calceum velut alicujus precii ſymbolum propinquo dederit. Nec diſſentit Targum in Bibliis Venetis: eidemque ſententiæ calculum quondam adjecit Druſius, quod tamen poſtea videtur retractaſſe. Et ſane alii aliter ſentiunt, eumque qui jus alteri cedebat, ſe excalceaſſe, & calceum velut ceſſionis ſignum acquirenti tradidiſſe volunt. Atque ita quidem ex Patribus Cyprianus *lib.* II. *adverſus Judæos cap.* XVIII. *Erat in lege*, inquit, *ut ſi quis nuptias recuſaret, calceamentum deponeret, calcearetur vero ille, qui ſponſus futurus eſſet*. Num vero unicus hic Cypriani locus ad ſtabiliendam Joh. Nicolai Werneri ſententiam, cœlibes apud Judæos diſcalceatos inceſſiſſe, ſufficiat, non immerito ambigo. Vide ejus *Corpuſculum Philologicum membr.* I. *cap.* VIII. §. V. Ex recentioribus probant poſteriorem Junius & Tremellius, ipſeque Lutherus. Quamvis autem Seldenus de *Jure Naturæ & Gentium lib.* V. *cap.* V. non ſatis ex ſacro ſermone haberi poſſe afferat, quod litem dirimat; poſterior tamen ſententia priori videtur probabilior: id quod latius exponit, qui de hoc *Excalceandi ritu in Contractibus* ſingulari diſſertatione egit Wittebergæ anno abhinc tertio Vir Clariſſimus M. Johannes Clodius, cujus opera hoc ultimo capite non parum nos adjutos fatemur.



JOH.



JOH. QUIRINI HEDENI
SCISSIO VESTIUM,
HEBRÆIS AC GENTILIBUS USITATA.

I. Culos si quis circumtulerit, & vanas falsasque gentis Israeliticæ opiniones, quæ Rabbinorum nervis diriguntur parum firmis, sicca mente perpenderit, profecto plurima deprehendet nugamenta, tam ridicula, ut vel ἀγελάςῳ Crasso extorquere cachinnos possint. Hac vice vetustum scissionis morem excussuris incidit illud, cujus meminit Ant. Margarita. Scilicet super sepulcro hominis juxta sequiorem sui partem terræ jamjam concrediti olim *sciderunt vestimentum* Hebræi, qua peracta scissione omnes, quotquot aderant, se se conjecerunt in pedes magno strepitu ac vociferatione, ne audirent lethiferum defuncti clamorem, quem in terra edere credebatur, nares a mure admorsus. Occupabat extremum scabies demortui. Clamorem enim istum si quis fugiendo miser perceperat, intra diem trigesimum abire putabatur, unde negant redire quenquam. Deinde cum averruncandæ Dei iræ scelerumque expiandorum multa Judæi invenerint media, etiam *scissione vestium* placare Deum iratum voluerunt, ut Joelis evolventi concionem c. 2. manifestum erit. Mirus sane gratiam divinam adipiscendi modus; non absimilis illi, qua decipitur Indiæ populus, superstitioni, dum aquas Gangis, quem oriri ex Paradiso credunt, animabus etiam mederi dictitant; idcirco mortuos ad genua usque demergunt in easdem, certam hoc modo remissionem peccatorum consecutu-ros. Sed non ego credulus illi. Ad ipsam vero, quæ multiplex est, accingam scissuram.

II. Variarum enim in Scripturis rerum memoratur scissio, plane singularis. Eo cumprimis tempore, quo unigenitus Dei Filius humana vestitus carne pretiosi sui sanguinis stupenda effusione æstuantem Patris cœlestis iram penitus restinguere & omnem inferarum potestatum exercitum delere voluit, scissio contigit gemina, quam *sensibus imis* (*res est non parva*) *reponat*, quicunque gratiam auræ divinæ cum inæstimabili cœlestis Regni margarita pluris æstimat, quam transeuntem cum concupiscentia mundum. Utramque complexus est Matthæus *cap.* XXVII. 51. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque ad imum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Deus videlicet suam erga peccatores indignationem ostensurus & de Filii sui Majestate contra blasphemantes plaustraque conviciorum evomentes Judæos testaturus petras rumpebat & velum templi, ut per veram pœnitentiam nos scindi pateremur corda nostra Joel. II. 13. *Antea Pontifex Caiphas dilacerabat vestimenta, quod falso existimaret, Christum loqui blasphemias: jam Deus rumpit vela Templi Judaici, cujus antistites blasphemas sparsissent in filium suum calumnias. Atque hoc indigitat Theophylactus, inquiens: Sicut mos erat Judæis in blasphemiis contra Deum scindere vestes; ita nunc quoque divinum templum quasi ægre ferens Christi mortem disrupit vestem* D. Glasen Exerc. S. Pass. *lib.* 3. *cap.* 1. *O nimis indurati, quos nec pœna patientis emollit, nec insueta prodigia morientis convertunt. – Petræ scinduntur validæ, & altis stridoribus suo condolent creatori. Ve-*

lum templi ſcinditur, ut remoto velamine Veteri, pateant ſacra myſteria Chriſti. Thomas de Kempis Orat. de Vita & Paſſ. Chriſti.

III. Sed geminam hanc rupturam quieto animo, quam calamo fugienti tutius committimus, pro juvenilis ingenii modulo ſub publicæ diſputationis ſchemate propoſituri eam, quæ veſtibus obtigit, ſciſſuram; de qua multæ ſunt interpretum dividiæ ac lites, in quibus componendis viri φιλεβραῖοι, aliarumque Cardinalium linguarum non leviter gnari laborarunt. Horum opera niſi utimur in hoc negotio, & eorum quaſi vitulo aramus, non minus erimus inepti, quam Philiſtæi in ſolvendo divini Simſonis ænigmate.

IV. Sciſſio autem Veſtium non uno peragitur modo. Quandoque enim veſtimentum forfice ſcinditur aut cultro, aliove inſtrumento; & ea ratione, τὸ ſcindere reſpondet τῷ σχίζειν, μέρη ποιεῖν, διαμερίζειν; Sic Matthæi c. 27. milites ſcindebant veſtimenta Chriſti crucifixi; intellige cum interpretibus veſtem Chriſti exteriorem, quæ, cum quatuor conſtaret pannis, conjunctis inter ſe totidem ſuturis, quibus juxta mandatum divinum Deut. XXII. 12. additæ erant inſtitæ, commode dividi ſive ſcindi in quatuor partes potuit; ſuper veſtem vero interiorem ſeu tunicam acu ſartoris non conſutam, ſed totam manibus a ſummo contextam eum ferme in modum, quo fœminarum calanticæ fiunt & reticula, ſortem miſerunt, dicentes Joh. XIX. 24. μὴ σχίσωμεν αὐτὸν *ne ſcindamus eam*, ſicuti veſtem ſcidimus, *ſed ſortiamur de ea, cujus ſit.* Verum hanc ſciſſionem, quæ eſt totius in partes diviſio, etiam mittimus, ſumentes τὸ ſcindere, prout reſpondet Gr. ῥῆξαι, διαῤῥῆξαι, diſrumpere, lacerare: quomodo accipi apud Marc. XIV. 63. res ipſa loquitur, ὁ δὲ ἀρχιερεὺς διαῤῥήξας τοὺς χιτῶνας αὐτοῦ, aliquam ſcilicet, ac inferiorem quidem partem veſtimenti ſui lacerabat ob falſo creditam blaſphemiam ſummus Sacerdos. Eodem in ſignificatu uſurpatur apud Claudianum de Rapt. Proſerp. *lib.* 3. *conſcindere.*

... ... amictus
conſcidit, & fractas cum crine avellit ariſtas.

Ap. Virg. l. XII. v. 603. verb. *diſcindere.*

Purpureos moritura manu diſcindit amictus.

Et Adonidem deflere jubet e Veteribus Græcis *Aleman*

καττύπτεσθε κόραι, καὶ κατερύκεσθε χιτῶνας,
plangite vos teneræ, & tunicas lacerate puellæ.

IV. Sicut enim gentes occœcatæ & πολυθέῳ πλάνῃ plane immerſæ, multa vel levi famæ aura perceperunt, vel ex ſcriptis Moſaicis ipſimet forſan eruerunt, quæ partim ad pravam traxerunt imitationem, partim vero fabularum involucris obſcurarunt; ita ad imitationem Hebræorum ſciderunt etiam veſtimenta ſua varias ob cauſas. Perſarum hunc morem fuiſſe, docet l. 3. Herodotus, πέρσαι δὲ ὡς τὸν βασιλέα εἶδον ἀνακλαύσαντα, πάντες τάτε ἐσθῆτος ἐχόμενα εἶχον κατήρεικον καὶ οἰμωγῇ ἀφθόνῳ διεχρέωντο, *Perſæ ut Regem viderunt lamentatem, univerſi tum veſtimenta reſcindere, tum effuſo ploratu uti* cœperunt. Nec Romanis fuit iſte mos infrequens. Hinc Seneca teſte in Octavia *Scidit veſtes Auguſta ſuas laceravitque comas.* Apud Virgilium, *it ſciſſa veſte Latinus.* Æn. XII.

V. Sciſſionis hujus originem referunt autores ad Jacobum Patriarcham mœrore maximo adfectum propter Joſephum, ab invidis fratribus divenditum, inque Ægyptum ab Iſmaelitis abductum. Iſto enim mœrore pater totius rei ignarus, puerumque a feris laceratum eſſe autumans veſtimenta ſua diſcidit, expreſſurus paternum erga morigeram prolem adfectum. Caſcus ſane, at minime caſſus eſt hic ritus, nec ſine cauſa frequentatus fuit. Nam *veſtem ſcindere, dolorem ac impatientiam ſignificat Judæis, undecunque demum is dolor acceſſit, ſive ex ſuis aut alienis peccatis, ſive ex aliquo triſti damno*, Flacius Cl. Sc. p. 1262. Ad ejuſdem moris vetuſtatem reſpexit Druſius in *Loc. Numer.* inquiens c. 58. *Scindebant veſtes in luctu ac dolore privato, & omnino ceremonia erat vetus, qua priſci illi homines cor ſuum dolore lacerari teſtificabantur. Hunc ritum omnibus fere priſcis populis communem fuiſſe conſtat ex Homero, Virgilio & Herodoto*; & Max. Rev. Dn. Dilherrus in Judith. c. XIV. 15. *Frequens & vetus fuit hic ritus, omnibus fere priſcis populis communis, quo in luctu & dolore ſive publico ſeu privato ſcindebat veſtes, qua priſci illi cor ſuum præ mœrore velut lacerari teſtificabantur.*

VI. Sciſſio igitur hæc, quæ natales ſuos quærere in Libro Generationis videtur, tantum concernit veſtes, quas Varro dici putavit a velando, i. e. tegendo, cum aliud nihil ſint quam pudoris velamenta. Hinc deſcribunt nonnulli veſtem per τὸν τὸ προβλημένον ἔνδυμα τῷ σώματι.

At

At quoniam non omne, corpori quod adjacet, idque tegit, veſtis proprie eſt, ideo *Ben. Aretio* veſtitus eſt corporis habitus, quo poſt peccatum, autore Deo, nuditas corporis velari debet. Hoc autem fieri poteſt ſimplici, quo frugalis vetuſtas contenta erat, veſtimento, quam αὐτάρκειαν Prudentius h. m. commendavit:

> *Summa quies nil velle ſupra, quam poſtulat uſus*
> *Debitus, ut ſimplex alimonia, veſtis & una,*
> *Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus.*

Hodie vero veſtium, quarum mira eſt in Germania varietas, partim tomento, partim tormento omnis membrorum gratia corrumpitur, & nemo ditiorum ſatis ornatum ſe putat, niſi admirantis plebeculæ trahat oculos & cultum ab humilioribus extorqueat. Ita plane deſcivimus a Majorum ſimplicitate, ſuperbientes thoracibus & caligis follicantibus, quaſi neſciamus, hunc corpora tegendi luxum eſſe magnam contra Deum *prævaricationem ac rebellionem*, a quibus in lingua ſancta nomen adeptæ ſunt veſtes, מעיל enim, tegumentum notans externum, a מעל prævaricatus eſt, & בגד veſtis, a בגד rebellis fuit, deſcendunt, eo quod tam hæc, quam illud ſit perenne prævaricationis ac rebellionis in Paradiſo peſtilentiſſimæ monumentum, haud aliter ac funis in collo furis dimiſſi.

VII. Veſtes autem, quarum materia animantibus brutis detracta, & formæ, cum indies a morionibus inveniantur novæ, numerari non poſſunt, ad διχοτομίαν reduco; alia enim veſtis interior ac minoris, alia vero exterior ac majoris pretii eſt. *Hæc*, quam ἱμάτιον Græci vocant, ex mente Caſauboni Exerc. XVI. n. 74. reſpondens pallio Græcorum & Romanorum togæ, ſicuti erat longior atque laxior; ita honoratior erat, adeoque perſonis gemino honore dignis, Reges intelligo & Prophetas, etiam conveniebat: *Illa* vero non laxa erat, ſed apta membris, ſtricteque adhærebat corpori, quare etiam χιτὼν ἐχέσαρκος, tunica carni proxima vocabatur, quæ temporis progreſſu fuit multiplicata, ſicut hodie creſcente hominum ſuperbia veſtes etiam creſcunt & mirum in modum multiplicantur.

VIII. Utraque veſtis experta ſciſſuram eſt apud Hebræos; frequentiorem tamen externa; quam Hiobus quoque, triſtiſſimam liberorum compertus cladem ſcidit, C. I. 20. Amicorum etiam, qui Jobum calamitatis mole levaturi & ſolatio erecturi acceſſerant, quiſque rupit מעילו pallium ſeu veſtem ſuam exteriorem, c. II. 12. & quia vocem שמלה autores non ignobiles per veſtimentum ſuperius exponunt, ideo etiam Patriarchæ, qui violenta manu primus diſtraxiſſe dicitur שמלותיו *veſtimenta ſua*, Gen. 37. externis veſtibus obtigiſſe iſtam rupturam colligimus. Similiter ſcidit τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, *veſtimenta ſua* exteriora cubicularius capite truncatum videns Holofernem, Judith. 14. *Sciſſaque ſedet Polyxena palla*, ap. Juven. Sat. 10. Internam vero veſtem conſciſſam fuiſſe interpretes hariolantur ex 2. Sam. XIII. 18. ubi Elcanæ filius de vitiata per vim Thamare loquitur h. m. כתנת הפסים אשר עליה רקעה *Tunicam multorum colorum* ſeu diverſicolorem, *quæ ſuper ipſa*, *ſcidit*. Capite ſeq. XV. 32. כתנת *tunicam* internam rupiſſe dicitur Huſai, quippe qui *ſine dubio caruit pallo laxiore externo fugæ præſentis conditione, ſicuti capitis etiam terra conſperſi carebat tegmine; adeoque tunicam, carni adhærentem propius, dilaceravit interea, mœrorem ſuum expreſſurus*. Plur. Rev. D. Geier de Luct. Hebr. cap. XXII. §. 14. Interdum etiam vehementia doloris geminam rupturam exigente, rupta ſimul fuit tunica ſtrictior cum pallio laxiori, ceu luculenter patet exemplo *Eſræ*, c. IX. 3. inquientis: קרעתי את־בגדי ומעילי *ſcidi veſtem meam* inferiorem *& pallium meum* ſuperius, ob ſatis prægnantem, quam ibidem exponit, cauſam. Cumprimis vero, quia liberis ablatis violentia mortis parentibus nulli ſunt, nullaque acquieſcunt conſolatione, ideo *in parentum luctu lacerat lugens veſtes univerſas uſque ad cutem, etiam ſudarium vel interulam carni adhærentem*, ceu tradit ex Hebræorum monumentis Wilhelm. Schickardus de J. R. c. VI. theor. 19.

IX. Antiquitas tamen non diſcidit amictum ita, ut uſui plane eſſe deſierit; neque enim tota veſtis, ſed ejus ſaltim pars violenter diſrupta legitur. Imo, certa lege quantitatem rupturæ definitam fuiſſe perhibent autores, quæ palmum ſeu quatuor digitos non excedebat. *Quænam eſt menſura rupturæ? palmus; nec opus eſt ſejungere oram veſtimenti*, ita ſcilicet ut per oras introſpicere liceat; ut notat Maimonides cap. 8. אבל §. 2. Locum tamen non inveniebat hæc lex omni in luctu, quandoquidem parentes morte ademtos lugenti major permiſſa fuit ruptura ob doloris, qui ſentitur in liberorum corde, acerbitatem: *Ob parentum namque mortem lugens lacerat, donec pectus ſuum nudaverit, ſeparaveritque oras veſtimenti*, §. 7.

X. La-

X. Lacerata vero fuerunt veſtimenta deorſum, & quidem ab anteriori parte. *Rumpebatur veſtis aliquo deorſum, ita ut pars illa rupta ad aliquot dies pendula relinqueretur; alii inferius in loco, ubi non multum noceret, ad manus latitudinem, ideque ad dies ſeptem, ſi fides Schindlero.* Maxime Rev. Dn. Dilh. Dial. Phil. pag. 41. ſeq. *Unde autem*, verba ſunt Maimonidis l. c. §. 1. *lacerare incipit? a parte anteriori: Lacerans namque a poſteriori, vel in lateribus, vel inferius, non immunis eſt a reatu lacerationis* minus recte peractæ, *niſi excepto ſolo Pontifice, qui lacerat inferius.*

XI. Nemo itaque vitio nobis vertet, ſi erroris arguamus *Marium*, cui ſciſſio veſtium non proprie notat ſciſſionem, ſed nodorum & fibularum, quibus jungebatur veſtis, apertionem, quæ ſi fiat impetu quodam & vi, nata ex animi vel doloris impatientia, ſciſſuræ videtur habere ſpeciem. Ita enim ad Geneſ. cap. 37. loquitur; *Judæi veſtes ſuas fibulis vel uncis jungebant, atque ita ruptura hæc veſtium vel ſciſſura ſignificat vim, qua ruptis fibulis veſtes ſibi aperiebant vel detrahebant.* Marii adjutor eſt Cajetanus ad Marc. cap. 14. arbitratur enim, veſtimentorum ſciſſionem fuiſſe ſaltem pectoris denudationem, ſine ulla eorum ruptura. Sed uterque abludit a vero, & ſine ullo antiquitatis authentico teſtimonio hæc aſſerit. Nam I. ejuſmodi verba, a quorum ſignificatione propria recedendum ſine urgente neceſſitate non eſt, in deſcribendo ſciſſionis ritu Scriptores ſacri & prophani uſurpant, quæ partis unius, integritatem veſtimenti oppido tollentis, ab altera violentam important ruptionem. Adhibentur autem plerumque נקרע & קרע διαῤῥήσσειν & διαῤῥήσσεσθαι, lacerari, quæ exprimunt ſolennem impatientiæ conteſtationem, qua, prout occaſio fert vel animi perturbati impetus, veſtes diſrumpuntur ita, ut unum poſt aliud filum cedat, ſolvatur atque promineat, daſs ſichs faſe oder auſtrodele/ & pars abſciſſa aliquamdiu relinquatur pendula. II. Diffibulatio iſta & denudatio pectoris non ſatis exprimere doloris interni vehementiam valuit. Solebant enim Orientales, ſunt verba Rod. Gwaltheri Homil. 6. in Joel., veſtes ſcindere, ſi quid accidiſſet, quod intolerabile prorſus videbatur; unde cum tunicarum diſruptione ſæpius erat conjuncta capillorum evulſio, ut nempe ingentem animi turbationem teſtarentur. Quid enim quæſo notatu dignum feciſſent ſervi, ſi præſente Jojakimo, qui librum ſecabat cum ſermonibus divinis, ſectumque conjiciebat in ignem, aperuiſſent fibulas? Si autem eo, quo diximus, modo laceraſſent veſtimenta, aliquid ſe dignum præſtitiſſent, reique magnitudinem indicaſſent: Gravis enim erat in Deum injuria, ejus diſſecare librum & oracula divina pie ac reverenter ſuſcipienda, mancipare flammis! Jer. 36. III. Sicut in vera ad Deum converſione plena peccatorum corda ſcindebantur, i. e. Chaldæo interprete, *amovebatur a corde improbitas*, vere & non hypocritarum more; ita oſtenſuri Iſraelitæ impatientiam graviſſimi de peccato doloris, vere diſcindebant veſtes ſuas, non ſolvendo anſulas earum, ſed partem ab altera violenter divellendo. *Quia ſciſſionem cordis hoc geſtu ſignificarunt, vereſimilius eſt, quod vera fuerit veſtium diſruptio*, inquit B. D. Gerhardus Harm. Evang. pag. 270. Quo cum convenit Exc. D. Glaſenius, l. c. *Quin, dicerem ipſe, ſi veſtium diſruptione voluerunt cordis ſciſſionem denotare, ut multi probant, veriſimilius videri, veſtimentum ipſum vere fuiſſe ab ipſis dilaceratum.* Idemque Cajetani repudiaturus ſententiam, recte provocat ad communem Autorum conſenſum, qui unius aut duorum diſſenſu ſubverti nequeat. Sicut itaque veteres in luctu vere incidebant genas, pilos demetebant non per tonſores, ſed propria manu, in Regum funeribus auris partem reapſe decidebant, frontem naſumque conſauciabant vere, ſiniſtram manum ſagittis trajiciebant, reſectique vulnerum cicatricibus incidebant lacertos vere; ita etiam ſciſſuram veſtium explicare per diloricationem aut diffibulationem nolumus, ſed per veram in partes diſſectionem. Sed IV. contra Marii atque Cajetani, qui per nebulam aut aquam inſpexiſſe veſtium ruptionem videntur, opinionem argumentamur ita: Si veſtes, denſæ licet ac bene conjunctæ a ſarcinatoribus, non vere fuerunt ſciſſæ, etiam reſarciri non potuerunt, cum veſtibus ſubito diffibulatis etiam poſt diffibulationem ſua conſtiterit integritas. Sed poſterius adverſatur rerum Judaicarum Scriptoribus, ſecundum quos omnino reficiebantur laceræ veſtes.

XII. Hoc, ut fiat planius, oſtendendum plenius eſt. Scilicet, quod ſæpe fit mentio veſtium nunquam reſarciendarum apud laudatos Scriptores id reſtringunt ipſimet ad certos tantum caſus, ſi nimirum obeant diem ſuum parentes, & qui æquiparantur illis, præceptores, ſi tollantur e medio Principes & notabile detrimentum capiat Reſpublica, & blaſphemia audiatur; *in omnibus hiſce caſibus lacerantur veſtes uſque ad nuditatem pectoris, nec unquam reſarciuntur. Licet tamen*

eas

eas deponere, aut rarioribus ſuturis in ſpeciem ſcalarum conſtringere, ſed Alexandrina contextura (quæ fit decuſſatim forma ſtaminis & ſubtegminis) prohibita eſt; oportet etiam venditorem diſerte hoc emtori ſignificare (ſi forte in foro ſcrutario ad auctionem veniunt) ne unquam eas reficiat; Wilh. Schickardus ex Maimonidis l. c. Veſtium autem fatali cognatorum die laceratarum ruptura reficiebatur, *omnem ſiquidem rupturam, quam fecit quivis ob cognatos ſuos, conſuit craſſe poſt ſeptiduum, recte autem reſarcit poſt diem demum trigeſimum. --- Sed mulier ſciſſuram faciens e veſtigio craſſe conſuit, etiam ob parentes, idque ob verecundiam,* cap. 9. §. 1. Tunc autem veſtem conſui craſſe, nonnulli exiſtimant, ſi raptim & ſparſis acus punctibus, caninorum dentium inſtar ſutura fiat. Quoniam vero ſutura Alexandrina erat, Buxtorfio teſte, artificioſa & extrinſecus plana inſtar texturæ, ita ut nulla ſupereſſent factæ ſciſſionis veſtigia, ideo prohibebatur.

XIII. Hæc ipſa ſciſſuram paſſa veſtis ſæpe fuit mutata ſacco. Hiskias enim ἔνθεος, qui ſingularis in Deum religionis & ſanctimoniæ laudem egregiam reportavit, ſcidit veſtimenta, cum extreme impii hominis audiret blaſphemiam, *& operuit ſe ſacco* 2. Reg. 19. Cumprimis vero pœnitentiam acturis conveniebat iſte ſaccus; hinc Achabus, ἄθεος licet & bipedum peſſimus, cum audiret graviſſimas Dei comminationes ſcidit veſtitum, *poſuitque ſaccum ſuper carnem ſuam & jejunavit & jacuit in ſacco* 1. Reg. 21. Neque ſilentio involvendum h. l. quod poſt γλωττοσύγχυσιν, confuſionem linguarum, in plurimis linguis remanſerit vox *Saccus*, Græcis enim dicitur σάκκος, Heb. שק Chald. סקא, *Idem de reliquis affirmari populis fere omnibus poteſt, ut hoc ipſo quaſi teſtatum reddant, cum ſaccus ſive cilicium ſit pœnitentiæ & luctus ſignum, quod omnes poſt lapſum protoplaſtorum ſint peccatores, ac careant gloria Rom.* 3. 23. *adeoque jugi pœnitentia opus habeant*, Plurimum Rev. & Exc. D. D. Gerhardus in Notis ad cap. XI. Matth. pag. 600. Erat autem Saccus hiſpidum tegumenti genus, ſine dubio plenum doloris, a quo omnis ornatus, omniſque luxus aberat, in quo cuncta erant apta atque ad mœrorem exprimendum compoſita; idcirco ἐσθὴς πενθικὴ, σχῆμα ταπεινὸν vocatur a Joſepho; *Saccus* enim *lugentium ac ſeſe humiliantium erat indumentum. Quod luctus erat in corde, id ſaccus foris erat in corpore. Animus lugens, quicquid magnificum eſt, reſpuit, & totus ad ea, quæ ſunt humilia & abjecta, inclinat;* Marloratus cum Mulculo ad Eſaiæ cap. 37.

XIV. Vero hæc eſſe conſentanea, vel inde conſtare liquido poteſt, quod lugentium & veſtimenta ſcindentium animus adeo demiſſus fuerit ac humilis, ut ſciſſione non acquieſcentes in humum prona abjecerint corpora, ceu Joſuæ, qui in magnis illis communibuſque Iſraelitarum cladibus lacerabat veſtes ac humi ad veſperum uſque cubabat, exemplum docet Joſ. VII. 6. Pari modo David privato dolori ſuccumbens terræ incubuit, cum prius amictum diſcidiſſet 2. Sam. XIII. 31. Barbaris idem receptus mos fuit; poſtquam enim ad Darii matrem celeriter perlata eſt fama de obitu Alexandri Magni, qui a ſuis non ſolum Mecedonibus, ſed etiam Perſis nimio deſiderabatur opere, abſcidit veſtem, qua induta erat & lugubrem ſumſit, *laceratiſque crinibus humi corpus abjecit*, Curtius lib. X. cap. 5. Idcirco autem in terram prociderunt dolore adfecti nimio, quia viribus etiam deficiebant, ut neque ſtare amplius neque ſedere poſſent, ſed præ tædio vitæ, quam cuneus ac cumulus ingruentium tot malorum reddebant miſerrimam, toti corruerent, ſe committentes ſanctæ atque antiquiſſimæ matri terræ, a qua etiam, manibus digitiſque perfoſſa, volebant occultari.

XV. Tacito quaſi pede nos ducunt hactenus dicta ad inquirendas lacerationis cauſas; quarum I. eſt luctus ſ. dolor privatus, cui indulgebant, quorum conſanguinei, agnati, familiares, aliique ſine fuco & muco amici impleverant aut ſaltim credebantur impleviſſe mortalitatis legem. Patriarcha enim ob Joſephi mortem falſo creditam, qua ipſemet confectus prope fuit, veſtimenta ſua conſcidit. Spectat huc Jobi, quem cruciabat ſubita filiorum interitio, veſtes ſcindentis exemplum c. l. 20. Scipio etiam, audita ſuorum morte,

> ——— *Duris quanquam non cedere ſuetus,*
> *Pulſato lacerat violenter pectore amictus*

teſte Silio Ital. lib. 13. Unde, Lucianus omnes lugentium geſtus narraturus, Lib. περὶ πένθους inter alia inquit: καὶ πῦ καὶ ἐσθὴς καταῤῥήγνυνται, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται, καὶ οἱ ζῶντες οἰκτρότεροι τῦ νεκρῦ κλ.

XVI. Sicut autem ad Parentes, filiorum conſanguineos, Philoſophus etiam refert Præceptores, & reddi poſſe utriuſque honorem æquivalentem negat his verbis, γονεῦσι καὶ παιδόταις τιμὴ ἰσῤῥόπος

ὐκ

ἐκ ἂν γένοιτο: ita laudandi hanc in parte Judæi, Doctores suos ac Præceptores magni æstimabant, adeo ut vestes conscinderint in morte Præceptoris, *quamvis oculos discipuli una tantum lectione illuminarit*. Referuntque huc ex 2. Reg. II. 12. exemplum Elisæi, qui vestimenta adprehendens discidit in duas partes propter Magistri sui non quidem obitum, sed extraordinarium in cœlos abitum. *Eo modo, quo quis lacerat ob parentes, tenetur etiam lacerare ob Rabbinum suum, qui legem ipsum docuit*, Maimon. cap. 9. §. 2.

XVII. Publicum quod attinet luctum, seu dolorem, cujus sensus uno eodemque tempore ad plures pertinet, & vel sponte suscipitur, vel jussu Magistratus, vestibus scindendis præbuerunt ansam non modo morte ademti Magnates, Reges, Principes & alii, domi militiæque rem bene gerentes, sed etiam strages, quam perpessus erat populus universus, celebrioris in Juda civitatis devastatio & demolitio Sanctuarii. Comprobant hoc Davides ejusque in præliando socii, vestimenta disrumpentes audita Saulis, Jonathanis & populi Israelitici clade 2. Sam. I. 11. Idem Davides ægre ferens Abneri, quem fraude circumvenerat Joabus, interitum flevit quam familiariter, vestesque ut sibi discinderet universus cœtus, mandavit, 2. Sam. III. 31. Sic, cum solverentur justa Hiskiæ, *tradunt etiam, præcessisse funus triginta sex millia (subditorum) nudatis humeris, qui vestes eo usque lacerassent, ut scapulæ apparerent*, Wilch. Schick. c. l. p. 173. Tragico Holofernis exitu valde perculsi copiarum Assyriacarum principes disruperunt e vestigio tunicas suas, Judith XIV. 15. Quod ipsum factum quandoque legimus propter eos, qui in maximo constituti periculo nondum finierant vitam, sed fati sui adhuc exspectabant legem. Darius enim Persarum Rex in ultimo discrimine & fortunæ suæ ac vitæ ita turbabat Persas suos, ut irrumpentes in castra rumperent vestimenta & lugubri barbaroque ululatu eundem deplorarent, ceu novimus ex Curtii l. V. c. 12.

XVIII. Non tamen semper in vario rerum casu hominumque occasu observatus hic ritus fuit, sed *quandoque ob doloris impatientiam disrumpebantur vestes, laceris partibus aliquamdiu relictis in terram pendulis, ut hac ratione etiam aliis constaret de interno dolentis animi adfectu*, Plur. Rever. D. D. Quensted de sepult. Veterum p. 136. Plures siquidem erant modi, quibus perceptam ex morte tristitiam prodere potuerunt, qui arcta propinquitate aut infucatæ amicitiæ vinculo conjuncti demortuo fuerunt. Lacrymis ignitæ caritatis prosequi defunctos, humanitatis opus est. Igitur *defleamus, sed non præter decorum, non capillos evellentes, non brachia nudantes, non faciem lacerantes, sed in animo duntaxat amaras lacrymas tacite fundentes. Potest enim etiam sine ista pompa plorari, & non ita duntaxat ludi. Nihil enim a ludis differunt, quæ a quibusdam fiunt*. Chrysost. Hom. 3. Epist. Phil.

XIX. In specie autem vestimentorum ruptura Pontifici prohibita erat tempore lugubri. Ubi monendum obiter est, quod in Ecclesia Judaica fuerit triplex ἱεροποιῶν & sacrarum personarum cultui divino vacantium ordo. Primum locum tenebat Pontifex, Hebræis כהן הגדול Sacerdos Magnus seu Summus, ἀρχιερεὺς Græcis dictus, qui universo sacerdotium gregi præerat. Proximum ab illo Pontifex locum obtinuerunt Sacerdotes, quos non male vocaveris *Minores*. Sacris quoque operabantur & sacrificiorum vacabant operi; eosque sequebantur Levitæ, qui sacerdotum erant ministri, eaque peragebant in templo, quæ ignobilioris erant operæ. Munia ipsorum describuntur 1. Paral. XXIII. 28. XXV. & seq.

XX. Sicut igitur Sacerdotem Summum, corporis munditie cumprimis æstimabilem, vi legis divinæ Lev. XXI. *9. 10. pollui super demortuo* non oportebat, imo ne quidem prodire in funus paternum ipsi licitum erat: ita vestium laceratio ob defunctos vetita eidem fuit, loco jam citato, qui conferendus omnino est cum c. X. *6*.

XXI. Sed inquiat aliquis: non tantum Summus Sacerdos, sed ejus quoque filii & proinde sacerdotes, quos nuncupavimus *minores*, lacerare vestes in luctu prohibentur. E. præter pontificem sacerdotes etiam alieni ab hoc ritu fuerunt. Sed nebula & nubecula hæc est a fumo rei lectæ quidem, sed non satis intellectæ, quæ ut removeatur, non opus βρόχῳ sed λόγῳ *Abulensis* Comment. in Levit. X. *Ad hoc respondendum est, quod Aaron non licebat simpliciter aliquo tempore morientibus interesse aut mortuorum exequias facere; ideo quanquam isti duo filii ejus multo post tempore morerentur, non erat ei jus, eorum adstare funeri, nec plangentium ritus explere. De Eleazar & Ithamar, fratribus eorum, dicendum est, quoniam nunc non licuit eis, quia erant noviter consecrati, licuisset tamen alio tempore. Multa namque propter recentem consecrationem vitari debebant, quæ postea facere licebat. Nunc autem filii Aaronis noviter consecrati fuerant, quoniam præcedenti die ante mortem Nadab & Abihu completa est consecratio*

secratio

secratio eorum. Sic enim Moses infra expressit causam hujus probibitionis, dicens, oleum quippe sanctæ unctionis super vos est; nunc noviter oleum sanctum fuit super vos adspersum. Non licebat igitur, ut in mortibus aliquorum polluerentur. Nonnulli autem causam transferunt in ipsum Nadab & Abihu, quippe qui videntur indigni fuisse, ob quos lacerarentur indumenta. Cornelius a Lapide Comm. in Lev. x. amplectitur Abulensis responsionem & arbitratur, ob reverentiam novæ consecrationis Sacerdotes etiam abstinuisse a mortuorum inquinamentis, inque recenti consecratione, maxime ipsorum & publico honori & sanctificationi consulendum & parcendum fuisse.

XXII. Soli proinde Pontifici Hebræorum religio fuit vestitum violenter lacerare in luctu; qua de re nihil dubitantes interpretes percontari causam ejus satagunt. Petunt vero eam a vestitu Pontificis ornatissimo; qualis erat 1. tunica oculata, ab oculorum, quos tunicæ frusta referebant, similitudine. 2. Pallium hyacinthinum, tunicæ superindutum, e cujus fimbriis tintinnabula aurea LXXII. totidemque per vices disposita mala punica dependebant. 3. Amiculum humerale, ex auro, hyacintho, coccino atque bysso intertextis constans, cujus oris ex utroque latere junctis intexti erant lapides duo onychini, in quibus XII. filiorum Israel nomina sculptoris opere inscripta, a Pontifice gestabantur, Hebr. אפוד 4. Amiculum pectorale, cujus materia eadem erat cum humerali, duodecim pretiosis gemmis, admirando jubare coruscantibus, ornatum. Quæ vestes, ut & tota στολὴ ἀρχιερατικὴ sicut omnino elegantissimæ erant & singulari artificio factæ; ita immunes quasi a scissione omnique pollutione debebant jussu divino esse.

XXIII. Nonnulli autem non quærunt causam in veste, sed farto illius vestis, quam lacerare nefas fuisse censent Sacerdoti Summo, ne vehementis doloris signa ostendendo in morte amicorum & vestimenta disrumpendo incertam atque suspectam simplicioribus redderet resurrectionem ex mortuis. Immodicus nimirum luctus propter amicorum fata sæpe oritur ex ignorantia vel diffidentia futuræ παλιγγενεσίας, quamobrem Thessalonicensibus in morte suorum male se habentibus vitio Paulus vertit dolorem nimium, cui gentes indulgeant, spem non habentes futuri seculi, cujus tamen certitudo mitigare tristitiam potest eorum, qui sacris initiati sunt ecclesiæ. Quo certior itaque vitæ alterius spes est in corde, eo parcior sit luctus in corpore, quem συμπαθείᾳ condiunt credentes, ut inter ἀπάθειαν καὶ δυσπάθειαν incedant media via, probe gnari, se sociandos in statu meliori esse cum suis; quare non tam pro morientibus plorant, quam peregrinantibus, aliquando redituris. Quoniam vero Sacerdos Summus sanctimonia & doctrina cœlesti cæteros antecellebat omnes, in lacrymas non solvebatur, neque vim inferebat artificiose contextis vestibus, probe sciens, piorum vitam esse similem comœdiæ, cujus epitasis turbulenta est ac laborum plena, sed catastrophe sequitur lætissima. *Qui n. seminant in lacrymis, in exultatione metent; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*, Psalm. CXXVI. 6. 7. Et ea ratione Sacerdos Summus tacite monebat alios de temperando moderandoque luctu, cujus intemperies & animi a gradu dejectio est vitium, & in vera de resuscitandis mortuis fide alios confirmabat. *Sacerdotibus* inquit ante laudatus Abulensis, *certior debet esse spes resurrectionis, quam omnibus aliis, quoniam ipsi clarius cognoscunt veritatem sacræ Scripturæ, quam omnes alii, juxta illud Malach. 2. c. labia Sacerdotis custodiant &c. Cum igitur huic sit certior cognitio de resurrectione, debet esse minor tristitia in charorum morte. Et quia vestes scindere quoddam magnæ tristitiæ signum est, sacerdotibus non conveniebat hoc facere. Potissime a summo Sacerdote, qui erat caput omnium, & cui clarior cognitio omnibus aliis inesse debebat, & per hoc certior spes de resurrectione ei affutura erat.*

XXIV. Abulensis vestigia legit Lorinus Comm. in Lev. x. Non desunt tamen, qui mystice exponunt hæc, ut τὸ scindere vestimenta idem sit atque veritatis e cœlo patefactæ doctrinam scindere; unde non raro invenias hunc loquendi modum: Apostoli non sciderunt vestimenta i. e. non præbuerunt schismati inter ecclesias ansam, sed sicuti in commovendis hominum animis fuerunt felices, ita ἐν τῷ ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *in recte secando veritatis verbo*. 2. Tim. II. 15. dexteritate usi sunt & revelatam divinitus doctrinam integre & sine corruptelis annunciarunt mundo, eamque adversus gentis suæ perfidiam mascule defenderunt. Hoc apparet ex ejusdem Lorini verbis l. c. *Vestimenta scindit, qui ecclesiasticæ doctrinæ annunciat contraria, postque illustratum luce Evangelica mundum adbuc umbras legis observandas censet, quod in Apostolico cautum est Concilio Act.* XV. Et porro scissuram vestium facere, explicat per scissuram populorum, qui Christo adhæserint per fidem, & pretiosæ vestis

instar ipſum exornaverint. Clarius exponit mentem ſuam *Marius*, Comm. XXI. quæſtioni nim. huic: quare vetita capillorum raſura & ſciſſura veſtium fuerit Sacerdoti? ſubjungens hæc verba: *Spiritualis ratio horum eſt; quia Sacerdotes omnino debent eſſe immunes ab operibus mortuis, quæ ſunt opera peccati, & etiam non debent radere caput i. e. deponere ſcientiam, neque deponere barbam i. e. ſapientiæ perfectionem, neque etiam ſcindere veſtimenta, aut incidere carnes, ut ſcilicet vitium ſchiſmatis non incurrant; veſtium enim ſciſſione ſchiſma notari ex celebri illa viſione patet, qua Chriſtus Dominus ſe ipſum B. Petro Alexandrino Epiſcopo in viſione exhibuit cum lacera veſte, cauſamque rogatus dixit, Arium Eccleſiam ſuam diſcidiſſe.*

XXV. Hactenus occupati potiſſimum fuimus circa rupturam in luctu privato, quem verus animi vulnerati dolor expreſſit, cui proinde accenſenda quoque eſt ſciſſura veſtimentorum ob læſam pudicitiam. Thamar enim, cujus flores virginitatis violenter decerpſerat frater amore tabeſcens, amictum diſcidit 2. Sam. XIII. 14. 19. Cum vero in luctu communi atque publico, quem ξυμφορὰ θεήλατος expreſſit, ſciſſioni locus æque fuerit relictus, ideo dicendum ulterius eſt, quomodo vim paſſa fuerint tegumenta, quando res maxime deploranda fuit, ob tumultum in civitate concitatum, ob hoſtilem impetum, inferentem ſæpe damnum irreparabile civitatibus, templis aliiſque Spiritus S. officinis. In ſcenam vero producimus virtute bellica præſtantiſſimum Joſuam, qui veſtimenta diſrupiſſe legitur ob milites ſuos hoſtium gladio peremtos, & reliquorum animis muliebriter cadentium fugam, Joſ. VII. 6. Fugitivus ille infauſtuſque cladis Iſraeliticæ nuncius laceris veſtibus advolabat 1. Sam. IV. 12. triginta enim Iſraelitarum millia ceciderant, arcam fœderis abſtulerant hoſtes, quorum ſævitia etiam graſſabatur in ſacerdotes, ut profecto gurges quidam calamitatum adparuerit ea tempeſtate. Idem fecit Arachita; Huſai enim fortunam videns Davidis, quem conjecerat in anguſtias impie adfectans regnum filius, tunicam rupit 2. Sam. XV. 32. Rex Iſraelis percipiens tantam eſſe annonæ caritatem in metropoli ſua: ut, (horreſco referens) mater ϛοργῆς & adfectus materni plane immemor dederit alteri filium ſuum coquendum atque manducandum, conſcidit veſtes ſuas 2. Reg. VI. 30. Mardochæus cum ſua gente proximus interitui, quod floccifaciens Hamanis inſolentiam timuerat Verum atque æternum Deum, veſtes itidem diſcidit, Eſther IV. 1. In prophanis memoratur Fadilla, quæ ob tumulum Romæ concitatum de Clearcho conquerens apud Commodum Fratrem, Veſtimentum diſcidit, non neglectis aliis dolentium geſtibus, λυσαμένη inquit Herod. l. 1. τὰς τείχας, ῥιψασάτε εἰς τὴν γῆν ἑαυτὴν, ῥηξαμένητε τὴν ἐσθῆτα κλ.

XXVI. Hoc ipſum belle confirmari poteſt ex Maccabeorum lib. 1. Mathathias enim diu multumque conqueſtus de ſeculi, in quod vitæ ſuæ periodum perduxerat Deus, corruptiſſimis moribus, de Solymorum deſolatione, illuſione ſacrilegorum hoſtium, ſeniorum cum junioribus interemtione & fatali totius regni termino diſrupit una cum filiis ſuis veſtimenta c. II. 7. ſeqq. Judas Maccabæus videns, hoſtes templum demolitos eſſe, in cineres redegiſſe portas, homineſque ad tantam redactos eſſe paucitatem, ut in circuitu loca gramine obducta eſſent, diſcidit veſtes c. IV. 38. 39. Similiter conſcidit veſtem militarem Jonathas, cum univerſi, quibus adoriebatur hoſtem, terga darent. Quamvis enim ſummus eſſet Sacerdos, adeoque in luctu parcere veſtibus debuiſſet, ſtrenui tamen bellatoris vicem ſuſtinens impune fecit, quod fortiſſimus quiſque belli dux feciſſet rebus ſic ſtantibus. *Si Jonathas Summus Sacerdos in libro primo Maccabæorum dicatur ſcidiſſe veſtimenta ſua, id non cauſa blaſphemiæ fecit, neque veſtem ſacerdotalem conſcidit, de qua in Lev. c. XXI. — Sed veſtem militarem. Erat enim non in procinctu tantum, ſed in conflictu ipſo, atque ob turpem militum ſuorum fugam, militarem, ut dixi, veſtem conſcidit, imitatus dux ducem Joſuæ, qui & ipſe ob cladem bello acceptam ſcidit veſtimenta ſua;* Baronius p. 188.

XXVII. Obſcurum ex hactenus dictis nemini eſt, Priſcos ſæviiſſe in ſua veſtimenta, ſimulac animum ſubiit vehemens & ex caſu tragico perceptus dolor. *Sciſſura veſtimentorum ad primum doloris impetum fieri ſolebat. Significabat, tantam eſſe doloris vehementiam, ut cor ipſum rumpendum eſſe videretur;* ut Marloratus ad Gen. 37. non Rabbinorum modo autoritate, ſed evidentia quoque exemplorum fretus loquitur. Reperto enim Joſephi ſcypho in fratris natu minimi ſacco veſtes illico rumpebant fratres, actum eſſe exiſtimantes de ſe atque Benjamine; Gen. XLIV. 13. Ita cum repudiaret Auguſtus Dictaturam, & neque differendo neque deprecando quicquam proficeret, veſtem ſuam extemplo laceravit, Zonara teſte. Properabant itaque rupturam imis dolentes ſenſibus, *cum ſciſſio, quæ non*

fuit

fuit in hora fervoris, non habeatur scissio, Maimon. c. 8. §. 3. Unde præsentes qui erant animam exhalaturo, statim rumpebant vestes ad ipsam animæ ex domicilio suo emigrationem; absentes vero agnati intra dies septem, ad primam scilicet de mortuo famam, aut si nimia locorum distantia fuerunt sejuncti, intra dies triginta lacerarunt eas. *Intra septiduum scindunt, elapso eo, nequaquam. Ob patrem tamen matremve scindunt etiam post septiduum*, si tardius permanarit ad filiorum aures fama, *quamdiu trigesimus non effluxerit* §. 6. l. c.

XXVIII. Vestimenta II. fuerunt laniata in vera ad Deum, a quo recesserant per peccatum homines, conversione. *Scindebant vestes, quando Deum per pœnitentiam ad misericordiam inflectere nitebantur. Quo pacto leprosus vestimenta dissuta habere jubebatur, Lev. 13. v. 45. ut externa ulcera manifestando, & multo magis interna peccata confitendo, ut Orig. & Procopius exponunt, divinam ad se misericordiam provocaret.*

XXIX. Videlicet cum periculosa sit potentium offensa, ideo ad sanam mentem reducti nihil ferebant gravius, quam delictornm, quibus divinam Majestatem offenderant, multitudinem ac gravitatem. Hunc ipsum vero dolorem ex penitiori legis consideratione natum expressuri, habitum corporis exterius rumpebant, non secus ac si evellere interius vellent vitiosum habitum cordis, cui tenaciter adhæret peccatum, prægravans hominem molis instar, ut non ea, qua par erat, promtitudine ad patriam cœlestem possit contendere. Scindebant ergo tunicam corpori aptatam Veteres, ut maculatam carnis tunicam odio se prosequi palam facerent. Nec minus conveniens resipiscentibus erat nuditas, quæ necessario sequebatur scissuram vestitus. Sicut enim Romani publice supplicantes nudo pectore dejectaque ex humeris toga fundere preces solebant, & audiebantur; ita Israelitæ pœnitentia ducti, ad malum quod meruerant peccatis, averruncandum, & bonum divinitus promissum sibi conciliandum scissa veste nudoque pectore solicitabant Deum, idque consequebantur, ut nuditatem naturæ aperientes *operirentur vestibus gratiæ & salutis & tunica justitiæ* Esa. LXI. 10.

XXX. Hic tamen lacerationis ritus superstitioni materiam suppeditavit. Sicut enim Hebræi plerumque lambebant vitrum, pultem non attingentes, id est, mire sibi placebant externa legis observantia, certisque πατροπαραδότοις ritibus, internam cordis rectitudinem parum curantes ita sub sancto religionis prætextu plerumque scindentes vestimenta nimiopere sibi placebant, vestiumque laniatione contenti de conterendis animis nihil cogitabant. *Abutebantur itaque eo gestu hypocritæ, perinde ac si in eo tota pœnitentiæ ratio consisteret. Docet ergo* (Joel. II. 13.) *longe aliud requiri, nimirum ut in cordibus suis conterantur, & peccata ex animo detestentur, ac illis procul rejectis ad Deum redeant, a quo prius discesserunt*, Rod. GWaltherus Hom. 6. in Joelem. Cumque modernorum Apellarum mores nimis discrepent ab antiquis Zeloque sacro plenis Hebræis, ideo ex laceratione vestium apud eos non minus indicium sumere possumus de seria resipiscentia, quam ex picorum clamore colligere hospitum adventum licet.

XXXI. Propheta igitur nulla usus circuitione ostensurus, quantopere placeant superstitiosi vestium ruptores oculis divinis, in hæc erumpit verba: *Scindite corda vestra, & non vestes vestras & convertimini ad Deum, Joel* II. 13. *i. e.* Flacio interprete: *interno animi dolore dolete non tantum externo gestu aut simulatione. Propheta jubet eos non simulare tantum dolorem externa laceratione, sed intus in corde vere ac ex animo conteri ac dolere de suis maledictis*, Tr. VI. pag. 526. Si quis autem existimaverit, ipsam apud Judæos usu receptam scissionem plane esse divinitus improbatam, is audiat B. Brentium Comm. in 2. Reg. XIX. pag. 1059. *Fuit hic solennis apud veteres mos, ut in subitanea & repentina turbatione scissis seu depositis vestibus consuetis, sacco aut cilicio operirentur. Qui mos a Patribus in veris adfectibus usurpatus, præsertim in agenda pœnitentia super commissis sceleribus, ut vides in Rege Ninive; etiam ab hypocritis simulato adfectu observabatur. Hinc Propheta Joel cap. 2. ait: Scindite &c. Quibus verbis non rejicit solennem morem, sed reprehendit simulatum adfectum & fictam pœnitentiam. Scinditis, inquit, vestimenta vestra, & hic publicus mos est, sed plane inutilis est, si non accesserit cordis scissio atque contritio.*

XXXII. Simili formula loquendi Servator usus est, *misericordiam*, inquiens, *volo, & non sacrificia*, Ubi τὸ *non* quibusdam significat idem quod *potius quam*; h. e. potius misericordiam volo, quam sacrificium. Quemadmodum igitur Deus minime respuit oblata a fidelibus sacrificia, Matth. IX. 13. ita nequaquam improbavit eorum, qui convertebantur a tenebris ad lucem, rupturam. Prophetæ enim *verbis non probibetur scissio vestium, sed cordium contritio antefertur, quemadmodum*

modum & illis: *misericordiam volo & non ſacrificium*, *ſacrificium non excluditur*, *ſed misericordia præponitur*, Mendoza Comment. in I. Reg. IV. Si quis tamen retinere negativam ſcationem τὸ *non* velit, dicendum eſt, Scriptori ſacro eſſe ſermonem de ſciſſione abſque ulla per legem excitata contritione, qua Deus utique non delectatur. Nonnulli vero elliptice locutum eſſe Prophetam autumant, ejusque accipiunt verba de ſciſſione ſalutari, quæ indicat, hominis ſibi relicti cor lapideum ac pœnitere neſcium eſſe malleo legis divinæ percuſſum, h. ſ. ſcindite corda veſtra, & *non tantum veſtes*; *quod genus ellipſeos in Scriptura eſt frequentiſſimum in ἀντιθέτῳ ea*, *quæ non ſimpliciter*, *ſed ſecundum quid ſeu certam determinationem inſtituitur*; id quod multis illuſtrat exemplis B. D. Tarnovius Comm. in Joelem.

XXXIII. In promtu ſunt exempla, non e lacunis, ſed puriſſimo literarum divinarum fonte hauſta. Populus nimirum Judaicus terga obvertens Deo graviſſimam pœnam ſibi attraxerat inepto idolorum cultu, ſed juſto Dei judicio cum corripiendus & jamjam pertrahendus ad pœnam eſſet, Joſias vera pœnitentia, quæ operta in corde, lacrymis & veſtium ſciſſione reddebatur aperta, manus divinas in furore extenſas quaſi contrahens calamitatem imminentem a ſuo tempore avertebat 2. Reg. XXII. 11. 19. Sed Achabus licet laniaverit veſtes ſcelerum pœnitens, quia tamen ficta erat & hypocritica pœnitentia, tam immunis fuit a pœna divina, quam immunis per annum integrum eſt, qui die viridium novemplicem comederit herbam aut ſimilam cum melle I. Reg. I. 21. Ineptit vero, qui propter hunc ſciſſionis abuſum vellet una eliminare genuinum ejus uſum. Nobis etiam, deliciarum vino ſomnoque peccatorum ſepultis, ſed per gratiam divinam reſuſcitatis ſcindenda ſunt corda & veſtimenta. *Illa* quidem, ita, ut diffluat χολὴ πικρίας καὶ σύνδεσμος ἀδικίας ſolvatur Act. VIII. 23. *Hæc* autem, ut depoſita per regenerationem ac renovationem maculata carnis tunica, cum Paulo Gal. III. 27. *inducamus Chriſtum*, qui *fide purificabit corda noſtra* Act. XV. 9. ceu plurimum Reverendus τῶν θεολογουμένων Senatus nos docet.

XXXIV. Veſtimenta III. fuerunt lacerata, ſi quid dictum factumve eſſe contra Majeſtatem divinam, vel, ut Mendozæ utamur phraſi, c. l. quando blaſphemiam vel atrocem aliquam culpam deteſtati ſunt priſci. Convitia enim aures non modo vulnerant, ſed etiam corda, & quo dignior perſona, quæ tacito cogitationis convitio non ſolum verberatur, ſed palam proſcinditur maledictis, eo majus in corde vulnus & dolor ſentitur. Quare ſi Numini ſupremo maledixerat homo abjectiſſimus, aut ipſo opere detraxerat aliquid honori divino, doloribus differebantur pii, ut ilia, ſi fas fuiſſet, rumpere maluiſſent, quam veſtes; harum tamen ſciſſio erat interioris rupturæ ſymbolum, quo cognoſcebantur ζῆλον θεοῦ ἔχοντες Rom. X. 2. *Hac Judæorum conſuetudine*, ex mente Cyrilli Alexandrini ad Matthæi cap. 26. *templum Dei quodammodo uſum*, *cum Chriſtus exſpiraſſet*, *velum quaſi veſtem ſuam illico ſcidit*. *Quod divinitus ideo dixerim eſſe factum*, *ut ſanctum Dei templum populi cauſam lugere intelligeretur*.

XXXV. Evidens autem hujus in veſtitum ſævitiæ exemplum legere eſt Eſaiæ cap. 37. ubi ſycophanta peſſimus, qui Aſſyriorum Regi a poculis erat, omnipotentem Deum impotentiæ arguebat, & ore impudente extenuabat honorem Dei proprium; contra vero idololatrici Regis majeſtatem ornabat verbis quantum poterat, & ſimulacris potentiam attribuebat, neſcio quam, adeo ut 2. Reg. XIX. 3. tempus illud dicatur *dies convitii & blaſphemiæ* תוכחה ונאצה cui non ferendæ pientiſſimus Ezechias dilacerabat cum aulicis veſtimenta, ut quam ægre ferrent horrendum Aſſyriacorum canum latratum & eructatas a gentilibus blaſphemias, proderent. Si quis autem hanc Aulicorum ſciſſuram, cujus cauſa erat peſtilens paganorum adeoque a Republ. Iſraelitica alienorum maledicentia, velit reprehendere propterea, quod rumpenda ſaltim fuerint veſtimenta propter Hebræorum maledicta, juxta traditam a Rabbinis in libro Præceptorum regulam: *Qui blaſphemantem Iſraelitam audit*, *debet lacerare veſtes ſuas*, *ſi alius eſt*, *puta Gentilis*, *non lacerat*, illi occurritur a B. D. Gerhardo Harm. Evangelica cap. 6. quod, inquiens, *Eliakim & Sobna veſtes diſruperint*, *inde eſt*, *quia Rabſaces erat Iſraelita apoſtata*, *qui patrum religionem ejuraverat*.

XXXVI. Sciſſio hæc ſicuti laude non caruit; ita Jeremiæ cap. 36. crimini datum eſt Regi cum ſervis, quod, cum flammis aboleretur liber propheticus, ipſe videntes tam grande nefas, non ſciderint ſuas veſtes. Ea de cauſa ſeveriſſime ultus eſt Deus Herodem Agrippam, quod divinos honores fauſtis acclamationibus populi ſibi impertitos non repulit, nec, ut omnino par erat, veſtem regiam conſcidit; continuo enim percuſſus in-

interiit, Actor. 12. Secus faciebant Barnabas ac Paulus, lumina Eccleſiæ primitivæ clariſſima; cum enim cœleſtis doctrinæ radios projicerent & fidei accenderent lucem in cordibus Lyſtrenſium, egregio ſanationis miraculo doctrinam Evangelicam confirmavit Paulus, quod Lyſtrenſium turba videns Deos ſibi fingebat : *Deoſque* quibus ſacrificaturi ſtatim erant, *in ſpecies hominum deſcendiſſe* credebat ; ſed Apoſtoli, quos minime titillabat gloria iſthæc, *conſciſſis veſtibus inſilierunt in turbam, dicentes viri, cur iſta facitis? Nos quoque iiſdem, quibus vos abnoxii malis ſumus homines, annunciantes, ut ab iſtis vanis convertamini ad Deum vivum*, Actor. XIV. 14. 15.

XXXVII. Huc referimus ex 2. Reg. V. 7. Iſraelitarum Regem, qui miſſis a Syrorum Rege literis magnam triſtitiæ ſpeciem præ ſe ferebat, exiſtimans, ſibi, quod Dei eſſet, arrogari, veſteſque omnino ſcindendas eſſe. Quo ipſo tamen ut ſorex prodidit hypocriſin ſuam, qua turpiter infecti erant, qui Jeroboami veſtigiis inſiſtentes ad idola ſeducebant populum, Deo Deorum omnium relicto. *Lacerabat*, ſunt Piſcatoris verba in h. l. *ad teſtificandum dolorem quem perceperat ex honore divino ſibi habito. Sic hypocrita pietatem ſimulat.* Neque ſatis cauſæ, ob quam laniaverat veſtimenta, idololatricus Rex habebat ; idcirco redarguens ipſum Eliſa interrogabat, *Quare laceraſti? Interrogatio reprehendentis, quaſi dicat: non debuiſti lacerare veſtimenta tua, non potes juſtam hujus rei cauſam indicare, ſed debuiſti me tanquam prophetam Jehovæ conſulere, quid in negotio tam arduo faciendum tibi eſſet*, ut loquitur idem Piſcator. Iſraelitis promiſſioni divinæ de poſſeſſione Cananæa credere detrectantibus, fugamque adornantibus ex deſerto in Ægyptum, irati Joſua & Caleb diſcidere veſtimenta, Numer. XIV. 6. Præ cæteris autem conſpicuus eſt Caiphas, cujus meminit Evangeliſta cap. XXVI. 65. *Tunc princeps Sacerdotum diſcidit veſtimenta ſua, dicens, prolocutus eſt blaſphemiam. Quid inſuper egemus teſtibus?*

XXXVIII. Hujus Caiphæ rupturam minus recte pictorum vulgus repræſentat, dum veſtes ſedens rupiſſe pingitur ἐν τῷ σωτηρίῳ πάθει. Stantes enim lacerabant Judæi; ſedendo autem qui peregerat ſciſſuram in veſtibus, obſtrictus ad novam ruptionem fuit. *Non fit ruptura niſi a ſtante, ſicut dicitur* (2. *Sam.* XIII. 31.) *ſurgens David veſtes laceravit, & ſi quis oblitus vel mœrore occupatus, rupiſſet ſedens, denuo rumpere tenetur ſtans, ſicut fecit R. Amemar, cum ei filius obiiſſet*; Wilh. Schick. ex Maimon. Efel. cap. 6. theor. 19. Veriſimile igitur eſt, cum reliqui ex infima plebe homines avito more ſciderint tunicas ſtando, hunc etiam Sacerdotem Summum, qui κατ' ἀκρίβειαν induſtrius citra dubium fuit in ejuſmodi traditionibus tenendis, tunicas ſuas rupiſſe ſtantem, & quidem ob imaginariam, ut ita loquar, *blaſphemiam*, quæ dicitur quaſi βλάπτουσα τὴν φήμην, lædens famam, vel, quod aliis placet βλάπτουσα τῷ φάναι, lædens dicendo, maledica enim lingua dicendo pungit & valde lædit. Βλασφημεῖν tamen dicitur hic Chriſtus, non quod congeſſerit in majeſtatem divinam maledicta, ſed quoniam, Dei quod eſt, arrogaſſe ſibi falſo credebatur: ſicut etiam Matth. IX. 3. cum abſolviſſet a peccatis laborantem paralyſi, *quidam e Scribis dicebant ſecum: Hic blaſphemat*, i. e. peccata αὐθεντικῶς καὶ αὐτοκρατορικῶς remittens, ſibi quod ſolius Dei eſt, tribuit.

XXXIX. Sive autem ſtans ſive ſedens ruperit tunicam Pontifex, indignum tamen ſe geſſit tanto Sacerdote, legemque divinam tranſgreſſus eſt juxta Annalium Conditorem, Baronium. *Hac*, inquientem, *conſuetudine* lacerandi veſtes *cæteri, haud tamen ſacerdotes tenebantur. Nam divina lege ſacerdotibus vetitum erat, ne ſua ſcinderent veſtimenta; ſed Caiphas illa contemta, quo cæteros adſtantium animos in Chriſti perditionem magis ac magis concitaret, furore quodam percitus, primus ſummorum omnium Pontificum ſic ſua veſtimenta conſcidit*, pag. 188. Tom. I. ad annum Chriſti 34. Probatum hoc ivit duobus, quæ appellitat potiſſima, exemplis, quorum primum eſt petitum ex Moſe, qui cum Aarone nequaquam diſcidit veſtes, quia Deo id prohibenti morem gerere voluerint, ſed principes tantum populi propter obortam in deſerto rebellionem ſciderunt veſtimenta. Alterum eſt deſumtum ex 2. Reg. 19. ubi Rex ejuſque principes conſcidiſſe narrantur veſtes ob maledicentem Deo Rabſaken ; Azarias autem qui ſacerdos S. tum erat, ſcindere noluit, metuens ſibi ab irato Deo, quem utique habuiſſet, ſi ſciens volenſque violaſſet divinam de non laceranda tunica legem. Autoritatis inſuper ſcuto ſeſe munit, laudatque *Leonis*, Caipham deteſtantis, quod legibus adſtrictus, voluerit eſſe exlex, deciſionem. Idem cum Baronio ſentiunt Abulenſis in Lev. X. Joh. de Lattaye, Evang. Diſp. cap. 180. Mendoza Comm. 1. Reg. IV. num. XII. B. D. Gehardus Harm. Paſs. cap. 7. Philippus Caroli G. Phil. Dial. 2.

XL. Quibus tamen contradicunt viri

non

non ignobiles Caſaubonus num. Exerc. XVI. num. 73. cauſam non ſolum Hebræorum Pontificum agit, ſed etiam tela, quæ depromſerat ex armamentario Scripturæ Baronius, facile excutit Prior, qui Baronio favere videtur, locus eſt Lev. x. 6. Sed non *facit ad rem*. *Nam illud Dei præceptum ulterius non extenditur, quam ad illam actionem. Alioquin dicendum eſſet, non ſolum Pontificem vetitum eſſe veſtimenta ſua lacerare, ſed univerſam Aaronis poſteritatem, quod nemo audeat affirmare & facile refellatur e Scripturis*. Poſterior eſt cap. XXI. 10. Hic *locus præceptum continet verbis expreſſis conceptum; id quod omnes Hebræorum interpretes, opinor, de luctu propter mortuum interpretantur, ſicut etiam Chaldæi Paraphraſtæ in ſuis verſionibus expreſſerunt*. Quibus verbis infringitur argumenti a Baronio formati vis, ut adeo collectio hæc: Sacerdotem S. clara Scripturæ litera ſcindere prohibet tunicas. E. Nunquam poteſt ſalva lege eaſdem ſcindere: communi laboret morbo, quem vocant Sapientes, non valet conſequentia, cum iſta *prohibitio reſpiciat ſaltem caſum propter mortuos ſive in luctu privato, ceu ex contextu liquet, alioqui propter publicam cladem ſeu in publico luctu Pontificem quoque Maximum diſcidiſſe veſtimenta ſua, e* 1. *Macc.* II. 71. *colligitur*. Plur. Rev. Dn. D. Gerhardus Not. ad Matthæi cap. XXVI.

XLI. Idem Caſaubonus Judæorum conſuluit Doctores, & Seldenus Talmudicos, qui jura Pontificis accurate conſcripſerunt; & quoniam mentionem hujus interdicti nullam deprehenderunt in iis, moti ſunt ſcriptorum ſilentio, ut Pontifici licitam quandoque fuiſſe veſtium rupturam audentiores adſtruerent, abſque formidine oppoſiti. Quanti autem æſtimet hanc a Rabbinorum ſilentio petitam rationem *Philippus Caroli*, liquido patet ex ejus *Guſtu Philol. S. Dial.* 2. *Caiphæ ſingulare eſt exemplum, & liquido contra legem, cum inter jura Summi Pontificis ſancitum fuerit, ne veſtem ullo animi dolore laceraret. Si ſtandum tamen eſt Rabbinorum Commentariis, apparet interdictum Pontifici tantum eo luctu & veſtiſcidio fuiſſe, quo defunctos plangere ſolet populus terræ; alias Pontificem diſrumpere veſtem conſueviſſe ajunt, ſed infra tantum circa pedes, ſupra vero & ad ſinum pectoris fuiſſe nefas*. Sed φεῦ τῆς δεινότητος. *Pepo ſim ſi fidem habeam vaniſſimis bambalionibus, qui etiam alibi tradunt, quæ nemo febricitans ſomniarit unquam, ridicula, & ut vetus Poeta ait, commictilia nugamenta*. A quibus an metuendum Caſaubono ſit, aliorum eſto judicium.

XLII. Circumſpecte agit Seldenus lib. 2. de J. N. cap. 12. diſtinguens inter veſtes Pontificis ſacerdotales & vulgares. *Illæ*, quarum uſus in miniſteriis ſacris erat, nunquam expertæ ſunt rupturam, vulgares non item. Hanc cautelam Seldeni ſi admiſeris, Caipham liberare non poteris a craſſo errore; per χιτῶνας enim, quos diſrupiſſe a Marco perhibetur cap. 14. vir magni nominis amictum ſacerdotalem vult intellectum, *veriſimile eſt*, inquiens, *Caipham indutis Pontificalibus majoris ſplendoris & autoritatis cauſa in judicio ſediſſe, proinde laceratione illa veſtium ſacerdotalium inſcius vaticinatur, futurum, ut Levicicum Sacerdotium V. T. aboleatur, ſicut de fructu mortis Chriſti inſcius vaticinatus erat Joh.* XI. 51. Verum ut caveamus nobis ab hac ſententia, monet Plur. Rev. D. Geierus de Luct. Hebr. cap. XXII. §. 15. ubi primo Matthæum, qui meminit ſciſſorum a Caipha ἱματίων, conciliat cum Marco, qui χιτώνων ruptorum meminit; χιτὼν enim & ἱμάτιον differunt, ut apud Latinos tunica & pallium, juxta illud tritum: *Tunica pallio propior eſt*, diſtinguuntur. Utrumque autem adhibetur ab Evangeliſtis, quia propter indignationis vehementiam plane ſingularem, utraque veſtium ſanctiſſimas tanti Zelotæ manus fuit experta. Deinde *cave*, inquit laudatus Theologus Lipſienſis, *ne externas illas internaſque Pontificis ſummi veſtes intelligas forte ſacras ſacerdotales; non enim licuit eaſdem uſurpare extra locum tempuſque ſacrum; imo, ut alibi oſtenditur, extra templum Sacerdotes uſi ſunt veſtimentis, a ſecularium aliorum habitu haud diſcrepantibus*.

XLIII. Non deſunt etiam autores, qui omnimodam Regni & Sacerdotii Judaici ruinam eliciunt ex Pontificis ruptura. *Quod Pontifex ſurrexit de ſolio, oſtendebatur, quod amitteret ſacerdotium, & quod ſcidit veſtimenta ſua, ſignificabat quod transferri debeat. – Sic ſciſſum eſt a Judæis, & datum eſt membris Chriſti*, D. Thomas ad Matthæi c. XXVI. Neque inſolens hoc in ſacris literis eſt, ut veſtium ſciſſione tanquam externo ſymbolo ac viſibili ſigno indicetur ruptura regni aliuſve rei, certo futura; v. g. cum regnum, quod XII. conſtabat tribubus, dividendum, decemque partes a familia Davidica transferendæ in Jeroboamum eſſent, Ahia *veſtem novam apprehendit* ויקרעה שנים עשר קרעום & *ſcidit illam in duodecim ſciſſiones: dixitque ad Jeroboam: cape tibi decem ſciſſiones; nam ſic dixit*

Domi-

Dominus Deus Iſrael; ecce ego ſcindo regnum de Manu Salamonis, & dabo tibi decem tribus I. Reg. XI. 30. 3. Similiter cum apprehenderet Saul alam pallii Samuelis, eamque ſcinderet, Samuel hoc ipſum ſymbolice interpretatus eſt, *ſcidit*, inquiens, *Dominus regnum Iſrael a te, & dedit illud proximo tuo meliori te* I. Sam. XV. 28.

XLIV. Tandem IV. uſitata fuit ſciſſio veſtium in ſupplicio, quo percutiebantur ſontes flagello atque virgis, quod liquido patet exemplo Herennii Galli Legati, quem Tacito l. IV. Hiſtor. n. 6. *protractum e tentorio, ſciſſa veſte, verberato corpore, quo pretio, quibus conſciis prodidiſſet exercitium, dicere jubent*. Similem ſuſtinuit pœnam Fab. Rullianus, cum adverſus Papirii dictatoris imperium in aciem eduxiſſet exercitum. *O Spectaculum admirabile, & Rullianus, & Magiſter equitum & victor, ſciſſa veſte ſpoliatoque corpore, lictorum verberibus lacerandus*. Videatur Valerius Max. l. II. de Diſc. milit. c. VII. n. 8. Meminit ejuſdem ſciſſionis Seneca l. I. c. 16. *Quid ſi ille vidiſſet deſilientem de tribunali Proconſulem, & faſces lictori auferentem, & ſua veſtimenta ſcindentem, quia tardius ſcindebantur aliena?*

XLV. Digitum huc intendit *Ictus*, P. Faber l. II. Semeſtr. c. X. Spolia, inquiens, quibus indutus quis erat, cum ad ſupplicium duceretur, ita detrahebant lictores, ut vi adhibita dilaniarent ac ſcinderent, quod Plutarcho noſtro περισχίσαι καὶ περιῤῥηγνύναι plurimis in locis dicitur. Illuſtris præ cæteris locus eſt in vita *Publicolæ*; Brutus nimirum ad ſuos ſe convertens filios, age, inquit, *Tite*, age *Tiberi*, cur accuſati non reſpondetis? Cumque ter rogati nihil reſponſi darent, cruciandos tradidit lictoribus, qui περιεῤῥήγνυον τὰ ἱμάτια, τὰς χεῖρας ἀπῆγον ὀπίσω, ῥάβδοις ἔξαινον τὰ σώματα. In vita Camilli deſcribitur ejuſdem pœnæ executio his verbis: προσέταξε τοῖς ὑπηρεταις τȣ͂ μὲν ἀνθρώπȣ καταῤῥηγνύναι τὰ ἱμάτια, καὶ τὰς χεῖρας ὀπίσω περιάγειν, τοῖς δὲ παισὶ διδόναι ῥάβδȣς καὶ μάστιγας, ὅπως κολάζοντες τὸν προδότην ἐλαύνωσιν εἰς τὴν πόλιν, *imperavit*, ſcilicet Camillus, *miniſtris, ut hominis*, puta Magiſtrum ludi, quo utebantur Græcorum more Falerii, ob proditionem *ſcinderent veſtimenta, & manus poſt terga vincirent, pueris vero ſeu diſcipulis darent virgas flagellaque, ut proditorem verberibus afficientes in urbem agerent*. Itaque eorum, qui cædendi flagellis erant, veſtimenta lacerabantur a lictoribus, ut nudi ſubirent flagellationem, quæ gravior pœna erat, adeoque ſervilis, ficuti contra fuſtigatio levior, cum ξυλοκοπίαν hanc experti etiam fuerint liberi ob illud ipſum Crimen, quod flagella minabatur ſervis.

XLVI. Sanguineum hoc flagellum elicuit etiam copioſum ex Chriſto ſanguinem; cum enim æthnæa peccatorum noſtrorum moles, ut loquitur Heinſius, Chriſtum Salvatorem undique premeret, & cataractæ in ipſum ingruerent, veſtimenta a ſanctiſſimo detracta fuerunt corpore, non quod flagellatio juxta leges Romanas præcedere crucifixionem debebat, ſed quia Chriſtum liberatum cupiebat Pilatus, certo futurum ſperans, ut Judæorum φιλαιμάτων & ſanguinariorum crudelitati ſatisfaceret aliquo modo, & liberaret a ſupplicio, quem διὰ φθόνον, Matthæo teſte XXVII. 18. traditum eſſe noverat, cauſamque morte dignam in eo nullam deprehenderat, Joh. XIX. 6. Colligimus hinc flagellandorum veſtes non ſemper laniatas fuiſſe, cum Chriſti verbis & verberibus male tractati veſtibus non obtigerit laceratio; cujus etiam nulla fit mentio in hiſtoria B. Apollinaris, ſed vicarius dixiſſe fertur: *exuite eum & cædentes dicite; Reſipiſce & immola diis*. Sed tamen *plerumque in ſupplicio rumpebantur aut diſſuebantur veſtes; unde Rabbi Maimonides, ubi de hac pœna, quamvis ex Judæorum ritu, agit: Si rumpantur veſtes, rumpantur; ſi diſſuantur, diſſuantur. Satis eſt, ſi ad plagas pateat pectus;* Heinſius Exerc. ſacr. pag. 507. Idem obſervavit e Rabb. libris Lud. de Dieu, qui flagellationis inſuper tradit modum: *Quomodo flagellatur? alligantur ambæ manus ejus columnæ utrinque. Tum miniſter Synagogæ apprehendit veſtes ejus, nihil morans, lacerenturne an diſſuantur, donec pectus ejus diſco operuerit.*

XLVII. Paulus & Silas eandem, qua Magiſter uſus erat, ſortem experti virgis cædebantur, ſciſſis tamen prius veſtibus eorum, quod Act. XVI. 22. Lucas prodidit his verbis: Οἱ ϛρατηγοὶ περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια, ἐκέλευον ῥαβδίζειν. Nonnulli αὑτῶν cum ſpiritu aſpero legentes cenſent, Magiſtratum ſcidiſſe tunicas ſuas, eam dubio procul ob cauſam, quod Apoſtoli Philippenſibus monſtrando viam ſalutis annunciaverant dogmata gentilium religioni plane contraria, quibus deorum honor minui cultuſque detrahi illis videbatur, id quod ſpeciem habebat blaſphemiæ, ob quam dirupta fuiſſe veſtimenta, dictum ſuperius eſt. Sed errorem hunc palpavit etiam Jeſus Chriſtus: Laudatus enim P. Faber l. c. corrigit illum, *poſterius*, inquiens, αὐτῶν *Spiritu leni (contra quam plerique faciunt, pronunciandum autumo,*

tumo, ut non ad Magistratus, sed ad Paulum Silamque verberatos, quorum scissa prius vestimenta fuerint, referatur. Erat enim illud ex veterum suppliciorum more apud Romanos, ut noxiorum, qui verberibus afficiendi essent, corpora scissis vestibus nudarentur, manusque post tergum converterentur. p. 108. Loco vestium rarissime discerpta atque distracta fuerunt ipsa hominum, qui perruperant inobedientia legem, corpora; & singularis, cujus autor extitit sanguinis humani adpetens *Domitius*, scissionis exemplum in promtu est. Hic enim disciplinæ militaris amans imperator aliquando militem in adulterio cum hospitis uxore deprehensum jussit ad arbores duas inflexas alligari, ut illis dimissis in duas discinderetur partes.

XLVIII. Tantum de pervetusto Scissionis ritu, ob quem laudantur modo, modo culpantur Judæi. Illis laudem concedimus numerosam, qui propter Numinis divini contumeliam ex imo cordis recessu ingemiscentes disruperunt vestimenta, hoc enim significarunt, viscera demortui non tam crudeliter laniari a vermibus famelicis, quam animus crucietur acerbis doloribus. Quamobrem *in eo sanctior fuit consuetudo Judæorum, quam quæ est inter nos Christianos. Illi audientes blasphemias scindebant vestimenta: nos quotidie audimus blasphemias, undique & omnibus modis, non ponendo ullum remedium, vel saltem non exsequendo data remedia*, quæ *Gersonis* fuit querela. Neque parenti, quæ ob demortuam bonæ spei sobolem lancinavit vestes, laudem detrahimus. *Quod enim sub intimis natum est præcordiis, in intimis dolet præcordiis*, ut loquitur Ant. Gvevara Hor. Princ. Nos utinam vestibus parcentes ob peccata, scinderemus corda, serio de admissis dolendo & abscindendo pravas cogitationes, *ut cognoscere & curare, quæ spectant ad pacem nostram possemus* Luc. 19. Agite igitur, agite, corda hoc modo scindamus, usque dum animam Deo, qui paterna manu concredidit eam nobis, tradimus sincera fide, *reportaturi finem fidei nostræ, salutem animarum*, 1. Petr. I. 9. & *immarcessibilem gloriæ coronam*, c. V. 4. in qua conspicua erit amœnitas vernalis, formositas æstivalis ubertas autumnalis & tranquillitas hyemalis. AMEN.



CHRI-

CHRISTIANI ROHRENSEENSII
DISSERTATIO
DE RITU SCINDENDI VESTES.

I. EA studiorum ineunda ratio est, ut non tam ad splendorem satisfaciant cultori suo, quam utilitate se sua affatim commendent. Quare cum in Dissertationis publicæ vicem aliquid nunc conscribere placeat, non de lana caprina, aut umbra asini, aut Parni navigio agere instituimus, sed talem nobis selegimus materiam, quæ & sacrarum versanti literarum monumenta, & profanorum autorum intento scriptis haud parum afferre adjumenti valeat. In vulgus etenim notum est, nullum ferme priscæ historiæ conditorem reperiri, quin vestimentorum scissionis mentionem faciat; sacris autem Scriptoribus tam frequens ejus memoratio est, ut ab antiquissimis Judæorum traxisse originem, vero valde consentaneum existimetur. Qua de caussa non ludemus operam, si ritum illum, nixi divini numinis ope, paullo penitius inspiciamus.

II. Quod autem nominis rationem attinet, *origo* ejus in propatulo est: *Significationem* saltem ad institutum nostrum determinabimus. Igitur non agimus hic de illa scissione; *quæ vestibus diuturno usu attritis accidebat: sed quæ dedita hominum opera fiebat*; nec ea nunc vestimentorum ruptio in disputationem venit, *quamquis in alio faciebat, vel ex levitate animi*, quo sensu de Chærea Pythias Terentiana, *Evnuch* 4. 3. Postquam ludificata est virginem, vestem omnem miseræ discidit: tum ipsam capillo conscidit: *vel studio retinendi*, qua ratione scindere penulam, pro impensius retinere, *Cicero ad Atticum* usus est; plane ad eum sensum, quo nos Germani, Einem den Rock zureissen, dicimus. *Vid. Chil. Erasm.* Sed illa vestium laceratio præsentis considerationis est, quam quis ex gravi commotione animi in propriis vestibus experitur.

III. Varie autem a variis gentibus hic ritus insignitus est. *Latini* per *scindere*, *abscindere*, *discindere*, *lacerare*, *rumpere*, *&c.* hunc morem efferunt. Ita *Statius* 9. *Thebaid.* v. 354.

> *Oraque, pectoraque, & viridem scidit horrida vestem.*

& 2. *Sylv.* I. vers. 171.

> *Tu modo fusus humi lucem aversaris iniquam,*
> *Nunc torvus pariter vestes & pectora rumpis*

Virgilius 12. *Æneid.* v. 609.

> *Demittunt mentes: it scissa veste Latinus,*
> *Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina.*

Et paullo ante v. 601.

> *Multaque per mœstum demens affata furorem,*
> *Purpureos moritura manu discindit amictus.*

L. 5. *Æneid.* v. 685. ita canit:

> *Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,*
> *Auxilioque vocare Deos, & tendere palmas.*

Scipionem audita suorum morte ita lamentantem inducit *Silius Italicus* lib. 13.

> *Pulsato laceras violenter pectore amictus.*

Græci verbis, ῥηγνύω, cum ipsius compositis, in hoc negotio utuntur. Sic *Eurip. in Hecub.*

> --- λαβοῦσα πέπλους ἐξ ἄκρας ἐπωμίδος
> Ἔῤῥηξε λαγόνος εἰς μέσον παρ' ὀμφαλόν.

Æschylus Persis

> Ῥήξας δὲ πέπλους κἀνακωκύσας λιγὺ
> Πεζῷ παραγγείλας ἄφαρ στρατεύματι.

Ubi *Scholiastes.* Ῥήξας δὲ πέπλους) διασχίσας δὲ τὰ ἱμάτια ἑαυτοῦ καὶ ἀνοιμώξας ὀξὺ καὶ μέγα, ὥρμα σὺν φυγῇ, ἤτοι ἔφευγε ταχέως. *Nonnus l. 9. Dionysiacorum:*

> --- --- --- κατὰ στέρνοιο δὲ γυμνοῦ
> πενθαλέον κήρυκα διαῤῥήξασα χιτῶνα.
> Αἰνομανὴς πεφόρητο -- --

Hebræis hic ritus est קריעת הבגדים laceratio vestium. *Vid. Buxtorf. Lexic. Talmud. p. m.* 2146.

IV. *Existentiam* hujus ritus nemo facile vocabit in dubium, qui vel a limine humaniores salutavit literas. Evincit eam & *sacri Codicis* invicta autoritas, & *profanorum autorum* asserit fides, & *Rabbinorum* non spernendi in hoc *Commentarii* loquuntur, ut e futura tractatione dispalescet. Nec officit nobis, si jam olim desiisse hanc consuetudinem apud plerasque gentium, oggerat aliquis. Ut enim taceam, & hodie hoc institutum valere non in uno populo, (modernis certe Judæis *Buxtorfius Synag. Jud. c.* 49. *p.* 697. ac Totonibus pariter & Mexicanis, Americæ populis, *Menasse Ben-Israel* tribuit *in Tract.* מקוה ישראל *sect.* 6. *p.* 27.) sufficit nobis, si aliquando in usu fuisse, certi simus, neque plura disputationis Philologicæ natura requirit.

V. Quod si quis tamen concedat liberaliter, usu diuturno tritam gentibus hanc cerimoniam fuisse, neget autem præfracte, eam *rationabili caussa* niti; & huic arieti nocendi vis adimenda erit. Ac ridet sane hunc morem Bion, & explodit *Cicero lib.* 3. *Tuscul. quæst.* §. 26. quod mœror scissa veste haud magis, quam nuditate & calvitio levetur. Sed recte occurrit iis *Clar. Dilherrus Dial. Philol.* 1. *p.* 36. his verbis: Mœror equidem capillorum evulsione, aut vestimenti scissura non domatur, nec dolor egeritur: luctus tamen quædam edere signa, quis, nisi μαργύτης, κεραοβόλος καὶ ἀτίμαμενος vetabit? Constat certe, & sanctissimos Patriarchas, & inclytos Duces & Regum pientissimos, & vires θεοπνεύστους in gravioribus animi motibus huic ritui gessisse morem, citra Spiritus S. indignationem. Ecquis igitur eum temeritatis alicujus argueret. Neque tamen hic cum Rabbinis facimus, qui pro divino mandato hunc morem habent. Sic enim eorum mentem ex *Maimonidis Hal. Ebbel. init. cap.* 8. refert *Cl. Wilhelm. Schikardus in* משפט המלך *s. jure regio Hebræorum cap.* 6. *th.* 19. *p.* 135. Lugens tenetur vestes ob mortuum dilacerare, quia dicitur (*Levit.* 10. 6.) vestimenta vestra ne dissuatis, (iste textus prima fronte contrarium docere videtur, sed cogitandum est, de sacerdotibus loqui, quos hoc ipso plebi dissimiles voluit legislator) ecce innuit, esse alios, qui dissuere debeant! Conjunge & limatissimam *Magnifici Dn. Geieri* versionem in *de luctu Hebræorum*, aureo *tractatu c.* 22. §. 17. Etenim ruinosæ caussæ hac in parte insistunt, nec præter divinam permissionem obligatorium aliquod præceptum ex loco isto exsculpere possunt.

VI. Ut autem provehamur altius in cœpto cursu, disquirendum nunc; *quibus exercitus populi* hic ritus fuerit? Enimvero *R. Menasse Ben-Israel l. c.* eum Hebræis solis vindicare videtur, dum ex ejus observatione Hebraicas Americanorum origines stabilire contendit; refutatus in eo a *Theophilo Spizelio*, *Tr. de origine gentium Americanarum Israelitica p.* 185. *seqq.* sed contrarium ex constanti Historicorum assertione addiscimus, qui quamplurimis populis rupturas vestimentorum assignant. De *Hebræis* perorata lis est. De *Romanis* in genere testatur *Dionys. Halicarn. l.* 7. Luctum in J. Cæsaris funere ita describit *Suetonius cap.* 84. Deinde tibicines & scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atque discissam, injecere flammæ. Ipse J. Cæsar pro concione fidem militum, flens ac veste a pectore discissa, invocavit. *Suet.* 1. 33. Sic Nero, postquam Galbam & Hispanias descivisse cognovit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronunciavit. *Id. Ner.* 42. De *Græcis* affirmat idem *Lucianus Dial. de luctu*. Hinc bene ad *Sveton. Aug. c.* 52. animadvertit *Casaubonus*: Hebræorum, Græcorum & Romanorum mos τῇ γυμνότητι ταπεινῶν, ut loquitur Plutarchus. Quare in omni graviori commotione vestes lacerabant, ut passim in omnibus scriptoribus. De *Sabinis* mulieribus *Livius* memorat, *Dec.* 1. *l.* 1. *cap.* 13. eas crinibus passis, scissaque veste, victo malis muliebri pavore, ausas se inter tela volitantia inferre. *Assyriis* eundem placuisse morem, tragicus Holofernis exitus monstrat, quo a Vagæo propalato, principes copiarum Assyriæ e vestigio suas disruperunt tunicas. *Histor. Judith.* 14. 17. Sed & apud *Ægyptios* & *Lacedæmonios* postea re infeliciter gesta, vestes fuisse discissas, *Herodotus l.* 6. narrat. De *Persis* idem Herodotus lib. 3. Πέρσαι δὲ ὡς τὸν βασιλέα εἶδον ἀνακλαύσαντα, πάντες τάτε ἐσθῆτος ἐχόμενα εἶχον ταῦτα κατηρείκοντε, καὶ οἰμωγῇ ἀφθόνῳ διεχρέωντο. Cum, fuso Dario, in Alexandri potestatem pervenisset mater conjuxque Darii, ingentem circa eas nobilium fœminarum turbam constitisse, laceratis crinibus, abscissaque veste, *Curtius* autor est, 3. 11. 25. Sic Darium sui laceratis vestibus, lugubri & barbaro ululatu deplorare cœperunt. *Id.* 5. 12. 12. Adde *Diodor. Sic. l.* 11. & 17. *Biblioth.* & *Curt.* 10. 5. 19. De *Armenis* audi *Xenophontem*, *l.* 3. *Cyropæd.* ὁ μὲν παῖς αὐτοῦ ὡς ἤκουσε ταῦτα, περιεσπάσατο τὴν τιάραν, καὶ τοὺς πέπλους κατερρήξατο, αἱ δὲ γυναῖκες ἀναβοήσασαι, ἐδρύπτοντο, ὡς οἰχομένου τοῦ πατρὸς, καὶ ἀπολωλότων

λόπων πάντων σφῶν ἤδη. *Idem* de Abradatæ uxore, audiente, ſe Cyro eſſe tradendam, l. 5. ὡς οὖν τοῦτο ἤκουσεν ἡ γυνὴ, περικατερρήξατό γε τὸν ἄνωθεν πέπλον, καὶ ἀνεδύρατο. De novi orbis incolis Mexicanis & Totonibus ſ. Tonotacazenſibus, recenſente *Menaſſe Ben-Iſrael*, *l. c.* teſtantur *Romam & Gomara*, *in generali Indorum hiſtoria*, quod veſtes lacerent, ſi vel repentinum aliquod infortunium, vel mors alicujus ſupervenerit. Plures autores allegatos offendes apud *Nobiliſſ. Barthium ad Statii 2. Sylv. 1. v. 171.*

VII. Claret itaque ritus hujus cum plurimis gentibus communitas, quamvis haud diffiteamur, eum ortus ſuos Iſraelitis debere. Ultimam ejus originem, quoad prævia Scriptura S. patet, cum *Wilhelm. Schikardo l. c.* ad *Jacobum* referimus, qui, ubi de falſo perlata Joſephi morte inaudierat, ſcidit veſtimenta ſua, poſuitque ſaccum in lumbis ſuis, & luxit filium ſuum diebus multis. *Gen.* 37. 34. Idem jam ante fecerat *Ruben*, cum Joſephum in ciſterna non amplius reperiret. *v.* 29. unde probabile argumentum naſcitur, morem hunc non per Jacobum cepiſſe primitus, ſed altius adhuc originem ejus arceſſendam eſſe, niſi hiſtoriæ nos deſtitueret autoritas. *Jobi* quoque (quem Patriarcharum quidam ætate, alii, Iſraelitis in Ægypto degentibus, vixiſſe volunt) temporibus in more poſitum hunc ritum fuiſſe, ex libri ejus c. 1. 20. & 2. 12. edocemur: quod & extra Judaicam gentem antiquiſſimis ſeculis reliquis Orientalium uſurpatum fuiſſe hoc inſtitutum, argumento eſt.

VIII. Jam ad *impulſivam* hujus moris *cauſſam* parandus acceſſus eſt. *Summe Reverendus Dn. Geierus in laudato tractatu l. c.* §. 10. quatuor ejus rei rationes affert, quod nimirum veſtium ruptura contigerit vel *propter blaſphemias contra Deum aut ſacra fuſas*: *vel propter iniquitates proprias, indigniſſime adverſus Deum admiſſas, ejuſdemque minas & vindictam promeritas: vel propter iniqua aliorum adverſus nos dicta aut facta: vel propter infortunium ingens, ſ. noſtrum ſeu noſtratium. Clariſſimus Dn. A. Pfeifferus in Specimine Antiquitatum ſacrarum, Decad.* 1. *Poſ.* 3. ad ternarium numerum cauſas ejus moris reducit, ut frequentatus fuerit I. *in luctu defunctorum* II. *in ſolenni pœnitentia* III. *in vehementioribus animi commotionibus*, idque *vel ob repentinos & inſperatos caſus*, *vel ob auditam blaſphemiam*. *B. D. Caſpari Finckio in Cent.* 3. *canonum Theologicorum*, *can.* 94. ad octonarium cauſſarum numerum ſciſſionem veſtium extendere viſum fuit, ita ut illa facta fuerit I. *a lugentibus in funere*, & nominatim a Jacobo. Gen. 37. 34. a Davide 2. Reg. 1. 11. ab Hiobo, c. 1. 20. eundemque morem fuiſſe Lacedæmoniorum, teſte Herodoto l. 6. Græcorum, teſte Luciano, in Dial. de luctu. Romanorum, teſte Dionyſio Halic. l. 7. 11. *a pœnitentibus & ſeſe humiliantibus*, quod probatur ex *Joſ.* 7. 6. 2. *Paral.* 34. 19. 1. *Maccab.* 3. 47. *Joel.* 2. 13. III. *a deteſtantibus blaſphemias & dolentibus ob injurias Deo illatas*, quos inter Joſua & Caleb, *Num.* 14. 6. Ezechias 4. *Reg.* 19. 1. *Eſa.* 37. 1. Jeremias, *Jer.* 36. 24. Apoſtoli, *Act.* 14. 13. 14. Pontifex, Papæ laudatiſſimus, ſcilicet, anteceſſor, *Matth.* 26. 65. IV. *a ſepelientibus*, obſervant enim *Origenes* & *Chryſoſtomus*, antiquorum funerum ritum fuiſſe, ut cadaveri precioſa veſte contecto, veſtis conſcinderetur, ut occaſio abriperetur furandi, corpus exhumandi, & indigne tractandi. V. a *pugnantibus*. Cum enim Syri manus cum hoſte conſerere vellent, veſtes conſcindebant, abjiciebant, & nudatum pectus in hoſtem ferebant: omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet 1. *Cor.* 9. 25. VI. a *contemnentibus & afficientibus injuria* 2. *Sam.* 10. 4. 1. *Paral.* 20. 4. *Act.* 16. 22. VII. a *reſpuentibus dignitates ac honores oblatos*: reſpuerunt hos Paulus & Barnabas *Act.* 14. 13. 14. & Auguſtus Dictaturam, magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, quam prius quoque diſciderat & laceraverat, nudo pectore deprecatus eſt, ut annotaverunt *Dio. lib.* 54. *Zonaras tom.* 2. *Sveton. in Auguſt. c.* 52. VIII. *a noxiis & ultimum ſupplicium ſubituris*, utpote quibus olim a lictoribus veſtes ſcindebantur, ut virgis cæderentur; teſtes ei rei ſunt *Val. Max. l.* 2. *c.* 7. *Seneca l.* 1. *de Ira. c.* 6. *Plutarch. in Publ.co l. Camill. Mar. Cic. Svetonius in Vitell.*

IX. Sed enim hic numerus negotio noſtro non ſatis apte congruit. Nam quod *quarto*, *ſexto*, *ac octavo* loco affertur, cum *ab aliis in alieno veſtitu peracta* ſit ſciſſio, ad nos proprie non ſpectat, quippe qui ſupra præcepimus, nos de ea ſaltem ruptione veſtium acturos, quam quis ultroneo motu in proprio amictu facit, ut taceam, quartam a ſepelientibus petitam cauſſam commode ſatis ad primam reduci poſſe. *Pugnantes* non tam ex vehementi quodam animi motu, quam ut expeditiores in dimicando deprehenderentur, veſtes ab humeris dejecerunt, nudique pugnam inierunt, eadem ratione, qua priſci *Germani* olim nudi aut ſagulo

gulo leves pugnabant, *Tac. in Germ. c.* 6. 2. quod idem de *Gallis* quondam, ac hodienum de *Africanis Indorumque* plurimis *Excell. Dn. Kirchmaierus ad citatum Taciti locum* luculenter probat. Exemplum Pauli ac Barnabæ, in sexta ratione allegatum, ad *tertiam* spectat. Augusti factum ex simulata gravi mentis perturbatione profectum videtur, qui per adjectam vestem nudatumque pectus significare voluit, malle se occidi, quam Dictatoris titulum subire.

X. Nobis itaque pro *generali & adæquato* hujus ritus *impulsivo vehementem animi commotionem* adducere placet, ut quæ pro omnibus exemplis satisfacit. Cum enim dolorem, undecunque etiam is ortus esset, pati non possent, violento modo dirumpebatur vestis, laceris partibus aliquandiu relictis pendulis, ut hac ratione etiam aliis constaret de interno dolentis animi affectu. Scissio siquidem scissi velut pectoris dolorem testabatur subitum: scissorum autem gestatio dolorem eum referebat serium ac diuturnum. *Mag. Dn. D. Geierus l. c.* §. 9. Exerebat autem se gravior ille animi impetus 1. *in luctu*, tum *ob defunctos* v. g. apud Judæos cumprimis ob mortem patris aut matris, propinqui, sapientis, aut Doctoris populi, Regis aut Principis, summi Prætoris, & similium, *Buxtorf. Lex. Talmud. p.* 2146. Quin ægroto ultimum singultiente & animam exhalante, adstantes omnes, seu propinqui fuerint, seu extranei, vestes suas dilacerant. *Id. Synag. Jud. cap.* 49. *pag.* 697. tum *ob ingentes ac insperatas calamitates*, sive *privatas*, seu *nostrum*, seu *nostratim* v. g. fratrum Josephi, servitutem perpetuam metuentium *Gen.* 44. 13. Jephtæ, filiam sibi obviam habentis, quam ex voto immolare tenebatur, *Jud.* 11. 35. Mardochæi, paratam sibi suæque genti stragem videntis, *Esth.* 4. 1. sive *publicas*, ut si quis audiat, urbes, templa, scholas vastari aut comburi; aut populum Judaicum armis ferroque trucidari. *Vid.* 1. *Sam.* 4. 12. 2. *Sam.* 1. 2. *c.* 15. 32. *Jerem.* 41. 5. *tum ob iniquitates*, indignissime adversus Deum commissas, ejusdemque pœnam promeritas, ut patet ex *Jos.* 6. 7. 1. *Reg.* 21. 27. 2. *Reg.* 22. 11. 19. 2. *Paral.* 24. 19. *Jer.* 36. 24. *Joel.* 2. 13. 1. *Maccab.* 3. 47.

XI. Postmodum mos ille vigebat 2. in *indignatione*, tum *propter injurias ab aliis sibi factas* ut manifestum est ex 2. *Reg.* 5. 7. *c.* 6. 30. *c.* 11. 14. tum *propter auditas blasphemias contra Deum*, *nomen ejus tetragrammatum*, *aut cognomen*, *aut sacra fusas*, ut si quis videat, vel audiat, nomen Dei blasphemari, aut verba legis flammis absumi; quo ipso externum quasi testimonium perhibebant, quod autor istiusmodi blasphemiarum dignus sit, qui eodem, quo vestis, modo scindatur, & vivus discerpatur. *Forst. com. in Es. cap.* 37. *part.* 1. §. 1. Observandum autem, Judæos tum demum lacerandas esse vestes velle, si blasphemia ex ore Israelitæ audita sit. Ita enim *liber præceptorum*. Qui blasphemantem Israelitam audit, debet lacerare vestes: si alius est, puta גוי gentilis, non lacerat. Quod autem Eliacim & Sobna vestes disruperint, 2. *Reg.* 18. *v. ult.* id factum esse inde contendunt; quia Rabsaces erat Israelita apostata, qui patrum religionem ejuraverat. *Vid. Drus. lib.* 1. *Præter. ad cap.* 26. 65. *Matthæi*, & *B. Gerhard. in Harm. Evangelist. ad eundem locum p. m.* 1821.

XII. Erat autem *omnibus* apud Judæos integrum, vestimenta scindere, nisi quod de *sacerdotibus* nonnulli dubium movent. *Cornel. a Lapide*, *in c.* 26. 65. *Matthæi* censet, illicite Caipham vestem scidisse, cum fecerit hoc contra divinam prohibitionem *Levit.* 10. 6. *c.* 21. 10. 11. Præiverat jam *Baronius*, dum *Tom.* 1. *Ann. ad A. C.* 34. scribit: Hac consuetudine (scindendi vestes) cæteri, haud tamen sacerdotes, tenebantur; nam divina lege sacerdotibus vetitum erat, ne sua scinderent vestimenta. Sed Caiphas, illa contempta, quo cæterorum adstantium animos in Christi perditionem magis ac magis excitaret, furore quodam percitus, primus summorum omnium Pontificum (quorum sit memoria) sic sua vestimenta conscidit. Respondent huic *Petrus Cunæus l.* 2. *de Rep. Hebræor. c.* 3. & *Joh. Leusdem. in Philol. Hebræo-mixto*, *Diss.* 27. *p.* 183. Talmudicos præceptum *Levit.* 10. 6. ad *lacerationis modum* restringere, ut Pontifici disrumpere vestem quidem, sed *infra tantum* circa pedes licuerit; *supra* vero, & ad sinum pectoris vetitum sit. At cæteris sacerdotibus jus esse lacerandi vestes a summa parte deorsum, prout determinatum *in fine tractatus Harajot.* E. Caipham non peccasse, si vestes suas disruperit infra circum pedes.

XIII. *Isaacus Casaubonus Exerc.* 16. ad *Baron. annales ann.* 34. *n.* 73. ait; veram esse Baronii assertionem *in luctu pro defuncto*, non in omnibus; nec satis clare id evincere testimonia ex *Levitico* in eam sententiam allata. *Priorem* locum *cap.* 10. 6. non facere ad rem, quod illud Dei præceptum ulterius non extendatur, quam ad *illam actionem*, cum alioquin dicendum esset, non solum Pontificem vetitum esse vestimenta sua lacerare;

re; sed universam Aaronis posteritatem, quod nemo audeat affirmare, & facile refellatur ex Scripturis. *Posteriorem c.* 21. 10. continere præceptum verbis expressis conceptum; sed quod omnes Hebræorum interpretes *de luctu propter mortuum* interpretentur, sicut etiam Chaldæi paraphrastæ expresserint. Moveri se insuper *silentio* scripturarum & Rabbinorum. *Job. Seldenus l.* 2. *de J. N. & G. c.* 12. distinguit inter *vestes sacerdotales*, h. e. quarum in ministeriis sacris usus erat; & *amictum vulgarem*. Negat, in *prioribus* licitam fuisse scissionem, quod reverentiæ & honoris caussa nemini, sive sacerdoti, sive laico, fas fuerit, vestibus dilaceratis atrium in templo Israelitarum ingredi. Quod autem ad *amictum vulgarem*, quem extra sacra gestabant ministeria Pontifices sacerdotesque, tam ipsos, quam alios cujuscunque generis Hebræos dilacerare potuisse, ex rationibus prædictis; affirmat.

XIV. *Excipit* autem ad hæc *Non nemo* I. *verba legis esse generalia*: caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet; ac voluisse Deum *moderationem affectuum* cum gravitate conjunctam hoc præcepto Pontifici præscribere. II. *per* χιτῶνες, quos Pontifex disrupisse dicatur, *commode intelligi posse vestes sacerdotales*: ita enim hoc vocabulum usurpare LXX. *Interpretes*, *Exod.* 35. 18. *Lev.* 8. 13. *Esdr.* 2. 69. & alibi passim, ac verisimile esse, Caipham indutis Pontificalibus, majoris splendoris & autoritatis caussa in judicio sedisse. Verum salva tanti Viri autoritate liceat hic modeste dissentire, ac reponere I. *legem Levit.* 21. 10. *non esse omnimode generalem*, cum α. loquatur de *vestibus* saltem *Pontificalibus*, non autem de iis, quarum extra sanctum ministerium usus est. β. respiciat saltem *casum propter mortuos*, sive *in luctu privato*, ut ex subjecto *v.* 11. colligimus, cum alioquin propter publicam calamitatem, seu in *publico luctu* Pontificem quoque maximum dirupisse vestimenta sua ex I. *Maccab.* 11. 71. haud difficulter demonstrare possimus. II. *vestes sacerdotales non posse intelligi*, siquidem alibi aut alio tempore non fuere gestæ, præterquam, dum vicem sacram observantes altaris ministerio assidui adessent. Peracta vice in apothecis reponebantur; adeo, ut extra templum vestitus cultu nec a plebe cætera differret sacerdos, ceu ex Talmudistis, *Josepho l.* 6. *Halosecs c.* 15. *Ezechiel.* 44. 19. & *Hieron. ad b. l.* probat *Selden. de success. in Pontif. Hebr. l.* 2. c. 7. qui aliquot interjectis paginis addit, indumenta Pontifici propria *semel tantum in anno*, *intra sacrarium intimum s. sanctum sanctorum*, i. e. in festo Expiationis, ipsi gestanda fuisse. Conjunge sæpius laudatum *Reverendiss. Geieri tractatus*, *c.* 22. §. 14.

XV. Consideranda nunc porro *scissionis materia* est, quam *vestium* nomine efferimus. Egregie, ut omnia, earum apud Hebræos rationem ac varietatem describit sacratioris Philologiæ ocellus, *celeberrimus Geierus*, loco multoties citato, §. II. *ad* 15. cujus expilare scrinia, religioni nobis ducimus. *Romanorum vestitum* describit *Job. Rosinus*, *l.* 5. *Antiquit. Rom. c.* 31. *seqq.* & *Heinricus Kippingius in ejusdem argumenti commentario l.* 4. *c.* 5. Nos breviter saltem annotabimus, in quibus vestimentis apud Judæos contigerit scissio, & in quibus secus. *Cl. Buxtorfio in Lexic. Talmud. l. c.* hæc advertit ex Hebræorum instituto: Laceratio non fit in interula scil. indusio linteo, quod vocatur בגד חזיעה vestis sudoris, nec in סרבל pallio exteriori. In reliquis vestibus corpori accommodatis omnibus fit, etiam si decem fuerint. In sacra N. T. historia cumprimis mentio fit τῶν ἱματίων & τοῦ χιτῶνος, *Matth.* 26. 65. *Marc.* 14. 63. ἱμάτιον, explicante *Doctissimo Casaubono*, *Exerc.* 16. *ad Annal. Baron. ann.* 34. *num.* 67. vestis est exterior, proportione respondens pallio Græcorum & Romanorum togæ, & Hebræorum מעיל. *Eustathius in Iliad.* β. facit duo genera χιτώνων s. tunicarum; alterum, quæ fiebant e lino, & corpori adhærebant: alterum earum, quæ fiebant ἐξ οὔλων ἐρίων, mollibus lanis, & intimæ vesti superinduebantur. Itaque & pallium & tunicam, s. vestem exteriorem & interiorem, modo unum sine altero, modo conjuncta, sensisse scissionem credimus. *De pallio s. externa veste* certos nos reddit *Job.* 1. 20. ubi Job scidisse את מעילו pallium suum dicitur. De *interiori tunica* probatur ex 2. *Sam.* 13. 19. de Thamare per vim vitiata, & *c.* 15. 32. de Chusai Archita. *Utrumque vestimentorum* simul disruptum fuisse, cognoscimus tum ex *Esr.* 9. 4. tum *Matth.* 26. 65. quemadmodum hæc omnia latius diducit *Dn. Geierus l. c.* §. 14.

XVI. De scissionis *modo ac forma*, cæterisque *circumstantiis* nunc visuri, id exputabimus primo, *utrum instrumento aliquo peracta fuerit scissio, an manu facta?* Expresse id nullibi traditur, nisi quod *Maimonides in Hal. Ebbel. c.* 8. memorat, licuisse etiam scindere instrumento, velut forfice, vel cultro, in vulgariori præcipue luctu: verum destituitur *tum* Scripturæ sacræ, *tum* profanorum autorum consensu, ex quibus potius contrarium percipimus. De Regis Latini con-

juge

juge expresse *Virgilius* 12. *Æn. v.* 602. Purpureos moritura manu discindit amictus.

De Davide quoque 2. *Sam.* 1. 11. refertur, quod fortiter firmiterque apprehenderit vestimenta sua, ac disruperit ea. Neque sane probabile est, præ affectuum vi, dolorisque impatientia, tantum sibi indulsisse antiquos, ut prius instrumenta circumspicerent.

XVI. Neque vero putandum est, arbitrarium hunc ritum fuisse, sed certis suis legibus continebatur. *Formaliter* autem non consistebat *in denudatione pectoris, sine ulla vestium ruptura, ut Cajetanus in c.* 14. *Marci* persuasus est: nec *in violenta detractione, projectione, diffibulatione*, aut *diloricatione*; ita ut noduli, vel ansulæ, vel sutura, quibus vestis jungitur, violenter abjungantur, quemadmodum *Sopranes in David. Digr.* 1. *c.* 2. §. 12. *f.* 330. contendit: sed in *vera propriaque vestium diruptione, laceratione, ac discissione*, ea violentia, ut filum unum post aliud & textura promineat, solvatur, dependeat, uti verbis קרע emphasin venuste venatur ὁ πάνυ *Geierus*, §. 15.

XVIII. Quod ad *quantitatem* scissionis, lacerabantur vestes *ruptura satis longa ac notabili*, usque adeo, ut per laceratas vestium superiorum partes intimior cuti adhærens saccus conspici potuerit sat evidenter, etiam a remotioribus, 2. *Reg.* 6. 30. quæ ipsæ partes laceræ ad tempus aliquod in terram pendulæ relinquebantur, ut ex 1. *Sam.* 4. 12. 2. *Reg.* 18. 37. *Gen.* 44. 13. 2. *Sam.* 15. 32. *c.* 13. 31. *Esth.* 4. 3. *Jer.* 41. 5. deducit *Dn. Geierus*, §. 15. Quod ad *situm*, ruptionem non fieri, nisi *a stante*, volunt, sicut dicitur 2. *Sam.* 13. 31. surgens David, vestes laceravit: & si qui oblitus, vel mœrore occupatus, rupisset sedens, denuo stantem rumpere obstrictum fuisse.

XIX. *Differentiam* autem quandam hic insinuat *Maimon. l. c.* qui *mensuram* rupturæ palmum, (seu quat. digitos) non exclusa fimbria, in superiori duntaxat veste statuit *in communi, de plerisque mortuis:* ast in *luctu ob parentum, præceptorum, principum, vel Senatorum mortem, publicamve cladem, auditave blasphemia*, &c. rumpi amplius, ut ipsum *pectus nudetur*, separari oram vestimenti, lacerarique vestes universas usque ad cutem, etiam sudarium, vel interulam, carni adhærentem: in *vulgari luctu* fieri *a sinistro latere; in luctu vero parentum ad dextrum latus:* fieri *a collo anterius, non posterius, non ad latus, neque ad fimbrias inferiores* vestis. Quod si quis a tergo, aut a latere, aut ab inferiori parte dilacerabat, is a ritu dilacerationis aberrabat. Quod tamen de *Pontifice summo* non est intelligendum, cui *a parte inferiori* dilacerandum erat. *Propter reliquos defunctos* posse fieri *privatim*, manumque intromitti anterius, ac scindi occulte, etiam *instrumento* aliquo, ut est culter, vel forfex; *at propter Parentes*, & qui eorum loco habentur, *publicamque caussam* debuisse fieri *sine instrumento, manu propria, palam* in conspectu omnis populi. *In lugendis extraneis vel propinquis* non lacerari *secundam vestem* si usus postulet, scissam mutari, sed in altiori ob rationes prædictas luctu, si vestes mutari opus sit, oportere & alteras lacerari, *toto septiduo*. Si *sapiens* moriatur, *universos nudare pectus & exerere dextrum latus*. Si *pater Synedrii, per rimam exeri dextram:* si *Princeps*, exeri solum *utramque manum, unam hinc, alteram illinc:* si *parens*, exerere lugentem *humerum suum, & educere brachium suum* מן החלוק *per indusium*, vel *per fissuram*, adeo, *ut scapularum brachiique nuditas conspiciatur*. Istam quoque discrepantiam vulgo annotant, *lacerationem vel suturam propter parentes nunquam resui: propter alios fieri posse vel post trigesimum diem, vel intra pauciores, pro ratione personarum mortuarum*. Verum his & similibus non licet diutius immorari, quæ singulari congesta studio, curatiusque examinata offendes apud laudatissimum *Dn. D. Geierum, l. c. Buxtorfium, in lex. Talmud. sub radice* קרע, *& in Synag. Judaic. cap.* 49. *Schickardum, de Jure Regio Hebræorum, & alios*.

XX. Paucissimis videamus coronidis loco, quinam rituum cum nostro *cognationem* aliquam habeant? Involvunt ii habitudinem tum ad vestimentorum *retentionem*, tum eorundem *commutationem*. Retinebant etenim antiquis temporibus in vehementi animi perculsione amictum, in squalore ac sordibus, ut de interno pectoris affectu ex exteris indiciis constaret. Sciendum autem, ut habet *Kipping. Antiq. Roman. l.* 4. *c.* 5. *dist.* 8. veteres olim delectatos maxime fuisse *albis vestibus*, quæ, si quas sordes contraherent, aderant fullones, qui maculas eluebant, & quia sensim color vestis deterebatur, addebant cretæ bene præparatæ aliquid, ita & splendor restituebatur, & vestes fiebant densiores, *Plin. l.* 35. *c.* 15. 17. Hinc & in ipsa S. Scriptura vestimentorum lotionis injicitur mentio, ut ex *Exod.* 19. 10. *&* 14. palam est, ubi Deus per Mosen injungit populo Israelitico, ut lavent vestimenta sua. Ast vero in luctu vel *publico*, vel *privato* nitidior cultus cessabat, velut hoc exponit *Buxtorf. c.* 49.

Synag.

Synag. Jud. p. 706. Per *triginta* dies lugubres & ſqualidas veſtes gerunt; nullas vel lavant, vel lotas & mundas induunt: & paullo inferius *p.* 708. Parentes mortuos filii per annum integrum lugent. Pullis veſtibus in luctu non utuntur; ſed veſtes illas, quibus obitus tempore quis indutus fuit, nec ullas alias, toto luctus tempore, per integrum ſcilicet annum, geſtare tenetur. Obſervantiam hujus ritus apud antiquos Judæorum evincimus *ex* 2. *Sam.* 19. 24. ubi *Mephiboſeth* in occurſum Regis deſcendiſſe dicitur *illotis pedibus*, *intonſaque barba*, *veſteſque ſuas non laviſſe a die*, *qua egreſſus Rex fuerat*. Quoniam itaque lugentes in luctu a lotione abſtinebant, inde in ſordibus eſſe dicebantur. Apud Romanos rei præſertim ſordido habitu (quem veſtem *ſqualidam Ulpian. lib.* 15. de injuriis & *obſoletam Val. Max. l. 6. c.* 4. nuncupat) utebantur. Unde de *Vitellio* refert *Sveton.* in ejus vita, *cap.* 8. quod caſtra ingreſſus, nihil cuiquam poſcenti negaverit; atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes (pro veſtibus ſordidis, & conſequenter pro reatu) damnatis ſupplicia demſerit. Neque vero rei tantum, ſed propinqui etiam atque affines ſordidati incedebant. Ita etenim *Venulejus IC. l.* 39. *de injuriis*, Veſtem ſordidam rei nomine in publico habere, capillumve ſubmittere nulli licet, niſi ita conjunctus ſit affinitate, ut invitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit. Et hinc commovebatur Romana plebs, poſtquam ſordidatum reum Manlium viderunt: nec cum eo non modo patrum quenquam, ſed nec cognatos quidem aut affines, poſtremo ne fratres quidem A. & T. Manlios: quod ad eum diem nunquam uſu veniſſet, ut in tanto diſcrimine non & proximi veſtem mutarent. Appio Claudio in vincula ducto C. Claudium inimicum, Claudiamque omnem gentem ſordidatam fuiſſe. *Liv. Dec.* 1. *l. 6. cap.* 20. Sed nec Mecedonibus neglectum hunc morem fuiſſe, *Curtius 6. 9.* 25. edocet, dum Philotam religatis poſt tergum manibus, obſoleto amiculo velatum, in concionem inductum ſcribit. *Conf. Roſin. Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 32.

XXI. *Mutationem veſtium* tribus ſaltem verbis tacturi, monemus ſtatim, non illam a nobis hic intelligi, quam *quotidiana conſuetudo ad corporis curam efflagitat magis*, *quam permittit*: ſed illam demum, quæ commoti graviter animi indicium eſt. Viguit hæc tum apud pleraſque gentium, tum apud Judæos, uti colligimus *ex Gen.* 38. 14. 19. ubi vidualis Thamaris habitus mentio fit; ſed qualis fuerit, vix aliquis poterit liquido exponere, ut recte judicat *D. Geierus l. c.* §. 4. Illud certum eſt, colorem atrum aut nigricantem vetuſtiſſimis jam inde ab annis in uſu fuiſſe, cujus originem Ægyptiis adſcribit *Servius ad l.* 11. *Æneid.* Morem lugendi, inquiens, quidam dicunt Ægyptios inveniſſe: Eos enim primos Liberum, quem Oſyrim appellant, a fratre Typhone per inſidias interemtum, atra veſte luxiſſe, inde cæteris gentibus traditum, ut intra annum finiretur luctus. Plura de his & ſimilibus ſuppeditabit Celeberrimus Dn. Geierus l. c. & *Kirchmannus de funeribus Roman. l. 2. c.* 17. Nos nihil ultra adjicimus, quam ſingulare Lyciorum inſtitutum, qui cum luctus incidit, recte muliebrem veſtem induerunt: ut deformitate cultus commoti, maturius ſtultum projicere mœrorem velint. *Val. Max.* 2. 6. 23. quam ἐπιχείρησιν tamen nos omnino probare non ſuſtinemus.